CURSUS
JURIS CANONICI
HISPANI, ET INDICI,
IN QUO JUXTA ORDINEM
TITULORUM DECRETALIUM

NON SOLUM CANONICÆ DECISSIONES AFFERUNTUR, sed insuper additur, quod in nostro Hispaniæ Regno, & in his Indiarum Provincijs Lege, consuetudine, privilegio, vel praxi statutum, & admissum est.

OPUS SANE UTILE JURIS STUDIOSIS, QUOD MAXIMI IMPERIJ REGUM MAXIMO

PHILIPPO V.

HISPANIARUM REGI CATHOLICO ET INDIARUM IMPERATORI POTENTISSIMO

D. O. C. Q.

MINIMÆ SOCIETATIS MINIMUS SACERDOTUM

P. PETRUS MURILLO VELARDE IN OPPIDO LAUJAR Regni Granatensis natus. Olim in Granatensi Imperiali Regia Academia Imperialis D. Michaelis Collegij Alumnus: deinde in Salmantino celeberrimo Lycæo Collegij Majoris Conchensis violacea condecoratus toga. Et demum in Pontificia, ac Regia Societatis Universitate Manilana Sacrorum Canonum prius, & deinde Sacræ Theologiæ Cathedrarum Moderator.

TOMUS PRIMUS.

MATRITI: Ex Typographia Emmanuelis Fernandez, Anno M.DCC.XLIII.

R. P. PETRI MURILLO.

CURSUS

JURIS CANONICI,

HISPANI, ET INDICI.

DUOBUS TOMIS DISTRIBUTUS.

Pro Collegio Maximo S. J. Neapolitano.

Dono Authoris.


PHILIPO V. EMPERADOR
REY DE LAS ESPAÑAS DE LAS YNDIAS.
Te Solis
Polus.
ab ortu Solis ad occasum Laudat Vterque
PLVS
VLTRA



MAGNANIMO PHILIPPO V.
HISPANIARUM CATHOLICO REGI,
INDIARUMQUE
POTENTISSIMO IMPERATORI.

JURIS studio incumbere, & Juris Leges infringere, non grave modo, sed gravissimum nemo non judicaverit: non enim inconsiderantiæ error tribueretur, sed consilio. Hinc sanè diu mecum ipse hæsitans, quo me vertam, nescio; inter Scyllam videlicet, ut ita dicam, & Carybdim constitutus. Dum enim injustitiæ notam vitare contendo, in alteram invitus offendere mihi videor, scilicèt, audaciæ. Nil in jure notius, quam jus suum unicuique tribui deberi. Quis enim, Rex Augustissime, si hunc Juris Canonici, Hispani, & Indici Libellum, qui non uno tuus est titulo, sed pluribus, V.M. non offeram, me injustitiæ reum non accusaverit? Si vero offerre voluero, ipsa eadem adeo exigui, tantæque Majestati imparis doni oblatio, me audaciæ reum constituet. At enim vero, & si primo rerum intuitu in alterutrum incidere necesse videatur, ab utroque tamen innoxius evadam. Si enim pauperum obsequia Magnis oblata Regibus, quippè qui non donum, sed donantis affectum considerant, ab omni audaciæ nota vindicantur, quanto magis subditorum vectigalia? Vectigal profectò est, non obsequium modo, quod V.M. persolvo. Nihil

ergo in causa erit, ut in audaciæ incidam notam, si nullum jam supereſt in retributione arbitrium? Ubi primum in hanc Sacrorum Canonum Cathedram, quam nonnullis ab hinc annis pro communi harum Insularum utilitate, Regali ſanè magnificentia V.M. erexit, ab hoc Regio Manilenſi Senatu, licet tanto impar oneri, & honori ſuffectus ſum, animum, vireſque meas ad hunc litterarium mihi commiſſum agrum excolendum, toto conatu converti. Et ſanè votis ita reſpondit eventus, ut brevi temporis elapſo curſu uberrimos fructus reddiderit, eaque doctrinæ, & ingenij maturitate perfectos, ut jam Manilenſis Reſpublica Advocatos ſuos, juriſque Patronos à Mexicana Academia emendicare neceſſe non habeat. Sunt ſiquidem in hac Regia Univerſitate, ſunt in hoc Regio S. Joſephi Collegio Juvenes enutriti, & edocti, qui ſtudij, & laboris ſui conſtantia eo in juris notitia profecerunt ut in ipſis Hiſpaniarum Academijs, primarijs Laureis, & honoribus, non impares invenirentur. Hinc mirum non eſt, ut Inſtitutionum Civilium Cathedras, quas nuper Regio Diplomate in utraque Univerſitate, Jeſuitica nempe, & Thomiſtica V.M. erexit, felicitèr, meritoque occupaverint. Et ſanè eos tanto muneri idoneos agnoſcere faciliùs fuit, quam meliores diſtinguere. Conſideranti ergo mihi tot ingenio præclaros Juvenes, ſtudijſque apprimè additos, ut eos meliori, qua poſſem induſtria, juvarem, illud ut maximè opportunum occurrit, ut ſcilicet Librum conſcriberem, in quo Jus Canonicum, juxta illius Titulos explanatum haberent, necnon quid, & in noſtris Hiſpanijs jure Municipali, & in his Indiarum Regnis obſervandum ſit. Denique, & proprias Leges, & Privilegia, conſuetudineſque, ac praxim addere maximè expediens judicavi. Habes jam Potentiſsime Princeps, integram mei operis ſeriem, quod citra audaciæ notam V.M. dicatum volui: tùm quia pauperum obſequia facilis acceptas, tùm quia ſubditorum vectigalia juſtus ſuſcipis; illa quidem tuæ accommodata benignitati: hæc tuæ debita Majeſtati. Deus Optimus Maximus omnium noſtrum compleat vota, quæ ad Imperij tui, totiuſque Orbis felicitatem incolumen te diu deſiderant.

JHS.

Petrus Murillo Velarde.

JUDI-

JUDICIUM, R. P. M. DIDACI DE QUADROS, Societatis Jesu, Regij Theologi in Sacro Cœtu Purissimæ, & Immaculatæ Conceptionis Sanctissimæ Virginis Mariæ.

NON sine fausta sorte, ad has Hispaniæ Oras appulit ex Asia longè pretiosior cunctis opibus suis ingens hic Thesaurus, seu Juris Canonici Cursus integer, & Volumen volans, quod ingenium parturivit, & manus docta adornavit nostri dilectissimi Socij, & Scriptoris egregij, P. Petri Murillo & Velarde, Societatis Jesu, Regij Cathedratici Universitatis Manilæ: qui postquàm Toleti, & Salmanticæ satis notus fuit; quippè Civitatum harum *in prima* ejus studia fovit, & aluit suus Patruus Illustrissimus D. D. Andræas Murillo, de Canonico Toletano creatus Episcopus Pampilonensis, multa illustri commemoratione dignissimus; & *in secunda*, videlicet, Universitate Salmantica ipse eadem studia tàm felici pernicitate excoluit, & auxit, ut in celeberrimo Majori Conchensi Collegio multa cum usura cooptatus, brevi eo pervenerit, ut eam, quam induit, Togam fecerit scientiæ verè Canonicæ doctrinam simul, & praxim; cum, scilicèt, Dei impulsu à mundiali pompa fugitivo, & à Patruo suo, suisque charissimis verè fugiente, ad Tyrocinium Societatis Jesu, quod Matriti est nostræ Provinciæ Toletanæ celerrimus convolavit: relicto, nempè, tàm præclaro exemplo huic Provinciæ, in qua studia tùm Philosophiæ, tùm Theologiæ (Discipulus aliquando meus) solita dexteritate tractavit, ut facinore sæculum relinquendi haud contentus, secundum, non minùs gloriosum, adeundi Philippinas Insulas disposuerit. In quibus, eum fructum tulit in litteris, quo ad Regias Cathedras promotus, fecerit, ut Asia hunc partum donarit Europæ; Quod si quis hanc præeuntem laudem, justam sanè, meo nimio vertat amori; non ille aberrabit quidem, nec de probro querar; cum potius mihi sit instar gloriæ, tùm, quòd Discipulus, qui ut fulgur transijt, ut tàm laudabilitèr coruscaret supra Magistrum excreverit; tùm, quia omninò decebat me (olim quoque Togatum in celeberrimo Complutensi Viridium Collegio) tàm inclytum meæ professionis pugilem non præterire illaudatum. Quare nec fore mussitantem vereor Societatem Jesu, Matrem nostram, de hac prævia congratulatione, quæ, retrograda ad tempora sæcularia, non ultrà progreditur, quàm ut extollat laudabilia conamina in virtute, & scientijs solidis proficiendi; cùm & ipsa eadem promoveat ejusmodi viros, & complectatur benigna; neque ferat accerbè, fratrem à fratre in procuranda Dei gloria moderatione justissima consoveri.

Ad opus, quod attinet certè cuperem, me multis posse distendi; quippè Author nobili æmulatione perculsus, quòd nostri Germani Patres Cursus Canonicos certatim in dies confecerint, in quibus sacrum jus omnimodis collustretur; elaboravit, ac perpolivit, ad decus suum, & nostrum, hoc

hoc opus, quod modo prodit in lucem. In eo quidem, præter solicitas, & vigilantes curas, operi adhibitas, animadvertere est, illam judicij maturitatem, qua opiniones securiores sectatur, & magis tutas, declinando subtiles, quibus luxuriantia ingenia plerumque arripi solent, ratus, meliorem literarij ædificij structuram fore soliditatem: cui, cùm non obsit perspicuitas, claritas, & expresio, quo magis doctrina ad chrystallum accedat; artificiosè temperavit styllum, qui cùm debitæ elegantiæ non deesset, tamen Oratio flueret, Instructio doceret, clarescceretque Disciplina. Præterea, ubi res ipsa postulat, non parcit multis testibus relatis ad literam, arbitratus eos, quando momenti sunt, & inde in varias opiniones, & interpretationes dispergruntur Authores; faciliùs, & magis præsentaneè de genuina sua inteligentia notificare; quàm subtiles super ipsis unorumquorumque discursus. Itidem adjungit de more authoritates non paucas; quæ, cùm plerumque Jurisconsulto, loquenti sine hoc pondere, videatur, quasi muta loquutio; insuper Cardines esse solent præcipui illius quæstionis, vel tituli, cui affiguntur. Demum in eo suam dexterrimè navavit operam, ut nil prolatum esset, quod sine fundamento assurgeret; quamvis satis multum volitarit ingenium: quod operæ pretium duxit, si amplificationes, & supeflua præludia resecaret. Ex his paucis de hoc Oceano delibatis, proclive jam est intelligere, librum esse pretiosum, & circumquaque dignissimum, ut præ lodatus de Hispana manu hic Cursus Canonicus testetur, Hispanos homines, & Jesuitas non minùs didacticè, quàm alios litteras Canonicas excoluisse. Faxit Deus, ut civiles quoque (quas paratas ad prælum penès me habeo) in quatuor libris *super Instituta*, compositis à P. Petro Squarzafigo, Societatis Jesu, defuncto, olim Compluti meo dilectissimo Socio, & contubernali (ubi & librum edidit *de dispensationibus in foro interno*) aut æs, aut Mæcenatem inveniant, quo in lucem prodeant; & utrumque Jus Canonicum, & Civile ab Alumnis nostræ Provinciæ Toletanæ pariter collustretur. Matriti, perendiè Idus Martias anni M.DCC.XLIII.

Didacus de Quadros.

LICEN-

LICENCIA DE LA RELIGION.

JOseph Paſtor, de la Compañia de Jeſus, Provincial de la Provincia de Toledo: Por particular comiſsion, que tengo de N. P. General Franciſco Retz, doy licencia para que ſe imprima un libro *In Jus Canonicum, Hiſpanum*, & *Indicum*, compueſto por el P. Pedro Murillo Velarde, Religioſo de la dicha Compañia, el qual ha ſido viſto, y examinado por perſonas graves, y doctas de nueſtra Religion: En teſtimonio de lo qual dì eſta, firmada de mi nombre, y ſellada con el Sello de mi Oficio. En Valdemoro à primero de Octubre de mil ſetecientos y quarenta y dos años.

Joſeph Paſtor.

¶ 3 CARTA

CARTA DEL SEÑOR DOCT. D. FRANCISCO LOPEZ DE ADAN, COLEGIAL, y Rector dos veces del Colegio de Malagá en Alcalá, Oidor Decano de la Real Audiencia de Manila en Philipinas, y al presente electo Oidor de la Real Chancilleria de Mexico en la Nueva-España: Al P. Pedro Murillo Velarde, Cathedratico que ha sido de Canones, y Theologia en la Pontificia, y Regia Universidad de la Compañia de Jesus de Manila.

RMO. P. Amigo, y muy señor mio: Con ocasion de haverme hecho el Rey nuestro Señor la honra de promoverme à Oidor de la Real Audiencia de Mexico, y serme precisso hacer viage en primer despacho; hago memoria à V.Rma. de lo que tantas veces hemos conferido sobre el adelantamiento de los estudios de Canones, y Leyes, tan necessarios en este Pais, los que, como V.Rma. sabe, he procurado adelantar, en quanto alcanzaron mis fuerzas, desde que vine à estas Islas, assi por la natural inclinacion, que engendra la misma professsion, como y principalmente por cooperar al empeño de su Magestad en ponerlos aqui con tanto costo de su Real hacienda; y por este fin, luego que los que componiamos esta Real Chancilleria vimos por experiencia propria, en el Acto de Theologia, y Canones, dedicado à este Senado, la pericia, y suficiencia, que V.Rma. mostrò en ambos Derechos, acreditando las largas noticias, que aqui se tuvieron de ser bien notoria en las Universidades de nuestra España, y en especial en la de Salamanca, de oficio se providenciò encargar à V.Rma. la Cathedra de Canones; y en realidad fuè esta providencia acertadissima, pues desde esse tiempo (sin que sea lisonja) se viò florecer en estas Islas el estudio del Derecho, que se fuè adelantando con passos tan agigantados, que en breve tiempo se vieron en esta Ciudad funciones literarias tan lucidas, que apenas en otras partes produxera la continua perezosa lentitud de muchos Cursos.

Assi lo experimentamos en varios Actos, que V.Rma. presidiò, dedicados al Rey nuestro Señor, al Serenissimo Principe, al señor Arzobispo (difunto) y otros: Assi lo hemos visto en otras varias funciones literarias, que para excitar à los Estudiantes ha inventado el zelo de V.Rma: Assi lo tenemos admirado en las lecciones de Oposicion, que han hecho en la Real Audiencia los Colegiales del Real Colegio de San Joseph à las dos Cathedras de Instituta, que de orden de su Magestad se han puesto en las dos Universidades de la Compañia, y Santo Thomàs, donde oy se hallan Maestros, y Cathedraticos, los que ayer (como se suele decir) eran Discipulos; mas què mucho, si al influxo de la doctrina de V.Rma. y con su habilidad, y aplicacion se han hecho idoneos, no solo de las Cathedras de estas Islas; pero (con el tiempo, y debida proporcion) aun de las primeras de Europa?

Vimos en las Oposiciones, no sin admiracion, que unos jovenes, que quatro, ò cinco años antes no havian saludado los primeros rudi-

men-

mentos de la Inſtituta, leìan con puntos de veinte y quatro horas, en las que ſe hacia la leccion, ſe eſtudiaba, y recitaba, no ſolo con notable viveza, y comprehenſion de las doctrinas, que ſe trataban; sì tambien manifeſtando la noticia, que tenian de todo el Derecho, exornando las Deciſsiones Canonicas, con las concordantes del Derecho Civil, Reales Leyes de Eſpaña en las Partidas, y del Municipal de Indias en ſus Leyes, refiriendo con ſingular puntualidad la letra de los textos, el orden claro, conciſo, expreſsivo; y ſobre todo, muy methodico en los argumentos: reparamos grande nervio en la dificultad, ſingular promptitud en las pruebas, adelantando ſiempre la eſpecie, quanto daba de ſuyo la materia, ſin deſviarſe del aſſumpto en los que reſpondian: reparamos fidelidad en el repetir, promptitud en hacerſe cargo de la dificultad, ſutileza en diſtinguir, perſpicacia en precaverſe, y ſolidèz en ſatisfacer; y en unos, y otros notamos gran limpieza, expedicion, y claridad; de ſuerte, que nos pareciò hallarnos, no en Indias, y Philipinas, donde ſe venera Mercurio dominante, ſino en las Univerſidades de Europa, donde tiene ſu Trono Minerva; mas què mucho, ſi V.Rma. con ſu aplicacion infatigable, y trabajo inceſſante, ha introducido, y practicado aqui los primores, que aprendiò, y viò en las Univerſidades de Salamanca, Alcalà, y Granada, donde ſe hallan oy en tanto auge los eſtudios Juridicos.

Haſta ahora ſon buenos los principios;pero es meneſter afianzarlos para en adelante: por eſto he exortado varias veces à V.Rma. ponga en limpio lo que ha dictado en la Cathedra, para que ſirva para utilidad publica de eſtas Islas, y de la Monarchia; pues ſegun el methodo que lleva la Obra, en lo que V.Rma.me ha comunicado, no ſolo la conſidero digna de la luz publica, ſino de que ſe dedique al Rey nueſtro Señor, para que vea ſu Mageſtad patente el fruto de ſus deſeos, y crecidos gaſtos, y el ſervicio que le hizo eſta Real Audiencia en haver pueſto à V.Rma. en la Cathedra de Canones, y el acierto de ſu Mageſtad en mandar ſe radiquen de una vez las Cathedras de Derecho en las Univerſidades de la Compañia, y Santo Thomàs. Y ahora que ſe aproxima mi viage, inſto, requiero, y reconvengo à V.Rma. para que me entregue el Libro, que tiene trabajado ſobre el Derecho Canonico, Real, è Indico, pues lo conducirè con mucho guſto, y con particular cuidado para que ſe imprima, por cooperar tambien de eſte modo al logro de los piadoſos deſeos de ſu Mageſtad en la ereccion de eſtas Cathedras; y no dudo de nueſtra amiſtad, que V.Rma. me darà eſte guſto, quedando ſeguro de que yo le tendrè en executar los ordenes del agrado de V.Rma. à quien guarde Dios muchos años. Manila, y Agoſto 9. de 1737.

B. L. M. de V.Rma. ſu mas afecto Servidor,
y de corazon Amigo,
Doct. D. Franciſco Lopez Adàn.

DOC-

DOCTORIS JOSEPHI BORRULII, PRIMARII ANTECESSORIS SALMANTINI in Illibiritano Prætorio primùm Fisci Patroni, deinde Senatoris, nunc in Regio Supremo Indiarum Consilio Advocati Fisci Censura.

JUSSU Regij ac Supremi Indiarum Senatus evolvi, legi, recognovi, & in examen adduxi opus, cui titulus est: *Cursus Juris Canonici, Hispani, & Indici*, elaboratum à P. Petro Mu llo, Societatis Jesu Presbytero, Granatensis primùm Collegij Divo Michaeli Sacri, postmodum Salmanticensis Majoris Conchensis Alumno, deinde in Regia, & Pontificia Societatis Manilana Academia Sacrorum Canonum Interprete, & denique in eadem Sacræ Theologiæ Moderatore. Et nihil in eo offendi quod Orthodoxæ Religioni, bonis moribus, Regijsque juribus eat obviam. Quin potius instituendæ, formandæque ad Juris Canonici scientiam juventuti: in cujus gratiam præcipuè hìc labor impensus videtur, oppidò quam utile esse ex animi sententia censeo. Nam & si in dies usque ad nauseam innumeri adeò in Jus Canonicum prodeant Commentarij, ut ferè jam desint in Bibliothecis, etsi prægrandibus, plutei, & loculamenta, quæ eos capiant: præcipuè ex quo in Germania institutæ sunt Scholæ, nimirùm Heidelbergæ, Dilingæ, Ingolstadij, Salisburgi, alijsque passim in locis Juri Canonico explicando: in quo certatim sedulam navant operam Benedictini, Jesuitæ, & Discalceati Minores, ut restantur editi Commentarij, qui omnium manibus teruntur. Adeo ut nihil reliqui ferè jam sit, nisi vel jam dicta transcribere, in compendiumve redigere, aut nova methodo illustrare: Quamobrem aliquibus forsan videri poterit inanis, & casus præsens labor exhaustus. Habet tamen hìc Commentarius illud præcipuum: quod minimè contemni par est, quodque cæteros hucusque editos longè antecellit. Nam in illis totæ vires exeruntur in exornando Jure Communi Cæsareo, & Pontificio, eoque moribus Germanorum non nihil accommodando. Quod certè illis gentibus utile absdubiò erit, nostris verò, qui alio jure utimur, minimè proficuum. Hìc verò Commentarius complectitur abundè non solum quid Jure Communi, Canonico, & Civili in quolibet negotio caveatur; sed etiam quid in quaque re moribus nostris, praxique Hispanæ, & Indicæ conveniat, apteturque. Unde studiosus in promptu habebit quidquid desideret, sive is vaccet Scholæ, sive foro, atque negotijs, jusve verset Hispanum, sive Indicum. Quæ omnia miro artificio, miroque delectu rerum contexta sunt à Sapientissimo Viro: cujus ingenium, si spectes (haud ignota loquimur) accutissimum est; si judicium, acerrimum, si copiam uberrima; si dispositionem ordinatissima; si styllum inaffectatus, apertus, elegans. Quare dignum hoc opus publica luce esse judico, ut eam omnibus præbeat. Ita censebam. Mantuæ Carpetanorum VIII. Kal. Octobris. Anno M.DCC.XLII.

Doct. Joseph Borrull.

DON

D. PEDRO DE LA VEGA, DEL CONSEJO, de su Mageſtad, ſu Secretario, y Oficial Mayor de la Secretarìa del Conſejo, y Camara de las Indias, de la Negociacion de las Provincias de la Nueva-Eſpaña:

CErtifico, que haviendoſe viſto por los Señores de èl la Aprobacion hecha por el ſeñor Doctor Don Joſeph Borrull, del Conſejo de ſu Mageſtad, y ſu Fiſcal en el miſmo de las Indias, para el libro, que trata del Derecho Canonico de Eſpaña, y de las Indias, eſcrito por el P. Pedro Murillo Velarde, de la Compañia de Jeſus; acordaron el dia veinte y cinco de Septiembre de eſte preſente año dàr licencia al mencionado Religioſo, para que por tiempo de diez años pueda imprimir el referido libro, como conſta del citado Acuerdo, y Aprobacion, que original queda en eſta Secretarìa, à que me remito; y para que conſte donde convenga, doy la preſente, en virtud del enunciado Acuerdo. Madrid à ſiete de Octubre del año de mil ſetecientos y quarenta y dos.

Don Pedro de la Vega.

CENSURA D. D. JOANNIS ANTONII Curiel, Equitis Calatravensis, olim apud Salmanticenses Collegij Majoris Conchensis Alumni, in ejusque Universitate Pontificij juris quondam moderatoris, & in præsentiarum Academiæ Hispanicæ Subdecani; in Concilijs Catholicæ Majestatis, ac Regij Ærarij Senatus Fisci Patroni.

OPUS, cui titulus: *Cursus Juris Canonici, Hispani, & Indici*, elaboratum à P. Petro Murillo & Velarde, Societatis Jesu Presbytero, in Regia, Pontificiaque Manilana ejusdem Societatis Universitate Sacrorum Canonum Interprete, cum de mandato Supremi Castellæ Senatus ad me missum fuisset, ut censorio supercilio meum judicium proferrem; timere cœpi, tum de me, tum etiam de opere. De me quidem; quia
Aureli. cum juxta Aurelium, *amicorum bona maximè nos delectent*; facile verebar, ne plus debito mihi complacerem de amici, olim Concollegæ mei colendissimi eruditione, methodo, acumine, ac ingenio præclarissimo: inde nihil censura dignum, sed potius omnia laudanda judicarem. Quid enim nisi maturos, dulcissimosque fructus sperare poterat amicitia à tanto viro arbore adulta, excultaque indefesso studio, ac labore; quando in flore juventutis erumpebant in eo velut gemmæ parturientes facilitas in addiscendo, felicitas in retinendo, claritas in explicando, subtilitas in disputando, dexteritas in seligendo, perspicacia, & comprehensio in resolvendo? *Nec fas erat*, ut
Casiod. in simili ajebat Casiodorus, *ut sententia nostra in eo* (amici libro) *corrigendum aliquid inveniret*. Timebam de opere: cum enim adeo plurima sint edita volumina de Jure Canonico, & Civili;
Plin. *sitque res ardua* juxta Plinium, *vetustis novitatem dare, novis authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem*, quam aliam utilitatem spectare debueram, nisi
Auguft. vix exiguam illam, quam expressit Augustinus: *Utile est*, inquit, *libros plures à pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus ijsdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat?* His licet anxius, tractatum lector accepi: & ecce: ò spes mihi bene præsaga! Protinus evanuit timor, successit securitas. Etsi enim inficias non ibo quam plurimos eruditissimorum virorum esse in lucem editos Commentarios super Jure Canonico, & Civili: multi tamen ex ipsis de Jure Hispano nullam faciunt mentionem. Alij locupletarunt, fateor, Jus Hispanum multis,

¶ 2 tis,

tis, in quibus plura occurrunt legenda de jure Cæsareo: at parum de Canonico, de Indico nihil. Alij, & quidem pauci, illustrarunt jus indicium, sed vix curarunt de Jure Canonico. Ea propter desiderabatur opus, quod ad omnia se extenderet, omnia complecteretur, præsertim pro Causidicis Indorum. Cum ergo hoc totum præstet Cursus Juris Canonici, Hispani, & Indici, nec fallit opinio: absdubiò opus singulare, in totius Reipublicæ litterariæ utilitatem cedens existimandum. In eo ingeniosus Author miro artificio disgregata apud varios congregat, divisa connectit, diversa conciliat, omniaque ita mutuo fœdere coadunat, ut non tria jura credantur, sed unum. Verè funiculus triplex hic cursus difficilis rumpi, in quo nihil tortuosum, omnia recta, adeoque strictim ad regulas artis elaboratus, & in libra justitiæ ponderatus, ut nullum deflectat, nullum alteri præjudicium faciat, immo invicem se se juvent: siquidem unicuique juri jus suum tribuitur. De jure igitur, ut opinor, lux publica huic cursui debetur: est siquidem opus perfectum, suis numeris absolutum, quo in manibus gestato currere possunt inoffenso pede judices omnes, Juris Canonici defensores, Hispani Causidici, Advocatique Indorum in litibus sequendis; & assequendis: eo, vel maximè (ut paucis censoris munus adimpleam) quia nihil est invenire in eo Catholicis dogmatibus dissonum, nihil integritati morum alienum, nihil Regijs juribus non conforme. Sic censeo. Matriti die 15. mensis Decembris anno 1742.

D. Joannes Antonius Curiel.

EL

EL REY.

POR Quanto por parte de Pedro Murillo Velarde, de la Compañia de Jesus, se representò en el mi Consejo havia compuesto, y deseaba imprimir un Libro, cuyo titulo es: *Cursus Juris Canonici, Hispani, & Indici*, y para poderlo executar sin incurrir en pena alguna, se me suplicò fuesse servido concederle Licencia, y Privilegio por diez años para su impression, remitiendole à la censura en la forma acostumbrada. Y visto por los del mi Consejo, y como por su mandado se hicieron las diligencias, que por la Pragmatica ultimamente promulgada sobre la impression de los Libros se dispone, se acordò expedir esta mi Real Cedula: Por la qual concedo licencia, y facultad al expressado Pedro Murillo Velarde, para que sin incurrir en pena alguna, por tiempo de diez años primeros siguientes, que han de correr, y contarse desde el dia de la fecha de ella, el susodicho, ù la persona que su poder tuviere, y no otra alguna, pueda imprimir, y vender el referido Libro, intitulado: *Cursus Juris Canonici, Hispani, & Indici*, por el original, que en el mi Consejo se viò, que và rubricado, y firmado al fin de Don Miguèl Fernandez Munilla, mi Secretario, Escrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno del mi Consejo, con que antes que se venda se trayga ante ellos, juntamente con el dicho original, para que se vea si la impression està conforme à èl, trayendo assimismo fe en publica forma, como por Corrector por mi nombrado se viò, y corrigiò dicha impression por el original, para que se tasse el precio à que se ha de vender: Y mando al Impressor, que imprimiere el referido Libro, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas que uno solo con el original al dicho Pedro Murillo Velarde, à cuya costa se imprime para efecto de la dicha correccion, hasta que primero estè corregido, y tassado el citado Libro por los del mi Consejo; y estandolo assi, y no de otra manera, pueda imprimir el principio, y primer pliego, en el qual seguidamente se ponga esta Licencia, y la Aprobacion, Tassa, y Erratas, pena de caer, è incurrir en las contenidas en las Pragmaticas, y Leyes de estos mis Reynos, que sobre ello tratan, y disponen: Y mando, que ninguna persona, sin licencia del expressado Pedro Murillo Velarde, pueda imprimir, ni vender el citado Libro: pena, que el que le imprimiere haya perdido, y pierda todos, y qualesquier libros, moldes, y pertrechos, que dicho Libro tuviere, y mas incurra en la de cinquenta mil maravedis, y sea la tercia parte de ellos para la mi Camara; otra tercia parte para el Juez que lo sentenciare; y la otra para el denunciador; y cumplidos los expressados diez años, el referido Pedro Murillo Velarde, ni otra persona en su nombre, quiero no use de esta mi Cedula, ni prosiga en la impression de dicho Libro, sin tener para ello nueva licencia mia, so las penas en que incurren los Concejos, y personas que lo hacen sin tenerla. Y mando à los del mi Consejo, Presidentes, y Oidores de las mis Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la mi Casa, y Corte, y Chancillerìas, y à todos los Corregidores, Assistente, Governadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Jueces, Justicias, Ministros, y personas de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de los dichos mis Reynos, y Señorìos, y à cada uno, qualquier de ellos, en su distrito, y jurisdiccion, vean, guarden, cumplan, y executen esta mi Cedula, y todo lo en ella contenido; y contra su tenor, y forma no vayan, ni passen, ni consientan ir, ni passar en manera alguna, pena de la mi merced, y de cada cinquenta mil maravedis para la mi Camara. Dada en Buen-Retiro à diez de Diciembre de mil setecientos quarenta y dos. YO EL REY. Por mandado del Rey nuestro Señor. Don Francisco Xavier de Morales Velasco.

CEN-

CENSURA R. P. ANTONII GUTIERREZ DE LA SAL, SOC. JESU, *Doctoris Complutensis, Regij Theologi in Sacro Cœtu Purissima, ac Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis, ac Studiorum Præfecti in ejusdem Societatis Imperiali Collegio.*

EX speciali commissione, ac jussu Licenciati D. Joannis Gomez Saravia, Presbyteri, ex primarijs Causarum Patroni in hac Regali Curia Matritensi, & in eadem locum Vicarij Diœcesis Toletanæ Tenentis vidi, ac legi *Cursum* (dup. in tom. divissum) *Juris Canonici, Hispani, & Indici*, compositum à P. Petro Murillo Velarde, Societatis Jesu, olim in D. Michaelis Granatensi Collegio, deindè in Salmanticensi Majori Conchensi Alumno, posteaque in Regia, Pontificiaque Manilana Societatis Universitate Sacrorum Canonum Interprete, & in Præsentiarum Theologiæ Cathedræ Moderatore. Debita cura, ac diligentia censoris munere fungens, prædictum opus perlustrare cœpi, & statim benevoli Lectoris partes suscipere necesse habui: ejus siquidem *placet materies, ordo, industria, illa utilissima, iste facilimus, hæc summa. Utilissima* quidem omnibus, & præcipuè Indicas Controversias agentibus tàm Consiliarijs Regijs, & Fisci Patronis, quàm Causidicis, ac cæteris tàm Regularibus, quàm Sæcularibus illarum partium habitatoribus. *Ordo facilimus, industria summa*, ita ut cum eodem Lipsio dicere queam: *Nec gratius universæ Reipublicæ, præsertim Indicæ, munus offeri poterat, quam rarior, aut electior liber,* qui orbis utriusque jura dum dividit, ab utroque orbe jure merito laudandus. Eaque propter censeo, ut typis excussus in communem omnium utilitatem edatur. Matriti die 12. Novemb. an. 1742.

Just. Lipf. epist. cent. 2. Misc. ep. 37.

Lib. 1. Monit. & Exemp. Polit. cap. 8.

Antonius Gutierrez de la Sal.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Lic. Don Juan Gomez Saravia, Presbytero, Abogado de los Reales Consejos, y Theniente Vicario de esta Villa de Madrid, y su Partido: Damos Licencia para que se pueda imprimir, è imprima el Libro intitulado: *Cursus Juris Canonici, Hispani, & Indici, in quo juxta ordinem Titulorum Decretalium*, compuesto por el Padre Pedro Murillo Velarde, de la Compañia de Jesus: Atento, que de nuestra orden, y comision se ha visto, y reconocido, y no contiene cosa opuesta à nuestra Santa Madre Iglesia, Fè Catholica, y buenas costumbres. Fecha en Madrid à veinte y tres de Noviembre de mil setecientos quarenta y dos.

Lic. Gomez.

Por su mandado.

Gregorio de Soto.

¶ ¶ FEE

FEE DE ERRATAS.

Pag.2.l.11.col.1.*quo*,lege *quod.* Id.l.12. col.1.*debitum*, lege *debitum* Pag. 11.l.8.col.1.*pecatis*, lege *peccavit.* Id.l.34. col.2.*quia*, lege *qui.* Id.l.33. col.1. *pater*, lege *patet.* Pag. 15. l.46. col. 2. *reservatum*, lege *reservantur*, Pag.19.l.13. col.1. *absterendos*, lege *absterrendos.* Pag. 25.l.40. col.2. *ad fuisse*, lege *adfuisse.* Pag.31.l.46, col.2. *quidam*, lege *qui dant.* Pag. 36. l.42. col.1.*c*, lege *Ç.* Pag.41.l.50.col.2.*cum*,lege *illa vero.* Pag. 50. l. 39. col.2. *etsi*, lege *& si.* Pag. 58. l.2. col. 2. *durante*, lege *Durante.* Pag. 69. l. 36. col. 2. *de eo*, lege *eo.* Pag.83. l.50. col.2. *potens*, lege *patens.* Pag.105.l.45.col.2.*bigamia*, lege *bigamia.* Pag. 127. l.24. col. 2. *per tractanda*, lege *pertractanda.* Pag. 168. l. 43. col.1. *civile*, lege *civili.* Pag.169.l.53.col.2.*destrui*, lege *destitui.* Pag.189.l.55. col.1.*arbitrio*, lege *arbitro.* Pag.195.l.39.col.1.*virijs*, lege *viris.* Pag.209. l.31.col.1.*potest*, lege *posuit.* Pag.227.l.45. col.2. *in competentiam*, lege *incompetentiam.* Pag.253.l.49.col.2.*quamvis*, lege *quam quis.* Pag.381. l.36.col.1.*pate fiat*, lege *patefiat.* Pag. 410. l.49. col.1. *egrotum*, lege *agrotorum.* Pag.420.l.22.col.1.*causa*, lege *causa.* Pag. 483. l.16. col. 2. *pluralis*, lege *plurali.* Pag.515. l.37.col.1. *ed*, lege *sed.* Pag. 554. l.35. col.2.*haritas*, lege *hareditas.* Pag.580. circ.med.col.2.numerus 397.lege 297. Pag.645.l.22.col.1.*Eipscoporum*, lege *Episcoporum.* Pag.661.l.25. col.1. *vilotur*, lege *violetur.* Pag. 675. l.10. col.2. *necessitate*, lege *necessitate.* Pag.720.l.40.col.1.*Eulesia Monasteria vasa*, lege *Ecclesia, Monasteria, vasa.*

He visto este Libro, intitulado: *Cursus Juris Canonici, Hispani, & Indici*, compuesto por el R. P. Pedro Murillo Velarde, de la Compañia de Jesus, y con estas erratas corresponde con su original. Madrid, y Junio 28. de Junio de 1743.

Lic. D. Manuel Licardo de Rivera.
Corrector General por su Magestad.

SUMA DE LA TASSA.

TAssaron los Señores del Real, y Supremo Consejo de Castilla este Libro, intulado: *Cursus Juris Canonici, Hispani, & Indici*, compuesto por el R. P. Pedro Murillo Velarde, de la Compañia de Jesus, à seis maravedis cada pliego, como mas largamente consta de su original, despachado en el Oficio de Don Miguel Fernandez Munilla, à que me remito.

AD

AD LECTOREM BENEVOLUM.

SIlvastitatem materiæ, Lector benigne, quam meis imposui humeris, etiam obiter consideres, facilè, & meis erroribus veniam concedes; & mei laboris obsequium in studentium gratiam assumptum, haud ingrato animo suscipies. *In opere oblongo*, ajebat Horatius, *fas est obrepere somnum*. Et Baldus ipse postquam 47. annorum spatio publicè jus prælegerat, sic fatetur ingenuè: *Quòd si ex parte aliquid didicerim, tamen in comparatione latitudinis intellectus, profectò, nihil me intellexisse agnosco*. Quid igitur ègo miser in præsentiarum dicere valeam? Cum Juris Canonici latitudini molem penè immensam Legum Hispanarum, & Indicarum adjecerim? Sanè animus horret tàm immensam undequaque vastititatem aspicere: præcipuè cum in pluribus nostræ Leges à Jure Canonico devient; quin & inter ipsas Leges Fori, Partitarum, & Ordinamenti magna varietas in ordine, methodo, & decisionibus passim reperiatur. Additur, quod ipsæ in pluribus ab usu recesserint, in alijs correctæ sint, in alijs demum maxima in Tribunalibus vigeant observantia. Nec majorem lucem ex posterioribus C... illæ Recopilationis Legibus hauriebam. Nam & ipsæ nec ex toto jus antiquum corr... erunt, nec ex toto quidquid hodie debeat observari in suis Decisionibus amplectuntur, & continent. Sed quid mirum cum & in ipsa Recopilatione aliæ ab al... Legibus corrigantur, & rursus hæ ab alijs moderentur? Insuper cum prudentia dictet, pro varietate locorum varias constituere Leges, quantà varietas in Recopilatione Indiarum invenietur? Cum per ipsius Leges, tot, ac tàm ampla Regna, tamque innumeræ Nationes, & Gentes gubernentur. Et quod magis est, cum quotidiè in earum praxi tot inconvenientia præcavenda proponantur, to... que dubia de novo decidenda emergant, quotidiè novæ providentiæ, schedulæ, væque dispositiones jam ampliando, jam delendo, jam instando, jam moderan... jam declarando decisiones antiquas incessabili cursu, quasi perenni torrente pr... fluunt, & emanant. Nec hoc reprehensibile, quin & laudabile debet judicari: max... mè namque expediens censetur, quod secundum varietatem temporum, & locorum statuta quoque varientur humana, cum & ipse Deus ex his, quæ in Veteri Testamento statuerat, nonnulla mutarit in Novo; sic nostro Jure dictante. In adeo abstruso Labyrintho vix pedem figere valebam. In tàm immenso pelago vix semi... tam, quàm enixe perscrutabar, invenire poteram, nec filium Ariadnes, nec pyxidem nauticam, prout anxie exoptabam, in Glossis, & Interpretibus reperiebam. Hac quidem sæpè difficultate territus ab opere incœpto manum retrahere tentabam. Ejus vastitate obrutus animo jam concidens optatum desperabam imponere finem. Sed cum humanæ Societati maximè expediat, quod aliqui voluntarios suscipiant labores, ut alijs præparent quietem, contra fluminis ictum, & ventorum impetum, ut ita loquar, constantèr, & ineluctabilitèr navigabam: nec enim aliter circulus, in quo perfectio præfiguratur, confici valet, nisi circinus labore, & constantia, quasi in duplici basi firmetur. Et cum plurimum me aliquorum Authorum infidelitas in Textibus citandis offenderet, immodicum laborem in Doctoribus evolvendis, legendisque Textibus impendi, & vix Textum, Legem, vel Doctorem allego, quin prius ipsum examinarim. His igitur obstaculis aliquomodo superatis, tota jam consistebat difficultas in socianda in hoc opere claritate cum brevitate: quarum conjugium difficile profectò credit qui dixit: *Brevis esse laboro, obscurus fio*. Sed si ex brevitate obscuritas oritur, prolixitas sæpè fastidium generat. Quapropter illud consilium eligere decrevi: *Quidquid præcipies, esto brevis, ut cito dicta percipiant animi dociles, teneantque fideles*. Sed nisallor, non deerit in compendiosa brevitate claritas sufficiens, ut ex resolutione casuum, quos affero, facilè possit, etiam mediocris Logicus, consequentiam ad alios similes producere, & ingenij dexteritate ex allatis Juris Canonici, Civilis, Hispani, & Indici decisionibus, jam Clypeum, quo se à jaculis con-

tra-

...arijs defen... jam hastam, quæ possit adversarios impugnare, non difficili negotio poterit con...ere. Nec ullum adeo supina ignorantia laborantem credo, ut vellet, omnes casus, decisionesque omnes in tanta Legum, & Textuum amplitudine resperfas, colligatas in hoc opusculo invenire, cum teste Jurisconsulto, plura sint negotia, quam vocabula. Nec quisquam negotium facilè judicabit in summa varietate materiarum, quæ in nostris Legibus continentur, omnes ad unguem Titulis Decretalium accommodare, & quasi inserere: quin ob summam utriusque juris materiarum distantiam, non exiguum mihi laborem attulit, Titulis Decretalium sine maxima violentia nostratum Legum materias accommodare: Nec enim res distantissimas omnimoda unire concordia humani ingenij est: *Vasti quoque Rector Olympi non agit hos cursus, & quid Jove majus habetur?* Si studiosus uberiorem doctrinæ laticem desideret ad aliquod punctum ampliandum, poterit sanè facili negotio ad Textuum, & Doctorum, quos allego, fontes recurrere. Et ut utilitati studentium consulerem in pluribus Testibus, Privilegijs, & Bullis ad litteram verba refero, ut littera quidem accuratè inspecta, facilius quisque Legislatoris valeat mentem indagare. Et hac etiam ratione nostras Leges pluries ad litteram appono, ut à proprietate, qua in nativo sermone verbum gaudet, & quæ vix in traductione perfectè reperitur, proprietas sententiæ clariùs, & perfectiùs percipiatur. Certè, si qui Jurisprudentiæ studio operam sunt daturi, prius Philosophiæ vacarent, ubi inter tot anfractus, & abstrusos meatus præcisionum, & operationum mentalium maximè intellectus, & ingenium expollitur, & acuitur, in Juris utique stadio non currerent, sed volarent. Sed cum hodie pro nostra desidia plures à Grammatica ad Juris Aulas, quasi per saltum promoveantur, per ejus curriculum more testudinum ...nt, & non solum in declivi, sed & in ipsa planitiè turpiter cespitant, & offen..., nisi ingenij virtus egregia hæc obstacula superet. Quoad methodum attinet, ...dinem sequor Decretalium secundum Libros, & Titulos, non tamen secundum ...gula eorum Capitula: Hic namque ordo expeditior mihi videtur ad quæstiones ...dine methodico tractandas, ibi ultra decisiones Juris Ecclesiastici, aliquando Civiles, & sæpè Hispanicas correspondentes appono, vel in calce paragraphi, vel tituli annoto, quod in nostro Regno est statutum, & observatur. Et ut brevitati, quam semper afecto, consulerem, in omnibus Titulis à capite incipio à S. Francisco Salesio edoctus sine præliminaribus quæstionem tractans, plures ambages resecando, in ... aliqui plus justo detinentur, methodum scribendi præveniendo, seu potius frustrà terendo tempus. Quapropter, aliquibus quæstionibus, quæ potius quam pro utilitate, pro martyrio ingeniorum exagitantur, ut inutilibus resecatis, incunctanter ad utilia, & praxi frequentiora propero. Denique concludo cum *Justiniano in L. 2. §. 14. de Veteri jure enucl. Si quid autem in tanta Legum compositione, quæ ab immenso Librorum numero collecta est; simile forsitan rarò inveniatur, nemo hoc vituperandum existimet, sed primum quidem imbecillitati humanæ, quæ naturalitèr inest, hoc inscribat, quia omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare Divinitatis magis, quam mortalitatis est.* Sed si verum fatear, quod magis meum animum conturbat, & angit, & sæpè mœrorem suffundit, est impressionis difficultas, quæ in loco adeo ab oculis meis distanti, & remoto confici est necesse. Si enim ipso Authore præsente, & corrigente penè innumera menda in Textibus citandis, in allegandis Authoribus, & in ipso Latino Sermone, quotidie scaturiunt, & pullulant, adeoque sensum, faciem, & figuram sermonis immutant, ut variæ clausulæ, quasi spuriæ, nec à suo cognoscantur Authore, quid non timendum restat huic misero volumini, orbo parente suo in tam peregrina, & remota Regione? Quod debui, & potui, minimè omisi, quid ultra faciam? *Fortuna cætera mando.*

INDEX

INDEX ALPHAB

TITULORUM QUINQUE LIBRORUM

SEXTI : CLEMENTINARUM , ET EX

UBI SUB UNOQUOQUE TITULO APPONITUR NUMERUS

ET PRO JURE HISPANO AFFERUNTUR TI

Partitarum , Recopilationis Castellæ , & Recopilat

E T I C U S
ECR ETALIUM:
RA VAGANTIUM.
APITU LORUM IPSIUS.
U L I CONCORDANTES
nis Ir idiarum.

Parti t.	*Recop. Cast.*	*Recop. Ind.*
t. I. pa rt. 7.	--	
t. 17. p. art. 7.	Ex tit. 19. lib. 8.	Ex leg. 4. tit. 8. lib. 7.
eg.27. t. 6. p.I.		
eg.15. t. 7. p.3.		
t. 23. part. 3.	Tit.16. tit.18. & 19. lib. 4.	Ex tit. 11. lib. 5.
eg.20. t. 6. p.I.		
eg.23.tit.4.p.3.	Leg. 4. tit. 21. lib. 4.	
eg.16.tit.5.p.I.		
leg.I. t.4.p.I.		
eg.35. t.5. p.I.		
eg. 21. & 22. tit. 5. part. 7.		
tit. 12. p.I. leg. 14. 24. 25. 26. & 27. t. 7. p. I.		
eg.27. t.2. p.3.	Leg.9.& 10. t.7. lib. 5.	
eg.47. t.4. p.I.		
tit. 22. part. I.	Tit. 15. lib. 5.	
tit. 3. part. 4.	Leg.I.tit.I.lib.5.	
eg.21. t.6. p.I.	Tit. 12. lib. I.	

¶ 6 Cleri-

	Recop. Cast.	*Recop. Ind.*
rt. I.	Tit. 12. lib. I.	
p.I.		
t.16.		
p.3.	Tit. 8. lib. 8.	
it. 16.		
p.I.		
& 63. I.		
p.I.		
p.I.		
p.I.		
tit. 7.		
p. 4.		
5. p.I.		
7. 19.		
rt. 5.		
6.p.I.		
t. 4.		
rt. 3.	Leg.5.t.21.lib.4.	
5. 44. eg.4.		
p.4.		
rt. 4.		
rt. 4.		
t. 10.		
rt. I.	Tit. I. lib. 2.	Tit. I. lib. 2.
rt. I.	Leg.3. t.I. lib.2.	
rt. 6.		

Con-

	Decret.	Sexti.	Clement.	Extrav.
Converfione infidelium.	Lib. 3. tit. 33. 2.			
Corpore vitiatis ordinandis, vel non.	Lib. 1. tit. 20. 7.	....	....	....
Crimine falfi.	Lib. 5. tit. 20. 9.	....	....	Joann. 22. tit. 10. Comm. lib. 5.
Cuftodia Euchariftiæ, & aliorum Sacramentorum.	Lib. 3. tit. 44. 2.	....	....	....
D				
Decimis, primitijs, & oblationibus.	Lib. 3. tit. 30. 35.	Lib. 3. tit. 13. 2.	Lib. 3. tit. 8. 2.	Comm. lib. 3.
Delictis puerorum.	Lib. 5. tit. 23. 2.	....	....	....
Depofito.	Lib. 3. tit. 16. 2.	....	....	....
Desponfatione impuberum.	Lib. 4. tit. 2. 14.	Lib. 4. tit. 2. 1.	....	....
Dilationibus.	Lib. 2. tit. 8. 4.	....	....	Comm. lib. 2.
Divortijs.	Lib. 4. tit. 19. 9.	....	....	....
Dolo, & contumacia.	Lib. 2. tit. 14. 10.	Lib. 2. tit. 6. 2.	Lib. 2. tit. 4. 1.	Comm. lib. 2.
Donationibus.	Lib. 3. tit. 24. 10.	....	....	....
Donationibus inter virum, & uxorem, & de dote, poft divortium reftituenda.	Lib. 4. tit. 20. 8.	....	....	....
E				
Ecclefijs ædificandis, vel reparandis.	Lib. 3. tit. 48. 6.	....	....	....
Electione, & electi poteftate.	Lib. 1. tit. 6. 60.	Lib. 1. tit. 6. 47.	Lib. 1. tit. 3. 8.	Joann. 22. tit. 1. Comm. lib. 1.
Emptione, & venditione.	Lib. 3. tit. 17. 7.	....	....	Comm. lib. 3.
Eo, qui mittitur in poffeffionem caufa rei fervanda.	Lib. 2. tit. 15. 4.	Lib. 2. tit. 7. 1.	....	....
Eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.	Lib. 4. tit. 7. 8.	....	....	....
Eo, qui cognovit confanguineam uxoris fuæ, vel fponfæ.	Lib. 4. tit. 13. 11.	....	....	....
Eo, qui furtivè Ordinem fufcepit.	Lib. 5. tit. 30. 3.	....	....	....
Exceptionibus.	Lib. 2. tit. 25. 14.	Lib. 2. tit. 12. 2.	Lib. 2. tit. 10. 1.	....
Exceffibus Prælatorum, & fubditor.	Lib. 5. tit. 31. 18.	Lib. 5. tit. 6. 1.	Lib. 5. tit. 6. 1.	....
F				
Ferijs.	Lib. 2. tit. 9. 5.	....	....	....
Feudis.	Lib. 3. tit. 20. 2.	....	....	....

Partit.	Recop.Cast.	Recop. Ind.
Leg. 25. tit. 6. part.1.		
Tit. 7. part. 7.	Tit. 17. lib. 8.	Leg.3.tit.8.lib.7.
Leg.61. tit. 4. & Leg.6.t.22.p.1.	Leg.2.tit.1.lib.1.	Ex Leg.19. tit.1. lib. 1.
Leg.55. tit. 6. & t.19. & 20. p.1.	Tit. 5. lib. 1. & tit. 21. lib. 9.	Tit.16. lib. 1. & tit. 24. lib. 8.
Leg. 8. tit. 31. part.7.		
Tit. 3. part. 5.	Leg.22.t.1.lib.3. & l.13.t.9.lib.3.	
Leg. 6. tit.1.p.4.		
Tit. 15. part. 3.	Leg.1.t.6. & l.1. & 2.t.17. lib.4.	
Tit. 10. part. 4.		
Leg.8. tit.7. p.3.	Tit. 10. lib. 4.	
Leg.4.t.14. p.1. & tit.4. part.5.		
Leg.4.tit.11.p.4.	Tit.2. & 9.lib.5.	
Tit. 10. part. 1.	. . . .	Tit. 2. lib. 1.
Ex Leg.17. tit.5. part. 1.		
Tit. 5. part. 5.	Tit. 11. lib. 5.	
Leg.1. tit.8. p.3.	Tit. 11. lib. 4.	
Leg.fin. t.2. p.4.		
Leg.13.tit.2.p.4.		
Leg.28. t.6. p.1.		
Ex Leg. 6. tit.3. part.3.	Tit. 5. lib. 4.	
Leg. 14. tit. 22. part.1.		
Tit.23. p.1. & leg.34. t.2.p.3.		
Tit. 25. & 26. part.4.		

Fide

	Recop.Cast.	Recop.Ind.
3.	Leg.2.& 3.tit.5. lib.4.& ex l.44. tit.25. lib.4.	Leg. 18. tit. 23. lib. 8.
1.	Tit. 16. lib. 5.	
.1.		
.1.		
4.		
7.	Ex tit. 11. lib.8.	
7.	Tit. 13. lib. 8.	Tit. 19. lib. 1. *de los Tribunales del Santo Oficio.*
6.	Tit. 23. lib. 8.	
7.		
5.		
1.		
1.		
7.		
&	Tit. 2. lib. 1.	Tit. 5. lib. 1.
o.		
6.	Leg.1. t.6. lib.4.	
7.	Tit. 10. lib. 8.	
&	Tit. 2. lib. 8.	Leg. fin. tit. 5. lib. 7.
7. 1.	Toto lib. 2. & tit.2. lib.4.	Toto lib. 2.
1. 1.	Tit. 7. lib. 4.	
1.	Tit. 6. lib. 1.	Tit. 6. lib. 1.
3.		
3.	Leg.4. t.2. lib.4.	
3.	Tit. 4. lib. 4.	
5.	Ex tit. 9. lib. 9.	

Magis-

...Ind.	M	Decretal.	Sexti.	Clement.	Extrav...
... tit. 23.	*Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.*	Lib. 5. tit. 5. 5.	....	Lib. 5. tit. 1. 2.	....
	Majoritate, & obedientia.	Lib. 1. tit. 33. 17.	Lib. 1. tit. 17. 1.	....	Joann. 22. t... Comm. lib...
	Maledicis.	Lib. 5. tit. 26. 2.	....	....	....
	Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ,	Lib. 4. tit. 16. 3.	....	....	....
	Mutuis petitionibus.	Lib. 2. tit. 4. 2.	....	....	....
	N				
	Natis ex libero ventre.	Lib. 4. tit. 10. 1.	....	....	....
...ib. 1.	*Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotijs se immisceant.*	Lib. 3. tit. 50. 10.	Lib. 3. tit. 24. 3.	....	....
...unales ...Officio.	*Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.*	Lib. 5. tit. 4. 4.	....	....	....
	Ne Sedevacante aliquid innovetur.	Lib. 3. tit. 9. 3.	Lib. 3. tit. 8. 1.	....	Joann. 22. i... Comm. lib...
	Novi operis nuntiatione.	Lib. 5. tit. 32. 4.	....	....	....
	O				
	Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.	Lib. 1. tit. 19. 1.	....	....	....
	Observatione jejuniorum.	Lib. 3. tit. 46. 3.	....	....	....
	Officio Archidiaconi.	Lib. 1. tit. 23. 10.	....	....	....
... 1.	*Officio Archipresbyteri.*	Lib. 1. tit. 24. 4.	....	....	....
	Officio Primicerij.	Lib. 1. tit. 25. 1.	....	....	....
	Officio Sacristæ.	Lib. 1. tit. 26. 1.	....	....	....
	Officio Custodis.	Lib. 1. tit. 27. 2.	....	....	Comm. lib...
	Officio, & potestate Judicis delegati.	Lib. 1. tit. 29. 43.	Lib. 1. tit. 14. 15.	Lib. 1. tit. 8. 1.	Comm. lib...
... 5.	*Officio Vicarij.*	Lib. 1. tit. 28. 6.	Lib. 1. tit. 13. 3.	Lib. 1. tit. 7. 1.	....
...2.	*Officio Legati.*	Lib. 1. tit. 30. 10.	Lib. 1. tit. 15. 5.	....	....
	Officio Judicis Ordinarij.	Lib. 1. tit. 31. 20.	Lib. 1. tit. 16. 9.	Lib. 1. tit. 9. 2.	Comm. lib...
... 1.	*Officio Judicis.*	Lib. 1. tit. 32. 2.	....	....	....
	Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui.	Lib. 1. tit. 13. 2.	....	....	....
	Ordine cognitionum.	Lib. 2. tit. 10. 4.	....	....	....
	P				
	Pactis.	Lib. 1. tit. 35. 8.	Lib. 1. tit. 18. 3.	....	....

Partit.	Recop.Cast.	Recop. Ind.
Leg. 7. tit. 6. part.1.	Tit. 7. lib. 1.	Ex tit. 22. lib. 1.
Leg. 16. tit. 13. part. 2.		
Tit. 28. part. 7.	Tit. 4. lib. 8.	Leg.2. t.8. lib.7.
Leg.18.tit.2.p.4.	Leg.1.tit.1.lib.5.	
Leg.20.tit.4.p.3.	Leg.1.& 2. tit.5. lib.4.	
Leg.2. tit. 21. & tit.22. part.4.		
Leg. 46. tit.6. & leg.28. t.7. p.1.	. . . .	Ex Leg. 1. t. 12. lib. 1.
Leg.8.tit.17.p.1.		
Tit. fin. part. 3.		
Leg. 23. & 24. tit.6. part.1.		
Tit. 23. part. 1.		
Leg.4. t.6. p.11.		
Leg.8. tit.6. p.1.		
Leg.5. tit.6. p.1.		
Leg.6. tit.6.p.1.		
Leg.6. tit.6. p.1.		
Ex Leg.19. tit.4. part. 3.	Tit. 8. lib. 1. & ex tit. 7. lib. 3.	Tit. 15. lib. 5. tit. 1. lib. 7.
Leg.8.tit.17.p.1.		
Leg.23.tit.9.p.1.		
Leg.7. tit.4. p.3.	. . . .	Tit. 7. lib. 1. *de los Arzobispos, y Obispos.*
Tit. 4. part. 3.		
Leg.22. t.6. p.1.		
Ex Leg.4. tit.10. part. 3.	Tit. 9. lib. 4.	
Tit. 11. part. 5.	Leg.2.t.16.lib.5.	

	Recop.Cast.	Recop. Ind.
2.	. . . .	Tit. 13. & 15. lib. 1.
1.		
1.		
7.	Tit. 26. lib. 8.	Tit. 8. lib. 7.
4.		
5.		
3.		
3.	Tit. 16. lib. 2.	Tit. 14. lib. 2.
5.		
1.	. . . .	Tit. 11. lib. 1.
1.		
3.	Tit. 15. lib. 4.	
14.		
18.		
3.	Tit. 6. lib. 4.	
3.	Tit. 24. lib. 2.	Tit. 28. lib. 2.
1.		
7.		
1.		
4.		
4.		
4.		
10.	Tit. 11. & 12. lib. 8.	
1.		
1.	. . . .	Tit. 14. lib. 1.
7.		

	Decret.	*Sexti.*	*Clement.*	*Extrav.*
Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ.	Lib. 3. tit. 36. 9.	Lib. 3. tit. 17. 1.	Lib. 3. tit. 11. 2.	Joann. 22. tit. 7. Comm. lib. 3.
Reliquijs, & veneratione Sanctorum.	Lib. 3. tit. 45. 2.	Lib. 3. tit. 22. 1.	Lib. 3. tit. 16. 1.	Comm. lib. 3.
Renuntiatione.	Lib. 1. tit. 9. 15.	Lib. 1. tit. 7. 2.	Lib. 1. tit. 4. 1.	....
Rerum permutatione.	Lib. 3. tit. 19. 9.	Lib. 3. tit. 10. 1.	Lib. 3. tit. 5. 1.	....
Rescriptis.	Lib. 1. tit. 3. 43.	Lib. 1. tit. 3. 15.	Lib. 1. tit. 2. 5.	....
Restitutione spoliatorum.	Lib. 2. tit. 13. 19.	Lib. 2. tit. 5. 2.	....	....
S				
Sacramentis non iterandis.	Lib. 1. tit. 16. 3.	....	....	....
Sacra Unctione.	Lib. 1. tit. 15. 1.	....	....	....
Sagitarijs.	Lib. 5. tit. 15. 1.			
Schismaticis, & ordinatis ab eis.	Lib. 5. tit. 8. 2.	Lib. 5. tit. 3. 1.	....	Comm. lib. 5.
Scrutinio in ordine faciendo.	Lib. 1. tit. 12. 1.			
Secundis nuptijs.	Lib. 4. tit. 21. 5.	....	....	....
Sententia, & re judicata.	Lib. 2. tit. 27. 26.	Lib. 2. tit. 14. 5.	Lib. 2. tit. 11. 2.	....
Sententia excommunicationis.	Lib. 5. tit. 39. 60.	Lib. 5. tit. 11. 24.	Lib. 5. tit. 10. 4.	Joann. 22. tit. 13. Comm. lib. 5.
Sepulturis.	Lib. 3. tit. 28. 14.	Lib. 3. tit. 11. 5.	Lib. 3. tit. 7. 2.	Comm. lib. 3.
Sequestratione possessionum, & fructuum.	Lib. 2. tit. 17. 3.	....	Lib. 2. tit. 6. 1.	....
Servis non ordinandis, & eorum manumissione.	Lib. 1. tit. 18. 8.	....	....	....
Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.	Lib. 5. tit. 3. 46.	....	....	Comm. lib. 5.
Solutionibus.	Lib. 3. tit. 23. 4.	....	....	....
Sortilegijs.	Lib. 5. tit. 21. 3.	....	....	....
Sponsalibus, & Matrimonijs.	Lib. 4. tit. 1. 32.	Lib. 4. tit. 1. 1.	....	....
Sponsa duorum.	Lib. 4. tit. 4. 5.	....	....	....
Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.	Lib. 3. tit. 35. 8.	Lib. 3. tit. 16. 1.	Lib. 3. tit. 10. 2.	....
Successionibus ab intestato.	Lib. 3. tit. 27. 3.	....	....	....
Summa Trinitate, & Fide Catholica.	Lib. 1. tit. 1. 2.	Lib. 1. tit. 1. 1.	Lib. 1. tit. 1. 1.	....

Partit.	Recop.Cast.	Recop.Ind.
Tit. 12. part. 1.	. . . .	Tit. 3. & 4 lib. 1.
Leg. 65. tit. 4. & tit. 23. part. 1.		
Leg. 35. tit. 6. part. 1.		
Tit. 6. part. 5.	Tit. 18. lib. 5.	
Ex leg. 28. tit. 18. part. 3.	Tit. 14. lib. 4.	Tit. 9. lib. 1. & tit. 1. lib. 2.
Leg. 5. t. 10. p. 3. & L. fin. t. 10. p. 7.	Tit. 13. lib. 4.	
Leg. 9. tit. 4. p. 1.		
Leg. 69. tit. 4 p. 1.		
Tit. 12. part. 4.	Ex Leg. 3. tit. 1. lib. 5.	
Tit. 22. part. 3.	Tit. 17. lib. 4.	
Tit. 9. part. 1.	Tit. 5. lib. 8.	
Tit. 13. part. 1.	. . . .	Tit. 18. lib. 1.
Tit. 9. part. 3.	Tit. 12. lib. 4.	
Leg. 64. t. 5. p. 1. & L. 18. t. 6. p. 1.		
Tit. 17. part. 1.		
Tit. 14. part. 5.		
Tit. 23. part. 7.	Tit. 3. lib. 8.	
Tit. 1. & 2. p. 4.	Tit. 1. lib. 5.	Tit. 3. lib. 7.
Leg. 9. tit. 1. p. 4.	Leg. 7. tit. 1. lib. 5.	
Leg. 14. tit. 7. p. 1.		
Leg. 4. tit. 21. p. 1.	Tit. 8. lib. 5.	Tit. 32. lib. 2. *del Juzgado de Difuntos.*
Tit. 3. part. 1.	Tit. 1. lib. 1.	Tit. 1. lib. 1.

¶ 9 Sup-

...tit.	Recop.Cast.	Recop. Ind.
tit. 16.		
tit. 2. & 8. p. 3.		
part. 6.	Tit. 4. & 8. lib. 5.	
part. 3.	Tit. 6. lib. 4.	
tit. 16.	Leg. 6. tit. 6. lib. 4.	
13. p. 1. 6. p. 2. tit. 18.	———	
tit. 6.	———	
tit. 6.	Tit. 9. lib. 8.	
part. 7.		
5. p. 1. 6. p. 1. part. 1.	. . . .	Tit. 12. lib. 1.
7. p. 1. 2. p. 5.	Tit. 6. lib. 8.	
16. & p. 3.	Leg. 1. tit. 6. lib. 4.	

...NICI.

CAU-

. *Ind.*

15

CAUSÆ, ET QUÆSTIONES DECRETI.

IN SEQUENTIBUS CARMINIBUS: 36. dictiones: 36. causis Decreti respondent. Dictio prima Causam primam significat. Quælibet dictio tot litteras continet, quot sunt quæstiones illius causæ, ideò, quia prima causa significata voce *Discere*, quæ primam causam repræsentat septem habet litteras, septem quæstiones continere cognoscimus. Secunda dictio est *Causarum*, ubi sunt octo litteræ, & denotat, quod secunda causa habet octo quæstiones, & sic de alijs. Adverte tamen, quod superior numerus significat causas, inferior quæstiones.

1	2	3	4	5
7	8	11	6	6
Discere—	Causarum—	quarumlibet—	ordine—	membra—

6	7	8	9	10	11	12	13	14
5	2	5	3	3	3	5	2	6
Optes—	ut—	doceo—	sed—	non—	sis—	deses—	&—	anceps—

15	16	17	18	19	20	21	22
8	7	4	2	3	4	5	5
instanti—	dabitur—	quod—	tu—	vis—	quod—	petis—	illud—

23	24	25	26	27	28	29	30
8	3	2	7	2	3	2	5
efficies—	res—	id—	famatum—	te—	dat—	ad—	omnes—

31	32	33	34	35	36
3	8	5	2	10	2
usu—	doctrinæ—	totum—	si—	constituas—	te.—

b. 1.

J-

IN SEQ

non solum

cuj

1

Simon——a

6

Infames——v

11

Censuram——

16

Monachus——

21

Commendat-

26

Sortilegus——

31 32

Mœcha——coi

D. BAPTI

in repetition

nones ess

Si num

Atque

.NTIBUS VERSIBUS
-erus causarum, sed & principalis
bet materia significatur.

	3	4	5
at—	—spoliatus—	—teste—	—libello—
	8	9	10
—	—successor—	—solve—	—regendo—
2	13	14	15
or—	—funus—	—fœnus—	—furiosus—
7	18	19	20
idit—	—Abbates—	—Claustra—	—volentes—
22	23	24	25
rans—	—pugnans—	—hæresis—	—violatas—
	28	29	30
sis—	—insidis—	—serviat—	—Infans—
33	34	35	36
nente—	—dubitans—	—gradibus—	—rapientem.—

A DE SANCTO BLASIO
imæ Rubricæ Decreti dicit, Ca-
rmille, & nonaginta, ponens
sequentes Versus.

cautè termille Capitula Lector,
m novies Decretum continet in se.

¶ 10 CON-

CONCATENATIO METHODICA JURIS CANONICI,

SECUNDUM ORDINEM TITULORUM DECRETALIUM.

LIBER PRIMUS.

Tit. 1.	*De Summa Trinitate, & Fide Catholica.*	IN quinque libris Decretalium instruitur Judex Ecclesiasticus, quidnam agere, quidnam omittere debeat, ut rectè sententiam proferat, alterum non lædat, sed jus suum unicuique tribuat in contractibus, testamentis, alijsque negotijs occurrentibus: & benemeritos præmijs afficiat, delinquentesque pœnis debitis coerceat: propterea ante omnia debet Deum præ oculis habere, coram eo ambulare, summamque Trinitatem venerari, Divina Mysteria credere, ut credendo, Fidem Catholicam opere compleat. (1)
2.	*De Constitutionibus.*	Debet Leges Ecclesiasticas, quas Constitutiones vocamus, scire. (2)
3.	*De Rescriptis.*	Rescripta, si quæ à Principe expediantur, debet attendere ad controversiam decidendam. (3)
4.	*De Consuetudine.*	Nec omittet rationabiles consuetudines sequi, cum jus non scriptum constituant. (4)
5.	*De Postulatione Prælatorum.*	Potest etiam accidere, quod talis Judex ob ejus merita ad Episcopatum promoveatur; quod si antecedentèr jam erat Episcopus, vel aliud impedimentum Canonicum habet, talis promotio dicitur postulatio. (5)
6.	*De Electione, & Electi potestate.*	Si nullum habet Canonicum impedimentum, dicitur electio. (6)
7.	*De Translatione Episcopi.*	Et sæpe de una Ecclesia ad aliam transfertur. (7)
8.	*De Authoritate, & usu Pallij.*	Quod si Archiepiscopus sit, vel privilegium speciale habeat debet uti pallio, quod plenitudinem potestatis significat. (8)
9.	*De Renuntiatione.*	Aliquando ob justam causam, & de Pontificis licentia renuntiat Prælaturæ. (9)
10.	*De Supplenda negligentia Prælatorum.*	Aliquando superior, illius negligentiam supplet, si in suo officio omissus sit, & præcipuè in conferendis beneficijs. (10)
11.	*De Temporibus ordinationū, & qualitate ordinandorū.*	Et ne talis evadat, debet temporibus ab Ecclesia statutis ordinationes facere. (11)
12.	*De Scrutinio in ordine faciendo.*	Sed non cæco modo, sed prius scrutando, & examinando, an dignus, vel indignus sit ordinandus. (12)
13.	*De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui.*	Et saltem valida erit ordinatio, quamvis renunciasset Episcopatui, etiam quoad locum, & dignitatem simul. (13)
14.	*De Ætate, & qualitate, & Ordine præficiendorum.*	Et legitimè ordinati, si ætatem, & alias habeant qualitates in jure requisitas, possunt præfici, & promoveri ad Dignitates Ecclesiasticas. (14)
15.	*De Sacra Unctione.*	Episcopus ergo, ut quæ sui muneris sunt, adimpleat, debet Oleum, & Chrisma consecrare ad varias Unctiones Sacras, quæ sæpè fiunt ex præcepto, vel consuetudine Ecclesiæ. (15)
16.	*De Sacramentis nō iterandis.*	Ut in Baptismo, Confirmatione, & Ordinatione, & alijs func-

		functionibus ; sed prædicta Sacramenta , quia characterem imprimunt , non possunt iterari. (16)
17.	*De Filijs Presbyterorum Ordinandis , vel non.*	Sed cum panis non debeat dari canibus , solum debent ordinari , qui omni macula , & impedimento careant, ac proinde non debent ordinari filij illegitimi præcipuè Presbyterorum , imò nec legitimi admittuntur ad beneficia paterna , ut species successionis hæreditariæ deleatur. (17)
18.	*De Servis non ordinandis, & eorum manumissione.*	Nec decet , quod servi ordinentur , nisi prius manumittantur. (18)
19.	*De Obligatis ad ratiocinia ordinandis , vel non.*	Nec est justum , quod obligati ad ratiocinia , ante redditam rationem ordinentur. (19)
20.	*De Corpore vitiatis ordinandis , vel non.*	Multoque minus , qui in corpore defectum , vitium, deformitatemvè patiuntur. (20)
21.	*De Bigamis non ordinandis.*	Nec qui secundas contraxerunt nuptias , & bigamì dicuntur , cum defectum pati videantur , cum non significetur perfectè conjunctio Christi cum Ecclesia. (21)
22.	*De Clericis Peregrinis.*	Nec Episcopus debet ordinare Clericos peregrinos, nec ordinatos ad exercitium suorum ordinum admittere sine proprij Episcopi litteris necessarijs. (22)
23.	*De Officio Archidiaconi.*	Et quia Episcopus solus non potest omnibus attendere, habet à jure constitutum Vicarium , tùm in jurisdictione externa qui Archidiaconus dicitur. (23)
24.	*De Officio Archipresbyteri.*	Tum in Spiritualibus , qui dicitur Archipresbyter. (24)
25.	*De Officio Primicerij.*	Debetque ipse Episcopus facere , quod Ministri Ecclesiæ , ut Primicerius. (25)
26.	*De Officio Sacristæ.*	Sacrista. (26)
27.	*De Officio Custodis.*	Et Custos. (27)
28.	*De Officio Vicarij.*	Sua officia exactè adimpleant , & ut aliquo levamine gaudeat , potest vices suas alij committere, ut regulariter fit Vicarium in Ecclesijs constituendo. (28)
29.	*De Officio , & Potestate Judicis Delegati.*	Episcopus aliquando delegatus à Papa constituitur. (29)
30.	*De Officio Legati.*	Aliquando Legati fungitur officio. (30)
31.	*De Officio Judicis Ordinarij.*	Et regularitèr ut Judex Ordinarius procedit. (31)
32.	*De Officio Judicis.*	Sed semper debet ad amussim Judicis officium implere. (32)
33.	*De Majoritate, & Obedientia.*	Debitam tamen obedientiam Majoribus præstando. (33)
34.	*De Treuga , & Pace.*	Quod si possit , partes ad pacem , vel treugam reducet, ut à litibus cessetur , quantum fieri possit. (34)
35.	*De Pactis.*	Et forrasse aliquibus pactis interpositis. (35)
36.	*De Transactionibus.*	Vel transactione facta. (36) Vel alijs modis. Poterunt litigantes ad concordiam reduci.
37.	*De Postulando.*	Quod si hoc nequeat fieri ob partium renitentiam , ipsæ ad litem procedendo , Advocatos eligent, imò & Judex poterit illum assignare parti eo destitutæ , vel etiam male electum repellere. (37)
38.	*De Procuratoribus.*	Et quidem regularitèr possunt partes non solum per se, sed etiam per Procuratorem litem , sicut , & alia negotia agere. (38)
39.	*De Syndico.*	Vel si communitas sit , Syndicum constituet. (39)
40.	*De his, quæ vi, metusvè causa fiunt.*	Judex suum officium implendo , debet violentias tollere , & quæ fiunt vi , vel metu irritare , vel irrita declarare , juxta cujusque rei qualitatem. (40)
41.	*De in Integrum restitutione.*	Et Minori læso , imò & aliquando etiam Majori , restitutionis remedium impartiri. (41)

Nec

42.	*De Alienatione Judicij mutandi causa.*	Nec permittet, quod alienatio fiat judicij mutandi causa, cum non debeat dolum litigantium fovere. (42)
43.	*De Arbitris.*	Imò, si potest, potius, ut arbiter ad compositionem, & pacem, quam ut Judex procedat, vel saltem facile cooperetur, ut negotium in arbitros compromittatur de consensu partium, & aliquando, etiam ipsis repugnantibus, si ita expediat. (43)

LIBER II.

Tit. 1.	*De Judicijs.*	SED regularitèr controversiæ in judicio debent definiri. (1)
2.	*De Foro competenti.*	Et quidem in foro competenti, tàm litigantibus, quàm causis controversis, (2) quod Judex advertere debet.
3.	*De Libelli oblatione.*	Admittetque libellum actoris oblatum contra reum. (3)
4.	*De Mutuis petitionibus.*	Et etiam petitiones, reconventionesque mutuas rei contra actorem. (4)
5.	*De Litis contestatione.*	Facietque litem contestari. (5)
6.	*Ut Lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.*	Cum litis contestatio sit judiciorum fundamentum, sine quo nec ad testium receptionem, multoque minus ad sententiam definitivam potest procedi. (6)
7.	*De Juramento calumniæ.*	Et ut malitiæ calumniantium obvietur, partes faciet, juramentum calumniæ præstare. (7)
8.	*De Dilationibus.*	Dilationes, & spatia ad cursum litis convenientia concedet. (8)
9.	*De Ferijs.*	A judicio diebus feriatis abstinendo. (9)
10.	*De Ordine cognitionum.*	Ordinem in cognoscendo servabit. (10)
11.	*De Plus petitionibus.*	Nec permittet plus peti, quamquod debetur. (11)
12.	*De Causa possessionis, & proprietatis.*	Bene notabit, an actor causam possessionis an vero proprietatis intendat. (12)
13.	*De Restitutione spoliatorum.*	Ante omnia tamen spoliatum restituet. (13)
14.	*De Dolo, & Contumacia.*	Nec facile indulgebit dolo, & contumaciæ reorum. (14)
15.	*De eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandæ.*	Imò, ut illorum reprimat contumaciam actorem mittet in possessionem rei servandæ causa. (15)
16.	*Ut lite pendente nihil innovetur.*	Nec permittet, quod partes aliquid lite pendente innovent. (16)
17.	*De Sequestratione possessionum, & fructuum.*	Aliquando faciet, fructus, & possessiones sequestrari, seu deponi. (17)
18.	*De Confessis.*	Ut ad sententiam deveniat, debet exquirere, quid actor petat, & an reus id ipsum fateatur; nam tunc non erit necessarium al ulteriora procedere. (18)
19.	*De Probationibus.*	Quod si neget, tunc actor suam intentionem probabit, & reus similitèr suas exceptiones. (19)
20.	*De Testibus, & atestationibus*	Et quidèm ad probationem testes præstantur. (20)
21.	*De Testibus cogendis, vel non.*	Quod si deponere renuant, à Judice cogentur, ut sic veritas patefiat. (21)
22.	*De Fide Instrumentorum.*	Aliquando actor per instrumenta suam probat intentionem, & Judex attentè considerare debet, quænam fides ipsis præstanda sit juxta ipsorum qualitatem. (22)
23.	*De Præsumptionibus.*	Imò, & ex præsumptionibus, & conjecturis potest aliquando, exemplo Salomonis, ad sententiam procedere. (23)
24.	*De Jure jurando.*	Vel si aliæ deficiant probationes, in subsidium poterit juramentum parti deferre, prout circunstantiæ, & prudentia dictent. (24)

De-

25.	*De Exceptionibus.*	Debent tamen exceptiones reorum admittere, & attentè considerare, ne copia defensionis ipsis desit, nam cuilibet de Jure Naturali propria defensio competit. (25)
26.	*De Præscriptionibus.*	Potest enim accidere, quod actor benè petat, quia dominium, vel actionem habebat, sed reus melius excipiat, quia rem usucapione adquisivit, vel alia legitima præscriptione actionem repellit. (26)
27.	*De Sententia, & re judicata.*	Denique omnibus undique benè inspectis rem judicabit, & sententiam definitivam proferet. Et tunc damnatus, vel consentit, & res judicata habetur, (27) vel
28.	*De Appellationibus.*	Remititur, & potest appellare ad Superiorem, & appellatione pendente Judex inferior nil attentabit, nam ejus jurisdictio manet suspensa, & ejus manus, quasi ligatæ. Et idem accidit, quando recusatur, ut suspectus, vel quando ob causæ arduitatem negotium ad Principem refertur. (28)
29.	*De Clericis peregrinantibus.*	Et quidem aliquando Clerici ad Romanum Pontificem appellant, vel recurrunt, iter arripiendo, & ad Curiam peregrinando. (29)
30.	*De Confirmatione utili, vel inutili.*	Et apud superiorem causa inspecta, vel confirmatur, vel infirmatur sententia. (30)

LIBER III.

Tit. 1.	*De Vita, & honestate Clericorum.*	DEBET insuper Episcopus de vita, & honestate Clericorum curare. (1)
2.	*De Cohabitatione Clericorum, & mulierum.*	Præcipuè, ne Clerici cum mulieribus suspectis, in eadem domo habitent, ut sic consulatur securius Clericorum castitati, quam adeo Sacri Canones in Clericis desiderant, (2) ut
3.	*De Clericis conjugatis.*	Nec eis permittant matrimonia inire. (3)
4.	*De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Præbenda.*	Ut sic ab alijs negotijs immunes, suo muneri vacent, ad hoc in Ecclesijs, & beneficijs residendo. (4)
5.	*De Præbendis, & Dignitatibus.*	Hoc enim onus debent portare cum honores, & commoda Præbendarum, & Dignitatum percipiant. (5)
6.	*De Clerico ægrotante, vel debilitato.*	Nisi fortè ægrotent, vel debilitati sint, nam his non debet alimentum substrahi, quippè alienum à pietate Christiana est afflicto afflictionem addere. (6)
7.	*De Institutionibus.*	Ut ergo beneficium, vel præbenda legitimè habeatur, debet præcedere, vel collatio libera, vel institutio Canonica. (7)
8.	*De Concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.*	Non tamen debet concedi præbenda, nec Ecclesia non vacans: ne avaritiæ, vel ambitioni, vel desiderio mortis alienæ captandæ ansa detur. (8)
9.	*Ne Sedevacante aliquid innovetur.*	Nec Sedevacante, aliquid innovandum est, quod Ecclesiæ, vel defuncti Prælati successori præjudicet. (9)
10.	*De His, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.*	Et ut æqualitas servetur, nec Prælatus debet in rebus arduis procedere sine consensu Capituli. (10)
11.	*De His, quæ fiunt a majore parte Capituli.*	Sed cum difficilè sit, quod omnes Capitulares, in unum dictamen conspirent ob naturalem hominum propensionem ad dissentiendum, regularitèr solum attenditur id, quod à majori parte fit. (11)
12.	*Ut EcclesiasticaBeneficia sine diminutione conferantur.*	Sed sive Episcopus solus, sive cum Capitulo procedat in beneficiorum collatione, hæc integrè, & sine diminutione conferri debent. (12)
13.	*De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.*	Nam ipsi non sunt Domini, sed administratores benefi-

cio-

		ciorum, & aliarum rerum Ecclesiæ, ac propterea eas non debent nisi ex justa causa, & magna cum consideratione alienare. (13)
14.	*De Precarijs.*	Et hæc consideratio debet haberi in precarijs concedendis. (14)
15.	*De Commodato.*	Et in celebrandis alijs contractibus, ut sunt commodatum. (15)
16.	*De Deposito.*	Depositum. (16)
17.	*De Emptione, & venditione.*	Emptio, & venditio. (17)
18.	*De Locato, & conducto.*	Locatio, & conductio. (18)
19.	*De Rerum permutatione.*	Permutatio rerum. (19)
20.	*De Feudis.*	Feudorum constitutio. (20)
21.	*De Pignoribus, & alijs cautionibus.*	Pignorum, & aliarum cautionum obligatio, (21) &
22.	*De Fidejussoribus.*	Fidejussio. (22)
23.	*De Solutionibus.*	Etiamsi id, quod debetur solvendum sit, attamen debet attentè considerari quid, & ex qua causa debetur, & an teneatur Ecclesia, ad illud solvendum. (23)
24.	*De Donationibus.*	Tamen cum cuilibet pro arbitrio concedatur de re sua disponere Clerici, licet de rebus Ecclesiæ non possint ad libitum disponere, possunt tamen de rebus suis, etiam donationes inter vivos facere. (24)
25.	*De Peculio Clericorum.*	Et etiam de rebus Ecclesiasticis, quæ in illorum peculio sunt, & ad illorum dominium spectant. (25)
26.	*De Testamentis, & ultimis voluntatibus.*	Imò, & de ipsis testamentum possunt facere, licet nequeant testari de rebus intuitu Ecclesiæ adquisitis: quia ad Ecclesiam spectare videntur. (26)
27.	*De Successionibus ab intestato.*	Ac proindè mortuis ab intestato beneficiarijs, ipsæ Ecclesiæ succedunt. (27)
28.	*De Sepulturis.*	Et licet quilibet possit in suo testamento sepulturam eligere. (28)
29.	*De Parochis, & alienis Parochianis.*	Si non eligat; vel in sepultura majorum, vel in Parochia sepeliendus est; si aliundè ob propria crimina non est factus indignus Ecclesiastica sepultura, ut ubi percepit sacramenta vivus, percipiat, & defunctus suffragia. (29)
30.	*De Decimis, Primitijs, & oblationibus.*	Maximè cum suæ Parochiæ tribuisset Decimas, primitias, & oblationes. (30) Insuper
31.	*De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem.*	In Republica Ecclesiastica præter Clericos Sæculares, etiam Regulares inveniuntur, qui scilicet relicto sæculo ad Religionem transeunt, & statum Religiosum profitentur. (31)
32.	*De Conversione conjugatorum.*	Cujus tanta est excellentia, ut possint conjuges ad illum transire, antequam matrimonium consumment, & per hanc conversionem matrimonium ratum dissolvitur. (32)
33.	*De Conversione Infidelium.*	Similitèr, quando ad Religionem Catholicam infideles convertuntur, matrimonium antea contractum sub varijs circumstantijs ob fidei favorem dissolvitur. (33)
34.	*De Voto, & voti Redemptione.*	Status Religiosus in tribus votis essentialitèr consistir, quæ debent omninò adimpleri, sicut quæcumque alia vota Deo facta, nisi redimantur per potestatem legitimam. (34)
35.	*De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.*	Qui enim statum Religiosum profitentur, aliquando Monachi, aliquando Canonici Regulares appellantur (35)
36.	*De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ.*	Etiam aliqua loca Religiosa habentur, quia authoritate Ecclesiastica eriguntur, ac proindè subjiciuntur Episcopis. (36)

37.	*De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.*	Si in Ecclesia Parochiali Vicarius regularis ponatur, visitatio, & correctio ad Episcopum, & Abbatem cumulativè spectant in is, quæ ad officium Parochi pertinent. (37)
38.	*De Jure patronatus.*	Ad tales Prioratus, & alia beneficia Clerici præsentantur, ut instituantur ab Episcopo, quia ad jus patronatus alicujus pertinent, siquidem hoc onere aliquando gravantur. (38)
39.	*De Censibus, exactionibus, & procurationibus.*	Imò, & majus onus aliquando sustinent in censibus, exactionibus, & procurationibus, quas solvere tenentur. (39)
40.	*De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.*	Et regulariter hi census solent imponi in Ecclesiarum consecratione: tunc enim reservari possint: Ecclesiæ enim, & altaria præcipuè consecrantur. (40)
41.	*De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Divinis Officijs.*	Ut ad celebrationem Missarum, & alia Divina Officia, & principalitèr ad Eucharistiæ confectionem decentius deserviant. (41)
42.	*De Baptismo, & ejus effectu.*	Et etiam ut ibidem baptismus ministretur, ut fundamentum Sacramentorum, & janua, per quam in Ecclesiam ingredimur. (42)
43.	*De Presbytero non baptizato.*	Ita, ut etiam si quis in Presbyterum sit ordinatus, si constet, non esse baptizatum, nec Presbyter esse potest, quia sine fundamento nequit ædificium consistere. (43)
44.	*De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.*	Postquam vero, quis per baptismum nomen dat militiæ Christianæ, Ecclesia providet suis militibus alia Sacramenta ministrari, præcipuè Eucharistiam, ne in via deficiamus, ac proinde necesse est talia Sacramenta in Ecclesijs fideliter custodiri, ut in omni necessitate copiam illorum habeamus. (44)
45.	*De Reliquijs, & veneratione Sanctorum.*	Etiam debent Reliquiæ Sanctorum custodiri, & magna in veneratione à fidelibus haberi, quia ipsi sancti fuerunt Templa Dei viva. (45)
46.	*De Observatione jejuniorum.*	Et quidem sancti non solum orationibus, sed etiam, & jejunijs venerantur. Sanè jejunia ab Ecclesia præcepta omninò debent servari, nisi justa causa excuset. (46)
47.	*De Purificatione post partum.*	Ex parte ad venerationem Ecclesiarum spectat purificatio post partum; sed hoc in Lege Gratiæ non ex necessitate, sed ex devotione dependet. (47)
48.	*De Ecclesijs ædificandis, vel reparandis.*	Cum tot bona ex Ecclesijs percipiamus, hoc nos debet allicere ad Ecclesias ædificandas, & ad reparandas ipsas, si fortè corruant. (48)
49.	*De Immunitate Ecclesiarum, Cæmeterij, & rerum ad eas pertinentium.*	Et insuper in ipsis, & in Cæmeterijs adjunctis asylum habebimus, dum immunitatis non efficiamur indigni. Aliàs prætereà exemptiones, & immunitates ipsæ habent. (49)
50.	*Ne Clerici, vel Monachi Sæcularibus negotijs se immisceant.*	Sed ut tot prærogativis sine perturbatione fideles gaudeant, maximè expedit, quod Clerici, & Monachi non se immisceant sæcularibus negotijs, sed Deo militent, & de ipsis ministerijs Divinis soliciti existant. (50)

INDEX TITULORUM

1. 2. & 3. LIBRORUM DECRETALIUM.

IN PROOEMIO.

LIBER I. DECRETALIUM,

GREGORIJ IX.

TIT. I. *De Summa Trinitate, & Fide Catholica.*

Dis-

De

tione operarum temporalium. Quid si adhuc servus ordinetur?
265. Quid de servo ingrediente religionem? Filiusfamilias non indiget patris licentia, ut fiat Clericus.

TIT. XIX. *De Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.*
266. Obligati ad ratiocinia non ordinantur sine dispensatione Papali. Aliqui administratores benè possunt ordinari.

TIT. XX. *De Corpore vitiatis ordinandis, vel non.*
267. Corpore vitiatus est irregularis. 268. Et mutilati.
269. Qui se abscindunt, vel fuerunt causa culpabilis mutilationis alterius. 270. Debilitati. 271. Deformes.
272. Qui certis morbis laborant.
273. Regulariter Papa, aliquando dispensat Episcopus.

TIT. XXI. *De Bigamis non ordinandis.*
274. Bigamus est irregularis. 275. Ex defectu significationis.
276. De Bigamia vera. 277. Interpretativa.
278. Et similitudinaria. Et de pœna tales bigamos ordinantis, & bigamorum.
279. Papa dispensat in bigamia vera, & interpretativa: Episcopus in similitudinaria.

TIT. XXII. *De Clericis Peregrinis.*
280. Non debet permitti Clericis peregrinis publicè celebrari sine litteris commendatitijs.
281. Episcopus tales litteras dare regularitèr tenetur.
282. Clerici originarij jure præferuntur extraneis.

TIT. XXIII. *De Officio Archidiaconi.*
283. Quis dicatur Archidiaconus, & de eorum origine.
284. Archidiaconus habet dignitatem, estque Vicarius natus Episcopi.
285. Archidiaconus quid debeat facere, & omittere?
286. Dignitas, & officium Archidiaconi jam fere in Vicario Generali Episcopi, & Decano invenitur.

TIT. XXIV. *De Officio Archipresbyteri.*
287. Quis Archipresbyter dicatur?
288. Officium Archipresbyteri urbani, & ruralis.

TIT. XXV. *De Officio Primicerij.*
289. Quis dicatur Primicerius, Cantor, & Præcentor? Quis succentor? Et de eorum officio.

TIT. XXVI. *De Officio Sacristæ.*
290. De Officio Sacristæ, Thesaurarij, seu Cimeliarchæ.

TIT. XXVII. *De Officio Custodis.*
291. De Custodis Officio.

TIT. XXVIII. *De Officio Vicarij.*
292. Quis Vicarius dicatur? Et de eorum differentijs.
293. Vicarius perpetuus in pluribus Parocho æquiparatur.
294. Vicaria temporalis non est beneficium. Et a quo talis Vicarius constituatur?
295. Vicarius Generalis, seu Officialis Episcopi habet Dignitatem: & Prælatos Episcopo inferiores præcedit.
296. Habet jurisdictionem ordinariam. Idem est de Proprætoribus.
297. Vicarius debet esse Clericus, & Doctor, vel Licentiatus in jure Canonico.
298. Vicarius omnia, quæ Episcopus facere valet, aliquibus exceptis.
299. Vicarius debet sui mandati, seu Tituli formam servare. Quomodò intelligatur mandatum, & Vicarij officium finiatur? Nec Vicarius tenetur ad syndicatum, & de ejus salario.
300. Sedevacante debet Capitulum intra octo dies Vicarium eligere. Quisnam locus in choro ei competat? Debetque esse Doctor, vel Licentiatus in jure: nec ab ipso appellatur ad Capitulum.
301. Majorem jurisdictionem habet Vicarius Capitularis, quam Vicarius Episcopi: potest tamen à Capitulo restringi, & aliquando revocari.
302. Vicarius non potest alij totum officium committere, secus partem. Quando novus habetur Episcopus expirat ejus jurisdictio, eique tenetur rationem reddere.
303. De Vicario foraneo.
304. De Vicario Pontificis, & de Chorepiscopis, & Coepiscopis.

TIT. XXIX. *De Officio, & potestate Judicis delegati.*
305. De varijs judicibus, præcipuè de delegatis. Et à quibus, & quomodo possint delegari?
306. Delegatus differt à Judice Ordinario, Vicario, Arbitro, & Executore. Qui Commissarij, vel Consulentes, qui Auditores dicantur?
307. Judices Ordinarij possunt suam, sed non totam, jurisdictionem delegare: possunt aliquando delegati subdelegare: secus subdelegati.

308.

tione, bello civili, defensivo, & offensivo. Et quid ad belli justitiam requiratur?

355. Causæ justæ indicendi bellum, & de justa Indiarum conquisitione.

356. Clericis regularitèr non licet propria manu pugnare.

357. In bello justo licent, quæ ad ejus finem sunt necessaria, repressalias facere, & insidijs uti.

358. Bona in bello in terra, vel mari captæ, quomodò dividantur? An liceat fœdus cum Hæreticis, vel infidelibus iniri? Non licet ad hostes arma deferre.

359. Quid sit treuga Canonica, seu Legalis, & Conventionalis? Armisticium, induciæ, & pax?

TIT. XXXV. *De Pactis.*

360. Quid sit pactum? quomodò differat ab ultimis voluntatibus, pollicitatione, transactione, & contractibus? de pacto expresso, & tacito, nudo, & legitimo.

361. Pollicitatio, & pactum nudum de Jure Civili, non producunt obligationem: secus de Jure Canonico, & Hispano.

362. Qui possint contrahere, vel non? 363. De alijs.

364. De quibus possit pacisci, vel non?

365. Pactum comprehendit distractum, quasi contractum, & contractum. Quid sit contractus? requiritur in contrahente animus se obligandi, & consensus liber.

366. Divisio contractuum in nominatos, & innominatos, bonæ fidei, & stricti juris, onerosos, seu bilaterales, & lucrativos, seu unilaterales.

367. Contractus perficiuntur re, verbis, litteris, & consensu: producunt obligationem, & actionem.

368. De Contractu purè, sub conditione, sub die, sub modo, & alternativè celebrato.

TIT. XXXVI. *De Transactionibus.*

369. Quid sit transactio? Dividitur in realem, & personalem, varijsque modis fit.

370. Qui transigere possint? Quomodò transigant Procuratores, Prælati, Curatores, Administratores, Majoratuum possessores, Vassalli, Religiosi, Pu[illegible]lli, minores? Judex an possit coge[illegible] ad transigendum?

371. De quibus possit transigi, vel non?

372. Transactio rei judicatæ æquiparatur, quibus modis rescindatur?

TIT. XXXVII. *De Postulando.*

373. De Advocato, & quomodò differat à Procuratore? potest a Judice compelli, ut præstet patrocinium.

374. Qui possint postulare, vel non?

375. Quomodò debeat Advocatus postulare? & de pœna male officio utentium.

376. Potest Advocatus justum salarium, seu honorarium petere. De varijs Advocatorum privilegijs. Laudantur boni, reprehenduntur mali.

TIT. XXXVIII. *De Procuratoribus.*

377. Quid sit Procurator? De judiciali, & extrajudiciali, generali, & speciali. De mandato: & quomodò intelligantur variæ clausulæ.

378. Procurator ad negotia regularitèr potest alium sibi substituere: secus procurator ad lites. Quis Procurator in rem suam dicatur?

379. Falsus procurator est, qui caret legitimo mandato, sine quo aliquibus casibus exceptis nullus admittitur ad judicium. Et quid sit necessarium ad legitimum mandatum?

380. Quinam possint, vel teneantur Procuratorem constituere? Universitates constituunt Syndicum, vel actorem. Quid de servis, Tutoribus, Curatoribus, Religiosis, Minoribus, & filijs familias.

381. Qui possint, vel non procuratores constitui? Quid de Procuratore simpliciter, vel in solidum constituto? quid in Cancellarijs?

382. In quibus causis procuratores constitui valeant?

383. Quæ actiones Domino, & procuratori competant? Procurator tenetur jurare de calumnia.

384. Procuratoris officium quomodò finiatur? Et de Cardinali Camerario.

TIT. XXXIX. *De Syndico.*

385. Syndicus quis sit, & quibus nominibus appelletur? Et quis valeat Syndicus constitui?

386. Syndicus habet fere eandem potestatem ac procurator, & eisdem fere modis finitur.

TIT. XL. *De His quæ vi, metusvè causa fiunt.*

387. Quid, & quotuplex sit vis?

388. Metus, & ejus species: non excusat facientem rem intrinsecè malam: bene tamen Legis humanæ transgressorem, nisi aliud obstet.

LIBER II.

ralibus immediatè à jure Ecclesiastico provenit.

15. Negligentia Judicis Laici non ab Ecclesiastico, sed à Laico suppletur. Item Ecclesiastici negligentia suppletur ab Ecclesiastico: Quid de recursu per viam violentiæ?

16. Quibusmodis finiatur judicium, & instantia judicij?

17. Ex quibus causis judicij nullitas oriatur? Acta in uno judicio quando in alio fidem faciant?

18. De actionibus realibus, & personalibus, civilibus, & Prætorijs.

19. De actionibus rei persecutorijs, & pœnalibus.

20. De actionibus mixtis, bonæ fidei, stricti juris, perpetuis, & temporalibus.

21. De transitorijs, & non transitorijs ad hæredes, directis, contrarijs, utilibus, in factum, & præscriptis verbis. Nec est necesse nomen actionis in libello exprimere.

TIT. II. *De Foro competente.*

22. Quid sit forum? & ejus divisio.

23. Actor regularitèr sequitur forum rei.

24. Judex extra suum territorium regularitèr nequit jurisdictionem contentiosam exercere.

25. Nullus regularitèr potest esse Judex in sua causa.

26. De foro ratione domicilij.

27. De quasi domicilio. De Roma.

28. De foro contractus, & distractus.

29. De loco, in quo quis promisit solvere. 30. De loco delicti.

31. Quomodo procedatur per Requisitoriam?

32. De loco, ubi invenitur cadaver, & de foro rei sitæ.

33. De foro Clericorum, & Episcoporum.

34. Quoad forum attenditur tempus delicti: nec potest forum à Clericis particularibus renuntiari.

35. De foro Militum. 36. De foro Scholarium.

37. De foro miserabilium personarum. Et hac occasione de casibus Curiæ. Item de foro Commissarij Cruciatæ.

38. De familiaribus S. Inquisitionis. Et de Judicibus, qui de nobilitatis causis cognoscunt.

39. De causa diffamationis. Quid debeat facere, qui timet sibi movendam litem.

40. Quid de Socijs in eadem causa criminali, vel civili. De foro per præventionem.

41. De Prorogatione jurisdictionis.

42. Qui prorogare possint? Judex debet suam defendere jurisdictionem.

TIT. III. *De Libelli oblatione.*

43. Quid sit libellus? regularitèr debet in scriptis offerri.

44. Quænam debeat continere libellus?

45. Quæ debeant in libello vitari? De libello generali, & alternativo.

46. Quomodò debeat exprimi in libello causa petendi.

47. De oblatione libelli, de libello vitioso, & ejus mutatione.

48. De praxi, & clausulis libellorum.

49. De citatione, & modis citandi.

50. Citatio debet fieri de mandato Judicis.

51. Quid debeat continere citatio quoad nomina citantis, & citati, terminum, diem, & locum.

52. Citatio regularitèr est necessaria ad judicium.

53. Qui debeant citari, vel non? & de citationis effectu.

TIT. IV. *De mutuis petitionibus.*

54. Quid sit reconventio, & quomodo ab exceptione, & compensatione differat?

55. In quibus causis locum habeat reconventio?

56. De effectibus reconventionis, prorogatione scilicèt, jurisdictionis, & processu simultaneo.

TIT. V. *De litis contestatione.*

57. Quid, & quotuplex sit litis contestatio & quomodo fiat?

58. Regulariter debet fieri in judicio: & intra quod tempus?

59. Quando fiat, vel non contestatio per exceptionum oppositionem? Quid de positionibus, & articulis?

60. De effectu litis contestationis.

61. Quando recusans contestari habeatur pro confesso?

TIT. VI. *Ut litè non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.*

62. Ante litis contestationem nequeunt recipi testes, nec sententia definitiva pronuntiari: secus interlocutoria.

63. 64. Exceptis casibus, de quibus hic.

TIT. VII. *De juramento calumniæ.*

65. Quid sit juramentum calumniæ, an valeat renuntiari, & quas partes continet?

66. Differt à juramentis veritatis, & malitiæ. Et quando, & quomodo, in quibus causis, & a quibus præstetur?

67. Qui excusentur ab hoc juramento?

68.

237.

LIBER III.

TIT.

Non

TIT.

374.

NOTI-

NOTITIA JURIS
PRÆAMBULA,
ET INTRODUCTIO AD COLLECTIONEM
JURIS CANONICI,
HISPANI, ET INDICI.

NE HOSPITE INSALUTATO, UT COMMUNITER dicitur in ſecretiores juris quæſtiones ingrediamur, oportet aliquid de ejus origine, progreſſu, diviſione, & alijs partibus prius dicere, & tanquam in propylæo ejus membra oſtendere, illiuſque authoritatem declarare.

Num. 1 JUS ergo, ſic dictum eſt, quia *juſtum* eſt *text. in c. 2. D. 1.* ſeu à *jubendo* quaſi *juſſum.* teſte *Ariſtotele.* ſeu *à juſtitia* ſic appellatum eſt. *L. 1. ff. de juſt. & jur.* Et ibidem ſic definitur, *Ars boni, & æqui,* & in hoc ſenſu eſt idem ac ſcientia juris, nempè Canonum, & Legum, ſeu *Juriſprudentia* quæ definitur: *Divinarum, atque humanarum rerum notitia, juſti, atque injuſti ſcientia. L. 10. §. 2. ff. de juſtit. & jur.* quæ definitio potius noſtræ Canonicæ, quam Civili juriſprudentiæ convenit. Jus aliquando ſumitur pro loco Judicij, ſic dicitur in jus vocare, in jus ire; aliquando pro Judicis ſententia, qui etiam quando inique decernit, jus facere dicitur *l. 11. ff. de juſtit. & jur.* Aliquando pro eo, quod juſtum eſt, & Legibus conforme, & quidquid bonum, & æquum eſt jus dicitur *l. 11. ff. de juſtit. & jur.* Aliquando ſumitur pro illa facultate, quam quis habet à natura, ſeu legibus conceſſam ad aliquid faciendum, vel omittendum, vel ad obligandum alterum, ut aliquid det, faciat, vel omittat, & ſic dicitur, quod qui utitur ſuo jure, nemini facit injuriam *l. 155. §. 1. ff. de reg. jur. l. 14. tit. 34. p. 7.* Et quod quilibet poteſt

ſuo juri renuntiare. *L. Si quis in conſcribendo, 29. C. de pact.* Et quod nemo in alium poteſt plus juris, quam ipſe habet, transferre *l. 54. ff. de reg. jur.* Et quod quis in alterius jus ſuccedit, vel jus alterius lædit.

2 Quando quis alterum ad faciendum, vel omittendum poteſt obligare, *jus activum* habere dicitur: cui tanquam correlativum, correſpondet jus paſſivum, id eſt obligatio ex parte alterius; quo etiam vocatur *debitum*. *Jus activum*, vel eſt jus juriſdictionis, vel proprietatis. *Jus juriſdictionis* eſt poteſtas publica, quam quis habet ad alios obligandos, ut aliquid faciant, vel omittant; præcipuè in bonum Communitatis. Hoc gaudent Principes, & Judices, illudque exercent, leges, vel ſtatuta ferendo, ſententias pronuntiando, prohibendo, puniendo, &c. *Jus proprietatis* eſt poteſtas legitima proveniens à Natura, vel à Lege ad obligandum alios, ut aliquid faciant, vel omittant, præcipuè in bonum proprium obligantis. Sic poteſt quis alios obligare, ne ipſum lædant in corpore, vita, fama, vel bonis. Hoc jure gaudet qui habet dominium rei, vel uſumfructum, vel aliud jus, v. g. decimandi, eligendi, præſentandi, &c.

3 Jus proprietatis, vel eſt *jus in re*, vel *jus ad rem*, qua diſtinctione utuntur *Clem. un. de ſequeſtrat. c. fin. de conceſſ. præbend. in 6.* alia jura, & communiter DD. *Jus in re* eſt quod fundatur in ipſa re, & dicitur *reale*, ita, ut ad quemcumque transeat poſſeſſorem, cum hoc onere maneat, quia non poſſeſſor, ſed ipſa res eſt obligata; & ad ipſam terminatur actio realis. *L. 25. ff. de obligat. & action. Jus ad rem* ſeu *perſonale* eſt quando non ipſa res eſt obligata habenti tale jus, ſed perſona, vel ex contractu, vel ex quaſi contractu, vel ex delicto, vel ex quaſi delicto; & adverſus illam datur actio perſonalis, quæ etiam dicitur *conditio*. Utriuſque actionis diſtinctionem clarè proponit *l. 25. ff. de obligat. & action.* ibi: *Actionum genera ſunt duo, in rem, quæ dicitur vindicatio, & in perſonam, quæ conditio appellatur: in rem actio eſt per quam rem noſtram, quæ ab alio poſſidetur, petimus, & ſemper adverſus eum eſt, qui rem poſſidet. In perſonam actio eſt, quâ cum eo agimus, qui obligatus eſt nobis ad faciendum aliquid, vel dandum: & ſemper adverſus eundem, locum habet.* Sic ille, qui emit ſervum, antequam ipſi ſervus tradatur, habet jus ad rem adverſus venditorem immediatè, ut ipſi tradat ſervum vi contractus celebrati, non tamen habet actionem contra tertium poſſeſſorem, ſi forte habeat ſervum; quia cum illo non celebravit contractum: poſtquam vero emptori eſt traditus ſervus, habet jus in re, quia per traditionem res nobis adquiruntur *l. 20. ff. de adquir. rer. dom.* poteſtque ſervum vindicare à quocumque detineatur, etiam ſi non ſit ipſe venditor, ſic etiam præſentatus ad beneficium, ante inſtitutionem habet jus ad ipſum, poſtquam vero, Canonice inſtitutus eſt, habet jus in re. Jus prout eſt juſtum, ſeu quod eſt conforme legibus, & commenſuratum juri alterius eſt objectum proprium juſtitiæ. *D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 11.* Juſtitia etiam diverſimodè accipitur. Nam aliquando ſumitur pro omnium virtutum complexo, Sic *Ariſtot. Ethic. 5. cap. 1.* ait: *Juſtitia in ſe virtutes continet omnes.* Aliquando pro charitate, ſeu gratia ſanctificante. Sic in *Trid. ſeſſ. 6. de Juſtificat. cap. 7.* dicitur: *Dei juſtitia eſt unica cauſa formalis noſtra juſtificationis, non qua ipſe (Deus) juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit.* Sed ſtrictè accipitur pro virtute morali, una ex quatuor Virtutibus Cardinalibus. *Sapient. 8. v. 7. D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 12.* & definitur ab Ulpiano *in l. 10. ff. de juſtit. & jur.* ſic: *Conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 1.* facit *D. Auguſt. de Civit. Dei, l. 19. cap. 21. D. Ambroſ. & comm. DD.* & ſic exponitur. Eſt habitus, vel actus voluntatis quo quis firmiter vult ſemper, quacumque difficultate non obſtante; alteri tribuere, quod ipſi debetur, ſive faciendo, quod oportet fieri, ſive omittendo, quod omitti alteri convenit. Hæc virtus eſſentialiter eſt ad alterum, in quo jus activum reſidet, & ideo nullus propriè, nec injuriam, nec juſtitiam ſibi ipſi facit.

4 Juſtitia dividitur *in Commutativam, Diſtributivam, Legalem, & Vindicativam. Commutativa* eſt, quæ rectè ordinat partem Communitatis ad partem, ſeu unum hominem privatum ad alium, reſpicitque jus alterius ſtrictè dictum, ſcilicet jus proprietatis, cujus violatio obligationem reſtituendi, & damnum reparandi inducit, exigitque proportionem arithmeticam, ſeu perfectam æqualitatem inter jus activum unius, & jus paſſivum, ſeu debitum alterius. Hæc verſatur in contractibus, commutationibus, teſtamentis, matrimoniis, delictis, & quaſi delictis. Et ad eam præcipuè ordinatur totus *Liber. 11. Decretal.* ut ſcilicet, unicuique jus ſuum per ſententiam Judicis tribuatur. *Diſtributiva* eſt, quæ ordinat totum ad partes, ſeu Communitatem ad Cives, inter quos bona Rei-

pu-

publicæ communia, honores videlicet, & onera, juxta meritorum, virium, & facultatum proportionem distribuit, observatque proportionem Geometricam, qualis est inter merita, & præmia. In ea enim non accipitur medium secundum æqualitatem rei ad rem, sed secundum proportionem rerum ad personas, ut scilicet, sicut una persona excedit aliam, ita etiam res, quæ datur uni personæ excedat rem, quæ datur alij. *D. Thom. 2. 2. q. 61. art. 2.* Et qui ipsam violat non dicitur proprie injustus, nec ad restitutionem tenetur, sed acceptor personarum dicitur *D.Thom. 2. 2. q.73. art.1.* Et hæc versatur in electionibus, institutionibus, præsentationibus, in dispensatione honorum, præmiorum, & etiam rerum spiritualium. *D. Th.2.2. q. 73. ex art.2.* *Legalis* est, quæ respicit primo,& per se bonum Communitatis, vel Reipublicæ ejusque conservationem, vel augmentum per Legum observantiam obtinendum, ordinatque membra ad Communitatem, seu Cives ad Rempublicam: ad ipsamque spectant Leges, Constitutiones, Rescripta, & Consuetudines. *Vindicativa* est, quæ bonum Reipublicæ procurat, puniendo delicta, pœnasque condignas infligendo, pro gravitate delictorum, ne nimia remissione libertas crescat delinquendi, cum plura sint delicta, in quibus est culpa relaxare vindictam. Ad hanc partem pertinent, quæ de criminibus, & eorum pœnis in jure tractantur.

5 Jus, prout derivatur à jubendo, est idem, ac jussum, seu lex, & est mensura, & regula justi, triplexque est; *Jus Naturale, Gentium, & Civile, c. 6. D. 1. tot. tit. inst. de Jur. Natur. Gent. & Civili. Lex naturalis*, ait *D. Thom. 1. 2. q. 91. art. 2. nihil aliud est, quam participatio legis æternæ in rationali creatura.* Deus enim cognita objecti malitia, vel bonitate, quia disconveniens, vel conveniens est Naturæ rationali, ut Legislator Supremus illud prohibet, vel præcipit, juxta illud *David in Psalm. 4. Quis ostendit nobis bona?* & ipse respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Et *Apost.* ad Rom. 2. v. 15. loquendo de Gentilibus ait: *Qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis.* De quo plura affert *Exim. D. V. P. Franciscus Suar. de Legib. lib. 2. cap. 5. & 6.* Ratio ergo naturalis, seu conscientia, quæ Græcè *Synderesis* dicitur, hoc nobis principium proponit, & dictat: *Quod tibi non vis, alteri ne facias & è contra.* Hinc oriuntur tria illa juris prin[ci]pia: *honeste vivere: alterum non lædere: suum cuique tribuere. L. 10. §. 1. ff. de just. & jur.* Hinc discurrendo descendit ratio ad has consequentias: ergo non licet facere homicidium, adulterium, furtum, &c. Huc ergo pertinent Decalogi præcepta, aliaque, quæ ex dicto principio inferuntur, juxta illud Christi D. apud *Matth. 7. v. 12. Omnia, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc est enim Lex, & Prophetæ.* Ubi Cornel. ait: *Omnia illa ex hoc primo Naturæ dictamine, & primo Philosophiæ Moralis principio oriuntur. Et Abul. in Matth. c. 7. q. 23.* ait: *Non solum est per se una regula; imo includit totum Jus Naturale.* Latè *Suar. de Leg. lib. 2. cap. 5. & 6. Molin. de Just. & jur. tract. 5. D. 47.*

6 Sanè Jus Naturale apprime describitur in *C. 7. D. 1.* ibi: *Jus Naturale est commune omnium Nationum, eo quod ubique instinctum naturæ, non constitutione aliqua habetur, ut viri, & fœminæ conjunctio, liberorum successio, & educatio: communis omnium possessio, & omnium una libertas, adquisitio eorum, quæ cœlo, terra, marique capiuntur, item depositæ rei, vel commendatæ restitutio, violentiæ per vim repulsio. Nam hoc, aut si quid huic simile est, nunquam injustum, sed naturale, æquumque habetur.* Jus Naturale aliud est *præceptivum*, quod scilicet, nobis indicit, quid faciendum est necessariò; quia honestum; v. g. *Deum colere, parentes honorare, servare fidem.* Aliud est *prohibitivum*, quod scilicet, nobis dictat, quid sit necessario fugiendum, quia inhonestum; v. g. perjurium, blasphemia, mendacium. Aliud denique est *permissivum*, quod scilicet, nec præcipit, nec prohibet, sed permittit aliquam actionem, quia est indifferens, ut est ambulatio. Sed Jus Naturale sic permittens non coarctat legem positivam, ne talem actionem præcipiat, vel prohibeat; imo pro casu talis prohibitionis à lege positiva factæ non permittitur à Jure Naturali talis actio. Quando præceptum est *negativum*, v. g. *non occides*, obligat *semper*, & *pro semper*, & adimpletur præcisè abstinendo ab actione prohibita. Præceptum *affirmativum*, v. g. *honora parentes*, obligat *semper*, *sed non pro semper*, sed solum quando esset mala omissio actus præcepti, & est necessaria actio positivè ad illius implementum.

7 Quando Ulpianus dicit *in l. 1. ff. de just. & jur.* quod *Jus Naturale est*, quod *Natura omnia animalia docuit*: non intelligitur de jure verè, & propriè tali, sed solum per analogiam ad Jus Naturale, cum bruta careant ratione, quæ est fundamentum totius juris juxta *Arist. & D. Th.* sed

quia ipsa per instinctum faciunt, quæ homines faciunt recta ratione duce. Sic dicitur: *Prov.* 8.*v.* 29. *Legem ponebat aquis*, licet non esset verè,& propriè lex. Jus Naturale est immutabile ex sua natura. §. 11. *Inst. de jur. Nat. Gent. & Civil. Arist. Ethicor.* 5. Sed tota mutatio, quæ aliquando contingit circa ea, quæ sunt juris Naturalis provenit ex mutatione alicujus circunstantiæ in qua aliquid non est hic, & nunc objectum juris Naturalis, sicut esset, seclusa tali circunstantia. Sic licitum est, hominem natura sua liberum, facere servum, ut servetur, casu, quo justè posset in bello occidi. §. 2. & 3. *Inst. de jur. person.* Sic mihi hominem occidere licet, ad propriam defensionem, ne ab illo occidar. Sic Israelitæ spoliarunt Ægyptios, Deo Supremo Domino Cœli, & Terræ in illos transferente earum rerum dominium. Similitèr Abraham, cum consensit occidere filium, non consensit in homicidium, quia debitum erat eum occidi per mandatumDei,qui est Dominus vitæ, & mortis. Etiam Oseas accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non est mœchatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam, quæ jam sua erat. *D. Th.* 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. *ad* 3. vide *Tyrin. in c.* 1. *Oseæ*, quæ quidem omnia, cum pro illis circunstantijs licita essent, non erant prohibita jure naturæ. In jure Naturali præceptivo, nec à Deo potest dispensari directè. *D.Th.* 1. 2.*q.*100. *art.*8. *Et ideo præcepta Decalogi sunt omnino indispensabilia*, quia quæ jure naturali sunt prohibita, sunt intrinsecè mala, & inhonesta; ac proinde, nulla potentia possunt fieri licita, & honesta, cum rerum essentiæ sint immutabiles.

8 *Jus Gentium*, juxta *text. in C.* 9. *D.* 1. *est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates servitutes, post liminia, fœdera, paces, induciæ Legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita. Hoc inde jus Gentium appellatur, quia eo jure omnes ferè Gentes utuntur. Ex hoc jure Gentium*, ait *Justin. in* §. 2. *Inst. de jur. nat. Gent. omnes penè contractus, introducti sunt, ut emptio, & venditio, locatio, & conductio, societas, depositum, mutuum, & alij innumerabiles. Jus Civile*, juxta *text. in C.* 8. *D.* 1. *est quod quisque Populus, vel quaque Civitas sibi proprium, Divina, humanaque causa, constituit. Sed quoties*, ait *Justin. in* §. 2. *Inst. de jur. Natural. non addimus nomen, cujus sit Civitatis, nostrum jus* (id est Romanum) *significamus sicuti, cum Poëtam dicimus, nec addimus nomen subauditur, apud Græcos Egregius Homerus, apud nos Virgilius. Constat*, ait ipse *Justin. in* §. 3. *Inst. de jur. Nat. jus nostrum, quo utimur aut scripto, aut sine scripto, scriptum autem jus est Lex, plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, Magistratuum edicta, responsa prudentum.*

9 *Lex est quod PopulusRomanus Senatorio Magistratu interrogante, veluti Consule, constituebat. Plebiscitum est quod Plebs, plebejo Magistratu interrogante, veluti Tribuno, constituebat: appellatione Populi Universi cives significantur, connumeratis, etiam Patritijs, & Senatoribus. Plebis autem appellatione, sine Patritijs, & Senatoribus cæteri cives significantur. Sed & Plebis cita Lege Hortensia lata, non minus valere, quam Leges cæperunt. Senatusconsultum est, quod Senatus jubet, atque constituit. Sed & quod Principi placuit Legis habet vigorem. Cum Lege Regia, quę de ejus imperio lata est, Populus ei, & in eum omne imperium suum, & potestatem concedat. Quodcumque ergo Imperator per Epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel Edicto præcepit, Legem esse constat. Magistratuum Edicta, aut Prętorum sunt jussa à Magistratibus, vel Prętoribus provenientia.* Hoc enim jus *honorarium* appellabatur, eo quod qui honorem gerunt, id est, Magistratus auctoritatem huic juri dederunt. Hoc ergo *jus Prętorium* introduxerunt Prætores adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris Civilis graria, propter publicam utilitatem: nam jus honorarium viva vox erat juris Civilis. *L.* 7. *l.* 8. *ff. de just. & jur. Ædiles Curules* de quibusdam causis Edictum proponebant, quod, & ipsum juris honorarij portio erat. Tales sunt ædilitiæ actiones *redhibitoria, quanti minoris, & in factum* de quibus multæ Leges in *Tit. ff. de ædilit. edict.* & *Cod. de ædilit. action.* Dicebantur *Ædiles*, id est, *conservatores sacrarum ædium, Curules*: quia pro majori sui muneris authoritate gestabantur Curru, vel sede eburnea. *Responsa prudentum sunt sententiæ, & opiniones eorum, quibus permissum erat, de jure respondere, qui Jurisconsulti appellabantur.* Quæ omnia cum historia jurisCivilis à primis incunabulis constat ex *Tit.Inst. de jur. Natur. Gent.& Civil.* & larius ex *l.* 2. *ff. de origin. jur. Leg.* 2. *C.de Veter. jure. Enucl.*

10 In omnibus his juris speciebus adeo multa statuta erant, ut pene bismille libri numerarentur, & plusquam treciescentena millia versuum, quibus jura continebantur. Sed Imperator Justinianus hanc immensam vastitatem in compendium

dium moderatum redegit, rejectis, & expunctis superfluis, & contrarijs: Composuitque *Corpus juris civilis*, quod nunc habemus, & in Scholis utimur. Hoc ergo jus ex pluribus constat partibus. Prima est *Digestum*, sic dictum, quia Justin. omnia veterum Juris Consultorum responsa in 50. Libros redegit, & quasi digessit. Estque in tria volumina distributum. Primo dicitur *Digestum Vetus* continetque 24. Libros. Secundum dicitur *Infortiatum*, quia continet Leges circa Testamenta, & ultimas voluntates, quæ fortissimæ sunt, complectiturque 14. Libros. Tertium dicitur *Digestum novum*, continetque 12. Libros. Digesta Græcè *Pandectę* dicuntur, quasi contineant in se omnes disputationes, & decisiones legitimas teste Nebrissensi. Quando Digesta citantur, vel formatur majuscula *D.* vel Græcum *π* vel duplex ff. & hic usus invaluit: nam cum Olim citarentur per Græcam littera *π* quæ est initialis in hac voce *Pandectę*, habeatque aliqualem similitudinem cum duabus ff. paulatim ex errore Librariorum, citari cæpit per duas *ff.* atque ita apud Juristas invaluit. Melior modus citandi tum Leges, tum Canones, est apponere numerum Legis, vel Canonis, hoc modo text. in *l.* 31. *ff. de Legib. text. in l.* 1. *D. de Pactis* quod si Lex est divisa in §§. & versic. citatur sic. *L. Cum aurum*, 19. §. *Lectum*, 8. v. *Sed nec candelabra*, *ff. de Aur. & arg. legat.*

11 Secunda pars Juris Civilis est *Codex*, ita dictus per antonomasiam, quia quamvis omnis liber possit vocari *Codex*, id est, *Caudex*, & truncus arboris, teste Nebrissensi, cui ad scribendum cortex detrahebatur: hic dicitur Codex sine addito propter excellentiam, quia continet in se Imperatorum rescripta, & Constitutiones. Constatque 12. Libris. Et ejus Leges citantur per majusculam C. Sed si aliqua Lex allegatur ex tribus ultimis Libris Codicis, additur numerus Libri hoc modo. *L.* 1. *C. de Sum. Trinit. L.*5. *de Jur. Fisc. Lib.*10. *L.*3. *C. de Castr. pecul.* Tertia pars Juris Civilis est *volumen* Authenticorum in 9. Collationes divisum, ita dictas, quia in illis sunt collectæ Constitutiones Justin. quæ post Codicem jam editum, sunt factæ, & vocantur *Novellę*, seu jus novissimum. Sicque citantur *Auth. de Testib.* 90. *cap. Sancimus*, *coll.* 7. Hodie vero expeditior, & frequentior modus citandi est hic: *Nov.* 74. *cap.* 2. Summa omnium Novellarum hodie extantium sunt 168. Ex hoc volumine Authenticorum translatæ fuerunt in Codicem, & Congruis Titulis appositæ ab Irnerio quædam Leges, quæ Authenticæ vocantur, cum cæteroquin, Lex ut inclusa in Authenticorum volumine *Authenticum* nuncupetur. Et citantur sic. *Auth. Si qua mulier*, *C. de Sacros. Eccles.* Inveniuntur in eodem Authenticorum volumine duo Libri fœudorum, tredecim Edicta Justin. & aliorum Imperatorum Constitutiones, &c. quas ibidem, si libet, videre poteris.

12 Quarta pars continet Institutiones Justiniani, quæ sunt quoddam Legum Compendium. Et in quatuor Libros dividuntur. Tempore enim Justinian. tres Codices reperiebantur, nempe Gregorianus, Hermogenianus, & Theodosianus, de quibus fit mentio *in L. un. C. de Novo, Cod. faciend.* quibus abrogatis authoritate Justin. fuit quidam Codex Compilatus, quem Justinianeum dixerunt, postea fuerunt edita Digesta, & Institutiones, in quibus fit mentio hujus Codicis. Ut constat *ex* §. *Sed nec hujusmodi*, 27. *Just. de legat.* postea jussu ejusdem Imperatoris ille idem Codex Justinianeus fuit emendatus, & hunc Codicem, qui dicitur *repetitę prælectionis* nunc habemus, & hic fuit Editus post Institutiones Justiniani. *L. un. C. de Emendat. Cod. Justin.* Et in hoc fit mentio Institutionum jam antea compositarum. *L. Meminimus*, 15. *C. de legit. hæred.* Et hinc solvitur difficultas, quæ ex prædictis Textibus poterat oriri. Institutiones non citantur per Leges, sed per §§. citando principium, vel numerum, §. & postea Titulum, hoc modo, §. *Per traditionem* 40. *Inst. de Rer. divis.*

13 Præter has juris species, quas agnoverunt J. C. debemus addere, & dividere Jus positivum in *Divinum*, *Canonicum*, & *Hispanum*. Jus Divinum est Lex à Deo Legislatore data, tum in Veteri, tum in Novo Testamento. *Jus Canonicum*, quod etiam dicitur *Pontificium, Sacrum, & Ecclesiasticum*, sumpta denominatione ab illius Authore, & materia, *est quod Civium actiones ad finem æternę beatitudinis dirigit.* Sic *Lancel. in pr. Inst. Canon.* Et ideo dicitur Canonicum per antonomasiam. Nam *Canon Græcè, Latinè regula nuncupatur*, *c.* 1. *D.* 3. *regula dicta est eo quod rectè ducit*, *nec aliquando aliorsum trahit*, *vel quod regat*, *vel quod normam rectè vivendi præbeat*, *vel quod distortum*, *pravumque corrigat*, *c.* 2. *D.* 3. quæ omnia, ut facile patet, Juri Canonico maximè conveniunt, ubi fere nihil occurrit, nisi regulæ quibus Christianus docetur, honeste vivere, alterum non lædere, & suum cuique tribuere, ut ait, *Greg. IX. in Bulla Rex Pacificus* in fronte Decretalium posita. Aliquando vocatur

Jus

Jus Divinum, sed lato modo; *C. 2. de Privileg. in 6.* Tum quia *ex authoritatibus Veteris, & Novi Testamenti processerunt Canonicæ Sanctiones*, *c. 24. de Accusat.* Tum quia Canones instinctu, ac dono Spiritus Sancti dictati sunt, ut ait, *L. Damasus Pap. in c. 5. 25. q. 1.* Et hinc patet illius excellentia, & utilitas, quam commendant Henr. Canif. Cardin. Hostiens. qui ait: *Hæc nostra Lex, sive scientia verè potest scientiarum scientia nuncupari.* Pirhing. ait: *Quantumcumque labor hic sit difficultate ferreus, utilitate tamen est aureus. Melch. Can. de Locis Theolog. lib. 8. Mend. de jur. Acad. L. 1. ex n. 524. Soto in proœm. de Just. & jur. & alij*, qui dicunt, hanc scientiam esse valdè utilem, & necessariam, non solum Civilistis, sed & Theologis, cum sit portio quædam Theologiæ, & partialis quædam Theologia, quæ practica vocatur. Hæ duæ scientiæ sunt veluti Sorores; sed si Theologia est Rachel pulchra, hæc Canonum facultas est Lia fœcunda quid mirum quod decernatur *in c. 1. D. 38. sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, & Canones.* Sed pro maxime nostri juris commendatione audiamus Sum. Pont. *Innoc. IV. in c. 2. de privil. in 6.* ibi: *Cum de diversis Mundi partibus multi confluant ad Sedem Apostolicam, quasi Matrem, Nos ad communem tam ipsorum, quam aliorum omnium commodum, & profectum, paterna solicitudine intendentes, ut sit eis mora hujusmodi fructuosa providimus, quod ibidem de cætero regatur, & vigeat studium Juris Divini, & Humani, Canonici, videlicet, & Civilis.* Et certè quidem qui in jure Canonico benè versatus sit, & alijs, & sibi utilis erit, & ad Dignitates Ecclesiasticas, & Sæculares apprime aptus invenietur, erit enim tanquam Aod, qui utraque manu pro dextera utebatur: & maximè ad publicam utilitatem ejus studium proderit, nam ut ait Rex Noster Alphonsus, re, & cognomento *Sapiens*, *in l. 8. tit. 31. p. 2. La esciencia de las Leyes es como fuente de justicia, è aprovechase de ella el Mundo, mas que de otra esciencia.* Denique *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 18.* vocat Canones Sacratissimos. Sed his non obstantibus non desunt scioli, qui non cessant contra juris scientiam oblatrare, sed ideo blasphemant, quia ignorant.

14 Jus ergo Canonicum originem ab Apostolis trahit, nam hi ad gubernandam Ecclesiam varias sanctiones ediderunt, quæ quidem ab initio non fuerunt scriptæ, sed ad instar traditionum observabantur, donec postea à S. Clemente B. Petri Discipulo, & successore Græcè fuerunt conscriptæ sub nomine Canonum Apostolorum: quas sanctiones Dionysius Scyta Abbas Romanus, cognomento *Exiguus* An. 527. in idioma Latinum transtulit simul cum alijs Constitutionibus Ecclesiasticis. Hanc collectionem Nicolaus Papa Canonum Codicem appellat *in c. 1. D. 19.* Aliam collectionem fecit *Isidorus Hispalensis*, vel *Mercator*, ut aliqui volunt, & tandem in lucem prodit *Corpus Juris Canonici*, quo hodie in Scholis, & toto utimur. Hoc quidem in 5. partes dividitur. 1. pars Juris Canonici est *Decretum* à Gratiano Hetrusco Monacho S. Proculi apud Bononienses compilatum, in quo opere elaborando 24. annos consumpsit, scilicet ab *An.* 1127. usque ad *An.* 1151. quo in publicam lucem editum fuit, & ab Eugen. III. communiter refertur, approbatum. Illud appellavit Gratianus *Concordantiam discordantium Canonum*: constatque ex varijs. Sacræ Scripturæ Textibus, SS. Pontificum, & Conciliorum Decretis, SS. Patrum authoritatibus, & Imperatorum Legibus. In ipso etiam aliqua capitula inveniuntur sub hoc nomine *Palea*, non quod talia capitula, & eorum sententiæ sint res leves, & nullius ponderis, sicut est palea respectu tritici: sed sunt quædam additiones, vel ab ipso Gratiano factæ, vel à Palea ejus Discipulo, quem aliqui *Protopaleam* vocant. Et hujusmodi Paleæ sunt 116.

15 Hoc Decretum in tres partes dividitur. 1. enim continet 101. distinctiones, quæ dividuntur in capita, hæc in §§. hi in versiculos, vel articulos: sicque citantur *Text. in c. Cleros 1. v. Antistes, D. 21.* Secunda pars continet 36. causas, casus, seu controversias, quæ dividuntur in quæstiones; hæ in capita; hæc in §§. hi denique in articulos, seu versiculos quando citantur, omittitur nomen *causa*, solumque ponitur numerus illius, hoc modo *Text. in c. Si quis suadente diabolo 29. 17. q. 4. scilicet cap. 29. in causa 17. in quæstione 4.* Post causam 33. *q. 3.* est insertus quidam tractatus de *Pœnitentia*, qui continet 7. distinctiones, & quælibet harum diversa capita, sicque citantur *Text. in c. Radicata 3. de Pœnit. D. 2.* Tertia denique pars continet 5. *Distinctiones de Consecratione*, quæ dividuntur in capita, §§. & versiculos, sicque citantur *Text. in c. Apostolica 68. de Consecr. D. 1.* postea recensentur Canones pœnitentiales, qui sunt 47. ultimo loco inveniuntur Canones Apostolorum, qui sunt 84. quorum authoritatem firmat, & probat *Gonzal. in Apparat. n. 42.* & constat *ex c. 4. D. 16.* ac proinde Canones, qui nuncupantur apocryphi *in C. 1. D. 16.* sunt, qui ab Hæ-

Hæreticis sub nome Apostolorum compositi dignoscuntur. Et sic citantur *Can. 19. Apostol.* Hoc Gratiani Decretum à pluribus mendis jussu Greg. XIII. fuit repurgatum *An.* 1580.

16 Secundam Juris Canonici partem constituunt quinque libri Decretalium, qui in varios titulos, hi in capita, hæc in §§. & versiculos dividuntur. Hanc compilationem, qua nunc utimur, post varias antiquiores maxima diligentia, & studio ex varijs Concilijs, & Epistolis SS. Pontificum sub Titulo, cui correspondebat illorum materia, elaboravit, & digessit S. Raymundus de Peñafort illustrissimus Hispanus, Jurisprudentiæ Canonicæ fulgentissimum sydus, & Ordinis Prædicatorum ornamentum nobilissimum, potissima materia, & ordo 5. Decretalium Librorum hoc versu significantur.

1 2 3 4 5
Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

Et hoc modo citantur *Text. in c. Licet el 1. Extra de testib. & attest.* quo significatur, illud caput, incipere: *licet*: & esse primum, non respectu Tituli, sed tantum ex capitibus, quæ hac voce *licet* incipiunt, ut sic distinguatur à capitibus 47. & 49. quæ eadem voce incipiunt, ly *Extra* additur ab aliquibus, præcipuè, ab antiquis ad denotandum, illum Textum *extra* Decretum Gratiani inveneri. Sed hoc non est necessarium; itaque expeditior, & usitatior modus citandi est hic: *Text. in c. Licet 23. de Testib. & attestation.*

17 Tertia pars est *sextus* Decretalium à Bonif. VIII. Collectus ex varijs diversorum Pontificum, scilicet, Greg. X. Innoc. IV. Clem. IV. ac aliorum, & etiam ipsius Bonifacij VIII. responsis. Et sub *An.* 1298. fuit promulgatus. Dicitur *sextus*, quia additus est quinque Libris Decretalium, & continet, eosdem Titulos (licet non omnes) quinque Librorum Decretalium: citanturque hoc modo *Text. in cap. Fundamenta 17. de Elect. in 6.* Quartam partem Juris Canonici faciunt Constitutiones, quas *Clem. V.* in Concilio Viennensi sub *An.* 1310. celebrato ex suis Constitutionibus, ac Decretalibus epistolis collegit: & ideo *Clementinæ* appellantur. Has promulgavit *An.* 1317. Joannes XXII. Clem. V. successor. Continetque eosdem Libros, ac Titulos (licet non omnes) juxta ordinem, ac modum, Librorum Decretalium, ac sexti, citanturque hoc modo *Text. in Clem. Dudum 2. de Sepultur.* Quinta pars continet *Extravagantes* Constitutiones, quas confecerat Joannes XXII. & quia diu extra corpus juris, quasi in certa sede vagabantur, *Extravagantes* dictæ sunt; quod nomen adhuc retinent, quamvis in corpus juris translatæ sunt, quibus post modum aliæ etiam Constitutiones ab alijs factæ Pontificibus accesserunt, ac sub nomine *Extravagantium communium* in corpore juris inveniuntur, & sub hac diversitate etiam citantur, hoc modo. *Extr. Sedes Apostolica 1. Joan. XXII. de Concess. prebend. Extr. Etsi deceat 3. de Major. & obed. int. comm.*

18 Accessit denique Liber *septimus* Decretalium, quem ex varijs Constitutionibus collegit Petrus Matthæi J. C. Lugdunensis juxta ordinem quinque Librorum Decretalium. Sed cum hæc collectio authoritate privata facta sit, & à nullo Pontifice sit confirmata, Constitutiones illic citatæ non aliam authoritatem habent, quam illam, quam in se independentèr à tali collectione habent. idem dicendum est *de Institutionibus Canonicis à Joan. Paul. Lanceloto J. C. Perusino* conscriptis.

19 Omnia quæ continentur in Decretalibus, sexto, Clementinis, & Extravagantibus habent vim Legis universalis, & jus faciunt in foro Canonico, etiamsi aliqua capita desumpta sint ex dictis SS. Patrum, vel Concilijs particularibus; quia cum à SS. Pontificibus sint assumpta, & quasi propria facta, ab ipsis authoritatem participant. *L. 1. §. 6. c. de Veter. jur. enucl.* ibi: *Omnia enim merito nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impartietur authoritas. C. 22. de Præbend. in 6. Gonz. in Appar. n.* 50. De Gratiani Decreto dubitatur, an omnia in eo contenta juris, & legis universalis authoritatem habeant? Affirmant *Abb. Felin. Morla, & alij.* Sed plures hoc negant cum *Suar. de Legib. l. 4. cap. 5. n. 6. Sanch. de Matrim. lib. 9. d. 12. n. 5. Gonz. in Apparat. n.* 50. qui dicunt, & benè quidem, singula referenda esse ad Authores, ex quibus desumpta sunt. Et cum ibi plures SS. Patrum sententiæ inveniantur, qui licet scientia præditi sint, jurisdictione tamen carebant, quæ est necessaria omnino ad legem condendam *c. 1. d.* 20. pluraque sint ibidem Decreta Conciliorum particularium; imo & Imperatorum Leges, quæ jus Ecclesiasticum non possunt constituere ex ratione, *l. fin. ff. de jurisd.* ibi: *Extra territorium jus dicenti impune non paretur; idem est, si supra jurisdictionem suam velit jus dicere.* Et cum aliunde Romani Pontifices, ipsis non communicaverint hanc vim, & authoritatem, ea omnino carent. *Arg. à contr. l. 1. c. de Veter. jur. enucl.* nec tales leges, & sententiæ sunt canonizatæ ex eo

præ-

præcisè, quod in Decreto à Gratiano sint inclusæ; retinent tamen authoritatem, quæ ipsis est propria, & quam haberent, etiam independenter à tali inclusione.

20 Circa SS. Patrum authoritatem ait: *Glos. in c. 6. D. 69. Augustino magis credendum est in disputationibus, Hieronymo in historijs, & translationibus; Gregorius in Moralibus præponitur. Stylus* Curiæ regulariter pro lege servatur *c. 6. de Crim. falsi Gonz. in reg. 8. Cancel. glos. 6. n. 210. Constitutiones Extravagantes*, quæ à parte allegantur, debent sub authentica forma plumbatæ exhiberi extra Romanam Curiam; at vero in eadem Curia, sufficit, quod sub signo Vice-Cancellarij edantur. *Gonz. in Apparat. n. 57.* idem dicendum est de *Bullario Magno*; quia a nullo Pontifice approbatum est. *Regulæ Cancellariæ* observari debent, quia ex intentione Pontificis omnes obligant. *Gonz. in Apparat. n. 57. contra Dicium & alios.* Declarationes *Congregationis Tridentini*, si factæ sint consulto R. Pontifice, & de hoc constet in ipsa Declaratione, & sint munitæ sigillo, & subscriptione Em. Card. Præfecti, & Secretarij Congregationis, & non excedatur facultas declarandi; nec amplietur, nec restringatur Concilij Decretum, sed tantum interpretetur, & aliunde publicè promulgentur, vim legis habent; secus aliter, licet magnum dissidium sit inter DD. Aliæ Congregationes Romæ inveniuntur quales sunt 1. Congregatio *super negotijs Episcoporum, & Regularium. 2. Jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ. 3. Rituum. 4. Pro Indice Librorum prohibitorum. 5. de Propaganda Fide. 6. S. Officij Inquisitionis*, & aliæ. De ipsarum Decretis fere eodem modo discurrendum est, ac de Congregatione Tridentini.

21 Decisiones *Sacræ Rotæ* in Romana Curia adinstar styli jus faciunt: Extra Curiam tanquam responsa prudentum faciunt communem opinionem, à qua non est recedendum, nisi in contrarium validissimæ rationes militent. Idem fere de *Glossis* dicendum est; quæ quidem in causarum ambiguarum decisionibus amplectendæ sunt, & comm. DD. sententiæ præponendæ nisi jam ab ea communiter DD. recedant. *Glossa* Græcè, Latine dicitur *lingua*; quia ipsa, tanquam lingua declarat sensum Legum, & Canonum. *Rubricæ* (sic dictæ quia olim rubris litteris scr bebantur) seu *Tituli* in Decretalibus, Sexto, & Clementinis præfixi, si orationem perfectam contineant ut hic: *Ne Sedevacante aliquid innovetur*. Vim juris habent ad causas decidendas. Si orationem perfectam non contineant, ut hic: *de Constitutionibus*: vel *de Rescriptis*, licet non dispositivè ob imperfectionem sensus, declarativè tamen, vel extensivè: vel ex situatione, vel ordine Titulorum possunt allegari: & Textus interpretantur ita, ut conveniant rubricæ, seu Titulo, sub quo positi sunt. Sed si inter rubrum, & nigrum, seu Textum, esset aliqua contradictio: vel si esset necessaria alteriutrius correctio, nigrum ut magis speciale, magisque deliberatum restringit rubrum. *Summaria* Capitulorum, quæ ipsis fuerunt addita ex scriptis diversorum DD. præsertim Abbatis Panormitani, Joannis Andr. Dominici, & aliorum, licet ex se non habeant vim authenticam, & decisivam, nisi quatenus concordant cum Text. subsequenti, in magna tamen æstimatione sunt habenda. Super scriptiones Decretalium sunt Authenticæ atque ex illis in jure validum est argumentum, quia totum volumen Decretalium, in quo ipsæ continentur, est approbatum à Papa. De quibus omnibus consulendi sunt. *Gonz. in Reg. 8. Cancel. Jacob. Menoch. de Præsumption. lib. 2. præs. 71. Garc. de Benef. Cevall. Com. opin. tom. 1. in præfat. Gonz. in Apparat. & alij passim.*

22. Jam ergo deveniamus ad jus nostrum Hispanum. Leges primo in nostro Regno conscriptæ fuerunt Leges *fori Judicum. Hispane fuero Juzgo*, quas ad certum volumen primo Rex Sisinandus, & postea D. Isidorus redegit, & ipsis gubernata fuit Hispania usque ad tempora Roderici ultimi Regis Gothorum. *Machad. in Sum. l. 3. p. 4. tr. 2. doc. 8.* Hoc volumen continet 12. Libros, divisos in titulos; qui rursus in Leges dividuntur, & hoc modo citantur. *L. 8. tit. 2. lib. 3. for. Judic.* postea Rex Alphonsus IX. fecit forum Regium, continetque 4. Libros, similitèr in Titulos, & Leges divisos. Et hoc modo citantur. *L. 4. tit. 15. lib. 2. for. Reg. Leges Styli* editæ fuerunt ad declarationem aliquarum Legum fori, suntque 252. Et sic citantur. *L. 50. Styli.* Alphonsus Sapiens, post quartum annum, & 23. dies, quo Regnum gubernabat incæpit *An. 1251.* præclarissimum *Partitarum* opus, quod post septem annos finitum fuit, sicut habetur in earum proœmio. Et continet septem *partitas, seu partes*, quæ in Titulos, & Leges dividuntur, sicque citantur. *L. 18. tit. 5. p. 2.* circa illarum Authores dicit *Mendo de jur. Acad. l. 1. q. 7. n. 131. ex Salmantina Academia jussu Alphonsi Sapientis prodierunt illi Sapientissimi Viri, qui Leges septem Partitarum condiderunt. Ordinamentum Regium* fuit factum

à

à Regibus Ferdinando V. & Elisabetha, quod continet 8. Libros, divisos in Titulos, & Leges. Et sic citantur *L. 2. tit. 1. lib. 3. Ord.* Postea ipsi Reges quasdam Leges ediderunt, quæ non potuerunt promulgari usque ad diem 7. Martij *An.* 1505. in Curijs Tauri celebratis, & ideo appellantur Leges Tauri. *Hispane Leyes de Toro*, suntque 83. Et sic citantur. *Leg. 40. Taur.* Philippus II. jussit compilari varias Leges, & Pragmaticas Sanctiones, ex quibus compacta fuit Nova Recopilatio Castellæ; quæ confirmata fuit *die* 14. *Mart. An.* 1567. in cujus compositione successive insudarunt doctissimi Viri Petrus Lopez de Alcocer, Doct. Escudero, Petrus Lopez de Arrieta, & Bartholomæus de Atienzo. Huic compilationi fuerunt additæ *An.* 1640. aliquæ Leges, & Sanctiones: continetque 9 Libros in Titulos, & in Leges divisos. Et citantur *sic L. 16. tit. 1. lib. 4. R. Cast.* Denique Carolus II. sua Pragmatica Sanctione data Matriti die 18. *Maij An.* 1680. jussit promulgari Novam Recopilationem Indiarum, quæ novem itidem Libros habet divisos in Titulos, & Leges. Et hoc modo citantur *Leg. 8. tit. 24. lib. 2. R. Ind.* usus vos plura docebit.

23 Omnes Leges, utriusque Recopilationis, Tauri, & Partitarum sunt servandæ à Judicibus, in causis decidendis, etiam si allegetur, non esse usu receptas, ut constat ex *L. 1. Taur.* & ex Pragmaticis Recopilationis. Allegatis Legibus fori, & Styli, est necessarium probare illarum usum, nisi forte in Recopilatione sint insertæ nam tunc sufficit, eas allegare. Sic *Acev. in l. 3. tit. 1. lib. 2. R. C. n. 12.* quamvis alij dissentiant. In his Indiarum Regnis pro decisione causarum, debent ante omnia inspici Schedulæ Regiæ speciales, si quæ sunt ad illam Cancellariam, vel Civitatem directæ: his deficientibus jus Commune, quod in ipsa Recopilatione Indiarum invenitur, inspici oportet: in ejus defectu recurrendum est ad Recopilationem Castellæ, Partitas, &c. Pragmaticæ Hispaniæ hic non debent servari, nisi sint expeditæ à Supremo Regio Indiarum Consilio, *L. 39. l. 40. tit. 1. lib. 2. R. Ind.* Deficientibus Legibus Regijs, etiam in foro Sæculari, recurrendum est potius, ad jus Canonicum, quam Civile, & è contra, deficiente Textu Canonico in foro Ecclesiastico debent Judices Ecclesiastici secundum Leges Regias judicare. *Arg. text. in c. 1. de Nov. oper. nunciat. L. 1. Taur.* & ita tenent *Montalvo, & Palac. Rubio, apud Salon de Paz in l. 1. Taur. n. 590.* licet ipse teneat contrarium. Imo olim in nostra Hispania constitutum erat, teste *Oldrado conf. 69.* quod quicumque allegaret in Judicio Leges Imperatorum capite puniretur: quia hoc erat Imperatorem, ut Superiorem recognoscere: possunt vero citari Leges Civiles, non tanquam Leges, sed tanquam ratio naturalis, sicut allegantur dicta Philosophorum, vel Poetarum. *Gregor. Lop. in l. 6. tit. 4. p. 3. v. por las Leyes.*

24 Principales Glossatores juris sunt sequentes. Juris Civilis, Accursius Florentinus. Decreti Gratiani Joannes antiquus Glossator, & Bartholomæus Brixensis. Decretalium, Bernardus Parmensis. Sexti, & Clementinarum Joannes Andreas Bononiensis. Extrav. Joan. XXII. Zenzelinus de Cassanis. Extrav. Com. Joannes Monachus, Guillelmus de Monte Lauduno, & Joannes Franciscus de Pavinis. Fori Judicum D. Alphonsus Villadiego. Fori Legum D. Alphonsus Diaz de Montalvo. Legum Styli Christophorus de Paz. Ordinamenti Regij, Doct. Didacus Perez de Salamanca. Septem Partitarum Gregorius Lopez. Legum Tauri sunt plures, sed præcipuus est Antonius Gomez. Recopilationis Castellæ Doct. Alphonsus de Acevedo. Recopilationis Indiarum nullus specialis Glossator invenitur, possunt tamen in Glossatores haberi. Doct. D. Joannes de Solorzano, D. Petrus Frasso, D. Gaspar de Escalona, & P. Avendaño. Qui jus profitentur debent suas propositiones aliquo Textu roborare. Juxta illud apud Juristas solemne: *Erubescimus, dum sine Textu loquimur.*

LIBER I. DECRETALIUM.

TITUL. I.

DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

25 DEUS Æternus sine principio, & sine fine, est omnium principium, & finis. Ipse enim est *Alpha*, & *Omega* (juxta Græcorum phrasim) ipse est *Aleph*, & *Tau* ut explicant Hebræi. Omnia procedunt ab ipso, cum nihil sit, à quo ipse procedat. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, ab ipso, qui pater luminum est, descendit; ad ipsum ergo omnia opera nostra dirigi debent. Ipse est Supremus Legislator, per quem Reges regnant, & Principes justa decernunt. Et ideo omnes fere Legislatores Christiani in dominij supremi recognitionem suarum Legum volumina à Titulo de *Summa Trinitate, & Fide Catholica* incipiunt. Sic Justinian. in suo Codice. Sic R.N. Alphonsus in suo Septipartito jure. Sic N. Catholici Reges in suarum Legum Compilationibus. Sic denique Legislatores Ecclesiastici nostrum jus Canonicum ab hoc Titulo incipiunt: ab eo ergo debemus, & nos has Canonicas Dissertationes incipere, ad ipsumque Deum dirigere, ipsum cum Ecclesia rogantes, ut cuncta nostra oratio, & operatio ab ipso semper incipiat, & per ipsum cœpta finiatur.

26 In hoc Libro 1. Decretalium instruitur à Greg. IX. Judex Ecclesiasticus, & docetur, quid circa fidem, & præcipuè circa Altissimum Trinitatis mysterium credere, & tenere, quid vitare, & fugere debeat. Et ideo aliquid de fide dicere oportet. Fides enim est radix, & principium nostræ justificationis, in qua nostræ salutis spirituale fundatur ædificium, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire. *Trid. Sess. 6. de Justif. cap. 8.* fides est una ex tribus virtutibus Theologicis, teste *Apost. Cor. 13. v. fin.* & ab ipso Apostolo definitur. *Ad Hebr. 11. sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: quam definitionem propugnat, & sic explicat *Angelicus Scholarum Mag. 2. 2. q. 4. art. 1. fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentiri non apparentibus.* Pro objecto formali habet authoritatem Divinam revelantem. Ex eo enim, quod Deus sit infallibilis in suis dictis, quando nobis loquitur, inferimus, quod quando hic, & nunc nobis aliquid revelat, & dicit, illud est omnino verum. Hæc infallibilitas habetur in Deo præcisè, & necessario per sapientiam, & veracitatem Divinam tam respectu revelationis assertoriæ, quàm promissoriæ. Nam si summè sapiens est, non potest falli; si summè verax est, non potest fallere, ac proinde in his præcisè perfectionibus supposita revelatione, habemus antecedens connexum cum veritate objecti revelati. De quo latius cum de fide Theologicè scribebam. Objectum materiale fidei sunt ipsa mysteria revelata. Et quidem præcipuè nostræ fidei mysteria à Concilio Later. sub Innoc. III. referuntur in hoc Titulo. Concilij verba ad litteram referam, quia nihil proprius, & expressius ad tantorum mysteriorum explanationem excogitari valet: ait ergo.

26 Firmitèr credimus, & simplicitèr confitemur, quod unus solus est verus Deus, æternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem Personæ, sed una Essentia, substantia, seu natura, simplex omnino: Pater à nullo, & Filius à Patre solo; ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque: absque initio semper, ac sine fine: Pater generans, Filius nascens, & Spiritus Sanctus procedens: Consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni: Unum universorum principium: Creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium: qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utram-

utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam. Diabolus enim, & alij Dæmones à Deo quidem natura creati sunt boni; sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero diaboli suggestione peccatis. Hæc Sancta Trinitas secundum communem Essentiam individua, & secundum personales proprietates discreta. Primo per Mosen, & Sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, juxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem. Et tandem Unigenitus Dei Filius Jesus Christus à tota Trinitate communitèr incarnatus, ex Maria semper Virgine, Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali, & humana carne compositus, una in duabus naturis persona viam vitæ manifestius demonstravit. Qui cum secundum Divinitatem sit immortalis, & impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est mortalis, & passibilis, qui etiam pro salute humani generis in ligno Crucis passus, & mortuus, descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, & ascendit in Cœlum: sed descendit in anima, & resurrexit in carne: ascenditque pariter in utroque: venturus in fine sæculi, judicaturus vivos, & mortuos; & redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis, quàm electis: qui omnes cum suis proprijs resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala. Illi cum diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam. Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur. In qua quidem ipse Sacerdos est sacrificium Jesus-Christus: cujus corpus, & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate Divina: ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rectè fuerit ordinatus secundum Claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Jesus-Christus. Sacramentum verò baptismi, (quod ad Dei invocationem, & individuæ Trinitatis, videlicet, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti consecratur in aqua) tam parvulis, quàm adultis in forma Ecclesiæ, à quocumque ritè collatum proficit ad salutem. Etsi post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari. Non solum autem Virgines, & continentes, verum etiam conjugati, per rectam fidem, & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.

28 Damnamus ergo, & reprobamus libellum, seu tractatum, quem Abbas Joachim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de Unitate, seu Essentia Trinitatis, appellans ipsum hæreticum, & insanum, pro eo quod in suis dixit Sententijs, quoniam quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non est generans, neque genita, neque procedens: undè asserit, quod ille non tam Trinitatem, quam quaternitatem astruebat in Deo, videlicet, tres personas, & unam communem Essentiam, quasi quartam, manifestè protestans, quod nulla res est, quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nec est Essentia, nec substantia, nec natura: quamvis concedat, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt una essentia, una substantia, unaque natura, verum unitatem hujusmodi, non veram, & propriam, sed quasi collectivam, & similitudinariam esse fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus: & multi fideles una Ecclesia: juxta illud: multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: Et, quia adhæret Deo, unus Spiritus est cum illo. Item ille qui plantat, & qui rigat, unum sunt: Et omnes unum corpus sumus in Christo. Rursus in libro Regum. (Populus meus, & Populus tuus, unum sunt) Ad hanc autem suam sententiam adstruendam, illud potissimum verbum inducit, quod Christus de fidelibus inquit in Evangelio: Volo, Pater, ut sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus: ut sint consummati in unum. Non enim (ut ait) fideles Christi sunt unum, id est, quædam una res, quæ communis sit omnibus, sed hoc modo sunt unum, id est, una Ecclesia, propter Catholicæ fidei unitatem, & tandem unum Regnum, propter unionem indissolubilis charitatis, quemadmodum in Canonica Joannis Apostoli epistola legitur: quia tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Statimque subjungitur: & tres sunt, qui testimonium dant in terra; spiritus, aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt, sicut in quibusdam codicibus invenitur. Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus, & confitemur cum Petro Lom-

Lombardo, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; tres simul personæ, ac singillatim quælibet earumdem: & ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas: quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet Substantia, Essentia, seu natura Divina: quæ sola est universorum principium, præterquod aliud inveniri non potest. Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat: & Filius, qui gignitur: & Spiritus Sanctus, qui procedit: ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud: sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino; ut secundum orthodoxam, & Catholicam fidem, consubstantiales esse credantur. Pater enim ab æterno Filium generando, suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur: Pater, quod dedit mihi majus omnibus est. Ac dici non potest, quod partem substantiæ suæ illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit. Cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi: alioquin desijsset esse substantia. Pater ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit: & ita Pater, & Filius habent eandem substantiam: & sic eadem res est Pater, & Filius, necnon Spiritus Sanctus ab utroque procedens. Cum ergo Veritas pro fidelibus suis orat ad Patrem: volo (inquiens) ut ipsi sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus: hoc nomen: unum, pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia: pro personis vero Divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura, quemadmodum alibi Veritas ait: estote perfecti, sicut & Pater vester Cœlestis perfectus est; ac sic diceret manifestius; estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester Cœlestis perfectus est perfectione naturæ. Utraque videlicet, suo modo: quia inter Creatorem, & creaturam, non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda. Si quis igitur sententiam, vel doctrinam præfati Joachim in hac parte defendere, vel approbare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus evitetur. Reprobamus etiam, & condemnamus perversissimum dogma impij Almarici, cujus mentem sic pater mendacij excæcavit, ut ejus doctrina, non tam hæretica, quàm insana sit censenda. Hucusque verba Concilij.

29 Almaricus, de quo hodie fit mentio, fuit quidam Doctor Parisiensis, qui Gallice dicebatur *Amaury*. Inter alios errores dicebat, quod si Adam non peccasset, homines sine generatione multiplicarentur; etiam asserebat, quod Patris Æterni potestas non fuit porrecta ultra Legem Mosaicam, & quod Novum Testamentum promulgatum à filio, jam suo tempore cessaverat, simul cum Sacramentis, & quod tempus Spiritus Sancti inceperat: de cujus gratia affirmabat, quod ejus beneficio homines non amplius fiebant rei peccati, etsi adulteria, vel alia flagitia committerent. *Sic Moreri in Dict. Histor. v. Amaury.*

30 *Greg. X. in C. un. h. t. in 6.* deducto ex Concilio Lugdunensi damnat eos, qui asserunt, Spiritum Sanctum non procedere à Patre, & à Filio, tanquam ab uno principio, & una spiratione, sed tanquam à duobus principijs. Tenendum ergo est, quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione æternalitèr procedit.

31 *Clem. V. in Clem. un. h. t.* deducta ex Conc. Viennensi, definit: Unicum Dei Filium, unà cum Patre æternalitèr subsistentem assumpsisse de B. Virgine verum corpus humanum, & animam intellectivam, seu rationalem, & in eo passum fuisse, & jam mortuum lancea perforatum: sicut dicit D. Joannes, & ipse Pontifex approbat hujus Evangelistæ, in hoc narrando, ordinem. Reprobat tamen, & damnat tanquam hæreticum, eum, qui tenacitèr præsumat defendere, quod anima rationalis, seu intellectiva non sit forma corporis humani per se, & essentialitèr. Et circa baptismum parvulorum ait: *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi (quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam, quæ dicit, tam parvulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, ac dictis Sanctorum, ac DD. modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem, Sacro approbante Concilio, duximus eligendam.*

32 Denique his temporibus SS. Pontifices, sequentes damnarunt propositiones ad Fidei materiam pertinentes. *Alex. VII. die 24. Sept. An. 1665.* hanc damnavit. 1. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis*

tis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium. Innoc. XI. die 2. Mart. An. 1679. has suo ordine damnavit. 4. *Ab infidelitate excusatur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.* 16. *Fides non censetur cadere sub preceptum speciale, & secundum se.* 17. *Satis est, actum fidei semel in vita elicere.* 18. *Si à potestate publica quis interrogetur fidem ingenue confiteri: ut Deo, & fidei gloriosum Consulo, tacere; ut peccaminosum per se non damno.* 19. *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* 20. *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.* 21. *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit loquutus Deus.* 22. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita remuneratoris.* 23. *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.* 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissime Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. Christi.* 65. *Sufficit illa mysteria semel credidisse. Alex. VIII. die 8. Decemb. An.* 1690. has damnavit 8. *Necesse est, infidelem in omni opere peccare.* 11. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quę dilectionem operatur, peccatum est.* 12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.* 29. *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani super Concilium Æcumenicum authoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.*

33 Publicam fidei professionem tenentur facere, sive per se, sive per Procuratorem. *Arg. C. 68. de Reg. jur. in 6.* juxta modum, & formam, & sub pœnis statutis, provisi de Beneficio curam animarum habente: provisi de Canonicatibus, seu Dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus, intra duos menses à die pacificæ possessionis, coram Episcopo, vel ejus Vicario: & Canonici etiam coram Capitulo. *Trid. Sess. 24. de Ref. cap.* 12. Promovendi in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos, in prima Synodo Provinciali, in qua interfuerint. *Trid. Sess. 25. de Ref. cap. 2.* Prælati Regulares. *Pius IV. in Constit. Injunctum, Data idib. Nov. An.* 1564. Doctores, & Magistri. *S. Pius V. in Const. Sacrosancta,* apud *Barb. in Trid. Sess. 24. cap. 12. ex n. 14.* Sed consuetudo Religionum, & universitatum in hoc omnino attendenda est.

TIT. II.

De Constitutionibus.

34 LICET *constitutio* (quæ sic dicitur à *constituendo*, id est, simul *statuendo*) distinguatur à Lege, jure, Decreto, & statuto, & ut distincta in diversis Titulis Digestorum inveniantur, latiori tamen modo de his omnibus sub hoc Titulo agemus, cum multoties eodem modo accipiantur. *Lex* (*juxta D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4.*) *est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Vel clarius potest definiri. *Lex est Decretum Principis, vel Magistratus Supremi, ut S. Pontificis, Imperatoris, Regis, vel Reipublicæ liberę. Arg. text. in* §.4. *& 6. Instit. de Jur. natur.* quo sensu comprehendit tam Ecclesiastica, quàm Civilia jura. Differt à Consilio: eò quod Consilium suadeat citra obligationem, Lex vero obligationem inducit. Lex enim dicitur *à ligando*, quia obligat ad agendum. *D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 1.* A præcepto seu mandato differt in eo, quod Lex datur communitati, mandatum privato tantum, & personis singularibus. Et ideo Lex dicitur commune præceptum, *L. 1. ff. de Legib.* & hoc expirat morte præcipientis, vel ejus, cui præcipitur; secus Lex: Hæc potius adhæret loco, seu territorio Legislatoris, quam personis: secus præceptum, quod quidem personis adhæret.

35 Qualis debeat esse Lex, optimè explicat *Text. in C. 2. D. 4.* ibi: *Erit autem Lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum Patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat; nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.* Debet enim Lex pro fine bonum commune habere. Nam licet respiciat aliquem statum particularem, v. gr. Militum, Pupillorum, vel Minorum, illum respicit in communi, & ad bonum commune dirigit. *Omnis autem Lex* (ait *text. in C. 4. D. 3.*) *aut permittit aliquid, ut vir fortis petat præmium, aut vetat, ut Sacrarum Virginum nulli petere liceat: aut punit, ut qui cædem fecerit, capite plectatur: ejus enim præmio, aut pœna, vita moderatur humana: Divina autem præcipit, ut diliges Domi-*

mi-

minum Deum tuum. L. 7. ff. de Legib. Lex, quæ permittit, licet non sit Lex respectu illius, cui fit permissio est tamen respectu aliorum, quibus per eam injungitur, ne impediant eum, cui permissio est facta. Lex punitiva obligat Judices ad pœnæ executionem, & subditos ad illam sustinendam.

36 Materia Legis non solum debet esse physicè possibilis, sed & moraliter, hoc est, quod non sit nimis ardua, aut difficilis: nemo enim ad impossibile tenetur. L. 185. ff. de Reg. jur. C. 6. eod. in 6. & impossibilium, & valde difficilium idem est judicium. L. 137. §. 6. ff. de V. Oblig. Barb. axiom. jur. v. Impossibile, n. 8. Ideo nequeunt præcipi actus Consiliorum Evangelicorum, ut de castitate deducitur ex D. Paul. 1. Cor. 7. v. 25. Et c. 13. 32. q. 1. ibi: Sola est enim Virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest. Nam talis Lex non esset fragilitati humanæ accomodata, ut esse debet, C. 2. D. 4. Actus merè interni per se, & directè non cadunt sub Legem, vel præceptum humanum, C. 34. de Simon. ibi: Nobis datum est de manifestis tamtummodo judicare. Unde desumptum est illud, etiam à Laicis proclamatum axioma: de occultis non judicat Ecclesia. Sic D. Thom. 1. 2. q. 91. art. 4. in Corp. Et q. 100. art. 9. Suar. de Legib. l. 4. cap. 12. & 13. & alij contra Gl. in Cl. 1. de Hæret. §. Verùm, v. Eo ipso. Adrian. & alios. Indirectè tamen possunt prohiberi, vel præcipi à Legislatore humano actus interni, quatenus nimirum necessarij sunt ad actum externum ritè ponendum: quia sic non præcipiuntur immediatè ratione sui, sed ratione actus externi, ad quem sunt necessarij. Sic Ecclesia potest præcipere attentionem in recitandis Horis Canonicis, dolorem in Confessione Sacramentali, pœnitentiam, & nullius peccati mortalis conscientiam in Sacra Communione, facit D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 9. Suar. l. 4. de Leg. cap. 13. contra Vazq. & alios. Et patet ex propositione 14. inter damnatas ab Alex. VII. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ. Et ex propositione 55. inter damnatas ab Innoc. XI. Præcepto Communionis annuæ satis fit per sacrilegam Domini manducationem. Cum ergo hæ propositiones sint damnatæ, supponit Ecclesia, posse præcipi fidelibus, non solum actus externos confessionis, & communionis, sed etiam internos doloris, pœnitentiæ, præviæ devotionis, & reverentiæ. Gutierre Hurtad. in Expos. prop. 54. ex n. 2. alijque propositionum damnatorum Expositores. Nec potest Lex præcipere actum inhonestum; imò nec indifferentem, nisi hic, & nunc ad finem intentum à Legislatore conducat; aliàs Lex non esse positivè honesta: potest tamen Lex actus indifferentes permittere; imò & inhonestos ad majora mala vitanda.

37 Forma Legis sunt verba, quibus Legislator manifestat subditis suam voluntatem, non suadendo, sed præcipiendo, vel prohibendo. Et talia sunt hæc: Præcipimus: mandamus: prohibemus: interdicimus: inhibemus: obligamus: teneantur: necesse est: non liceat: nemo possit, &c. Dubia sunt hæc: Statuimus: ordinamus: sancimus: innovamus: decernimus: volumus, &c. quæ interpretanda sunt ex adjunctis, & juxta consuetudinem Regionis, quæ est optima Legum interpres. L. 37. ff. de Legib. cap. 8. de Consuet. Quod si omnibus perspectis, maneat dubium, haberi debent, ut consilium, non ut præceptum, quia possidet libertas.

38 Ex forma, & modo ipso concipiendi Legem constat, quod constitutio, vel Lex præceptiva respicit futura; non præterita. L. 7. ff. de Legib. c. 2. h. t. Trid. Sess. 25. de Ref. cap. 12. l. fin. tit. 14. p. 3. l. 6. tit. 1. lib. 2. R. Cast. Suar. de Legib. l. 3. cap. 14. quia Lex ponitur ut regula operationis: regula enim debet ad opus supponi, cum suo modo principium actionis sit. Deinde, materia Legis debet esse possibilis; & ad præteritum, ut præterito tempore factum, aut infectum est, non datur potentia. C. 11. 32. q. 5. Lex verò declarativa Legis antiquæ comprehendit non solum futura; sed & præterita. C. 40. 27. q. 1. C. 40. de Simon. C. 5. de Usur. quia non ponit novum jus, sed tantum manifestat antiquum. Actus præteriti benè possunt per Legem irritari. Arg. c. fin. h. t. ibi: Nisi nominatim in eis de præteritis caveatur, quia non est minor vis Legis, quam sententiæ, quæ præterita respicit: sed tunc non tam respicit actiones præteritas, quàm effectus earum, qui adhuc subsunt jurisdictioni Legislatoris, si expressè velit, eos irritare, ut notat D. Gonz. in c. 2. h. t. n. 16.

39 Publica promulgatio est de ratione Legis humanæ, ita ut hæc non obliget, licet à Principe sit decreta, & promulgari mandata, aut etiamsi privatim sciatur. C. 2. D. 4. ibi: Manifesta. C. 3. §. Leges, D. 4. ibi: Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur. L. 9. C. de Legib. D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4. Suar. de Legib. l. 1. cap. 11. n. 3. & 6. quia cum sit regula publica totius com-

communitatis debet proponi modo publico communitati; v. gr. voce præconis, nec aliter potest obligare, nisi applicetur per promulgationem, ut in notitiam veniat hominum, qui secundum eam regulare, & mensurare suas actiones debent. Nec statim à promulgatione solet obligare, sed regulariter solum elapso bimestri, *C. fin. Ne Cler. vel Monac.* nisi in ipsa Lege exprimatur tempus ad obligandum. *Trid.Sess. 7. de Ref. cap. 2. C. 32. de Preb. in 6.* vel si in ipsa Lege adjiciatur, quod statim obliget post promulgationem. Postquam verò Lex promulgata est, ex se obligat omnes, ad quorum notitiam potuit pervenire: Et sic præsumitur in foro externo, nec est necesse, ut alia intimatio, quasi juridica fiat singulis, *C. 1. de Postul. Prælator.* Et est probabile, eandem solemnitatem promulgationis requiri in Legibus Ecclesiasticis, quæ latæ sunt, pro pluribus Diœcesibus, cum valdè durum esset, Pontificem velle ob publicationem factam Romæ subditos valdè distantes obligare. Unde regulariter fit publicatio per Prælatos, *C. 13. de Pœnis, & remis.* nisi aliud praxis observet, ut accidit in publicatione Bullæ Cœnæ. *Gloss. in C. 2. h. t. v. Ante prohibitionem. Mol. tr. 2. de Just. & jure, D. 395. à n. 6.* contra *Suar. de Legib. l. 4. cap. 15.*

40 Cum Pontifex immediatè recipiat à Christo D. independenter à Populo, potestatem Legislativam, *Matth.16.* ibi: *Quodcumque ligaveris super terram. Joan.21. pasce oves meas*: non est necessaria acceptatio Populi ad completam vim Legis Ecclesiasticæ: imò nec ad vim Legis Civilis (extra statum Democraticum) quia *Alex. VII.* hanc propositionem, quæ est 28. damnavit: *Populus non peccat, etsi absque ulla causa non recipiat Legem à Principe promulgatam.* Deinde, quia Populus in Principem omne suum Imperium, & potestatem contulit sine aliqua conditione, vel reservatione sui consensus, *L.1.ff.de Const.Princ.* Et si requireretur consensus Populi, nulla fere, & prorsus exigua esset potestas Legislatorum. *Suar. de Legib. l. 3. cap. 19. n. 4. & seqq.* quod certius est in nostra Hispania, *ex l. 1. Taur. l. 3. tit. 1. lib. 2. R. C.* ibi: *Se sigan, y guarden, no embargante, que contra las dichas Leyes se diga, y alegue, que no son usadas, ni guardadas.* Ad firmitatem tamen, & stabilitatem Legum necessaria est acceptatio Populi, quatenus est actualis observantia Legis, *L. 32. ff. de Legib.* ibi: *Cum ipsæ Leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod judicio Populi receptæ sunt.* Et sic possunt concordari DD. pro utraque parte litigantes. In his Indiarum Regnis nulla schedula, aut Pragmatica Regia debet adimpleri, nisi sit expedita à Supremo Reglo Indiarum Consilio, *L.39. l.40. tit.1. lib.2. R. Ind.*

41 Cum sit certum, esse inter homines potestatem Legislativam: *Quia ubi non est Gubernator, Populus corruet. Prov.11. v.14.* Hæc præcipuè invenitur in R. Pontifice, qui solus potest ferre Leges universales Ecclesiasticas pro tota Ecclesia. *Extr. unam Sanctam, de Major. & obed. int. Com.* Petro enim data est hæc universalis potestas à Christo D. *Matth. 16. v. 19.* ibi: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis. C. in Novo, D. 21. Joan. 21. pasce oves meas.* Et quidem independentèr à Consilio, vel consensu Cardinalium, *C. 17. 9. q. 3.* Circa res temporales potest Leges Civiles ferre in Territorio Sedi Apostolicæ in temporalibus subjecto; *arg. C.10. de Testam.* minimè vero in Regnis aliorum Principum, *C. 8. D. 10. C. 13. de Judic. C. 6. D. 96.* ibi: *Cum ad verum ventum est, ultra sibi, nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit.* Nisi indirectè, quatenus hoc specialis necessitas exposcat: *Cum generalitèr sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari; C.fin.de Præscript.* Tunc enim Lex Canonica corrigit Civilem, ut accidit in præscriptione mala fide continuata. Et hoc modo Christus *Beato æternę vitę clavigero terreni simul, & Cœlestis Imperij jura commisit. C. 1. D. 22.* Et sic verificatur: *Gladium esse sub gladio: & temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati. Extr. unam Sanctam, 1. de Major. & obed. int. com.* Majores Ecclesiæ causæ præsertim articulos fidei contingentes, vel pertinentes ad statum universalem Ecclesiæ, vel ad Canonizationem Sanctorum, vel ad uniendos, vel dividendos Episcopatus, vel ad Religionem approbandam, vel alia hujusmodi R. Pontifici reservatum, *C. 3. de Baptism. C.1.de Transl.Episc. c.fin. de Offic. Vic. in 6.* Concilium Generale si accedat S. Pontificis authoritas, secus sine illa, potest Leges universales condere, quia Divo Petro est concessus Principatus Ecclesiæ, independentèr à Concilio: imò & ipse Pontifex supra Concilium est, *C. 17. 9. q. 3. Suar. de Legib. lib. 4. cap. 6.* adeo ut & Concilium congregatum tempore schismatis solum haberet potestatem ad ea, quæ sunt necessaria ad defensionem Ecclesiæ, & ad pacificandam eam, eligendo S. Pontificem certum: non vero potest Leges per-

pe-

petuas pro universa Ecclesia statuere. *Suar. de Legib. lib. 4. cap. 6. n. 4.*

42 Papam in Jure Naturali dispensare non posse, neque contra ipsum Legem condere, constat ex eo, quod Jus Naturale est immutabile, §. 11. *Inst. de Jur. Natur.* Et quæ illo prohibentur, sunt intrinsecè mala, & inhonesta, *D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8.* Quando dispensat in votis, juramentis, matrimonio rato, & residentia Ecclesiæ, quorum obligatio ex jure naturæ oriri censetur, non dispensat directè in obligatione naturali voti, sed Dei nomine, & authoritate relaxat promissionem ipsi factam; qua relaxatione facta, per se corruit obligatio voti, & juramenti. Nec in Jure Divino potest dispensare. *Sic D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 4. ad 3. unde sicut in Lege humana* publica non potest dispensare, nisi ille, à quo Lex authoritatem habet, vel is, cui ipse *commiserit; ita in præceptis Juris Divini, quæ sunt à Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel cui ipse specialitèr commiserit.* Quando in *C. 7. 25. q. 1.* dicitur: *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest auctoritas*: intelligitur de statutis pertinentibus ad fidem Catholicam, vel Jus Naturale, vel Divinum, juxta dicta. Tunc enim R. Pontifex debet statuta Patrum observare, & tueri, *C. 4. C. 5. C. 9. 25. q. 1.*

43 Leges Ecclesiasticas particulares condere possunt. 1. Cardinales; sed non nisi in Ecclesijs suorum Titulorum, *C. 11. de Major. & obed.* 2. Legati Sedis Apostolicæ; sed solum in Provincijs suæ Legationis; & durant, etiam finita Legatione, *c. fin. de Offic. Legat.* 3. Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi; sed singuli rantum pro sua particulari Diœcesi, *C. 2. de Major. & obed. C. 2. h. t. in 6.* Archiepiscopi non possunt ferre Leges in Diœcesibus suorum suffraganeorum, *C. 7. 9. q. 3.* Capitulum, vivente Episcopo, potest, eo irrequisito, statuta in rebus parvi momenti Capitulares obligantia condere; *arg. C. 6. h. t.* non tamen potest Legem ferre in Diœcesanos, cum in hos non habeat jurisdictionem, nisi mortuo Episcopo. Nec in rebus gravioribus potest condere statuta, etiam Capitularia, sine consensu Episcopi; *arg. C. 8. h. t. Suar. de Legib. lib. 4. cap. 6. ex n. 11.* 4. Generales Religionum, Abbates, & alij Prælati juxta præscriptum suarum Constitutionum possunt Leges condere. 5. Capitula Ecclesiarum Collegiatarum, aliæque communitates Ecclesiasticæ, & Sæculares, licet Leges non possint condere, possunt tamen facere statuta, etiam ad culpam, & pœnam obligantia in rebus levioribus, ut consuetudo plurium communitatum testatur.

44 6. Concilia Diœcesana pro suis Diœcesibus, Provincialia pro suis Provincijs, & Nationalia pro tota Natione possunt Leges condere. *Suar. de Legib. lib. 4. cap. 6. n. 87.* Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Sedevacante, etiam potest condere Legem, cum in jurisdictionem Episcopi succedat, *C. 11. C. 14. de Major. & obed. C. un. eod. in 6.* Congregatio Cardinalium, etiam Sede Pontificia vacante, non potest Leges condere, quia ejus potestas limitatur ad statuendum solum ea, quæ pro electione S. Pontificis, pro defensione Ecclesiæ, & aversione occurrentium periculorum fuerint necessaria, *C. 3. de Elect. in 6. Cl. 2. eod. Suar. de Legib. lib. 4. cap. 6. n. 5.* Cum ergo omnium horum potestas descendat à R. Ecclesia: *Quæ vices suas ita alijs impertivit Ecclesijs, ut in partem sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis, C. 10. 2. q. 6.* nequeunt ferre Leges juri communi contrarias; quia *Lex superioris per inferiorem tolli non potest, Cl. 2. de Electión.*

45 Omnes, & soli Principes, & Respublicæ nullum in temporalibus recognoscentes Superiorem, ut Rex Hispaniæ, possunt condere Leges Civiles universales, etiamsi Regnum in fœminam, jure hæreditatio recidisset, & etiamsi sit conjugata, *L. fin. C. de Legib. l. 12. tit. 1. p. 1.* ibi: *Emperador, ò Rey puede facer Leyes sobre las Gentes de su Señorio, è otro ninguno non ha de poder de las facer en lo temporal, fueras ende, si lo ficiessen con otorgamiento dellos. Ibid. Greg. Lopez. D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 3.* ibi: *Lex propriè primò, & principalitèr respicit ordinem ad bonum commune: ordinare aliquid in bonum commune, est totius multitudinis, vel alicujus gerentis vices totius multitudinis, & ideo condere Legem pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam, quæ totius multitudinis curam habet. Aristot. Ethicor. lib. 10. cap. 9.* ait: *Patrium quidem Imperium non cogit, nec vim, aut necessitatem affert, neque cujusquam hominis unius omnino, nisi qui Rex sit, aut simili aliqua potestate preditus. At vero Lex vim habet ad cogendum idoneam. Suar. de Legib. lib. 1. cap. 8.* plures citans. Sed nullus Princeps Sæcularis potest condere Leges concernentes Ecclesiam, rem Sacram, vel spiritualem, aut personas Ecclesiasticas, præsertim, si ipsis tales Leges essent onerosæ, *C. 7. C. 10. h. t. Auth. Cassa, C. de*

C. de Sacros. Eccles. L. 57. *tit.* 6. *p.* 1. quia Ecclesiasticæ personæ, & bona Ecclesiæ exempta sunt ab omni jurisdictione Laicali, *C.*1. *C.*5. *C.*11. *D.*96. *C.*1. *& per tot.* 11. *q.*1. *Trid. sess.*25. *de Ref. cap.* 20.

46 Clerici, & Religiosi tenentur Legibus Civilibus, quæ nec eorum statui, nec Sacris Canonibus adversantur, & sine indecentia, vel gravamine possunt observari; *arg. C.* 11. *D.*10. *Suar. de Legib. lib.* 3. *cap.* 34. *Mol. de Just. & jur. tr.*2. *D.*31. *Covar. & alij*, quia cum sint utiles Reipublicæ à Sacris Canonibus approbatæ censentur, *C.* 1. *de Nov. oper. nuntiat.* Hinc tenentur Legibus pretia rerum taxantibus: & illis quæ tempore sterilitatis prohibent extra territorium frumentum, vel vinum extrahere. Etiam statutis venationem, & piscationem certis temporibus prohibentibus alijsque similibus obliganrur. Etiam tenentur contribuere ad constructionem, & refectionem pontium, & viarum, ad murorum custodiam tempore magnæ necessitatis, & tempore belli urgentis, *L.* 52. *l.* 54. *tit.* 6. *p.*1. *& ibid. Greg. Lop. Gonz. in C.* 7. *h. t. ex n.* 12. contra *Navar. & alios*, quod alibi clarius explicabimus.

47 Hinc ad Religiosos, & exemptos descendendo dicendum est, eos non teneri Legibus Episcopalibus: quia non sunt Episcoporum Subditi. In aliquibus tamen casibus illorum subsunt jurisdictioni, *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 12. indirectè tamen tenentur Religiosi exempti se conformare Clero, casu quo id exigat ratio scandali vitandi, vel bonum publicum, vel quando suo juri cesserunt, Leges acceptando usu, & consuetudine, *Suar. de Legib. lib.* 4. *cap.* 20. *ex n.* 8.

48 Non solum Lex Naturalis, & Divina, sed etiam Lex positiva tam Ecclesiastica, quàm Civilis, dum non sit merè pœnalis obligat in conscientia, sive ad culpam, quod est obligare *vi directiva*, sicut obligare ad pœnam dicitur *vi coactiva* obligare, *D. Thom.* 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. ibi: *Leges positæ humanitus siquidem justæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ a Lege æterna, à qua derivantur secundum illud. Prov.* 8. *per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt.* Etiam probatur ex illo *Div. Petri Epist.*1. *cap.* 2. v. 13. *Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei. Div. Pauli ad Rom.* 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Sicque trangressio Legis humanæ saltem mediatè est transgressio Legis Divinæ, & naturalis; ac proinde stat definitio peccati ex Divo Augustino. *Dictum, factum, vel concupitum contra Legem Dei æternam.*

49 Potestas enim obligandi in conscientia est omnino necessaria ad rectè gubernandam Rempublicam: secus enim plurimi parvipendentes Leges humanas, passim eas transgrederentur, quod esset maxima inordinatio, quietis, & tranquillitatis publicæ perturbatio; & hipocrysi, & simulationi aperiretur via. Intelligitur, Legislatorem velle obligare in conscientia, si utatur verbis præceptivis, vel si Lex sit circa rem jam Divino, vel naturali jure prohibitam, vel præceptam, vel si gravem pœnam, v. gr. murilatonis, vel excommunicationis in transgressores statuat. Quod præcipuè ex circunstantijs colligetur, & ex recta consuetudine, quæ est optima Legum interpres.

50 Leges rributorum, & vectigalinm (si justa hæc sunr) obligant in conscientia pro quantitate materiæ, ex *Matth.* 22. *v.* 17. ubi interrogatus Christus D. *licet censum dare Cæsari?* respondit: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Quo in loco de tributo D. Hieronym. id inrelligit. *Paul. ad Rom.* 13. *v.* 6. ibi: *Ideo & tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes: reddita ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal,* quia talia tributa debentur Principi, tanquam alimenta jure naturæ, & solum determinario taxarionis provenit à Lege positiva. Et qui illa solvere omittunt, non solum peccant contra obedientiam Principi debitam, sed etiam contra justiriam, ac proindè ad restitutionem tenentur in foro conscientiæ. Non tamen renenrur pœna statuta in ea non solventes, aut merces non manifestanres, vel aliquam aliam diligentiam omittentes, antequam condemnenrur. Si de injustiria tributorum certò constet, potest Vassallus ea non solvere; imò ea negare, si petantur, si hoc fine scandalo possit fieri. Nam justè neganrur, quæ injustè exigunrur, *Suar. de Legib. lib.* 5. *cap.* 28. *Mol. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 674. quod si de justiria tributorum dubitetur, securius est ea reddere, cum in dubio præsumprio pro Principe sit, & ipsi teneatur subditus obedire. Oppositum maxima scandala afferre posset, cum magna Reipublicæ perturbatio-

ne, subditosque induceret ad debitam Principibus obedientiam negandam. Si tamen subditi jam negarunt tributa, cum in dubio melior sit conditio possidentis, poterunt à restitutione excusari: imò non semper peccati gravis esse arguendos tales subditos tenet *Molin. de Just. & jur. Tract. 2. D. 674.*

51. Si Lex sit merè pœnalis, ita ut solum faciat mentionem pœnæ, quam in transgressores infligit, absque eo, quod aliquid præcipiat, vel prohibeat, solum ad pœnam temporalem obligat, quia obligatio Legis commensuratur Legislatoris intentioni. Illa tamen non erit propriè pœna, cum hæc supponat culpam. *Leg. 131. ff. de Verb. signif.* Sed tantum erit pœna latè accepta pro incommodo, vel damno justè subeundo, quæ quidem non supponit necessario culpam. *C. 23. de Reg. jur. in 6.* & sic regulæ aliquarum religionum, quæ sunt quasi Leges ipsarum, ad pœnam tantum, non ad culpam obligant. *Suar. de Legib. lib. 5. cap. 4.* Si pœna, quam Lex imponit sit spiritualis, ut excommunicatio, suspensio, &c. Lex obligat ad ipsum actum, vel omissionem: quia tales pœnæ, utpote animam immediate ligantes, præsupponunt culpam. Lex pœnalis mixta disjunctivè, hoc est, quæ prohibet actum, aut, si fiat, infligit pœnam, solum ad hanc obligat. Nam in disjunctivis sufficit, unum extremum adimpleri. *Cap. 4. de Rescript.* Lex pœnalis mixta conjunctivè, hoc est, quæ prohibet actum, & simul imponit pœnam trangressoribus, obligat in conscientia ad actum ipsum, & simul ad pœnam. Sic contra *Nav. in Man. cap. 23. à n. 55. & alios* tenent *Soto, Toledo, & alij cum Suar. de Legib. lib. 5. cap. 3. n. 6.* ubi hanc sententiam, vocat communem TT. & Canonistarum. Et ratio est, quia cum Legislator humanus possit obligare in conscientia ad ipsum actum, quem præcipit, censetur actu obligare, quando utitur verbis præceptivis, vel prohibitorijs. Et adjicit pœnam, non ut tollat obligationem, sed potius, ut urgeat, nisi aliud constet de mente Legislatoris. Si tamen dubia sit, interpretanda erit ex consuetune, & praxi.

52 Lex, quæ in præsumptione fundatur, si præsumptio sit de aliquo facto, vel casu particulari, cessante præsumptione, quæ per veritatem contrariam elidatur, cessat lex, quia cessat ejus adæquata causa. *Arg. cap. 60. de Appellat.* Sic sententia, qua judex alium obligat solvere centum, quæ re verâ non debet, non obligat in conscientia, sicque coactus potest uti compensatione occulta, si fortè solvit. *Arg. c. 44. de Sent. excom.* Si verò Lex fundetur in præsumptione alicujus periculi universalis, & si illa præsumptio in aliquo casu particulari cesset: quia illud periculum non cessat in communi, & universaliter, non cessat Lex, adhuc in illo casu particulari. *Lug. de Just. & jur. D. 22. sect. 9. n. 253.* Sic Leges irritantes religiosam professionem, factam ante legitimam ætatem, & matrimonia clandestina, non cessant, quamvis in aliquo particulari casu cesset fraus: quia semper periculum fraudis invenitur, in communi. *Lug. ubi supr.*

53 Ignorantia invincibilis, seu inculpabilis Legis humanæ non solum excusat ignorantem à culpa; cum ignorantia tollit voluntarium. *Arg. l. 15. ff. de Jurisdict.* ibi: *Quid enim tam contrarium consensui est, quam error?* Et sine voluntario non stet peccatum: sed etiam excusat ignorantem à pœna, saltem in foro interno conscientiæ, quia sine culpa nemo est puniendus. *C. 23. de Reg. jur. in 6.* Ignorantia verò vincibilis nec à culpa, nec à pœna excusat. *C. 2. h. t. in 6.* si Lex irritet aliquem actum, ignorantia, etiam invincibilis non excusat: & patet in matrimonio clandestino; quia ignorantia non supplet defectum alicujus substantialis requisiti. Si verò Lex irritationem principaliter pro pœna statuat, non est improbabile, non incurri irritationem ab ignorante, v. g. impedimentum criminis, quod quis suo delicto annexum esse ignoravit.

54 Si in Lege infligatur pœna adversus *temerè, contumacitèr, scientèr, vel qui præsumpserit* aliquid facere: etiam si quis laboret ignorantia crassâ, & supina non incurrit pœnam: quia in odiosis verba sunt strictè interpretanda. *C. 15. de Reg. jur. in 6.* & in tali propriè non datur scientia, præsumptio, temeritas, nec contumacia. *Castropal. tr. 2. D. 1. p. 18. n. 1.* quod aliqui extendunt ad ignorantiam affectatam, seu æquivalenter voluntariam, qua aliquis studiosè non inquirit veritatem: cum talis ignorantia non sit propriè scientia, nec contumaciam constituat. *Dian. Burg.* quod negant *Sanch. & Castrop. apud Lacroix lib. 1. n. 769.* qui dicunt, tunc tantum pœnam incurri, quando ignorantia affecta est talis, ut æquiparetur scientiæ. Qui scit Legem, ignorat tamen invincibiliter pœnam ab ipsa Lege adjectam, etiamsi actus sit prohibitus Jure Naturali, aut

aut Divino, si pœna sit medicinalis, ut censura, non incurritur à sic ignorante: quia ad censuram incurrendam requiritur contumacia. *C. 26. de Appellat.* Et qui ignorat, non est contumax. *L. 50. ff. locat. Suar. de Censur. D. 4. sect. 9. n. 19.* Incurritur tamen pœna vindicativa lata propter delictum Jure Naturali, vel Divino prohibitum; v. g. homicidium, adulterium, &c. ab ignorante, licet non sit obligatus exequi pœnam ante Judicis sententiam. Si Lex est verè pœnalis, & pœnam principalitèr infligit ab absterendos homines ab hujusmodi delictis probabilitèr non incurritur pœna, quæ ignoratur esse annexa delicto contra Legem humanam commisso. *Sanch. l. 3. de Matrim. D. 17. n. 9. & fin.* nec pœna civilis extraordinaria ignorata. *Suar. Castropal. Sanch. cum Lacr. l. 1. n. 768.*

In foro vero externo, licet ignorantia facti non noceat, tamen ignorantia juris cuilibet nocet. *L. 9. ff. de Jur. & fact. ignor. C. 13. de Reg. jur. in 6.* Et pœna infligitur transgressoribus, quamvis allegent, ignorasse Leges, vel pœnam ab ipsis statutam, quia non præsumitur, eos Legem ignorare: aliàs facilè omnes Leges eluderentur cum gravi Reipublicæ damno. Ignorantia juris toleratur in Minoribus 25. annis, in militibus, rusticis, & mulieribus, eosque excusat ignorantia juris à culpa juridica, etiam in foro externo. *L. 9. ff. de Jur. & fact. ignor.*

55 Lex naturalis, etiam cum periculo vitæ obligat, quia, quæ Lege naturali prohibentur sunt intrinsecè mala, & sic nullo casu sunt licita: quia *licèt metus attenuet culpam, tamen non eam prorsus excludit. C. 5. de His, quæ vi.* Metus enim non excludit voluntarium, sicque nec peccatum. *L. 21. §. 5. ff. quod met. caus.* ibi: *Coactus volui.* Et ut ibidem ait *Glos. Voluntas coacta, voluntas est.* Sed Lex Divina positiva, Ecclesiastica, & Civilis non obligant cum gravi incomodo vitæ, famæ, & honoris. *C. 2. de Observ. jejun. arg. c. 31. de Sent. excom.* Nisi illarum observatio pertineat ad bonum commune Religionis, vel Reipublicæ, sic nemo tenetur cum gravi incommodo jejunare, audire sacrum, vel communicare tempore præcepto, &c. tenetur vero, etiam cum periculo vitæ servare sigillum in confessione Sacramentali, consecrare sub utraque specie; tempore pestis potest obligari ad assistendum infirmis, ad custodiendam Civitatem tempore belli, & alia hujusmodi: quia bonum commune præferendum est bono privato.

56 Cum Lex sit commune præceptum obligat omnes, & solos subditos Legislatoris; & cum sit directiva rationis, teste Cicerone, solum subditos ratione utentes potest constringere. Hinc infideles, v. g. Mauri, Judæi, vel Pagani, etiamsi cathecumeni sint, Legibus Ecclesiæ non ligantur. *C. 8. de Divort. Trid. sess. 14. de Sacr. Pœnit. cap. 2.* ibi: *Cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam sit ingressus.* Hæretici vero, & Apostatæ tenentur prædictis Legibus. *C. 43. de Cens. D. 4. Gonz. in c. 8. de Heret. n. 12.* Pueri statim, ac adepti sunt usum rationis, qui communiter completo septennio habetur, Legibus, etiam humanis in materia eorum ætati convenienti, quoad culpam tenentur. *C. 12. de Pœnit. & remis.* non tamen illis, quæ certum numerum annorum ad obligandum requirunt, ut Lex jejunij. Pœnas autem à Legibus humanis statutas non incurrunt ante pubertatem. *C. 1. & 2. de Delict. puer.* Imò de Jure Civili solet mitigari, pœna, quando sunt Minores. *L. 37. ff. de Minor.* Jure Nostro Hispano, si delinquens sit minor decem annis cum dimidio, nulla afficitur pœna; si minor 17. annis sit, mitius punitur, quam meretur delictum. *L. 8. t. 31. p. 7.* & ibid. *Greg. Lop. alias Leges citans.*

57 Impuberes usum rationis habentes incurrunt excommunicationem latam in ingredientes Monasteria Monialium, qui per *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5.* expressè dicit: *Cujuscumque ætatis sint.* Item excommunicationem Canonis propter Clerici percusionem. *C. 58. de Sent. excom.* & irregularitatem ex homicidio ortam *arg. à cont. Clem. un. de Homicid.* non vero incurrunt censuras ab homine ferendas, quia ad hoc debent moneri, & citari: & in tali ætate non admittuntur in judicio, nec tenentur per Procuratorem comparere *Lacr. lib. 7. n. 41.* An incurrant aliàs censuras à jure, vel homine latas, dubium est: Negat *Castrop. Tr. 3. D. 1. p. 24. §. 2. n. 8.* Affirmat *Suar. de Cens. D. 5. sect. 1. n. 19.* Et est probabilius, quia illa ætas est de se capax censuræ, & nullo jure probatur exempta. *Lacr. lib. 7. n. 42.*

58 Ebrij, mente capti, & ignorantes invincibilitèr Legem; Legibus obligantur, cum suapte natura illas possint intelligere, tempore tamen amentiæ, ebrietatis, & ignorantiæ ab illarum transgressio-

ne peraccidens excusantur: quia libertate carent. Hinc non est licitum, eos inducere, vel cum eis cooperari ad actionem prohibitam, ac proinde non potest quis in die jejunij carnem apponere ebrio, desipienti, vel ignoranti, esse diem jejunij, secus, dicendum est de illis, qui Lege non comprehenduntur, sicque licet in die jejunij carnes apponere non baptizato, perpetuo amenti, vel minori septennio: nunquam tamen licet eos ad opus jure naturæ prohibitum, v.g. ad blasphemiam, vel turpitudinem, etiam pueros, vel etiam infideles incitare: quia omnes Jure Naturali tenentur: licet pueri peraccidens à peccato excusentur. *Castrop. Tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 2. *ex n.* 10.

59 Si Communitas, v. g. Senatus, Capitulum, vel Collegium condat aliquam Legem, quilibet, tanquam privatus, & membrum Communitatis Legem servare tenenetur, quia catenus est subditus, & nonLegislator. *C.*6.*h.t.* Si verò Legislator sit Princeps Supremus, non tenetur Legibus, quoad *vim coactivam*, benè verò quoad *vim directivam*, in conscientia obligantem, & apud Deum, quando Legis materia, tam ipsi, quam subditis est communis. *D. Thom.* 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *ad* 3. ibi: *Dicendum, quod Princeps dicitur solutus à Lege, quantum ad vim coactivam Legis: nullus enim propriè cogitur à se ipso: sed quantum ad vim directivam Legis Princeps subditur Legi propria voluntate:::: unde quantum ad Dei judicium, Princeps non est solutus à Lege, quantum ad vim directivam ejus, sed debet voluntarius, non coactus Legem adimplere.* 1. pars prob. *Ex l.* 31. *ff. de Legib.* ibi: *Princeps Legibus solutus est*: nemo enim potest in se ipsum jurisdictionem exercere, cum nemo sui ipsius superior sit, nec subdirus: ac proinde nec sibi imperare, nec prohibere potest, *L.*51. *ff. de Recept.* quod de vi coactiva, coercitiva, seu inflictiva pœnæ intelligendum est, sicut in *L.*15. *tit.*1.*p.* 1. 2. pars prob. *Ex L.* 23. *ff. de Legat.* 3. ibi: *Decet enim tantę Majestati eas servare Leges, quibus ipse solutus esse videtur. L.* 4. *C. de Legib.* ibi: *Digna vox est Majestate regnantis, Legibus alligatum se Principem profiteri. C.*2. *D.* 9. *L.* 15. *tit.* 1. *p.* 1. ibi: *Otrosi deeimos, que esta bien al facedor de las Leyes en querer vivir, segun las Leyes, como quier, que por premia non sea tenudo de lo facer. L.*16. *tit.* 1. *p.* 1. & *ibid. Greg. Lopez.* Æquitati enim naturali maximè convenit, quod quis patiatur Legem, quam ipse tulit, & quod utatur eo jure, quod in alterum statuit, *C.* 6. *h. t.* præcipuè, cum Principis exemplum maximè conferat ad observationem, vel neglectum Legum, & tanquam caput deceat, suis membris conformari: *Turpis enim est omnis pars suo toti non conveniens, C.*2. *D.* 8. Et à Christo D. reprehenduntur, qui alijs onera gravia imponunt, & ipsi nec digito volunt ea movere.

60 Hæc obligatio immediatè provenit à Lege obligante totam communitatem, cujus Princeps est pars; in radice tamen à jure naturali nascitur. Quando irritatio actus est pœna non obligar Principem, quia tunc pertinet ad vim coactivam: obligat vero, si ad directivam pertineat: v.gr. quando aliqua solemnitas præscribitur pro forma actus, quando vero Princeps scienter facit aliquem actum, v. gr. testamentum sine solemnitate Legali, valet: quia creditur in ea dispensare: si vero aliquis instituat Principem hæredem in Testamento, quod solemnitate legitima caret, est irrita institutio, *L. ex imperfecto*, 3. *C. de Testam.* Hinc quando dicitur *in C.* 20. 12. *q.* 2. *Quod non liceat Papę prædium Ecclesiæ alienare sine solemnitate Canonica*: nomine Papæ, non Summus Pontifex, sed Episcopus intelligitur, ut sæpe alibi: vel loquitur Text. de alienatione factà sine justa causa, quæ de jure naturali est necessaria. Hucusque dicta comm.tenent DD.cum *Gloss.in L.*31. *ff. de Legib. Abulens. Sot. Suar. de Legib. lib.* 3. *cap.* 35. *Castropal. tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 1. licet aliqui nec quoad vim directivam hanc obligationem in Principe concedant.

61 Peregrini, vel forenses, qui alicubi domicilium habent, non tenentur Legibus suæ Patriæ, si in loco, ubi commorantur, non vigeant tales Leges, quia cum sint extra territorium suæ Patriæ non subduntur illis Legibus, *C.* 2. *h. t. in* 6. *Quia extra territorium jus dicenti non paretur impunè. Suar. de Leg. lib.*3. *cap.*32. *cum com. DD.* Etiamsi se transferat ad talem locum præcise animo se eximendi à tali obligatione. Sic contra Sayr. & Salas tenet com. cum *Suar. Castropal. tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 5. *n.* 4. quia utitur jure suo egrediens à tali loco, cum præceptum non obliget, ibi persistere, sicque nec injuriam, nec fraudem agit, *L.*55. *ff. de Reg. jur.* Sed specialiter prohibetur, quod quis egrediatur è loco, ubi receptum est Trid. ad locum ubi non est promulgatum animo præcisè contrahendi matrimonium clandestine, *ex Const. Urban.VIII. apud Lugo.*

Pere-

62 Peregrini, & forenses tenentur Legibus particularibus illius loci, quo morantur, vel transeunt, etiamsi accedant sine animo figendi ibidem domicilium, vel quasi domicilium; non solum, quando Lex particulariter pro ipsis solis ad prospiciendum pro bono Regni est constituta; v. gr. ne extrahantur merces, frumentum, vel pecunia: sed etiam quando Lex est generalis pro tali territorio, & quidem obligantur vi directiva, & coactiva, tenenturque suos contractus testamenta, vel judicia juxta tales Leges ordinare; aliàs quidquid contra ipsas factum sit, nullum, & irritum erit. Nam eo ipso, quod ad talem locum accedunt, debent subjici potestati, & Legibus illius territorij: sic exigente recta gubernatione, ut paci, & tranquillitati Reipublicę consulatur, & scandalo obvietur. Sic *in C. fin. de Foro compet.* subjicitur quis Judici illius loci, ubi contraxit, vel deliquit, *L. 3. ff. de Offic. Præsid.* ibi: *Curet is, qui Provincię præest, malis hominibus Provinciam purgare: nec distinguitur unde sint.* Facit *D. August. in C. 11. D. 12.* ibi: *Consului de hac re beatissimę memoriæ virum Ambrosium; at ille ait: Cum Romam venio, jejuno Sabbato, cum mediolani sum, non jejuno. Sic etiam tu ad quam forte Ecclesiam veneris ejus morem serva. C. fin. de Ferijs, C. 2. de Observ. jejun.* qui Textus generaliter dicunt, Leges Regionis esse servandas. Sic clarè *Suar. de Legib. lib. 3. cap. 33. Castropal. tr. 3. D. 1. p. 24. §. 3. ex n. 11. cum alijs*; probabile tamen est, illis Legibus non obligari, ut nervose defendit *Sanch. in Decal. l. 1. cap. 12. n. 38. Et de Matr. lib. 3. D. 18. n. 6. alios citans.* Tenentur etiam Legibus communibus, quarum usus viget in tali loco, licet non serventur in Patria, vel domicilio ipsorum. *C. 6. D. 4.* quia illa consuetudo, vel privilegium, quod ipsos excusabat in sua Patria, est locale, non personale, ideque locum non egreditur, nec personam comitatur. Idem ac de peregrinis, imò fortiori jure dicendum est de vagis, qui nullibi habent domicilium, vel quasi domicilium: in quo nobiscum convenit *Sanch. de Matr. l. 3. D. 18. n. 15.*

63 Lex aliquem actum irritans, quæ non sit pœnalis, reddit nullum ipso jure actum contra ipsam factum, etiam parte nihil opponente. Et quidem à die datæ etiam ante illius publicationem: & tam in foro externo, quàm interno: quod prob. *ex C. 1. & 8. de his, quæ fiunt à Prælat.* ubi irrita dicitur alienatio facta ab Episcopo, sine solemnitate præscripta. Et ligat ignorantes, ita ut nec ignorantia justa, & probabilis excuset ab actus irritatione, vel nullitate, *C. 13. c. 14. c. 20. de Præbend. in 6.* Nam licet ignorantia Legis, vel irritationis posset impedire culpam, & pœnam, non potest supplere formam præscriptam à Legislatore, sine qua non vult, actum valere. Nam Decretum irritans formam inducit, qua non servata, actus ipso jure corruit. Et ideo alienatio facta ab Episcopo sine debita solemnitate est nulla ipso jure, *C. 1. & 8. de his, quæ fiunt à Prælat.* sic est invalidum matrimonium contractum cum impedimento dirimente consanguinitatis, etiamsi hoc ignoretur, *Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1.* ita tenent *Barb. de Clausul. claus. 40. Mol. tr. 2. D. 468. n. 15. contr. Rodrig. & alios.* Et ideo in Legibus irritantibus non admittitur Epikia. Hinc matrimonium clandestinum irritum erit, & si Parochi præsentia, & testium nequeat haberi ob pestem grassantem, vel alia de causa: quia in Lege irritante potius ad uniformitatem actuum, & communem rationem, quam ad casus particulares attenditur. Si vero actus in favorem alicujus personæ irritetur, quando cedit in ejus utilitatem, non censetur irritus, ut patet in contractu pupilli sine Tutore celebrato, qui quidem valet in ejus utilitatem, quamvis in ejus damnum non valeat ob rationem, *Text. in C. 6. de Reg. jur. in 6.* ibi: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Potest etiam irritatio impediri, si ille, cujus interest, actum irritari, non vult litem movere, nec intentare irritationem, cum ipse possit suo juri cedere, ac proinde talis actus non erit irritus, *Suar. de Leg. lib. 5. cap. 21.*

64 Quando Lex simpliciter prohibet aliquem actum, non adjecta clausula irritante, si talis actus fiat, erit illicitus, non vero irritus, *Suar. de Leg. lib. 5. cap. 25. n. 22.* contra *Bald. & Barbos. claus. 41. n. 46.* quod prob. *ex C. un. de Vot. in 6. c. 1. de Eo qui cognov. c. 16. de Regular. & transf.* ibi: *Multa enim fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Hinc est, quod cum diversæ res sint; prohibere actum, & illum irritare, & aliunde Lex irritans odiosa sit, non debet extendi Lex prohibitiva ad irritandum; imò in dubio potius pro valore actus, quam contra illum debet sumi interpretatio, *L. 12. ff. de Reb. dub.*

65 *Non possunt omnes articuli sigillatim aut Legibus, aut Senatusconsultis compre-*

prehendi, *sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est*, *is, qui jurisdictioni præest ad similia procedere*, *atque ita jus dicere debet*, *L.* 12. *ff. de Legib.* Hinc necessarium est aliquando interpretatione, id est, declaratione uti. Interpretatio quadrupliciter potest considerari; *ex Gl. in l.* 37. *ff. de Legib.* Nam 1. eam facit ipse Legislator, vel ejus Successor, aut Superior, & nuncupatur *authentica*, & habent vim Legis. Sic Text. *in c.* 32. *de Simon.* interpretatur Text. anteriorem *in c.* 31. *Lex* 12. declarat *L.* 11. *tit.* 1. *lib.* 4. *R. C.* potest tamen esse tantum doctrinalis interpretatio à Legislatore facta, ut fecit Innoc. IV. antea Sinibaldus dictus: de quo ait Fichard. Hoc memorabile est, quod quamquam Pontifex jam Commentarios in Decretales ediderit, tamen non majorem authoritatem aliorum scriptis habere ipse quoque voluerit. 2. Consuetudo interpretatur Legem, & ideo dicitur optima Legum interpres, *c.* 8. *de Consuet.* & dicitur: interpretatio *usualis*, habetque vim Legis. Sic in *l.* 25. *tit.* 3. *lib.* 1. *R. C.* consuetudine supponitur firmatum privilegium. 3. Judices judicando interpretantur Leges, quando aliquid dubium incidit in earum intelligentia: hæc interpretatio dicitur *Judicialis*, & facit jus saltem inter litigantes, *l.* 207. *ff. de Reg. jur.* 4. Doctores, & Magistri in consulendo, vel dictando, interpretantur Legem, vel extendunt ad casum non expressum, & hæc interpretatio dicitur *doctrinalis*, & nullam vim Legis habet. Antiquitus deficiente Lege in Hispania erat necesse sequi sententias Bartholi, Baldi, Joannis Andreæ, & Abbatis, sed jam ab hoc onere exempti sunt Judices, *l.* 1. *Taur.* Similes interpretationes posse, & debere fieri à Judicibus, & DD. constat ex *l.* 13. *ff. de Legib.* Imò, & Legislator potest alijs potestatem interpretandi authenticè communicare, §. 8. *Inst. de Jur. Natur.* Sic Pontifex à Deo habet potestatem interpretandi Jus Divinum.

66 Sed cum anima Legum sit Legislatoris intentio, magis ejus voluntatem, quam verba debemus expectare; quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni, *C.* 11. 22. *q.* 5. sed non est recedendum à proprietate verborum, juxta communem usum, nisi sequatur absurdum, vel Lex foret inutilis, vel praxis aliud suadeat, *C.* 2. *de Translat. Episc. l.* 69. *ff. de Legat.* 3. Si Lex generalitèr loquitur, generalitèr intelligenda est, & ubi ipsa non distinguit, nec nos distinguere debemus, *L.* 3. *ff. de Offic. Præsid. Barbos. in axiom. v. Lex.* In odiosis est restringenda, in favorabilibus amplianda, *C.* 15. *de Reg. jur. in* 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda*, *c.* 49. *de Reg. jur. in* 6. Sed quamvis sit odiosa, & pœnalis non debet evadere inutilis, vel otiosa; *arg. l.* 20. §. 6. *ff. de Hæred. petit.* Lex, quæ potest cum alia concordari, concordari debet, ut correctio jurium vitetur, intepretando Legem novam, juxta sensum antiquæ, *L.* 26. *l.* 28. *ff. de Leg.* Si vero sit planè, & plenè contraria, posterior prævalet contra priorem, etiamsi non faciat ejus mentionem, nisi fortè, prior sit particularis, & posterior generalis, *C.* 1. *h. t. in* 6. Ante omnia debet legi totus contextus Legis, *L.* 24. *ff. de Legib.* ut sic ejus ratione præ oculis habita, possit Judex de casu simili expresso ad non expressum, si similis sit, Legis decissionem applicare. Nam ubi est eadem ratio, dari debet eadem juris dispositio ex *L.* 32. *ff. ad Leg. Aquil.* quod præcipuè servatur 1. in correlativis, *L. fin. C. de indicta viduit*, ubi Lex Julia Miscella correcta in viro censetur ex eo, quod in muliere correcta sit, *C.* 1. *de Donat. int. vir*: ubi uxor donationem propter nuptias lucratur, si vir sit adulter, sicut maritus lucratur dotem propter adulterium uxoris. Sic com. DD. 2. in connexis: ideo Codicillum facere permittitur, cui permittitur testamentum. 3. in eis, quæ in jure æquiparantur: hinc, quia Ecclesia in ordine ad restitutionem in integrum Minori æquiparatur, *C.* 1. *de in integr. restit.* restitutionis beneficio gaudet in casibus, in quibus eo gaudet Minor. Quando prohibetur interpretatio alicujus Legis, ut Concilij Trid. à Pio IV. solum prohibetur ea, quæ typis mandatur, & ex professo fit, vel quæ est frivola, & contra mentem ipsius. Quando Legislator facile adiri potest, non habet locum interpretatio, sed ipse interrogari debet. *L.* 1. *C. de Legib.*

67 Proxima interpretationi est *Epijkia*, quæ Latinè dicitur *summa æquitas*, *seu benignitas*, quæ etiam justitia, & quidem præstantior jure dicitur ab *Arist. Ethic.* 5. *cap.* 10. Differt ab interpretatione per hoc, quod per interpretationem verba obscura exponantur; Epijkia autem dictat, rectè agi contra clara verba Legis, eo quod Legislator credatur ex quadam æquitate, & benignitate, quod non fuisset comprehensurus hunc casum, si prævidisset, quamvis sciatur, nunc comprehendisse,

disse. *L. 90. ff. de Reg. jur.* ibi: *In omnibus quidem, maximè tamen in jure, æquitas expectanda est.* D. Angel. ait; *sicut lex instituit quod deposita reddantur, quia hoc ut in plurimum justum est; contingit tamen aliquando esse nocivum, puta si furiosus deposuit gladium, & eum reposcat, dum est in furia, vel si aliquis reposcat depositum ad Patriæ impugnationem: in his ergo, & similibus casibus malum est sequi Legem positivam, bonum autem est, prætermissis verbis Legis, sequi id, quod poscit justitiæ ratio, & communis utilitas; & ad hoc ordinatur Epijkia, quæ apud nos dicitur æquitas.* Sic *D.Thom 2.2.q.120.art.1.*

68 Tres modi, vel rationes utendi Epijkia possunt distingui. Primus erit propter cavendum aliquid iniquum, ut in exemplo D.Thom. alius propter vitandam aliquam obligationem valde arduam, & acerbam, quamvis licitum esset, eam adimplere. Sic excusatur quis à jejunio ob grave incommodum. Tertius est propter conjectatam Legislatoris voluntatem. Ut ait *Aristot. Ethic. 5. cap. 10. Quod etiam Legislator, si adesset, admoneret, de eo, quod si scivisset, Legem tulisset.* Quando constat certo, Legem, etsi posset servari licitè, non obligare, non est necesse ad Legislatorem recurrere: si dubium est, adeundus est Legislator, ut unde jus prodijt, etiam interpretatio procedat, *C. 31. de Sent. excom.* si non possit facile adiri, licet uti Epijkia, in judicio probabili si dubium sit tale, quod non possit probabiliter judicari, an comprehendatur, vel non in Lege casus, de quo agitur, Lex erit observanda, si non potest ad Legislatorem recurri, nisi forte dubium nascatur ex concursu duarum Legum, sibi contrariantium; Nam tunc potest sequi ea, quæ gravior videtur, etiam contra alterius verba. *Suar. de Leg. lib.6. cap.8.*

69 Lex cessat, cessante ratione, causa, seu fine adæquato ipsius respectu communitatis, *C. 26. de Jur. jur.* quando, scilicet, Lex evaderet injusta, turpis, impossibilis, vel nimis aceba, vel difficilis: & hoc est, quod ratio, vel materia Legis cesset *contrariè*; v.g. si Lex præciperet actum indifferentem, v. g. contributionem pro constructione pontis, vel taxam panis, & nunc cessaret finis, taliter, ut contributio esset injusta, quia non dabatur causa eam exigendi, vel pretium panis jam injustum esset; tunc absolutè cessat Lex per se, & sine recursu ad Legislatorem, cum jam non esset honesta, ut Lex debet esse, *C.2. D.4.* Si verò cessante fine extrinseco Legis, etiam adæquato, qui scilicet, Legislatorem movit, & sine quo talem Legem non tulisset (quod est cessare *negativè*) adhuc tamen perseveret finis intrinsecus, ita ut Lex sit honesta, & justa, adhuc ipsa permanebit, quia est capax obligationis. Sic Lex præcipiens jejunium, etiamsi cesset finis extrinsecus macerandi carnem, quia hæc est subjecta spiritui, adhuc Lex obligat ex fine intrinseco, qui est honestas jejunij: potest etiam Lex habens plures articulos cessare, quoad unum, & manere quoad alium, nec tunc utile per inutile vitiatur, *C.37. de Reg. jur. in 6.* ut Lex ergo cesset, debet ratio, vel finis cessare respectu totius communitatis, vel saltem majoris partis illius: quare, si ad vitandas rixas, feratur Lex, quod nullus arma noctu deferat: quamvis hoc periculum cesset in aliquo particulari, qui valdè prudens, & pacificus sit; quia non cessat commune periculum, quod fuit causa Legis; hæc nec respectu illius particularis cessabit. Nam si finis in universali subsistat, etiamsi in particulari actu cesset, manet ratio integra Legis communis, quæ non respicit ad singula, sed ad id, quod frequentius accidit: aliàs pro quolibet particulari propria, & particularis Lex esset statuenda contra *Text. in L.4. ff. de Legib,* ibi: *Ex his, quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur. Et L.5. ff. eod.* ibi: *Nam ad ea potius debet adaptari jus, quæ frequentèr, & facilè, quam quæ per raro eveniunt. Suar. de Leg. lib.6. cap.9.* ubi dilucidè hanc tractat materiam.

70 Lex etiam cessat per derogationem, vel abrogationem. *Derogatur Legi, cum pars detrahitur, abrogatur Legi, cum prorsus tollitur. L. 102. ff. de Verb. signif. Nec debet reprehensibile judicari (ait Pontif. in c.8. de Consang.) si secundum varietatem temporum, statuta quoque varientur humana, præsertim, cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.* Legem ergo abrogare, vel revocare potest, non solum Legislatoris superior, cum habeat majorem ipso potestatem, sed etiam ipse Legislator. Nam si potestatem habuit ad Legem condendam, etiam ad eam tollendam habere debet potestatem, cum res eo modo, quo fiunt dissolvantur, *C. 1. de Reg. jur. L. 35. ff. eod.* imò, & ejus successor; qui cum Legislatore eadem persona censetur, habet eamdem potestatem ad abrogandum Legem: nec Antecessor potuit hanc potestatem limitare, cum par

in

in parem non habeat imperium. *L. 4. ff. de Recept. qui arbit.* Adesse tamen debet justa causa, & ad bonum commune pertinens: sine ea tamen, quamvis valeret abrogatio, utpotè à voluntate Legislatoris vim habens, esset illicita, nam Legislator tunc abuteretur potestate, sibi concessa. *L. 2. ff. de Constit. Princip.* ibi: *In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est*; *L. fin. tit. fin. p. 7.* Nam plerumque novitates discordiam pariunt. *C. 9. de Consuet.* Siquidem, *ut Div. Chrisost. ait: Nihil adeo animos perturbare, etiamsi utilitas secutura expectetur, quam innovare aliquid, & à consuetudine alienum facere.* Ideo debent Legislatores, & superiores se difficiles exhibere in mutatione Legum, & consuetudinum, quæ à majoribus acceperunt.

71 Inferior non potest superioris Legem abrogare, nisi ex privilegio, aut legitima consuetudine hanc habeat potestatem: *C. 16. de Major. & obed.* ibi: *Cum inferior superiorem solvere nequeat, vel ligare. Suar. de Legib. lib. 6. cap. 26. num. 4.* Imo nec Legem propriam potest inferior revocare, si hæc sit à superiori confirmata, adjecta clausula irritante ea, quæ contra ipsam statuantur, vel attententur, *C. 25. §. Præterea de Præbend.* quia tunc ablata censetur potestas inferiori ad aliquid in contrarium statuendum, *C. 1. & 2. de Confirmat. util.* idem dicendum est, quando talis Lex concernit favorem publicum, aut aliorum, quam statuentium, quamquam non adjiciatur similis clausula irritans, quia ex quo superior Legem confirmat, suam fecisse intelligitur. *C. 22. de Præbend. in 6. l. 1. §. 6. C. de Veter. jur. enucl.* Si verò Legis confirmatio principalitèr concernit favorem statuentium, vel tantum ad majorem authoritatem Legis sit à superiori confirmata, v. g. si Papa confirmet statutum Canonicorum, vel Rex statutum alicujus Civitatis: si non addatur clausula irritans, possunt statuentes suam Legem abrogare: quia solum in favorem ipsorum (qui invitis non datur, *L. 69. ff. de Reg. jur.*) intelligitur confirmata. *C. 8. h. t. & ibid. Gonz. num. fin. Suar. de Legib. lib. 6. cap. 26. n. 15.* Cum ergo talis confirmatio, sit favor, & gratia, non verò coactio, respectu eorum, quibus conceditur, non obstante tali confirmatione, possunt illi tali favori renuntiare, & consequentèr Legem abrogare. Nam semper censetur manere in suo primo statu Legis Municipalis, vel particularis statuti. Latè de hoc *Suar. de Legib. lib. 6. cap. 26. ex n. 16.* qui ibidem varias sententias refert. Si Lex posterior non possit cum antiquis concordari, quod semper debet procurari, ut jurium correctio vitetur, *C. 29. de Elect. in 6.* Lex posterior derogat priorem contrariam in corpore juris inclusam, etiamsi illius nullam mentionem faciat. Si verò Lex anterior est specialis, debet posterior facere mentionem illius, quia licet Princeps in Scrinio pectoris jura censeatur habere, potest tamen Legem specialem ignorare, cum hoc ad factum pertinere censeatur. *C. 1. h. t. in 6.* Si Lex anterior sit confirmata cum juramento de ea non revocanda, vel si sit munita clausula derogatoria Legis ferendæ; ut juramentum, & hæc clausula aliquem effectum habeat, debet illorum fieri mentio in Lege posteriori. Quando abrogatio fit per Legem posteriorem contrariam, debet publicari ipsa abrogatio. Si fiat sine novæ Legis impositione, sufficit, quod subdito, quomodocumque innotescat, ut cesset obligatio Legis: expedit tamen, quod publicetur abrogatio, ut sic scandala, & dissensiones vitentur. *Suar. de Legib. lib. 6. cap. 27.* Ex hac temporum computatione in Legum antiquitate prodijt illud, etiam lippis, & tensoribus notum proverbium: *Distingue tempora, & concordabis jura.*

72 Etiam dispensatio est modus, quo Lex cessat, quoad partem. *Dispensatio enim est relaxatio alicujus juris, seu exemptio alicujus ab obligatione Legis, hac manente pro reliqua communitate*; *arg. C. 28. de Præbend.* regulariter non conceditur, nisi ad partis petitionem: & ea concessa, potest dispensatus ea uti, si vult, non tamen cogitur: Aliquando motu proprio conceditur dispensatio: quin, & potest quis obligari ea uti ob ejus, vel alterius, & præcipuè ob bonum commune. Quælibet Lex potest dispensari ab ejus Legislatore, vel à Successore, vel à Superiori hujus in jurisdictione. Inferior autem in Lege Superioris nequit dispensare, *C. 16. de Major. & obed.* Hinc Pontifex non potest dispensare in Jure Naturali, nec Divino, *C. 4. de Usur.* nec Archiepiscopus, vel Episcopus in Lege Pontificia, nec Archiepiscopus in Concilio Provinciali, quia est inferiori Concilio, benè tamen possunt dispensare in Synodo Diœcesana, quia solus Episcopus habet votum decisivum: Clerici vero tantum consultivum; ac proinde non indigent eorum consensu, *Samb. de Matr. l. 8. D. 17. ex n. 33.*

Pon-

73 Pontifex potest dispensare in Lege Ecclesiastica sive ab ipso, sive à Prædecessoribus, sive ab Apostolis, sive à Concilio Generali lata, *C.* 4. *de Concess. præb.* ibi: *Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare.* An Episcopus, vel alij Prælati possint dispensare in Lege Pontificia, expressè non reservata, est anceps quæstio. Affirmat *Covar. in c. Alma, p.* 1. §.7. *cum alijs*; negat *Suar. de Leg. lib. 6. cap.* 14. *n.*4. *alios citans*, quia inferior nequit mutare, nec dispensare in Lege Superioris, nisi ex concessione saltem tacita, vel ex consuetudine legitima habeat talem potestatem, *C.* 16. *de Major. & obed. Cl.* 2. *de Elect.* Episcopus tamen potest absolvere à censuris non reservatis, *C.* 29. *de Sent. excom.* ibi: *Quando conditor canonis absolutionem sibi specialitèr non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi.* Etiam potest dispensare in observatione jejuniorum, & festorum, cum sint casus usufrequentes: item si materia sit levis; in casu extraordinario, dum magna est necessitas, & periculum est in mora, nec facilè potest adiri Superior: quia hæc omnia censetur ipsis concessa ad rectam administrationem, & hoc exigit suave regimen Ecclesiæ; *arg. L.*2. *ff. de Jurisdict.* vel si ad dispensandum detur privilegium, vel consuetudo legitimè præscripta, vel cum dubitatur, an casus Legis dispensatione indigeat: quia cum de Legis ad strictione non constet, standum est pro libertate, *L.* 99. *ff. de Verb. obligat.*

74 Quando in jure impersonalitèr dicitur: *dispensetur*, potest Episcopus dispensare: quia cum illa verba non intelligantur de Pontifice, qui sine tali concessione potest in omni Jure Ecclesiastico per se dispensare, *C.* 4. *de Concess. præb.* ne sint superflua, debent de Episcopis intelligi; *arg. C.* 30. *de Privileg.* Et hæc doctrina debet intelligi de Legatis Apostolicis, cum habitantibus in sua Provincia: de Prælatis Regularibus, saltem exemptis cum suis Religiosis, & aliquando de Parochis, cum suis Parochianis.

75 Si Legislator in Lege propria dispenset sine causa, valet dispensatio, quia cum ex ejus voluntate dependeat Legis obligatio, potest propria voluntate talem obligationem tollere, de Legeque, ut de re propria disponere, *L.* 21. *C. Mandat. Sanch. de Matr. l.* 8. *D.* 17. *ex n.* 23. *plures citans*, erit tamen illicita dispensatio, *D. Thom.* 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. ibi: *Si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens, infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret, propter quod Dominus dicit, Luc.* 18. *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Suar. de Legib. lib.* 6. *cap.* 18. *Sanch. de Matr. l.* 8. *D.* 18. *n.* 3. *cum alijs* contra *alios*, qui dicunt, talem dispensationem licitam esse, nec aliqua causa ad dispensandum in sua Lege indigere Legislatorem præter suam voluntatem.

76 Quando vero inferior in Lege superioris dispensat, v. g. Pontifex in Jure Divino, vel Episcopus in Lege Pontificia, adeo est necessaria justa causa, ut si ea deficiat, dispensatio non solum illicita, sed & nulla erit. Quia tunc dispensans, limites potestatis, quam habet, egreditur; ac proinde nulliter agit, *C.* 22. *de Rescript. l.* 5. *ff. Mandat.* si quidem illi solum dispensare conceditur ex justa, & rationabili causa; & quidem à Judice cognita, *C.* 6. *c.*7.1. *q.*7. *Trid. sess.*25. *de Ref. cap.*18. ibi: *Quod si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.* Imo si vere causa subsistat, si dispensetur sine causæ cognitione, erit nulla in foro externo dispensatio: nam à jure requiritur pro forma causæ cognitio: nec causa justa moveret ad dispensandum, si hæc à Legislatore non cognoscatur, sufficit tamen, si hæc cognitio sit extrajudicialis. Nam, cum per eam possit probari, causam ad fuisse ad dispensandum, ei detur contraria præsumptio, *Suar. de Leg. lib.* 9. *cap.* 19. *n.* 2. in foro tamen interno valida erit prædicta dispensatio, *Sanch. lib.* 8. *de Matr. D.* 17. *n.* 11. quippè nullo jure irritatur, ac proinde valida censebitur, donec revocetur à Judice: quamvis alij aliter sentiant.

77 Causæ justæ ad dispensandum sunt, necessitas, pietas, utilitas, gratitudo ob merita in Ecclesiam, vel Rempublicam, & misericordia ad succurrendum hominum fragilitati, quando ex inconsideratione aliquis vovit, vel si difficilè est adimpleturus. Subditus petens sine justa causa dispensationem peccat, sicut diximus, Legislatorem in ea concedenda peccare. Quando justa causa est, & potest superior dispensare, non eo præcisè dispensare tenetur, nisi quando hoc est ne-

necessarium ad commune bonum, vel ad vitandum publicum scandalum, vel ad bonum spirituale postulantis, vel quid simile, *Suar. de Leg. lib. 6. cap. 18. ex n. 20.* Sed licet subditus in petitione talis dispensationis peccasset, probabile est, eum non ulterius peccare in talis dispensationis usu, quia tunc non cooperatur peccato dispensantis, & aliunde in effectu illius dispensationis nulla est malitia. Sic *Suar. de Legib. l. 6. cap. 19. n. 14. cum alijs* contra *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 18. n. 11. cum alijs.*

78 Superior, cui competit, vel est concessa facultas dispensandi cum alijs, etiam secum ipso potest, non solum indirectè; scilicèt dispensando cum communitate, in qua ipse continetur, tanquam pars principalis; vel alteri committendo suas vices, qui cum ipso dispenset, v. g. Papa, Rex, vel quilibet alius Magistratus, & non solum in suis Legibus, sed etiam in Lege à superiori condita in casibus permissis; sed etiam directe dispensare valet; *D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. in Corp. Suar. de Leg. lib. 6. cap. 12. n. 8.* quia Lex, vel superior dans alicui privilegium, seu jurisdictionem ad dispensandum cum alijs, præsumitur concedere facultatem ad dispensandum secum ipso, ne sit superior pejoris conditionis, quam illius subditi, præcipuè cum dispensatio sit actus jurisdictionis voluntariæ, non coactivæ, nec contentiosæ, ac proinde non requirit personarum distinctionem; sicut in concedente indulgentias accidit, nam ipse eas lucrari potest.

79 Nec obstat, quod dicitur *in C. fin. de Instit.* quod inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personalis: Nam illa ratio intelligenda est, non generalitèr, sed circa subjectam materiam beneficiorum; quia qui potest conferre beneficium, non potest se ipsum instituere, ut sic claudatur janua ambitioni Prælatorum. Eadem ratione in *C. 26. de Jur. patr.* prohibetur Ecclesiæ patronus se ipsum præsentare ad beneficium. Nec Tutor potest in re sua fieri Author, *L. 1. ff. de Author. Tutor.* quia si ei permitteretur cum suo pupillo contrahere, hic fraudibus, & periculis exponeretur. Superior non potest se absolvere à censuris, quia hæc absolutio est quædam sententia, quam non potest quis, etiam R. Pontifex in se ipsum proferre, cum sit jurisdictionis coactivæ sicut nec potest se absolvere ab alijs pœnis, quas per sententiam contraxit.

80 Dispensatio potest fieri. 1. *tacitè,* si Pontifex, v. gr. in Quadragesima præcipiat alicui carnem comedere, creditur cum eo dispensare. 2. *expressè,* posito quocumque signo, quod voluntatem dispensantis sufficientèr explicet; nec requiruntur determinatè verba, vel scriptura, *Suar. de Legib. lib. 6. cap. 13.* Dispensatio est strictæ interpretationis, cum à jure communi recedat. Delegatio verò potestatis dispensandi generalitèr in aliqua Lege, est favorabilis, & hac ratione amplianda: quia est in favorem communitatis, nec est contra jus, sed juxta jus.

81 Nunc pro coronide hujus Tituli aliqualem Legis Divinæ notitiam addere oportet pro intelligentia, *in Text. C. 3. h. t.* A principio enim Mundi homines Lege naturali regebantur: nam licet Deus unum, vel alterum præceptum aliquibus in particulari imposuisset, ut Adamo de non comedendo cibo vetito, *Genes. 3.* & post diluvium præceptum imposuit de non comedenda carne cum sanguine, *Gen. 9.* & postea fuit datum Abrahæ præceptum Circuncisionis, *Gen. 17.* & alia hujusmodi, tamen nondum Deus Legem statuerat, usque ad tempora Moysis. *Lex ergo, vel Jus Divinum, est Lex à Deo Legislatore in tempore data hominibus ad finem supernaturalem.* Alia est *Lex Vetus,* quæ etiam dicitur, *Lex Scripta,* quia Deus suo digito in duabus tabulis eam scripsit, in quarum prima tria priora Decalogi præcepta, in secunda septem posteriora extabant. Etiam Lex Vetus frequentèr *Lex Mosaica,* ab ejus promulgatore appellatur. Alia est *Nova,* quæ etiam appellatur *Lex Gratiæ, Lex Evangelica, Lex Libertatis, Lex Amoris, Lex scripta in corde, Lex Christi, Lex Fidei, Lex Spiritus vitæ.* Deus enim, ut Legislator Supremus per medium Angelorum Legem particularem dedit Populo Judaico; & quidem soli, juxta *Deut. 4.* & conversis, è Gentilibus, qui Proselyti dicebantur; quam Moyses promulgavit, atque adeo nullum præceptum humanum inveniebatur in Lege veteri. *Paul. ad Gal. 3. v. 19.* ibi: *Ordinata per Angelos in manu mediatoris. Deuter. 1. v. 3.* ibi: *Locutus est Moyses ad Filios Israel omnia, quæ præceperat ei Dominus, ut diceret eis,* C. 8. *de Consang.* Et de Moyse promulgatore intelligitur illud *Matth. 19. ad duritiam cordis vestri permisit vobis (Moyses) dimittere uxores vestras. Joan. 1. v. 17. Lex per Moysen data est. Marc. 7. Moyses dixit: honora patrem tuum.*

82 Finis ultimus principalitèr à Deo per Legem veterem intentus fuit spiritualis,

lis, & supernaturalis felicitas illius Populi, & in hac vita per bonos mores, & veram sanctitatem, & etiam in futura per supernaturalem felicitatem, ut constat ex *Apost. ad Rom.* 7. *D.Thom.* 1. 2. q. 99. *art.* 2. licet ex malitia hominum. *Lex sub intravit, ut abundaret delictum. Rom.* 5. Lex autem vetus ex se non justificabat, nec gratiam conferebat, nec vires ad sanctitatem consequendam. *Rom.* 3. *v.* 20. Licet viam ostenderet, Deus tamen dabat supernaturalia auxilia gratiæ ex meritis Christi, & in Fide, & propter ejus Fidem conferebantur. *Rom.* 10. *v.* 4. *Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti. D.Thom.* 1. 2. q. 100. *art.* 12. *Præcepta Legis justificabant in quantum disponebat homines ad gratiam Christi justificantem, quam etiam significabant. Et q.* 104. *art.* 3. ait: *Lex enim fuit Pædagogus ducens ad Christum, ut dicitur Gal.* 3. Late *Suar. de Legib. lib.* 9. *cap.* 7. *n.* 6.

83 Triplicis generis præcepta continebat. *Deut.* 6. ibi: *Hæc sunt præcepta, & cæremoniæ, atque Judicia* scilicet 1. *Moralia*, quibus Populus in moribus honeste instituebatur. Hæc enim erant præcipue præcepta naturalia, quæ in Decalogo continebantur, *Exod.* 20. *ex v.* 3. Nam licet talia præcepta essent Juris naturalis, voluit Deus ea specialitèr promulgari, ut clarius cognoscerentur: nam homines suis passionibus, & vitijs obcæcati eorum vim non plenè percallebant. 2. *Judicialia*, quibus status Politicus regebatur per 613. Legeslatas pro toto Populo, & singulis membris, pro ordine domestico, pro hospitibus, & Peregrinis, pro Principe, & Populo, & alijs Judicijs civilibus, & criminalibus: quæ præcipuè inveniuntur in *Exod. ex cap.* 21. 3. *Cæremonialia*, quæ ad Divinum cultum pertinebant: Talia erant sacramenta, ut circuncisio, & esus agni. Sacrificia, ut holocaustum, Hostia pacifica, expiatio, seu sacrificium pro peccato: Et etiam res sacræ ut templum, altare, vasa, & festivitates Sabbati, Paschæ, Azymorum, & Neomeniæ. Et etiam aliæ particulares observantiæ ut jejunia, cibi vetiti, &c. quæ præcipuè in Levitico inveniuntur. Et quidem Lex vetus non solum comprehendebat actus externos, seu facta; *Paul. ad Rom.* 3. *v.* 27. sed etiam actus internos. *Levit.* 19. *v.* 17. ibi: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.*

84 Lex vetus cessavit, & abrogata fuit expleto tempore, pro quo fuit data. *Paul. ad Galat.* ibi: *Donec veniret semen.* Nam licet diceretur in perpetuum duratura, hoc intelligitur per multa sæcula. *Translato enim Sacerdotio necesse est, ut & Legis translatio fiat*, ut ait *Apost. ad Hebr.* 7. *Et C.* 3. *h. t.* Nam ut benè infert *D.Th.* 1. 2. q. 104. *art.* 5. *Sacerdotium est translatum ab Aaron ad Christum: ergo etiam, & tota Lex translata.* Duravit tamen toto tempore, quo Christus vixit, ipse enim eam servavit. *Matth.* 5. & 26. & ad ejus observationem hortabatur. *Matth.* 23. *Luc.* 5. *v.* 14. dixit leproso: *Ostende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua sicut præcepit Moyses.* Cessavit ergo, & mortifera est facta Lex post Christum, maximè, post Evangelium divulgatum. *D. Thom.* 1. 2. q. 104. *art.* 3. alij aliter. Latè *Suar. de Legib. lib.* 9. *cap.* 13. Nam Lege Gratiæ statuta, cessavit Lex vetus. Christus enim Dominus est verè Legislator Novæ Legis. *Joan.* 1. Et fide certum est ex *Trid. sess.* 6. *Can.* 21. in sua enim Lege præcepit actus externos, & internos. *Matth.* 5. Deditque præcepta moralia, nempe, quæ sunt de dilectione proximi, & inimicorum. Etiam varia consilia Evangelica Christus dedit: nulla tamen per se tulit præcepta judicialia; sed ad ea condenda potestatem dedit Ecclesiæ: & ideo sunt merè humana: sic Apostoli prohibuerunt esum sanguinis, & suffocati. *Actor. Apost. cap.* 15. Aliásque Leges tulerunt; de celebranda die Dominica loco Sabbati, de jejunio Quadragesimali, de bigamis non ordinandis, & alias, quæ in Canonibus Apostolorum inveniuntur. Deditque præcepta cæremonialia positiva, ut sunt sacramenta, & sacrificium, quæ quatenus spectant ad Divini cultus substantiam perpetuo duratura, & immutabilia sunt. Alia cæremonialia Ecclesiæ dispositioni reliquit.

85 Præcepta moralia Legis veteris licet cessassent, quatenus præcisè positivè Divina, respectu illius Populi, non cessaverunt, quatenus naturalia: sicut enim Gratia non destruit, sed perficit naturam, ita Lex Gratiæ non infirmavit, sed confirmavit Legem Moralem. *Rom.* 3. *v.* 31. ibi: *Legem ergo destruimus, per Fidem? absit: sed Legem statuimus.* Lex antiqua quoad præcepta judicialia nunc est *mortua*, quia Populum Christianum non obligat, non tamen est *mortifera*, nam ejus præcepta possunt à Legislatoribus Christianis, ut Politica suscitari, & defacto varia Exodi præcepta à Pontificibus suscitata sunt. *In C.* 1. *de Homic. C.* 1. *de Adulter. C.* 1. & *seqq. de Injurijs.* Et à nostris Regibus est suscita in *L.* 70. *Taur.* Lex retractus *ex Levit.* 25. Non tamen possunt

suscitari Leges illæ, quas Christus D. reprobavit: sic Lex, quæ jubebat oculum pro oculo, dentem pro dente dare. *Exod.* 21. *v.* 24. *Deut.* 19. *v.* 21. reprobata est *Matth.* 5. *v.* 38. similitèr Lex repudij, *Deut.* 24. abrogata est *Matth.* 5. *v.* 32. Etiam poterant suscitari illa præcepta cæremonialia, quæ tantum *religiosa* erant, ut patet ex *C. unic. de Purific. post part.* Secus verò illa, quæ erant *Typica*, & Christum venturum præfigurabant: hæc enim non tantum mortua, sed & mortifera sunt, & nulla Lege possunt nunc induci, ne conjugatur umbra cum Sole, & Synagoga cum Ecclesia. Observatio enim eorum præjudicat Fidei veritati, secundum quam confitemur, illa mysteria jam esse completa. *D.Thom.* 1.2. *q.* 104. *art.* 3. Latè *Suar. de Legib. l.*9. *&* 10. *Gonz. in C.* 3. *b. t.*

TIT. III.

De Rescriptis.

86 RESCRIPTUM, quod sic à *rescribendo* dicitur, est species Legis. Differunt tamen in eo, quod Lex de his, quæ frequentèr, non de his, quæ raro accidunt, constituitur, *L.* 3. *ff. de Legib.* Rescriptum verò regularitèr ob casus, & ad personas particulares expeditur, & dirigitur, *L.* 2. *C. de Legib.* habet tamen vim Legis, si à Principe generalitèr servari mandetur, vel ad corpus juris reducatur. *C.*19. *de Sent. & re Judic.* Secus si solum ad decidendam controversiam inter partes emanet: quia tunc solum vim sententiæ, & juris particularis habet, *L.*2. *C. de Legib.* & sic definitur. *Est responsum Principis, vel contra, vel extra, vel secundum jus, in scriptis datum ad instantiam alicujus, vel supplicantis, vel consulentis. L. fin. C. de Legib.* Si à Principe Sæculari dimanet schedula Regia: *Hispanè Cedula Real*, & si hæc in alia posteriori sit inserta. *Sobrecarta* dicitur. Et Latè acceptum comprehendit privilegium, dispensationem, & beneficium Principis, solumque à Principe supremo conceditur; *arg. C.* 10. *c.* 11. *b. t.* Differt ab Epistola Decretali, quia licet hæc sæpius ad consultationem, vel relationem partium, vel Judicum inferiorum expediatur, illam necessario non supponit. A vivæ vocis oraculo differt, quia hoc verbo, seu viva voce datur, licet posteà redigatur in scripturam.

87 Omissis alijs divisionibus minoris momenti, est celeberrima Rescriptorum divisio, in *rescripta gratiæ*, & *rescripta justitiæ*. Rescripta *gratiæ* sunt illa, in quibus à Principe aliquid liberalitèr conceditur, vel præter, vel contra jus commune; v.g. quando conceduntur resignationes beneficiorum. Rescripta *justitiæ*, *seu ad lites*, sunt, quæ administrationem justitiæ respiciunt; v.g. quando Judices delegantur, ut de causa cognoscant, vel quando in ipsis rescriptis jus partium declaratur: in dubio tamen rescriptum justitiæ esse præsumitur, cum gratia, utpotè facti, non præsumatur, nisi probetur, *C.*2. *de Schismat.*

88 Rescriptum impetrare possunt omnes, quibus non specialitèr prohibetur, *C.*3. *c.*10. *b. t.* illud nequeunt impetrare servus, *L.* 1. *C. de Precib. Imperat. offer.* nisi ex causis atrocissimis, *L.* 2. *ff. de His, qui sunt sui*; falsus, aut revocatus Procurator, *C.*33. *b. t.* Hæreticus, *L.*2. *C. de Sum. Trinit.* Excommunicatus excommunicatione majori; & rescriptum ab ipso impetratum, etiamsi sit toleratus, & ipso jure nullum, *C.*1. *b. t. in* 6. nisi impetretur super ipsa excommunicatione, quia hoc est necessarium ad sui defensionem. Et cum prohibitio loquatur de Rescripto Pontificio, utpotè odiosa, non est extendenda ad rescriptum impetratum à Principe Sæculari. Rescripta gratiæ potest quis pro alio sine ejus mandato impetrare, ut contra *Abb.* tenet *Suar. de Leg. lib.* 6. *cap.* 13. *à n.* 6. *ex l.* 6. *c. de Precib. Imperat. offer.* non vero acceptare, quia est actus personalis, *C.* 17. *de Preb. in* 6. Nullus tamen potest pro alio rescriptum justitiæ impetrare, ne lites potius crescant, quam diminuantur, nisi habeat speciale mandatum, *C.* 28. *c.* 33. *b. t.* Potest tamen illud pro se impetrare Procurator generalis, vel conjuncta persona, ut pater, filius, frater, affinis, vel libertus, *C.* 28. §. *sunt b. t.* quin & alij si faveat consuetudo.

89 Rescripta ut benè notat *Gonz. in c.* 2. *b. t. n.* 15. communitèr habent quinque partes. Scilicèt, 1. *narrationem facti.* 2. *responsionem*, *seu concessionem.* 3. *clausulas.* 4. *datam.* 5. *signaturam.* In 1. parte preces, seu narratio ejus, quod postulatur, continetur. Narratio rescripti, prout est relationis supplicantis repetitio nihil probat, nisi quantum à supplicante probetur, *L.* 5. *C. de Fide instrum.* nec quatenus est nova quædam expressio relativa rerum, quas rescribens commemorat, nisi faciant aliquid ad principalem causam rescrip-

cripti: vel ita in illis fundetur rescriptum, ut aliàs non concederetur, *C. de Privil. in 6.* In 1. ergo parte debent exprimi nomen supplicantis, & ultimi possessoris beneficij, si de eo agatur, *C. 17. b. t.* personæ supplicantis qualitas, si Laicus, Clericus, vel Regularis sit, *C. 6. de Confirm. util.* Si sit constitutus in Dignitate, *C. 8. b. t.* An habeat impedimentum Canonicum: etiam exprimenda est qualitas beneficij, an sit Dignitas, *C. 8. b. t.* An sit curatum, *C. 16. de Preb. in 6.* An exigat residentiam, *C. fin. de Cleric. non resid.* An sit beneficium Ecclesiæ Cathedralis, *C. 4. de Prab. in 6.* An Sæculare, vel Regulare, *C. 5. de Preb. in 6.* Si impetrans habeat beneficium, etiam tenue, *C. 42. b. t.* vel vicariam, si est perpetua, *C. 27. b. t.* Etiam exprimi debet valor beneficij; modus, quo vacat, *C. 6. b. t. in 6.* Si alter habeat jus ad beneficium, quod vacat. Si alius est in possessione etiam colorata, *C. 6. de Concess. preb.* vel in detentatione, nisi sit aperte injusta: Si alius prius super illo beneficio rescriptum impetravit, *C. 31. b. t.*

90 Impetrans ergo rescriptum debet exprimere omne illud, quod si sciret Princeps, vel negaret, vel difficilem redderet illius concessionem. Hinc in rescriptis justitiæ, vel ad lites debet fieri mentio conditionis personæ, vel privilegij, quando dat formam rescripto impetrando: item transactionis, jam à partibus initæ, *L. 16. C. de Transact.* litis pendentis, si in litis præjudicium cedat, *C. 1. & fin. ut lite pendent.* Sententiæ jam latæ seu appellationis interpositæ, *C. 12. b. t. C. 3. de Confirm. util.* nec debet reum trahere ad judicium ultra unam dietam extra suam Diœcesim, *C. 11. §. 1. b. t. in 6.* Dieta Legalis constat 20. milliaribus Legalibus, *L. 3. ff. de Verb. signif.* Milliare Legale, seu Italicum constat mille passibus; in nostra Hispania Dieta decem leucis constat *L. 18. tit. 7. lib. 1. R. Cast.* nec post rescriptum gratiæ ab aliquo impetratum potest de novo aliud impetrari ab alio, nisi facta mentione prioris in sua petitione, *C. 31. b. t.* Et inserta in secundo derogatione regulæ 18. Cancellariæ de non tollendo jus alteri, quomodolibet per priorem concessionem quæsitum.

91 Hodie preces coram Referendarijs signacturæ, seu gratiæ, seu justitiæ juxta negotij qualitatem, proponuntur. Hi offerunt R. Pontifici libellos supplices; quod si continent gratiam, respondet Papa: *placet*, aut *fiat*, & statim fit gratia; *arg. c. 4. 17. q. 1.* si postulant justitiam, respondet: *Audiat N. Episcopus, & faciat justitiam.* Et hæc est 2. pars rescriptorum. In 3. ponuntur clausulæ, quarum aliquæ, & si non apponantur, insunt, ut *si ita est*, *Cap. 12. b. t. Si preces veritate nitantur*, *C. 2. b. t. l. 37. tit. 18. p. 3.* in rescriptis tam gratiæ, quàm justitiæ, vel ponitur, vel subintelligitur hæc clausula. *Salvo jure alterius*, quod si rescriptum in damnum tertij cedat in re gravi est ipso jure nullum, hac non expressa. Etiam apponitur hæc clausula: *Si dignus sit*, hoc est, si is, cui datur beneficium non habeat impedimentum Canonicum. Et hoc rescriptum dicitur *in forma dignum.* Et tunc non fit provisio, sed debet fieri à delegato, si provisus dignus sit. Et hæc clausula etiam rescriptis inest. Quando fit in *forma gratiosa* solum datur mandatum ad executores deputatos, ut provisum in possessionem inducant. Etiam solet apponi hæc clausula: *Non obstantibus quibuscumque privilegijs, sub quacumque forma concessis*, per quam privilegia omnia derogantur, nisi in corpore juris sint inclusa, vel habeant clausulam, ut non derogentur, nisi fiat eorum mentio, vel per modum contractus concessa sint, in meritorum compensationem. Clausula: *Quod si non omnes interesse possint, duo, alter ve eorum nihilominus exequatur*: comprehendit impotentiam facti, & juris, qua verificata in uno, alter potest procedere, & terminare causam, *C. 13. b. t.* Etiam solet apponi hæc clausula: *appellatione remota*, *C. 1. b. t. L. 13. tit. 23. p. 3.* Et in uno articulo apposita extenditur ad omnes articulos connexos, *C. 41. de Appell.* & per ipsam saltem de Jure Canonico solum tollitur regularitèr appellatio frustratoria, non legitima defensio, *C. 46. de Appellation.* Hæ sunt clausulæ usu frequentiores, quæ solent in rescriptis apponi, imò & aliquæ insunt ipsis rescriptis, licet non apponantur, pro quarum latiori explicatione vide *Barbos. de Clausul.*

92 4. Pars continet, *Datam* in qua exprimitur annus Incarnationis, & Pontificatus, & dies expeditionis; non per cifras, & notas numerorum, sed per integras voces, *C. 7. b. t. c. 6. de Fid. instrum. l. 4. c. de Diversis rescript.* 5. pars continet *signaturam* ubi R. Pontifex signat, & subscribit nomen suum. Rescripta gratiæ bullantur cum filo serico rubro, & croceo, rescripta justitiæ cum filo cannabis, in quo plumbum pendet, *C. 5. c. 6. de Crimin. fals. arg. l. 6. c. de Divers. rescript.* Debet præ-

prætereà rescriptum esse juxta stylum Curiæ in bulla filo, Charta, & alijs, *C.6. de Crim. falf.* in Pontificijs rescriptis præponitur nomen Papæ; v. g. *Clemens XII.* in Regijs verò solum nomen Dignitatis: sic: *El Rey*. Et post diem, & annum subscribit, sic: *To el Rey*. Et apponit rubricam; non verò sigillum. Et Regiæ Cameræ Consiliarij Rubricas solum, non verò nomina apponunt. Et Regius Tabellio,seu Secretarius subscribit, & apponit rubricam, hoc modo: *Por mandado del Rey nuestro Señor*. D. Juan Ventura Maturana. *L. 23. tit. 1. lib. 2. R. Ind. l. 5. tit. 4. l. 23. tit. 6. lib. 2. R. Ind.* Si via extraordinaria, vel reservata rescriptum expediatur solum subscribit Rex, & ejus Secretarius, vel Supremus Minister; nec Rubricæ Senatorum apponuntur, taliaque rescripta debent adimpleri Provisiones Regiæ subscribuntur à Senatoribus, aliàs licet obediantur, non mandantur executioni, *L.23. tit.1. lib.2. R. Ind.*

93 Si dirigatur ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos confirmatos rescriptum Pontificium illos vocat *Venerabiles fratres*, cæteros omnes fideles, etiam Reges, *filios* appellat. Si ad unum dirigitur, utitur nomine singulari, non plurali, *C. 6. de Crimin. falf.* Et licet barbarismus, vel solecismus dubius possit dissimulari in talibus rescriptis, minimè verò, quando solecismus est crassus; nam talis vitiat rescriptum, *C. 11. h. t.* debet etiam esse purum a cancellatione, delectione, & rasura in parte suspecta, vel substantiali, scilicèt, in nominibus, dispensatione, &c. *C. 6. de Fide instrum. c.5. de Crimin. falf.* Si contra jus commune concedatur, debet addi clausula illius derogatoria; *arg. c. 5. 25. q. 2.* ne credatur suppositititium: quia non præsumitur, Principem jus tot vigilijs inventum uno rescripto tollere velle.

94 Si tertij jus lædatur, de eo debet mentionem facere rescriptum, quia non præsumitur, Principem, suo rescripto velle juri alterius præjudicare, *C. 15. de Offic. deleg.* quod præcipuè in nostra Hispania debet observari; *arg. l. 4. l.7. tit.14. lib. 4. R. C. l. 19. tit. 1. lib.2. R. Ind.* Nec debet delegari Judex incertus ad arbitrium impetrantis eligendus: quia impetrans posset eligere Judicem, qui sibi faveret, ac proinde adversatio esset suspectus; nisi addita clausula ex *certa scientia, c. 10. h. t.* Nec uni, nec pluribus Judicibus debent committi omnia negotia,tam præsentia, quàm futura, quia magnum præjudicium potestati ordinariorum inferretur, quod non præsumitur, Papam velle facere, *C. 10. h. t.* at vero Judicibus conservatoribus Religionum committitur omnino defensio alicujus Ordinis.

95 Aliquando rescriptum *motu proprio* conceditur, quando scilicèt ex mera liberalitate Principis procedit, ex qua movetur, non vero ex instantia partis quamvis hæc præcesserit; & in rescripto additur hæc clausula: *motu proprio*, quod si non exprimatur, præsumitur, rescriptum ad instantiam, seu preces partis concessum esse, *C. 23. de Preb. in 6.* Et quamvis hæc clausula non tollat vitium obreptionis ortum ex falsi narratione, quia concedens aliquid ex errore, seu falsitate causæ, non consentit, *L. 15. ff. de Jurisdict.* tollit tamen subreptionem commissam per reticentiam veri, nisi fortè taceatur inhabilitas personæ, vel qualitas intrinseca beneficij, vel jus tertij præjudicetur, vel quid simile, *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 21. ex n. 47. Barbosa de Claus. claus. 79. ex n.16.*

96 Rescriptum vitiosum redditur ex eo, quod *obreptitium*, vel *subreptitium* sit. *Obreptitium* propriè est, quando continet expressionem alicujus falsitatis circa causam motivam, vel aliud substantiale requisitum. *Subreptitium* dicitur, quando in eo supprimitur veritas de jure, vel consuetudine, aut stylo Curiæ necessario exprimenda, secundum supradicta. Solent tamen hi termini sæpè in jure, & à juris interpretibus confundi, qui propterea aliquando ipsis promiscuè utuntur.

97 Omne rescriptum, sivè gratiæ, sivè justitiæ, in quo per malitiam, & dolum est allegata falsitas, vel suppressa veritas, quæ pertineat ad substantiam rei petitæ, est nullum ipso jure: & quidem de rescripto Gratiæ, id facile concedunt DD. sed idem dicendum est de rescripto justitiæ, ut tenet cum pluribus *Gonz. in C. 20. h. t. n.8.* contra *Sanch. de Matr. lib.8.D.21. n.76. & alios.* Et quidem est nullum, quoad omnes partes illius, ut utrumque constat ex generalitate, *Text. in C.20. h. t.* Juncta com. DD. intelligentia in percelebri dicto Text. *in C. Super litteris, 20. h. t.* ibi: *Qui per fraudem, vel malitiam falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem in sua perversitatis pœnam, nullum ex illis litteris commodum consequantur*, C. 15. *h. t.* ibi: *Quia fraus, & dolus ei patrocinari non debent, tanquam mendax precator careat penitus impetratis, L. 1. ff. de Natalib. restituend. L. fin. C. de Divers. rescript. L. 36. tit.*

tit. 18. *p.* 3. ibi: *E decimos, que si Carta fuere ganada diciendo mentira, è encubriendo la verdad, que non debet valer*, *L.* 22. *tit.* 1. *lib.* 2. *R. Ind.* ut latè explicant Doctores. Quod quidem locum habet, etiamsi expressio falsi, vel suppressio veri non fuissent causa finalis, sed tantum impulsiva talis rescripti, ut contra *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 21. *n.* 74. tenet cum com. DD. *Gutierr. QQ. Canonic. l.* 2. *cap.* 15. *n.* 134. Nam in pœnam malitiæ impetrantis rescriptum hoc vitiatur omnino, ne ex suo delicto commodum referat. Si verò rescriptum diversos articulos contineat, si sint independentes, & inconnexi, vitium in uno non vitiat quoad alium inconnexum; *L. fin. C. de Transact. c.* 9. *h. t. in* 6. *Nam utile per inutile non vitiatur*, *C.* 37. *de Reg. jur. in* 6. Ita *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 21. *ex n.* 69. *Gonz. in c.* 20. *h. t. num.* 6. *Covar. l.* 1. *Var. cap.* 20. *n.* 7. contra *alios.*

98 Quando sine dolo, sed solum ex ignorantia, vel simplicitate supprimitur veritas, vel allegatur falsitas, si talis sit, ut ea cognita, Princeps non erat concessurus rescriptum, hoc vitiatur, sivè gratiæ, sivè justitiæ sit, *C.* 19. *c.* 20. *h. t.* siquidem in omni rescripto sub intelligitur hæc clausula; *si preces veritate nitantur*, *C.* 2. *h. t.* ac proinde veritate deficiente irritum est rescriptum; quia deest intentio, & voluntas concedendi, à qua suas vires sumit rescriptum: quia nihil tam contrarium est consensui, quàm error, *L.* 15. *ff. de Jurisd.* Quando vero Princeps concessurus erat rescriptum, saltem in forma communi, quamvis non eo modo speciali, quo illud concessit, si rescriptum, in quo non dolosè fuit expressa falsitas, vel suppressa veritas, sit justitiæ, non vitiatur, sed valet in forma communi, quia narratio non dolosa solum quatenus est causa concessionis reddit vitiosum rescriptum: cum ergo solum fuisset causa formæ accidentalis, scilicèt talis modi procedendi, non verò formæ substantialis, scilicèt rescripti; tantum quoad modum vitiabit, & Judex poterit in forma communi procedere: nam tunc solum litteræ sine dolo impetratæ declarantur irritæ, quando Papa, cognita veritate, nullas prorsus litteras dedisset. *C.* 20. *h. t.* si verò rescriptum sit gratiæ, omnino vitiatur, ut tenet cum alijs *Covar.*

99 Hinc à fortiori sunt irrita rescripta gratiæ obtenta, etiam sine dolo per reticentiam veritatis, qualitatis, vel circunstantiæ intrinsicè ad rem pertinentis, quæ se habent ut causa finalis rescripti, qua cognita non esse concedendum; quia tunc deest Principis voluntas, à qua pendet rescriptum, *C.* 23. *de Prabend. in* 6. valet tamen, si veritas suppressa extrinsecè se habeat ad gratiam concedendam; imò etsi veritatis suppressio sit valdè substantialis, si tamen ea cognita Princeps esset gratiam concessurus, adhuc valet rescriptum. Si dubium sit, an causa sit impulsiva, vel finalis, vel an Princeps esset concessurus, vel non; valet rescriptum. Nam in dubio potius pro valore actus, quam contra illum est facienda interpretatio, *L.* 12. *ff. de Rebus dubijs. Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 21. *n.* 20. *cum alijs* contra *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 173. *& alios.*

100 Rescripta gratiæ obtenta per falsi allegationem, etiam sine dolo, dum illa allegatio falsi causa finalis sit illius concessionis, sunt irrita ipso jure, *C.* 31. *h. t.* quia deest rescribentis voluntas. Rescripta vero justitiæ sic obtenta, tantum opposita exceptione irritantur, *C.* 9. *c.* 23. *h. t. Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 21. *n.* 3. ratio discriminis est: quia rescripta gratiæ quasi definiunt negotium; rescripta vero justitiæ solum præparant negotium, quod tandem examinandum est à Judice, & secundum merita causæ per sententiam terminabit tribuendo jus cui debetur. Si causa allegata sit tantum impulsiva, vel nihil conducat ad petitionem in rescripto contentam, vel difficiliorem eam reddat, quam redderet causa vera, non vitiabit rescriptum: quæ omnia ex usu communi, & Judicio prudentum definienda sunt; *arg. C.* 4. §. 1. *de Offic. deleg.* v. g. si per errorem vocetur in rescripto Joannes, cum sit Petrus, illud impetrans, vel dicatur natione Gallus, cum sit Hispanus, si aliàs, eodem modo concederetur, valet rescriptum, *L.* 33. *ff. de Condition. & demonstr. Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 21. *n.* 35.

101 Commodo rescripti privantur, qui litteris Apostolicis abutuntur, & condemnantur ad expensas; v. g. quidam suas litteras alteri ejusdem nominis; qui vocant in Judicium eos, contra quos nihil habent, qui litteras trahunt ad futuras controversias; qui aliquem super uno negotio, vel super pluribus rationibus personalibus, quæ commodè possunt ab uno tractari, vocant ad diversos Judices; vel qui citat reum ad loca diversa, vel ad villam indeterminate, *C. fin. h. t. c.* 3. *eod. in* 6. Prætereà in Rescriptis eorum forma adeo est diligentèr observanda, ut quidquid contra, vel præter, vel extra eorum tenorem fiat, declaratur nullum om-

omnino, *C.22. b. t. L. 5. ff. Mandat.* quia pro illo casu nulla datur facultas à concedente rescriptum. Nam actus agentium debent extendi ultra agentium voluntatem, *L. 19. ff. de Rebus credit.* Hinc, si à concedente præfigatur terminus ad illud præsentandum, intra illum necessario præsentandum erit; aliàs nullius robotis erit; *arg. C.4. de Offic. delegat.* si nullus terminus præfigatur, rescripta gratiæ, utpotè perpetua, quocumque tempore, etiam post concedentis mortem possunt præsentari, *C.9. de Offic. delegat. in 6. C. 36. de Præb. in 6.* Rescripta justitiæ, seu ad lites durant, quamdiu durat jus agendi, & excipiendi super quo impetratum est, *L.2. C. de Diverſ. reſcr.* Si rescribens præcipiat de pluribus alternativè, vel disjunctivè inquirere, sufficit, unum ex illis esse verum, ut exequi possit rescriptum, cum ad veritatem propositionis disjunctivæ, alterum verificari sufficiat, ut constat ex *C. 4. b. t.* Et sæpè Summulistæ proclamant.

102 Rescripta justitiæ, & ad lites sunt strictè interpretanda, utpote odiosa, *C.15. de Reg. jur. in 6.* quia derogant juri ordinarij, & fovent lites, quas jus tollere desiderat. *C.5. de Dol. & contum.* & non debent extendi ad causas, & personas ibidem non expressas, *C.32. c. 40. de Offic. deleg.* quando verò hæc clausula: *quidam alij, & res aliæ:* apponitur in rescripto, solum personæ, & res pares, vel minores expressis includuntur; minimè tamen effrænata multitudo, nec personæ, nec res majores, *C. 15. b. t.* solum enim per illam clausulam: *quidam alij,* possunt tres, vel quatuor personæ trahi ad judicium, *C. 2. b. t. in 6.* nec ad causas post datam rescripti ortas extenditur. Nec rescriptum pro conferendo alicui beneficio vacaturo extenditur ad beneficium creatum post rescripti *datam*, hoc est, post tempus, quo Romæ fuit expeditum, *Cl. fin. b. t.* Ita ergo interpretanda sunt rescripta, ut juri communi concordent, etiamsi ad hoc aliquantulum improprientur verba, *C. 18. b. t.* si contra jus sint, & nullam illius mentionem faciant, sunt nulla, *L. fin. C. Si contra jus*, & sic debent sumi, ut quam minus corrigant jus, vel juri tertij præjudicet, *L.2. §.10. ff. Ne quid in loc. publ.* Hinc per rescriptum impetratum contra homines Diœcesis, non possunt homines Civitatis conveniri, *C.35. b. t. arg. C. 4. de Prabend. in 6.* Et si conveniendus per rescriptum, reintegra moriatur, non potest successor conveniri. *C.36. b. t.*

103 In facultate generali dispensandi, quæ nemini, nisi concedenti præjudicat, saltem immediatè: vel alia quacumque gratia, quæ sit merum Principis beneficium, sine correctione juris, nec præjudicio tertij, plenissima est interpretatio facienda, *C.4. de Prebend. in 6.* intra proprietatem verborum; nisi facultas dispensandi esset ad unum casum singularem, quia tunc esset moralitèr dispensatio Superioris, solum executione delegata, & ideo esset strictè interpretanda, sicut quælibet alia dispensatio, *L. 141. ff. de Reg. jur. C.28. eod. in 6.* quia est relaxatio juris communis: nisi dispensatio consideretur in gratiam utilitatis publicæ, vel ex motu proprio, vel esset clausa in corpore juris, vel si statutum, vel consuetudinem juri communi contrariam ad jus commune reducat; *ut in c.27. de Decim.* vel si redderetur inutilis dispensatio, si non extenderetur ad alia, ut connexa, accessoria, vel alia hujusmodi, *C. 17. de Sent. excom. in 6.* nam in his casibus, dispensatio latè interpretatur.

104 Litteræ super obtinendis beneficijs debent restringi, cum sint ambitiosæ, *C. 4. de Præb. in 6.* hoc est ambitionem sapiunt, nisi motu proprio, vel in damni compensationem concessum sit beneficium. Si in rescripto provideatur de beneficio vacaturo per resignationem, illud possidentis, non comprehendit casum, quo per mortem ipsius vacet beneficium, vel è contra, cum sit diversi modi vacandi, *C. 6. b. t. in 6.* Si Papa mandet alicui provideri de beneficio in aliqua Ecclesiarum Civitatis, vel Diœcesis, non extenditur ad Ecclesiam Cathedralem, quæ propter ipsius honorem sub hac generalitate in hoc casu non comprehenditur. Si verò mandet in aliqua Ecclesiarum Provinciæ provideri, tunc, & Metropolitana, & cæteræ Cathedrales Ecclesiæ includuntur, cum uberiorem gratiam in hoc, quam in præcedenti casu Pontifex facere videatur, *C. 4. de Præbend. in 6.*

105 Circa personas, quibus rescripta dirigi, & committi possunt decernitur, *in c. 11. b. t. in 6. Ut nullis, nisi Dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis causæ authoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem de cætero committantur, nec audiantur alibi, quam in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit commodè copia peritorum haberi.* Et quidem sufficit, quælibet Dignitas cum jurisdictione, licet non sit perpetua, qualem habent Offi-

cia-

ciales, vel Vicarij Generales Episcoporum, vel Capitulorum, Sedevacante, & Superiores. Conventuales Regularium; secus dicendum est de Vicario foraneo, & de Priori Claustrali, *Cl. 2. h. t.* Si Clerico simplici alicujus rescripti executio delegatur, debet addi *ex certa scientia*: alias subreptitium censebitur rescriptum. Episcopus verò cuilibet Clerico potest commissionem suam dare. Si executio mandetur non personæ, sed Dignitatis intuitu, v. g. si mandetur Episcopo, Præposito, vel Vicario Generali Episcopi, transit ad Successores in Dignitate, *C. 14. de Offic. deleg.* & ideo rescriptum, quod dirigitur ad Episcopum transit ad Capitulum, & è contra; *arg. c. 1. de Instit. in 6.* si dirigatur ad Vicarium Generalem Episcopi, non potest Episcopus se intromittere in talem commissionem, sicut nequit Vicarius se intromittere in delegatam Episcopo; quia licet illorum sit idem Tribunal, quoad jurisdictionem ordinariam, est tamen distinctum quoad delegatam: quia Officium, & Dignitas, est qualitas, cui alligatur talis commissio, & est conditio, sine qua non fieret delegatio. Rescripta verò, quæ non requirunt causæ cognitionem judicialem, possunt alijs committi, ut dispensationes S. Pœnitentiariæ, quæ committuntur confessario: sufficit enim, quod electus ab impetrante, seu Oratore sit approbatus ab Episcopo, & sit Doctor, in Theologia, vel in Jure Canonico, vel habeat ad hoc privilegium, quale habent nostræ Societatis Confessarij per Constitutionem *Greg. XIII. exponi. An.* 1582.

106 Judex in rescripto delegatus non potest illud exequi, antequam ipsi præsentetur, cum jurisdictio non nisi scienti, & acceptanti adquiratur: & ex tunc incipit currere tempus ad ejus executionem, *C. 12. de Appellat.* Et sanè si delegatus ante mortem delegantis citationem fecit, perpetuatur ejus jurisdictio, *C. 20. de Offic. deleg.* si tamen delegans moriatur re adhuc integra jurisdictio delegati expirat, *C. 30. de Offic. deleg.* Rescripta ad beneficia Ecclesiastica debent exequi intra triginta dies numerandos à die præsentationis; quod si non obstet legitimum impedimentum, nec contradictor Oratores sunt mittendi in possessionem ex Bull. *S. Pij V*, si ulterius Judices differant, possunt impetrantes ad delegantem, scilicet Papam appellare, *C. 27. de Offic. delegat.* Rescriptum verò ad lites (nisi tempus in ipso assignetur; quod quidem debet servari, nisi à partibus de consensu communi prorogetur, *C. 4. de Offic. deleg.*) est perpetuum ex Jure Canonico, *C. 20. de Judic.* abrogata, *L. 13. §. 1. C. eod.* ubi de Jure Civili triennium præscribitur instantiæ judicij. Et quamvis in *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 20.* Jubeatur, quod causæ in prima instantia finiantur in Judicio Ecclesiastico, saltem infrabiennium à die litis motæ, hoc minimè servatur, imò causæ Ecclesiasticæ ut immortales, & æternæ à varijs Juristis increpantur; sed an jure, vel injuria non est meum decidere. Ipsi videant: & defectum, vel omissionem, si quæ est, corrigant.

107 Si super una causa plura rescripta concurrant, speciale, sive prius, sive posterius sit, derogat generali, etiamsi illius mentionem non faciat, *C. 1. c. 14. c. 40. h. t.* quia *generi per speciem derogatur*, *C. 34. de Reg. jur. in 6.* nisi per rescriptum sit jam adquisitum jus alicui: tunc enim debet illius fieri mentio; *arg. C. 19. h. t.* Si utrumque rescriptum sit speciale, si secundum faciat mentionem prioris, prævalet secundum. Si non faciat, prævalet prius; & secundum, si sit gratiæ est ipso jure nullum, si sit justitiæ ope exceptionis repelletur. Si utrumque sit generale, sed unum aliquomodo sit magis speciale, illud prævalet: si hac specialitate utrumque careat, prævalet prius. Quando ambigitur de revocatione litterarum, quæ ad diversos Judices sunt missæ, si posteriores prioribus, vel è converso nolint deferre, simul utrique cognoscent: & si fortè nequiverint, simul in una sententia concordare, quamvis plures sint ex una parte, quam ex altera, per arbitros communitèr electos à partibus hujusmodi concertatio sopiri debet, *C. 14. h. t.* si ad beneficium, vel negotium, duo, vel plura rescripta non contraria, sed convenientia ab eodem impetrentur, tanquam varia exemplaria ejusdem rescripti ad majorem cautelam obtenta considerantur, ac proindè omnia valent.

108 Si aliquis rescriptum justitiæ, vel ad lites impetravit, & ob dolum, vel negligentiam, eo non fuit usus, nec illud intra annum præsentavit, si ejus adversarius secundum rescriptum impetret valet, etiamsi primi mentionem non faciat, in pœnam impetrantis primum, *C. 9. c. 23. h. t.* si vero non potuit Judicis copiam habere, non valet secundum rescriptum, cum jam non per ipsum steterit eo non uti. Quando duo ad idem benefi- cium

cium diversa rescripta imperrarunt, qui prius imperravit præfertur secundo impetranti, etiamsi hic secundus prius rescriptum præsentasset, & in Canonicum, v. gr. prius esset receptus, dum tamen dolus, vel notabilis negligentia primo non possit imputari, *C.12. h. t. in 6.* Is, cujus gratia, ut provideretur de beneficio proximè vacaturo rescriptum fuit expeditum, & postea revocatum, & randem restitutum, non debet præferri ei, cui post revocationem, & ante restitutionem prædictas similis in eodem Ecclesia gratia facta fuit, nisi hoc exprimatur à Papa, cum talis restitutio, ubi aliud non exprimitur, intelligitur fieri sine juris alieni præjudicio, *C.8. h. t. in 6.* Si à Sede Apostolica, vel à Legato ipsius uni, & ab Ordinario alteri eodem die, idem beneficium conferatur, nec appareat, quæ collario fuerit primo facta, erit potior condirio possidentis: si vero neuter possideat, is, cui Sedes ipsa contulerit, vel Legatus propter conferentis ampliorem prærogativam, erit alteri præferendus, *C. 31. de Preb. in 6.* Si eodem die duplex rescriptum dimanet à Papa à duobus impetrantibus obstentum, & non appareat, quis primò imperravit, is, cui Papa Canonicatum contulit, est in præbenda præferendus, etiamsi alter prius præsentasset litteras, & in Canonicum fuisset receptus: Si neutri eorum, vel utrique Canonicatum contulit Papa, cum in gratia sint æquales, qui prius præsentavit rescriptum, præfertur in præbenda: Si ambo simul in præsentatione concurrant, possunt Canonici unum tantum eorum, quem maluerint, altero excluso, eligere: nisi ex tenore litterarum appareat expresse, quod utrique voluit Pontifex præbendam conferri, *C. 14. h. t. in 6.*

109 Gratia alicui concessa, ut providere possit personis idoneis in certa Ecclesia, personis non expressis, non expirat per obitum concedentis, quamvis res adhuc sit integra, quia hæc gratia specialis decet, esse mansuram, secus si personæ sint expressæ, *C.36. de Prebend. in 6.* quia mandatum, re adhuc integra, morte mandantis finitur, *L. 15. C. Mandat.* Si Princeps concedat aliquid, hac adjecta clausula: *Usque ad meum beneplacitum.* Expirat concessio per Principis mortem naturalem, per quam *ipsius beneplacitum omninò extinguitur: secus autem, si usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta; tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi à Successore fuerit revocata. C. 5. h. t. in 6.* Idem est, si concedatur *tamdiu, quamdiu non revocaverit, vel aliter judicaverit concedens:* quia tunc solum expirat per expressam, & positivam revocationem.

110 Denique in rescriptorum executione, vel in eorum interpretatione facienda, debet ante omnia exquiri rescribentis voluntas: si hæc sit dubia, attendi debent proprietas verborum, communis usus, & consuetudo: & præcipuè, quod non lædatur jus tertij, nec corrigatur jus commune: pro quo audiamus famigeratam decisionem Alex. III. rescribentis Ravenari Archiep. in *C. 5. h. t.* ibi: *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Et en firmissimum fulcrum, in quo fundatur praxis nostræ Hispaniæ præsentandi, & retinendi litteras Apostolicas in Supremo Senatu Castellæ, quousque sum. Pontifex consulatur, ita ut talis retentio non fiat animo non obediendi, sed tantum supplicandi, & proponendi R. Pontifici inconvenientia, vel scandala, quæ ex litterarum executione timeri possunt, *L.25. tit. 3. lib.1: R. Cast.* in his Indiarum Provincijs nulla Bulla, vel Breve Apostolicum, etiam pro indulgentijs lucrandis concessum, potest publicari, nisi prius sit in Supremo Indiarum Consilio præsentatum, ut ibidem examinetur, an opponatur Regio patronatui, vel alijs nostrorum Regum privilegijs: quod si forrè aliqua Bulla sine hac circunstantia in his Regnis inveniatur, debet à Regijs Cancellarijs, & à Prælatis Ecclesiasticis ad Regium Consilium remitti, *L.2. tit.9. lib.1. R. Ind. l.55. tit. 7. lib. 1. R. Ind.* quod corroboratur, *Ex C. 3. D. 19. c. 2. h. t. C. 5. de in Integ. restit. C. fin. h. t. in 6: L. fin. C. Si contra jus, L.17. tit.23. p.3. L. 1. l. 2. tit.14. lib.4. R. Cast.* cum pluribus alijs, Testibus, & DD. cum *Gonz. in C.5. h. t. ex n.3.*

111 In nostra Hispania specialitèr est statutum, quod schedulæ Regiæ contra jus, vel forum usitatum, vel in præjudicium tertij concessæ obediantur, sed non mandentur executioni, quamvis habeant clausulas derogatorias, vel abrogatorias, generales, vel speciales, quibuscumque vinculis roboratas, etiamsi motu proprio, ex

ex certa scientia, vel de plenitudine potestatis concedantur, *L.1. l.2. tit.14. lib.4. R. Cast.* & ibid. *D. Alfons. de Azeved.* Sed ut Principis litteris debitus exhibeatur honor, prius osculantur, supra caput imponuntur, & obedientia præstatur, in earum tamen executione supersedetur, quousque Princeps consulatur. Sæpè enim solent hujusmodi rescripta ob importunitatem impetrantium, magis, quam ex propria Principis voluntate expediri: & quia ob sinistram, & falsam informationem, vel ob nimias occupationes Principis, non potest facilè adverti si ex eis aliquod præjudicium, vel inconveniens contra Christianæ, Spiritualis, & Politicæ Reipublicæ quietem, & tranquillitatem, rectamque gubernationem sequi, vel timeri possit: ideo oportet, quod non temere, & sine examine executioni mandentur, quin hoc in Apostolicæ, vel Regiæ Majestatis irreverentiam cedat: quia potius ex eorum, quam contra illorum voluntatem fit; nec obedientiam, vel honorem negat, qui ipsum Principem consulit, & rogat, sicut quidam dixit Poeta:

Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.

Pro cujus praxis justificatione videantur *Illustrissimus D. D. Covar. Pract. QQ. cap. 35. n.4. Solorz. de Jur. Ind. tom. 2. lib. 3. cap.25. ex n.42. plures citans, & in Polit. Ind. lib.4. cap.25. Salgad. de Supplicat. ad SS. p.1. cap.3. n.13. Salcedo de Leg. Polit. l.2. cap. 3. n. 25. Molin. de Just. & jure, tr.2. D.31. n.4. & 5. Victor. Soto, Villalob. D. Petrus Frasso de Reg. Patron. Indiar. cap.7. & n.15.* ubi plurimos citat.

TIT. IV.

De Consuetudine.

112 Constat jus nostrum (*ait Justin. in* §.3. *Inst. de Jur. natur.*) *quo utimur, aut scripto, aut sine scripto, &* §. 9. *Sine scripto jus venit, quod usus approbavit: nam diuturni mores consensu utentium comprobati Legem imitantur.* Et hæc est consuetudinis definitio, quam approbant, *L.32. l.33. l. 35. ff. de Legib. C.5. D.1.* ibi: *Vocatur consuetudo, quia in communi est usu, L.4. tit.2. p.1.* ibi: *Costumbre es derecho, ó fuero, que non es escrito, el qual han usado los homes luengo tiempo, ayudandose de èl en las cosas, è las razones sobre que lo usaron.*

113 Consuetudo, omissis alijs divisionibus, *alia est secundum jus*, quæ propriè dicitur *observantia*, & est optima Legum interpres, *C.8. h. t. L.37. ff. de Legib.* Hac consuetudine interprete Lex Quadragesimalis jejunij non violatur potu, nec modicissima sumptione cibi; cum his violetur jejunium, quod ad sumptionem Eucharistiæ prærequiritur. Et secundum hanc regulandi sunt contractus, *L.34. ff. de Reg. jur.* Judicia, & eorum causæ, *L. 6. tit. 2. p.1.* & alij actus; imò, & jus Divinum, quatenus indicat mentem Legislatoris, & ita fit in varijs traditionibus Ecclesiæ circa usum Sacramentorum, & alia. Sed ut consuetudo possit Legem Divinam interpretari requiritur, quod sit universalis Ecclesiæ traditio, vel à Pontifice approbata, *Suar. de Leg. lib.7. cap. 17. n. fin.* si consuetudo secundum jus sit authentica, habet vim Legis, debetque esse decennio præscripta, & de hac dicitur in *C. 3. D.4. Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Hinc meritò *Alex. VII.* hanc propositionem, quæ est 32. damnavit: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.*

114 *Alia est præter jus, per quam, scilicet inducitur jus, & obligatio ad id, de quo nulla habetur Lex.* Et sic in *C. 5. D. 1.* dicitur: *Consuetudo est jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, cum deficit Lex. L.32. ff. de Legib.* Alia denique est *contra jus*, & est illa, *qua tollitur, vel abrogatur jus antecedens*; *C. fin. h. t. L.32. ff. de Legib. l.6. tit.2. p.1. D.Th. 1.2.q.97. art.3.* Et habet vim Legis, etsi nihil de novo præcipiat, sed sufficit, si ab antiqua obligatione liberet, & deobliget: Nam tunc præcipit permissionem, seu prohibet, ne quis ad observationem Legis cogatur, & ne puniatur, si non observet, *Suar. de Legib. lib.7. cap.10. n.2.*

115 Consuetudo differt à Lege: quia hæc est scripta, secus consuetudo, saltem in sua introductione, *C. 5. D.1.* licet posteà in scripturam redigatur; *arg. C. 2. de Prab. in 6. Suar. de Legib. lib. 7. cap. 2.* Et sic in nostra Hispania tota, *Hispanæ fueros*, licet in scripturam sint redacta, non habent vim, nisi in quantum eorum usus viget, & vigere probetur, *Greg. Lop. in l.7. tit.2. p.1. Rodrig. Suar. in Proœm. fori ex n.1.* Lex pendet à voluntate Principis expressa, & unico actu vim accipit: secus consuetudo: à *stylo Curiæ* differt consuetudo, tanquam genus ab specie, nam stylus est quædam species consuetudinis, quæ solum in actibus judicialibus habet lo-

tum, & ibi dicit observari cum modum judicialitèr procedendi præscribat. Si verò stylus sumatur pro certo modo scribendi, loquendi, respondendi, &c. non est propriè consuetudo; quia non inducit Legem; sed est potius quædam hominum politica observantia, vel potest dici consuetudo facti, *Suar. de Legib. lib.7. cap. 5. ex n.3. Christoph. de Paz in Rubr. ad Leges styli*; à traditionibus differt consuetudo, quia hæ ab institutione Christi, Apostolorum, vel Ecclesiæ, non præcisè ab usu, ut consuetudo, originem habent, licet usu, tanquam promulgatione conserventur, & ad nos sint propagatæ, C. 5. c. 8. D.11. atque ita traditio potest esse scripta, & non scripta, ut *Apost.2. ad Thessal. 2. v.14.* ait: *Tenete traditiones, quas didicistis, sivè per sermonem, sivè per epistolam nostram*, idest, sivè verbo tantum, sive scripto, ut ait *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 4. n.10.* Denique à præscriptione differt in eo, quod hæc bonam fidem requirit, respicitque personas privatas, & etiamsi à communitate contra communitatem præscribatur, communitas se habet, ut persona particularis: nec indiget consensu ejus contra quem præscribitur: nec jus Legale inducit, sed tantum dat jus dominij, vel similis juris, secus consuetudo, quæ non requirit bonam fidem, imò à principio malam fidem requirit, siquidem est necessarius consensus Populi, & animus abrogandi Legem, qui sine notitia Legis contrariæ, si quæ præcessit, haberi non potest; *arg. L. 15. ff. de Jurisdict. Suar. de Legib. lib. 7. cap. 18. n. 8.* contra *alios*. Nec respicit personas privatas, sed communitatem, quam obligat, vel aliquid permittendo deobligat: jusque Legale inducit, & consensu Legislatoris indiget, *Suar. de Legib. lib.7. cap.1. n.11. & 12.*

116 Respublica non recognoscens superiorem potest consuetudinem, quæ vim Legis habeat, etiam contra Legem, introducere, *L.32. ff. de Legib.* ibi: *Nam cum ipsæ Leges, nulla alia ex causa nos teneant, quam quod judicio Populi receptæ sunt, meritò, & eas, quæ sine ullo scripto Populus probavit, tenebunt omnes: nam quid interest, suffragio Populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis? D. Thom. 1. 2. q.97. art.3.* Nam sicut ratio, & voluntas hominis manifestatur verbo, ita etiam manifestatur facto, hoc enim unusquisque eligere videtur ut bonum, quod opere implet: Imò & Populus superiorem recognoscens potest introducere consuetudinem; quia Populus ex se habebat potestatem Legislativam, quam in Principem transtulit, & hoc sufficit, ut accedente Principis consensu; possit inducere consuetudinem, vim Legis habentem, *L 3 tit.2. p.1. D.Thom. 1. 2. q.97. art.3. ad 3.* ibi: *Consuetudo obtinet vim Legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini Legem ponere.* Sic tota Ecclesia, vel Provincia, vel Episcopatus potest inducere consuetudinem Ecclesiasticam, respectivè obligantem. Similitèr Regnum, Provincia, vel Civitas Sæcularis consuetudinem Civilem inducunt. Nec unius Civitatis, vel Diœcesis consuetudo obligat aliam Civitatem, vel Diœcesim. Quando verò in aliqua Civitate dubitatur, quid in aliquo casu sit faciendum, recurritur ad consuetudinem Curiæ illius Regni, *L. 32. ff. de Legib.* vel ad consuetudinem proximioris Civitatis, *C.6. h. t. & ibid. Gonz. C. 3. de Cognat. spirit.* Communitas imperfecta, qualis est familia, cum careat potestate Legislativa, nec consuetudinem obligatoriam potest inducere; *arg. L. 32. l. 35. ff. de Legib.* multoque minus persona privata, etiamsi Princeps sit, vel Legislator; quia tunc non datur tacitus Populi consensus, *Suar. de Legib. lib.7. cap.3. n.8.*

117 Actus ad inducendam consuetudinem debent fieri, vel à toto Populo, vel saltem à majori illius parte, *L.5. tit.2. p.1.* nec enim satis est ad inducendam consuetudinem, quod aliqui de Populo consentiant, C.8. D.8. Nam major pars indicat Populi consensum, *L. 19. ff. ad Municip. C.1. de His, quæ fiunt à major. Suar. de Legib. lib.7. cap.9. n.12.* nec potest consuetudo propter aliquorum ignorantiam impediri. *Greg. Lop. in l.5. tit.2. p.1.* debentque tales actus esse publici, & notorij, uniformitèr exerciti: Nam ex deformitate actuum non potest percipi, in quid Populus consentiat: libere, non per metum, vel per ignorantiam, sed cum notitia Legis contrariæ exerceri debent: nec aliter consensus Populi haberi, nec innotescere potest, ut det consuetudini vim Legis, *L.2. l.3. l.5. tit. 2. p. 1.* Nam qui errat, cogitur, vel ignorat, non consentit, *L.15. ff. de Jurisdict. Suar. de Legib. lib.7. cap.10. 11. & 12. Gonz. in c.1. h. t. n.11.* Etiam debent fieri animo inducendi obligationem, si præter Legem: vel abrogandi Legem, si contra Legem fiant: hoc est, quod eo animo fiant, ut credat Populus, se jus habere, & in posterum illud intendat facere. Si non animo inducendi obligationem, sed ex quadam devotione frequententur actus, non erit consuetudo

Lex

Lex obligans, ut patet ex usu immemoriali aspersionis aquæ lustralis ad ingressum Ecclesiæ, sumendi cineres in Quadragesimæ initio, accipiendi ramos in Dominica Palmarum, salutationis Angelicæ ad pulsum campanæ, & alia hujusmodi: ad quæ nulla est obligatio, quia actus agentium non operantur, ultra agentium intentionem, *L. 19. ff. de Rebus credit. Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 18. Suar. de Legib. lib. 7. cap. 14. n. 6.* Quando consuetudo sit obligatoria, vel non, relinquitur decidendum Judicis arbitrio; *arg. c. 4. §. 1. de Offic. delegat.* qui esse obligatoriam colliget ex eo, quod consuetudo sit rei gravis, & difficilis, & servata uniformiter à Populo; quod Prælati puniant transgressores: si Reipublicæ multum conferat: si viri prudentes, & rimorati male sentiant de violatoribus, & populus ex transgressione scandalicetur: in dubio autem non est præsumenda obligatio, *L. 99. ff. de Verbor. oblig. Suar. de Legib. lib. 7. cap. 15. n. 13.* non tamen requiritur necessario, quod sit introducta per actus judiciales, nec quod sit approbata in judicio contradictorio: quamvis si hoc fiat, facilius, & firmius probabitur: Et sic sunt intelligendæ, *L. 34. ff. de Legib. l. 5. tit. 2. p. 1.* quia hæ qualitates non assignantur in *C. fin. b. t. L. 32. ff. de Legib. l. 1. l. 2. l. 3. l. 4. tit. 2. p. 1. Sic Greg. Lop. in dict. l. 5. Suar. de Legib. lib. 7. cap. 11.* contra *Burg. de Paz, & alios.*

118 Ut consuetudo habeat vim Legis, tria requiruntur. 1. quod sit rationabilis. 2. quod tempore a Lege definito præscribatur. 3. quod consensus Principis concurrat. Consuetudo ergo debet esse *rationabilis*, vel positive, vel saltem negative, *C. fin. b. t. c. 2. eod. in 6. L. 2. c. Quæ sit long. consuet.* ibi: *Verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut Legem.* Intellige: *Naturalem; ex D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 1.* ibi: *Nulla consuetudo vim Legis obtinere potest contra Legem Divinam, vel Legem naturalem.* Si rationabilis non sit, non consuetudo, sed corruptela dicitur: quæ proindè statim debet radicitus evelli, *C. 3. D. 8.* nec tempore immemoriali præscribitur, *C. fin. b. t.* Nec potest introduci consuetudo contra Jus Naturale, v. g. si esset contra pietatem parentibus debitam scilicèt, ut alimenta ipsis negarentur. Si tamen esset contra jus Gentium, licet vix possit concipi, quomodo non sit irrationabilis, si utilis sit, valida erit, *Greg. Lop. in l. 5. tit. 2. p. 1.* Nec contra Jus Divinum potest induci, v. g. sit sit in contemptum religionis, vel cederet in diminutionem cultus Divini. Nec valet ea, quæ gravamen infert Ecclesiæ, *C. 1. b. t.* nec valet consuetudo de eo, quod dictum Populi, in causis Ecclesiasticis pro sententia habeatur, *C. 3. b. t.* nec consuetudo cedens in detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ, v. g. quod ejus censuræ impunè violentur, vel non serventur, etiam in loco exempto, *C. 5. b. t.* vel quod ejus immunitas contemnatur, vel dissipentur ejus bona: vel quod simplex Sacerdos conferat Sacramentum Confirmationis, *C. 4. b. t.* vel quod Abbas exemptus sine licentia Pontificis possit in aliam Abbatiam transferri, *C. 7. b. t.* Nec valet consuetudo, qua Capitulum, sive Collegium Canonicorum velit, posse consuetudines antiquas, & approbatas Ecclesiæ absque consensu ordinarij immutare, cum plerumque novitates discordiam pariant, *C. 9. b. t.* Nec quæ inducit libertatem peccandi, concedendo impunitatem delictis, *C. 10. b. t.* Nec quod quis sine dispensatione Pontificis possit habere duos personatus, dignitates, vel præbendas, *C. 1. b. t. in 6.* Nec quod ab Officiali Episcopi ad Episcopum appelletur, *C. 2. b. t. in 6.* Uno verbo: omnis consuetudo, quæ bono communi, bonis moribus, vel Ecclesiæ est contraria, reprobatur: & præcipuè illa, quæ ut corruptela excluditur à Lege: ut in *C. 7. c. fin. b. t.* & alibi.

119 E contra vero erit rationabilis consuetudo, quæ nullo modo ex dictis irrationabilis sit: quod si adhuc dubitetur, standum est judicio viri prudentis, Judicis, scilicèt, in foro externo, confessarij in foro interno, & Doctoris in Consilio ferendo, *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 6. n. 15.* Quando verò reprobatur consuetudo, quæ Sacris Canonibus est contraria intelligitur de ea, quæ vel irrationabilis est, vel non legitime præscripta, *C. 3. c. 7. b. t.* Nam si solum dispositioni positivæ Sacrorum Canonum sit contraria, non debet reprobari: cum ipsa consuetudo possit jus Canonicum, & Legem Ecclesiasticam abrogare, & tollere, *C. fin. b. t.* etiam quoad sacramentalia, & cæremonias sacramentales, non substantiales, nec à Christo D. præscriptas, cum solum sint juris Ecclesiastici, *C. 80. de Consecr. D. 4.* Nam talis consuetudo, vel positivè cedet in bonum commune, vel saltem negativè, quatenus ejus observantia conducit ad extermina-

tio-

tionem litium, & pacem Reipublicæ, *L. 2. l. 3. l. 5. tit. 2. p. 1. & ibid. Greg. Lop.* Nec ex eo præcise, quod consuetudo sit contra Legem (quæ debet esse rationabilis, *C. 2. D. 4.*) irrationabilis erit: quia benè potest rationabilis esse, etiam contra priorem Legem, sicut Lex posterior potest esse rationabilis contra Legem anteriorem, ut constat ex ratione, *Text. in c. 8. de Consanguin.* ibi: *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum, statuta quoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit.*

120 Consuetudo, utpotè vim Legis habens potest abrogare Legem, quoad pœnam, scilicèt ordinariam, à Lege stabilitam, manenre obligatione, quoad culpam: sicut potest induci, ut obligans quoad pœnam, & non quoad culpam, *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 19. n. 3.* Et patet *ex Extr. ambitiosæ de Rebus Eccles. alien. int. com.* ubi variæ apponuntur pœnæ, quæ usu non sunt admissæ, manente Legis obligatione, & dispositione. Etiam potest consuetudo abrogare Legem irritantem, & formam actui præscribentem, potestque impedimenta irritantia inducere, & inducta jure humano tollere, *C. 3. de Cognat. spirit.* sicut per Legem id ipsum fieri posset, *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 16. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 4. n. 14.* contra *Abbat. Hostiens. Sylv. & alios.* Nec obstat *Text. in c. 5. de Consang.* ibi: *Ne autem intra gradus prohibitos matrimonium contrahatur, debes publicè inhibere, & præsumptores Ecclesiastica districtione punire, non obstante consuetudine, quæ dicenda est potius corruptela,* quod de consuetudine nondum legitimè præscripta intelligendum est, vel dicendum est, quod ibi reprobatur consuetudo antiqua; sed non tolitur, quod ex nova causa posit consuetudo induci, quæ pro alijs circunstantijs, rationabilis sit. Consuetudinem irritantem matrimonia debete esse Laicorum simul, & Clericorum tenet *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 4. n. 11.* negant alij cum *Castropal. tr. 3. D. 3. p. 4. §. 4.* quia etsi introducta sit à solis Laicis, vim habet ex consensu Pontificis. Sic consuetudo de jejunio inducta à Laicis etiam Clericos obligat ex consensu Episcopi, *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 16. num. 13.*

121 Secundum requisitum est, quod consuetudo sit legitimè præscripta: & quidem ad abrogandas Leges Civiles, decennium sufficit; ut ex *L. 32. ff. de Legib. L. fin. C. Quæ sit long. consuet.* deducunt *com. DD.* Et idem tempus sufficit ad inducendam consuetudinem Ecclesiasticam, quæ sit præter jus; *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 15. n. 2.* Si verò consuetudo sit contra Legem Ecclesiasticam necessarij sunt quadraginta anni ad ejus præscriptionem; *arg. C. 4. c. 6. c. 8. de Præscript. Suar. de Legib. lib. 7. cap. 18. n. 12. Gregor. Lop. in L. 5. tit. 2. p. 1. cum alijs pluribus* contra *aliquos.* Sed cum hoc tempore simul debet titulus adesse ad præscriptionem, quod si titulus desit, tempus immemoriale requiritur, *C. 1. de Præscript. in 6.* Numerus actuum ad inducendam consuetudinem, cum non sit à jure assignatus, arbitrio Judicis relinquitur; *arg. C. 4. §. 1. de Offic. deleg.* Sed cum consuetudo dicat frequentiam actuum, & quod semel, aut bis fit, non dicatur fieri frequentèr, sed solum id quod assiduo fit, *L. 15. §. 22. ff. de Injurijs*, inde est, quod actus ad consuetudinem inducendam debent esse aliquoties repetiri. Idem tempus, quod sufficit ad præscriptionem, præsente Legislatore, sufficit, & eo absente. Si verò Princeps puniat Legis transgressorem, vel Populus, vel major pars ageret, licet unico actu, contra consuetudinem, hæc interrumperetur, nec vim Legis posset inducere, *Suar. de Legib. l. 7. cap. 8. n. 15.* Potest aliquando consuetudo non præscripta Legem abrogare, *D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 3.* nec tunc requiritur aliquod tempus determinatum; & ideo arbitrio viri prudentis relinquitur, quando credatur, Principem, qui talis consuetudinis debet esse conscius consensisse: quia vis, quam talis consuetudo habet à Principis voluntate provenit; nec est contra ipsum, nec minuit ejus libertatem ad consuetudinem abrogandam, & antiquam Legem restituendam, cum bono publico id judicet expedire, & hæc consuetudo per consensum Principis per modum conniventiæ inducitur: quia Princeps, quasi conniventibus oculis consentit, *Suar. de Leg. lib. 7. cap. 18. ex n. 17.* Et sic potest intelligi, *L. 3. l. 5. tit. 2. p. 1.* Ubi ad consuetudinem requiritur consensus personalis Principis. Consuetudo universalis per aliam consuetudinem universalem contrariam legitimè præscriptam abrogatur, nam sicut Lex per aliam Legem tollitur, sic consuetudo, quæ vim Legis habet, per aliam consuetudinem abrogari potest. Consuetudo particularis solum abrogat pro eo loco, in quo est introducta. Etiam consuetudo abrogatur per

Le-

Legem posteriorem, & directè contrariam, ita tamen ut Lex universalis consuetudinem universalem tollat, non vero consuetudinem particularem; *C. 1. b. t. in 6. l. 6. tit. 2. p. 1.*

122 Tertium requisitum ad consuetudinem inducendam est consensus Principis, *L. 3. l. 5. tit. 2. p. 1.* non tamen requiritur consensus personalis Principis, vel Sæcularis, vel Ecclesiastici, adeo ut ipso nihil de novo sciente, de tali consuetudine, hæc possit induci; aliàs rarò, vel nunquam posset consuetudo induci. Nam si ipse consentiret in ipsam, tunc ab ipso consensu Principis haberet unicè vim, & potius, quam consuetudo, Lex dicenda esset, sufficit enim consensus Legalis, quem Princeps generaliter explicat in jure, quo consuetudini legitimè præscriptæ dat vim ad inducendam, vel abrogandam Legem, *in c. fin. b. t. L. 32. ff. de Legib. l. 6. tit. 2. p. 1. Suar. de Leg. lib. 7. cap. 13. n. 7. Gonz. in c. 1. b. t. n. 12. & alij com.* Si verò Princeps videat, suam Legem violari, & taceat, censetur, eam per modum conniventiæ revocare, *D. Th. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 3.* dummodo moraliter constet, tolerantiam non esse tantum permissivam, ita, ut quasi coactus taceat: nam ut dicitur in *C. 18. de Prœbend. Multà per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia, non debeant tolerari*: debet ergo illa conniventia esse *operativa, & approbativa*: quod attentis rationabilitate consuetudinis, & alijs circunstantijs constabit, *Suar. de Leg. lib. 7. cap. 13. n. 12.*

123 Si in Lege ponatur hæc clausula: *Non obstante quacumque consuetudine.* Si ad consuetudinem anteriorem referatur, ut in *C. un. de Cleric. non resid. in 6.* solum de anteriori intelligitur: non tamen prohibetur consuetudo in futurum. Nam solum excluditur consuetudo, quæ Legi, quæ nunc fit resistit: & sanè certum est, quod consuetudo futura nunc non resistit Legi, *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 7.* Hæc clausula regulariter non tollit consuetudinem immemorialem, nisi irrationabilis, vel iniqua sit, vel de ea fiat expressa mentio, ut in *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 6. Suar. de Leg. lib. 7. cap. fin. Barbos. in Clausul. claus. 87. n. 8. cum alijs*, quamvis alij dissentiant. Quandò verò hæc clausula generalitèr loquitur, cum Lex ex sua natura in futurum ordinetur, *C. 2. de Constit. l. 7. C. de Legib.* etiam ad futuram consuetudinem extenditur: quæ quidem ut expressè, & positivè destituta Legislatoris consensu, contra Legem nequit prævalere, *Barb. de Clausul. claus. 87. n. fin.* Sic *in l. 5. tit. 2. p. 1.* dicitur: *La costumbre, que el Pueblo quiere poner, è usar della, ha de ser con derecha razon, è non contra la Ley de Dios, ni contra Señorio, ni contra Derecho Natural, ni contra pro Comunal.* Et *Greg. Lop. ibid. v. Contra Señorio.* Ait: non valet consuetudo contra majoriam Regis, & Regni, seu contra supremam jurisdictionem. Sic nec Regius Patronatus Indiarum, nec ejus usus potest præscribi, quacumque consuetudine, cum hoc expressè prohibeatur in *L. 1. tit. 6. lib. 1. R. Ind. Villaroel de Regim. Eccles. p. 2. q. 19. art. 1. Solorz. Frasso, & alijs* ac proinde contra Leges tali clausula munitas, nec consuendo immemorialis prævalet, *Acevedi in l. 3. tit. 1. lib. 2. R. Cast. n. 21.*

124 Quamquam aliqui DD. pro regula generali, deducta ex *C. 26. de Verbi sign.* tradant, consuetudine immemoriali, omnia illa posse adquiri, quæ concedi possunt, per Principis privilegium, non extenditur hæc regula ad illum casum, quo quis est incapax aliquid possidendi independenter à privilegio, per quod habilitatur. Hinc Laicus nunquam potest per quamcumque consuetudinem adquirere jus decimandi: quia sine possessione præscriptio non procedit, *C. 3. de Reg. jur. in 6.* Et licet lapsus temporis immemorialis etiam simul cum fama nullum jus tali personæ incapaci tribuat, fundat tamen præsumptionem privilegij, ut in tali jure possit continuare, donec contrarium probetur. Allegans consuetudinem, cum sit quid facti, & factum non præsumatur, nisi probetur, debet illam (si notoria non sit, nec ordinem judiciarium respiciat) plenè probare saltem per duos testes; *arg. C. 23. de Testib.* Nec sufficit, quod aliquis Doctor de illa in suis scriptis testetur: quia quæ facti sunt plerumque etiam prudentissimos fallunt, *L. 2. ff. de Jur. & fact. ignorant.* Demum traditiones, quæ scilicet, ipsius Christi ore ab Apostolis accepta, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt, omnino tenendæ sunt. *Apost. ad Thessalon. 2. Trid. sess. 4.* Tales sunt: quod Deus solus sit Author utriusque Testamenti: quod verus sensus Scripturæ solum sit in Ecclesia Romana: quod Symbolum Apostolorum sit verum Dei verbum Canonicum, & legitimum: quod parvuli sunt baptizandi: quod baptizati ritè ab

Hæ-

Hæreticis non sunt re baptizandi: quod in baptismo tres Personæ sunt exprimendæ; quod Mater Dei semper fuerit Virgo: quod aqua benedicatur, quod frons Cruce signetur, quod aqua in Calice misceatur: quod Eucharistia à jejunis sumatur: quod diebus festis à servilibus abstineatur. Et similia. Etiam traditiones Ecclesiasticæ servari debent: ut solemna ratio Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, *C.* 5. *D.* 11. *C.* 6. *de Celebrat. Missar.*

TIT. V.

De Postulatione Prælatorum.

125 Postulare aliquando significat, *advocare in judicio*, ut in *tit. de Postulando*. Sed in præsenti *postulatio est ejus, qui eligi non potest concors Capituli facta superiori petitio*, *C.* 20. *c.* 23. *de Elect. Et tot. hoc Titulo*, estque adeo affinis electioni, ut sæpè indifferenter una pro alia sumatur, ut in *C.* 14. *D.* 63. *Et in C. Valentinianus*, 3. *D.* 63. ubi loquendo de postulatione D. Ambrosij dicitur: *Cum autem ordinationi Divina Ambrosius nondum baptizatus electus fuisset.* Verè tamen differunt in eo, quod eligitur dignus, & habilis ab omni impedimento expeditus: postulatur dignus, inhabilis tamen, ex eo, quod impedimentum habeat, *C.* 6. *h. t.*

126 Postulatio est duplex: alia *solemnis*; *simplex* alia. *Solemnis est*, quando dirigitur ad Superiorem, qui potest dispensare. *Simplex*, quando dirigitur ad illum, qui dispensare non potest: imò nec est necesse, quod dispenset, sed tantum ejus licentia, vel consensus requiritur, ut si aliquis Religiosus assumatur in Episcopum, tantum indiget licentia sui Superioris, nec est necessaria dispensatio, *C.* 27. *c.* 36. *de Elect. in* 6. *l.* 24. *tit.* 5. *p.* 1. Postulatio simplex apud Superiorem immediatum, à quo habenda est licentia debet interponi: solemnis apud illum interponitur, qui in impedimento potest dispensare, & qui posset confirmare electionem, si esset electio: quippe admissio postulationis vim Confirmationis habet, & sic postulatus idem jus habet, ac si esset electus, & confirmatus. Et si Ecclesiæ utilitas exigat, potest Pontifex Episcopum consecratum postulatum ad aliam Cathedralem, ad eam acceptandam cogere, *C.* 35. 7. *q.* 1. Et licet Superior non tenetur ex foro justitiæ postulationem, sibi præsentatam admittere, cum ab ejus gratiosa dispensatione dependeat, nec sit jus postulato adquisitum, *C.* 5. *h. t.* ex debito tamen officij tenetur eam admittere, potestque ad id à Superiori compelli, *Gl. in c.* 3. *h. t. v. gratia*, *L.* 24. *tit.* 5. *p.* 1.

127 Postulatio etenim cum sit via extraordinaria, & indigeat dispensatione, innititur gratiæ Superioris, *C.* 5. *h. t.* secus electio: hæc enim justitiæ innititur, & dat jus electo: nec potest post publicatum scrutinium revocari ab eligentibus, sed facienda est collatio. Et ad hoc possunt per Superiorem compelli, *C.* 58. *de Elect.* postulantes verò, antequam Superiori postulationem præsentaverint, illam revocarè possunt; quia postulato necdum est jus adquisitum, *C.* 3. *h. t.* non vero postquam eam Superiori præsentarunt, ne Superioris judicium illudatur, aut videatur dependere ab arbitrio postulantium, *C.* 4. *h. t.* Denique postulatio est introducta in electionis subsidium, ut qui aliquo impedimento obstante non potest eligi, saltem dispensativè possit ex postulatione ad Prælaturam assumi. Qui enim nullum impedimentum habet, non indiget postulari, sed debet eligi. Et licet decens sit, quod eligatur aliquis de gremio Capituli in illius Prælatum; *arg. C.* 4. *c.* 5. 18. *q.* 2. non tamen est impedimentum Canonicum, quod sit extraneus, *C.* 21. *de Electione.*

128 Postulare possunt aliquem in Prælatum, qui possunt eligere, ut ex *com. DD. ex C.* 4. *h. t.* adeo, ut mandatum ad eligendum, etiam ad postulandum datum censeatur, *C.* 30. *de Elect.* Et licet aliquando possit postulari, qui non potest eligi, tamen potest accidere, quod aliqui nec eligi, nec postulari valeant. Tales sunt furiosi, amentes, rudes omnino, homicidæ perjuri, corpore vitiati, infames, bigami spurij, & alij hujusmodi, *C.* 40. *de Elect. arg. C.* 10. *de Renuntiat. Greg. Lop. in L.* 24. *tit.* 5. *p.* 1. *v. Señalados, Gonz. in C. fin. h. t. n.* 7. Solum ergo postulantur, qui cum digni sint, solum ex Jure Canonico habent ad electionem passivam impedimentum, & quidem non difficilis dispensationis. Hac ratione Novitius postulatur in Prælatum, *C.* 13. *de Electione.* similitèr postulantur illegitimi, & qui carent litteratura, ætate, vel ordinibus requisitis, *C.* 20. *c.* 22. *de Elect. l.* 24. *tit.* 5. *p.* 1. Episcopus tantum electus eligitur, non postulatur ad aliam Ecclesiam, quia conjugium spiritua-

tuale inter ipsum, & Ecclesiam non est perfectè contractum, sed tantum inchoatum. Si verò sit conjugium spirituale jam ratum per confirmationem, vel consummatum per consecrationem, etiamsi sit Episcopus *Titularis* tantum, Populo, & Clero carens, quia suam habeat Ecclesiam *in partibus* in fidelium, qui *Hispanè dicitur de anillo* (fortè, quia non Diœcesim, sed tantum annullum in signum matrimonij habet) si ad aliam Ecclesiam promoveatur, postulandus est, *C.*1. *c.*2. *c.*3. *c.* 6. *h. t. L.*24. *tit.*5. *p.* 1. quia habet impedimentum Canonicum, scilicèt, conjugium spirituale, in quo est dispensandum a R. Pontifice, nec primam Ecclesiam, quæ est ejus conjux, potest propria authoritate dimittere, *C.*2. *de Translat. Episc.* Cardinales, non Episcopi, & alij Prælati Religionum, cum nullum propriè conjugium spirituale cum suis Ecclesijs habeant, non sunt postulandi solemniter. Sed quia Cardinales sunt specialitèr Ecclesiæ Romanæ adstricti, & alij Prælati suis Superioribus, & Ecclesijs sunt devincti, adeo ut per eorum mortem, Ecclesia vacans dicatur, licet impropriè, viduata, *C.*41. *de Election.* ut promoveantur, indigent Superioris licentia, ac proindè postulantur, simplicitèr tamen, *C.* 3. *h. t. c.* 36. *de Elect. in* 6. Qui verò in aliquibus Ecclesijs, ut in compostellana, Cardinales vocantur, cum verè Cardinales non sint, non postulantur, sed eliguntur, *C.*57. *de Elect.*

129 *Bonifacius VIII. in C. unic. h. t. in* 6. irritat electionem, & postulationem simul factam, v.g. *eligo postulando*, *postulo eligendo* : *eligo*, *& postulo*. Cum nec vera electio, nec vera postulatio resultet ex ipsis, quin sibi potius invicem adversentur. Sub hac forma : *Eligo*, *& postulo*, *prout potest melius de jure valere*, solum, quando probabilitèr, dubitatur, utrum quis sit eligendus, vel potius postulandus, valet; sed postulatus, ne in incertum vagetur, debet eligere, vel electionem, vel postulationem, & una via electa, non potest ad aliam redire, in postulatione simplici; imò & in solemni debet servari forma præscripta *in C.*42. *de Elect.* ita *Innoc. Panorm. & alij* contra *Hostiens.* quia postulatio, ut subrogata electioni, ejus naturam sapit; *arg. C.*41. *de Elect.* Et cum ei sit accessoria ejus naturam sequitur, *C.*42. *de Reg. jur. in* 6. cum aliàs jus nihil speciale statuat pro postulatione facienda.

130 Ad postulationem sufficit, si major, & sanior pars Capituli consentiat; *arg. C.*1. *de His, quæ à major. L.*19. *ff. ad Municip.* nisi concurrat cum electione: hoc est, quod una pars Capituli eligat unum nullo impedimento laborantem, & altera pars postulet Canonico impedimento laborantem: tunc enim, ut postulatio prævaleat, requiritur, ut in postulatum concurrant duæ partes Capituli: si verò electus habeat pro se plusquam tertiam partem suffragiorum, prævalet electio postulationi, & adquiritur jus electo, debetque necessario confirmari à Superiori, *C.*40. *de Elect.* quia cum postulatio, quoddammodo gratiosè à Collegio fiat, *C.* 3. *h. t.* congruum non est, tot Collegis invitis, alios benignitatem Collegij velle impartiri, illosque ad gratiam faciendam compellere, *C.* 6. *de Constit. c.*4. 10. *q.* 2. ibi: *Cum ratio*, *& usus obtineat*, *neminem*, *cui non vult*, *contra utilitatem*, *& rationem cogi de proprio facere beneficium.* Si verò totum Capitulum in quinque compromissarios electionem compromittat, sufficit, quod quis à tribus postuletur, nam illa major pars Capitulum repræsentat, *C.*30. *de Election.*

131 Privantur pro ea vice jure postulandi, & eligendi (& probabilius, ipso facto, ante sententiam condemnatoriam, licet declaratoria criminis requiratur) qui non exprimunt in litteris postulationis omnia impedimenta, & defectus postulati; *arg. C.*20. *de Elect. C.* 2. *de Filijs Presb. in* 6. qui scientèr postulant indignum, *C.*1. *h. t. C.*40. *de Elect.* & illi, qui postquam semel temerè, licet, non scientèr, factam postulationem, & rejectam, illam repetunt, *C.*2. *h. t.* & cum delictum tantum suos Authores tenere debeat; *arg. C.*22. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 22. *C. de Pœnis.* ad contradicentes expresse, licet, non ad tacentes, vel dissimulantes devolvitur in illo casu jus postulandi, & eligendi, *C.* 2. *h. t.*

TIT. VI.

De Electione, & electi potestate.

132 ELectio, sic communitèr explicatur: *Est alicujus personæ idoneæ ad Prælationem, vel fraternam Societatem Canonicè facta vocatio.* Differt. 1. *à postulatione*: quia hæc innititur gratiæ cum justitiæ innititur, 2. *à præsentatione*: quia hæc competit Laicis, & potest revocari, & præsentari alius. Electio verò non competit Laicis, & dat jus saltem remotum electo. Electio requirit sub-

sequentem confirmationem, præsentatio verò institutionem, 3. *à libera collatione*: quia per hanc adquiritur collatario jus reale, & quasi dominium in beneficio collato, nec potest renuntiari sine consensu superioris: electio verò, etiam acceptata solum tribuit electo jus ad rem, ac proindè potest electus, vel prosequi electionem, vel eam renuntiare, 4. *à nominatione*: nam hæc nullum jus dat nominatis, *C.28. h. t.*

133 Jus eligendi pro temporum varietate apud varios extitit. In primitiva enim Ecclesia aliqui Prælati sibi successores constituerunt, accepta à Christo D. potestate, *C. fin. D.68.* Mortuis Apostolis jus eligendi Episcopos pertinuit ad R.Pontificem, tanquam successorem Divi Petri, cui summa potestas in totam Ecclesiam à Christo fuit concessa, *C.1. D.22.* posteà SS. Pontifices hanc electionem toti Clero, & Populo Civitatis concesserunt, *C. fin. D.51. c. fin. D.79. c.13. D. 63.* ibi: *Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem Cleri, & Populi.* Et quamquam *Barbosa de Offic. & potest. Episc. tit. 1. cap.3. n.5. Machad. in Sum. lib.4. p.6. tr.1. doc.4. Bellarm. & alij* teneant, Populum vere, aliquando cum Clero Episcopos elegisse, tenendum judico, illum solum vocari ad consentiendum electioni, non ad electionem faciendam, ut satis clarè explicat Pontif. S. Stephanus *in C.12. D. 63.* ibi: *Sacerdotum est electio, & fidelis Populi consensus adhibendus est: quia docendus est Populus, non sequendus.* Et notat Gratianus in *C.25. D.63.* Et ita potest intelligi quod dicitur in *C. 22. D. 63.* ubi constat Adrianum Papam Imperatori dedisse jus Pontificem eligendi: sed posteà Ludovicus Imperator hoc jus tale quale à se abdicavit, & Romanis concessit, *C.30. D.63.* posteà hęc potestas Episcopos eligendi fuit concessa Clericis Diœcesis, & Religiosis, sine interventu Populi, *C. 35. D.63.* posteà fuit constitutum, quod Clerici Sæculares Episcopos, Religiosi verò suos Prælatos, Abbates, vel Priores eligerent, *C. fin. 16. q.7.* Denique jus eligendi Episcopum jure communi resedit in unius cujusque Ecclesiæ Capitulo, *C. 1. h. t.* quia nulli rectius, quam Capitulares de meritis eligendi, & Ecclesiæ necessitatibus, & commodo valent informari; *arg. C.5. de Testib.* Et cum ipsi sint membra Capitis, idest, Prælati non ad alios, quam ad ipsa membra electio capitis spectare debet, *C.6. de His, quæ fiunt*; sic in Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, alisque Congregationibus usu quotidiano receptum est.

134 Hic modus eligendi duravit usque ad tempora *Bonifacij VIII. & Clem.V.* sed posteà R. Pontifices ad tollendas discordias, quæ in his electionibus continuo oriebantur, hanc facultatem, quoad beneficia vacantia in Curia sibi reservarunt, *Extr.13. de Præbend. int. com.* Et generaliter, quoad omnes Ecclesias Episcopales ubicumque vacantes, electionem reservarunt in *reg. 3. Cancell.* exceptis Regnis Hispaniæ, Galliæ, & Poloniæ, quibus jus præsentandi reliquerunt. In Germania tamen adhuc servatur modus eligendi, de quo in hoc titulo agitur per concordata inter Nicolaum V. & Federicum III. in nostra Hispania nostri Catholici, Potentissimique Reges habent jus Patronatus omnium Cathedralium, jusque ad ipsas Episcopos præsentandi, ut pro Regnis Hispaniæ, & ejus Ditioni subjectis constat *ex L.1. tit.6. lib.1. R. C.* ibi: *Por derecho, y antigua costumbre, y justos titulos, y concessiones Apostolicas, somos Patron de todas las Iglesias Cathedrales de estos Reynos, y nos pertenece la presentacion de los Arzobispados, Obispados, y Prelacias, y Abadias Consistoriales de estos Reynos, aunque vaquen en Corte Romana.* Quod corroboratur *ex C.25. D.63. de quo Gregor. Lop. in L.18. tit.5. p. 1. Azevod. in d. L. 1. Recop. Gonz. in C.2. h. t. n.9. Barbos. de Potest. Episc. tit.1. cap.3. ex n.27. & alleg. 57. num. 88. Camil. Borel. de Præstant. Regis Cathol. cap.50.* in Regno Granatensi pertinent ad Regium patronatum omnes Canonicatus, & Dignitates, & omnia beneficia tam curata, quam simplicia, *Bobad. Polit. L. 2. cap. 18. n. 221.* idem est in his Indiarum Regnis, *ex L.10. per tot. tit.6. lib.1. R. Ind. Solorz. de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 2. & 3. Villaroel, Frasso, & alij.* Mortuo enim Episcopo Rex ejus bona in custodiam accipit, *L. 18. tit. 5. part. 1.* taliaque spolia in Hispania colligi facit, Castellæ Regius Senatus, & lites, quæ super eis moventur determinat, & solutionem famulorum, & creditorum jubet fieri. In Indijs tamen Regiæ Cancellariæ de his cognoscunt. De qua praxi est videndus *Solorz. de Jure Indiar. tom. 2. lib. 4. cap. 3. n. 34. & in Polit. Indiar. lib. 4. cap. 11. f. 586.* Et hoc jus patronatus, quoad summum olim habuerunt Reges, & Imperatores, licet in aliquibus Canonibus plus ipsis concedi videatur. Cum Laici, nec per consuetudinem immemorialem possint adquirere jus eligendi,

C.56.*b.t.* quia est jus spirituale, cujus incapaces sunt Laici; *arg. C.* 51. *b. t.* nisi ex Pontificia facultate. Jam ergo veniamus ad jus commune. Clerici enim extranei, qui non sunt de corpore Capituli, nec membra illius communitatis non possunt eligere Prælatum, nisi habeant *privilegium* R. Pontificis, vel id ex *consuetudine* habeant, *C.* 8. *de Consuet.* Et quidem præscripta 40. annis, intra quos aliqua saltem electio sit facta, & confirmata à Superiori, vel saltem nulla sit rejecta. Etiam possunt hoc jus habere, ex *fundatione*, si à Patrono Ecclesiastico talis imponatur conditio, *C.* 23. *de Jure Patron.* à Laico tamen non potest poni. Reducitur ergo jus eligendi Prælatum, non ad omnes Clericos, vel Beneficiatos illius Ecclesiæ, sed ad solos illos, qui ut membra illius Ecclesiæ actu constituunt Capitulum, & Canonici, & Capitulares vocantur, communi sigillo utuntur, & constituere valent communem procuratorem, vel Syndicum; *arg. C.* 14. *de Excessib. Prælator.* Et quidem saltem tres requiruntur ad constituendum Collegium, vel Capitulum, *L.* 85. *ff. de Verb. signif.* potest tamen conservari in duobus; *arg. C.* 1. *b. t.* vel etiam in uno, *L.* 7. §. *fin. ff. Quod cujusq. univers.* Imò in parietibus, & fundo conservantur Collegij privilegia realia, si omnes moriantur: cum facilius jura conserventur, quam adquirantur, *L.* 8. *ff. de His, qui sui.*

135 Ut quis habeat jus eligendi, sufficit, quod bona fide possideat præbendam, cui tale jus est annexum, licet illius proprietatem non habeat: nam tunc, ut bonæ fidei possessor percipit fructus præbendæ, *L.* 48. *ff. de Adquir. rer. dom.* ac proindè habere debet suffragium in electionibus, quia est quasi fructus juris eligendi, *C.* 24. *b. t.* secus si mala fide possideat; *arg. L.* 2. *C. de Rei vindicat.* sed etiam si lis moveatur super proprietate beneficij non deturbat possessorem à jure eligendi, quia litè pendente, nihil est innovandum, *C.* 1. *Ut litè pendente.* Secus est si controversia moveatur super ipso jure possessionis, quia tunc litis finis, & exitus expectatur, *C.* 2. *de in Integr. restit.* Hæc quasi possessio eligendi, unica electione adquiritur, *C.* 7. *de Causa possess. & prop.* Et sufficit electo ad manutentionem unam electionem probare; *arg. L.* 1. §. 4. *ff. de Aqua quotid.* præcipue ultimam: nam possessio, quæ fuit tempore perturbationis attenditur, §. *Retinendæ*, 4. *Inst. de Interdict. c.* 9. *de Probat.* Gonz. *in* *Tom. I.*

c. 24. *b. t.* Et consonat de jure Hispano, *L.* 9. *tit.* 15. *p.* 1. ibi: *Por esso non debe quitar aquel Clerigo la Eglesia, pues fuè presentado de aquel, que era en tenencia, è le tenian los homes de aquel Logar por Patron. Et ibid. Greg. Lopez.*

136 Ex electoribus nullus potest seipsum eligere, quia inter dantem, & accipientem debet esse distinctio personalis, *c. fin. de Institut.* ne aliàs ambitioni ansa daretur. Nec ullus Prælatus Ecclesiasticus potest sibi eligere successorem in Episcopatu, vel Prælatura, ut sic omnis species hæreditariæ successionis in beneficijs Ecclesiasticis tollatur, *C.* 3. *cum seqq.* 8. *q.* 1. si Div. Petrus S. Clementem sibi in Pontificatu successorem elegit, *C.* 1. 8. *q.* 1. hoc tribuendum est speciali Dei inspirationi, non vero, ut cæteri Prælati hoc exemplum ad consequentias trahant: quia imò deberent trahere exemplum S. Clementis, & Ecclesiæ, qui noluerunt electioni consentire, ne ab alijs hoc exemplum sequeretur: vel etiam potest dici quod Div. Petrus illo facto solum virtutes S. Clementis Ecclesiæ commendavit, ut post ipsum in Pontificem eligeretur, *C.* 2. 8. *q.* 1.

137 Ex Capitularibus, qui actu constituunt Capitulum ab electione activa, seu jure eligendi excludantur. 1. furiosi, quia judicio carent, *L.* 40. *ff. de Reg. jur.* 2. impuberes, *C.* 32. *b. t. in* 6. 3. qui Sacris Ordinibus non sunt decorati, *Cl.* 2. *de Ætat. & qualit. Trid. sess.* 22. *de Ref. cap.* 4. Hi enim non habent vocem activam in Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, & Regularibus, habent tamen jus eligendi si in sacris sint constituti tempore electionis, etiamsi post vacationem Prælaturæ sint ordinati, vel etiam si antè ætatem ob dispensationem ad sacros Ordines ascenderunt, imò etiamsi absque dispensatione sint ordinati, dum tamen bona fide processissent; secus si mala fide: nam tunc, vel ipso jure sunt privati suffragio ex *Const. Pij II. cum ex Sacrorum An.* 1461. vel saltem ob eorum temeritatem debent privari.

138 4. Excommunicatione majori ligati, *C. un. Ne Sedevacante in* 6. Suspensi simpliciter; vel expressè à voce activa, vel ab officio, *C.* 16. *b. t.* non vero suspensi à beneficio tantum, *Gonz. in c.* 16. *b. t. n.* 2. quia ferre suffragium est actus jurisdictionis, vel officij. Interdicti personalitèr à jure eligendi excluduntur, & etiam qui interdictum locale temerè per celebrationem Missæ violarunt, *C.* 16. *b. t.*

c. 18. §. *Is vero*, *de Sent. excom. in* 6. Hodie post Extrav. *Ad evitanda.* Hi omnes censurati, si denuntiati non sint, nec Clericorum notorij percussores, si per exceptionem non repellantur, eligere possunt, illorum enim suffragium tunc valet, non ob illorum, sed ob utilitatem Ecclesiæ, Prælati, & aliorum fidelium. Si vero sint vitandi est electio ipso jure nulla; *arg. c.* 8. *de Sent. excom. in* 6. Et ad non censuratos devolvitur jus eligendi; *arg. c.* 2. *de Postulat. Prælat.* Imo, & nulla est electio celebrata à non censuratis, si scienter censuratum admiserunt; *arg. c. fin. de Procurat.* Et est *communis* opinio Canonistarum, *Suar. de Cens. D.* 14. *sect.* 2. *n.* 17. Minori vero excommunicatione ligatus licet non possit eligi, eligere tamen potest: nam excommunicatio minor tantum privat participatione Sacramentorum, non tamen communicatione fidelium, *c. fin. de Cleric. excom.* taliter enim ligatus habet vocem activam, licet passiva careat.

139 5. Qui ad Episcopatum postularunt, vel elegerunt indignum, *c.* 2. *de Postul. Prælat. c.* 40. *h. t.* 6. Recipientes postulatum ad Ecclesiam tanquam institutum, vel administratorem ante admissionem postulationis à Superiore factam, *C.* 23. *h. t.* 7. Qui non elegerunt intra tempus præscriptum, *C.* 41. *h. t.* 8. Qui formam eligendi non servarunt, *C* 42. *h. t.* Irregulares non privantur suffragio, cum nullo jure hæc pœna probetur, nisi irregulares sint ex temeraria celebratione in loco interdicto, *c.* 18. §. 1. *de Sent. excom. in* 6. *Suar. de Cens. D.* 40. *sect.* 2. *n.* 27. *Barbos. de Canon. & Dignit. cap.* 41. *ubi latè de his agit.*

140 Ante mortem Prælati non potest fieri electio successoris, cum adhuc non vacet Ecclesia, *C.* 2. *de Concess. Præbend.* Imò prius debet tradi sepulturæ corpus Prælati, & post tertium depositionis diem, fiet electorum convocatio ad decernendum circa futuram electionem, *C.* 7. *D.* 79. *c.* 36. *h. t.* Electio debet fieri in ipsa Ecclesia viduata, *C.* 28. *h. t.* nec obstat, si sit interdicta, quia electio consideratur, ut contractus, qui non prohibetur per interdictum: sed non debet fieri de nocte, nisi necessitas urgeat, & tunc debent sufficientia luminaria adhiberi, ne Capitulares videantur male agere, si lucem oderint. Pontifex in *C.* 41. *h. t.* statuit, ut ultra tres menses Cathedralis Ecclesia, vel Regularis Prælato non vacet, intra quos (justo impedimento cessante) si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice: ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximè præesse dignoscitur devolvenda est. Is vero, ad quem fuerit devoluta potestas, Deum præoculis habens non debet ultra tres menses differre cum Consilio sui Capituli, & aliorum virorum prudentum, viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illa, Canonice providere, si Canonicam velit effugere ultionem. In alijs Prælaturis, Dignitatibus, & beneficijs, quæ non sunt Prælaturæ Cathedralium, & Regularium non debet differri electio ultra sex menses, *C.* 2. *de Concess. Præbend.* Hoc tempus trium, vel sex mensium currere incipit à die notitiæ vacationis, si tunc impedimentum non sit; aliàs à die impedimenti remoti, quia legitimè impedito non currit tempus, *C.* 5. *de Concess. Præb.* Etiamsi Electores propria culpa contraxissent impedimentum, v. g. censuram, modo non sint negligentes in petenda absolutione. Si electus renuntiet electioni, vel moriatur, aliud trimestre conceditur, *C.* 26. *h. t. in* 6. Et idem accidit in secunda, tertia, & ulterioribus electionibus. Hunc quidem terminum non possunt prorogare; possunt tamen illum coarctare Electores, cum in favorem eorum introductus sit; *arg. L.* 29. *C. de Pactis.*

141 Ad electionem vocandi sunt, non tantum Capitulares præsentes, sed etiam absentes, illi scilicet, *qui debent*, *& volunt*, *& possunt commodè interesse*, *C.* 42. *h. t.* quia nullus sine justa causa est suo jure privandus. Vocandi ergo sunt, qui habent jus suffragij, nec aliquo impedimento laborant, ut ad electionem accedant, si velint, *C.* 28. *h. t.* quia possunt suo juri renuntiare, *C.* 6. *de Privileg.* non sunt vocandi, si non aliter quam cum ipsorum, vel Ecclesiæ periculo comparere possunt, *C.* 28. *h. t.* vel si propter distantiam, juxta prudentis viri arbitrium, vel consuetudinem Ecclesiæ computandam, *C.* 55. *h. t.* non possint commodè adesse, *C.* 18. *h. t.* ita ut etiam intra Provinciam existentes non vocantur, si distantia est magna, & vocantur etiam extra Provinciam existentes, si non est magna distantia, *C.* 28. *c.* 36. *h. t.* si non est vocata, sed contempta plusquam tertia pars Capitularium, electio est nulla ipso jure ex defectu potestatis, quæ quidem in duabus partibus Capituli residet. Si aliquibus contemptis cæteri convenerunt ad

electionem, & hæc est facta à majori parte omnium habentium suffragium, non tantum respectu præsentium, sed etiam respectu absentium, qui de jure vocandi erant, est valida, *C.* 28. *b. t.* ibi: *Quod si eos vocatos non fuisse constiterit, sed contemptos, infirmanda erit electio penitùs taliter celebrata, nisi posteà propter bonum pacis curaverint consentire. Gonz. in C.* 36. *b. t. n.* 7. quia factum à majori parte ab omnibus factum intelligitur, *L.* 19. *ff. ad Municip.* Contemptus tamen habet jus ad agendum de rescissione electionis, quantumvis electus sit confirmatus, vel consecratus, *C.*28. *b. t.* sed cum hoc sit introductum in favorem contempti potest illi renuntiare, *L.*29. *C. de Pactis*, vel expressè, consentiendo tali electioni, vel tacitè, si non impugnet electionem, ante confirmationem, postquam publico edicto monitus fuit, si posteà oppugnare vult, repellitur, cum suo juri renuntiasse credatur. Et tunc probabilius, nec Judex ex officio rescindere potest electionem, cum non de jure publico, sed de interesse partis agatur; *arg. L.*4. §. 8. *ff. de Damno infect.*

142 Non omnes absentes possunt procuratorem constituere, qui absentium nomine eligat, cum videatur electa Capitularium industria, permissum tamen est illis, qui justo impedimento prohibentur ad electionem accedere, v.g. si gravi infirmitate, vel simili impedimento arbitrio Judicis detineantur: qui tamen possint, & debeant ad electionem vocari aliàs non possent procuratorem ad hoc constituere, cum alij plus juris, quam ipsi habent, dare non possint, *C.* 79. *de Reg. jur. in* 6. Absens potest unum, vel plures procuratores constituere, & quidem in solidum, & non aliter. Eritque melior occupantis conditio; quod si ambo concurrant, erit admittendus, quem major pars Capituli eligat: quod si Capitulares discordent, admittetur, qui prius in litteris procurationis est nominatus, *C.*46. *b. t. in* 6. Procurator debet esse de corpore Capituli, poterit tamen esse extraneus, si Capitulares suo juri renuntiando, illum admittant, debetque jurare in animam sui principalis, quod is impeditus sit nisi remittatur ipsi juramentum, vel impedimentum sit notorium; *C.* 42. *b. t.* si in mandato assignetur certa persona eligenda, illam nomine mandantis debet procurator eligere, & suo nomine, si Capitularis sit, poterit alium eligere; secus si simpliciter ipsi eligere mandetur; ita ut in ejus potestate sit hunc, vel illum assignare, & eligere: quia tunc, licet habeat duo suffragia, non potest illa dividere: cum impossibile sit judicare, titium esse digniorem Cajo, & Cajum digniorem titio, *C.* 46. §. *Porrò, b. t. in* 6. Et potest alteri electionem subdelegare: non tamen potest compromittere, ne excedat fines mandati: Qui tamen habet mandatum generale, compromittere potest; quia totum jus eligendi in ipsum censetur translatum, non tamen potest subdelegare, quia censetur ejus industria electa: *Absens quoque* (*licet nullus de Collegio velit esse procurator ejusdem, nec ipse, nolente Capitulo extraneum valeat deputare*) *non poterit aliquatenus per litteras exprimere votum suum: quod non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio, secretè, & sigillatim exprimendum, C.*46. §. *fin. b. t. in* 6. si electio fiat per schedulas obsignatas, quæ in urnam conjiciuntur, potest absens, vel infirmus ad Capitulum mittere suum suffragium scriptum.

143 Ad Prælaturas, & beneficia Ecclesiastica non solum eligendus est, qui sit dignus scientia, moribus, & ætate, *C.* 7. *b. t.* sed etiam dignior, *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.*1. ibi: *Eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint.* Et *Innoc.XI.* declaravit, Concilium non solum requirere dignos absolutè, sed digniores respectivè ad dignos, ut constat ex *prop.*47. inter damnatas ab ipso. *Indignus* est, cui deest aliqua ex qualitatibus requisitis ad ministerium, ita ut non possit tali muneri satisfacere. *Dignus* est, qui habet qualitates ad ministerium requisitas. *Dignior*, qui consideratis omnibus dotibus corporis, & animi erit Ecclesiæ utilior. Sic regularitèr est præferendus Doctor non Doctori, Sacerdos non Sacerdoti, nobilis ignobili, non indigens dispensatione, ea indigenti, adultetior juveni, originarius extraneo, & sic de alijs circunstantijs discurrendum est. Et cum non semper ille, qui est sanctior, & doctior sit dignior, potest non sanctior, & non doctior præferri sanctiori, & doctiori, si hic, & nunc omnibus pensatis circunstantijs, judicetur futurus utilior Ecclesiæ, *Barbos. de Offic. Paroch. cap.* 2. *ex n.*109. *Lacr. lib.* 4. *n.* 597. Electio minus digni, si absolutè est dignus, valida est, cum nullo jure irritetur, *Lugo de Just. & jur. D.*35. contra *alios.* Et ipse etiam prætermisso digniori, erit confirmandus. Qui, facto concurso, postponit digniorem digno,

no, peccat graviter contra justitiam, cum fiat quasi contractus cum oppositoribus de dando beneficio digniori; ac proindè tenetur digniori restituere, & compensare damna. Electus vero, si nihil injustè fecit, ne dignior eligeretur, non tenetur restituere, *Lugo de Just. & jur. D.* 35. *n.*85. *&* 95. *Lacr. lib.*4. *n.*588. *&* 628.

144 Voce passiva carent, id est, non possunt eligi 1. furiosi, amentes, infantes, pueri, minores 14. annis, quibus nec personatus Ecclesiæ potest concedi: *Quia indecorum est, ut hi debeant Ecclesias regere, qui non noverunt gubernare seipsos*, *C.* 3. *de Ætat. & qualit.* Pro Episcopatu requiritur 30. annus completus, *C.*7. *b. t.* pro Beneficio Curato 25. incœptus, *C.* 7. §.2. *b.t. Trid. sess.*7. *de Ref. cap.*3. Aliquando tamen accidit, quod filij magnorum Principum, adhuc teneræ ætatis in Episcopos assumuntur, R. Pontifice dispensante ex gravi causa, magnaque Ecclesiæ utilitate, *C.* 8. *v. E contra*, *D.* 61. constituunt tamen administratores dignos, & ipsi ordines saltem minores suscipiunt. 2. Non possunt eligi illiterati, *C. fin. D.* 51. si quidem in eligendo requiritur scientia competens, & sufficiens, ut muneris sui necessitati possit satisfacere, *C.* 17. *c.*20. *b. t.* ideo eligendus in Episcopum debet esse, vel Doctor, vel Licentiatus in Sacra Theologia, vel in Jure Canonico, vel saltem publico alicujus Academiæ, testimonio idoneus ad alios docendos, *Trid. sess.*22. *de Ref. cap.*2. An Canonista Theologo sit præferendus, vel è contra acritèr disputant, *Simancas de Cathol. instit. cap.*25. *ex n.*23. *Soto de Just. & jur. lib.*3. *q.*6. *art.*2. *& quidem Solorz. de Jur. Indiar. tom.*2. *lib.*3. *cap.* 7. *ex n.* 16. probat, sapientiam rerum Sæcularium requiri in Episcopo; ex quo infert, Canonistam Theologo, & Clericum Sæcularem Regulari esse præferendos, Episcopum debere scire Sacros Canones, & Scripturam Divinam ait Text. *in C.* 6. *D.* 38. *Alterius sic, altera poscit opem res, & conjurat amicè*, placet tamen, quod dicit *Cened. in collect.* 51. *ad Decret.* Scilicèt, quod Trid. ad Episcopatus regendos æqualitèr juris Pontificij peritos, atque Theologos ipsos eligi posse decrevit.

145 3. Nequeunt eligi sequentes, scilicèt, illegitime nati, *C.* 20. *b. t.* corpore vitiati, *C.* 1. *D.*49. Sacrilegi; *arg. C.* 34. *b. t.* falsarij litterarum Apostolicarum, *C.* 7. *de Crimin. fals.* aleatores publici, usurarij manifesti, infames, *C.* 11. *de Excess. Prælat.* perjuri, *C.* 10. *de Jur. jur.* Sodomiam frequentantes; *arg. Constit. Horrendum*, *S. Pij V. An.* 1568. Consentiens in electionem dese à Potestate Sæculari factam, *C.*43. *b. t.* Ambitiosus, qui consentit in sui electionem, tanquam jam factam ante formatum, & publicatum electionis Decretum; & electio est ipso jure irrita, *C.*46. *b. t. & ibid. Gloss.* vel saltem irritanda, qui absque dispensatione plura retinet beneficia, *C.*54. *b.t.* Hæretici, credentes, receptatores, defensores, eorumque fautores: ipsorumque filij usque ad secundam generationem. Hi enim ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum sunt admittendi, quod si secus factum fuerit, erit irritum, & inane, *C.*2. §.2. *de Haret. in* 6. *c.*15. *eod. in* 6. ibi: *Primum, & secundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus, per maternam verò ad primam dumtaxat volumus hoc extendi*: quod intellige, quando Hæretici non fuerunt Ecclesiæ reconciliati, nam si Ecclesiæ fuerunt reincorporati, non est locus huic pœnæ schismatici, *C.* 5. *b. t.* simoniaci, id est, pro quibus, vel à quibus pretium datum, & acceptum est, ut eligerentur. Et quando completa est simonia, electio est ipso jure irrita, *Extr.*2. *de Simon. int. com.* si pretium tantum promissum est, erit irritanda, *C.*27. *de Simon.* si alij commisissent simoniam, ut Cajus, v. g. eligeretur, quamvis ipso ignorante commissa sit, tenetur restituere beneficium cum fructibus, *C.* 59. *b. t.* nisi prius ipse restitisset, ne committeretur talis simonia, vel nisi dantes pretium, in fraudem electi hoc fecissent, ut ipsum redderent inhabilem, *C.* 27. *c.* 33. *de Simon.* Simoniacè electus licet ignorans, quando fuit simonia completa non potest eligi ad eandem Prælaturam, donec vitium purgatum sit, quod quidem purgatur, si illa electio simoniaca irritetur, & alius legitimè eligatur. Nec Episcopus potest cum eo dispensare, *C.* 59. *b. t.* Ad aliam tamen Ecclesiam, vel dignitatem nullo jure prohibetur eligi. Si tamen ipse electus simoniam commisit, debet prius agere de suo crimine pœnitentiam, & ab excommunicatione absolvi. Illi qui ob aliquod crimen semel à Prælatura sunt repulsi, non possunt iterum eligi, *C.* 12. *b. t.* quia semel malus semper præsumitur malus, *C.* 8. *de Reg. jur. in* 6. ille vero, cujus electio fuit cassata, non vitio personæ, sed formæ, dum non intervenerit simonia, iterum potest eligi, *C.* 12. *b. t. Et Gonz. ibid.*

146 Nec possunt eligi ligati excom-

municatione majori, *C. 7. h. t.* Imò etiamsi tantum sint ligati minori excommunicatione, *c. fin. de Cleric. excom.* licet possint eligere, *C. 39. h. t.* quia sunt privati Sacramentorum receptione: ac proinde non possunt eligi ad ea administranda. Similitèr suspensi ab oficio: quia non possunt eligi ad officium, cujus exercitio privati sunt, *c. fin. de Cleric. excom.* nec itidem suspensi à beneficio, quia cum privati sint perceptione fructuum beneficij, quod jam possident, non possunt promoveri ad novum beneficium, per quod adquirant jus redditus Ecclesiasticos percipiendi. Personalitèr interdicti; *arg. c. 8. de Consuet.* nec violatores interdicti, tam personalis, quàm Localis: Hi enim sunt privati jure electionis tam activæ, quàm passivæ, *C. 1. de Postul. Prælator.* Et cum *Extrav. Ad evitanda*: non respiciat utilitatem censuratorum, sed solum Ecclesiæ, & aliorum fidelium, isti censurati, quamvis tolerati sint, eligi nequeunt. Omnes irregulares, sive ex delicto, sive ex defectu, cum sint inhabiles ad officium, inhabiles etiam censetur ad beneficium, quod datur propter officium, *c. fin. de Rescript. in 6.* De his omnibus late *Barbos. de Offic. & post. Episc. alleg. 42. Gonzal. in c. 12. h. t. n. 4. & alij.* Pro alijs qualitaribus, quæ debent attendi ad eligendum Episcopum videatur, quod ait *Apostol. 1. ad Timot. 3. Et ad tit. cap. 1. & fin. D. 51. Et ibid. Interpretes*, præcipuè videatur *Barbosa de Offic. & post. Episc.*

147 Electio indigni, seu prohibiti eligi est ipso jure nulla. 1. Si repellatur quis per impedimentum naturæ, *C. 20. h. t.* 2. Si indignus sit ob crimen, ob quod incurritur infamia juris: si tamen solum infamia facti incurratur, poterit sic electus retinere in conscientia Dignitatem, si nullus defectum infamiæ ipsi objiciat, & speret notam infamiæ abolere: quod à fortiori dicendum est de crimine occulto. 3. Ob interdictum, suspensionem, vel excommunicationem majorem, C. 8. *de Ætate, & qualitat. c. 7. c. fin. de Cleric. excom.* De electione simoniaca dictum est supra. Erit irritanda electio, si quis repellatur propter excommunicationem minorem, *C. fin. de Cleric. excom.* vel propter irregularitatem: quia talis electio solum contra jus prohibens, non vero contra jus irritans erit. Sed cum sit facta de persona, quæ non valet à Superiori confirmari, irritanda erit; *arg. C. 1. de Ætat. & qualitat.* licet alij dicant, irritam esse.

148 Eligentes scientèr indignum, si subsecuta sit communis electio, privantur beneficijs per triennium, quæ obtinent in illa Ecclesia specialitèr offensa, *C. 7. §. fin. h. t.* secus beneficijs, quæ in alijs Ecclesijs obtinent, *C. 37. §. Porrò, h. t. in 6.* Nam in quo quis peccat, puniri debet. Et pro ea vice ipso jure privantur jure eligendi, *C. 18. h. t. in 6.* non vero pro alijs; sicque possunt eligere in secunda, & sequentibus electionibus, *C. 25. h. t. & ibid. Gonz.* quæ privationis pœna comprehendit eos, qui Dignitatem, vel Prælaturam indigno conferunt, in ea instituunt, vel confirmant; *arg. C. 44. h. t.* vel qui eligunt ad Dignitatem, & Prælaturam Episcopatu inferiorem, *C. 18. h. t. in 6.* Si verò communis electio non sequatur, non incurruntur hæ pœnæ: cum pœna debeat cum effectu intelligi: imò potest, & debet procedi ad electionem, *C. 7. h. t. in 6.* Quando omnes Capitulares elegerunt indignum, devolvitur jus eligendi in Cathedralibus ad Papam, in alijs verò Ecclesijs ad proximum Superiorem, *C. 18. h. t. in 6.* Si non omnes indignum elegerunt, ad non delinquentes jus eligendi devolvitur, & valet electio, etiam in eodem scrutinio facta, à non delinquentibus, etiamsi minorem partem constituant, *C. 53. h. t.* Imo, etiamsi unicus tantum sit, qui si velit solus poterit eligere: quia in illo remanet jus Collegij *Gl. in c. 7. h. t. in 6.* quod si velint non delinquentes, possunt suo juri renuntiando, delinquentes admittere ad electionem, *Gl. in c. 25. h. t. v. Admiserant.* Ad hos tamen admittendos, debent omnes consentire, sicut ad admittendum extraneum: quia quod omnes tangit debet ab omnibus approbari, *C. 29. de Reg. jur. in 6.*

149 Triplex invenitur forma, seu modus Canonicè eligendi, qui mirificè describitur in C. 42. *h. t.* desumpto ex Conc. Lateran. ubi statuitur: 1. *Ut cum electio fuerit celebranda præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretò, & sigillatim, vota cunctorum diligentèr exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi: nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto: ut is, collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major, & sanior pars Capituli consentit. 2. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium, Ecclesiæ viduatæ provideant de Pastore aliter electio facta non valeat. 3. nisi fortè communitèr esset ab omnibus, quasi per* ins-

inspirationem absque vitio celebrata. Qui vero contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur. 1. modus dicitur *per scrutinium*. 2. *per compromissum*. 3. *per inspirationem*. Tractatus de quo in *C.* 21. *&* 30. *b. t.* non est omnino necessarius.

150 Electio frequentissimè fit per *scrutinium*. Scrutatores de jure communi debent esse de Collegio, & à Collegio Collegialitèr electi: post Collecta ergo à scrutatoribus suffragia, secundum ordinem, & modum legitimum unius cujusque Capituli Ecclesiastici, incontinenti, nullo alio actu alieno interposito, est facienda publicatio suffragiorum. Publicatione jam facta, non possunt Electores variare, vel mutare suffragium, cum jam suo officio sint functi: Et possunt per superiorem ad collationem, si renuant compelli, *C.* 58. *b. t.* nisi fortè nova electio; v. g. quia nullus ex electis habuit majorem partem Capituli, vel quia electus renuntiavir, vel quia erat indignus. Nam tunc cum nulli sit jus quæsitum, nulli fit injuria: ac proindè permittitur variatio. Ante publicationem scrutinij liberè possunt Electores variare, & alios eligere, *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 217. post scrutinij publicationem statim nullo alio actu interpositio; procedunt Electores ad collationem suffragiorum, *C.* 42. *b. t.* ut videatur, quis est electus à *majori*, & *saniori* parte Capituli: Nam hæc duo copulativè requiruntur, nec sufficit, quod electio fiat à majori parte, si non fiat à saniori, nec è contra, *C.* 42. *c.* 55. *c.* 57. *b. t.* Hæc collatio fit. 1. meriti ad meritum, comparando inter se scientiam, prudentiam, & alias qualitates eligendorum, ut appareat, quis sit magis idoneus, magisque dignus. 2. zeli ad zelum, considerando eligentium prudentiam, probitatem, intentionem, & motiva, ut appareat, quis sit à saniori parte Capituli electus. 3. numeri ad numerum, ut appareat, quis sit electus à majori parte. Et hæc tantum collatio numeri ad numerum attenditur in electione S. Pontificis, *C.* 6. *b. t.* Abbatissarum, *C.* 43. *b. t. in* 6. Regularium; *arg. Cl.* 1. *in fin. de Verb. signif.* & quoties duæ partes Capitularium in unum consentiunt, *C.* 9. *b. t. in* 6. Hodie in electionibus solum major pars inspicitur; tum, quia sanior præsumitur, tum ad tollenda scandala, & vitandas discordias, quæ orirentur ex tali collatione zeli ad zelum: tum deniquè, quia cum electio regularitèr fiat per vota secreta solum numerus potest attendi; *arg. Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 6. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 222. *Gonzal. in c.* 42. *b. t. n.* 7. *Et in cap.* 57. *eod. n.* 7. *& alij.*

151 Tunc autem, quis censetur electus à majori parte, quando in eo consentiunt plura suffragia, non tantum respectivè ad alios, qui pauciora habeant; sed absolutè respectu totius Capituli, *C.* 48. *b. t.* v. g. si Electores sunt 40. ut quis sit Canonicè electus debet habere 21. suffragia pura, absoluta, & certa. Incerta enim, conditionata, & alternativa non computantur: ac proinde si quatuor suffragia sint dubia, conditionata, vel incerta, illis insuper habitis, consideratur Capitulum constare 36. suffragijs, quorum, qui habuerit 19. erit Canonicè electus à majori parte Capituli, *C.* 2. *b. t. in* 6. si duo æqualem numerum habeant, vel nullus sit à majori, & saniori parte Capituli electus propter suffragiorum dispersionem, illo cassato, proceditur ad aliud scrutinium, quousque in unum conveniat plusquam medietas votorum totius Capituli, etiam si solum in dimidio suffragio excederetur, v. g. si Capitulum 41. suffragijs constaret, ille, qui pro se 21. haberet, esset Canonicè electus, quod si duo æqualia omnino suffragia habeant, tunc ille præfertur alteri, qui in aliqua prævalet qualitate, v. g. qui est Doctor, vel major ætate pro quo sunt consulenda particularia statuta, & praxis Ecclesiarum.

152 Post prædictam Collationem, incontinenti est formandum, & promulgandum solemnitèr Decretum electionis communis, *C.* 42. *c.* 46. *b. t.* Is enim, cui ex officio incumbit, quærit à Capitularibus: *An placeat, electum publicari?* quod si respondeant: *placet*, statim nomine omnium publicandus est electus juxta receptam solemnitatem, & consuetudinem unius cujusque Capituli, *C.* 21. *b. t. in* 6. Quod si contra prædictam formam fiat electio, vel ordo immutetur, vel unum non sequatur alterum in continenti, electio ex defectu formæ erit irrita, saltem in foro externo, *C.* 42. *b. t.* ibi: *Aliter electio facta non valeat*; sed juxta aliquos, si nullus electionem factam, contra dictam formam, impugnet, ea subsistet, nec electus tenetur resignare Prælaturam, vel Dignitatem ante sententiam: nec Electores ante sententiam privantur pro ea vice jure eligendi; *arg. C.* 28. *b. t.* videantur latius de hoc agentes; *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 162. *Gonz. in c.* 36. *b. t. n.* 7. *& in c.* 42. *b. t. n.* 8.

Sa

153 Secundus modus eligendi est per *compromissum*, quando scilicèt, omnes Capitulares, nemine expressè contradicente, committunt facultatem eligendi aliquibus viris idoneis, licet non debent necessario esse de Capitulo, debent tamen esse Clerici: quod si unus ex Capitularibus contradicat, non valet compromissum, ut deducitur ex *C.* 30. *b. t.* ibi: *In quos totum Capitulum eligendi transtulerat potestatem.* Nam *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*, *C.* 29. *de Reg. jur. in 6.* Et quidem potest compromitti in unum; *arg. C.* 8. *b. t.* vel in plures. Et licet expediat ad tollendas discordias, compromissarios, esse numero impares, pares tamen esse possunt, *C.*52. *b.t.* Compromissarij ergo debent servare limites mandati, *L.*5.*ff. Mandat.* eligendo, vel ex Capitulo, vel extraneum, vel aliorum adhibito Consilio, *C.*52. *b. t.* Et licet tunc teneantur exquirere aliorum Consilium, non tamen obligantur illud sequi, *C.* 62. *de Reg. jur. in 6.* Et ille, in quem major pars compromissariorum consentiat, erit electus, *C.*32. *b. t.* vel postulatus, *C.* 30. *b. t.* Nam cum postulatio sit electioni accessoria sub illa comprehenditur, *C.*42. *de Reg. jur. in 6.* nisi expressè in compromisso excludatur facultas postulandi. Si alicui eligendi potestas data fuerit sub hac forma: ut ipse secreto, & sigillatim, votis singulorum de Capitulo exquisitis, & in scriptis redactis, illum eligat in quem plures de Capitulo, partium comparatione minorum, consenserint, licet consentientes majorem partem totius Capituli non attingant, ipseque juxta traditam sibi formam eligat eum in quem non major pars, sed plures de dicto Capitulo, quam in quemquam alium direxerant sua vota electio est nulla, utpotè facta præter formas à Concilio præscriptas, *C.*23. *b.t. in 6.* quando plures sunt compromissarij possunt ipsi unum ex compromissarijs eligere: quia nulli suum officium debet esse damnosum, imò si duo sint, & Titius; v.g. eligatur à Cajo suo collega, potest Titius in sui electionem consentiendo, illam complere, *C.*33. *b. t. & ibid. Gonz.* imo aliqui dicunt, quod cum mortuo Clem. V. Electores committerent electionem per compromissum in Cardinalem Jacobum de Ossa, ille dixit: *Ego sum Papa*, fuitque coronatus sub nomine Joannis XXII. ut affert: *Moreri in Diction. Histor.* sed alij hoc negant, tenentes, quod compromissarius, quando est unicus non potest seipsum eligere; *arg. c. fin. de Instit. c. 26. de Jur. Tom. I.*

Patronat. Electus à compromissarijs debet publicari, sicut in scrutinio, *C.* 21. *b. t. in 6.* quia talis electio est actus totius Capituli, & fit nomine omnium.

154 Compromittentes debent admittere electum à compromissarijs, si hi elegerunt idoneum, & formam compromissi observarunt, *C.* 8. *c.* 52. *b. t.* quia jam per alium, scilicèt, compromissarium, functi sunt officio suo. Si verò indignum elegerunt; vel etiam idoneum, sed contra formam præscriptam in compromisso, possunt compromittentes alium de novo eligere. Si intra tempus à jure præfixum non eligunt compromissarij, devolvitur facultas eligendi ad superiorem, non ad Capitulares; his enim, quamvis non commissio, omissio tamen, vel negligentia compromissariorum nocet, *C.* 37. *b. t. in 6.* Si tempus fuit à compromittentibus præfixum, ad ipsos facultas eligendi redit, debet tamen computare, intra quod debuerunt compromissarij eligere. Si compromissarius eligit indignum sive scienter, sive ignoranter, ad Capitulares devolvitur facultas. Idem est, si idoneum eligat: sed hic vel non acceptet, vel renuntiet, vel moriatur; quia cum pro una vice tantum sit concessa facultas eligendi: hæc expirat, cum compromissarius semel eligendo, suo officio functus est. Si scienter eligit indignum, ipse solus ab Ecclesiasticis beneficijs est suspensus per triennium, quæ suspensionis pœna solum extenditur ad beneficia quæ habet suspensus in Ecclesia offensa, nec comprehendit compromissarium, si fortè sit Episcopus: nec extenditur ad Prælaturas, & beneficia inferiora Episcopatu, si fortè ad ipsa conferenda fiat compromissum, *C.* 7. §. *fin. b. t. c.* 37. *eod. in 6.* Hinc deducitur quod compromissum finitur, si electio, vel postulatio fuit sine effectu: quia pro una vice tantum est concessa facultas, qua functi sunt eligendo, quamvis sine effectu, quia electus v. g. renuntiet, vel moriatur. Similitèr finitur compromissum, si conditio compromisso adjecta deficiat, vel tempus compromissarijs assignatum sit elapsum, *C.* 52. *b. t.* vel si compromissum revocetur à majori parte compromittentium, re adhuc integra, id est, antequam ad substantialia electionis sit processum; *arg. à contr. c.* 30. *b. t.* sicut quodlibet mandatum revocatur, §. 9. *Instit. de Mandat.*

155 Electio *quasi per inspirationem* fit, quando, nullo præcedente tractatu, Electores in loco solito congregati omnes una-

unanimiter in unum consentiunt, *C. 42. h. t.* Aliquando verò fit per veram inspirationem, ut accidit in electione S. Mathæi *Act. Apost. c. 1. v. 24.* Et sic debet intelligi, quod dicitur in *C. 8. v. è contra, D. 61.* ibi: *Beatus Nicolaus ex Laico electus est in Episcopum, Beatus Severus ex lanificio assumptus est in Archiepiscopum. B. Ambrosius, cum nondum esset baptizatus in Archiepiscopum est electus.* Hucusque de electione dicta luculenter comprobantur à N... *e Alphonso in L. 17. tit. 5. p. 1.* ...: *Eleccion en Latin, tanto quier decir en Romance, como escogimiento, è por ende manda Santa Eglesia, que los Perlados sean escogidos con gran femencia, como aquellos que han de tener logar de los Apostoles en la tierra. E la manera de como los deben escoger, es esta. Que quando vacare alguna Eglesia, que quiere tanto decir, como finear sin Perlado; que el Dean, è los Canonigos, que en ella se acertassen, deben ayuntarse, è llamar à los otros sus Compañeros, que fueren en la Provincia, ò en el Reyno, segun que ...ere costumbre de aquella Eglesia, que ven... al dia, que les señalaren à facer la eleccion. E el tiempo en que la deben facer, es desde el dia que finare el Perlado, fasta tres meses al mas tard... E si en este tiempo non la ficiessen, pierden ellos el poder aquella vez: è ganalo el Perlado mayor, que es mas cercano, à quien son tenudos de obedecer por Derecho. E el dia que ovieren de entrar para facer la eleccion, deben antes cantar Missa de Sancti Spiritus, que Dios los enderesce à facer lo mejor. E deben despues entrar en su Cabildo, è facer su eleccion en una de estas tres maneras: à la primera dellas llaman Seruntinio: à la segunda Compromisso: à la tercera Spiritu Santo.*

156 Electio, quæ vi, vel metu gravi extorquetur, cum hoc redundet in perniciem, & gravamen Ecclesiasticæ libertatis est nulla, *C. 14. h. t.* v. g. si Electores arctentur, vel ad personam determinatam, vel ad certum genus personarum, alijs exclusis, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. c. 19. n. 232.* Sed in hoc secundo casu non est ipso jure irrita: quia absolutè non est omnino ablata libertas Electoribus; debet tamen irritari, quia non est omnino libera electio, cum certum genus personarum; v. g. Hispanorum excludatur. Qui per se, vel per alios injustè persequuntur, & gravant Electores Ecclesiasticos, incurrunt ipsofacto excommunicationem, *C. 12. h. t. in 6.* quæ etiam ad eos, qui hoc faciunt, de mandato alterius, etiam extenditur; *arg. C. 42. de Sentent. excom.* Consentiens electioni de facto factæ per abusum potestatis Sæcularis, efficitur ineligibilis ad Dignitatem, & electio est nulla. Potest tamen eligi ad canonicatum, Parochiam, & alia beneficia, cum Lex pœnalis non debeat extendi. Eligentes vero potestate eligendi pro ea vice privantur, & à beneficijs per triennium suspenduntur, *C. 43. h. t.* per sententiam tamen Judicis, ut notat *Glossa.* Tunc fit electio per abusum Potestatis Sæcularis, si Laicus electioni se immisceat, vel ipsi ad eligendum intersit, *C. 28. v. Verum, D. 63.* vel quando ipsi eligentes consensum Principis Sæcularis ante electionem exquirunt; secus si post electionem, *C. 14. h. t.* Laicus tamen potest in electione intervenire pro bono pacis ad sopiendas discordias, & ita aliquando in nostra Hispania fit ex ordinatione Regia, quæ invenitur post *tit. 6. lib. 1. R. Cast.* idem est in Indijs de quo *Solorz. Polit. Indiar. lib. 4. cap. 26.* Si eligentes, vel electi non sponte, sed coactè celebrarunt electionem per abusum Potestatis Sæcularis, vel in eam consenserunt hoc modo: non incurrunt prædictas pœnas; nam tunc non *præsumunt* talem electionem per talem abusum celebrare, ut dicitur in *C. 43. h. t.*

157 Electores debent electionem, quam citius commodè possint intimare electo, & ejus consensum exquirere, *C. 6. h. t. in 6.* quod si intra octo dies eam præsentare culpabilitèr differant: cadunt ipso jure à prosecutione electionis, quoad suas personas, & suspenduntur per triennium à beneficijs, quæ in illa Ecclesia obtinent, etsi in illa se ingerant, eis ipso jure privantur, *C. 16. §. Cæterum h. t. in 6.* Per electionem etiam acceptatam solum acquirit electus jus ad rem, *C. 16. de Accusat.* contra *aliquos*, quo jure non potest privari, nec ab Electoribus, nec à confirmante, nisi hic sit R. Pontifex: potest tamen ipse electus acceptare, vel recusare electionem; quia *beneficium invito non datur, L. 69. ff. de Reg. jur.* etiam post acceptatam renuntiare ei potest sine superioris consensu, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 19. n. 240.* imò postquam eam recusavit, potest mutandi voluntatem acceptate intra mensem, si Electores alium non elegerunt. Si electus renuntiat, electio devolvitur ad primos Electores, *C. 26. h. t. in 6.* Electus tamen consentire in electionem tenetur, si à Superiori per obedientiam cogatur, *C. 8. 8. q. 1. arg. C. 10. de Renuntiat.* vel si communitati, vel Monas-

nasterio dispendium magnum sequatur, si ipse non acceptet; *arg. C. 9. 8. q. 1.* vel quando hoc est necessarium ad Ecclesiæ utilitatem, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 19. n. 245.* Si electus, intra mensem, id est, dies facientes unum mensem, à die præsentatæ electionis, culpabilitèr differat acceptare, amittit jus per illam quæsitum, nisi forsàn ea sit electæ personæ conditio, ut electioni de se celebratæ absque Superioriis sui licentia ex prohibitione, seu quavis provisione Sedis Apostolicæ consentire non possit. Et post consensum præstitum, intra trimestre debet electus per se, vel per procuratorem confirmationem petere: aliàs electio ipso jure evanescit, *C. 6. b. t. in 6.* nisi justum impedimentum obstiterit, *C. 2. D. 75.*

158 Hodie *ex C. 16. b. t. in 6.* electi ad Cathedrales, & Regulares Ecclesias, quæ sunt immediatè Sedi Apostolicæ subjectæ debent intra mensem à die consensus præstiti iter arripere, vel personas idoneas mittere ad R. Pontificem pro impetranda confirmatione. Pro casu, quo alius sit coelectus, vel detur contradictor, *in C. fin. b. t. in 6.* sic statuitur, *vocationem autem hujusmodi, nominatim, ubi est Coelectus, vel apparet oppositor, aliàs generalitèr in Ecclesia, in qua electio facta est, ut si qui sint, qui se velint opponere, compareant, assignato peremptorio tempore competenti, faciendam esse censemus: quæ etiam si electio in concordia celebrata fuerit, volumus observari.*

159 Superior, cui jus competit confirmandi, repellet electum indignum, aliàs privatur potestate confirmandi proximè sequenten: idoneum vero, quam primo confirmabit, *C. 44. b. t. C. 3. eod. & ibid. Gonzal.* Et licet nullum tempus à jure sit assignatum ad confirmandum, potest à Superiori intra certum tempus, quod confirmatori assignabit illum ad confirmandum cogere, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 19. n. 254.* Qui immediatè à S. Pontifice creantur Episcopi, per ipsam collationem Episcopatus eliguntur, instituuntur, & confirmantur. Confirmatio olim erat petenda ab immediato superiori, *C. fin. D. 64. c. 32. b. t.* in nostra Hispania olim Archiepiscopus Toletanus habebat potestatem confirmandi, & ordinandi in quibuslibet Provinciis Episcopos, quos Rex præsentabat, ita tamen, ut quicumque erat ordinatus, intra tres menses post suam ordinationem proprio Archiepiscopo se præsentaret, *C. 25. D. 63.* Sed hodie, sicut in alijs locis est reservata R. Pontifici provisio omnium Ecclesiarum Cathedralium, sic ubi electio adhuc fit per suffragia Capitularium, ipsi est reservata electionis confirmatio, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 9. n. 9.* licet Pontifex confirmando electionem, non possit supplere defectum juris naturalis, vel Divini, potest tamen defectum juris Positivi supplere: sed regularitèr illum non sanat: quia confirmatio sequitur electionis naturam: *C. 4. de Confirm. util.* nisi in confirmatione exprimatur, vel addatur clausula ex *certa scientia, vel de plenitudine potestatis, C. 1. c. 2. de Confirm. util.*

160 Confirmatio dat confirmato jus in re in Prælatura; per eam fit ratum matrimonium spirituale inter confirmatum, & Ecclesiam, *C. fin. de Translat. Episcop.* confirmatus potest vocari Episcopus *electus*, & non comprehenditur in generali statuto, vel sententia juxta privilegium, *Text. in c. 4. de Sent. excom. in 6.* si inhæresim incidat, non potest ab Inquisitoribus puniri, sed tantum à Papa, cui reservatur ejus cognitio: Nec potest jam Ecclesiæ renuntiare, ad quam est electus, & confirmatus sine Superioris licentia, *C. 2. de Transl. Episc.* quod si cedat, vel decedat, per ipsum vacat Prælatura. Ipse etiam adquirit plenam Ecclesiæ administrationem exceptis ijs, quæ majoris inquisitionis discussionem exigunt, & Ministrum consecrationis desiderant, *C. 15. b. t. Gonz. in c. 3. b. t. n. 8.* ac proindè potest excommunicare, suspendere, interdicere, visitare, corrigere, punire, Synodum convocare, beneficia conferre, Ecclesias minores conjungere, & annectere, vel dividere vota, & juramenta dispensare: aliqua peccata sibi reserv[illegible], indulgentias concedere, & alia hujusmodi de quibus in suis locis, *Suar. de Censur. D. 41. sect. 2. n. 7. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 2. n. 11. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 9. n. 23.* Et licet per se non possit ea, quæ sunt ordinis exercere, potest ea alij Episcopo consecrato delegare, siquidem delegare est actus jurisdictionis, non ordinis, *C. 11. b. t. & ibid. Gonzal.* Episcopus tamen confirmatus debet ostendere Capitulo litteras Apostolicas de sua electione, & confirmatione testantes, nec aliter potest Ecclesiam administrare, nec ab ipsa debet recipi, tanquam Prælatus sub pœnis de quibus in *Extr. 1. b. t. int. com.* ubi nullum declaratur, quod aliter factum fuerit, & capitula, quæ eos receperint, vel obediant

diant à perceptione suorum beneficiorum suspenduntur, donec Sedis Apostolicæ gratiam obtineant.

161 Hinc Episcopus electus ante confirmationem non potest beneficia conferre, nec aliter Ecclesiam administrare, *C. 9. h. t.* imò *Greg. X. in c. 5. h. t. in 6.* statuit: *Ut nullus de cætero administrationem Dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub æconomatus, vel procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus, vel temporalibus per se, vel per alium, pro parte, vel in totum gerere, vel recipere, aut illis se immiscere præsumat: omnes illos, qui secus fecerint, jure, si quod eis per electionem quæsitum fuerit, decernentes eo ipso privatos*: ut sic avaritiæ, & ambitioni plurium occurratur. Ita tamen, *quod interim (ait Text. in C. 44. in fin. h. t.) valdè remoti, videlicet ultra Italiam constituti, si electi fuerint in concordia* (id est Canonicè per majorem, & saniorem partem Capituli, & nullus adsit contradictor, nec coelectus) *dispensativè propter necessitates Ecclesiarum, & utilitates, in spiritualibus, & temporalibus administrent, sic tamen, ut de Rebus Ecclesiasticis nihil penitùs alienent.* Hæc ergo dispositio non debet extendi ad similia, quia est dispensatio, ut notat *Gloss. ibid.* nec in Hispania habet locum, quia non datur electio, de qua loquitur dictus textus. Hodie tamen non aliter quam post confirmationem possunt Episcopi administrare, litteris Apostolicis, ut supra diximus, præsentatis. Imo & Episcopus consecratus non aliter admittitur, *Villaroël de Regim. Eccles. p. 1. q. 1. art. 10.* ubi latè de hoc agit in nostra Hispania, & in his Indiarum Provincijs insuper requiritur, quod noster Rex mittat litteras, quæ *executoriales* dicuntur, quæ de litterarum Apostolicarum in supremo Indiarum Consilio cognitione, seu inspectione attestantur, & jubent, quod executioni mandentur ipsæ litteræ Apostolicæ; sed in his Regnis aliquid speciale invenitur. Nam præsentatus, vel nominatus à Rege ad aliquem Episcopatum in his Provincijs, ante Pontificis confirmationem administrat, & gubernat suam Ecclesiam, & Diœcesim: quia à Rege expediuntur litteræ commendatitiæ *Hispanè, ruego, y encargo* ad Capitulum Sedevacante, ut talem præsentatum ad gubernationem Ecclesiæ admittat in spiritualibus, & temporalibus; sed tunc gubernat, non jure proprio, sed ex delegatione Capituli, quia solum Capitulum, non vero Rex potest ei jurisdictionem spiritualem communicare, quod clarè constat ex ordinatione Regia, quæ invenitur post *tit. 6. lib. 1. R. Ind.* ibi: *Su Magestad, en virtud del Patronazgo, està en possession de que se despache su Cedula Real, dirigida a las Iglesias Cathedrales, para que entretanto que llegan las Bulas de su Santidad, y los Presentados à las Prelacias, son consagrados, les dèn poder para governar los Arzobispados, y Obispados de las Indias, y assi se executa. Solorz. de Jur. Ind. tom. 2. lib. 3. cap. 4. ex n. 35. Villaroël de Regim. Eccles. p. 1. q. 1. art. 10. n. 19.* Sed postea litteris Apostolicis, & executorialibus acceptis, jam proprio jure Episcopi gubernant suas Ecclesias, quas anteà nomine alieno gubernarunt; in Diœcesibus non habentibus Capitulum, ut accidit in his Insulis, cum casus irregularis sit, nova providentia data est, & constat ex schedula Regia, 2. *Aug.* 1736. ad Archiepiscopum Manilanum directa, ibi: *Ha parecido preveniros, como lo hago, que los Sugetos, que Yo presentare para las Iglesias de essas Islas, à quienes se les despacharen las Cedulas para governarlas, constando de ellas, y de su acceptacion, no necessitan para entrar à governar legitima, y canonicamente sus Iglesias por sus personas, ò las de sus Vicarios Generales, tanto en lo temporal, como en lo espiritual (à excepcion de lo de Orden) de que los Obispos inmediatos, que en virtud del mencionado Breve* (de Innoc. XI. de 24. de Abril de 1679.) *estuvieren governando en la vacante essas Iglesias, les subdeleguen jurisdiccion alguna, para governarlas, por suponerseles transferida toda la que necessitan con el acto mismo de la presentacion, y acceptacion por la authoridad de su Santidad, y de la mia, que unidamente concurren en este consentimiento, con atencion à la necessidad de las Iglesias, y distancia de la Corte Romana.*

162 Post confirmationem sequitur consecratio, quæ non præcedente confirmatione, non valet, *Gl. in C. 44. b. t. in 6.* nec sic consecratus potest ordinem collatum exercere. Imò etiamsi Episcopus electus, vel præsentatus habeat: *fiat* Pontificis non potest consecrari, quia ad consecrationem obtinendam debet præsentare mandatum Apostolicum, & hoc debet ante consecrationem legi, ut constat ex Pontificali Romano. Si vero talis consecretur, etiam non præsentato mandato valida erit consecratio. Si tamen

Bullæ

Bullæ fuerunt expeditæ à R. Pontifice; sed vel naufragio amissæ, vel ex malitia ablatæ fuerunt, poterit per testes probari fuisse expeditas, & vi hujus probationis fieri valet consecratio, *Villaroel de Regim. Eccles. p.* 1. *q.* 1. *art.* 10. *ex n.* 88. *Gonz. in C.* 9. *h. t. n.* 8. Sed hoc meo videri non est admittendum. 1. non in Europa, quia facilis est recursus ad R. Curiam: Deinde neque in his Provincijs: tum quia jam satis cautum est, ut his contingentijs occurratur, cum varia exemplaria authentica extrahantur; tum quia ob nimiam distantiam cautius est procedendum, ut obvietur fraudibus. *Nam ubi periculum majus intenditur, ibi proculdubio est plenius consulendum.* Ut dicitur in *C.* 3. *h. t. in* 6. *In Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 2. statuitur, ut *Ecclesijs, Cathedralibus, seu superioribus, quocumque nomine ac Titulo præfecti, etiamsi Sanctæ R. Ecclesiæ Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur. Si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesijs ipso jure sint privati. Consecratio verò, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in Provincia, si commodè fieri poterit celebretur.* Et quidem olim Metropolitani consecrabantur à Primate, vel ab alijs Metropolitanis in Concilio Provinciali. Episcopi à Metropolitanis consecrabantur, vel de illorum consensu, *C.* 2. *D.* 65. *C.* 1. *D.* 66. *Gonz. in c.* 7. *de Tempor. Ordin. ex n.* 4. Hodie tamen post reservationem Episcopatuum, quoad collationem, vel confirmationem ad Romanam Sedem, etiam censetur reservata consecratio; ac proinde sine speciali Pontificis mandato non possunt Episcopi consecrari, *Gonz. in C.* 7. *de Tempor. Ordin. n.* 6. Bullæ tamen, quæ pro consecrandis Episcopis præcipuè in his Indiarum Provincijs expediuntur, habent hanc clausulam: *Ut à quocumque malucrint Catholico Antistite, S. Romanæ Ecclesiæ Communionem habente, consecrari possint. Solorz. Villaroel; & alij.*

163 Non solum in sua Cathedrali, sed etiam in quacumque Ecclesia, etiam extra Provinciam, vel Diœcesim, potest Episcopus consecrari, *C. fin. D.* 51. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 2. Et licet in Bulla sit aliqua Ecclesia designata, potest ex justa causa alibi fieri, *Solorz. de Jur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 33. Ex antiquissima traditione desumpta ex Apostolorum doctrina debet fieri consecratio die Dominica, hora tertia, quæ nostræ nonæ correspondet, *Hispanè á las 9. de la mañana*, *C.* 1. *C.* 5. *D.* 75. inter Missarum solemnia, inter Epistolam, & Evangelium. Et quidem consecrandus concelebrat consecranti, & principaliter celebranti; sed tunc non potest Ordines celebrare: quia *solus R. Pontifex (qui ante hymnum Angelicum consecratur, & postmodum ipse Missarum solemnia incipit, & perficit consecratus) in die consecrationis suæ valet Ordines celebrare*, *C.* 28. §. 1. *h. t.* De quibus latè *Sanch. lib.* 7. *Consil. cap.* 1. *Dub.* 15. Et quamvis habeatur in *C.* 2. *D.* 66. quod *Hierosolymitarum primus Archiepiscopus B. Jacobus, qui justus dicebatur, & secundum carnem, Domini nuncupatus est frater, à Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis est ordinatus, successoribus, videlicet, suis dantibus formam, ut non minus, quam à tribus Episcopis, reliquisque assensum præbentibus, ullatenus Episcopus ordinetur. & communi voto ordinatio celebretur*, dicendum tamen est, quod S. Jacobus jam erat ordinatus Episcopus à Christo D. & tunc solum illius Episcopatus administrationem accepit. Et quamvis ibi fuisset præscripta forma pro Episcoporum consecratione, non Jus Divinum, ut patet, sed solum humanum fuit constitutum in quo certè potest R. Pontifex dispensare, *C.* 4. *de Concess. Prebend.* Et defacto Pius IV. pro his Indiarum Provincijs dispensavit, ut consecratio Episcopi possit ab uno Episcopo fieri; qui in defectum aliorum duas Dignitates, vel Canonicos mitratos sibi in Socios assumet, *Villaroel de Reg. Eccles. p.* 1. *q.* 1. *art.* 9. *n.* 30. ubi affert *Bull. Pij IV. datam* 11. *August. An.* 1562. quod confirmatur. Nam in *Can.* 1. *Apost.* Episcopus à duobus, vel tribus Episcopis ordinari jubetur: & per consequens non est de essentia consecrationis, quod tres Episcopi interfint; *arg. C.* 4. *de Rescript.* Nam disjunctiva per unam partem sufficienter verificatur. Et quamvis tres ad sint, unus tantum est consecrator, alij vero duo assistentes, ac proinde jam abs dubio contra aliquos tenendum est, consecrationem à paucioribus, quam tribus Episcopis factam, validam esse.

164 Alia de quibus in Sacris Canonibus fit mentio pertinent ad ritus, & solemnitatem. *Episcopus cum ordinatur (ait Text. in C.* 7. *D.* 23.*) duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum Codicem super caput, & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tan-*

tangant. Debet consecrator caput, & manus consecrandi Sacro Chrismate inungere. Chrisma conficitur ex oleo, & balsamo; per oleum nitor conscientiæ designatur, per balsamum odor bonæ famæ. Caput ungitur, ut Episcopus diligat Deum ex toto corde suo, & proximum, sicut se ipsum: manus inunguntur, ut operetur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei, *C. un. de Sacr. Unction.* Episcopi, & Archiepiscopi juramentum fidelitatis, & obedientiæ R. Pontifici præstant, *C.* 4. *h.t.* juxta formam præscriptam in *C. Ego*, 4. *de Jur. jur.* & faciunt professionem fidei, *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 1. priusquam regimen, & possessionem Episcopatus apprehendant. Et cum valde probabile sit, præcipuè hodie, tale juramentum non posse per procuratorem fieri, R. Pontifex volens parcere laboribus, & expensis Episcoporum præcipuè in Indijs, committit, vel generalitèr, vel specialitèr hujus juramenti, & professionis receptionem. Si Episcopus specialitèr delegatus mortuus, vel valdè distans sit, potest fieri juramentum, & professio coram quolibet alio superstite, vel viciniori, validè, & licitè: non verò coram Capitulo, Sedevacante, *Solorz. de Jur. Ind ar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *ex n.* 25. *Gonzal. in C.* 4. *h. t. n.* 27. Episcopi Hispani antequam administrationem suscipiant, præstant juramentum nostris Regibus de eorum juribus, & redditibus non invadendis, *L.* 13. *tit.* 3. *lib.* 1. *R. Cast.* Et in Indijs jurant de Regio Patronatu non usurpando, *L.* 1. *tit.* 7. *lib.* 1. *R. Ind. Solorz. de Jur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *n.*47. *Villaroel de Regim. Eccles. p.* 2. *q.*19. *art.*1. *ex n.*16. *Gonz. in C.* 9. *h.t.* & *alij.* Denique debent omnia fieri, quæ ex Pontificali constant formaque talis est: *Accipe Spiritum Sanctum.* ✠ *Propitiare Domine supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis bene* ✠ *dictionis tuæ in eum effunde virtutem. Per Dom.* &c. Posteà dicitur: *Ungatur, & consecretur caput tuum cœlesti benedictione in ordine Pontificali, in nomine Patris,* &c. *In nomine Dei Pa* ✠ *tris, & Fi* ✠ *lij, & Spiritus* ✠ *Sancti facientes Imaginem Sanctæ Crucis Salvatoris Nostri Jesu-Christi, qui nos à morte redemit, & ad regna Cælorum perduxit, exaudi nos pie Pater omnipotens æterne Deus, & præsta, ut quod te rogamus, exoremus, per eundem,* &c.

165 Per consecrationem consummatur spirituale conjugium inter Episcopum, & ejus Ecclesiam, *C. fin. de Transl. Episcop.* plenitudinem officij Episcopalis consequitur, tam ad ea, quæ sunt jurisdictionis, quam quæ sunt ordinis exercenda, *C.* 15. *h. t.* nisi sit Archiepiscopus, qui per pallium consequitur plenitudinem potestatis, *C.* 3. *de Author. & Usu pallij.* Et post adeptam Episcopatus administrationem, vacant ipso jure omnia ejus beneficia, etiam simplicia, & pensiones, *C.* 7. §. *Cum verò, h. t. C.* 28. *de Præbend. in* 6. *Gonzal. in C.* 7. §. 1. *h.t.* Titulares vero Episcopi *Hispanè: de Anillo.* Cum non habeant possessionem suarum Ecclesiarum, utpotè quod sunt in partibus infidelium, possunt retinere beneficia possessa, & alia, si compatibilia sint obtinere, *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 57. *ex n.* 74. In nostra Hispania receptum est ex antiquissima consuetudine, ut præsentatus à nostris Catholicis Regibus ad aliquem Episcopatum renuntiet beneficia antea habita in favorem personæ designatæ à Rege, ipsique, & non alij tenetur Pontifex beneficia renuntiata conferre: quæ *Hispanè resultas*: dicuntur, & constat ex ordinatione Regia, quæ invenitur post *titul.* 6. *lib.* 1. *R. C. Barbos. vot.* 28. *n.* 6. *Gonz. in C.* 7. §. 1. *h. t. n.* 3. Denique hodierna Hispaniæ praxis pro Episcopatibus conferendis, hæc est. Quando moritur Episcopus, Capitulum Ecclesiæ vacantis mortem Episcopi per litteras Regi denuntiat. Consiliarij Regij proponunt Regi tres viros benemeritos, & dignos, ut præsentet quem malit Ecclesiæ vacanti, & regularitèr unum ex ipsis propositis eligit Rex, potest tamen, etiam non propositum eligere. Et sic ob merita electum præsentat Pontifici, exquisito præsentati consensu: quod si hic acceptat, petit à R. Pontifice confirmationem. Pontifex inquirit de vita, & moribus præsentati, & de Ecclesiæ statu, ipse præsentatus facit fidei professionem, posteaque in Consistorio fit prima præconizatio, quæ vim habet electionis: postea secunda præconizatio fit, quæ habet vim confirmationis; sic confirmatus statim ac notitiam suæ confirmationis habet, curabit amplam sibi coronam in capite formari, & Episcopalibus vestibus talaribus, coloris violacei se induet, cum mantellero laneo ejusdem coloris, virreto verò nigro, vel pileo nigro laneo cum chordulis viridis coloris ex serico confectis utetur. Mozzeta coloris violacei supra rochetum nunquam utitur, nisi intra Diœcesim. Et posteà consecratur modo dicto. Ex Regularibus verò ordinibus promoti possunt se confor-

ma-

mare cum Episcopis Sæcularibus in forma, seu figura habitus, retinendo tamen colorem habitus suæ Religionis, *Barb. de Jur. Eccles. lib.1. cap.9. ex n.8.*

166 In electione Prælatorum Regularium præcipuè attendendus est tenor constitutionum, & privilegiorum ordinis, in quo Prælatus eligitur, simul cum consuetudine, quæ est optima Legum interpres, *Trid. sess.25. de Regul. cap.7.* in non specialiter decisis sequenda est forma præscripta *in C. Quia propter,42. h. t.* & juxta eam debent eligi Abbates, & Prælati, qui habent Ecclesias, & Monasteria in titulum perpetuum, quales sunt Abbates S. Benedicti, S. Bernardi, &c. Jure ergo communi electio Prælati pertinet ad Conventum, pro quo eligitur, *C. 2. c. 3. c. 4. 18.q.2. C.1.h. t.* Et Electores debent esse ex eodem ordine, & Conventu, Clerici, & professi, saltem tacitè, nam Novicij, nec Laici, seu conversi non debent cum Clericis, & professis electionibus interesse, *C.32. §.1. h. t. in 6.* Sed debent saltem in Subdiaconatu esse Constituti, ut de Canonicis Regularibus disponit, *Cl. 2. de Ætat. & qualit. Trid. sess.22. de Ref. cap.4.* quod ipsa consuetudine interprete ad omnes Regulares extensum est. In ordinibus Militaribus, & Hospitalarijs habent suffragium Laici, dum sint professi, nec aliàs sunt Religionis membra, *Gloss. in C.32. h. t. in 6.* Et ratio est: nam tales ordines non ad spiritualia, sed ad temporalia ministeria sunt instituti, quæ propria Laicorum sunt, ac proinde præcipua Religionis pars ex Laicis componitur. A jure eligendi excludunrur Religiosi proprietarij, *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 2.* Et qui ex ordine Mendicantium transierunt, etiam authoritate Apostolica ad non Mendicantes, *Cl.1. de Regular.* & alij, qui specialiter in unaquaque Religione excluduntur.

167 Pro Prælato eligendo sic de novo decrevit *Trid. sess.25. de Regul. cap. 6. In electione Superiorum quorumcumque; Abbatum, temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quo omnia rectè, & sine ulla fraude fiant, in primis S. Synodus districtè præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Si vero contra hujus Decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, & is, qui ad hunc effectum, se in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existant, facultatesque super his concessæ, eo ipso abrogatæ censeantur, etsi in posterum aliæ concedantur, tanquam subreptitiæ habeantur.* Sed non quælibet ostensio alicujus schedulæ irritat electionem, sed tantum, quando vota electorum publicantur dolo, vel culpa totius Capituli, vel ejus majoris partis; vel quando manifestatio plurium votorum, vel etiam unius esset realis causa, vel rationabilitèr præsumpta, quod electio hujus determinatæ personæ fieret, *Barb. in Trid. sess.25. de Regul. cap. 6. n. 4.* nihil tamen electioni obstat, si posteà suffragia, etiam temerè publicentur, cum tunc nequeant in electionem influere. In superiorem eligi non potest, qui non habet saltem 25. annum incœptum, *Cl. 1. §. Cæterum, de Statu Monach.* Et hanc ætatem jure communi sufficere ad quamcumque Prælaturam Regularem, etiam ad Generalatum, & ad quamcumque Prælaturam Sæcularem, extra Episcopatum, deducitur *ex C. 7. §. Inferiora, h. t. Clem. 1.§. Cæterum, de Stat. Monach. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 17. n. 30.* Præterea eligendus debet esse professus: Novitius enim in Prælatum nequit eligi, *C.49. h. t. Quia in Magistrum assumi non debet, qui formam discipuli non assumpsit, nec est præficiendus, qui subesse non novit*, debet enim emisisse professionem expressè, expleto probationis anno, nec sufficit, si tacitè professus sit, *C. 28. h. t. in 6. Trident. sess. 25. de Regul. cap.15. & 21.* Et quidem debet esse in regula sufficientèr instructus, *C.38. h.t.* ac ideò non convenit, quod statim ac professus est in superiorem eligatur. In aliquibus Religionibus est determinatum tempus, quod debent habere; in alijs relinquitur electoribus determinandum. Si alterius Monasterij ejusdem ordinis sit Prælatus, hoc ipso, quod ad aliud Monasterium eligatur, & acceptet, cum idem nequeat pluribus Monasterijs præesse, *C. fin de Relig. domib.* prima Prælatura vacare censetur. Debet etiam eligendus esse illius Religionis ad quam gubernandam assumitur, quod si alterius Religionis sit, electio nulla erit, *Cl.1. h. t. §. Cum rationi non congruat, ut homines disparis professionis, vel habitus simul in iisdem Monasterijs socientur.* Etiam debet esse Presbyter, vel debet habere ætatem, ut intra annum à die, quo Prælaturæ possessionem adeptus est, vel potuit adipisci, Sacerdotium suscipere valeat, ut de alijs beneficijs Curatis dicitur *in C. 7. §. Inferiora h. t.* exceptis Religionibus, in quibus Prælati debent esse Laici, ut in ordine S. Joannis de Deo, &

& alijs. Inhabiles sunt ad Prælaturas illegitimi, corpore vitiati, simoniaci, &c. & pœnitentiati à S. Officio Inquisitionis, etiamsi pœnitentiam compleverint ex *Decr. Urban.VIII.* nisi in his omnibus, utpotè juris positivi dispenset Pontifex, *Barbos. de Jur. Eccl. lib.1. cap.17. ex n.30.* Denique Prælatus debet esse in regimine cautus, humilis, castus, misericors, discretus, sobrius, & Divina præcepta verbis, & exemplis docere, C. 15. 18. q. 2. non turbulentus, & anxius, non nimius, & obstinatus, non zelotypus, & nimis suspiciosus, ut ex S. Benedicto affert, *Barbos. de Jur. Eccles. lib.1. cap.17. n.59.* Etsi omnia illius talenta uno verbo comprehendere velimus, debet esse prudens, & discretus, nam discretio est omnium virtutum mater, C.1. *de Offic. Custod.* & ut quidam Poeta dixit: mensuram, & proportionem inter extremorum vitia definiens, & limites præscribens.

Est modus in rebus sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

168 Abbates postquam eligebantur, debebant confirmari: & quidem olim, non exempti, ab Episcopo Diœcesis: exempti verò à R. Pontifice: Hodie electio ipsa, quæ fit vel à Generali ordinis, vel à Definitorio habet vim confirmationis. Et post confirmationem debebant Abbates perpetui benedici ab Episcopo Diœcesano, C.1. *de Supplend. neglig.* Hæc benedictio in die Dominica debebat fieri. Et quidem fiebat per manuum impositionem, quæ non Sacramentalis, sed deprecatoria erat, & semel benedictus, si ad aliam transferebatur Abbatiam, non erat iterum benedicendus; *arg.* C.1. c.3. *de Secund. Nuptijs.* Hodie ex concessione Pontificis vix aliquis Abbas indiget benedictione. Aliqui Abbates utuntur insignijs Episcopalibus, *C.6. de Privil. in 6.* mitra, scilicèt baculo, muzeta, caputio, &c. non tamen possunt uti baldachino sine speciali privilegio, juxta cujus tenorem poterunt uti mitra vel *pretiosa*, id est, contexta gemmis, & laminis, vel *auri frisiata*, quæ licet aliquas parvas margaritas possit habere, non tamen gemmas, vel laminas, vel *simplici*, scilicèt, ex simplici Serico Damasceno confecta: possuntque hi Abbates benedicere solemnitèr, aliaque Pontificalia exercere, juxta tenorem tamen præcisum suorum privilegiorum, quem nequeunt in Episcoporum præjudicium excedere; *arg. L. 5. ff. Mandat*, de hoc latè *Barbos. de Jur. Eccles. lib.1. cap.17. ex n. 40. Mastrid. in Sum. lib.4. p.5. tract. 3. & alij.* Nullus Regularis potest eligi, nec postulari ad Prælaturas Sæculares: Episcopatu inferiores; *Extr. un. de Postul. Prael. int. com.* Regularis si fiat Cardinalis, cum jugo regulæ non sit subjectus, potest in electionem sui ad Episcopatum consentire, etiamsi Religiosus maneat, *C. 24. h. t. in 6.* Ad Episcopatum possunt eligi, & in sui electionem consentire Regulares; tam Mendicantes, quàm non Mendicantes, etiam professi, & à fortiori etiam Novitij, *C.28. h. t. in 6.* exceptis Professis Societatis nostræ ob peculiare votum, non acceptandi has Dignitates, nisi à Papa earum acceptatio præcipiatur.

169 Circa electionem Abbatissarum, & aliarum Prælatarum, quæ etiam per vota secreta fieri debet, sic statuit, *Trid. sess.25. de Regul. cap.7. Abbatissa, Priorissa, & quocumque alio nomine præfecta, vel præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabilitèr vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio ex alio ejusdem Ordinis eligi possit: si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur; ex his, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente eligatur. Duobus Monasterijs nulla præficiatur, & si qua duo, vel plura quocumque modo obtinet, cogatur, uno excepto, intra sex menses cætera resignare: post id verò tempus, nisi resignaverit omnia ipso jure vacent. Is verò, qui electioni præest, Episcopus, sivè alius Superior Claustra Monasterij non ingrediatur: sed ante Cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. In reliquis serventur singulorum Ordinum, vel Monasteriorum Constitutiones.* Electio Abbatissarum, seu Priorissarum debet fieri ab ipsis Monialibus, C.1 *h. t.* possuntque eligere, quæ expressè, vel tacitè professæ sunt, licet tantum possint eligi, quæ expressè sunt professæ, *C.43. h. t. in 6.* Episcopus, vel alius Præses Capituli non habet votum in electione, quia non est de corpore Capituli, C.2. 18. q.2. in ipsum tamen potest compromitti electio, C.8. *h. t.* Olim eligenda in Abbatissam debebat esse Sexagenaria, C.12. 20. q. 1. Hodie tamen, si eligatur Abbatissa, quæ non habeat 40. annos, electio est nulla, si in Monasterio aliæ quadragenariæ habiles inveniantur, nec potest Episcopus in hoc statuto juris communis dispensare, *Barbos. in Trid. sess.25. de Regul. cap.7. n.8. & 9.* Abbatissa, quæ

quæ benedictionem, vel consecrationem Virginum suscipiunt debent consequenter Virgines esse, *C.* 12. 20. *q.* 1. non vero aliæ, quæ tali benedictione non benedicuntur, *Sanch. in Decal. lib.*5. *cap.*5. *n.*21. contra *aliquos.* Si electio Abbatissæ facta sit in concordia sufficit, quod consentiat in illam major pars votorum; *arg. C.* 42. *b. t.* si aliquæ ex eligentibus contradicant, debet habere duas partes suffragiorum, saltem per accessum, ut possit non obstante contradictione confirmari. Permittitur tamen Monialibus adversus electam, ad eam removendam, etiam post confirmationem, & benedictionem, vel accusando, vel denuntiando, agere, *C.* 43. §. *Sanè, b. t. in* 6. si pro electa stet minor pars Capituli, vel pro duabus sint partes æquales, ad novum scrutinium procedendum est, quia nulli est jus adquisitum, & electio est irrita, *C.* 42. *b. t.* nec datur locus accessui, nisi consuetudine, vel constitutionibus permittatur. Si scrutinio publicato, accedat ad electam in discordia major pars, licet non tot, ut duas partes conficiant, electa admittitur ad administrationem in temporalibus, & spiritualibus, excepta alienatione, & receptione alicujus Monialis, interim, ac superior ex officio plenè, sed sine figura judicij inquirit super idoneitate electæ, & electionis forma, *C.*43. §. *Sanè, b. t. in* 6. Electæ per compromissum benedictio datur, non obstante contradictione minoris partis; sed si major pars se opponat, non confirmatur, libere tamen administrat: si vero se opponat pars duplo major non administrat, nec confirmatur, sed litis eventus est expectandus, *C.*43. §.*Caterùm, b. t. in* 6. in Collegijs Nobilium fœminarum, & Canonissarum Sæcularium hæc erunt observanda: sed cum ipsæ ordinem Religiosum non profiteantur, non requiritur professio neque in electis, neque in eligentibus, *C.*43. §. *Supradicta, b.t. in* 6. Abbatissæ, & Priorissæ expleto triennio suorum officiorum, non sunt denuò ad eadem officia eligendæ absque licentia Sedis Apostolicæ, vel Sacræ Congregationis. Abbatissæ potest sua soror in officio succedere, si nullum aliud obstet impedimentum, & sic declaratum refert, *Barb.de Jur.Eccles.lib.*1.*cap.*17.*n.*25.& 26.

170 Nunc de Romani Pontificis electione, ejusque praxi aliquid dicendum est. Mortuo enim R. Pontifice, Sedes Apostolica vacat, annulus Piscatoris rumpitur, omniaque officia, & Magistratus Ecclesiastici Romæ vacant Vicarius Romæ, qui est ùnus ex Cardinalibus, durat, & etiam officium Camerarij, & Pœnitentiarij Majoris, & Minorum, sed quidem ad forum conscientiæ tantum, in alijs cessat. Collegium Cardinalium, vacante Sede, non exercet jurisdictionem, quæ ad Pontificem, dum vivit, pertinet, nisi necessitas urgeat, nec potest creare Cardinales, nec pileum, vel alia insignia illis dare, nec corrigere, immutare, vel modificare Constitutiones Summorum Pontificum, *Cl. Ne Romani,* 2. *b. t. Barbos. de Jur. Eccles. lib.*1. *cap.*4. *ex n.* 91. *Math. in Sum. lib.*4. *p.*7. *tr.*3. *doc.* 3. Mortuo igitur R. Pontifice in Curia, post decem dies ingrediuntur Cardinales in Conclavem ad electionem faciendam; nec ultra decem dies debent expectare absentes, nec eos specialitèr vocare, cum non possit ipsos latere mors Pontificis, & Ecclesiæ mora sit noxia. Electio fit in Conclavi clauso, etsi intra tres dies post ingressum non eligant Pontificem, per quinque dies sequentes uno ferculo tam in prandio, quàm in cœna debent esse contentis quibus, provisione non facta, decursis; ex tunc tantummodo panis, vinum, & aqua illis ministratur, donec provisio, seu electio sequatur, *C.* 3. §. 1. *b. t. in* 6. & quidem R. Pontifex potest eligi, vel per inspirationem, vel per compromissum, vel per scrutinium per suffragia secreta. Et hic modus usitatissimus est. Quicumque ergo fidelis, qui careat impedimento Juris Naturalis, & Divini si à duabus partibus concordantibus Cardinalium electus fuerit, & receptus, habendus est, tanquam R. Pontifex ab universali Ecclesia absque ulla exceptione, *C.*6. *b. t.* etiamsi non sit Cardinalis, quamvis hoc expediat, *C.* 1. *D.*23. *c.*3. *c.*4. *D.*79. Nec est necessarium quod sit Sacerdos sicut Cœlestinus V. qui ex eremovocatus, & creatus Pontifex fuit cum non esset in Sacris Constitutus; imò quamvis sit Laicus potest in Papam eligi, ut ex Cæremon. R. colligitur. Et etiamsi uxoratus sit, dumtamen uxor consentiat, aliàs poterit ipsum repetere, *Sanch. de Matr.* *l.*7. *D.*38. *n.*12. Et quamvis deceat, quod Pontifex sit maturæ ætatis, non tamen erit invalida electio, etiamsi minor 30. annis eligatur, *Barbos. de Jur: Eccles. lib.*1. *cap.*1. *n.*83.

171. Cum Ecclesia detestetur successionem hæreditariam, non potest R. Pontifex sibi eligere successorem, *C.* 3. *cum seqq.* 8. *q.* 1: sicut diximus loquendo de Episcopis. Hæc potestas eligendi Pontificem olim erat penes universum Clerum;

aliquando electio Imperatoribus nuntiabatur, ut eam defenderent. Et sic debent intelligi, *Text. in C.22. c.23. D. 63*. tempore Nicolai II. concessum est Cardinalibus eligere Pontificem, sed non solis, quia eorum electioni accedebat approbatio Cleri, & Populi, *C. 1. D. 23*. sed per *Concil. Gener. Lateranense*, *in C. 6. h. t.* ad ipsos Cardinales privativè restricta est hæc potestas, habentque prædicti vocem activam, etiamsi nondum pileum, *Hispanè, Capelo*, aut alia Cardinalitia insignia adepti sint: neque os clausum, vel si clausum fuerit, nondum apertum sit. Cardinales nondum Diaconi, non habent votum in electione Pontificis, nisi fortè quando creantur, hoc specialitèr, ut regularitèr fit, concedatur, *Barbos. de Jur. Eccles. lib.1. cap.1. ex n.72*. Nec obstat Cardinalibus ad eligendum, nec ut eligantur, excommunicatio, vel alia censura. Si cæteris mortuis, vel absentibus unus tantum Cardinalis permaneret ad ipsum spectaret electio, quia tunc in eo Collegium Cardinalium conservaretur, *L. 7. §. fin. ff. Quod cujusque univers. Gloss. in Cl. Ne Romani, h. t. v. Omnes, Barbos. de Jur. Eccles. lib.1. cap.1. n.74*. Si omnes Cardinales mortui essent, pertineret electio, vel ad Concilium Generale, vel ad Clerum Romanum, vel ad Canonicos Lateranenses, tanquam membra prima illius capitis, & ubi D. Petrus suam Cathedram, & sedem habuit. Et illa Ecclesia censetur esse super omnes Ecclesias Urbis, & Orbis, *Barbos. de Jur. Eccles. lib.1. cap.1. n.75. & alij*; ut electio Pontificis sit Canonica, & valida debet electus habere duas partes, ex tribus partibus suffragiorum, *C.6. h. t. c.3. eod. in 6.* aliter facta electio irrita est, quia negotium gravissimum est, & confirmatione non indiget, nec eam potest habere, cum Pontifex nullum in terris superiorem habeat. Ipse enim electus acceptando electionem, per quam acceptationem ratificatur conjugium spirituale, statim fit Christi Vicarius, quin opponi possit aliqua exceptio. Casu verò quo non consentiant in unum duæ partes Cardinalium, possunt ipsi per accessum; id est, reformando votum, & illud conferendo ei, pro quo est major pars, complere numerum suffragiorum requisitum, quin sit necessarium novum scrutinium. Modus eligendi talis est, suffragium in quadam schedula sic scribitur: *Ego N. Cardinalis eligo in Summum Pontificem N.* Et suo annulo obsignat dictam schedulam, qua parte est scriptum nomen eligentis, pars verò ubi est scriptum nomen electi aperta relinquitur durante, imò & publicato scrutinio possunt Cardinales accedere electo per alios, & omnino resilire ab electione, quam fecerunt. Etiamsi aliquis unum tantum habeat suffragium in scrutinio possunt ipsi accedere Electores: quod si duas eligentium partes aliquis compleat, erit *electus per accessum*. Nullus tamen, tam in schedula scrutinij, quàm accessus plures nominare valet: alioqui suffragium, in quo plures sint nominati, nullum est. In quolibet scrutinio tantum semel accedere licet: neque per accessum ab alterius nominatione scrutinio facta accedens creditur recedere. *Greg. XV. in Const. Æternum*. Quando non possunt aliqui venire ad capellam, ubi celebratur electio, tunc ipsis defertur per scrutatores quædam arcula, in quam sua vota inferant, ibique declarant, an, & cui velint accedere. Hic accessus solum permittitur in electione S. Pontificis, & Abbatissarum, secus in electione Episcoporum, & aliorum. Votum se ipsum eligentis, etiam in compromisso per modum consensus, & complementi ad sui electionem irritatur per *Gregor. XV.* non tamen irritatur electio si in ipsum præter suum votum consentiant duæ partes: proinde, quando quis à duabus partibus electus est, non aperitur ejus schedula, neque inspicitur, an sibi ipsi suffragium dederit, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 1. n. 97. Et* 104. Per *adorationem* fit aliquando electio, quando, scilicet, duæ partes Cardinalium, nullo spectato scrutinio, sed voce tenus aliquem Cardinalem Pontificem salutant, & venerantur. Et sic aliqui fuerunt electi, *Barbos. de Jur. Eccles. lib.1. cap.1. n.102*.

172 Facta electione Papa collocatur in throno, ornatur annullo Piscatoris, & solet novum nomen, relicto antiquo, sumere. Si erat Episcopus consecratus, consecratione non indiget: si secus, consecrabatur olim à Cardinali Hostiensi; hodie à Decano Cardinalium, id est, à primo inter Episcopos cum duobus alijs senioribus consecratur. Consecratio tantum ad actus ordinis est ipsi necessaria, nullo modo ad jurisdictionem. Et licet à nullo confirmetur, quia non habet superiorem, acceptatio Ecclesiæ, qua fideles acquiescunt electioni factæ à Cardinalibus, ita ut nemo, vel pauci contradicant, est quasi confirmatio, sanatque omnes defectus, tum electionis, tum electi, qui sunt juris humani, si qui inveniantur. Statim ergo ac Papa eligitur, & electionem acceptat, etiam

etiam antequam consecretur, & coronetur, est verus Pontifex, habetque plenitudinem potestatis immediatè à Deo collatam, *C. 1. D. 23. C. 13. de Judic.* ibi: *Cum non humanæ Constitutioni, sed Divinæ potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo. Suar. de Fide, D. 10. sect. 4. n. 3. & alij plurimi.* Et à die electionis recipit Pontificatus administrationem, *C. 9. D. 74.* licet de stylo non incipiat Pontificatus, nisi à die coronationis. Qui vero litteras concessas à Pontifice, ante diem suæ coronationis impugnant, sunt ipso jure excommunicati, *Extr. 3. de Sent. excom. int. com. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 1. ex n. 118.* Electo insuper imponitur *Triregnum*, seu *Tiara.* Hæc enim est quædam Mitra tribus aureis Coronis circumdata, in cujus extremitate est globus Cruce coronatus. *Nicolaus I. An.* 858. unam coronam accepit. *Bonifacius VIII. An.* 1294. aliam addidit. *Urban. V. An.* 1362. tertiam denique imposuit, fortè in signum triplicis potestatis, quam R. Pontifex habet, scilicet, ordinis, jurisdictionis Ecclesiasticæ universalis, & temporalis in Patrimonio Ecclesiæ. Aliqui dicunt, quod Pontifices tres Coronas Tiarę imposuerunt, ut denotarent, se esse dominos totius Mundi, qui tunc tribus partibus, scilicet, Europa, Asia, & Africa constare credebatur, quibus tres Coronæ correspondebant. Hoc nomen Tiara à Parthis, Persis, & alijs Orientalibus originem duxit. *Vid. Moreri Supplem. V. Tiare. Diction. de Trevoux. V. Tiare, & alij.* Papa toto anni tempore utitur coloribus rubro, & albo, nam induitur veste talari alba, quam subtanam vocant, supraquam induitur rocheto, & caputio, seu mozzeta: utitur birreto rubro, ac calceamentis rubris, & desuper, Cruce aurata. A Sabbato Sancto post Missam usque ad Sabbatum in albis, etiam post Missam, utitur birreto, mozzeta, calceamentis, & stola albis. Tales vestes sunt, vel ex serico, vel ex lana diversæ qualitatis pro diversitate temporum. Religiosus factus Pontifex non tenetur habitum regularem retinere, aliqui vero SS. Pontifices laudabiliter retinuerunt habitum suæ Religionis, *Barbos. de Jur. Eccles. L. 1. cap. 1. n. 121.* Romanus Pontifex Romæ Cathedram debet habere: Nam illa Civitas Sacerdotalis, & Regia per Sacram B. Petri Sedem est caput totius Orbis effecta, *C. 17. b. t. in 6.* Si Papa ex quacumque causa fuisset invalidè electus, & electioni renuntiare nollet, seque pro Papa gereret, in Concilio Generali esset causa discutienda. Et post latam sententiam à Concilio de electionis nullitate, nova electio à Cardinalibus deberet fieri: nisi fortè ad tollendum schisma expediret ab ipso Concilio electionem fieri. Et ita à Concilij Constantiensis Patribus electus fuit Martinus V. Electio R. Pontificis potest impugnari, si ipse aliquo impedimento Juris Naturalis, vel Divini laboraret: v. g. Si infans, hæreticus, non baptizatus, vel fœmina esset: vel etiam ex eo, quod electio sit simoniaca, *C. 9. D. 79.* vel coacta. Si tamen sit acceptatus pacificè ab Ecclesia, cum jam ex communi sententia sit de fide, R. Pontificem ab universali Ecclesia acceptatum, esse verum Pontificem, non est periculum, quod Ecclesia consentiat in laborantem impedimento Juris Naturalis, vel Divini: ac ideo pro fabula habetur quod dicitur de Joanna Papissa, *Suar. de Fid. D. 10. sect. 5. Marin. Barb. & alij.*

173 Denique ad complementum hujus Tituli aliquid dicam, oportet, de electione Imperatoris, qui est Ecclesiæ Patronus Protector, Procurator, & Defensor juratus, *Cl. 1. de Jur. jur.* prius enim eligitur Rex Romanorum, qui est Imperatoris Vicarius Generalis, agitque illius vices, tempore infirmitatis, & absentiæ Imperatoris, & absque nova electione mortuo Imperatore accipit Imperium. Vacante ergo Imperio, Archiepiscopus Moguntinus, qui est Cancellarius Germaniæ tanquam Collegij Decanus, litteris suis patentibus certum diem electioni, & Conventum alijs Electoribus indicit: qui debent per se, vel per suos procuratores comparere. Quando ad electionem concurrunt, primum suffragium dat Archiepiscopus Treverensis Cancellarius Galliæ, & Regni Arelatensis. 2. Archiepiscopus Coloniensis, Italiæ Cancellarius. 3. Rex Bohemiæ Imperij Archipincerna, seu Pocillator. 4. Comes Palatinus Rheni, Archidapifer. 5. Dux Saxoniæ Archimarescallus, seu Ensifer. 6. Marchio Brandeburgensis, Archicamerarius, vel Cubicularius, ultimo loco suffragium dat Archiepiscopus Moguntinus. Hi ab antiquo Electores sunt designati, *C. 34. b. t.* creati deinde fuerunt Dux Bavariæ *An.* 1619. & est Pomifer. Et Dux Hanoverensis, hodie Rex Angliæ *An.* 1698. & est Magnus Signifer. Electione legitimè peracta, Imperium commendatur electo, & postea coronatur. Coronatio est triplex, Germanica, videlicet, Lombardica, & Romana.

1. coronatur Corona ferrea Aquisgrani: ab Archiepiscopo Coloniensi, ibi ungitur, & illi traduntur Imperij insignia, scilicet gladius, sceptrum, & pomum: aliaque solemnitates fiunt. 2. coronatur Corona argentea Modoetiæ ab Archiepiscopo Mediolanensi. 3. Romæ Corona aurea à R. Pontifice. De quibus latè *Morery in Diction. Histor. V. Alemagne. Diction. de Trevoux. V. Electione. Et latissimè Restaur. Castald. integr. Tom. de Imperatore.*

TIT. VII.

De Translatione Episcopi.

174 Translatio Episcopi dicitur ille transitus, quo Episcopus, propria Ecclesia relicta, ad aliam vacantem transfertur. Etiam dicitur *transmutatio*: possuntque transferri Præpositus, Abbas, & Archiepiscopus. Et potest quis de minori ad majorem, parem, vel minorem Ecclesiam transferri: quamvis regulariter non debeat fieri translatio ad minorem Ecclesiam, *C. 1. h. t.* ubi. Innoc. III. ait: *Novo quodam mutationis genere, parvificasti majorem; & magnum quodammodo minorasti, Episcopare Archiepiscum; imò potius de Archiepiscopare præsumens.* Olim hæ translationes Episcoporum authoritate Synodi poterant fieri, *C. 37. 7. q. 1.* & probat *Gonzal. in C. 1. h. t. n. 15.* Sed cum hæc sit una ex majoribus Ecclesiæ causis, *C. 2. h. t.* merito R. Pontifex eam sibi reservabit, *C. 1. h. t. L. 5. tit. 5. p. 1.* ita ut nullus Episcopus, etiam Titularis, habens Ecclesiem in partibus Infidelium, possit ad aliam sine Papæ licentia transferri, *C. 1. h. t. Gonz. in C. 2. h. t. n. 3.* Nec debet fieri translatio, si non detur necessitas, vel utilitas; v. g. Si Episcopus in ea Ecclesia patiatur actis intemperiem, vel persecutionem plebis, vel si sit spes majoris lucri spiritualis in Ecclesia, ad quam transfertur: quinimò ex minoribus causis potest fieri translatio. Non solum non potest Episcopus authoritate propria ad aliam Diœcesim transire, sed nec ipsi licet Sedem Cathedralem mutare in aliam Civitatem, etiam ejusdem Diœcesis, ut ex illis verbis, *Text. in C. 1. h. t. translationes Episcoporum, & sedium mutationes.* colligit *Gonz. ibi num. 11.* debent ergo fieri hujusmodi translationes tantum, quando utilitas, vel necessitas hoc exigit; *C. 34. 7. q. 1.* ibi: *Mutationes Episcoporum, scitote, communi utilitate, atque necessitate fieri licere; sed non propria cujusquam voluntate, aut dominatione. Petrus Sanctus Magister noster, & Princeps Apostolorum de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadam parva Civitate, Apostolica authoritate mutatus est Alexandriam: non tamen sine Sacrosancta R. Sedis authoritate, & licentia.*

175 Episcopus tantum electus, etiamsi confirmationem petijsset, non indiget ad translationem Pontificis licentia, cum sine superioris authoritate possit Episcopatui renuntiare: quando verò confirmatus est, cum jam sit ratum conjugium spirituale inter ipsum, & suam Ecclesiam, non potest sine Papæ licentia celebrare conjugium cum alia Ecclesia, nec ad illam transire, *C. 2. h. t.* sed si propria authoritate transeat, utramque amittit in pœnam temeritatis, *C. 3. h. t. c. 31. 7. q. 1.* ibi: *Non solum à Cathedra pellatur aliena, sed carebit, & propria, ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit.* Episcopus consecratus etiam potest ad aliam Ecclesiam transferri authoritate Pontificis, *C. 34. c. 35. 7. q. 1.* Et cum Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam suo tantum judicio reservaverit dissolvendum, tunc Papa dissolvit authoritate Divina, potestate immediate ipsi tanquam Supremo Christi Vicario à Christo concessa, *C. 2. h. t.* ibi: *Non enim humana, sed potius Divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem authoritate R. Pontificis (quem constat esse Vicarium Jesu-Christi) Episcopus ab Ecclesia removetur, & ideo tria hæc, quæ præmisimus, non tam Constitutione Canonica, quàm institutione Divina soli sunt R. Pontifici reservata.* Hic textus verè difficilis, Crux ingeniorum est, & ideo non debet accipi in stricta significatione, quam præsefert, & ut aliqui eum intelligunt, inde deducendo, vinculum Episcopi cum Ecclesia esse indissolubile de Jure Divino. Nam verius est à jure tantum Ecclesiastico, hanc indissolubilitatem provenire, & *Text. in C. 2. h. t.* intelligendus est sic, scilicèt, quod Deus reservavit sibi dissolutionem vinculi Episcopalis eo modo, quo prædictum vinculum dissolvitur authoritate Divina, hoc est, authoritate Divinitus data Christi Vicario: ac proindè dicendum est, quod Deus sibi hanc dissolutionem reservavit, sed faciendam per

suam

suum Vicarium, ac consequenter est ex institutione Divina, non immediatè, sed mediatè, *Suar. de Relig. tom.3. lib. 1. cap. 16. ex n. 20.* inter Episcopum enim, & Ecclesiam intervenit matrimonium, per quamdam analogiam cum matrimonio carnali, quæ stat in eo, quod neutrum possit dissolvi ex voluntate contrahentium, non tamen stat analogia in alijs; siquidem matrimonium carnale, neque ex Pontificis dispensatione potest dissolvi, postquam jam consummatum est, quod aliter se habet in matrimonio spirituali per consecrationem consummato: quia hoc non significat conjunctionem indissolubilem Christi cum Ecclesia, ut significat carnale, *C. 5. de Bigam.* Deindè ex Pontificis dispensatione potest idem Episcopus duas simul habere Ecclesias, cum certum sit, quod Pontifex non potest dispensare, ut quis simul duas habeat uxores. Et hac ratione matrimonium carnale est indissolubilius, & efficacius quam spirituale. Hoc tamen dicitur fortius vinculum in *C. 2. h. t.* quia eo quod spirituale est, dignius carnali censetur: & est efficacius, quia per consecrationem imprimitur character indelebilis in anima, & aliquomodo est indissolubilius, quia sine licentia Papæ non potest Episcopus à sua Ecclesia discedere, cum in carnali possint conjuges mutuo consensu separari quoad torum, & cohabitationem, *Suar. de Relig. t.3. lib.1. cap. 16. Gonz. in c.1. h. t. n. 16. Villaroël de Regim. Eccles. p.1. q.1. art.13. n.52.*

176 Pontifex communi utilitate, vel necessitate suggerente Episcopum, etiam invitum, potest absolvere à vinculo, quo Ecclesiæ suæ ligatus est, ita ut Ecclesia hoc ipso vacet: non tamen potest invitum transferre, quia cum sic translatus contrahat conjugium spirituale cum Ecclesia, *C.2. h. t.* debet præcedere consensus sponsi; *arg. C.14. de Sponsal. C.21. de Electione.* sed si bonum publicum Ecclesiæ hanc exigat translationem, tenetur ipse Episcopus consentire; quod si renuat, potest cogi pœnis à Pontifice inflictis, ut consentiat, *C.35. 7. q.1.* ibi: *Non ergo mutat Sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non causa avaritiæ, aut propriæ voluntatis, vel suæ delectationis migrat de Civitate ad Civitatem, sed causa necessitatis, aut utilitatis mutatur: nam plurimorum utilitas unius utilitati, aut voluntati præferenda est: aliud est enim mutare, aliud mutari.* Hujusmodi translationes jam à tempore Julij I. & Concilij Sardicensis tempore Osij in usu sunt in Ecclesia; *ex Suar. de Relig. t. 3. lib.1. cap.16. n.12.* & frequenter in nostra Hispania fiunt. Nam nostri Reges præsentant Episcopos ad majores, & altiores Ecclesias, ut sic zelus, virtus, & merita ipsorum præmio debito afficiantur. Nec illico damnandum est, quod quis desideret promotionem, vel translationem ad Episcopatum, nam potest ex bono fine, modo, & circumstantijs tale desiderium cohonestari, *Villaroël de Regim. Eccles. p.1. q.1. art.13. ex n.54.*

177 Per translationem vacat prima Ecclesia, ne aliàs esset sponsus duarum, *C.2. h. t.* non solum post adeptam secundæ possessionem, sed etiam ante illam: Nam supposito consensu translati, statim ac Pontifex eum solvit à vinculo primæ Ecclesiæ, hæc vacans intelligitur, & ex tunc Episcopus, nec per se, nec per Vicarium potest jurisdictionem exercere, ut tenent *Solorz. de Jur. Indiar. tom.2. lib.3. cap.13. n.80. Greg. Lop. in l.3. tit.16. p.1.* contra *Garc. de Benef. p.11. cap.6. & alios.* Imò in his Indiarum Provincijs, quando Episcopus accepto Regio Rescripto suæ translationis iter arripit ad secundam Ecclesiam gubernandam, etiamsi ignoret, an Pontifex eum à vinculo primæ Ecclesiæ solverit, tenent plures, primam Ecclesiam vacare per renuntiationem saltem tacitam translati, quod alij negant: & hinc plures lites, & discordiæ originem habuerunt. Ideo optimum erit consilium, si Episcopus translatus committat gubernationem Capitulo, ut hoc eligat Vicarium. Nam hoc modo, vel facultate Episcopi; vel Capituli securius exercetur jurisdictio, & nullitati actuum obviabitur, hocque seminarium discordiarum, & litium de medio tolletur magno cum commodo fidelium, & conscientiarum. Latè *Solorz. de Jur. Indiar. tom.2. lib.3. cap. 13. ex n. 72. Villar. de Regim. Eccles. p. 1. q. 1. art. 14. ex n.14.*

178 Prælati Episcopo inferiores exempti indigent licentia Papæ, cui immediatè subjiciuntur, ut transferantur. Non exempti indigent authoritate sui immediati Superioris, vel Episcopi, vel Capituli Sede vacante, *C.8. 18. q.2.* Et etiam Episcopi Diœcesis, in qua sita est Ecclesia, ad quam transferuntur, *C.4. de Renuntiat. C. fin. de Cleric. pereg.* non requiritur licentia Papæ, quia non intercedit conjugium spirituale inter ipsos, & Ecclesias eo modo, quo inter Episcopos, & suas Ecclesias, sed alio modo adhuc latiori, in quo sensu Ecclesiæ viduatæ dicuntur, *C.41. de Elect.* solum enim Episcopi de jure communi suis

suis Ecclesijs desponsantur per annulum, *C.15. de Vit. & honest. Et ibid. DD.* Parochi de una Parochia ad aliam de licentia Episcopi transire possunt, *C.* 37. 7. *q.* 1. *l.*35. *tit.*6. *p.* 1.

TIT. VIII.

De Authoritate, & usu Pallij.

179 Archiepiscopi, & Patriarchę, licet sint consecrati, plenitudinem officij sui non consequuntur, donec pallium recipiant à S. Pontifice. Et licet post confirmationem, & consecrationem Metropolitani dicantur, Archiepiscopi non possunt appellari, *C.* 3. *h.t.* debentque pallium petere, vel per se, vel per alium habentem speciale mandatum, & quidem non semel tantum, sed sępius, & solicitè, *C.*2.*D.*100. *instanter*, scilicet, *instantius*, & *instantissime*: debetque hoc fieri intra tres menses à die consecrationis, aut confirmationis, si jam consecratus erat. Si ultra tres menses, ejus culpa Ecclesia viduata consistat, communione est privandus, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum offerre non differat. Si ultra quinque menses ejus culpa Ecclesia sit viduata, neque ibi, neque alibi consecrationis donum percipiat: Imò Metropolitani sui judicio cedat, *C.* 1. *D.* 100. debetque talis Archiepiscopus ante pallij receptionem juramentum fidelitatis, & obedientiæ præstare, *C.* 4. *D.* 100. *C.* 4. *de Election.* nec criminis objectione differtur pallij traditio, nisi jure, objiciens crimen, se non calumniose id agere, & se ad talionis, vel aliam extraordinariam pœnam obliget, atque probationes in promptu habeat, id est, quod intra duos menses à die collationis numerandos probet id, quod objicit. *Extr. un. h. t. int. com.*

180 Pallium conficitur ex lana duorum agnorum, qui quotannis offeruntur à Religiosis S. Agnetis in ejus festo, & altari, quos recipiunt Canonici Lateranenses usque ad tonsionis tempus, & tunc eos Pontificis Subdiaconis tradunt: & ex eorum vellere etiam aliam admiscendo lanam fit fascia quatuor digitorum in modum torquis, coronæ, vel circuli, quæ circuit humeros, & pectus, & duas lineas ab utraque parte ante, & retro pendentes habet, continet insuper quatuor Cruces, ante, & retro, à dextris, & à sinistris positas. Hæ Cruces juxta alios sunt rubræ, juxta alios, vel rubræ, vel nigræ. Sed *Didacus Ximen. in Lex Eccles. v. Pallium*, ait has Cruces, nunc esse nigras, licet antiquitus essent rubræ. Et sic censet universalitèr practicari. Etiam tres acus aureæ infiguntur lapidem pretiosum habentes. Scilicet, ante pectus, supra sinistrum humerum, & post tergum. Hodie debet pallium esse ex lana; non ex alia materia contextum, licet tempore S. Gregorij ex bysso conficeretur: quia ut Clem. II. tradens pallium Joanni Salernano Episcopo dixit: in quo, quia de vellere ovis est, intellige, te esse Pastorem. Etiam vocatur *superhumerale*, & juxta Alcuinum respondet Rationali Pontificis Judæorum. Sed certè pallium respondet vestimento S. Sacerdotis, quod ab Hebræis *Ephod* à Græcis *Epomis*, à Latinis *super humerale* vocatur. Vid. *Gonz. in C.* 1. *h. t. Suppl. Moreri. Et Diction. de Trev. v. Pallium.* Dicitur, sumi de corpore Divi Petri, *in C.* 4. *de Election.* quia vel benedicitur a Papa in altari D. Petri, vel quia significat quasi particulam potestatis Ecclesiasticæ, quæ in Divo Petro, & ejus successoribus residet. Vel quia datur à Rom. Pontifice Divi Petri successore, à quo provenit hæc potestas dandi pallium: Nam jam hodie cessavit privilegium conferendi pallium suis suffraganeis concessum à Pontifice quatuor Patriarchis, videlicèt, Constantinopolitano, Antiocheno, Alexandrino, & Hierosolymitano, *C.* 23. *de Privileg.* ut claré habetur in *L.* 5. *tit.* 5. *p.* 1. ibi: *E solamente el Papa hà poderio de dàr el Palio à los Patriarças, è à los Primados, è à los Arzobispos.*

181 Pallio utuntur Romani Pontifices, *C.* 4. *h. t.* Et quidem à primis Ecclesiæ nascentis temporibus. Alij antiquitus solum ex speciali concessione Pontificis eo utebantur. Sic D. Petrus illud Materno Episcopo Treverensi misit. S. Linus, & alij alijs, quousque cæpit indifferenter Archiepiscopis concedi. Nunc ergo de jure communi conceditur Patriarchis, Primatibus, & Archiepiscopis omnibus. Et ex privilegio conceditur Episcopis Ostiensi, Papiensi, Lucensi, Bambergensi, Dolensi, & Quinque Ecclesiensi, *Azor. & alij, L.* 16. *tit.* 5. *part.* 1. ibi: *E puede (el Obispo) facer todas las cosas, que face el Arzobispo, fueras que non debe tener el Palio; como èl, si non ge lo oviesse otorgado el Papa por su privilegio.* Solus R. Pontifex semper, & ubique in Missarum solemnibus pallio utitur: quia assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis,

tis, quæ per pallium significatur, *C. 4. b. t.* Cæteri verò, qui solum in partem sollicitudinis Pastoralis sunt vocati, nec semper, nec ubique pallio utuntur. Solum enim eo uti possunt intra, non extra suam Provinciam, *C. 1. C. 5. b. t.* nec consuetudine, sed solum ex privilegio Apostolico possunt uti pallio extra Provinciam, *C. 5. b. t.* & tunc requiritur consensus Episcopi, vel Archiepiscopi illius Diœcesis, *C. 5. b. t. Trid. sess. 6. de Ref. cap. 5.* Olim ex consuetudine omnes Archiepiscopi Hispaniæ etiam extra Provinciam pallio utebantur: quod ab Innoc. III. fuit prohibitum, & tantum concessum, ut singulare privilegium Archiepiscopo Compostellano, *C. 5. b. t.* in loco tamen exempto potest Archiepiscopus, etiam proprio illius loci Rectore invito, pallio uti, & Pontificalia celebrare, *Cl. 2. de Privileg.* quia talis celebratio respicit dignitatem, & honorem Archiepiscopi, sine administratione jurisdictionis, quod ubique Episcopis in sua Diœcesi, Archiepiscopis in sua Provincia permittitur.

182 Dies, quibus pallio uti possunt, juxta *Gloss. in C. 4. b. t.* sunt dies Nativitatis D. S. Joannis Evangelistæ, S. Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Dominicæ Palmarum, Jovis, & Sabbati Sancti, tres dies Resurrectionis, & Pentecostes: S. Joannis Baptistæ, & omnium Apostolorum: Etiam eo uti possunt in tribus Festivitatibus B.V. Mariæ, S. Michaelis, in festivitate Omnium Sanctorum, in Dedicatione Ecclesiarum, in principalioribus festivitatibus ejus Ecclesiæ, in ordinationibus Clericorum, in consecrationibus Episcoporum, in die Anniversarij suæ consecrationis, & in alijs juxta concessionis tenorem. His enim diebus, licet possint, non tamen tenentur Archiepiscopi cum pallio celebrare, si scilicet privatim, & sine Pontificalibus velint celebrare. Nam tantum in Missarum solemnijs eo possunt uti, *C. 4. b. t. C. 6. D.* 100. in Synodo etiam possunt pallio uti, minimè verò in Missis Defunctorum, *C. fin. b. t.* nec extra Ecclesiam, v. g. si in domo privata, vel tentorio celebrent, *Gl. Marg. in C. 6. b. t.* Quando Pontifex mittit pallium, dicit: *Tradimus tibi pallium, ut eo intra Ecclesiam tuam utaris, quod ita intelligitur: videlicèt intra quamlibet Ecclesiam Provinciæ tibi commissæ. Si vero te sacris indutum vestibus Ecclesiam processionaliter, vel alio modo ire contigerit, tunc tuo pallio minimè uti debes. C. 1. b. t.*

183 Ante pallij receptionem non assequuntur Archiepiscopi plenitudinem potestatis: nam licet per pallium nihil addatur consecrationi, tamen executio officij committitur, in quo stat plenitudo potestatis, *C. 3. b. t.* Hinc non possunt exercere actus proprios muneris Archiepiscopalis, quales sunt visitare Provinciam, convocare Concilium Provinciale; nec itidem possunt exercere actus majores Ordinis Episcopalis, quos debent Pontificalibus induti, exercere; ut sunt consecratio Episcoporum, benedictio Abbatum, & Virginum, ordinatio Clericorum, dedicatio Basilicarum, & confectio chrismatis: Cum istos actus *non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur, C. 28. §. 1. de Elect.* si tamen Archiepiscopus, cum sit consecratus hæc exerceat, etiam sine pallio, valida quidem, illicita tamen erunt: nam solum fient contra Legem prohibentem, non contra irritantem, *Barb. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 7. n. 17. Gonz. in C. 3. b. t. n. 7.* Possunt tamen ante pallij receptionem exercere actus communes jurisdictionis Episcopalis: quales sunt cognoscere, & delegare causas, committere alij Episcopo potestatem consecrandi Episcopos, benedicere paramenta, Calices, cæmeterium: aliosque actus facere, qui extra Missam cum stola tantum peragi possunt. Imo extra suam Provinciam actus majores Ordinis Episcopalis exercere, si ab Episcopo invitentur; nam in hoc casu non ut Archiepiscopi, sed ut Episcopi tales actus exercent, *C. 11. C. 28. §. 1. de Electione.*

184 Pallium adeo personale est, ut personam non egrediatur; nec potest Archiepiscopus alteri Archiepiscopo commodare pallium, sed cum eo debet sepeliri, *C. 2. b. t.* si talis Archiepiscopus in Episcopum alterius Ecclesiæ promoveatur, nequit ibi pallio uti; *ex S. Congreg. Rituum 16. Oct. 1604. apud Ximen. Lexic. Eccles. v. Pallium.* Imo si ad alium Archiepiscopatum transferatur, non potest pallio antiquo uti; sed debet aliud petere, & expectare, *C. 4. de Postul. Prælat.* quia conceditur personæ cum restrictione ad locum, ac proinde, si renuntiat loco, seu Ecclesiæ usum pallij amittit, *C. 9. de Renunt.* Translatus ergo ad alium Archiepiscopatum debet primum pallium secum ferre, & cum eo sepeliri. Ita ut vel utroque induatur, vel potius pallio posterius accepto, & alterum corpori, vel capiti Archiepiscopi in sepulchro subjiciatur. Licet im-

impositio pallij regularitèr alicui Episcopo committatur: tamen in his Indiarum partibus solet committi aliquibus Dignitatibus, ut vitetur inconveniens, quod contigit defacto, quando Illustr. D. D. Ferdinandus Arias Ugatte, fuit factus Archiepiscopus Limensis: nam fuit necessarium, quod Panamensis Episcopus, cui traditio pallij erat commissa, Limam peteret: in quo itinere conficiendo dimensæ fuerunt 800. leucæ, & decem mille ducatus fuerunt expensi. Teste *Villaroel de Regim. Eccles. p.1. q. 4. art.2. ex n.50.*

TIT. IX.

De Renuntiatione.

185 Renuntiatio, quæ etiam vocari solet *resignatio, abdicatio, remissio, cessio, & ejuratio est libera, ac spontanea dimissio juris, quod quis habet in Dignitate, vel beneficio Ecclesiastico, coram competente superiori, ex causa legitima, facta.* Poteſtque fieri, vel *tacitè*, vel *expressè*. *Tacitè* quis renuntiat, quando apponit actum de jure accomodatum ad renuntiandum; *arg. C.3. h.t.* nisi expressè protestetur, se nolle renuntiare; *Barbos. de Jur. Eccles. lib.3. cap.15. ex n.40.* quoad effectum renuntiationis, idem est, si apponat quis actum incompatibilem cum beneficio, v. g. vel cui à jure annexa sit privatio, v.g. si quis pacificam possessionem beneficij cum priori incompatibilis consequatur, *C.28. de Præbend.* vel si post beneficium curatum obtentum non ordinetur intra annum in Sacerdotem, *C. 14. de Elect. in 6.* vel si quis patiatur suum beneficium ab alio per triennium possideri, vel si solemnitèr religionem profiteatur, *C. 4. de Regul. in 6.* vel si in minoribus constitutus matrimonium contrahat, *C.1. c.3. de Cleric. conjug. Barbos. de Jur. Eccles. lib.3. cap.15. ex n.37.* *Expressè* fit renuntiatio, quando quis verbis expressis coram superiori renuntiat. Et de hac renuntiatione sermo est in præsenti. Et alia fit *simplicitèr*, & *absolutè* in manu Superioris, sine ulla pactione, vel modo: Alia fit *sub aliqua conditione, vel modo*: v. g. causa permutationis, ad permutandum, scilicèt, proprium beneficium cum beneficio alterius, vel in favorem certæ personæ, vel cum fructuum, & expensarum reservatione, vel reservando sibi regressum, ingressum, vel accessum.

186 Renuntiatio extorta dolo, vel fraude versante circa ipsius substantiam, non valet, utpote facta sine consensu: siquidem errantis nullus consensus est, *L.15. ff. de Jurisdict.* si non circa substantiam, sed solum circa accidentia dolus versetur, valet, quia libera est, quoad substantiam; debet tamen per Judicem rescindi, quia nemini sua fraus patrocinari debet, *C.15. de Præbend.* si gravi metu, & injustò sit extorta, licet Jure Naturali valeat, quià metus non tollit libertatem, *L. 21. §. 5. ff. Quod metus caus. junct. Gloss.* Jure tamen Positivo, saltem est rescindenda, *C.5. h. t. c.3. c.4. de His, quæ vi; Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 116.* Renuntiatio vero facta, quando renuntians est captus, & detentus, à personis Sæcularibus, & ad renuntiandum compulsus est, nullius omnino est firmitatis, *Cl.2. de Pœnis.*

187 Quilibet, si non prohibeatur, potest renuntiare suo juri, vel beneficio, *C.16. c.23. de Regular. L. 29. C. de Pactis,* dum in alterius præjudicium non cedit renuntiatio. Et quidem R. Pontifex nulla spectata, nec Concilij Generalis licentia, potest Pontificatui renuntiare. Ut licitè tamen fiat, requiritur causa justa, v.g. propriæ salutis, vel boni universalis Ecclesiæ, cui regendæ minus idoneus inveniatur: aliàs peccaret, temerè solvendo vinculum arctissimum, quo est universali Ecclesiæ obligatus: Et sic defacto renuntiavit Pontificatui *Cælestinus V. qui & omnium concordi Consilio, & assensu, authoritate Apostolica statuit, & decrevit, R. Pontificem posse libere resignare, C.1. h. t. in 6.* quam Constitutionem posteà promulgavit *Bonifac. VIII.* qui ipsi successit, ut ex ipsa Constitutione constat, & probant *Gonz. in C.4. h. t. n.3. Hieronym. Gonz. in Reg.8. Cancel. Gloss. Proœm. §.5. ex n. 16. & alij* contra *aliquos*, nimis irreverentèr loquentes de R. Pontifice Bonifacio VIII. Episcopus, etiam potest Episcopatui renuntiare: sed non licet ei Episcopatum propria authoritate deserere, nisi accedat R. Pontificis licentia, *C. 1. h. t.* quia nullus alius potest solvere vinculum, quo Episcopus suæ Ecclesiæ adstringitur, *C. 2. de Translat. Episc.* Poteſtque hæc renuntiatio fieri per Procuratorem, cum speciali, quidem mandato: & ipse debet ad unguem servare mandatum, & aliter factum irritum erit, nisi mandantis melior conditio fiat, *C. 1. de Procurat. in 6. junct. L.5. ff. Mandat. Barbos. de Jur. Eccles. lib.3. cap.15. n.86.* quod si Procurator resignet post revocatum mandatum, & antequam revocatio intimaretur ipsi, vel su-

superiori; valet resignatio, nisi fortè *per ipsos, aut alios malitiosè factum fuerit, quominus ad eos, vel eorum alterum ante cessionem potuerit revocatio pervenisse, Cl. un. h. t.* quia speciale est in matrimonio, quod contractum post revocatum procuratorem, *licet tam ipse procurator, quam ea cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent, nullius momenti existit; cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit, C. fin. de Procurat. in 6.*

188 Renuntiare nequeunt, furiosi, mente capti; *arg. C. 5. h. t.* Beneficiatus respectu illius beneficij, ad cujus titulum ordinatus est, nisi de hoc fiat mentio, *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 2.* & aliunde ipse habeat congruam sustentationem. Ut ergo valeat renuntiatio talis beneficij, debet renuntians aliundè habere, undè sustentetur, & insuper in renuntiatione exprimere, se esse ad titulum illius beneficij ordinatum; aliàs erit invalida, utpotè facta contra formam, & Decretum irritans Tridentini, *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 19. ex n. 33. Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. n. 56.* Et à fortiori erit invalida renuntiatio, si beneficiatus non habeat, unde sustentetur, quamtumvis ad titulum illius non sit ordinatus. Ex Const. *S. Pij V. Quanta, An. 1568. Lacroix lib. 4. n. 983.* Nec sine expressione qualitatis beneficij potest renuntiari beneficium unitum Collegio Clericorum, Monasterio Regularium, vel Seminario studiosorum. Nec potest renuntiari beneficium litigiosum in favorem alicujus tertij, benè vero in favorem collitigantis, *C. 2. Ut litè pendent, in 6.* Nec qui habet beneficium in commendam potest ei renuntiare: quia solum habet administrationem, non jus, nec titulum, ac proindè illud alteri resignare non valet. Simplicitèr tamen potest juri, quod habet renuntiare: sicut hoc modo possunt resignari beneficia patronata, electiva, vel reservata S. Pontifici, quia hoc modo nulli præjudicium generatur: minimè verò in favorem tertij, vel ex causa permutationis, nisi accedente consensu patroni, Electorum, vel Papæ, vel eorum, quorum interest, quia eorum jus læditur: possuntque tales ad resignationem aliter factam rescindendam agere, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. ex n. 142.* pensio, quæ propriè non est beneficium, sed onus temporale, quod etiam Laico conferri potest, renuntiari simplicitèr valet: in favorem verò tertij non aliter, quam Superioris accedente licentia. Clericus impubes non potest beneficio renuntiare nisi accedente Tutoris authoritate, & Decreto Judicis; *arg. in C. 2. de Ætate, & qualit. C. fin. de Judic. in 6.* Major vero 14. annis, licet minor 25. etiam sine Curatore potest beneficio renuntiare, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 134.* quia in causis spiritualibus potest per se agere, & pro majori habetur, *C. fin. de Judic. in 6.* Et hac ratione si renuntiato beneficio, & alteri collato post talem collationem, se dicat læsum, non restituitur in integrum, *Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. n. 61. Castropal. tr. 13. D. 6. p. 2. §. 3. n. 13.* contra *aliquos.* Infirmus, licet de jure communi posset beneficium resignare; *arg. C. 14. h. t.* si morte naturali moriatur intra viginti dies à die factæ resignationis, talis resignatio prohibetur per Reg. Cancel. de Infirmis, ut sic fraudibus resignantium occurratur; *arg. C. 2. h. t.* Et in odium successionis hæreditariæ in rebus Ecclesiasticis, *C. 7. C. 11. de Filijs Presbyter.* sive simpliciter, sive in favorem, sive in manibus Ordinarij fiat; *Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 127.* Nec sufficit diem esse inchoatum, sed debent esse 20. dies naturaliter completi, qui currunt à momento ad momentum, *L. 3. §. 3. ff. de Minor.* à die præstiti consensus a resignante coram legitimo Superiore, prædictam resignationem acceptante. V. g. si quis resignavit die 1. Martij hora 8. ante Meridiem, & decessit die 21. eadem hora, tenet resignatio; si antea decessit, non tenet resignatio, sed beneficium vocat per mortem beneficiati, quia verè moritur intra 20. dies resignationis factæ, *Castropal. tr. 13. D. 6. p. 2. §. 3. ex n. 10. alios citans.* Hodie in Regula Cancellariæ dicitur, *Etiam vigore supplicationis, dum esset sanus signata:* ac proinde de quocumque, etiam sano resignante intelligitur, & practicatur, *Castropal. n. 4.*

189 Criminosus, qui non est ipso jure privatus, sed est privandus per sententiam, potest renuntiare simplicitèr permutare, & resignare beneficium in alterius favorem. 1. etiamsi sciat, alium illud impetrasse in eventum privationis, & impetrationem esse præsentatam. 2. etiamsi ipse sit jam accusatus: imo, etiamsi contra ipsum sit lata privationis sententia, si ab ea legitimè sit appellatum. Nam per appellationem suspenditur sententia, etiamsi postea malè appellatum pronuntietur. Nec est necesse in resignatione facere mentionem criminis, litis, aut privatio-

nis, cum hoc nullo jure caveatur. De quibus latè *Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. ex n. 62. Lacr. lib. 4. n. 985.* Si vero sententia privationis beneficij transijt in authoritatem rei judicatæ, non potest fieri renuntiatio maximè in alterius favorem. Nec ille, qui sententia fuit beneficio privatus, nec ille, qui in beneficium intrusus est sine titulo Canonico renuntiare valet: quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure dare, C. 5. *de Jur. Patron. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 139.* idem dicendum est de eo, qui ipso jure beneficio privatus est, vel ob crimen, vel ob professionem Religiosam, vel ob aliud beneficium incompatibile, *Garc. de Benefic. p. 11. cap. 3. n. 124. Lacroix lib. 4. n. 986.* contra *alios.* Potest beneficiatus, etiamsi senex sit resignare: imò etiamsi beneficium statim sit vacaturum. Sic ille, qui cum non esset Sacerdos obtinuit beneficium parochiale, & intra annum debeat ordinari, potest ultima die termini beneficio renuntiare: quia cum adhuc sit quasi Dominus ejus, de illo disponendo, utitur suo jure, *arg. L. 21. C. Mandat.* Similitèr potest quis beneficium resignare, cujus possessionem non est adhuc adeptus, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 131.* Novitius non potest hodie, sicut poterat antiquitus intra annum Novitiatus beneficio renuntiare, C. 3. *h. t.* C. 4. *eod. in 6.* Sed debet fieri renuntiatio juxta formam, *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 6.* aliàs non satis provisum esset, ne extorqueatur professio metu sustentationis defuturæ, *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 16. n. 12. Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 5. n. 38.* contra *Castropal. tr. 13. D. 6. p. 2. §. 3. num. 15. Barbos. & alios.*

190. Beneficium Canonicè obtentum, quodcumque sit, non potest renuntiari à beneficiario, propria authoritate, sed est necessarium, licentiam, & consensum proprij Episcopi habere, C. 4. *h. t.* cum sine ejus authoritate non possit adquiri: ac proindè locum debet habere regula juris, quæ dicit: *Omnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur*, C. 1. *de Reg. jur. L. 35. ff. eod.* Si Clericus sit subjectus Prælato inferiori Episcopo non debet beneficio sine sui Prælati licentia renuntiare, *Gl. in C. 4. h. t. v. in Consulto:* potest tamen renuntiari sine hujusmodi authoritate beneficium, ad quod Clericus solum habet jus ad rem, ut electus, vel præsentatus, *C. 26. de Elect. in 6. arg. C. 6. h. t.* vel si beneficium sit litigiosum: talis enim renuntiatio, cum per eam recedatur à lite, est favorabilis, *Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. n. 249. Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 5. & n. 28.* ibi, qui vult ingredi Religionem, sufficit licentiam petere ab Episcopo ad renuntiandum, quamvis eam non obtineat; *arg. C. 18. de Regular.* Clericus invalidè coram Laico resignat, etsi nullo metu hoc faciat, spoliandus est beneficio, *C. 8. h. t.* saltem in pœnam delicti commissi in renuntiando coram Laico, *Gonz. in C. 4. h. t. n. 7.* Si coram Ecclesiastico resignet, sed non legitimo Superiori, valet, quoad ipsum resignantem, in vim pacti, de non repetendo; *arg. L. 27. §. pen. ff. de Pactis*: non verò, quoad legitimum Superiorem: quia *alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri, L. 74. ff. de Reg. jur.* estque in arbitrio legitimi Superioris renuntiationem acceptare, & alteri conferre beneficium, vel cogere resignantem revertere ad beneficium, quod propria authoritate dimiserat, *C. 19. 7. q. 1. Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. ex n. 16.*

191. Resignatio pura, & simplex fieri debet in manibus illius Superioris, qui potest instituere, & destituere, seu deponere, *Gl. in Clem. un. h. t. v. Manibus.* Sic possunt admittere resignatione R. Pontifex in tota Ecclesia: Cardinalis Legatus à Latere in sua Provincia. Secus vero Legatus non Cardinalis sine speciali mandato, *C. 1. de Offic. Legat. in 6.* Episcopi in sua Diœcesi, *C. 4. h. t. C. 3. de Instit.* Capitulum, Sedevacante, *C. 14. de Major. & obed.* & qui hoc ex privilegio habent. Nequit vero Vicarius Generalis resignationem admittere, quia non valet Clericum à beneficio amovere, *C. 2. de Offic. Vicar. in 6.* nisi habeat speciale mandatum, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. ex n. 127.* Episcopus potest recipere resignationes beneficiorum suæ Diocesis, etiam in Curia, non tamen potest ea conferre, cum per resignationem censeantur in Curia vacare, ac proindè ad R. Pontificem spectat eorum collatio. Etiam coram Episcopo possunt resignari beneficia Sedi Apostolicæ reservata, quia reservatio solum afficit beneficium, quoad potestatem conferendi, non quoad potestatem renuntiandi, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. ex n. 135.* Resignatio ex causa permutationis, quando permutatio fit inter ipsos resignantes, fieri valet coram illo, qui potest resignationes puras admittere, *C. un. de Rer. permut. in 6.* Renuntiatio conditionalis in favorem

cor-

certæ personæ, etiam absque ulla reservatione pensionis non potest fieri coram Ordinario: cum omnis pactio in spiritualibus prohibeatur, ut speciem simoniæ referens, *C.5. de Rer. permut. C. fin. de Pactis*, licet verè posit aliquando à simonia excusari, *Barb. de Jur. Eccles. lib.3. cap.15. ex n.53. Suar. de Simon. lib.4. cap. 35. n.6. & com. DD. contra Covar. 1. Var. cap.5. n.5. Sot. de Just. l.9. q.7.* solum ergo coram R. Pontifice possunt fieri resignationes conditionales, scilicet in favorem certæ personæ; *arg. C. 1. de Concess. prabend. Suar. de Simon. lib.4. cap.35. n.6.* vel cum reservatione pensionis; *arg. C. 8. de Præb.* vel sub conditione *regressus*, hoc est, ut renuntians posit ad beneficium regredi, vel *ingressus*, hoc est, si resignaret ante possessionem, ita ut mortuo resignatario, propria authoritate posset renuntians ingredi possessionem illius: vel *accessus*, hoc est, si puer resignaret, ut cum haberet ætatem adeat beneficium, *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 7.* Etiam reservantur S. Pontifici resignationes triangulares, aut quadrangulares, v. g. si Titius beneficium resignet ea conditione, ut Cajo conferatur, Cajus suum beneficium resignet ea conditione, ut Sempronio conferatur, & Sempronius resignet suum beneficium ut Titio conferatur, *Barbos. de Jur. Eccles. lib.3. cap.15.*

192 Cum ille, qui sub conditione resignat, non intendat dimittere beneficium, nisi adimpleatur conditio, inferior Papa, cum non posit conditionem adimplere, non potest resignationem admittere, adhuc simpliciter conditione rejecta; *arg. L.55. ff. de Condit. & demonstr.* neque per talem renuntiationem abdicatur jus à resignante; imò pro infecta habetur ipsa resignatio, si non acceptatur cum dicta qualitate, & conditione; *arg. C.20. de Præb. in 6. Cl. un. de Rer. permut. Barbos. de Jur. Eccles. lib.3. cap. 15. ex n. 46.* Hinc si beneficium alteri, quam ei in cujus favorem fuit renuntiatum, conferatur: tale beneficium non censetur vacasse: quia omissa fuit conditio adjecta, & poterit resignans continuare possessionem ex antiquo titulo. Similiter non vacat, si resignatario non conferatur in effectu beneficium; vel quia sit excommunicatus, vel quia nolit illud acceptare. Similiter, si resignans reservavit sibi certam pensionem fructuum, & hæc non tribuatur ipsi, vel tribuatur in minori quantitate, non tenet resignatio ex defectu conditionis; ac proinde nec beneficium vacat; *Barbos. de Jur. Eccles. lib.3. cap. 15. ex n. 72.* Potest tamen simpliciter resignans commendare Episcopo, non per modum pacti, aliquam personam, & etiam pro ea deprecari, & quamvis ipsi conferatur beneficium, nulla committitur simonia, *C.43. de Simon.* quod etiam hodie habet locum post Constit. S. Pij V. *Quanta*, ubi tantum permisit fieri apud ordinarios simplices renuntiationes, ita ut nec nutu, nec verbo, nec signo in alterius favorem fiant. Nam solum prohibuit intentionem expressam, vel tacitam deductam in conventionem; *Barbos. de Jur. Eccles. lib.3. cap.15. & ex n.59.*

193 Causæ, ob quas Episcopi possunt petere, & Papa solet concedere licentiam Episcopatui renuntiandi, sunt sex, quas significat, *Gloss. in C.10. h. t.* his versibus:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis.
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

1. Ergo fit renuntiatio, quando Episcopus non potest exequi suum officium, vel si ita debilis sit, ut in sua Ecclesia nequeat sine mortis periculo manere, *C.9. h. t.* Ei vero, qui senio confectus est, si aliundè utilis, & necessarius Ecclesiæ sit, non datur facultas renunriandi, sed potius ei est dandus coadjutor, *C.1. h. t. Barb. de Jur. Eccles. lib.3. cap.15. n.90.* 2. Quando Episcopus ignorat necessaria ad officium, & regimen Ecclesiæ. 3. Quando crimen impedit executionem officij, etiam post peractam pœnitentiam, & inducit ipso jure infamiam. 4. Quando Episcopus habet irregularitatem, vel quæ indispensabilis est, vel non facilè dispensabilis, ut ea quæ procedit ex bigamia, damnato coitu, vel homicidio voluntario. 5. Quando plebs contradicit illi irrevocabiliter, hoc est, sine spe emendationis. Nam & Apostoli, Judæis adversantibus, ab eis discesserunt, & se converterunt ad Gentes, *Actor. 13.* 6. Quando grave scandalum pusillorum, scilicet, ex ignorantia, vel infirmitate Populi oritur: secus si sit Pharisaicum, seu ex malitia Populi proveniens: hoc enim non debet caveri. *Si propter aliàs causas,* (ait *Text. in C.10. h. t.*) *cessionem affectes, non est in hoc tibi postulanti favendum.* Ne quidem ut Episcopus fiat religiosus: *Quia facilius indulgetur, ut ascendat Monachus ad Prælatum, quam Præsul ad Monachatum descendat*, etiamsi religionem voviilet. Si vero antequam fieret Episcopus votum religionem ingrediendi emisit, tenetur Episcopatum resignare, & votum, religionem ingrediendo, implere, quod si posteà in

Episcopum eligeretur, posset Episcopatum acceptare, *C. 10. de Voto.* Sed cum Pontifex possit in quæcumque dispositione canonica dispensare, valet utique ex alijs justis causis renuntiationes admittere; *arg. C.4. de Concess. præbend.*

194 Ut beneficia minora renuntientur, sivè simplicia, sivè curata, minores causæ sufficiunt: ut morbus, senium, vitium corporis, v. g. si beneficiatus sit cæcus, claudus, vel mutus: & aliæ causæ hujusmodi, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap.15. ex n.99.* quin imo, & aliquando potest quis compelli, ut beneficio, vel Prælaturæ renuntiet, si sit reus criminis, ob quod poterat illis privari, vel si laboret irregularitate difficilè dispensabili; *Barb. de Jur. Eccles. l.3. cap. 15. num. 92.* vel si alio modo non potest tolli scandalum pusillorum: imò, & lex charitatis illum renuntiare obligabit. Resignationes beneficiorum, sivè sint curata, sivè simplicia, Regularia, vel Sæcularia, consistorialibus exceptis, hoc est, quæ conferuntur Romæ in Consistorio, ut Archiepiscopatus, Episcopatus, &c. debent fieri publicari in loco, & tempore præscriptis à *Greg. XIII. in Const. Humano*, ibi: *De beneficijs, quæ in manibus Ordinariorum, etiam Cardinalium ::: extra Romanam Curiam resignari, etiam ex causa permutationis contigerit, ipsi intra mensem negotium universum admissionis, vel rejectionis hujusmodi, etsi per eos facienda erit, provisionis resignati beneficij, juxta Apostolicas, & alias Canonicas Sanctiones omnino absolvant, & qui sic provisus fuerit, intra tres menses à die sibi factæ provisionis illam publicet, & possessionem beneficij capiat modo, & forma supradictis*; *Barbos. de Jur. Eccles. lib.3. cap.15. n.113. & n. 187. & seq.* sed hæc Constitutio, vix est in usu, ut testatur, *Garc. de Benef. p.11. cap.3. n.289.*

195 Ex quo renuntiatio simplex, & pura est admissa, vacat beneficium; *arg. C.6. de Rescript. in 6.* nec potest amplius repeti beneficium, *C.8. 7. q. 1. C.3. h. t.* nec beneficiarius potest amplius beneficij possessionem retinere, nec potest fructus percipere, cum careat titulo legitimo, sed debet fructus, si quos percepit resignatario restituere, *Barb. de Jur. Eccles. lib.3. cap.15. n.150.* ac consequenter non tenetur resignans horas ob beneficium recitare; *arg. C.60. de Appellat.* nisi alio titulo obligetur. Nec tenetur solvere pensionem, vel alia onera beneficij: nam ea ut quid accessorium, sequuntur fructus beneficij, *Barb. de Jur. Eccles. lib.3. cap. 15. n. 148.* Si post renuntiationem, quis spolietur beneficio, non debet restitui, si antè resignationem fuit spoliatus, & postea renuntiavit, debet restitui ad possessionem, à qua per spolium fuit dejectus, *C.2. de Restit. spoliat. Barbos. de Jur. Eccles. lib.3. cap.15. ex n.66.* Denique sic renuntians amittit omne jus proprietatis, & possessionis, quod in beneficio habebat; sed licet non possit illud ex vi prioris tituli repetere, *C.3. c.6. h. t.* potest tamen ex novo titulo repetere, v. g. si de novo ei idem beneficium conferatur, etiamsi jurasset amplius non petere illud beneficium, *C.2. h. t.* nam tale juramentum non extenditur ad novum titulum, *Gonz. in C. 2. h. t.* Ille, qui à superiori petijt, & obtinuit licentiam renuntiandi; ne illudatur superior, potest cogi renuntiare: secus si non obtinuit, licet petijsset, *C. 12. h. t.* Similiter, qui nuntium misit ad renuntiandum Abbatiæ, v. g. si licentia adhuc non sit impetrata, potest pœnitere, *C.14. h. t.* qui procuratorem constituit ad renuntiandum potest illum revocare, *Cl. un. h. t.* Et quamvis hæc de jure communi procedant tamen hodie attenta communi praxi, ille, qui licentiam renuntiandi petijt, potest pœnitere, donec consensus fuerit extensus in Camera, vel Cancellaria; *Barb. de Jur. Eccles. lib.3. cap. 15. num. 119. Gonz. in C. 12. h. t. n. 6. & alij*; adeo, ut quamvis resignatio in favorem sit admissa apud Pontificem, signata per *fiat*, *ut petitur*, & registrata: etiamsi resignans juraverit, se non revocaturum, datur locus pœnitentiæ. Si verò resignatarius cum consensu Papæ acceptavit, & jus suum alteri cessit, non potest resignans pœnitere. Similitèr, si Titius, v. g. renuntiavit in favorem Caji, pro quo jam sunt expeditæ litteræ in *forma gratiosa*, non potest revocari renuntiatio. Si Pontifex resignationem admiserit, & resignatarius eam acceptaverit, & moriatur, nondum justificatis litteris *in forma dignum*: aliqui tenent, beneficium vacare; sed cum resignatio non sit sortita effectum, non censetur, resignantem, se suo jure abdicasse, quia non fuit verificata conditio; *Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap.15. ex n.71. Lacr. lib.4. n.957. & 971.*

196 In nostra Hispania, & præcipuè in Indijs, solent vendi aliqua officia publica, quæ immediatè non habent administrationem justitiæ, ut Decurionatus, *Hispanè Regimientos*, & alia hujusmodi, & eorum pretium Regio ærario applicatur; illi, qui talia officia emunt possunt ea in

favorem tertij resignare, dummodo resignatarius non sit minor, nec inhabilis: imo debet esse habilis ad officium exercendum. Et resignans debet vivere viginti integros dies post factam renuntiationem, & resignatarius debet intra septuaginta dies à renuntiatione facta eam Pro-Regibus, vel Præsidibus Regiarum Audientiarum præsentare, & confirmationem in Supremo Indiarum Consilio obtinere intra sex annos; qui pro renuntiationibus in his Insulis factis, sunt assignati. Renuntiatio debet regularitèr in publico instrumento confici, nec potest probari per testes. In prima renuntiatione debet tribui Regi dimidia pars pretij dicti officij, in ulterioribus renuntiationibus tertia pars tribuitur. Quod si renuntians moriatur intra 20. dies a Lege præscriptos, vel resignatarius renuntiationem præsentet, elapsis septuagínta diebus, officium creditur beneficio Regis vacare: ac proinde ejus beneficio venditur, quin renuntianti, nec resignatario aliquid detur. Si renuntians vult officium vendere minori pretio in fraudem fisci; Regius Fiscalis petet, quod illud officium nomine Regis vendatur, & renuntianti tribuetur dimidia pars pretij, si est prima renuntiatio, vel tertia, in ulterioribus renuntiationibus, sed quidem non pretij, in quo venditur nomine Regis, sed tantum dimidia, vel tertia pars illius pretij, in quo ipse dolosè vendere volebat, ne ex sua fraude commodum reportet. Quæ omnia latè constant *ex L. 8. tit. 2. lib. 7. R. C. & ibid. Acev. Et ex tit. 20. & 21. lib. 8. R. Ind. Bobadill. Polit. lib. 3. cap. 8. ex n. 285. Solorz. de Jur. Ind. t. 2. lib. 5. cap. un. ex n. 99. Escal. Gazofil. L. 2. part. 2. cap. 10.*

TIT. X.

De Supplenda negligentia Prælatorum.

197 NEgligentia Prælatorum inferiorum in beneficijs conferendis sive illi Prælati sint Archiepiscopi, Episcopi Abbates, Archidiaconi, vel etiam Parochus, sive Capitulum, Collegium, seu Congregatio jurisdictionem Ecclesiasticam exercens suppletur per Superiores Prælatos gradatim, ne beneficia diu vacent, nec jura eorum sint in incerto; *arg. C. 41. de Elect.* Qui ergo non eligit, vel instituit intrà tempus præfixum à jure, impedimento legitimo cessante, *C. 5. de Conces. Preb.* vel indignum eligit ad beneficium, privatur pro ea vice juro conferendi, vel eligendi, & devolvitur ad Superiorem, *C. 3. h. t. C. 2. de Conces. Prebend.* Et quidem ad immediatum, & cum omnibus qualitatibus beneficio annexis, tum quoad personas eligendas, tum quoad tempus intra quod est eligendum: nam Superior, ut subrogatus induit naturam ejus, cui subrogatur, *C. 41. de Elect. L. 10. §. 2. ff. Si quis cautione.* Si collatio Superioris ob aliquod impedimentum non subsistat, jus conferendi descendit ad Ordinarium collatorem. Si Papa conferat, licèt mutilitèr, per appositionem manus Papalis ipsi manet beneficium reservatum, quin ab alio possit conferri, *Gonz. in Reg. 8. Cancell. §. 3. Proœm. n. 146.*

198 Si ergo inferiores Prælati non conferant beneficia intra tempus à juro præscriptum, tunc Prælati Superiores illa debent conferre jure *devoluto*, seu *devolutivo*, quod aliqui *caducum* vocant. Tempus ad conferendum inferioribus assignatum incipit currere à die notitiæ vacationis, *C. 3. h. t.* nec currit legitimè impedito, *C. 41. C. fin. de Elect. L. 8. tit. 16. p. 1.* Nam hoc jus devolutionis est introductum ad coercendam negligentiam inferioris, quæ nequit absque scientia, & notitia vacationis dari, *C. 2. de Const.* post notitiam tamen currit de momento ad momentum, ac proindè eo elapso, statim, nulla prolata sententia negligens privatur eligendi facultate, *C. 2. C. fin. h. t.* ac per consequens electio, vel collatio ab eo facta nulla est ex defectu potestatis, *C. fin. h. t. L. 8. tit. 16. p. 1.* ibi: *Ende qualquier Prelado, que los non diesse fasta esse plazo, pierde el derecho que bavia de darlos.* Hinc est, quod cum ad Superiorem sit devoluta potestas, non potest à negligente mora emendari in Superioris præjudicium, & solum poterit talis electio, vel collatio post terminum facta sustineri ex R. Pontificis dispensatione, ut in *C. 4. h. t. Gonz. in C. fin. h. t. ex n. 10.* Hoc jus devolutivum habet locum in omnibus beneficijs Ecclesiasticis, Regularibus, & Sæcularibus, *Cl. un. h. t.* & sive per electionem, sive per præsentationem, vel collationem conferantur. Si inferior Episcopo, non tanquam Patronus, sed aliquo speciali jure habeat facultatem eligendi, si negligens sit devolvitur jus eligendi ad Episcopum, si verò ille sit exemptus,

tus, devolvitur ad R. Pontificem: idem est, quando Episcopus est exemptus, C. 3. *h. t.* Si electio tantum ad Episcopum, non exemptum, & quidem jure proprio, & ordinario pertineat, si negligens sit, ad Capitulum ob rationem communicationis, quod inter Capitulum, & Episcopum est, devolvitur, C. 2. *de Concess. Præb.* si tamen electio ad Episcopum aliquo jure speciali, vel ex delegatione pertineat, devolutio fit ad Archiepiscopum. Nam Capitulum non habet communicationem cum Episcopo in his, quæ jure speciali proveniunt. Si electio ad Capitulum Cathedralis spectet, etiamsi Episcopus, ut Canonicus tali electioni possit interesse, negligente Capitulo, ad Episcopum devolvitur electio. Si verò ad Capitulum, & Episcopum simul spectet, per ipsorum negligentiam ad Archiepiscopum devolvitur electio, C. 15. *de Concess. Præb.* ibi: *Quod si vos, & idem Archiepiscopus intra tempus præscriptum circa hoc negligentes extiteritis, sicut nec ab illo ad vos, ita nec à vobis ad illum potestas devolvitur conferendi, sed secundum statuta Lateranensis Concilij, ad Superiorem transit donatio, nisi fortè Archiepiscopus, non ut Prælatus, sed ut Canonicus vobiscum jus habeat conferendi.* Et in hoc casu cum dolose *impedierit, dolus ei suffragari non debet.* Quando collatio, vel electio pertinet ad Episcopum, & Capitulum simul, uno eorum effecto inhabili, ad alium pertinet, & devolvitur collatio, vel electio, *C. un. Ne Sedevac. in 6.* quæ omnia constant *ex L. 9. tit. 16. p. 1. Gonz. in C. fin. h. t. n. 15.*

199 Si Ecclesia exempta immediatè subjecta Pontifici negligat intra tempus legitimum Prælatum eligere, devolvitur hæc potestas ad Papam. Si non sit exempta, & sit Cathedralis devolvitur ad Archiepiscopum: si inferior, Regularis, vel Sæcularis, ad Episcopum devolvitur, *C. 41. de Elect.* quo corrigitur jus antiquum *in C. 12. de Concess. Præbend.* Si Patronus Laicus negligat intra quadrimestre præsentare, supplebit Superior (etiamsi non sit Episcopus) ad quem spectet instituere præsentatum, C. 3. C. 27. *de Jur. Patron.* Patronus Ecclesiasticus, etiamsi à Laico jus Patronatus adquisierit, semestre habet ad præsentandum, *C. un. §. 1. de Jur. Patr. in 6.* quòd si negligens sit, jus præsentandi, & conferendi devolvitur ad ordinarium collatorem: à fortiori erit habendum pro Ecclesiastico jus patronatus mixtum, cum prævaleat, quod magis dignum est; *arg. C. un. §. 1. de Jur. Patr. in 6. Gonz. in C. fin. h. tit. n.* 10. Nostris Regibus non nocet lapsus quadrimestris, licet intra ipsum non præsentent ipsi, vel eorum Officiales ad Ecclesias Cathedrales, vel alia beneficia juris patronatus, sive in Hispania, sive in Indijs, eo quod pluribus, maximisque occupationibus impeditis tam in bello, quàm in pace, non possit ad negligentiam imputari, si non præsentent tempore præscripto: imò maximè eis indulgendum est; *arg. C. 5. de Concess. Præbend. Solorz. de Jur. Indiar. t. 2. lib. 3. cap. 3. n. 49. & 50. alios citans.*

200 Cum generaliter prohibeatur Archiepiscopo exercere jurisdictionem in subditos suffraganeorum, *C. 11. de Offic. Ordin.* nisi expressè ipsi concedatur, *C. 1. h. t. in 6.* non potest Archiepiscopus supplere negligentiam Episcopi in administratione justitiæ, vel officij cognoscendo de causis subditorum Episcopi in prima instantia, vel eos condemnando, excommunicando, absolvendo, ordinando, &c. possunt tamen Æconomos constituere ex dispositione, *Text. in C. 3. 9. q. 3.* Si Episcopus ob negligentiam nolit, vel ob suspensionem, vel excommunicationem non possit ad suum officium pertinentia exercere, recurret Capitulum ad Papam, tanquam universalem Pastorem, ut vel compellat, vel absolvat, vel provideat, *C. 17. C. 18. 9. q. 3.* Quando Episcopus est ab hostibus captus, vel amens, cum tunc perindè sit, ac si Sedes vacaret, jurisdictio in Ecclesiam, & Diœcesim devolvitur ad Capitulum, *C. 3. h. t. in 6.* Si ille, qui alicui communitati præest, sit in officio negligens potest Superior illi dare idoneum Curatorem, *C. 2. h. t. in 6.* Ecclesia Cathedrali vacante solus Papa Visitatorem deputat, nisi fortè Capitulum in spiritualibus, & temporalibus negligenter, aut perperam administret: nam tunc Archiepiscopus, vocato Capitulo, causæque cognitione super hoc præmissa, Visitatorem, seu Administratorem deputat. Et quidem deputatus à Papa confert beneficia, quæ ad collationem pertinent Episcopi: secus deputatus ab inferiori, *C. fin. h. t. in 6.* Si Episcopus ter requisitus renuit benedicere Abbates, illi Subditos, possunt hi suos Monachos benedicere, *C. 1. h. t.* Sed hodie vel nulla indigent benedictione Abbates Monachales, vel possunt quemcumque Episcopum, vel suum Generalem, vel Vicarios ab eo deputatos pro benedictione accedere. Ex Concess. *Innoc. VIII. & Clem. VIII.*

TIT. XI.

TIT. XI.

De Temporibus ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

201 NON agimus hic de ordine in ea latitudine, in qua à Div. August. dicitur, quod *est parium disparium que rerum, sua cuique tribuens dispositio*; sed pro illa potestate, quam Clerici recipiunt ad ministrandum Altari. Ordinatio est ipsa actio, seu cæremonia sacra, per quam stabilitèr ea potestas confertur. *Ordo enim est signaculum quoddam Ecclesiæ, per quod spiritualis potestas traditur ordinato*, juxta *Mag. sentent. in 4. D. 24. q. 1.* Et explicat *D. Thom. ibid. q. 1. art. 1. q. 2.* dicens: *Quod definitio Magistri duo ponit: signum exterius*, ibi: *Signaculum quoddam, & effectum interiorem* ibi: *per quod spiritualis potestas, &c.* Prædictam ordinationem esse Sacramentum à Christo D. institutum est de fide contra Lut. Illyric. Kemnitium, & alios Hæreticos, qui negant, ordinem esse Sacramentum apud *Bellarm.* Et est definitum in *Trid. sess. 7. de Sacram. in gener. Can. 1. & sess. 23. cap. 3. & Can. 3.* Hoc Sacramentum fuit institutum in nocte cœnæ: Nam postquam Dominus suum Sacratissimum Corpus Discipulis dedit, addidit: *Hoc facite in meam commemorationem, Luc. 22. v. 19.* Et tunc hoc Sacramentum fuit institutum; *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 21 n. 2.* plures citans.

202 Sacramentum ex *D. August. in C. 32. de Consecr. D. 2. est invisibilis gratia visibilis forma.* Ita & *Mag. in 4. D. 1. q. 1.* quæ definitio convenit ordini, consequenterque est Sacramentum, gratiam confert, *2. ad Timot. 4.* ibi *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij*; & characterem imprimit, sicut baptismus, & confirmatio, *Trid. sess. 23. cap. 4. & Can. 4.* Et quamvis omnes ordines physicè distinguantur, omnes constituunt unum tantum Sacramentum moralitèr per aggregationem, & ratione finis, ad quem ordinantur, nempè ad constituendum idoneum Eucharistiæ Ministrum; & per quos gradatim ascenditur. Et licet in quolibet ordine distinctus imprimatur character, omnes simul faciunt, & integrant unum characterem ordinis, *Div. Bonav. in 4. D. 24. p. 2. art. 1. q. 1. & 2. & 3. Larr. lib. 6. p. 2. n. 2211.* ex his, quinque primi appellantur *minores*, cæteri autem *majores* vocantur, & etiam *sacri*: habentque votum castitatis annexum. Audiamus Divum Isidorum sic de ordinibus loquentem, *in C. 1. D. 21. Generalitèr Clerici nuncupantur omnes, qui in Ecclesia Christi deserviunt, quorum gradus, & nomina sunt hæc. Ostiarius, Psalmista.* (id est prima tonsura initiatus, qui, & dicitur *Cantor in C. 20. D. 23. l. 11. tit. 6. p. 1.*) *Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus.* Eosdem numerat R. N. Alphonsus *in Proœm. tit. 6. p. 1.* ibi: *Nueve ordines de Angeles ordenò nuestro Señor Dios en la Eglesia Celestial, è puso à cada una de ellas en su grado, è diò mayorias à los unos sobre los otros, è pusoles nomes segun sus oficios: ende à semejanza de esta ordenaron los Santos Padres en la Eglesia terrenal nueve ordenes de Clerigos.* Communis enim sententia Canonistarum est, ordines esse novem, contra *TT.* qui septem tantum esse contendunt. Et quia solum de prima tonsura, & Episcopatu dubitatur, cum in cæteris non detur dissidium, brevitèr meum dictamen aperiam.

203 Plurimi negant primam tonsuram, esse ordinem secuti *Mag. sent. in 4. D. 24. q. 2. & ibid. D. Thom. art. 1. q. 2. D. Bonav. p. 2. art. 2. q. 2.* à quibus invitus, & dolens discedere cogor sicque assero, primam tonsuram, seu psalmistarum esse ordinem, & Sacramentum, secutus in hoc Sacros Canones, Div. Isidorum, R. N. Alphonsum, & alios. Nam tonsuratus, cantor, seu psalmista inter Clericos numeratur, *in C. 2. D. 44. Can. 25. Apost. C. 11. D. 77. Trid. sess. 21. de Ref. cap. 1. Pontif. Rom. intit. de Ordin. confer.* Deindè Innoc. III. interrogatus, an Clericatus ordo in tonsura conferatur, dissertè respondit *in C. 11. de Ætate, & qualit. per primam tonsuram, juxta formam Ecclesiæ datam à talibus Clericalis ordo confertur. Bonif. VIII. in C. 2. de Pœnis in 6.* statuit: quod in degradatione auferat Episcopus Clerico omnia vestimenta, *inchoando, & descendendo gradatim, degradationem continuet usque ad primam vestem, quæ datur in collatione tonsuræ.* Item Sacra Congregatio respondit, primam tonsuram imprimere characterem, ac iterari non posse, quod præcipuè probatur ex *Const. Innoc. XII. Speculatores, 4. Nov. 1694.* ubi: *Characterem Clericalem* suscipere, ait, tonsuratum. Denique prima tonsura habet propriam materiam, formam, & Minist rum, quid ergo

ergo illi deest, ut sit ordo? Est ne fortius argumentum negativum adversariorum? Scilicèt, quod in Trid. & aliquibus Canonibus non fiat expressa mentio tonsuræ? *Scilicèt in C.1. D.77. C.5. D.93.* cum hoc æque probaret, Acolytum, & Exorcistam ordines non habere: cum in *C.6. 27. q.1.* non fiat mentio illorum. Et quidem expressa fit ibidem mentio psalmistatus, qui est idem ac prima tonsura. Etsi in *Trid. sess. 14. de Ref. cap. 2.* contradistinguitur prima tonsura ab ordinibus minoribus, hoc solum probat, primam tonsuram non esse unum ex quatuor ordinibus minoribus, non vero probat, non esse ordinem, quem si mavis poteris minimum, vel quintum vocare. Nam quo jure, vel ratione impropriè tot authoritates Conciliorum, Patrum, & SS. Pontificum accipiemus? Ideò *Barbos. de Offic. & Pot. Episc. alleg. 2. n. 16.* dicit, hanc esse veriorem sententiam. Et licet Laici soleant facere officium ad primam tonsuram pertinens, imò, & pertinens ad ordines minores: tamen sic tonsurati illud exercent ex officio, & speciali deputatione.

204 Similitèr de Episcopatu est magna controversia, an sit distinctus ordo à Sacerdotio, in qua diversis diversissima placent. Alij enim absolutè affirmant, alij absolutè negant, esse verum, & distinctum ordinem: alij denique varijs limitationibus perplexam resolutionem relinquunt, & sub illarum larva suam mentem occultant. Dicendum tamen censeo, quod licet Episcopatus supponat necessario Sacerdotium, & in ordine ad consecrandam Eucharistiam non habeat Episcopus majorem potestatem, quam Sacerdos, est tamen ordo distinctus omnino à Sacerdotio, quia habet potestatem ordinandi Sacerdotes, & alios Ministros Sacrificio Missæ deservientes; & consecratio Episcopalis imprimit characterem; *C. un. de Ordinat. ab Episc.* quamvis dependentem, & connexum cum charactere Sacerdotali, distinctum tamen ab illo, sicut character ordinis distinguitur à charactere baptismi, licet illum necessario supponat, C. 1. *fin. de Presbyt. non baptiz.* confertque gratiam Episcopo consecrato, juxta illud *D. Paul. 1. ad Tim. 4.* ubi loquendo de consecratione Timothei in Episcopum, ait: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij*, id est, Presbyterorum, seu Episcoporum. Et quando Episcopus consecratur, ordinari dicitur *in C. 7. D. 23.* Et ut distinctæ ordinationes ponuntur ordinatio Episcoporum, & ordinatio Sacerdotum, quod comprobatur ex *Trid. sess. 23. cap. 4.* ibi: *Docet insuper Sancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinum, &c.* Et Can. 6. ibi: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam, Divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris anathema sit.* Et Can. 7. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris Superiores, vel non habere potestatem ordinandi, & confirmandi, vel eam quam habent illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit.* Denique Episcopatus habet Ministrum proprium, confert gratiam, & potestatem specialem, habetque materiam, & formam propriam, imprimitque characterem: ac proindè nihil ipsi deesse videtur, ut Sacramentum sit. Vid. *Vazquez in 3. p. D. Thom. tom. 3. D. 240. cap. 3. Dian. Concord. t. 4. tr. 8. f. 321. Barb. de Offic. Episc. alleg. 1. ex n. 18. Gonz. in C. 7. h. t. n. 4.* contra *D. Thom. in 4. D. 24. q. 2. art. 2. q. 2. D. Bonav. ibid. & com. TT.* Episcopatus enim est quasi quædam Sacerdotij perfectio, adeò ut licet Sacerdotium sine alijs ordinibus collatum, valeat, secus Episcopatus. *Lacr. l. 6. p. 2. ex num. 2209.*

205 Quilibet ordo habet materiam, & formam propriam. Hæc consistit in verbis, quæ ab ordinante proferuntur, cum traditur materia ordinando, significantque potestatem in ipso ordine collatam. Materia, alia est *proxima*, & consistit in traditione rei, quæ est materia *remota*. Hæc ergo est ipsa res, seu instrumentum, quod traditur ordinando, & significat potestatem communicandam. Et licet de materijs Sacramentorum non constet clarè in scriptura, sufficit tamen traditio Apostolorum, quæ colligitur ex perpetua consuetudine, & usu Ecclesiæ, *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 11. n. 9.* Materia, & forma ordinum hæ sunt. 1. Materia primæ tonsuræ est traditio vestis albæ, seu superpellicei cum rasione capillorum. Forma est: *Induat te Dominus, &c.* vel: *vide ut quod ore cantas, & quod credis, operibus comprobes.* Et datur potestas ad ministerium sacrum cantandi psalmos, lectiones, & responsoria. Et sic ordinati *psalmistæ*, à psalmis canendis, & *cantores* dicebantur, C. 1. D. 21. C. 20. D. 23. 2. Materia Ostiariatus est traditio clavium Ecclesiæ, & cymbali, quo Populus convocatur ad ipsam. Forma est: *Sic agite, quasi redituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Tales *Ostiarij*, seu

Ja-

Janitores (sic dicti, quia præsunt Ostijs Templi) tenentes Clavem Ecclesiæ, omnia intus, & extra custodiunt, atque inter bonos, & malos habentes judicium, dignos recipiunt, & indignos respuunt, C. 1. D. 21. L. 11. tit. 6. p. 1. Hoc Officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto, vendentes, & ementes ejecit de Templo. Sic *Mag. Sent. in* 4. *D.* 24. *q.* 1. 3. Materia *Lectoratus* est traditio Libri lectionum, seu Epistolarum, Prophetiarum, &c. Et à legendo *Lectores* dicuntur, sic ordinari, C. 1. D. 21. L. 11. tit. 6. p. 1. Forma est: *Accipite, & estote Verbi Dei Relatores habituri, si fideliter, & utiliter impleveritis officium vestrum, partem, cum ijs, qui Verbum Dei bene administraverunt ab initio.* Hoc officium implevit Christus, cum in medio Seniorum, librum Isaiæ aperiens distinctè ad intelligendum legit: *Spiritus Domini super me, &c. Magist. in* 4. *D.* 24. *q.* 1. 4. Materia Exorcistatus est traditio Libri Exorcismorum. Forma: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super Energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos. Exorcistæ* ex Græco in Latinum *adjurantes*, vel *increpantes* vocantur. Invocant enim super Catechumenos, & super eos, qui habent Spiritum immundum nomen Domini, adjurantes per eum, ut egrediatur ab eis, C. 1. D. 21. L. 11. tit. 6. p. 1. Hoc officio usus est Christus cum dæmoniacos multos sanavit. *Mag. in* 4. *D.*24. *q.* 1. 5. Materia Acolytatus est traditio urceoli vacui, & candelabri cum cereo extincto. Forma: *Accipite ceroferarium cum cereo, & sciatis, vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini.* Et *Accipite urceolum ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini. Acolyti* Græcè, Latine *ceroferarij* dicuntur à deportandis cereis, quando legendum est Evangelium, vel Sacrificium offerendum, C. 1. D. 21. L. 11. tit. 6. p. 1. Hoc officium Dominus se habere testatur dicens: *Ego sum lux Mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Mag. in* 4. *D.* 24. *q.* 1.

206 6. Materia Subdiaconatus est traditio Calicis vacui cum Patena vacua superposita: vel Libri Epistolarum secundum alios. Forma est: *Videte, cujus ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis. Subdiaconi, seu Hipodiaconi* Græcè, apud Hebræos *Nathinæi*, & Latine *sub Ministri* possunt dici, sunt qui subjacent Diaconis, seu Levitis, & illis ministrare debent, C. 1. D. 21. L. 10. tit. 6. p. 1. Hoc officio usus est Dominus, quando linteo se præcinxit, & mittens aquam in pelvim, pedes Discipulorum lavit, & linteo tersit. *Magist. in* 4. *D.* 24. *q.* 1. 7. Materia Diaconatus est traditio Libri Evangeliorum, cui præmittitur impositio manus Episcopi super caput ordinandi, non de necessitate Sacramenti, sed ex præcepto. Forma est: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini. Diaconi* Græcè dicuntur, qui in Lege Veteri *Levitæ* dicebantur, quia erant de Tribu Levi, quæ ordinata erat, & consecrata Domino, ut ei servirent ex ea orti, & gestarent Arcam, & Tabernaculum, & omnia vasa ejus, & in circuitu Tabernaculi excubarent. Apud Hebræos *Meschareth*, Latine *Ministri* dicuntur: quia debent ministrare Sacerdotibus in Sacramentis, debentque oblationes offerre, & disponere in Altari, componere mensam Domini, & vestire, Crucem ferre, & prædicare Evangelium, & Epistolam ad Populum, C. 1. D. 21. L. 10. tit. 6. p. 1. Hoc officio usus est Christus, quando post Cœnam Sacramentum Carnis, & Sanguinis, Discipulis dispensavit: & quando Apostolos dormientes ad orationem excitavit, dicens: Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Hic ordo est celebratus ab Apostolis *Act.* 6. quando Septem viros plenos Spiritu Sancto ad hoc officium elegerunt, manus eis imponentes, *Mag. in* 4. *D.* 24. *q.* 1. *in L.* 10. *tit.* 6. *p.* 1. vocantur *Evangelistæ*. 8. Materia Presbyteratus est traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum Hostia. Forma: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini.* Et ad impositionem manuum Episcopi dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt. Presbyter* Græcè *Latine* dicitur *Senior*, quia Presbyteri, licet non sint ætate senes, tamen propter honorem, & dignitatem, quam acceperunt, morum prudentia, & maturitate conversationis præcellere dicuntur in Populo. Etiam *Sacerdotes* vocantur, qui *Sacra dant*, & consecrant Corpus Christi, C. 1. D. 21. L. 9. tit. 6. p. 1. Hic ordo à filijs Aaron sumpsit initium, nam ipse Summus Pontifex, filij verò ejus facti fuerunt Sacerdotes. Hoc officio usus est Christus, cum se ipsum in Ara Crucis obtulit: idem Sa-

cerdos, & Hostia; & quando post Cœnam panem, & vinum in corpus suum, & Sanguinem commutavit. *Mag. in 4. D. 24. quæst. 1.*

207 9. Materia Episcopatus est impositio manuum Episcopi consecrantis, & Episcoporum assistentium super caput consecrandi, & impositio libri Evangeliorum super ipsius consecrandi cervicem, & scapulas, & insuper requiritur traditio baculi Pastoralis, & annuli: quod saltem in praxi tenendum est, *Lacr. lib. 6. p. 2. num. 2148. & alij.* Forma est: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* nempe cum quadam plenitudine gratiæ ad omnes Episcopales functiones. De quo latè *Dian. Concord. tom. 4. tr. 8.* Ordo Episcoporum quadripartitus est, scilicèt, in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, atque Episcopis. *Patriarcha* Græcè *Summus Patrum* interpretatur. *Archiepiscopus* Græco vocabulo *Summus Episcoporum* dicitur, tenet vicem Apostolicam, & præsidet tam Metropolitanis, quam cœteris. *Metropolitani* à mensura civitatum vocantur. Solicitudo enim totius Provinciæ ipsis commissa est: *Episcopus* dicitur, quasi *superintendat*, scilicet, curam gerens subditorum. *Episcopi* enim Græcè Latinè *Speculatores* interpretantur. Nam speculator est præpositus in Ecclesia, sic dictus eo quod speculetur, & perspiciat Populorum infra se positorum mores, & vitam. Episcopus etiam dicitur *Pontifex*, quasi Princeps Sacerdotum, & via sequentium: Etiam dicitur *Antistes*, quia *ante stat*, & primus est in Ordine Ecclesiæ, supra se nullum habens. Sed omnes hi uno, eodemque vocabulo Episcopi nominanrur, & ideo privato nomine quidam utuntur propter distinctionem potestatum, quam singularitèr acceperunt, *C. 1. D. 21.* quem Textum ex D. Isidoro deductum transcripsit *Magist. Sent. in 4. D. 24. q. 3.* Sed pro ejus intelligentia notari oportet, quod Archiepiscopi non distinguuntur à Metropolitanis, ut ait *Barb. in C. 1. D. 21.* ac proindè in prædicto Textu ubi Archiepiscopi Metropolitanis præferuntur, nomine Archiepiscoporum intelliguntur Primates, ut ait *Gl. ibid. v. Archiepiscopis.* Div. Isidorus in prædicto Text. ait: Metropolitanos sic dici à mensura civitatum, & hoc fortè, quia debebant habere subse decem, vel undecim civitates, de jure antiquo *in C. 2. 6. q. 3.* Sed certè verius attenta Græca, & juridica significatione *Metropolis* dicitur: quasi *Matrix Civitas. L. 4. §. 5. L. 7. ff. de Offic. Proconf. C. 13. D. 12. Lexic. Græc.* & sic *com. DD.* Et quidem meo videri equivocatio consistit in qualitate literæ Græcæ. Inter omnes has Episcoporum species primatum abs dubio tenet Episcopus Romæ: qui inter cœteros totius universi tantum super eminet; *quantum lenta solent inter Viburna Cupressi.* Hic enim est Vicarius Christi ejus locum in terra tenens, successor Petri, Apostolorum Principis, Caput visibile Ecclesiæ, Judex controversiarum, etiamsi gravissimæ sint, quæ inter fideles possunt moveri in materia fidei, & morum. Legislator Supremus universalis Ecclesiæ, & juris Canonici dispensator. Hic nomine Græco dicitur *Papa*, hoc est *Pater.* Et quamvis hoc olim nomine etiam Episcopi decorarentur, jam nulli licet hoc nomen usurpare ex ordinatione *Greg. VII.* Etiam per antonomasiam dicitur *Pontifex*: quamvis adhuc tale nomen alijs Episcopis sit commune. Pontifex dicitur à verbis *potest*, & *facere.* Et bene quidem, nam suprema authoritate, & potestate gaudet in terris, non impropriè in Triregno, seu triplici Tiaræ Corona significata: Nam ipsi apprimè convenit, quod quidam de Jove cecinit. *Jupiter arces temperat æthereas, & Mundi regna triformis.* Ipse est Caput Ecclesiæ Romanæ, qui omnes judicat, & à nullo judicatur, & sine quo nec Concilia Generalia authoritatem habent. Et Romana Ecclesia, cui ipse præsidet est Mater, & Magistra omnium Ecclesiarum totius Orbis Christiani, ad quam omnes appellant, & recurrunt. Ut latè habetur *in C. 4. C. 6. de Elect. C. 1. D. 17. C. 4. & seqq. 2. q. 6. L. 5. tit. 5. p. 1.*

208 Ad valorem Sacramenti ordinis est necessarius contactus saltem mediatus materiæ ab ordinante traditæ, ut si quis Calicem tangat, eo mediante Patenam ipsi impositam tangit, nec sufficit contactus moralis. *D. Thom. in 4. D. 24. q. 1. art. 1. q. 5. ad 3.* ibi: *Ipsa verba formæ videntur ostendere, quod contactus materiæ sit de Essentia Sacramenti, quia dicitur: Accipe hoc, vel illud.* Et cum hæc sententia tutior sit, quam contraria, sequenda omnino est postquam Innoc. XI. hanc propositionem, quæ prima est damnavit: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori.* Sententiamque dicentem, quod ad valorem ordinum non requiritur contactus physicus saltem mediatus vasorum, seu instrumentorum practice improbabilem judicant Cardenas, & alij cum *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 2148.* ad

va-

validam ordinationem requiritur, quod ordinandus sit mas baptizatus; si enim inveniretur Sacerdos non baptizatus deberet baptizari, quia baptismus est *janua, & fundamentum reliquorum Sacramentorum. C. 2. de Cogn. spir. in 6.* Et omnes ordines, utpotè nullitèr collati, necessariò essent reiterandi. *C. 1. c. 3. de Presbyt. non baptiz.* etiamsi communi errore haberetur, ut baptizatus; nam nec communis error, nec titulus putativus potest facere, quod talis sit ordinatus. Et cum hæc inhabilitas à Jure Divino proveniat nequit eam error communis, nec Ecclesia sublanare. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 2. ex n. 9.* fœmina Jure Divino est incapax ordines suscipiendi. *D. Thom. in 4. D. 25. q. 2. art. 1. Suar. de Cens. D. 51. sect. 2. n. 1. Barb. de Jur. Eccles. lib. 1. c. 36. n. 6.* Nam ut ait *D. v. Paul. 1. ad Cor. 14. v. 34. Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui.* Et ex ratione *Text in c. 10. de Pænitent. & remiss.* ibi: *Quia licet B. Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis, Dominus Claves Cœli Regnorum commisit. L. 26. t. t. 6. p. 1.* Diaconissæ, Presbyteræ, & Episcopæ, quarum olim copia esse videbatur, & de quibus fit mentio in *C. 18. c. fin. D. 32. c. 23. 27. q. 1.* non erant fœminæ ordinatæ, juxta Ecclesiæ ritum: sed erant uxores eorum, qui Diaconi, Presbyteri, vel Episcopi facti erant, & ab earum consortio abstinebant. Vel erant viduæ provectiores 40. vel 60. annorum, quæ destinabantur ad curam quarumdam rerum Ecclesiæ, præcipuè Diaconissæ, quæ magna cum solemnitate, & cæremonijs benedicebantur. Et hoc modo intelligendum est, quod dicit Æneas Sylvius, quod soror Boleslai fuit Sacerdos consecrata. Diaconissa tamen nec benedicebat, nec aliquid ex his, quæ faciunt Presbyteri, ipsa faciebat: sed tantum custodiebat portas, & ministrabat Presbyteris, quando baptizabantur mulieres propter honestatem, ut refert *D. Clem. Const. Apost. l. 8. c. 31.* Et *lib. 16. c. 7.* ait: *Diaconissa eligatur virgo pudica, si autem non fuerit virgo, sit saltem vidua, quæ uni nupserit.* Hic tamen Diaconissarum gradus cæpit aboleri ex Ann. 320. *Barb. de Jur. Eccles. lib. 1. c. 36 Villar. de Regim. Eccles. p. 1. q. 2. art. 6. ex n. 67. facit D. Thom. in 4. D. 25. q. 2. art. 1.* Nec potest ordinari Hermaphroditus, in quo sexus fœmineus prævaleat, nam tunc pro fœmina habetur. *L. 10. ff. de Stat. homin.* ibi: *Hermaphroditum, cui comparamus? & magis puto ejus sexus æstimandum, qui in eo prævalet.* Si verò prævaleat sexus virilis, quia simpliciter vir reputatur, non est Jure Divino incapax; sed ob indecentiam, & monstruositatem irregularis est cum talis sit absdubio corpore vitiatus, de quibus in *C. 1. D. 36.* dicitur: *Illiteratos, aut aliqua parte corporis vitiatos, vel imminutos, nullus præsumat ad Clericatus ordinem promovere.* Si fœmina erumpat in virum, ita ut in ea solum inveniatur virilis sexus, potest ordinari, quia absolutè est vir. Si sexus, etiam fœmineus permaneat, dicendum quod de Hermaphrodito. *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 1. & 2.* de hujus casus possibilitate testatur *Plinius l. 7. c. 4.* & varij Recentiores disputant. De Hermaphroditis videantur *Diction. de Trev. v. Hermaprodite. Paulus Zach. & alij.*

209 Ordinandus debet esse capax rationis, & habere intentionem saltem habitualem ordines suscipiendi, quia debet aliquomodo in novum statum consentire. Si consensit, quamvis metu coactus, quia voluntas coacta, voluntas est, valet ordo collatus. Si verò absolutè reluctans fuit, v. g. si vi detentus ordinetur, invalida est ordinatio, nec imprimit characterem; *Arg. c. 3. §. fin. de Baptism.* ibi: *Ille, qui nunquam consentit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti. Barb. de Offic. Episc. alleg. 2. n. 5. Leg. 32. tit. 6. p. 1.* ibi: *Mas si aquel, que ordenaren por miedo, nunca consintiò, mas contradixo todavia, non rescibe la Orden, nin finca señalada el alma de otro por ello.* Si metus fuit levis, vel justè incussus, licet gravis, vel post ipsum ratificatum fuit votum, vel expressè, vel tacitè; tenetur sic metum passus ad onera Sacro Ordini annexa, ad castitatem, recitationem Officij, &c. *Arg. c. 4. de Regul. Sanch. de Matrim. l. 7. D. 29. n. 9.* Extra hos casus non tenetur ad castitatem: siquidem Ecclesia non præcipit absolutè, & directè castitatem; imò, nec eam præcipere potest. *C. 13. 32. q. 1.* sed solum indirectè, eis scilicèt, qui velint Sacros Ordines suscipere. Et qui metu coactus in sui ordinationem consensit, non videtur in se velle talem suscipere obligationem. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 29. n. 5.* Si pueri, imo furiosus, vel amens perpetuo, ordinentur, characterem recipiunt; *Arg. c. un. de Cleric. per saltum. D Th. in 4. D. 25. q. 2. art. 1. q. 2. D. Bonav. in 4. D. 25. art. 2. q. 2.* qui dicunt ad Episcopatum requiri consensum de necessitate

Sacramenti: ad majores Ordines, de necessitate præcepti, non vero Sacramenti: ad minores, solum ex honestate, requiri usum rationis. Si verò aliquis in furorem, vel in amentiam incidit, si tempore usus rationis non petijt ordinare, invalidè postea ordinatur, quia cum ordo non sit necessitatis, sed voluntatis censetur rejectus, si cum potuisset liberè peti, non fuit petitus.

210 Ante legitimam ætatem nullus ordinandus est juxta præceptum Apostoli 1. *ad Tim.* 5. *v.* 22. ibi: *Manus citò nemini imposueris.* Ad tonsuram recipiendam olim septem anni requirebantur. *C. fin. h. t. in 6. l.* 27. *tit.* 7. *p.* 1. quæ ætas etiam hodie post *Trid. sess.* 23. *de Ref. c.* 4. desideratur. Ad Ordines minores non erat certa præfixa ætas: aliquando 14. anni præscribuntur. Ut *in c.* 2. *D.* 77. & alibi: Tridentinum nullam certam ætatem definivit, ideò aliqui septennium sufficere, alij 12. annos requiri, tenent. Pro Subdiaconatu aliquando 14. annorum. *C.* 2. *D.* 77. aliquando 20. annorum ætas fuit præscripta. *C.* 4. *D.* 77. In Conc. Viennensi in *Cl. fin. de Ætat. & qualit.* ætas 18. annorum fuit præfixa pro Subdiaconatu. 20. pro Diaconatu. 25. pro Presbyteratu. Olim in Lege Veteri 25. anni pro Levitis requirebantur. *Num.* 8. *v.* 24. & sic pro Diaconatu olim ætas 25. annorum erat necessaria. *C.* 4. *D.* 77. Sed hodie 23. anni sufficiunt. Pro Presbyteratu olim 30. anni erant necessarij. *C.* 6. *D.* 77. quia Christus in hac ætate prædicare cœpit. Sed hodie sufficit, quod 25. annus sit incœptus. Nam *Trid. sess.* 23. *de Ref. c.* 12. de ætate necessaria ad Ordines majores loquens ait: *Quod nullus in posterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur.* Et sat est, si incœpti sint. Olim ex *Trid. sess.* 24. *de Ref. C.* 1. In Cardinalibus etiam Diaconis requirebantur 30. completi, sicut in Episcopis, quod temperavit *Sixtus V. in Const. Postquam Ann.* 1586. solumque requirit ætatem sufficientem ad suscipiendum intra annum ordinem Diaconatus.

211 Ut licitè quis ordinetur, præter ætatem, & usum rationis, debet habere animum Clericandi. *Trid. sess.* 23. *de Ref. C.* 4. non debet esse Neophytus, seu recenter conversus, non ligatus censura, nec irregularitate; debet esse confirmatus. *Trid. sess.* 23. *de Ref. c.* 4. saltem sub veniali. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 2. *n.* 14. debet carere mortali, quando ordinatur, quia est Sacramentum vivorum; debetque esse bonæ vitæ, & existimationis publicæ. *C.* 4. *h. t.* Cœlebs, *C. fin. h. t. in* 6. Si sit uxoratus, indiget consensu uxoris, & ipsa debet Religionem ingredi, vel si sit provectæ ætatis, in sæculo manens, votum continentiæ emittere. *C.* 4. *c.* 5. *c.* 8. *de Convers. Conjug.* Item debet esse litteratus, *C. fin. h. t. in* 6. Sufficit tamen, illam scientiam habere, ut sit idoneus ad exercitia ordinis suscepti. *Trid. sess.* 23. *de Ref. C.* 4. *c.* 13. *c.* 14. Ad primam tonsuram requiritur, quod quis sciat rudimenta fidei, legere, & scribere. Ad minores Ordines est necessarium linguam Latinam intelligere. Ad Subdiaconatum, & Diaconatum requiritur cognitio eorum, quæ ad istos ordines spectant. Ad Sacerdotium requiritur, quod Populum docere possit necessaria ad salutem, & quod sciat administrare Sacramenta. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 11. Denique ordinandus debet esse subditus ordinantis aliquo titulo. Et licet ab Episcopo originis, v. g. quis unum ordinem suscepisset, potest alium ab alio, scilicet, ab Episcopo beneficij, alium ab Episcopo domicilij sine prioris licentia suscipere. *C.* 3. *h. t. in* 6. *Trid. sess.* 23. *de Ref. C.* 8. *Innoc. XII.* in Const. *Speculatores Ann.* 1694. nisi ab ipso Papa esset ordinatus, nam ob reverentiam Sedis Apostolicæ esset necessaria Papæ licentia ad ulteriorem promotionem. *C.* 12. *h. t. l.* 5. *tit.* 5. *p.* 1. Qui ab Episcopo proprio: v. g. originis est prohibitus promoveri ad ulteriores ordines, non potest promoveri sine ejus licentia. *Trid. sess.* 14. *de Ref. C.* 1. *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *n.* 2185.

212 Ad validam ordinationem requiritur in Ministro, ultra intentionem ordinandi, potestas conferendi ordines, qualem de Jure Communi habent omnes Episcopi consecrati ratione characteris Episcopalis, quamvis hæretici, vel degradati sint. *Trid. sess.* 23. *C.* 4. ibi: *Sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris Superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse: quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.* Et *Can.* 7. definitur, hanc potestatem non esse

esse communem alijs Sacerdotibus: multoque minus competere dicendum est, Magistratibus Politicis, ut docebant *Vuiclef, Hus, Luth. Calv. & alij.* Ut licitè fiat ordinatio debet ordinans esse Episcopus proprius ordinati, vel à proprio habere licentiam. *Trid. sess.* 14. *de Ref. C.* 2. Et *sess.* 23. *de Ref. C.* 8. Episcopus proprius est ille, cui aliquis subditus est ratione originis, vel domicilij, vel beneficij. *C.* 3. *h. t. in* 6. Et omissis pro nunc sententijs circa originem, domicilium, & beneficium, quæ attendi debent in alijs materijs: circa præsentem tamen suscipiendi Ordines aliqua declarata sunt, à quibus recedere non licet *in Const. Speculatores Domus Israel. Innoc. XII.* 4. *Nov.* 1694. ubi sic statuitur circa originem, scilicèt: *Ut ille tantum subditus sit ratione originis, ac esse intelligatur, qui naturalitèr ortus est in ea Diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodò tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione, nimirum itineris, officij Legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo casu nullatenùs ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis Patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri: tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum ordinum testimonio, similitèr recensendas, præsentare teneatur: At si Pater in alieno loco ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi verè domicilium de jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed domicilium per Patrem legitimè contractum pro ordinatione ejusdem filij attendi debeat.* Qui per accidens natus est in aliquo loco, vel in mari, vel in itinere, vel in loco, ubi mater per breve tempus morata fuit, censetur natus in domicilio parentum suorum. *L.* 3. *C. de Munic p. l.* 10. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 4. *n.* 18. & 19. per baptismum in aliena Diœcesi non habetur titulus originis, quia baptismus est origo, non naturalis, sed spiritualis; nisi esset Turca, Judæus, vel Infidelis, eo quod tales nec ratione parentum, alicui Episcopo sint subjecti, pertinentque ad originem spiritualem. Natus in loco nullius Diœcesis subditur Episcopo viciniori. Quando de origine filij non constat, inspicitur origo Patris. *L.* 6. *ff. ad Municip.* si ejus locus sit incertus, vel filius sit illegitimus, mat[ris] origo attenditur. *L.* 9. *ff. ad Municip.* Expositi pertinent ad Diœcesim, in qua nati sunt, & etiam, in qua sunt expositi. *Barb. de Offic. Episc. alleg* 4. *n.* 17.

213 Quoad domicilium in prædicta Constitutione decernitur: *Ut subditus ratione domicilij ad effectum suscipiendi ordines dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeò stabilitèr constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ulterius in utroque casu, se verè, & realitèr animum hujusmodi habere jure jurando affirmet. Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici: Etiam Ordinarij suæ originis testimoniales litteras afferre debebit, ac de illis expressa similitèr mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit. Ad hæc nullus Episcopus alienæ Diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros, seu minores ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat: absque ejus proprij, originis scilicet, seu domicilij, Prælati testimonialibus litteris, & nisi ad præscriptum Trid. sess. 23. de Ref. C. 9. familiarem prædictum per integrum & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit. Beneficium insuper, quod ei ad vitam sustinendam sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis, à die factæ ordinationis reipsa illi conferat, ac in ordinationis hujusmodi testimonio expressam familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.* Studiosi, etiam per plures annos non adquirunt domicilium in Academijs, quia non habent animum perpetuo illic habitandi, similitèr dicitur de Custodibus Castrorum, famulis, & alijs hujusmodi. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 4. *n.* 9. Potest tamen quis alicubi habere domicilium, etiamsi animo paratus sit alio migrare, si promotio, officium, casus improvisus, vel necessitas familiæ eo evocaret. *L.* 7. *C. de Incolis*, *l.* 10. sic Senator, vel alius Officialis perpetuus Principum habent domicilium in ea Civitate ubi sunt, quamvis ibidem non sint cives, & possunt ab ejus Episcopo ordinari. Imò relegatus habet domicilium in loco sui exilij. *L.* 22. §. 3. *ff. ad Municip. Barb. de Offic. Episc. alleg.* 4. *n.* 34. & 35.

Yagi,

Vagi, si non constet de eorum origine, nec de paterna, possunt se cuilibet Episcopo, cui voluerint, ut ordinentur, subjicere.

214 Quoad beneficium deniquè in citata Bulla decernitur: *Ut nullus Episcopus, etiam Cardinalis possit aliquem non subditum ratione originis, seu domicilij, modo dicto, ad clericalem tonsuram promovere, cujusvis beneficij Ecclesiastici, ei statim, ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quod is à Patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit prætextu: etiamsi beneficium prædictum, de novo ea expressè adjecta lege fundatum sit: ut quis immediatè post clericalem characterem susceptum ad illud instituatur. Prætereà Clericum, qui legitimè jam à proprio Episcopo ad eamdem clericalem tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non possit ab alio Episcopo, ratione, aut titulo cujusvis beneficij in illius Diœcesi obtenti ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorundem susceptionem testimoniales litteras proprij Episcopi, tam originis, quàm domicilij super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiæ conservandas exhibuerit.* Deinde: *ut nullus Clericus ratione cujusvis beneficij in aliqua Diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi beneficium hujusmodi situm est, ad effectum suscipiendi ab eodem Episcopo ordines, nisi beneficium ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam Synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacificè possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem beneficij cum adjectione patrimonij, etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu quavis alia Diœcesi obtineret: ac Episcopus sic ordinans tam de prædictis testimonialibus litteris, quàm de reditu beneficij hujusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem facere debebit.* Hanc Constitut. affert, & explicat *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 2165.*

215 Abbates benedicti, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, usumque mitræ annuli, & baculi, dummodo sint Sacerdotes ex privilegio habent jus conferendi minores ordines. *C. 1. D.69. c. 11. de Ætat. & qualit. l. 22. tit. 6. p 1.* Olim subditis suis etiam sæcularibus. *C. 3. de Privileg. in 6. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 3. n. 5.* Hodie tamen post *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 10.* solum suis subditis Regularibus tales ordines possunt conferre. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 2190.* ubi sic declaratum refertur. Novitij non veniunt appellatione subditorum Regularium in Decreto *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 10.* cum adhuc non sint ligati vinculo obedientiæ, sed possint eorum superioritatem subterfugere *Barb. de Offic. Episc. alleg. 3. n. 8.* Licet aliqui tenuerint, Guardianos, Priores, Parochos, & simplices Sacerdotes posse primam tonsuram conferre. *C. 20. D. 23. Gl. in c. 1. D. 69.* v. *Lectoris*: Hodie hoc non subsistit, contradicente usu communi Ecclesiæ. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 3. n. 16.* Ex delegatione tamen R. Pontificis. simplex Sacerdos Ordines minores conferre potest. *Barb. alleg. 3. n. 4.* Regulares, etiam exempti, debent suscipere Ordines Sacros ab Episcopis, in quorum Diœcesi sunt Monasteria, in quibus ordinandi degunt, vel dimissorias ab eis accipere debent, ex Declar. Greg. XIII. Novitios posse Ordinari ab Episcopo loci, ubi sunt, licet alibi sint nati, tenet. *Barbos. de Offic. Ep. all. 4. n. 62.* contra *Gutier. Cened. & alios.* De quibus latè *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 2192. & 2236.*

216 Quando Episcopus est suspensus per annum à collatione Ordinum, & suspensio est manifesta, quia scienter Clericum alienum ordinavit, illius subditi, si jam sint Clerici possunt à vicinis Episcopis Ordinari sine ejus licentia. *C. 2. h. t. in 6.* Quilibet Episcopus potest alienum subditum ordinare, dummodo præcedat proprij Episcopi licentia in scriptis, litteris, scilicet datis, quibus reverentèr dimittuntur proprij subditi, & alieno Episcopo commendantur, ut ab eo ordinentur, & in ipsis proprius Episcopus testificatur de moribus, probitate, & scientia ordinandi, & ideò tales litteræ dicuntur *dimissoria testimoniales, reverendæ, & commendatitiæ. Trid. sess. 7. de Ref. cap. 10. & sess. 23. de Ref. cap. 8.* Harum litterarum usus antiquissimus est, ut constat *ex c. 2. D. 73.* in his litteris debet inseri causa, propter quam proprius Episcopus nolit, vel non possit ordinare suum subditum, & alij ordinandum dimittat. *C. 1. h. t. in 6.* Hæ enim diriguntur, vel generalitèr ad quemcumque Episcopum habentem Communionem Sedis Apostolicæ. *C. 19. de Præscript.* & solet addi dummodo talis Episcopus Clerum, & populum habeat: per quam clausulam excluduntur Episcopi Titulares, seu Nullatenses: *Hispanè: de Anillo*, vel diriguntur specialitèr ad Episcopum N. Et tunc ab illo solum potest Or-

Ordinari sic dimissus; *arg. C. 5. de Praesumpt.* Et solum Ordines in litteris expressi debent conferri; *arg. L. 5. ff. Mandat.* ipsique Episcopo ordinanti potest delegari examen, si à proprio Episcopo non est examinatus. Episcopus tamen, cui aliquis dimittitur ordinandus, etiamsi talis ordinandus sit examinatus, & approbatus à proprio Episcopo, ut debet juxta *Trid. sess. 23. de Ref. cap.* 3. potest iterum illum examinare. *Barb. de Off. Episc. all. 7. n.* 22. Prædictæ litteræ dimissoriæ, quæ gratis concedendæ sunt. *Trid. sess. 21. de Ref. cap.* 1. durant, tum vivente, tum mortuo eo, qui illas dedit: imò, & durant, quamdiu non revocantur, & concessæ à capitulo, etiam post electionem novi Episcopi valent; *arg. C. 5. de Rescript. in 6. Barb. de Off. Ep. all. 7. n.* 23. & 24.

217 Has dimissorias possunt dare Episcopi proprij, sive originis, sive domicilij, sive beneficij; *arg. C. 3. h. t. in 6.* si sint confirmati, vel administrent Diœcesim, etiamsi consecrati non sint, quia tales dimissorias dare est actus jurisdictionis. *C. 15. de Elect.* Capitulum, Sedevacante, etiam intra annum luctus potest Episcopo extraneo dare licentiam ordinandi in Diœcesi vacante, & litteras testimoniales de vita, & moribus suorum subditorum: Sed nunc post *Trid. sess. 7. de Ref. cap.* 10. non potest concedere dimissorias, vel reverendas, seu dare licentiam, ut ordinentur, infrà annum à die vacationis, nisi arctatis, hoc est, his, qui vel actu obtinent beneficium, vel electi, præsentati, vel nominati fuêre ad beneficium exigens Ordinem Sacerdotalem intra annum: quod si capitulum contra hoc Decretum veniat, subjacet interdicto, & ordinati in minoribus; nullo privilegio gaudent, in majoribus autem ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati sunt ipso jure suspensi. Si verò alius Prælatus contra formam prædicti Decreti dimissorias concedat per annum est ipso jure suspensus ab officio, & beneficio. *Trid. sess. 23. de Ref. C.* 10. Vicarius Episcopi non potest dare dimissorias. *C. 3. h. t. in 6.* ibi: *Inferiores quoque Prælati::: nisi eis specialitèr sit indultum, vel Officialis Episcopi, (cum ad hoc se ipsius officium non extendat) hujusmodi nequeunt licentiam impertiri. Episcopo autem in remotis agente, ipsius in spiritualibus Vicarius Generalis, vel Sedevacante, Capitulum, seu is, ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.* Prælati Regulares, seu Abbates, quamtumvis exempti, & habentes mitram, & baculum, & facultatem conferendi minores Ordines, non possunt dare dimissorias sæcularibus suis subditis. *Trid. sess. 23. de Ref. c.* 10. nec Novitijs, saltem de Jure Communi, nisi ex privilegio: Solumque possunt dimissorias concedere suis subditis Regularibus. *C. 7. de Offic. Ordin.* Et sic declaratum fuisse à *Clem. VIII. die 9. Martij Ann.* 1592. testatur *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 7. n. fin.* Sed in his attendenda sunt uniuscujusque religionis privilegia. In nostra Societate ex Const. *Greg. XIII. Pium, & utile, die* 22. *Sept. Ann.* 1582. Religiosi prævia suorum superiorum facultate ad quoscumque tam minores, quàm Sacros Ordines promoveri valent à quolibet Episcopo, & Antistite gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habente, absque ulla functione, inquisitione de idoneitate, alijsque requisitis, & absque ulla interstitiorum observatione, etiam extra tempora, in tribus Dominicis, vel alijs festis diebus, etiam continuis. Et cum Pontifex in principio Constitutionis super hoc præceptum imponat omnibus Episcopis præsentibus, & futuris in perpetuum, denique concludit: *Nos illis ordines omnes prædictos suscipiendi, ac prædictis Antistibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus*, quod confirmavit Innoc. XII. *die 17. August. Ann.* 1695. *Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 2194.

218 Clericus Sæcularis quamvis sit idoneus moribus scientia, & ætate non potest nunc ad Sacros Ordines (& jure antiquo in *C. 2. de Præbend.* nec ad primam tonsuram) promoveri, nisi prius legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere, quod *Titulus mensæ* appellatur: cum non deceat eos, qui Divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere. *Trid. sess. 21. de Ref. cap.* 2. ubi etiam dicitur, quod ordinandi ad Titulum patrimonij, vel pensionis debent habere bona, *quæ ad sustentandam vitam satis sint: atque illa deinceps sine licentia Episcopi, alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint.* Bona igitur debent esse immobilia, nullo titulo, aut hypotheca obligata fructifera, firma, & talia, quæ à Clerico auferri non possint, nec sufficit, quod ordinandus habeat dominium directum tantum, vel censum redimibilem: nec sufficit, ut possit ordinari, industria, officium, aut scien-

scientia ordinandi, v. gr. quod sit artifex, vel Doctor. *Garc. de Benef. p. 2. cap. 5. & alij.* Episcopus tamen conferens Ordinem Sacrum non habenti sustentationem necessariam undecumque, tenetur illi providere, & dare alimenta, donec illam consequatur. Et hoc onus est reale ad successorem transiens. *C. 4. C. 16. de Præbend. C. 37. eod. in 6.* Excusatur tamen Episcopus, si caruit culpa; *arg. C. 2. de Constit. in 6.* Qui vero fingens, se titulum habere, fuit ordinatus, probabilius incurrit suspensionem ab executione ordinis sic suscepti: & si in eo ministret irregularitatem. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 20. n. 33.* Si pactum præcessit de non inquietando ordinatorem, ordinator à collatione, præsentator ab executione ordinum per triennium suspensi sunt: Ordinatus verò ab ordine sic suscepto suspensus est perpetuo: & solum per Sedem Apostolicam cum eis dispensatur. *C. 45. de Simon.* Beneficium, ad cujus titulum quis ordinatur, debet esse perpetuum, ac proinde non sufficit titulus Commendæ, vel Vicariæ temporalis, vel Capellaniæ amovibilis. *Barbosa de Offic. Episc. alleg. 19. n. 25.* potest tamen quis probabiliter ordinari ad servitium perpetuum alicujus Ecclesiæ: non tamen sufficit beneficium litigiosum, nec quod quis sit præsentatus, nec electus ad aliquod beneficium: nam adhuc non habet actualem possessionem illius. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 2.* In Regularibus professio religiosa subit locum Tituli. *C. 1. D. 70.* Et vocatur *Titulus paupertatis.* Novitij verò, invalide professi, aut illi, qui Religionem libere dimittere, vel ab illa dimitti possunt, non valent ordinari; *ex Const. S. Pij V. Romanus, 12. Nov. An. 1568.* in Societate nostra post vota simplicia biennij possunt, qui ea emiserunt, licet adhuc non sint professi ordinari. *Ex Const. Greg. XIII. Ascendente, An. 1584.* Et sic ordinatis, si dimittantur, nihil tenetur præbere Societas. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 2196.* Episcopus potest suos familiares ordinare juxta *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 9.* ibi: *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat, consuetudine quacumque, etiam immemoriali in contrarium non obstante.* Familiaris in præsenti dicitur ille, qui cum Episcopo fuerit commoratus, & præsens servierit; secus si absens sit, etiamsi sustentetur sumptibus Episcopi. In triennio, quod debet esse continuum, computatur tempus, quo familiaris commoratus est cum Episcopo, etiam antequam Episcopus factus fuisset: nam mens, & ratio finalis Trid. fuit, ut Episcopus possit mores ordinandi cognoscere. Episcopus tamen Titularis non potest aliquem prætextu familiaritatis ordinare sine expressa licentia proprij Prælati. *Trid. sess. 14. de Ref. cap. 2.* Cardinales Presbyteri suis familiaribus Ordines Minores conferunt. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 5. per tot.*

219 Si Episcopus alicui illiterato, aut conjugato, extra casus à jure permissos, vel ante legitimam ætatem conferat primam tonsuram (secus si alios Ordines Minores) ab ejus collatione per integrum annum ipso jure suspensus est. *C. fin. h. t. in 6.* Si conferat Ordines Majores suspendendus est à collatione omnium ordinum. Et mala fide (secus si bona) ordinatus, licet ordo collatus valeat, ab executione illius usque ad legitimam ætatem, juxta *C. 14. h. t.* Sed ex *Constit. Pij II. Cum ex Sacrorum, An. 1461.* in perpetuum, donec absolvatur, ipso jure, etiamsi Regularis sit suspensus est. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 16. n. 24.* Et tam ordinans, quam ordinatus, cum sint suspensi, irregularitatem incurrunt, si in ipsis ordinibus, à quibus suspensi sunt, ministrent: Has pœnas non incurrit promotus ad minores, etiamsi in ipsis ministret. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 16. n. 14.* Ordinans scienter, vel cum ignorantia affectata alienum subditum, incurrit ipso jure suspensionem annuam à collatione ordinum, de omnibus intelligo. *C. 2. h. t. in 6. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 8.* Sic ordinatus sine dimissorijs, temerè, vel ignorantia affectata, ab executione ordinis suscepti, quicumque sit, manet suspensus, donec cum eo à proprio Episcopo dispensetur. *C. 2. h. t. in 6. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 8.*

220 Ordines gradatim sunt conferendi ab inferiori usque ad majorem ascendendo. *C. un. de Cleric. per saltum prom.* Ordines minores cum prima tonsura solent in eodem die conferri. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 11. n. 15.* Et in ordinibus conferendis servanda sunt *interstitia,* id est, quædam temporis intervalla. Ad Ordines majores non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum Ordinum est quis promovendus, ita ut ab ultimo minori usque ad Subdiaconatum unus annus elapsus sit, alius à Subdiaconatu usque ad Diaconatum, & alius ab hoc usque ad Sacerdotium, non quidem

Mathematicus, sed Ecclesiasticus; v. g. ab una ad aliam Quadragesimam: nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 11. & etiam Capitulum, Sedevacante, potest in interstitijs dispensare, quando potest dare suis Subditis licentiam Ordines suscipiendi. Et quidem etiam cum Regularibus exemptis possunt Episcopus, & Capitulum in interstitijs dispensare: quia Regulares cum suorum Prælatorum licentia possunt se Episcopis subjicere quoad gratiam dispensationis obtinendam. Etiam Prælati Regulares exempti cum suis subditis in hoc valent dispensare. Debent etiam Ordines temporibus, & locis à jure statutis conferri: Et quidem prima tonsura, quolibet anni tempore, die, & hora conferri valet: nec est necessarium quod in Sacrificio Missæ conferatur, neque quod ordinans sit jejunus, neque quod manè fiat talis collatio. *Pontif. Rom. tit. de Ordin.* potestque conferri in qualibet Ecclesia, Oratorio, seu loco honesto. *C.* 6. *D.* 75. intra Diœcesim tamen: Si extra Diœcesim velit Episcopus, etiam ad primam tonsuram, & etiam suos subditos ordinare indiget expressa ordinarij illius loci licentia. *Trid. sess.* 6. *de Ref. cap.* 5. quod si locus exemptus sit, indiget insuper licentia illius loci Prælati. *Greg. XIII.* apud *Gallemart in Trid. sess.* 6. *de Ref. cap.* 5. *Barb. de Offic. Episcop. alleg.* 6. *n.* 12. & 13. In loco interdicto sive specialitèr, sive generalitèr, non possunt Ordines conferri. Ordinans in aliena Diœcesi sine consensu Ordinarij loci, ab exercitio Pontificalium, id est, omnium actuum, qui Episcopalis Ordinis proprij sunt: & sic ordinati ab executione ordinum, ipso jure suspensi sunt. *Trid. sess.* 6. *de Ref. cap.* 5. Et etiamsi bona fides excuset ordinantem, & ordinatum à tali censura, quatenus gravis pœna est, quæ nequit incurri sine culpa; tamen sic ordinatus ab executione ordinum privatur. *C.* 7. 9. *q.* 2. Ordines minores non tantum in ordinationibus consuetis, sed etiam quavis die Dominica, vel die festo possunt conferri; sed manè tamen. *C.* 1. *C.* 3. *h. t.* Diem festum talem esse debere, ut non solum sit in Choro sub Ritu duplici, sed etiam in foro, sub præcepto observandum, saltem in ea Diœcesi, declaratum esse testatur. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 11. *n.* 18. nihilominus probabile videtur, posse Ordines celebrari in festo duplici de præcepto; imo & ad libitum. Et sic ab aliquibus practicatur. *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *n.* 2293. *alios citans.* Ordines Sacri Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyterij solum conferuntur in Sabbatis quatuor Temporum, & Sabbatis Sancto, & ante Dominicam Passionis. *C.* 1. *C.* 3. *h. t. Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 8. Et in Cathedrali debent conferri, vel si in alio loco Diœcesis, debet dignior, quantum fieri potest Ecclesia adiri. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 8. sed cum verba Tridentini non inducent præceptum, hinc non solum in qualibet Ecclesia, sed etiam in speciali capella, & privata etiam Sacros Ordines conferunt Episcopi. Eodem die non possunt duo Ordines majores conferri, neo per privilegium. *Trid. sess.* 23. *de Reform. cap.* 13. *C.* 14. *C.* 15. *h. t.* nec Subdiaconatus cum minoribus. *C.* 2. *de Eo, qui furtiv.* *L.* 27. *tit.* 6. *p.* 1. Sed consuetudo, si alicubi viget, suscipiendi eodem die Subdiacononatum cum minoribus non est improbanda. *Navar. in Man. cap.* 25. *n.* 71. quæ ferè omnia habentur *in L.* 27. *tit.* 6. *p.* 1. Ordinans extra tempora incurrit suspensionem, saltem sententiæ ferendæ à collatione ordinis illicitè collati, & illo superiorum. *C.* 2. *C.* 8. *C.* 13. *h. t.* ordinati suspenduntur ipso jure ab executione Ordinum.

221. Si ob multitudinem ordinandorum non potest absolvi ordinatio in Sabbato potest continuari Dominica sequente, continuato jejunio: sed jam ordinatus aliquo Ordine Sacro non potest alio die novum Ordinem Sacrum suscipere. *C.* 4. *D.* 75. si vero ordinatus est Presbyter potest etiam non continuato jejunio in Dominica sequente consecrari Episcopus: imò si die Dominica, manè est ordinatus Presbyter, eodem die hora tertia potest in Episcopum consecrari: quia Canones requirentes interstitia, non loquuntur de Episcopatu, & nullibi hoc invenitur prohibitum. *Gloss. in C.* 4. *D.* 75. Qui eodem die, vel continuato jejunio, Dominica sequente, confert duos Ordines majores suspenditur à collatione Collatorum Ordinum, saltem per sententiam. Vid. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 14. *n.* 11. Ordinatus modo dicto suspenditur ab executione posterioris Ordinis suscepti, donec à Papa dispensetur. *C.* 13. *h. t.* Si Episcopus conferat duos Ordines diversis diebus, licet non servatis interstitijs, nec ipse, nec ordinatus incurrunt aliquam pœnam determinatam à jure, poterunt tamen aliqua pœna arbitraria à superiori puniri; *arg. C.* 4. §. 1. *de Offic. deleg.* quia cum sint Canonis transgressores pro qua-

litate culpæ debet infligi pœna. Consecratio Episcopi fit die Dominica. *C.* 1. *D.* 75. Et etiam in diebus Apostolorum quibus in munere Pastorali succedunt Episcopi. *C.* 2. *D.* 21. consuetudo, ut Ordines extra tempora conferantur reprobata est. *C.* 2. *h. t.* nec Episcopus in hoc potest dispensare: Sed per privilegium post *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 22. concessum, proprium, & speciale, & non communicatum, quia communicabile non est, possunt Ordines extra prædicta Tempora conferri: & tali privilegio gaudet nostra Societas. Ex Bull. Greg. XIII. *Pium, & utile.*

TIT. XII.

De Scrutinio in ordine faciendo.

222 Triplex Scrutinium, sive examen ordinandi subire solent. Primum est illud, de quo loquitur *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 5. ibi: *Ad minores Ordines promovendi bonum à Parocho, & Magistro Scholæ, in qua educantur, testimonium habeant.* Ad majores assumendi per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, vel alteri committat examen de natalibus, ætate, moribus, & vita ordinandorum. Sed hoc vix in usu est. 2. fit *feria* 4. *ante ordinationem, vel quando Episcopo videbitur: qui Sacerdotibus, & alijs prudentibus viris, peritis Divinæ Legis, ac in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget, & examinet. Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 7. Natale, genus, & ætas probantur per testimonium Parochi deductum ex Libro baptisinorum. *Barbos. de Offic. Paroch. p.* 1. *cap.* 7. *n.* 4. vel si ex aliquo casu sic probari non possint, probantur quidem per testes famam, & alia adminicula. Fides, vita, & mores ordinandi probantur per litteras Prælati Regularis, si religiosus est ordinandus, vel per litteras Parochi, Magistri, vel aliorum si ordinandus Sæcularis sit. Institutio, seu Titulus mensæ probatur per instrumentum beneficij, vel patrimonij. Libertas à censura, irregularitate, alijsque impedimentis testimonio ordinandi probatur, cum non præsumantur delicta. *L.* 51. *ff. pro Socio.* Doctrina probatur per examen, ad quod etiam Regulares tenentur. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 12. Tertium denique Scrutinium, de quo agitur in *C. un. h. t.* fit quando aliquis in Diaconum, vel Presbyterum ordinatur. Sub ordinationis enim initium, olim Archidiaconus, hodie Sacellanus, vel Secretarius Episcopi, vel alius Diaconus ei assistens, & ordinandos præsentans alta voce ait: *Reverendissime Pater, postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hos præsentes Subdiaconos, vel Diaconos, ad onus Diaconij, vel Presbyterij ordinetis.* Tunc ordinans interrogat: *Scis, illos, dignos esse?* Cui respondet ipse: *Quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio, & testificor, dignos esse ad hujus onus officij.*

223 Illum vero, quem indignum esse non novit, dignum debet æstimare. Si autem, illum indignum esse cognoscit, Metropolitano, antequam ad hujusmodi Scrutinium veniatur, secrete studeat nuntiare, vel intimare. *C. un. h. t.* Si vero, ut persona privata sciat, esse indignum, privatim monere debet ipsum ordinandum, ne ad ordines accedat, vel ipsum ordinantem: quod si suam monitionem nihil profuturam speret, declinet pro ea vice officium præsentandi. Si hoc non possit, nec defectum possit probare, proferat verba, prout in formula: quia ipse respondet, non ut persona privata, secundum suam privatam scientiam, sed ut persona publica, & secundum publicam scientiam, secundumquam verum est, illum esse, & haberi publice dignum: quamtumvis ipse, ut privatus indignum esse sciat. Ad similem monitionem tenentur alij, qui sciunt privatim aliquod ordinandi impedimentum. Ordinandus, qui solus novit suum impedimentum juris Ecclesiastici, non tenetur in Scrutinio se ipsum prodere juxta aliquos; sed contrarium est verius; *arg. C.* 5. *D.* 81. Si impedimentum manifestum non detegat, deponitur. *C.* 55. *D.* 50. seu potius prohibetur ipsi ordinis exercitium, quia inhabilis est. Ordinans ignotum sine Scrutinio, & de cujus habilitate non sufficienter constabat, arbitrarie punitur. Si ordinet cum scientia impedimenti, ordinandi potestate privatur. *C.* 55. *D.* 50. Qui sciens se sine Scrutinio ordinari, vel furtivè se ingerit, & commiscet ordinandis, suspendendus est ab exercitio ordinis furtivè suscepti. *C. fin. D.* 24. donec Episcopus dispenset.

⁂

TIT. XIII.

De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui.

224 Dupliciter potest Episcopus renuntiare Episcopatui: aliquando enim renuntiat loco tantum: aliquando verò, & loco, & Dignitati, quod, & ordini renuntiare dicitur *in C.* 1. *b.t.* Loco tantum renuntiare censetur, qui tantum renuntiat Officio, Curæ, & administrationi Episcopatus, v. g. ob hostilitatem, vel aeris intemperiem, retento tamen Titulo, & Dignitate. Hinc est, quod cum Episcopus retineat Dignitatem, & ea quæ sunt Ordinis Episcopalis, potest ordines conferre, etiam majores; indiget tamen licentia Episcopi, cum jam careat subditis. *L.* 22. *tit.* 6. *p.* 1. Qui enim tantum loco renuntiavit, Dignitate retenta, verè, & propriè Episcopus manet, etiamsi subditis careat: cum sæpè Episcopi verè tales sine subditis inveniantur, v. g. si Episcopus metu hostium suam deserat Ecclesiam. *C.* 42. 7. *q.* 1. Et etiam Episcopi Titulares, qui *Episcopi in partibus, & Hispanè: Obispos de Anillo* nuncupantur, suntque promoti ad Diœcesim ab Infidelibus, vel Turcis occupatam, & verè Episcopi sunt, quamvis subditis careant. Similitèr ergo accidit in Episcopo, qui loco tantum renuntiavit.

225 Qui verò renuntiavit loco, & Dignitati, quia propter aliquod delictum depositionem timet, vel etiam impetrat dispensationem ex zelo ingrediendi Religionem: cum Cura, & administratione, simul Titulum, Dignitatem, & denominationem Episcopi dimittit, itaque se exuit, tamquam si Episcopus non fuisset: ac proindè alius ejus loco subrogatur quoad locum, & Dignitatem. *C.* 45. 7. *q.* 1. potest tamen minores Ordines concedere, cum licentia Ordinarij sicut possunt Abbates, imò & quilibet simplex Sacerdos ex Pontificia delegatione. *Barb. de Offic. Episc alleg.* 3. *n.* 4. *Gonz. in c.* 1. *b. t. n.* 9. non tamen potest majores Ordines, præcipuè Sacerdotium conferre: nam solus Episcopus hos conferre valet, nec ex delegatione Pontificis possunt conferri ab eo, qui non sit Episcopus. *D. Thom in* 4. *D.* 7. *q. unic. art.* 5. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 3. si tamen defacto conferat, cum characterem ordinis retineat, valida utique erit ordinatio. Sicut iidem valida hac ratione est ordinatio facta ab Episcopo deposito, suspenso, excommunicato, hæretico, simoniaco, etiam degradato, vel consecrato ab Episcopo Hæretico, si substantialia ad consecrationem posuit. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 3. *n.* 3. *Gonz. in c.* 2. *b. t. n.* 3. quia licet non possit licitè exercere potestatem ordines conferendi, cum characterem Ordinis Episcopalis retineat, validè tali utitur potestate. Ordinatus tamen ab eo non potest actum ordinis suscepti exercere: & hac ratione talis ordinatio irrita dicitur. *C.* 1. *9. q.* 1. non quatenùs absolutè invalida sit: sed solum quoad usum, & exercitium ordinis sic suscepti, quia ab ejus executione est suspensus ipse ordinatus. Ordinatio facta ab Episcopo excommunicato non servata forma, vel materia nullius roboris est, ac proindè est iteranda. *C.* 2. *c.* 3. *9. q.* 1. *C.* 24. *c.* 25. 1. *q.* 7. non quia ab excommunicato facta est; nam hoc non obstante, valeret. *Arg. c.* 51. *c.* 109. *de Cens. D* 4. sed quia materia, vel forma non fuit servata. Et tunc etiamsi à Catholico, & non excommunicato fieret, invalida similitèr esset. *Gonz. in c.* 2. *b. t. n.* 7. Hodie post *Extrav. ad evitanda*: si quis accipiat ordines ab Episcopo excommunicato tolerato, non incurrit suspensionem, ac proindè pro tali casu non habet locum decisio *C.* 2. *b. t.* ut notat *Gonz. ibid. n.* 8.

226 Qui enim scienter, vel ex crassa ignorantia Ordines majores suscepit ab eo, qui loco, & Dignitati renuntiavit, quia sic ordines suscipiendo indignum se fecit, suspensus est ipso jure illorum usus, & solum potest R. Pontifex cum eo dispensare. *C.* 1. *b. t. l.* 22. *tit.* 6. *p.* 1. non tamen incurrit irregularitatem, ut aliqui credunt, sed tantum suspensionem. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 48. *n.* 1. *Gonz. in c.* 1. *b. t. n.* 3. Qui vero ignorantèr, & inculpabiliter ab eo ordines suscepit, etiam suspensus est ab ordinibus susceptis potest tamen cum eo Episcopus dispensare. *C.* 1. *b. t. l.* 22. *tit.* 6. *p.* 1. nam licet in utroque casu suspensio incurratur: quoad dispensationem tamen potens est discrimen, Quamvis enim ignorantèr ordinatus culpa careat, suspensionem incurrit, non in ratione pœnæ: sed ob inhabilitatem ordinantis; quia Episcopus nequit dare executionem ordinis, qua ipse caret; *Arg. c.* 79. *de Reg. Jur. in* 6. *C.* 24 1. *q.* 7. Similiter, qui scienter ordinatus est ab Episcopo excommunicato, vel etiam per ignorantiam crassam, indiget Pontificia dis-

pensatione: si verò ignoranter fuit ordinatus indiget tantum Episcopi dispensatione. *C. fin. h. t.* ubi dicitur, quod Episcopus proprius potest dispensare cum ordinaris ignoranter ab Episcopo excommunicato: hoc est, si ordinavit Episcopus originis, cum esset excommunicatus, potest dispensare Episcopus domicilij, vel beneficij. *Gonz. ibid. n.* 5. vel successor ordinantis, imò, & ipsum ordinantem posse dispensare, postquam sit ab excommunicatione absolutus, tenet Abbas, quod rectius alij negant: ne in proprio defectu dispensare videarur, maximè cum facile ab alijs dispensari possit.

227 Qui renuntiavit Episcopatui, non potest uti Pontificalibus insignibus. Etsi ex Monacho factus fuerat Episcopus, debet ad claustrum, & regularem observantiam redire. Si post renuntiationem est Religionem ingressus pœnitentiæ causa, quia ob delictum commissum Episcopatum deseruit, non potest ulterius ad Episcopatum redire. C. 44. c. 45. 7. q. 1. secus est, si renuntiavit Episcopatui propter persecutionem, infirmitatem, defectum scientiæ, simoniam commissam ipso ignorante, vel similem causam; nam tunc potest à religione ad Episcopatum ascendere. C. 7. *de Renunt. Gonz. in c.* 1. *h. t. n.* 7.

TIT. XIV.

De Ætate, & Qualitate, & Ordine Præficiendorum.

228 PRæficiendi in præsenti illi dicuntur, qui sunt promovendi ad Dignitates, & beneficia Ecclesiastica: agiturque in hoc titulo de ætate, qualitate, & ordine, quibus debent esse præditi. Ad quodcumque ergo beneficium Ecclesiasticum obtinendum (excepto Summo Pontificatu; *arg. c. 6. de Elect.*) est necessaria prima tonsura, per quam fit Clericus ipsa initiatus, capaxque beneficij Ecclesiastici, cujus est in capax Laicus. *C. 2. de Instit. C. 6. de Transact.* nec sufficit, quod beneficium impetrans mox sit eam recepturus. Olim non dabatur prima tonsura sine beneficio, secus hodie, & ad illud obtinendum sufficiebat habere septennium. C, 1. c. 2. *D.* 70. Hodie ad quodcumque beneficium, etiam simplex adquirendum, etiam ab habente tonsuram, sive per collationem, sive per præsentationem, sive per aliam quamcumque provisionem, nisi aliud in fundatione exprimatur. *Garc. de Benef. p.* 7. *cap.* 4. *n.* 9. & 10. requiritur annus 14. saltem inchoatus. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 6. *l.* 3. *tit.* 16. *p.* 1. ubi etiam dicitur, quod poterit majoribus septennio dari beneficium, si descretio suppleat ætatem. *Greg. Lop. in l.* 3. *tit.* 16. *p.* 1. dum non habeat regimen Ecclesiæ. C. 3. *h. t.* ibi: *Quia indecorum est, ut hi debeant Ecclesias regere, qui non noverunt gubernare se ipsos.* Idem, quod de beneficio dicendum est de pensione Ecclesiastica. *Barbos. de Offic. Episc. all.* 60. *n.* 78. ad pensiones sæculares nulla certa ætas requiritur.

229 Ad Summum Pontificatum nulla ætas præfinita reperitur in jure. *Arg. C.*6. *de Elect. c.* 3. *eod. in* 6. nec unquam electio Pontificis ob defectum ætatis fuit impugnata, licet aliqui in ætate immatura facti fuerunt R. Pontifices: expedit tamen, quod non nisi post 30. annum eligantur. *Arg. C.* 7. *de Elect.* Ad Episcopatum 30. annus completus est necessarius. *C.* 7. *de Elect.* hæc eadem ætas ad Cardinalatum requirebatur à *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 1. sed hodie ad Cardinalatum requiritur ætas, & ordo ad ipsorum gradum necessarius. Inter Cardinales enim alij sunt Episcopi, & tunc requiritur 30. annus completus: alij sunt Presbyteri, & tunc requiritur 25. annus, saltem incœptus: alij denique sunt Diaconi, & tunc sufficit 22. annos habere. *Ex Const. Sixti V. Postquam Ann.* 1586. Ad alias Dignitates Ecclesiasticas, & beneficia, quibus jurisdictio in foro externo, vel cura animarum est annexa, qualem habent Abbates, Præpositi, Archipresbyteri, Archidiaconi, Vicarij Generales Episcoporum requiritur 25. annus inchoatus. *C,* 7. §. *Inferiore, de Electione. Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. & insuper ordo Presbyteratus. *C.* 1. *h. t. C.* 14. *de Elect. in* 6. assumendus intra annum à die collationis beneficij. *Cl.* 2. *h. t.* quem si culpabilitèr differat electus recipere, ipso jure privatur jure quæsito per electionem, vel collationem. *C.* 1. *h. t. C.* 14. *de Elect. in* 6. Ad Dignitates, & personatus non habentes curam animarum, saltem in Cathedralibus debent assumi Clerici idonei, licet non sint Presbyteri, non minores 22. annis. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. Et sanè, hoc Trid. Decretum cum de Cathedralibus loquatur, non debet extendi ad Collegiatas; ac proinde potest quis assumi ad Dignitatem in aliqua Collegiata, quin 22. annos habeat.

Et sic jam declaratum tenet cum alijs *Barbos. de Offic. Episc. alleg.60. n.67.* contra *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4.* Sufficere 22. annum esse inchoarum est receptum in Rota, teste *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 60. n. 66.* Completum requiri ex declaratione Cardinalium, testatur *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4. n. 70.* Olim Episcopus dispensabat cum majore 20. annis ad has Dignitates, & personatus, non curatos. *C. un. h. t. in 6.* Sed hodie dispensatio in ætate ad quodcumque beneficium requisita soli R. Pontifici competit: quia ipse solus potest in Jure Communi Canonico dispensare. *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4. n. 57.*

230 Ad Canonicatus, Præbendas, & Portiones Cathedralium requiritur saltem 21. annus inceptus, nisi aliud consuetudine, vel statuto præscriptum sit, quia intra annum debet illum Ordinem Sacrum suscipere, quem præbenda requirit. Et in Cathedralibus omnes Canonicatus Ordinem Sacrum habent annexum: & quidem, ita, ut saltem dimidia pars sint Presbyteri, cæteri verò debent Diaconi, vel Subdiaconi esse. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Canonici verò Collegiatarum non debent esse initiati aliquo Ordine Sacro. *Barb. in Cl. 2. h. t. Machad. in Sum. lib. 4. p. 4. tr. 5.* ac proinde sufficit, quod habeant 14. annum inchoatum. *Arg. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 6.* Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis debet habere 40. annos, saltem inceptos, ut dicunt *Azor, & alij* contra *Garc. de Benef. p. 7. n. 35.* vel aliàs debet esse, qui potior pro loci qualitate reperiatur. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 8.* Inquisitores hæreticæ pravitatis de Jure Communi debent habere 40. annum, saltem incœptum. *Cl. 2. de Hæretic.* quæ Constitutio non ubique servatur, ut in nostra Hispania videmus, fortè ob privilegium singulare, de quo *Simanc. de Cathol. Inst. tit. 34. ex n. 12. Machad. in Sum. lib. 4. p. 5. tr. 2. doc. 8.* Commissarij Inquisitionis ferè easdem qualitates, ac Inquisitores debent habere; sed quoad ætatem sufficit si 30. annos habeant, licet aliqui 40. requirant. Vid. *Machad. doc. 12.* Qualificatores Inquisitionis 45. annos debent habere, sed in hoc dispensat Inquisitor Generalis *Machad. in Sum. lib. 4. p. 5. tr. 2. doc. 13. & alij com.*

231 Collatio beneficij facta personæ non habenti ætatem à jure requisitam, est ipso jure nulla. *C. 14. de Elect. in 6.* etiam in conscientiâ: & etiamsi una hora tantum desit. *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4. ex n. 82.* Et etiamsi per ignorantiam, & bona fide susceptum sit beneficium, imò etiamsi ita promotus, vel per electionem, vel præsentationem, vel impetrationem habilis jam inveniatur tempore, quo institutus est: quia concessio, utpotè irrita ab initio tractu temporis non convalescit. *C. 18. de Reg. Jur. in 6. l. 29. ff.* &c. Licet olim ad beneficium curatum Subdiaconatus requireretur. *C. 5. h. t.* Hodie sufficit Ordines minores habere. *C. 8. de Præb. in 6. C. fin. de Instit. eod.* imò & prima tonsura sufficit. *Arg. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Eligendus in Episcopum, Archiepiscopum, vel Patriarcham, saltem sex mensibus ante electionem debet esse Subdiaconus. *C. 9. h. t. Trid. sess. 22. de Ref. cap. 2.* ita enim verificatur, quod sit in Sacris constitutus, etiamsi Presbyter non sit. *Greg. XIV. in Const. Onus Apostolicæ. 15. Maj. ann. 1591.* quam affert *Garc. de Benf. p. 7. cap. 4. n. 77.* debetque cæteros ordines gradatim, usque ad Episcopatum recipere. *Arg. c. un. de Cleric. per salt. promot.* Similiter debet gradatim ascendere, si aliquis Laicus Divina inspiratione in Episcopum postuletur, ut D. Nicolaus, D. Ambrosius, & alij. *C. 8. c. 10. D. 61. Gonz. in c. 9. h. t. ex n. 11.* Beneficium simplex non obligat Beneficiarium ordinem Sacerdotij suscipere, nisi in fundatione dicatur, ut sit Sacerdos, vel quod ipse per se ipsum Missas celebret. Si verò solum dicatur, quod Capellanus Missas celebret, vel divinis Officijs inserviat, potest per substitutum hujusmodi oneribus satisfacere, nec vi talis beneficij tenetur ordinem Sacerdotij suscipere. In Capitulo Ecclesiæ Cathedralis ille, qui saltem non est Subdiaconus non habet votum, seu vocem activam: idem est in Collegiata. Similitèr habens beneficium, cui annexus est ordo, si impedimento cessante, non promovetur intra annum ad illum, non habet vocem in Capitulo, donec fuerit ordinatus, & interim perdit dimidiam partem distributionis. *Cl. 2. h. t.* Talis verò Canonicus, etsi in minoribus sit constitutus habet stallum, id est, sedem in Choro. Et si per turnum ad ipsum, ut hebdomadarium, v. g. spectet collatio beneficij potest illud conferre, & si cum ipso dispensetur, ut ante legitimam ætatem in Subdiaconum ordinetur, habet vocem in Capitulo.

232 *Trid. sess. 24. de Ref. ca. 12.* hortatur, ut in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus Dignitates omnes, vel saltem dimidia pars Canonicatuum conferatur

tur Magistris, vel Doctoribus, vel Licenciatis in Theologia, vel Jure Canonico. Sed hoc solum est consilium: ac proindè non obligat. Generalitèr tamen in unoquoque requiritur scientia necessaria ad suum munus ritè obeundum. *C. 7. §. Inferiora, de Elect.* collatioque facta penitùs illiterato est ipso jure nulla. Si verò solum careat scientia à jure requisita, erit irritanda, tanquam contra Sacros Canones facta. *C. 17. c. 22. de Elect.* quia litteris carens, sacris non potest esse aptus officijs. *C. 1. D. 36.* Et cum teste Apostolo 1. *ad Tim. 3. v. 2.* oporteat, Episcopum esse Doctorem; est necessarium, quod tam Theologiæ, quàm Sacrorum Canonum eam habeat peritiam, quam ejus requirit Officium. *C. 6. D. 38.* ut alios in sana doctrina cohortari possit, & eos, qui contradicunt arguere valeat. *Paul. ad Tit. 1. v. 9.* eadem peritia in Cardinalibus requiritur, ut S. Pontificem in universali Ecclesia regenda suo consilio adjuvent. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1.* Hinc Episcopus debet esse Doctor, vel Licenciatus in Theologia, vel Jure Canonico, aut aliàs ad docendos alios idoneus, testimonio alicujus Academiæ. *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 2.* idem requiritur in Archidiacono, si habeat jurisdictionem in foro externo. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* idem in Scholastico. *Trid. sess. 23. de Ref. c. 18.* idem in Pœnitentiario Cathedralis Ecclesiæ. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 8.* idem est in Vicario Capituli Sedevacante. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 8.* ibi: *Quod sit Doctor in Jure Canonico, vel Licentiatus, vel aliàs quantum fieri poterit idoneus: si secus factum fuerit ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur.* Inquisitores debent esse sacra doctrina fidei eminentèr eruditi *ex Bull. Urb. IV.* in nostra Hispania semper Jurisperiti ad hoc ministerium eliguntur. Qualificatores solum debent esse illi, qui per 12. annos Theologiam docuerunt; sed in hoc frequentèr dispensatur. *Macb. in Sum. lib. 4. p. 5. tr. 2. doc. 13.* Quicumque jurisdictionem in foro externo habent, debent utriusque juris scientiam habere, quia non suo sensu, sed secundum juris authoritatem, & decisiones debent judicare. *C. 1. de Constit, L. 1. Taur.* Parochi debent scire ea, quæ ad Sacramentorum administrationem ritè obeundam, & Populum instruendum in rebus necessarijs ad salutem pertinent. *C. 5. D. 38. c. 1. ... t. L. 2. tit. 16. p. 1.* Nam si cæcus cæco ducatum præster, ambo in foveam cadunt. *Matth. 15. v. 14.* In promovendo ad beneficium præter alias qualitates de Jure Communi requiritur morum probitas, & vitæ honestas adeò, ut collario beneficij curati facta infami; sive infamia juris, sive facti, vel etiam criminoso depositione digno, est ipso jure nulla. *C. 7. §. Inferiora, de Elect.* si beneficium sit simplex, non irrita, sed irritanda erit collatio. *C. 11. de Excess. Prælat.* Irregularitas, excommunicatio, suspensio, interdictum personale (etiamsi his censuris irretiti sint tolerati, cum Extrav. Mart. V. *Ad evitanda*, illis nullum favorem intendat) reddunt nullam collationem cujuscumque beneficij, etiam simplicis. *C. 7. de Cler. excomm. C. 8. h. t.* In fundatione, statuto, vel ex consuetudine aliquando requiruntur aliæ qualitates, v. g. nobilitas gradus, vel quod non conferantur beneficia alienigenis, vel alterius familiæ, quæ ad amussim sunt servandæ. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 5.*

233 Beneficia sive Sæcularia, sive Regularia curam animarum habentia, vel in externo, vel in interno foro debent sub gravi conferri non solum dignis, *C. 7. §. fin. de Elect. Trid. sess. 7. de Ref. cap. 3.* id est, nulla qualitate ex requisitis tam de Jure Communi, quàm statuto, vel fundatione carentibus: sed etiam dignioribus. *C. 15. 8. q. 1. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1. & cap. 18.* & constat ex propositione 47. inter damnatas ab Innoc. XI. tales sunt, qui non solum habent qualitates requisitas, sed eas in quodam eminentiori gradu habent. *Dignitas ergo alicujus personæ potest attendi dupliciter: uno modo simpliciter, & secundum se, & sic majoris dignitatis est ille, qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ab bonum commune: contingit enim quandoque, quod ille, qui est minus Sanctus, & minus sciens potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam sæcularem, vel propter aliquid hujusmodi: & quia dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem, secundum illud. 1. Cor. 12. Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem: Ideò quandoque absque acceptatione personarum in dispensatione spiritualium, illi qui sunt simpliciter minus boni melioribus præferuntur: sicut etiam, & Deus gratias gratis datas, quandoque concedit minus bonis. D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2.* Collatio, vel electio de digno facta extra concursum, omisso digniori, est valida, & firma: quia si rescindibilis esset pluribus litibus via aperiretur. *D. Thom. 2. 2. q. 63. art.*

art. 2. *ad* 3. Imo etiamsi Electores jurassent digniorem eligere, adhuc electio digni, prætermisso digniori, valeret, etiamsi ipsi præjurium committat: nam juramentum non immutat Juris Communis dispositionem. *C.* 25. *de Jur. jur. Castropal. tr.* 13. *D.* 2. *p.* 11, §. 3. *n.* 1. Si vero in concursu facta fuit electio, vel collatio ipso jure est irrita, ut colligitur ex *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 18. *& Bull. S. Pij V.* 15. *Kal. April. An.* 1566. Nam apponitur Decretum irritans provisionem factam contra formam præscriptam, quæ præcipuè consistit in electione dignioris. *Castropal. tr.* 13. *D.* 2. *p.* 11. §. 3. *n.* 3. contra *Garc. de Benef. p.* 9. *cap.* 2. *a n.* 235. *Lacr. L.* 4. *n.* 627. qui judicat probabilius dicere, talem provisionem non esse ipso jure irritam, sed esse irritandum. *Vid. ex n.* 579.

234 Circa beneficia simplicia hanc obligationem negat Garcia: illam licet non tanto rigore, ac in curatis admittunt alij cum *D. Thom.* 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. Et ita deducitur *ex C. fin. de Offic. Custod. C. un. Ut beneficia Eccles.* ubi loquendo de beneficio non Curato ait *Innoc. III. debuisti Ecclesiasticum officium, & beneficium in persona magis idonea dispensare.* Et ideo probabilius, dicit *Lacroix L.* 4. *n.* 588. videri, eum peccare mortaliter, qui pro beneficio simplici præfert dignum, digniori. Quid dicendum de Prælatorum consanguineis explicat *D. Thom.* 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 1. ibi: *Circa consanguineos Prælati distinguendum est: quia quandoque sunt minus digni, & simpliciter, & per respectum ad bonum commune: & sic, si dignioribus præferantur, & peccatum personarum acceptionis in dispensatione spiritualium, quorum Prælatus Ecclesiasticus non est Dominus, ut possit ea dare pro libito, sed dispensator, secundum illud.* 1. *ad Cor.* 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

TIT. XV.

De Sacra Unctione.

235 AGIT in præsenti Innoc III. de varijs Sacris Unctionibus: duasque Unctionis species esse dicit: alia enim est *exterior*, quæ materialis est, & visibilis: alia *interior*, quæ spiritualis, & invisibilis est. Exteriori inungitur corpus, interiori invisibiliter inungitur cor. Unctio exterior est interioris signum. *Sacra ergo Unctio*, de qua sæpè in jure fit mentio, *nihil aliud est, quam delibutio per Oleum materiale, & benedictum ab Episcopo, facta juxta Ritum Ecclesiæ.* Hoc Oleum, quod in Sacris Unctionibus adhibetur, debet esse olivarum, nam huic verius, & proprius, quam alijs, nomen Olei convenit, *D. Thom. in* 3. *p. q.* 72. *art.* 2. *ad* 3. Hoc quidem Oleum aliud est balsamo, cujuscumque loci sit, admixtum: (Græci alia plura aromata ei admiscebant) & dicitur *Chrisma*: *Græcè. Latinè: Unguentum. L.* 11. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *E la Chrisma hase de facer de Olio, è de balsamo.* Hoc Chrisma adhibetur in baptismo, sed postquam est substantialitèr collatus. Etiam adhibetur in confirmatione, & consecratione Papæ, & Episcopi, & etiam quando consecrantur Ecclesiæ, altaria, & calices. Aliud Oleum est simplex; & sine aliqua admixtione: & est in duplici differentia. Aliud dicitur *Catechumenorum*, aliud *infirmorum*. Oleum Catechumenorum adhibetur, ad inungendos baptizandos, & Catechumenos ante collationem substantialem baptismi; & etiam in ordinatione Sacerdotis, in Unctione Imperatorum, & Regum. Oleum infirmorum solum in Extrema-Unctione adhibetur, quæ omnia constant. *Ex C. un. h. t. L.* 11. *usque ad L.* 16. *tit.* 4. *p.* 1. *Barbos. de Offic. Ep. sc. alleg.* 31. Quamvis Oleum, & Chrisma olim poterant omni tempore confici. *C.* 124. *de Consf. D.* 4. nunc tamen debet novum confici singulis annis in Cœna Domini, & *vetus in Sanctis Ecclesijs est cremandum, ita à SS. Apostolis, & successoribus eorum accepimus, & vobis tenenda mandamus*, ut ait Fabianus Papa *in C.* 18. *de Consf. D.* 3. Urgente necessitate potest cum Oleo veteri fieri unctio, ut sæpè in his Insulis accidit, donec novum afferatur. *Barb. de Offic. Paroch. cap.* 22. *n.* 25. Si Oleum consecratum non sufficiat, potest non consecratum ipsi admisceri. *C.* 3. *de Consecr. Eccles.* Sed quantitas non consecrata debet esse minor, ut tota evadat consecrata.

236 Baptizandus bis inungitur à Sacerdote Oleo Catechumenorum. 1. in pectore, deindè inter scapulas, & semel post baptismum: Et quidem olim per totum corpus ungebatur Catechumenus, juxta *Dionis. Cyril. & alios* apud *Gonzal. in C. un. h. t. n.* 22. Hodie tantum in vertice Sacro Chrismate ungitur. *C. un.* §. *Quia, h. t.* ibi: *In pectore baptizandus inungitur, ut per Spiritus Sancti donum abjiciat errorem, & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam, quia justus ex fide vivit.*

vit. Inter scapulas, ut per Spiritus Sancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceat: quia fides sine operibus mortua est. In vertice verò baptizandus inungitur, ut sit paratus Omnipotenti de fide reddere rationem, quia per caput intelligitur mens, juxta illud, quod legitur. Oculi sapientis in capite ejus, cujus Superior pars est ratio, & inferior sensualitas. L. 14. *L.* 15. *tit.* 4. *p.* 1. Nulla tamen Unctio ex prædictis est de baptismi substantia; siquidem baptismus valide ministratur à Laicis, quin aliqua adhibeatur Unctio.

237 In confirmatione adhibetur Chrismatis Unctio in fronte confirmari, *per quam manuum impositio designatur: quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur, & robur. Unde cum cæteras Unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere: hanc non nisi Summus Sacerdos, id est, Episcopus, debet conferre; quia de solis Apostolis legitur (quorum Vicarij sunt Episcopi) quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant. Act. Apost.* 8. *v.* 17. ibi: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum, cujus adventus per Unctionis Ministrum designatur; quia Columba, in qua Spiritus Sanctus super Christum in baptismo descendit ad vesperam in Catachlysmo* (hoc est diluvio universali, *Genes.* 8.) *revertens ramum retulit virentis olivæ, cujus utique Sacramentum David Propheta prænoscens exhilarandam faciem in Oleo prædicavit.* Circa confirmationem fide definitum est, ipsam esse unum è septem Sacramentis novæ Legis, ejusque Ministrum Ordinarium non esse simplicem Sacerdotem, sed Episcopum: characteremque imprimere, gratiamque conferre. *Trid. sess.* 7. Hujus Sacramenti effectum exponit Melchiades *in C.* 2. *de Conf. D.* 5. ibi: *Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam; in confirmatione augmentum præstat ad gratiam, & quia in hoc mundo tota ætate victuris inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est: in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. L.* 11. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *Assi como en el Baptismo se alimpian todos los pecados, assi en la Confirmacion, reciben el Espiritu Santo, que les dà fortaleza para lidiar contra el diablo, y fuir sus tentaciones. Christus quidem hoc Sacramentum instituit, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joannis* 16. *si non abiero Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos: & hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem, secundum illud Joann.* 7. *nondum erat Spiritus datus: quia Jesus nondum erat glorificatus. D. Thom. in* 3. *p. q.* 72. *art.* 1. *L.* 11. *tit.* 4. *p.* 1.

238 Hoc Sacramentum solum ab Episcopo consecrato, tanquam Ordinario Ministro validè confertur. *Trid. sess.* 7. *Can.* 3. *de Confirm. L.* 11. *tit.* 4. *p.* 1. Et quidem validè; quamvis illicitè illud conferi, etiamsi sit excommunicatus, hæreticus, vel degradatus. *Barb. de Offi. Episc. alleg.* 30. *n.* 2. Ut Episcopus illud licitè conferat, non debet habere conscientiam peccati gravis, debetque esse confirmatus, & ipse, habereque intentionem, saltem virtualem, debetque illud conferre indutus pluviali, mitra, stola, & baculo pastorali, & quidem in Ecclesia, vel in loco honesto, vel etiam in Palatio Episcopali. Et potest in sua Diœcesi alienos subditos, imò, & in aliena potest suos subditos confirmare. Quando ergo confirmat, debet frontem confirmati inungere pollice manus dextræ in forma Crucis, percutit maxillam confirmati, ut sit signum, quod ipse debet ferre forti, & invicto animo pericula, quæ propter fidem immmineant, & ut recordetur, se hoc Sacramento esse initiatum, ne iterum illud suscipiat, potestque Episcopus illud conferre in die feriali, quocumque anni tempore, etiam post meridiem, non jejunus, & non jejunis; nam hoc non de præcepto, sed de consilio requiritur in *C.* 6. *G.* 7. *de Conf. D.* 5. *L.* 11. *tit.* 4. *p.* 1. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 30. *Lacr. L.* 6. *p.* 1. *ex n.* 374. Sicut baptizatus habet susceptores, seu patrinos, ut in fide erudiatur, ita confirmatus cum per Chrisma conscribatur in pugnam, indiget Magistro militiæ, ac vero talis susceptor, seu patrinus non est de Essentia Sacramenti, sed tantum de præcepto. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 30. *n.* 32. Episcopus nequit administrationem confirmationis Sacerdoti simplici committere: potest tamen ex privilegio, vel delegatione S. Pontificis simplex Sacerdos confirmationis Sacramentum ministrare. *D. Thom. in* 4. *D.* 7. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 3. *Suar. in* 3. *p. D.* 36. *sect.* 2. contra *Durand. & alios.* Et de facto S. Gregor. Magn. hoc privilegium concessit Clericis Sardiniæ. *C.* 1. *D.* 95. nequit tamen Pontifex non Sacerdoti, etiamsi Diaconus sit hujus Sacramenti administrationem delegare. *D. Thom,*

Thom. in 4. *D.* 7. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 3. *Suar. in* 3. *p. D.* 36. *sect.* 2. Hinc dicendum est, quod etiam simplici Sacerdoti potest à Papa, non ab alio; committi benedictio simplicis Olei: ut defacto in Ecclesia Orientali Sacerdotes simplices hoc Oleum benedicunt: quod etiam approbavit Clem. VIII. in *Const. Sanctissimus*, 31. *Aug. An.* 1595. Imò etiam Chrismatis confectio delegari ipsis potest. Nam cum Pontifex ipsis committere valeat Chrismationem, potest committere quod, & minus, & accessorium est, scilicèt confectionem Chrismatis. Nam quamvis in Conc. Tolet. I. prohibeatur simplici Sacerdoti Chrismatis benedictio, non tamen irritatur. Et quamvis à Concil. Florent. requiratur pro hoc Sacramento *Chrisma ab Episcopo benedictum*, non illicò infertur, talem benedictionem esse materiam partialem Sacramenti: sicut non infertur, admixtionem aquæ cum vino esse materiam Eucharistiæ. Nam Concilium non solum ponit necessaria ad valorem Sacramentorum, sed etiam requisita ex præcepto Ecclesiæ. Et hoc modo requiritur, quod Chrisma sit benedictum ab Episcopo, ac proindè R. Pontifex ex universali potestate saltem probabilitèr valet in eo dispensare, dum positivè non constet contrarium; *arg. C.* 4. *de Consecr. Prabend.* Et hanc sententiam tenent *Victor. in Sum. de Confirm.* §. 43. *Cajet. in* 3. *p. q.* 72. *art.* 2. *Scot. Valent. & Amic. apud Platel. p.* 5. *n.* 253. quod probabile dicit *Lacr. lib.* 6. *p.* 1. *n.* 378. contra *D. Thom. Suar. Barb. de Offic. Episc. alleg.* 30. *n.* 6. *& alios.*

239 Ante baptismum ungitur baptizandus solum Oleo benedicto, non Chrismate, nam hoc solum post baptismum est inungendus. Chrisma enim solum competit Christiano. Christus enim à Chrismate dicitur, vel potius à Christo dicitur Chrisma, non secundum nominis formam, sed secundum fidei rationem: à Christo verò Christiani dicuntur, & ita cœperunt vocari Antiochiæ, qui prius Galilæi, Nazaræi, & Discipuli appellabantur. Filius enim Dei Unigenitus, qui propter nostram salutem descendit de Cœlis, dictus fuit ab Hebræis *Messiah*: id est, *unctus* Græcè *Christus*; *Hispanè*: *ungido*. Sic enim per excellentiam fuit dictus. Et ita significabatur Rex, Sacerdos, & Propheta. Nam ut ait Pontifex in præsenti *cap. un. h. t. in Veteri Testamento non solum ungebatur Sacerdos, sed etiam Rex, & Propheta, sicut in lib.* 3. *Reg. c.* 19. *Dominus præcepit Eliæ: unges Hazael in Regem super Syriam, & Jehu filium Namsi unges in Regem super Israel, Elisæum autem filium Saphat, qui est de Abel-meula unges Prophetam pro te. Jesus Nazarenus quem unxit Deus Spiritu Sancto, sicut habetur in Actibus Apostolorum, C.* 10. *v.* 38. *unctus est Oleo pietatis præ consortibus suis, qui secundum Apostolum est caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius.* Nec quidem est unctus materialitèr, sed invisibili Unctione est unctus. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 72. *art.* 3. Christiani ergo à Christo quasi *uncti deriventur ab uncto, ut omnes currant in odorem illius unguenti, cujus nomen Oleum est effusum. C. un.* §. *Quia. h. t.*

240 Forma hujus Sacramenti est hæc: *Signo, vel consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. D. Thom. in* 3. *p. q.* 72. *art.* 4. Græcorum forma est hæc: *Signaculum donationis Spiritus Sancti.* Omisso verbo more Græcorum cujus sensus est: *Hoc signo donantur munera Spiritus Sancti.* Ut latè *Arcudius lib.* 2. *cap.* 6. *&* 7. *Lacr. L.* 6. *p.* 1. *n.* 383. Materia proxima est Unctio, remota est Chrisma confectum ex Oleo, & balsamo, ab Episcopo benedictum. Gratia enim Spiritus Sancti designatur in Oleo: Unde Christus dicitur *Unctus* Oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus Sancti, quam habuit, & ideo Oleum convenit materiæ hujus Sacramenti. Admiscetur balsamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios: unde Apostolus dicit: Christi bonus odor sumus. Et habet præcipuum odorem, & incorruptionem præstat. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 72. *art.* 2. Et licet Chrisma sit materia hujus Sacramenti necessitate præcepti, non talis est necessitate Sacramenti; sed tantum Oleum pertinet ad ejus essentiam. Nam in *C.* 1. *de Sacram. non iter.* cum confirmandus, non Chrismate, sed Oleo tantum fuisset inunctus ait *Innoc. III. non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum.* Quid clarius ad probandum, balsamum non esse de essentia confirmationis? aliàs confirmatio sine eo facta iteranda esset; *arg. C.* 8. *C.* 9. *de Consecr. D.* 5. solum ergo ex præcepto debet apponi, nec plus vult Conc. Florent. sub Eugen. IV. §. *Secundum Sacramentum.* Ubi ait: *Materiam hujus Sacramenti, esse Chrisma confectum ex Oleo, & balsamo.* Nam in §. *Tertium* ait, materiam Eucharistiæ esse vinum de vite cum modicissimæ aquæ admixtione. Et §. *Quartum* ait, materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse satisfactio-

nem : cum certum sit, admixtionem aquæ solum esse de præcepto Ecclesiastico, & satisfactionem solum esse partem integralem, non verò substantialem pœnitentiæ. Hanc sententiam contra *Suar. in 3. p. D. 34. sect. 1. & alios* tenent. *Cajet. Soto, Navarr. Covarr. Valent. & alij* apud *Lacr. lib. 6. p. 1. n.* 375. qui eam probabilem dicit.

241 Licet omnia Sacramenta sint aliquomodo necessaria ad salutem, quædam tamen talia sunt, sine quibus non est salus : quædam verò se habent, sicut quæ optantur ad perfectionem salutis ; & hoc modo confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit utique esse salus, dum non prætermittatur ex contemptu Sacramenti. *D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 1. ad* 3. Hinc negligere hujus Sacramenti susceptionem, seclusò scandalo, & contemptu, non esset mortale. Confirmatio debet conferri omni homini viatori baptizato, non confirmato : ac propterea infantes, muti, surdi, amentes, etiam perpetui, maximè, si habeant lucida intervalla, vel si ante amentiam confirmari petierunt: etiam constituti in mortis periculo possunt hoc Sacramentum suscipere. *C. 1. de Consecr. D. 5. D. Thom. in 3. p. q. 72. art.* 8. ibi : *Dicitur Act. 2. quod Spiritus Sanctus replevit totam domum, per quam significatur Ecclesia, & posteà subditur ; quod repleti sunt omnes Spiritu Sancto : sed ad illam plenitudinem consequendam hoc Sacramentum datur : ergo est omnibus, qui sunt in Ecclesia exhibendum.* Græci statim post baptismum conferunt confirmationem : sed expedit ob reverentiam Sacramenti, quod confirmandis aliqualis ratio affulgeat. In terris Hæreticorum, & etiam in Missionibus Indiarum, quo raro accedunt Episcopi, convenientet etiam infantibus confertur, imò sunt aliquæ Regiones adeò distantes, asperæ, & montuosæ, ut nunquam illuc accedant Episcopi; ideò expediens esset ; quod Provincialibus Religionum concederetur à R. Pontifice facultas confirmandi hos Neophitos, ut nostræ Societati concessum fuit à *Greg. XIII.* sed non practicatur hoc privilegium. Ex hucusque dictis colliges, quare hoc Sacramentum adeo varijs nominibus appelletur. Vocatur enim *manus impositio* à ritu, & cæremonia, qua confertur. Dicitur *chrisma* à D. Aug. à materia remota: dicitur *unctio* à Conc. Laodic. à materia proxima. Et frequentèr dicitur *confirmatio* ab effectu ; quia est complementum baptismi. Et in hoc sensu dicitur, quod baptizatus per confirmationem fit plenè, & perfectè Christianus. *C. 6. de Cons. D. 5. L. 11. tit. 4. p. 1.*

242 Etiam in præsenti agitur de unctione, & consecratione Episcoporum, & quidem in Capite Pontificis Sacramentalis est delibutio chrismatis conservata, quia personam Capitis in Pontificali officio repræsentat. *C. un. §. Undè, b. t.* Episcopus enim chrismate inungitur in capite, & manibus, ut diligat Deum ex toto corde suo, & proximum, sicut se ipsum, & ut operetur bonum apud omnes, maximè ad domesticos fidei. *C. un. h. t. L. 12. tit. 4. p. 1.* Hæc unctio si omittatur, suppletur, non verò iteratur consecratio. *C. un. h. t.* Undè infertur, hanc unctionem non esse de consecrationis substantia, sed solum ad solemnitatem pertinere. Materia enim est impositio manuum Episcopalium, traditio Libri Evangeliorum, annuli, & baculi Pastoralis, saltem quoad praxim. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 21. q.* 8. Ut jam alibi diximus. Quando verò in Concilijs, & à SS. Patribus fit mentio de consecratione Episcopali, hæc habetur pro eodem, ac impositio manuum, quæ tanquam illius materia consideratur. *Trid. sess. 23. de Sacram. Ordin. cap.* 3. Et Ecclesia Orientalis in consecratione Episcopi omittit chrismatis unctionem, quam non omitteret, si esset materia à Christo designata, & solum utitur impositione manuum. *C. un. h. t. Gonz. ibid. n.* 46. juxta illud *Apost. 1. ad Tim. 4. v. 14. Et 2. ad Tim. 1. v. 6. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quę est in te per impositionem manuum mearum.* Et licet in integra hujus text. dicatur, hanc unctionem esse Juris Divini, ibi : *Hoc enim Catholica Ecclesia tenet, non solum ex præcepto Divino, verum etiam Apostolorum exemplo* : hoc intelligitur de Jure Divino antiquo cæremoniali. In Exodo quippè legitur, præcepisse Moysi Dominum, ut Aaron, & filios ejus ungeret, quatenùs Sacerdotio fungeretur. Sed hoc præceptum in Lege Gratiæ cessavit. *C. 3. de Constit.* solumque adhibetur ex præcepto Ecclesiæ tanquam ritus, & cæremonia, quin ex hoc Ecclesia judaicet, sicut aliqui mentiuntur, qui neque Scripturas, neque Dei novere virtutem. Sed tantum Ecclesia suscitat hoc præceptum, & vult, quod uniformitèr à Græcis, & Latinis servetur: nec talis unctio est de substantia ordinationis Sacerdotalis, multoque minus in consecratione Pontificis.

243 Quia etiam, & principalitèr in Sacramento Extremæ-Unctionis adhibetur

unctio, de eo aliquid dicendum est. *Extrema ergo Unctio est Sacramentum novę Legis institutum à Christo D. ad salutem mentis, & corporis per unctionem Olei, & orationem Sacerdotis homini ægrotanti, & periclitanti de vita. Trid. sess. 14. de Extr. Unct. cap. 1.* ibi: *Instituta est autem hac Sacra Unctio infirmorum tanquam verè, & propriè Sacramentum Novi Testamenti à Christo D. nostro apud Marc. 6. v. 13. insinuatum* (ibi: *Et Dæmonia multa ejiciebant, & ungebant Oleo multos ægros, & sanabant*) *per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem, commendatum, & promulgatum* (in sua Epistola, C. 5. v. 14. & 15. ibi) *infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum Oleo, in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. C. 2. D. 95.* Materia ejus remota est oleum olivarum ab Episcopo benedictum, quod dicitur infirmorum, vel ex privilegio Pontificis, potest à simplici Sacerdote benedici, ut fit in Ecclesia Orientali, seu Græca, & approbavit Clemens VIII. die 31. Aug. 1595. Chrisma non est materia hujus Sacramenti, in casu tamen necessitatis posset adhiberi: sed tunc, vel quando per errorem unctio fuit facta chrismate, vel oleo Cathecumenorum, est tutius unctionem repetere. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 2090.* Materia proxima est unctio, & saltem una omninò necessaria est ad essentiam, & valorem Sacramenti, & juxta aliquos unica tantum sufficit; sed quinque sensuum externorum organa necessario esse ungenda, nec alitèr verum Sacramentum conferri, tenet *com. DD. cum Soto, Granado, D. Thoma, & Magistro Sentent. in 4. D. 23. cap. 4.* ibi: *Cum præcipuus finis Sacramenti hujus sit morbis animi mederi, congruentissimè non toti corpori, quod per animam vivit, sed illis ejus partibus, in quibus radices peccatorum vigent, applicatur. Radix autem prima nostrorum morum est cognitio, undè vis appetitiva excitatur. Cognitio verò nostra, teste Aristotele, à sensu incipit: quo circa secundum universalem Ecclesię ritum quinque sensuum organa, quasi hoc sit de essentia Sacramenti, inunguntur: nempè oculi, aures, nares, os, & manus, in quarum digitorum pulpis tactus præcipuè residet. Est tamen plerisque Ecclesiarum in more propter virtutem motivam pedes quoque ungere: & quibusdam, propter appetitivam, etiam renes.* In casu tamen necessitatis potest unica adhiberi unctio sub conditione, si validum est Sacramentum, ungendo unum organum, magis obvium, vel potius caput, ubi omnes sensus vigent: vel si tempus permittit, ungat Sacerdos velocitèr, etiam sine forma crucis, unum oculum, aurem, narem, os, & manum, dicendo sub una forma totali: *Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, gressum, & lumborum delectationem. Amen.* Extra necessitatem vero fit unctio in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, & locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibi vigentem. Unctio oculorum incipit ab oculo dextro in palpebra, manu dextra, &c. Presbyteris unguntur manus exterius, reliquis autem interius, scilicèt in palma. Unctio renum in Religiosis, & fœminis ob decentiam omittitur. Nec est de essentia, quod utcrque oculus, utraque auris, &c. ungatur. Satis ad valorem est, si unum ex eis membris ungatur. Nec ad substantiam pertinet, quod sensus prædicto ordine ungantur, aut quod fiat unctio in forma crucis, peccabit tamen, qui aliquid horum sine necessitate negligeret pro qualitate transgressionis. Cæci, surdi, & muti à natura, & mutilati debent inungi prope organa sensuum, quibus carent: quia licet non per sensus externos, peccare tamen potuerunt per potentias internas illis correspondentes. Omnes tamen prædictæ unctiones unum tantum Sacramentum constituunt. Et non tantum materia, & forma, sed etiam partiales materiæ hujus Sacramenti debent moralitèr conjungi. Sufficit autem, quod unctio unica gutta olei fiat. Nec est simplicitèr necessarium, quod fiat contactu immediato manus: sic peste grassante potest fieri virgula oleo tincta, quæ si argentea sit, in hunc usum reservatur, si lignea comburitur. In ultima saltem unctione gratia confertur: aliqui tamen dicunt, quod cuilibet unctioni sua partialis gratia correspondet. Si ergo infirmus in prima unctione moritur, gratiam consequitur partialem. Græci inungunt frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus ex utraque parte, & pedes. Sufficit Sacerdos sine Ministro in necessitate, & tunc ipse sibi, non fœmina, respondebit. In diuturnis morbis, ut hydropisi, debet unctio reiterari, quoties redit periculum. Sic *ex Diana, Lacr. Alloza, & alij.*

244 Forma est hæc: *Per istam Sanctam Unc-*

Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per visum, auditum, tactum, &c. debent ergo in forma significari actio ungendi, modus deprecationis, & deprecatio pro remissione peccati, & quidem commissi per sensum. Si dicatur: *Ungo te, ut Deus tibi indulgeat quidquid deliquisti per visum, &c.* licet hoc non obstet valori Sacramenti secundum *Suar.* contra *alios*, tamen praxis illicita est. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n.* 2095. Minister Ordinarius hujus Sacramenti est Parochus, vel alius Sacerdos de ejus licentia: validè autem à quocumque Sacerdote ministratur. Nec potest validè à non Sacerdote ministrari, etiam ex dispensatione Pontificis. *Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 2099. Nec requiruntur plures Sacerdotes, sed unus sufficit. Græci tamen septem, vel saltem tres Presbyteros adhibent. Sed quamvis plures adessent, adhuc esset abusus, quod singuli ungant eandem partem toties repetita forma, ut solent facere Græci. *Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 2099. Subjectum hujus Sacramenti est homo viator baptizatus, qui aliquando fuit ratione usus, etiamsi puer, amens, vel furiosus sit: dum tamen sit constitutus in infirmitate læthali, sive procedat ex morbo, veneno, vel vulnere: etiamsi ex sola senectute procedat: nam senectus morbus est: & quidem nulla medicabilis arte. Non datur homini in patibulo suspendendo, vel decapitando, nec inituro prælium, vel periculosam navigationem: cum isti infirmi non sint. Datur infirmis, etiam usu sensuum destitutis. In dubio an puer, vel alius æger sit aliquando usus ratione, vel an sit in mortali, vel an adsit periculum mortis: infirmus inungendus est. Nam hoc Sacramentum non tantum est institutum ad peccata, peccatique pœnas tollendas, sed etiam, ne æger succumbat tentationibus, & ut sanitati restituatur, si expediat. *Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 2085. *Res, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; etsi in peccatis sit, dimittentur ei: res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. Trid. sess.* 14. *de Extr. Unct. cap.* 2. Per peccati reliquias intelliguntur non solum peccata venialia, sed etiam mortalia inculpabilitèr non remissa per priora Sacramenta, vel commissa post illa, si nunc ignorentur; partim pœnæ peccatorum, & præcipuè languor, vel anxietas post peccatum relicta. Sic ex *D. Thom. & alijs Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 2119. Regularitèr, si causa rationabilis non subsit, debet ad hoc Sacramentum conferendum præmitti confessio, & communio: potest tamen conferri ei, qui aliud Sacramentum suscipere non potest: v. g. si sensibus destituatur: imò, & conferri potest ei, qui nondum Eucharistiam recepit v. g. puero. Hoc Sacramentum omittere, secluso scandalo, & contemptu non est peccatum mortale. Aliqui dicunt B. Virginem hoc suscepisse Sacramentum.

245 Etiam Imperatores, & Reges inungi solent, non tamen Chrismate, sed Oleo catechumenorum. Hæc unctio fit in brachio dextro, humero, vel armo. Juxta illud *Isai. 9. factus est Principatus super humerum ejus. C. unic. §. Unde. h. t. l.* 13. *tit. 4. p.* 1. ibi: *Ungir solian à los Reyes en la Vieja Ley con Olio bendito en las cabezas: mas en esta nuestra Ley Nueva les facen uncion en otra manera, por lo que dixo Isaias, Profeta de Nuestro Señor Jesu Christo, que es Rey de los Cielos, è de la tierra, è que su Imperio seria sobre su ombro. E esto se cumpliò, quando le pusieron la Cruz sobre el Ombro diestro, è se la ficieron levar: porque cumplidamente ganò virtud en el Cielo, è en la tierra: E porque los Reyes Christianos tienen su lugar en este Mundo, son tenudos de sufrir todo cargo, è afán, que les avenga por honra, è por ensalzamiento de la Cruz. Por esso los ungen en este tiempo con Olio Sagrado en el ombro de la espalda del braxo diestro, en señal, que toda carga, è todo trabajo, que les venga por esta razon, que la sufran con muy buena voluntad: è lo tengan, como por ligero, por amor de Nuestro Señor Jesu Christo, que dixo en el Evangelio: jugum meum suave est, & onus meum leve. El mi Yugo es manso, è mi carga es liviana.* Hoc oleum, quo unguntur, significat lætitiam, & promptitudinem ad debellandos Ecclesiæ inimicos, & pugnandi pro fide, & ad victoriam obtinendam, sic olim luctatores oleo ungebantur, juxta illud: *Exercent patrias oleo lavante palæstras nudati socij.* Et quidem olim non solum Imperator, sed varij Reges inungebantur, ut Reges Galliæ, Siciliæ, & Hierusalem. Et in nostra Hispania Reges, Castellæ, Aragoniæ, & Navarræ, ut de

Re-

Rege Vvamba, Egica Alfonso VII. & alijs referunt *Jacobus Valdes. de Dignit. Reg. Hispan. cap.* 14. *Camil. Borel. de Præstant. Reg. Cathol. cap.* 49. *Gonz. in c. unic. h. t. n.* 18.

246 Etiam Ecclesia, cum dedicatur ungitur in parietibus: altare cum consecratur ungitur ab Episcopo prius Oleo simplici, deinde Chrismate in cornibus. *C.* 32. *de Cons. D.* 1. Calix quando ab Episcopo benedicitur ungitur Chrismate in superficie. Quod desumptum est ex eo, quod Deus Moysi præcepit. *Exod.* 30. ut faceret oleum unctionis, de quo ungeret testimonij Tabernaculum, & Arcam Testamenti, mensamque cum vasis. Et exemplo B. Sylvestri, qui consecrabat altare, illudque chrismate perungebat. *C. unic. §. fin. h. t. l.* 16. *tit.* 4. *p.* 1. Latius *in tit. de Consecr. Eccles.*

TIT. XVI.

De Sacramentis non iterandis.

247 SAcramentum sumitur 1. pro juramento. *C.* 1. *de Ferijs. Auth. Sacramenta puberum. C. Si adversus vendit.* 2. pro re abscondita, & secreta, seu mysterio, seu secreto sacro, sic *Sap.* 2. dicitur: *Nescierunt Sacramenta Dei. Sic Apost. ad Ephes.* 1. ait de Deo, *ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ:* sic *Tobiæ* 12. *v.* 7. *dicitur* Sacramentum Regis abscondere bonum est 3. pro signo aliquo sensibili nostræ sanctificationis. Et sic sumitur in præsenti, & sæpè in jure. In quo sensu definitur à *D. August. in c.* 32. *D.* 2. *est invisibilis gratiæ visibilis forma:* quam definitionem affert *Mag. Sent. in* 4. *D.* 1. *q.* 1. *Et ibid. D. Thom. art.* 1. *q.* 3. ibi: *Dicendum, quod illa definitio Magistri completissimè rationem Sacramenti designat, prout nunc de Sacramentis loquimur. Et ad* 5. ait: *Sacramentum non dividitur per Sacramenta veteris, & novæ Legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes.* E contra autem rationem Sacramenti esse univocam, tenent *Suar. in* 3. *p. D.* 1. *sect.* 2. *Marin. de Sacram. Disp.* 1. *n.* 12. *cum alijs:* quod quidem conformius videtur modo loquendi. *Trid. sess.* 7. *Can.* 2. *Conc. Florent. & Catech. S. Pij V. Sacramentum prout ad Novam Legem restringitur est signum sensibile a Christo D. stabiliter institutum, collativum sanctificantis gratiæ ex opere operato, cuicumque obicem non ponenti.* Sic deducitur ex Concilijs PP. & DD.

248 Sacramenta veteris legis erant signa gratiæ sanctificantis, seu justificantis, & sicut nostra Sacramenta significant gratiam, quæ re ipsa datur per Christum, ita illa significabant gratiam, quæ erat danda per Christum, juxta illud *Apost. ad Hebr.* 10. *v.* 1. *Umbram habens lex futurorum, non ipsam imaginem rerum.* Non tamen causabant gratiam, quam significabant, juxta illud *Paul. ad Galat.* 4. *v.* 9. *Quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa? Et Gl. ibid. id est: ad legem, quæ dicitur infirma, quia perfectè non justificat. D. Thom. in* 3. *p. q.* 62. *art.* 6. Sed tantum conferebant quandam Sanctitatem Legalem, seu munditiam. Ut benè explicat *Mag. in* 4. *D.* 1. *q.* 1. *Quæ enim significandi gratiam tantum instituta sunt, solum signa sunt, non Sacramenta, sicut fuerunt sacrificia carnalia, & observantiæ Cæremoniales veteris Legis, quæ nunquam poterant justos facere offerentes, quia ut ait Apost. Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis, non animæ: nam inquinatio illa erat contactus mortui: unde Aug. nihil aliud intelligo, inquinationem, quam lex mundat, nisi contactum mortui hominis.* Sic circumcisio faciebat, quod homo, qui antea inter immundos, & incircumcisos erat, transferretur in Populum Sanctum, & specialitèr electum à Deo, juxta illud *Exod.* 19. *v.* 6. *Deut.* 7. *v.* 6. *Populus Sanctus es Domino Deo tuo, te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei Populus peculiaris de cunctis Populis, qui sunt super terram. D. Thom. in* 3. *p. D.* 62. *art.* 6. ait: *Illa sanctificatio erat figuralis, per hoc enim sanctificari dicebantur, quod applicabantur cultui Divino secundum ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandam Passionem Christi.* Et quidem in veteri lege figuræ in duplici erant differentia: aliæ erant figuræ tantum, & non Sacramenta, sicut transitus maris rubri, & protectio columnæ, quæ erant figuræ baptismi. Manna, & aqua scaturiens de petra erant Eucharistiæ figuræ; & nulla ex his erat Sacramentum. Aliæ erant figuræ, & simul Sacramenta, ut circumcisio, quæ erat baptismi figura; esus Agni Paschalis, & esus panum propositionis erant figuræ Eucharistiæ. Consecratio Sacerdotum erat figura Ordinis Sacri. Et pro Sacramento pœnitentiæ plures purificationes, & expiationes dabantur: quæ omnia Sacramenta erant, ac proinde plura Sacramenta in lege veteri præcesserunt, quam quæ in Lege Gratiæ inveniuntur. *D. Thom. in*

3. *p.*

3. p. q. 65. art. 1. ad 4. Et q. 70. art. 1. ad 2.

249 Sacramenta Novæ Legis, ait Concil. Florent. perficiuntur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, & insuper debet adesse intentio Ministri saltem faciendi quod facit Ecclesia, adhibendo simul hujusmodi signa externa. Ad rationem igitur Sacramenti requiritur. 1. Ut sit signum ex Divina institutione. Nam Deus solus confert gratiam, ac proindè ad eum spectat signa instituere, quæ illius collationem significent. 2. Ut sit signum Sacrum, seu Cæremonia Sacra, tum ex parte Authoris, qui est Deus, tum ex parte effectus, qui est gratia: tum ex se, quatenùs est cæremonia pertinens ad cultum Dei. 3. Ut sit signum sensibile: nam debet esse accomodatum hominibus qui sensibus signa percipiunt. 4. Ut sit permanens, & stabile, ita ut simili titu semper conferatur secundum essentialia, licet in particulari consistat in aliqua actione transeunte, ut in ablutione, unctione, &c. Nam ex Sacramentis præcipuè Nostra Religio coalescit, & ab alijs distinguitur, ac proindè Sacramenta debent esse stabilia, & permanere, dum permanet religio. 5. Ut tale Sacramentum veram causet sanctitatem ex opere operato, id est, suo usu, & applicatione, per propriam efficaciam: & non tantum ex opere operantis, hoc est, per actum, vel dispositionem ministrantis, vel suscipientis: Hæc tamen dispositio suscipientis ad effectum Sacramenti requiritur, sed non, ut causa, sed tantum ut *conditio, sine qua non*. Hinc Sacrificium ex se non est Sacramentum: Nam ordinatur ad cultum Deo præstandum, non ad gratiam ex opere operato conferendam: Nec actus virtutum, nec Sacramentalia, ut benedictio Abbatis, vel consecratio Virginis, nec lotio pedum Apostolorum, nec insufflatio Christi in Apostolos, nec Martyrium, nec verba Christi ad Magdalenam, & Paralyticum: *Remittuntur tibi peccata*. Nec alia hujusmodi fuerunt Sacramenta: quia non fuerunt signa stabilitèr ad gratiam conferendam instituta, vel ex defectu aliarum conditionum: præcipuè cum Sacramentum sit signum rememorativum ejus, quod præcessit, scilicet, Passionis Christi; demonstrativum ejus, quod in nobis efficitur per Christi Passionem, scilicet gratiæ, & prognosticum, id est, prænuntiativum futuræ gloriæ. *D. Thom. in 3. p. q. 60. art. 3.*

250 Sacramenta ergo Novæ Legis causant gratiam; & quidem tanquam causæ instrumentales. *Arg. Trid. sess. 6. cap. 7.* Cum Deus sit causa principalis gratiæ. *Apost. ad Rom. 3. Trid. sess. 6. cap. 7.* Et hinc tenendum est, quod Sacramenta non physicè, sed tantum moralitèr causant gratiam, quam figurant. *D. Thom. in 4. D. 1. q. 1. art. 4. q. 1. Marin. de Sacram. Disp. 2. sect. 4.* contra *Suar. in 3. p. D. 9. sect. 2. & alios* diverse sentientes. Sacramenta Novæ Legis à Christo D. instituta præcisé sunt septem, nec plura, nec pauciora. *Trid. sess. 7. Can. 1.* scilicet. 1. *Baptismus*, per quem spiritualitèr renascimur. 2. *Confirmatio*, per quam augemur in gratia, & roboramur in fide. 3. *Eucharistia*: per quam nutrimur, & crescimus in viros perfectos. 4. *Pœnitentia*: per quam sanamur à morbo peccati. 5. *Extrema Unctio*: quæ removet peccatorum reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam. 6. *Ordo*: per quem Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualitèr. 7. *Matrimonium*: per quod Ecclesia corporalitèr augetur. Et sic vita spiritualis corporali responder. Nam homo. 1. generatur, & nascitur. 2. roboratur. 3. nutritur, & crescit. 4. curatur, si ægrotat. 5. restituitur pristinæ sanitati per convenientem dietam, & exercitium. 6. regitur à Magistratibus, & superioribus. 7. species humana propagatur. Sic *D. Thom. in 3. p. q. 65. art. 1.* vid. *L. 1. tit. 4. p. 1.*

251 Ex prædictis Sacramentis, alia dicuntur *mortuorum*: quæ scilicet, ex se primam gratiam conferunt, possuntque recipi à peccatore, qui mortuus est per peccatum, juxta illud *peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem*. Et talia sunt baptismus, & pœnitentia. Cætera autem dicuntur, *vivorum*: quia primam gratiam, in qua vita spiritualis consistit, supponunt in suscipiente. Aliquando tamen possunt causare primam gratiam, & facere de attrito *contritum*, non per se, sed per accidens, v. g. si quis bona fide credens, se justificatum, cum vere non sit, accipiat Eucharistiam. Is probabilius justificabitur, seu recipiet primam gratiam. *D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 7. ad 2. Suar. & com. DD.* contra *Vazq. & alios*. Aliquando sunt *formata*, quando scilicet formam suam, id est, gratiam conferunt suscipienti: aliquando sunt *informia*, quando scilicet, quamvis valida sint, non habent effectum, nec conferunt gratiam, ea suscipienti, ex eo, quod ab ipso gratiæ obex ponatur, v. g. si adultus in conscientia peccati læthalis constitutus, sine actuali dolore de suis mortalibus baptismum suscipiat;

cipiat: recipit Sacramentum validum, sed informe: ac proinde recedente obice, seu fictione, ex eo quod ponatur contritio, seu attritio cum pœnitentia, reviviscit Sacramentum, & causat gratiam: quod saltem de aliquibus est verum. *D. Thom. in 3. p. q. 69. art. 10. Salmant. tract. 1. cap. 5. p. 5.* Nec vacat amplius de hoc disputare.

252. Effectus principalis Sacramentorum novæ Legis est gratiam conferre ex opere operato, semper, & omnibus non ponentibus obicem, & ea ritè suscipientibus. *Trid. sess. 7. de Sacram. in genere. Can. 6. 7. & 8.* secundum suam scilicèt mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem. *Trid. sess. 6. cap. 7.* Gratia in Sacramentorum susceptione est in triplici differentia. Nam primo conferunt gratiam justificantem, seu gratum facientem, seu sanctificantem: possuntque conferre gratiæ augmentum, si inveniant suscipientem jam constitutum in gratia. 2. conferunt dona, & virtutes infusas, quæ gratiam habitualem consequuntur, & cum ejus augmento augentur. 3. gratiam Sacramentalem propriam cujuslibet Sacramenti, quæ consistit in specialibus auxilijs gratiæ actualis, quæ successivè conferuntur prout occasiones occurrunt ad finem Sacramenti spectantes. *D. Thom. in 3. p. q. 62. art. 2.* Sic 1. in Baptismo conferuntur auxilia specialia ad digne suscipienda reliqua Sacramenta, ad servanda Christi præcepta, & ad vivendum Christiane. 2. in Confirmatione conferuntur specialia auxilia ad fidem firmiter confitendam. 3. in Pœnitentia tribuitur gratia ad detestanda peccata, & ad satisfaciendum pro delictis commissis. 4. in Eucharistia confertur gratia ad præcavendas, & superandas tentationes, & ad eliciendum frequentes actus virtutum. 5. in Extrema-Unctione gratia confertur ad resistendum tentationibus in periculo mortis. 6. in Ordine gratia datur ad rectè obeunda munera ordinum. 7. in Matrimonio confertur gratia ad fovendum mutuum amorem, & servandam fidem conjugalem. Ita *D. Thom. Suar. Bonacin. de Sacram. D. 1. q. 4. punct. 5. Salmant. tract. 1. de Sacram. cap. 5. punct. 3.* & alij.

253 Nulla Sacramenta Legis veteris imprimebant characterem spiritualem, sed solum aliquod signaculum corporale, juxta *D. Thom. Suar. & alios*, in Lege verò Gratiæ tria Sacramenta, scilicèt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, præter gratiam, quam conferunt, habent alium specialem effectum, quod scilicèt, in anima imprimunt quoddam indelebile signum, quod Græci characterem appellant. *D. Thom. in 3. p. q. 63. art. 2.* ibi: *Dicendum, quod Sacramenta novæ Legis characterem imprimunt, in quantum per ea deputantur homines ad cultum Dei secundum Ritum Christianæ Religionis.* Et *art. 6. in Corp.* concludit: *Per hæc tria Sacramenta character imprimitur, scilicèt, per baptismum, Confirmationem, & Ordinem.* Et quidem per Baptismum deputatur, & consecratur homo ad cultum Dei, fit membrum Ecclesiæ, & distinguitur ab infidelibus: in Confirmatione datur character tanquam signum militare: nam in ea constituitur homo veluti Christi miles ex officio destinatus ad profitendam publice Christi fidem, & pugnandum pro illa. In ordinatione specialitèr deputatur homo in cultum Dei, tanquam proprius Minister Christi, & distinguitur ab alijs Ecclesiæ membris. *Suar. in 3. p. D. 11. ex sect. 1. Salmant. tr. 1. cap. 6.* Alia quatuor Sacramenta non imprimunt characterem: quia per ea non deputantur homines ad aliquem cultum Dei, sed tantum sunt ipsa quidam speciales actus Divini cultus ordinati ad speciales effectus, ut pœnitentia ad remissionem peccatorum: Eucharistia ad nutritionem charitatis: Extrema-Unctio est instituta ad adjuvandum hominem in periculo mortis constitutum: Matrimonium ad adjuvandos homines in oneribus matrimonij. *Suar. in 3. p. D. 11. sect. 1.* qui postea addit, hujus characteris impressionem in tribus prædictis Sacramentis provenire ab institutione, & voluntate Christi: quam dicit esse rationem à priori. Et hoc verum credo. Character immediatè in anima imprimitur, ut ex Conciliotum locutione colligitur. *Trid. sess. 7. Can. 9.* & cum alijs tenet *Suar. in 3. p. D. 11.* contra *Thomistas* tenentes, imprimi in intellectu. Et Scotistas asserentes recipi in voluntate.

254 Tria Sacramenta, quæ characterem imptimunt in anima scilicèt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, iterari non possunt. *C. 8. de Conf. D. 5. Trid. sess. 7. Can. 9.* Alia quatuor, quæ characterem non imprimunt, iterabilia sunt. Quando *Aug. in C. 74. 1. q. 1.* ait: *Manus impositio, non sicut Baptismus repeti non potest; quid enim est aliud, nisi oratio super hominem?* non loquitur de Confirmatione, quæ nomine manus impositionis significatur in

in *C. un. de Sacr. Unct.* sed de manus impositione deprecatoria, seu curatoria, juxta illud *Marc. 16. v.18. super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Siquidem variæ erant manuum impositiones, scilicet, 1. *curativa*; 2. *reconciliativa*, per quam pœnitentibus præcipue publicis dabatur absolutio Sacramentalis. 3. *ordinativa*, per quam Clerici ordinabantur. 4. *confirmativa*, per quam confirmationis Sacramentum conferebatur. Si in Sacramentorum administratione aliquid substantiale omittitur, cum tunc non detur Sacramentum, quod sine substantialibus consistere nequit, de novo administrari debet, & tunc solum materialiter iteratur; *arg. C. fin. de Presbyt. non baptiz.* ibi: *Quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum, nec male de Sacramento sentitur, cum illud non Religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit.* Si aliquid tantum accidentale sit omissum, illud suppletur. Inde, si in confirmatione Episcopus per errorem, non chrismate, sed Oleo benedicto confirmandum unxit, cum Unctio chrismatis non sit de substantia Sacramenti, hoc non iterandum, sed illa solum erit supplenda. *C. 1. h. t.* ipsum chrismate ungendo, sed non repetita forma, Sic non est iterandus ordo Presbyteri, quando omissa fuit impositio manuum, illa scilicet, quæ fit ab Episcopo, & cæteris Presbyteris, antequam ordinando tradatur Calix cum vino, & Patena cum Hostia: quia hæc non consecratoria, nec substantialis; sed deprecatoria, & accidentalis est. *C. 3. h. t.* Similiter, si in consecratione Episcopi non adhibeatur balsamus naturalis, sed artificialis in chrismate: cum hæc Chrismatis unctio non sit de substantia consecrationis, sed solum ex Ecclesiæ præcepto, non est iteranda dicta consecratio: imo nec debet suppleri unctio per chrisma ex vero balsamo confectum, cum jam sit satisfactum præcepto, & intentioni Ecclesiæ in admixtione balsami, ut significetur nitor conscientiæ, & bonæ famæ odor. Si Sacerdos Oleo Catechumenorum ungeret infirmum, nihil est repetendum, quia licet sit diversa hujus, & olei infirmorum benedictio, non est diversitas substantialis. In his partibus Indiarum ex privilegio possunt Episcopi consecrare chrisma cum minori Clericorum numero, & balsamo, qui in his partibus reperitur.

255 Denique Honor. III. rescribens Archiep. London. & ejus suffraganeis, in *C. 2. h. t.* ait; *A nobis humiliter quæsivistis, quid fieri debeat de mortuorum corporibus, qui tempore schismatici, & reprobi Valdemarij à schismaticis sunt sepulti, & de indumentis Sacerdotalibus, cum quibus, necnon de Altaribus, in quibus degradati Presbyteri celebrarunt? Nos autem inquisitioni tuæ breviter respondemus: quod non credimus, ob hoc dumtaxat, sepultos hujusmodi exhumandos, aut debere indumenta talia iterum benedici, vel consecrari Altaria supradicta.*

TIT. XVII.

De Filijs Presbyterorum ordinandis, vel non.

256 IN vetustis Collectionibus hæc rubrica sic concipiebatur: *De filijs Presbyterorum non ordinandis, nec in Ecclesijs paternis tolerandis.* In præsenti enim titulo agitur de irregularitate, seu impedimento, quod ad ordines suscipiendos habent filij illegitimi, non solum Clericorum, sed etiam & Laicorum; quæ irregularitas dicitur *defectus natalium*, siquidem non ex culpa, sed ex defectu provenit. Et etiam decernitur, quod filij etiam legitimi Presbyterorum non possint patri immediatè succedere in beneficio, vel Dignitate, quam habuit in aliqua Ecclesia. Illegitimi ergo dicuntur, qui non sunt procreati ex matrimonio legitimo, vero, vel saltem putativo. *L. 12. tit. 6. p. 1.* ibi: *Legitimo tanto quiere decir, como fijo que es nascido segun Ley.* Illegitimi enim ab ordinibus arcentur. *C. 1. h. t.* à Dignitatibus, Beneficijs curatis, & simplicibus, etiam minoribus. *C. 1. h. t. in 6. L. 12. tit. 6. p. 1.* Etiamsi defectus natalium sit occultus, ut deducitur ex generalitate. *Text. in c. 1. & c. fin. h. t.*

257 Hæc irregularitas etiam in Lege Veteri erat stabilita. *Deuter. 23. v. 2.* ibi: *Non ingredietur manzer, hoc est, de Scortonatus in Ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem.* Et in *C. 13. Qui filij sint legit.* dicitur: *Tam Lex Mosaica, quam Canonica sobolem susceptam ex adulterio detestatur.* Nam sæpe accidit, quod filij solent imitari, & quasi hæredes fieri iniquitatum parentum. *C. 10. D. 56.* unde erat proverbium apud Græcos: *Mali corvi, malum ovum.* Deinde: quia generatur scandalum in Ecclesia, quando filij illegitimi ordinantur, maximè si in Ecclesia præficiuntur, cum hoc modo renovetur memo-

moria incontinentiæ paternæ, & quasi præmio afficiatur, cum potius deberet illegitimorum nomen, tanquam ignominiosum, & inhonestum aboleri. *C. 11. de Excessib. Prælator.* plura *Gonz. in C. 1. h. t. n. 6.* Qui nascuntur ex coitu Legibus damnato, ut ex adulterio, incestu, vel sacrilegio dicuntur *spurij*, & hi non legitimantur per subsequens matrimonium. Si verò tales illegitimi nascantur ex parentibus solutis, inter quos sine dispensatione poterat matrimonium contrahi, vel conceptionis, vel nativitatis tempore, dicuntur *filij naturales. L. 9. tit. 8. lib. 5. R. Cast.* Hi enim per subsequens parentum matrimonium legitimantur, ita ut purgetur præcedens turpitudo, fiuntque ordinum, & beneficiorum capaces. *C. 1. c. 6. Qui filij sint legitimi*, ubi de illis, & de legitimatis per rescriptum Principis latius agemus. Et licet attento Jure Canonico habilitas ad contrahendum debeat necessario adesse tempore conceptionis: & ita tenet *Suar. de Censur. D. 50. sect. 1. n. 3.* Et clarè deducitur *ex C. 6. Qui filij sint legit.* In praxi tamen obtinuit, lat esse, si habilitas uno ex his temporibus detur, prout filio magis commodum, & favorabile sit. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 7. n. 19. Amaya, Faxardo, Gonz. in C. 1. Qui filij sint legit. n. 12.* Et clarè habetur *in L. 11. Taur. L. 9. tit. 8. lib. 5. R. C.* quare in nostra Hispania hoc nequit in quæstionem verti, ibi: *Entonces se digan ser los hijos naturales, quando al tiempo que nacieren, ò fueren conc bidos, sus padres podian casar con sus madres justamente sin dispensacion.*

258 Qui nascuntur ex matrimonio, quod saltem ex parte unius conjugis bona fide reputatur validum, licet verè sit nullum legitimus est. *C. 14. Qui filij sint legit.* ac proindè ordinari potest. *Suar. de Censur. D. 50. sect. 1. n. 6.* Nec erit irregularis ille, cui solum ex testimonio Patris, vel matris, vel ex rumore constet, esse illegitimum. Siquidem nec adultera tenetur filio suum peccatum detegere. *C. 9. de Pœnit. & remis.* nec filius tenetur credere matri, etiam in articulo mortis hoc asserenti. *Suar. de Censur. D. 50. sect. 4. ex n. 5.* nec habetur ut irregularis, si de tali defectu dubitetur. *Arg. C. 18. de Sent. excom. in 6.* quia in dubijs benignior interpretatio est facienda. *Arg. C. 49. de Reg. Jur. in 6.* præcipuè in irregularitatibus, & ideò expositi non habentur pro illegitimis. *Arg. C. 14. Qui filij sint legit.* Et objicienti defectum natalium incumbit probatio. *C. 5. & 11. Qui filij sint legit.* nullus enim illegitimus præsumitur nisi probetur: cum delicta non præsumantur. *L. 51. ff. pro Socio.* Quæ sententia, non solum est probabilis in praxi, sed meo videri, & conformior est juri: optimum tamen consilium erit dispensationem ab Episcopo obtinere, ut tales expositi ordinentur. *Suar. de Censur. D. 50. sect. 4. n. 4.* Qui natus est ex parte Subdiacono, Diacono, Sacerdote, vel Religioso, & ejus legitima uxore, quando mutuo consensu ad ordines, vel Religionem convolavit: licet civilitèr quoad successionem, & alia legitimus reputetur, quia ex vero matrimonio natus est: Canonicè tamen quoad ordines, & beneficia illegitimus habetur, indigetque dispensatione; quia natus est ex copula specialitèr damnata, utpotè habita contra votum solemne castitatis. *C. 14. h. t. Gonz. ibid. Suar. de Censur. D. 50. sect. 2. ex n. 4.* nec novum debet videri, quod quis pro legitimo, & illegitimo diversis respectibus habeatur. *C. 13. Qui filij sint legitim.*

259 Quomodocumque illegitimi, etiam spurij per professionem religiosam, etiam Canonicorum, seu Clericorum Regularium, etiam per vota biennij in nostra Societate, & sine alia dispensatione, possunt ad ordines, etiam majores, promoveri. *C. 1. D. 56. C. 1. h. t. L. 12. tit. 6. p. 1.* Et licet *Sixtus V.* filios illegitimos ad Religionis ingressum reddidit inhabiles, tamen *Gregor. XIV.* eam Constitutionem ad Jus Commune reduxit. *Suar. de Censur. D. 50. sect. fin. n. 12.* quamvis adhuc in aliquibus Religionibus tales illegitimi vi propriarum Constitutionum non admittantur. Ideò enim per Religionis ingressum hæc irregularitas tollitur, quia facilius in Religione, ejus austeritate, & rigore potest corrigi vitiosa propensio talium illegitimorum. Et cum Religiosi non adeo frequentèr, ac Clerici Sæculares cum Laicis conversentur, non adeò facile refricatur memoria incontinentiæ parentum: & præcipuè ob Religionis favorem dispensat jus in hac irregularitate. Et cum nullum in jure detur fundamentum ad asserendam reincidentiam in hanc irregularitatem; si semel professi dimittantur, tenendum est, etiam tunc posse, talem dimissum ordines suscipere, à mota jam irregularitate per vota. *Suar. de Censur. D. 50. sect. fin. n. 14.* Et quidem in hac irregularitate non dispensatur præcisè per ingressum in Religionem, id est, ad Novitiatum, ut contra *Rodrig. t. 1. qq. Regular. q. 13. art. 4. & alios*, tenent *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 5. n. 12.*

n. 12. *Gonz. in C.* 1. *h. t. & alij.* Nam in dicto cap. 1. dicitur: *Nisi Monachi fiant*, quæ verba cum effectu debent sumi. *Suar. de Censur. D.* 50. *sect. fin. n.* 12. *Gonz. in C.* 1. *h. t. & alij.* Sed licet per professionem fiant habiles ad ordines, non tamen redduntur habiles ad Prælaturas. *C.* 1. *h. t.* tam intra, quàm extra Religionem. *L.* 12. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Non pueden aver dignidad, nin personage. Nav. Greg. Lop. Suar. de Censur. D.* 50. *sect. fin. n.* 15. nec possunt habere beneficia curata. *Arg. C. fin. h. t.* nec Moniales possunt eligi in Abbatissas, Priorissas, vel Prælatas, etiam temporales, nisi cum illis dispensetur, ut ex generalitate. *Text. in C.* 1. *h. t.* clarè deducitur, & tenet *Sanch. in Decal. lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 19. *& alij*, contra *Rodrig. Mirand. & alios.*

260 De Jure Communi solus Pontifex dispensat cum illegitimis ad Ordines majores, Dignitates, Prælaturas, Personatus, & Beneficia curata. *C. fin. h. t.* etiamsi defectus sit occultus. *Suar. de Cens. D.* 50. *sect.* 5. *n.* 5. Ad Ordines verò minores, & Beneficia simplicia, ad Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ, ad dimidias Portiones Cathedralis, etiamsi habeant annexam Ecclesiam Parochialem, potest dispensare Episcopus. *C.* 1. *h. t. in* 6. junct. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 45. *ex n.* 19. possuntque dispensare Episcopus, etiam non consecratus, dum sit confirmatus. *Arg. C.* 15. *de Elect.* cæterique Prælati, qui jurisdictionem, quasi Episcopalem habent, & Capitulum Sedevacante. *Suar. de Censur. D.* 50. *sect.* 5. *n.* 6. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 45. *ex n.* 25. non tamen potest hodie Episcopus, sicut olim poterat dispensare cum illegitimo ad Canonicatus Cathedralis: nam ad hos *ex Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 1. requiritur Ordo Sacer. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 45. *ex n.* 31. si Episcopus de facto, licet non de jure, his illegitimis Sacros Ordines contulerit, tenetur eis beneficium dare. *C.* 6. *h. t.* ne cum opprobrio Ordines Clericales mendicare cogantur. *C.* 23. *D.* 93. In Indijs tamen possunt Episcopi cum illegitimis, etiam quoad Ordines majores, & beneficia curata Indorum dispensare. *Solorz. de Jur. Indiar. t.* 2. *lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 24. & constat *ex solitis*. Prælati Regulares possunt dispensare cum suis subditis, si illegitimi sint, etiam ad Prælaturas; sed non nisi in Capitulo Generali, vel Provinciali. *Greg. XIV. apud Rodrig. t.* 2. *Reg. qq.* 2. *art.* 2. Dispensatio super defectu natalium, ut exorbitans à jure, & odiosa restringenda est. *C.* 1. §. 1. *h. t. in* 6. nec in ea valet argumentum de majori ad minus, nec extenditur ad casum habentem in se majorem rationem. Sic dispensatio ad ordines, non extenditur ad majores, nec ad beneficia, cum separabilia sint. Dispensatio ad beneficia non extenditur ad curata, multoque minus ad Dignitates; nec dispensatio ad dignitates extenditur ad habentes curam animarum. Nec dispensatio ad beneficium curatum extenditur ad duo beneficia obtinenda. *C.* 1. §. 1. *h. t. in* 6. imò ille, cum quo in defectu natalium fuerit dispensatum ad beneficium curatum obtinendum, si hoc tacito, aliam dispensationem ad plura beneficia obtineat, erit nulla, quia subreptitia talis dispensatio. *C.* 2. *h. t. in* 6. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 45. Non tamen adeò strictè est intelligenda, ut non extendatur ad connexa necessario, & inseparabilitèr, ne suo effectu frustretur. *Sanch. de Matrim. lib.* 8. *D.* 1. *n.* 19.

261 In Beneficijs Ecclesiasticis ea, quæ successionis hæreditariæ imaginem referunt, Sacris Canonibus semper fuerunt odiosa, & Patrum Decretis contraria. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 7. Hinc sine Papæ dispensatione, filij, etiam quos ex matrimonio legitimo, ante Ordinem Sacrum, Clerici habuerunt, non possunt immediatè succedere suis parentibus in beneficia, quæ ipsi perentes cum jure in re, & titulo obtinuerunt. *C.* 11. *c.* 13. *c.* 17. *h. t.* possunt tamen simul cum patre obtinere, vel ante, vel post, diversum beneficium. *C.* 12. *h. t.* Nam cum duo sint beneficia, non datur successio. Si vero pater habuisset Vicariam temporalem, posset filius immediatè succedere. *C.* 8. *h. t.* quia cum talis Vicaria non sit collata in titulum, vel cum jure in re non censetur dari successionem. Imò potest filius legitimus absque dispensatione obtinere idem beneficium, quod ejus pater habuit, si inter ipsum, & patrem, alia persona extranea intercessit, cum tunc non patri, sed extraneo prorsus succedat. *C.* 7. *h. t.* Et licet nepotes, attento Jure Communi, possent succedere Avo in beneficio. *C.* 2. *de Arbitr.* multoque magis nepotes transversales, id est, filij fratres. *C.* 12. *de Offic. Deleg.* quia in materia odiosa, qualis est præsens, nomen filij non extenditur ad nepotem, multoque minus ad alios consanguineos. Hodie tamen à beneficio, quod habuit Avus excluditur nepos, ut sic magis radicitus species successionis tollatur. *Ex Declarat. Cardin. Gonz. in C.* 17. *h. t. n. fin.*

De-

262 Denique circa filios illegitimos Clericorum (nam de legitimis nihil innovatum est) sic statutum est *in Trid. seß.25. de Ref. cap. 15.* ibi: *Ut paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo consecratis, quos maximè puritas, sanctitasque decet, longissimè arceatur; non liceat filijs Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesijs, ubi eorum parentes beneficium aliquod habent, aut habuerunt, quodcumque, etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesijs quoquomodo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere.* In quo Decreto comprehenduntur filij naturales, etiam ante Clericatum suscepti, si per subsequens matrimonium non legitimentur. Etiam comprehenduntur illegitimi legitimati per Rescriptum Principis, nisi hoc impedimentum sit ablatum. Nec possunt etiam mediatè succedere: etiamsi pater sedem tantum, aut locum in Ecclesia habuisset, etiam sine fructibus: nec possunt ministrare ex officio, etiam sine beneficio, aut titulo, v.g. ut Cooperatores, Sacellani, Cantores, vel Sacristæ: possunt tamen ex libera devotione, vel etiam ad eleemosynam promerendam hoc facere tales illegitimi. Nec Religiosus illegitimus potest ministrare, ubi pater ejus beneficium obtinuit. *Ex Const. Greg. XIV. Circunspecta, Ann.* 1590. nec potest filius illegitimus admitti in Religione, in qua pater ejus professus est, & vivit: ipso tamen mortuo potest admitti. Potest tamen filius habere beneficium in Ecclesia, in qua pater ejus inservivit, ut Capellanus, vel Cooperator amovibilis, si beneficium non habuit: nam hoc requiritur à Concilio. Nepotes nullo modo hoc Decreto comprehenduntur, quod ut odiosum, & de filijs expressè conceptum non extenditur ad nepotes, etiam illegitimos ex filijs illegitimis. Filius illegitimus potest succedere in Capellania, quæ fundari solet absque Episcopi, vel alterius superioris authoritate, ut in eam succedant Clerici de parentela: nec aliter, quam de Pontificis dispensatione, & quidem in specie, potest filius illegitimus contra hoc Decretum succedere. Pater verò non prohibetur succedere, etiam immediatè in beneficio filij, etiam illegitimi. Quæ omnia ex varijs Declarationibus desumpta sunt. Et latius afferunt *Nicol.Garc.de Benef. p. 7. cap. 3. per tot. Barbos. de Offic. Ep.se. alleg. 65. per tot. & alij*, qui etiam referunt *Const. Clem. VII. Ad Canonum Conditorem. Ann.* 1533.

TIT. XVIII.

De servis non ordinandis, & de *eorum manumissione.*

263 UNUM ex impedimentis ad ordines suscipiendos est servitus: quæ quidem definitur à Justiniano sic: *Est Constitutio Juris Gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Natura enim omnes homines nascuntur liberi. Libertas enim est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quid vi, aut jure prohibetur.* Contra hanc igitur naturalem facultatem, servitutem induxit quædam fatalis necessitas: sed non adeo improba, ut non fundetur in Jure Naturali defensionis, & conservationis vitæ. Servi enim ex eo appellati sunt, quod imperator Captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere soleret: qui etiam mancipia dicti sunt, eo quod ab hostibus manu capiebantur. Si his libertas dabatur dicebantur Libertini, ad distinctionem eorum, qui liberi nascebantur, & appellabantur ingenui. Hi, quibus libertas dabatur, dicebantur manumissi: datio etenim libertatis dicitur *manumissio*, quasi de *manudatio*: nam quando aliquis in servitute est, manui, & potestati sui Domini suppositus est, à qua potestate manumissus liberatur. Servi ergo propriè tales irregulares sunt, nec possunt licitè ad ordines promoveri. *Can. 81. Apost. C. 1. & per tot. D. 54. C. 1. C. 2. h. t. L. 18. tit. 6. p. 1.* ibi: *Ordenado non debe ser ninguno, que sea siervo, à menos de ser primero forro.* Ne Divini ministerij dignitas servilis conditionis vilitate dedecoretur. *C. 12. D. 54.* ibi: *Cum nec ipsam ministerij Clericalis hac obligatione offuscari conveniat dignitatem.* Et cum servi à militia terrestri arceantur. *L. 8. ff. de Re militar.* etiam à militia Cœlesti debent arceri, cum de una ad aliam militiam bene valeat argumentum. *C. 1. de Renuntiat. Debet enim esse immunis ab alijs, qui Divinæ militiæ est aggregandus, ut a Castris Dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur. C. 1. D. 54. quatenus hoc Ordine Custodito, nec Dominorum jura, nec privilegia ulla ratione turbentur. C. 9. D. 54.*

264 Non Episcopus, *C. 2. h. t.* sed solus Papa in hoc Ecclesiastico impedimento, seu irregularitate dispensat; *arg. C. 4,*

de Concess. Præbend. idque raro, ne Dominis præjudicet. Hoc tamen impedimentum manumissione tollitur, dummodo in ipsa manumissione non sibi Dominus reservet obsequium, vel operas temporales. Servus ergo manumissus, si ei est data plena libertas sine reservatione obsequij, vel operarum temporalium potest ordinari, sine alia omninò dispensatione: cum jam sit plenè, & perfectè liber; secus si Dominus sibi reservavit operas temporales. *C.* 5. *D.* 54. potest tamen Dominus sine periculo simoniæ aliquas operas spirituales in servo ordinando sibi reservare; v. g. certas Missas pro se legendas, ipseque debet expressare suo Domino: quod si post ordines susceptos tales operas præstare recuset, deponendus est. *C.* 4. *h. t.* Si servus ordinatur priusquam manumittatur, sequentes casus distinguendi sunt. 1. servus, qui Domino sciente, & non contradicente ordinatur, etiam prima tonsura, habetur interpretatione juris pro manumisso à Domino, & fit liber. *C.* 20. *D.* 54. *L.* 18. *tit.* 6. *p.* 1. 2. Si ignorante Domino fuit in minoribus ordinatus, potest Dominus eum in servitutem revocare intra annum à notitia ordinationis habita, & erit servus, ut antea, quin gaudeat privilegio fori, nec Canonis. *C.* 2. *h. t. C.* 10. *D.* 54. *L.* 18. *tit.* 6. *p.* 1. 3. Si ignorante, vel contradicente Domino fuit in Sacris Constitutus, & Episcopus sciebat, esse servum, liber fit ipse servus ordinatus, sed Episcopus tenetur Domino reddere duos servos, æque bonos, vel eorum æstimationem. *C.* 19. *D.* 54. *L.* 18. *tit.* 6. *p.* 1. alterum quidem in damni compensationem, alterum in ordinationis improbæ pœnam. *Gonz. in C.* 2. *h. t. n.* 8. 4. Si ignoravit Episcopus, esse servum, & illum, Domino ignorante, in Subdiaconum, vel Diaconum ordinavit, ipse ordinatus dabit Domino Vicarium, id est, alium servum æqualem, vel sui æstimationem de peculio, si ejus usum habeat, vel si nihil horum valeat præstare ipse servus Domino repetenti erit restituendus, & iterum in servitutem redigendus. *L.* 18. *tit.* 6. *p.* 1. & ab Officio Sacro suspenditur, & privilegium fori amittit, manet tamen voto castitatis ligatus. *C.* 9. *D.* 54. *junct. Gloss.* Et licet gaudeat privilegio Canonis, quoad alias personas, non quoad Dominum, à quo poterit, ut antea corrigi, & verberari, ne ipsi fiat præjudicium; *arg. C.* 2. *D.* 54. quod si intra annum à die notitiæ non repetat Dominus suum servum interpretatione juris pro manumisso habetur. *C.* 20. *D.* 54. 5. Si ignorante Episcopo fuit servus ordinatus Sacerdos, etiam ignorante, vel contradicente Domino, liber omnino fit. *C.* 9. *D.* 54. Et peculium si quod habet cogitur Domino cedere. *C.* 9. *D.* 54. vel si non habeat peculium, Domino in spiritualibus officijs serviet, ut modo quo possit Domino satisfaciat. *C.* 10. *D.* 54. *L.* 18. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *E si non fallare, que le tome, puedele traer consigo, que le diga las horas, ò que le sirva en otro logar de aquel Oficio, que à Preste pertenesce, è esto es por honra de la Orden que rescibiò.*

265 Si vero, Domino ignorante, servus fraudulenter religionem ingreditur, Domino illum repetenti intra triennium restituitur, cum omnibus, quæ attulit, fidem tamen à Domino accepta de impunitate. *C.* 3. 1. 7. *q.* 2. ipse tamen manebit votis adstrictus, & religioni quantum in ipso est. Si Monasterium ut in culpa non repetetur servus, sed Monasterium satisfaciet Domino, secundum boni viri æstimationem. *Mirand. Man. Prælat. tit.* 1. *q.* 17. Et si valdè deceat, quod filius familias requirat consensum patris, ut ordines suscipiat, simplicitèr tamen non est necessarium, cum nullo jure hæc imponatur necessitas: sicut potest Religiosus sine Abbatis licentia adstrictiorem ordinem transire. *C.* 18. *de Regular.* Nec Clericatus, nisi sit Dignitas Episcopalis, liberat à patria potestate: bona tamen in Clericatu adquisita ipsis Clericis tanquam bona Castrensia adquiruntur, ac proindè libere de illis disponere valent. *L.* 34. *Auth. Sed Episcopalis. C. de Episcop. & Cleric. L.* 65. *tit.* 5. *p.* 1.

TIT. XIX.

De Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.

266 NON possunt licitè sine dispensatione Pontificis ordinati, qui ob publicam, seu privatam administrationem sunt obligati ad ratiocinia, seu rationem reddendam, nisi prius à ratiocinijs absoluti sint. Tales sunt Thesaurarij, Quæstores, Collectores tributorum, Conductores Vectigalium, vel Fisci, Tutores pupillorum, Actores, Procuratores, Executores, Depositatij, obligati militiæ, & si qui sunt alij. *C. un. h. t. C. un. D.* 53. ubi talitèr implicati. Curiales di-

dicuntur. Possunt tamen ordinari, qui sunt Procuratores, Tutores, miserabilium personarum, Turores legitimi agnatorum, quia hoc etiam Clericis permittitur. *C. fin. D.* 86. *C.* 1. 21. *q.* 3. *L.* 23. *tit.* 6. *p.* 1. idem dicendum est de Administratoribus Ecclesiæ, vel causæ piæ, de Cancellarijs, & Consiliarijs Principum, de Judicibus Causarum Civilium, & de illis, qui non ex administratione rei alienæ, sed ex aliquo contractu, v. g. promissione, vel mutuo tenentur alijs rationem reddere. Hi enim bene possunt ordinari. Similitèr, & illi, qui fuerunt rerum temporalium Administratores, relicta administratione privata, vel publica, reddirisque rationibus, licet debita contracta nondum solverint, præstita tamen cautione, vel cessione facta. *Suar. de Censur. D.* 51. *sect.* 3. *n.* 23. *& alij.* Ratio præsentis prohibitionis est, ne Ministri Ecclesiastici varijs litibus vexentur, & ut ipsis intersint à sacris ministerijs distrahantur, & ipsa Ecclesia ex Ministrorum distractione infametur; *arg. C. un. h. t. ibid. Gonz. n.* 8. ex illa generali ratione *Apost.* 2. *ad Timot.* 2. *v.* 4. *Nemo militans Deo implicat se negotijs Sæcularibus.* Deinde, quia præsumitur talitèr obligatos, ordines suscipere, magis animo fugiendi ratiocinia, quam desiderio syncero serviendi Deo. *C. un. D.* 53. *L.* 23. *tit.* 6. *p.* 1. optimè *Suar. de Censur. D.* 51. *sect.* 3. *p. tot.*

TIT. XX.

De Corpore vitiatis ordinandis, vel non.

267 ANtiqui ex vitio corporis animi vitium arguebant: & ideo inter Vestales non admittebatur fœmina aliqua parte corporis mutila, multoque minus in Sacerdotem cooptabatur aliquod simile vitium patiens. Nam ut Seneca ajebat, Sacerdos non integri corporis quasi mali ominis res vitanda est: sicut è contra è corporis elegantia animi virtutem inferebant, juxta illud: *Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.* Sic etiam in Lege Veteri erat statutum *Levit.* 21. *ex v.* 17. *Homo, qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo: nec accedat ad ministerium ejus; si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus.* Similiter in Jure Canonico ad exemplum Legis Veteris habetur tanquam irregularitas, & impedimentum Canonicum ad ordines suscipiendos corporis vitium. *C.* 4. *C.* 5. *seq. D.* 55. *C.* 1. *& per tot. h. t.* si hujusmodi defectus, vel irregularitas ante ordines susceptos habeatur, impedit etiam primæ tonsuræ susceptionem, quamvis ille defectus solum unum actum ordinis principalem impedit. *Suar. de Censur. D.* 51. *sect.* 2. *n.* 12. Si vero post ordines susceptos superveniat sine culpa ordinati dicendum est cum *Eugen. Pap. in C.* 2. *de Cleric. Ægrot.* ibi: *Presbyterum, cujus duos digitos cum medietate palmæ à prædone abscissos significasti, Missam non permittimus celebrare, quia nec securè propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri, hoc fieri confidimus: ipsum autem cæteris officijs Sacerdotalibus fungi minimè prohibemus. D. Thom. in* 3. *p. q.* 82. *art.* 10. *ad* 3. Ex hac generalitate ad casus particulares descendere oportet.

268 Hoc impedimentum provenit ex varijs Capitibus. 1. ex mutilatione. 2. ex culpabili abscisione. 3. ex debilitate. 4. ex deformitate. 5. ex morbo. Mutilati ergo sunt, qui carent aliquo membro: membrum est qualibet pars corporis, quæ aliquam peculiarem functionem, seu officium habet distinctum ab aliarum partium officio, & munere. Hinc membra sunt, brachium, lingua, oculus, manus, nares, aures, pedes, & alia hujusmodi. Hi enim irregulares sunt. *C.* 1. *C.* 2. *C.* 6. *C. fin. h. t. L.* 25. *tit.* 6. *p.* 1. *Can.* 77. *Apostol.* ibi: *Qui vero mutus, surdus ve, & cæcus est, Episcopus non efficitor: non quia oblæso corpore est, sed ne Ecclesiastica impeaiantur munia.* Tales mutilati non sunt apti Sacris ministerijs, cum illa nequeant exercere: imo aliqui censent, tunc non tam irregularitatem, quàm incapacitatem Juris Naturæ dari, sive membro totali, sive parte illius careat ordinandus. Hinc ordinari non potest mutilatus manu. *C.* 6. *h. t.* nec ille, cui duo digiti cum medietate palmæ sunt abscisi. *C.* 2. *de Cleric. Ægrot.* sic qui pollice, vel indice integre caret, non potest ordinari, quia illi digiti sunt valde necessarij ad fractionem, & elevationem Hostiæ. *C.* 1. *C. fin. h. t.* Si vero digito pedis, vel manus sinistræ, imò & alijs dextræ careat, ordinari potest. *C.* 11. *D.* 55. *L.* 25. *tit.* 6. *p.* 1. Nec defectus partis pollicis, vel indicis obstat, si usum ordinis non impediat.

C. fin.

C. fin. h. t. Claudus non est irregularis, si absque baculo, & pede ligneo ad altare accedere, stare, & ordinum functiones obire possit, quamvis unum crus sit brevius altero, nisi magna sit deformitas. *Lacroix l. 7. n.* 50. Si verò non possit in altari sine baculo sustentari, non posset ordinari. *C.* 57. *de Cens. D.* 1. Nec ille, qui pede ligneo indigeret, tum propter deformitatem, tum propter scandalum: adeò, ut quamvis esset jam Sacerdos deberet à celebratione Missæ cessare. Ut *ex c. 2. de Cleric. ægrot.* deducit *Greg. Lop. in l.* 25. *tit. 6. p. 1. v. Dedo del pie.* Si verò dens, vel alia pars, quæ membrum non sit, alicui deficiat, si aliundè ordinis exercitium non impediatur, non erit irregularis. *L.* 25. *tit. 6. p.* 1. Quod si post ordines susceptos accidat mutilatio, solum prohibetur exercitium ad quod datur impedimentum. *C. 2. de Cleric. ægrot.* Hinc si talis non potest ministerium Missæ exercere, poterit in Diaconatu, & alijs gradibus ministrare, prædicare, confessiones audire, &c. v. g. Si Sacerdos sit cæcus, poterit confessiones audire, quamvis Sacrificium non faciat, si est surdus Missam dicere poterit, & sic de alijs discurrendum erit. *Suar. de Censur. D.* 51. *sect. 2. n.* 13. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 42. *n.* 27. *&* 55.

269 2. Irregulares sunt, qui ex propria culpa, & quidem mortali sibi amputarant membrum, vel partem membri, etiamsi talis abscissio, non impediat notabilitèr ordinis exercitium, nec inferat magnam deformitatem, ob crudelitatem, & sævitiam, quam in se ipsos exercent. *Can.* 22. *Apost. c.* 6. *D.* 55. *c.* 2. *D.* 33. in Creatoris irreverentiam: quia nullus est Dominus membrorum suorum. *L.* 13. *ff. ad leg. Aquil. Can.* 23. *Apostol. Suar. de Censur. D.* 51. *sect. 2. n. 6.* Hinc irregulares sunt, qui sibi virilia abscindunt, vel abscindi permittunt, etiamsi hoc fecerint bono zelo, quamvis indiscreto, servandi castitatem: etiamsi defectus sit occultus, nec culpa sit notoria. *L.* 25. *tit. 6. p.* 1. cum hæc irregularitas non innitatur notorietati culpæ, sed crudelitati in se exercitæ cum Creatoris irreverentia. *C.* 4. *D.* 55. ibi: *Si quis abscidit semetipsum (id est, siquis amputavit sibi virilia) non fiat Clericus, quia sui est homicida, & Dei conditionis inimicus. C.* 5. *D.* 55. ibi: *Hi, qui se, carnali vitio repugnare nescientes, abscindunt, ad Clerum pervenire non possunt*: Quando Christus D. laudat apud *Matth.* 19. *v.* 12. *Eunuchos, qui se castraverunt propter Regnum Cœlorum.* Non debet hoc sumi litteralitèr, ut sonat, ut fecerunt Origenes, Leontius, & Hæretici Valesiani: sed debet intelligi spiritualitèr de eis, qui continentiam, & castitatem servant. Juxta *D. Aug. Abul. Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 42. *n.* 13. *Gonz. in c.* 5. *h. t. n.* 8. *Salmant. tr.* 10. *de Censur. cap. 9. n.* 74. Qui dedit causam culpabilem mutilationi, quamvis eam non velit directè: v. g. si quis rixando, vel deprehensus in adulterio fuit mutilatus à marito adulteræ, vel à judice in pœnam delicti, vel à Medico ob morbum contractum, verius est irregularis in puncto juris *ex c. 1. h. t.* ibi: *Potes cum eo misericorditèr agere, & permittere ipsum in suo Ordine ministrare.* Quæ verba accepta juxta rubricam, sub qua jacent: *de corpore vitiatis ordinandis, vel non*: Clarè irregularitatem indicant. Et sic tenent *Suar. de Censur. D.* 51. *sect. 2. n.* 8. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 42. *ex n.* 15. Irregularitatem in hoc casu non incurri, quia non expressam in jure, juxta *C.* 18. *de Sent. Excommunicat. in 6.* dicunt *Nicol. Garc. de Benef. p. 7. cap. 12. n. 9. Gonz. in c. 1. h. t. n. 3. Salmant. tr.* 10. *de Censur. cap. 9. n.* 70. Et quidem omnes satis probabilitèr. Qui fuit causa culpabilis mutilationis alterius, etiam irregularis est. *C. 9. Ne Cleric. vel Monach. c. 19. de Homicid.* Talis mutilatio culpabilis facit irregularem omninò, & absolutè ad omnes ordinis actus eum, qui se mutilavit, etiamsi superveniat post ordinationem, adeò, ut omnem actum ordinis impediat; & in hoc differt ab irregularitate, quæ provenit ex mutilatione involuntaria. *C. 2. de Cleric. ægrot.* Et ab ea, quæ à morbo, & debilitate provenit. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 82. *art.* 10. *ad* 3. Qui sine culpa abscisus est, v. g. sectus in cunabulis, vel qui per insidias factus est Eunuchus, vel ita natus est, vel qui de Consilio Medici fecit virilia sibi abscindi, vel aliud membrum; quia sic expedit ad corporis salutem, & conservationem vitæ: si talis mutilatio non impediat congruum ordinis exercitium, nec deformitatem notabilem afferat, vel scandalum pariat, non est irregularis. *C. 3. c. 5. h. t. C. 6. D.* 55. ibi: *In illis enim voluntas est judicata, quæ sibi ausa fuit ferrum injicere; in istis verò casus veniam meruit. L.* 25. *tit. 6. p. 1. c.* 8. *D.* 55. ibi: *Eunuchus, si per insidias hominum factus est, vel si in persecutione ejus sunt amputata virilia, vel si ita natus est, & est dignus, fiat Episcopus.* Et *Glos. Non est ergo necesse servare carnem illam, vel pulverem, ut dicunt vulgares.* Et

ratio non incurrendi irregularitatem in his casibus, est: nam sine causa, vel culpa non imponitur irregularitas. Et hic nec culpa est, ut supponimus, nec causa, quia nec impedit usum ordinis, nec deformitatem inducit. *Suar. de Censur. D.* 51. *sect.* 2. *n.* 10. Irregulares etiam sunt ob identitatem rationis, qui vocis servandæ causa se castrari permittunt. *Arg. c.* 6. *D.* 55. *junct. c.* 4. *h. t. Bonacin. de Censur. D.* 7. *p.* 2. *n.* 34. *Mol. & alij contra Salmant. & alios.*

270 3. Irregulares sunt debilitati. Scilicet, qui nullo membro carent, sed aliquod habent inutile ad illius proprias functiones; ut sunt oculus cæcus, auris surda, crus contractum, manus arida, vel manca, vel perpetuo tremula, præcipuè si subvertendi sanguinem immineat periculum. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 42. *n.* 17. Cæcus, monoculus, cocles, vel luscus. Irregulares sunt, sive careant oculo dextro, sive sinistro, qui *Canonicus* solet appellari, quia ipso præcipuè Canonem Missæ legimus; cum Jus Canonicum talem distinctionem non faciat. *C. fin. D.* 55. Idem est, de lippis, quorum, talis sit lippitudo, ut horrorem causet. Qui pupilla oculi caret, vel caret visu in oculis, licet oculos integros habeat irregularis est. *C. fin. D.* 55. Balbus, balbutiens, vel blesus, qui tarde, & impedite loquitur, vel qui è contra linguam præcipitem habent, non sunt irregulares, nisi hoc vitium tale sit, ut non sinat eos perfectè loqui, aut verba explicare. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 42. *n.* 25. Surdaster non est irregularis; sed tutius esset, dispensationem petere à Pontifice, quando hoc vitium notabile est. Si mutus, vel surdus sit, utique erit irregularis. *Can.* 77. *Apost.* quod si surditas post ordinationem adveniat, non impedit Missam privatim sine Ministro celebrare; & quamvis non sit necessaria, utilitèr tamen petitur dispensatio. Imò dicendum censeo, quod debet adhiberi Minister, ut supponit *Suar. de Censur. D.* 51. *sect.* 2. *n.* 13.

271 4. Nequeunt ordinari deformes, qui scilicèt, etiam sine aliqua mutilatione, vel ægritudine, notabilem habent deformitatem per excessum, vel defectum alicujus membri, ita ut sine horrore, indecentia, aut risu conspici nequeunt. *C.* 2. *h. t. L.* 25. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Fueras ende si fuesse aquella mengua de manera, que le ficiesse gran feadumbre. Suar. de Cens. D.* 51. *sect.* 2. *ex n.* 14. Hinc irregulares sunt, qui carent auribus, vel naribus, vel habent oculos nimis deformes, vel si facies notabilitèr deformis sit, vel coloribus maculata, vel deturpata vulneribus, & cicatricibus: vel, qui monstruosi sunt, ut Gigantes, vel Pygmæi, aut habentes duo capita, vel tria brachia; Hermaphroditi, etiamsi sexus virilis prævaleat. Qui caret visu in oculo dextro non est irregularis, dum oculos integros habeat, secus si careat visu in sinistro ob deformitatem, quam talis defectus inducit in legendo Canone, nisi fortè tanta perspicacitate vigeat dexter, ut sine deformi faciei conversione ad Missale possit quis Missam legere. *Suar. de Censur. D.* 51. *sect.* 2. *n.* 15. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 42. *ex n.* 17. Etiam sunt irregulares notabilitèr gibbosi, & curvi. Ille verò, qui habet sex digitos non est irregularis. *L.* 25. *tit.* 6. *p.* 1. Et tunc potest ipse digitum, vel aliud membrum superfluum impunè amputare. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 42. *n.* 23. Color non inducit irregularitatem ac proindè Mauri, & Æthiopes possunt ordinari. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 42. *n.* 26. & in his Indiarum Regnis, Indi, qui sunt fusci, & Malabares, & Canarines, qui sunt nigri in Sacerdotes promoventur, ut quotidie in his insulis videmus.

272 5. Ob morbum irregulares sunt leprosi, qui ob scandalum, & abominationem Populi non ordinantur. *C.* 4. *de Cleric. ægrot* idem est de laborantibus scabie, vel chiragra incurabili. Similem irregularitatem habent abstemij, id est, qui vinum non bibunt, & qui facilè vomitum patiuntur, amentes, furiosi, epileptici, seu morbo caduco laborantes, paralytici, phrenetici, lunatici, arreptitij, seu possessi à Dæmone. *C.* 3. *c.* 4. *c.* 5. *D.* 53. nisi hi integrè convaluerint, ad cujus experientiam unus annus conceditur, & arbitrio Episcopi determinatio relinquitur.

273 Solus Papa, & raró quidem in hac irregularitate ex vitio corporis provenientè, dispensat non solum quando Sacri Ordines, sed etiam quando prima tonsura est suscipienda. *C.* 59. *D.* 50. *l.* 64. *tit.* 5. *p.* 1. *Et ibid. Greg. Lop. Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 42. *n.* 58. & 59. Et ex ejus delegatione Episcopus dispensat cum eo, qui fecit sibi amputari virilia. Ut in specie *Text. in c.* 4. *h. t. Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 42. *n.* 58. tamen *Gonz. in d. c.* 4. *n.* 4 tenet, hanc dispensationem competere Episcopo Jure Ordinario. In dubio quidem benè dispensat Episcopus, & etiam quando abscisio alicujus partis corporis est occulta. Ex *Trid. sess.* 24. *de Ref.*

Ref. cap. 6. Et post ordines susceptos ad ministrandum in ipsis. Ipsique competit in dubio determinare, an defectus corporis, vel deformitas impediat, etiam respectu Regularium, ad ordines promoveri. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 60.* Idem judicium competere dicendum est, Prælatis Regularibus exemptis respectu suorum subditorum: quia tale judicium est quasi sententia ad jurisdictionem pertinens: maximè si ordinibus superveniat talis defectus: nam si antecedat, est liberum Episcopo, qui ordinaturus est Regularem defectuosum, illum admittere, vel rejicere, etiam post judicium proprij Superioris. *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 16. Salmantic. tr. 10. de Censur. cap. 9. n. 68. & 75. Castropal. & alij.*

TIT. XXI.

De Bigamis non ordinandis.

274 QUamvis neque in Lege Naturæ, nec in Lege Veteri esset impedimentum ad Sacerdotium nuptiarum iteratio, tamen inter Athenienses, & alios Ethnicos solum ad Sacerdotium admittebantur Monogami, id est, qui tantum cum una contraxerant, & apud Romanos Vestalis univira esse debebat. Nam ex nuptiarum repetitione quamdam incontinentiæ suspicionem inferebant. Ut ex *D. Hieron. Plutarc. Aul. Gell. & alijs* affert *Gonz. in c. 5. h. t. n. 6. & 19.* Ad harum Nationum exemplum Apostoli hanc irregularitatem induxerunt, non quidem tanquam promulgatores Evangelij, ita ut Jure Divino sit hoc impedimentum inductum, sed potius tanquam Prælati, & Legislatores Ecclesiastici illud induxerunt. Ita ut hoc impedimentum Juris Ecclesiastici sit, & à Papa dispensabile, ut contra *Turrian. & alios* tenendum est cum *D. Thom. in 4. D. 27. art. 1. Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. n. 1.* & habetur expressè *in l. 5. tit. 5. p. 1. Et ibid. Greg. Lop.* Apostolus enim *1. ad Tim. 3. v. 2.* hanc Legem ordinandis imposuit: *Oportet, Episcopum esse unius uxoris virum*, quod clarius, & generalius statutum, & extensum esse ad Presbyteros, & Diaconos, & bigamiam interpretativam, constat ex *Can. 16. & 17. Apostol.* quod postea universalis Ecclesia est amplexata, ut constat *ex c. 14. D. 34.* ibi: *Cognoscamus, non solum hoc de Episcopo, & Presbytero Apostolum statuisse, sed etiam Patres in Concilij Niceni tractatu addidisse: neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit.*

275 Hæc irregularitas dicitur Græcè *Digamia*, hoc est duplex matrimonium: & hinc *bigamia*, & bigami, quos binubos appellant *Justinianus, Cassiod. & alij.* Eandem irregularitatem habent trigami, quadrigami, &c. id est, qui tertium, vel quartum matrimonium contraxerunt: Hæc irregularitas provenit ex defectu significationis matrimonij: hoc enim significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est unica unius, juxta illud *Cantic. 6. v. 8. Una est columba mea, perfecta mea.* Et quidem erat virgo immaculata: Hanc ergo conjunctionem non potest bigamus, qui suam carnem per copulam cum pluribus divisit, repræsentare. *C. 5. h. t. C. 2. D. 26.* Cum ergo bigamus defectum in Sacramento patiatur, non oportet, quod ipse alijs Sacramenta ministret, ac proinde non debet ordinari, siquidem per ordinationem fit Sacramentorum Minister: præterea repetitio nuptiarum aliqualem incontinentiæ suspicionem generat; expedirque sic suspectos ab altaris ministerio segregare. *D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 1. Suar. de Censur. D. 49. sect. 1. n. 4. Gonz. Barb. & alij.* Qui ante baptismum duas uxores habuit, vel unam ante, & post baptismum aliam bigamus est, ac proindè non est ordinandus. *C. 2. 28. q. 3. c. 3. D. 26.* in baptismate enim crimina abolentur, non confœderatio conjugij dissolvitur. Contrarium habetur in *C. 1. D. 26. c. 1. 28. q. 3.* in qua Sententia fuit *D. Hieronymus* prædictorum Textuum Author. Sed omnino prævaluit Sententia contraria, quam tenuerunt *D. August. D. Ambros. & alij*, & sequuntur *D. Thom. in 4. D. 27. q. 3. art. 2. Palud. Soto, & com. DD. Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. ex n. 10.* comprobat. *L. 17. tit. 6. p. 1.*

276 Bigamia est triplex. 1. dicitur *vera*, quando scilicet, quis successivè cum duabus verè matrimonium contraxit, & consummavit utrumque. Si aliquod autem non consummavit, cum carnem suam per copulam cum pluribus non diviserit, non contrahit hanc bigamiæ irregularitatem. *C. 5. h. t. C. fin. D. 34. l. 35. tit. 5. p. 1.* Qui ante, vel post, vel in ipso matrimonio cum una, vel pluribus meretricibus fornicatus est, cum non affectu maritali carnem suam cum ipsis divisisset, non incurrit hanc irregularitatem. *C. 7. D. 34. c. 6. h. t.* Et quidem si olim aliquam irregularitatem incurrebat conjugatus, rem haben-

habendo cum concubina : hæc non ex defectu significationis, sed ex delicto, vel infamia proveniebat. Et sic debent intelligi *Text. in C. 8. c. 12. D. 34. C. 1. c. 2. D. 33. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 1. ad 2. Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. n. 8. & 9.* Nec itidem est irregularis ille, qui duo sponsalia contraxit, etiamsi copula sit secuta sine affectu maritali; nec qui duo matrimonia tantum rata contraxit: nec qui duxit in uxorem alterius viduam, si hæc à primo marito non fuit cognita. *C. fin. D. 34.* Nam bigamia non contrahitur, si non sequatur copula maritali affectu: & quidem perfecta.

277 2. *Bigamia interpretativa* dicitur, & contrahitur, cum quis juris fictione, vel interpretatione, duas uxores censetur habuisse, licet verè, & propriè unam solam habuisset: & reperitur in sequentibus casibus. 1. enim *in C. 17. Apost.* cui consonat *C. 15. D. 34.* sic habetur: *Si quis viduam, aut ejectam acceperit ::: non potest esse Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero, qui ministerio Sacro deserviunt. C. 9. c. 10. c. 13. D. 34.* Qui enim cum vidua, quæ cum alio matrimonium consummaverat, contrahit matrimonium, illudque consummat bigamus interpretativus, & irregularis est. *L. 35. tit. 5. p. 1.* similitèr est irregularis, qui ducit, & consummat cum corrupta ab alio. Si verò quis ducat, quam ipse corruperat, non fit irregularis. *L. 35. tit. 5. p. 1.* quia matrimonium retrotrahitur ad tempus copulæ, sicut ad legitimationem retrotrahitur. *C. 6. Qui filij sint legit.* ac proindè non censetur in piures carnem divisisse. *Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. ex n. 6.* Qui ab alio relictam, separatam, vel repudiatam postquam fuit cognita, ducit, & cognoscit, est irregularis, licet secundum matrimonium sit nullum de jure: quia primum obstat ex impedimento ligaminis. *Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. ex n. 10.* 2. contrahitur hæc bigamia interpretativa, si quis ad uxorem propriam accedat postquam per adulterium ab alio est corrupta. *C. 11. D. 34. L. 35. tit. 5. p. 1.* nam maritus cognoscendo uxorem suam ab alio corruptam, efficitur maritus corruptæ, & censetur cum corrupta contraxisse. *L. 35. tit. 5. p. 1. Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. n. 14.* Si maritus ignorans adulterium, vel si quis contrahat cum corrupta, quam virginem credebat, vel cum relicta ab alio, quam ignorabat conjugatam, & etiam si mulier per vim sit cognita ab adulterio; imò & si maritus censuris cogatur uxori ab alio corruptæ debitum reddere: adhuc in his casibus fit irregularis. Nam hæc irregularitas non ex delicto, sed ex defectu Sacramenti provenit, qui certè in his casibus reperitur. Sic contra aliquos, & quoad adulterium ignoratum contra *L. 35. tit. 5. p. 1.* tenent expressè *D. Thom. in 4. D. 27. q. 3. art. 1. q. 3. ad 4. Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. ex n. 15. Sanch. de Matr. L. 7. D. 84. ex n. 15. & alij. Lex 35. tit. 5. p. 1.* solum loquitur à contrario sensu, ac proindè non directè probat contra nostram conclusionem: nam ex eo quod maritus incurrat irregularitatem, quando scit adulterium, ut in dicta lege dicitur; non statim infertur, quod non incurratur irregularitas, quando ignoratur à marito adulterium. At verò per fornicationem viri non incurritur bigamia. *C. 6. b. t.* quia magis indecens est in fœmina hic defectus: nam ducere corruptam ab alio, aut cohabitare cum uxore, quæ adulterium commisit, est quædam infamiæ species. Ac propterea aliquod opprobrium Ordini Clericali infertur: quæ ratio in viro non militat. *Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. n. 9.* 3. Hæc bigamia incurritur, si quis defacto in at duo marrimonia, vel ambo nulla, vel unum de jure, & aliud de facto, sive simul utrumque, sivè succesivè, dum tamen utrumque affectu maritali consummet, irregularis fit. *C. 4. b. t.* etiam si matrimonium contraxisset illusoriè ad extorquendam copulam, quod proindè nullum fuisset ex defectu consensus, adhuc fit irregularis, quia habuit affectum ad duo matrimonia, quæ exterius fuerunt executioni mandata. *L. 35. tit. 5. p. 1.* ibi: *E esto es porque mostrò, que avia voluntad de casar; ò porque cumpliò el casamiento, quanto en èl fuè, è non fincò por èl. Suar. de Censur. D. 49. sect. 2. n. 10. Salmant. tr. 10. de Censur. cap. 9. n. 27.* contra *alios.*

278 3. Species bigamia dicitur *similitudinaria*, quia potius quam bigamia est bigamiæ similitudo: & contrahitur ab illo, qui post Sacros Ordines susceptos, vel professionem religiosam, matrimonium contrahit, de facto quidem, (nam de jure non potest) & consummat cum unica, & virgine. *C. 4. de Cleric. conjug. C. 1. Qui Cleric. vel vovent. C. 24. 27. q. 1. L. 35. tit. 5. p. 1.* Hi enim duo matrimonia contrahunt, unum spirituale, & de jure; aliud carnale, & de facto. Et propter similitudinem cum contrahentibus duo matrimonia verè talia, bigami dicuntur. Si verò Laicus cum Moniali professa matrimonium con-

contrahat, non incurrit hanc irregularitatem, utpotè nullo jure expressam. *C.18. de Sent. excom. in 6. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 85. in fin. Salmant. tr.10. de Censur. cap. 9. n. 36.* Quæcumque ex his bigamijs impedit, non irritat omnes ordines. *C. 2. c. 3. c. 4. c. 5. h. t. C. 4. de Cleric. conjug.* & Episcopus tales ordinans incurrit suspensionem, infligendam per sententiam, à collatione ordinum, quos contulit, & à celebratione Missæ per annum. *C. 2. D. 55. c. 2. h. t.* ibi : *Respondemus, quod Ordinatores eorum potestate, & officio ordinandi: & ordinati, si ad Sacros Ordines fuerint promoti, eis ideò sunt privandi, quia in bigamis, contra Apostolum, dispensare non licet, ut debeant ad Sacros Ordines promoveri, vel in eis, si promoti fuerint, remanere.* Quod quidem locum habet, etiam mortua uxore: quia adhuc remanet bigamia ab ordine suscipiendo bigamum excludens. *C. 3. h. t.* & circa ipsos *Greg. X. in C. un. h. t. in 6.* declarat : *Bigamos omni privilegio Clericali esse nudatos, & coercitioni fori sæcularis adductos, consuetudine contraria non obstante, ipsisque prohibet sub anathemate deferre tonsuram, vel habitum Clericalem.* Quæ Constitutio non extenditur ad Clericos in sacris constitutos. Nam hi privilegia Clericalia non amittunt, nisi deponantur, vel degradentur; nec ad Religiosos, qui privilegio Clericali gaudent, donec priventur per sententiam. *Suar. de Censur. D. 49. sect. 5. n. 7.*

279 In bigamia vera, & interpretativa solus Papa dispensat, cum hæc non ex delicto, sed ex defectu proveniat, & à Jure Communi sit statuta. *C. 2. c. 3. h. t. L. 5. L. 35. tit. 5. p. 1.* & solus ipse in Jure Communi, quando alijs non conceditur, dispensat. *C. 4. de Concess. Præbend.* raro tamen, etiam ipse in bigamia dispensat propter Apostoli reverentiam, qui hanc irregularitatem induxit. *C. 2. c. 3. h. t.* Et licet Papa possit in hac irregularitate dispensare, siquidem non Jure Divino, sed solum Jure Ecclesiastico est inducta. *D. Thom. in 4. D. 27. q. 3. art. 3. Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. ex n. 1. Gonz. in C. 5. h. t. n. 7.* tamen non debet facile, & sine gravi causa dispensare. Et sic venit intelligendum, quod in *C. 2. h. t.* dicitur: *Non liceat dispensare. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 49. n. 20. Gonz. in C. 5. h. t. n. 11.* Episcopus autem nequit in hoc impedimento dispensare, etiam ad Ordines minores, & beneficium simplex. *C. 59. D. 50. Arg. C. un. h. t. in 6. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 17.* Et sic declaratum est à Congreg. Cardin. *Garc. de Benef. p. 7. cap. 6. n. 5. Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. n. 4.* contra *D. Thom. in 4. D. 27. q. 3. art. 3. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 86. n. 11. Salmant. tr. 10. de Censur. cap. 9. n. 40.* qui fundantur *in C. Lector. D. 34.* Potest tamen Episcopus dispensare in bigamia similitudinaria cum sic ligato, qui virginem duxit in matrimonium. *C. 4. de Cleric. conjug. C. 1. Qui Cleric. vel vovent.* quia hæc non ex defectu, sed potius provenit ex delicto. Non tamen potest dispensare cum eo, qui est ordinatus post ejus uxoris mortem, si vidua, vel corrupta erat, & postea in sacris constitutus contrahit defacto matrimonium: nam tunc præter similitudinariam datur bigamia interpretativa. *C. 2. h. t. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 86. n. 20.* Posse Episcopum in bigamia interpretativa dispensare, quando provenit ex delicto occulto, ex *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6.* tenent *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 86. n. 23. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 49. n. 25.* sed verius negat *Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. n. 9.* quia licet interdum interveniat delictum, v. g. adulterium uxoris, ad quam quis post ipsum commissum accessit (etiam si hoc sit occultum) adhuc principale fundamentum ejus non est delictum, sed defectus significationis, ideoque nihil refert, quod in casu dicto, vel alio simili, delictum, vel factum, in quo fundatur bigamia sit publicum, vel occultum. Nec Commissarius Cruciatæ, virtute Bullæ, potest in hoc impedimento dispensare. *Mach. in Sum. lib. 4. p. 5. tr. 1. & alij com.* Prælati Regulares, etiam exempti, nisi speciale privilegium habeant, non possunt cum suis subditis in bigamia vera, vel interpretativa dispensare, etiam ad minores Ordines; possunt tamen cum eis in bigamia similitudinaria, purè tali, dispensare. *Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. n. 17. & 18.* Nec in Indijs possunt Episcopi in vera bigamia dispensare, ut ex solitis constat. Vid. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 86. n. 14. Monteneg. Paroch. Indor. lib. 5. tr. 1. sess. 2.* In aliquibus Indiarum Provincijs possunt Provinciales Ordinis Prædicatorum in diebus S. Dominici, S. Thomæ, S. Vincentij, & S. Catherinæ, in bigamia, alijsque irregularitatibus, exceptis voluntario homicidio, & illegitimitate, dispensare. *Monteneg. Paroch. Indor. lib. 5. tr. 1. sess. 12.*

TIT.

TIT. XXII.

De Clericis Peregrinis.

280 IN hoc titulo, quasi in præcedentium appendice agitur de quadam, quasi umbra irregularitatis, quam habent peregrini; quorum nomine hic intelliguntur, qui alterius sunt Diœcesis: multoque magis vagi, qui sine certa Sede, hinc inde vagantur. Nam tales nec prima tonsura sunt initiandi sine proprij Episcopi litteris dimissorijs. *C. fin. de Temp. Ordin. in 6.* imò nec in susceptis ministrare permittuntur sine commendatitijs litteris. *C. 7. D. 71. c. 3. h. t.* quod dénique fuit roboratum *in Trid. sess. 23. de Ref. cap. 16.* ibi: *Nullus præterea Clericus peregrinus sine commendatitijs sui Ordinarij litteris ab ullo Episcopo ad Divina celebranda, & Sacramenta administranda admittatur.* Possunt tamen sine litteris admitti ad celebrandum privatim, si alias suspecti non sint. *C. 3. h. t.* potestque Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus compellere Prælatos suæ Diœcesis, etiam exemptos, ne tales ad celebrandum publicè admittant. *C. fin. h. t. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 21. n. fin.* Hæ litteræ *Commendatitiæ*, quas etiam *formatas*, & *Canonicas* appellamus, continebant testimonium de ordinatione Clerici, de carentia impedimenti, de vita, & moribus, & doctrina illius. Illæ, quæ peregrinis transmatinis dabantur, quinque Episcoporum sigillis olim signabantur. *C. 1. h. t. Gonz. in C. 3. h. t.* ubi latè de earum forma agit.

281 In Cong. Cardin. super Episcopis decretum fuit, illos teneri litteras commendatitias dare Clericis volentibus alibi commorari, si ratione beneficij, non essent adstricti in sua Diœcesi residere: nec posse revocare Clericos ipsis subditos, alibi degentes, etiamsi in sua Diœcesi habeant simplex beneficium. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 21. n. 5. & 6.* ex justa tamen causa possunt ipsis litteras negare. *C. 23. c. 7. q. 1.* Si Clericus alleget, se litteras amisisse, vel eas non potuisse obtinere; sed verè, se Clericum esse dicat, sitque paratus hoc jurare, non admittitur juramentum, si nec semiplena probatio, vel præsumptio sit pro ipso Clerico. *Arg. C. fin. de Jur. jur.* potest tamen hoc probare per testes idoneos, vel per communem reputationem, vel alia indicia. *Gloss. in C. 2. h. t.* Imò nulla probatio requiritur, si Clericus, etsi peregrinus, notus tamen sit, Nam sine litteris admittetur ad Missam celebrandam. *Arg. Trid. sess. 22. Decret. de Observ. in celebr. Miss.*

282 *Honor. III. in C. 4. h. t.* prohibet, ne peregrini, & alienigenæ, inscio Episcopo, ad beneficia in sua Diœcesi admittantur: quin inde valeat acceptio personarum inferri: nam cæteris paribus aptiores sunt originarij, & proprij extraneis: ideò indigenæ, si idonei sint merito extraneis præferuntur. *D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 4.* ibi: *Ille, qui de Ecclesiæ gremio sumitur, ut in pluribus consuevit esse utilior, quantum ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus.* Hoc etiam habetur *Deut. 17. v. 15.* ibi: *Non poteris alt. ius gentis hominem Regem facere.* Et ex *Regul. 16. Cancel.* ibi: *Cæteris paribus oriundus non oriundo, Diœcesanus non Diœcesano præferendus est.* Et hodie fere in toto Orbe Christiano excluduntur alienigenæ à Prælaturis, Dignitatibus, & Beneficijs Ecclesiasticis, ut probat *Gonz. in C. 4. h. t. ex n. 5.* & ratio est: quia indiginæ facilius inducuntur ad residentiam, majoremque solent amorem ad propriam Ecclesiam habere. Nam ut quidam dixit: *Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos Ducit, & immemores non sinit esse sui.* Et ipsi magis accepti sunt Populo propter indolis, morumque similitudinem, idiomatisque peritiam. Hæc namque magnopere est in Prælatis necessaria, ut suo muneri satisfaciant. *C. 14. de Offic. Ordin.* Et ut ait *D. August. de Civit. Dei, lib. 19.* facilius animalia diversi generis sociantur, quam diversæ linguæ ejusdem speciei. Et Dominus Hierusalem minatur apud *Hierem. 5. v. 15.* sic: *Adducam super vos gentem de longinquo ::: cujus ignorabis linguam, nec intelliges, quod loquatur ::: & comedet segetes tuas, & panem tuum.* In nostra Hispania observatum jam ab antiquo est, & concessum à Summis Pontificibus fuit, quod solum originarij, & indigenæ admittantur ad beneficia Ecclesiastica, alienigenis exclusis. *L. 14. tit. 3. lib. 1. R. C.* ibi: *Y mandamos, que ningun Estrangero pueda aver Prelacia, ni Dignidad, ni prestamo, ni Canongia, ni otro Beneficio Ecclesiastico alguno en nuestros Reynos, excepto quando por alguna muy justa, y evidente causa debieremos dàr la tal Carta de naturaleza; y entonces la darèmos, seyendo vista, y averiguada primeramente la tal causa por los Grandes, y Prelados, y las otras personas, que con Nos residieren en el nuestro Consejo, y seyendo refrendadas por ellos en* las

lasespaldas, y no en otra manera. Naturales dicuntur, qui nati sunt in Hispania saltem ex Patre Hispano, vel ex eo, qui ibi per decennium habuit domicilium; & etiam illi, qui licet casu alibi nascantur, nascuntur saltem ex Patre Hispano. *L.19. tit. 3. lib. 1. R. C.* In aliquibus Dioecesibus beneficia tantum conferuntur in Dioecesi natis, & vocantur patrimonialia, & sic accidit in Dioecesibus Burgensi, Palentina, & Calagurritana. *L. 21. L. 23. tit. 3. lib. 1. R. C.* ex quo infert *Gonz. in C. 4. h. t. n. 6.* cum *Salgad. Salced. & alijs*, justè in Senatu Castellae retineri, tanquam subreptitias, Bullas, ubi beneficium alicui extero in nostra Hispania confertur. *L. 25. tit. 3. lib. 1. R. C.* quod quidem etiam sua proportione intelligendum est de Hispanis, qui in Indijs nascuntur, etiam respectivè ad Hispanos Europaeos, ita ut ipsis caeteris paribus nati in Indijs praeferantur. *Solorz. de Jur. Ind. t. 2. lib. 3. cap. 19.*

TIT. XXIII.

De Officio Archidiaconi.

283 ARchidiaconus Graecè, Latinè *Primus, vel Princeps Diaconorum est. L.4. tit. 6. p. 1.* ibi: *Arcediano en Griego tanto quiere decir en nuestro lenguage, como Cabdillo de Evangelisteros.* Et quidem ratione officij debet Diaconatus ordinem, non tamen necessario Sacerdotium habere. Diaconi enim jam ex tempore Apostolorum constituti sunt. Nam cum crescente numero fidelium non possent Apostoli temporalibus attendere, quia aequum non erat, ipsos verbum Dei derelinquere, ut ministrarent mensis, constituerunt septem Viros plenos Spiritu Sancto, & Sapientia, quorum cura erat eleemosynas inter fideles distribuere, aliaque hujusmodi ministeria exercere. *Act. Apost. 6.* quo exemplo Romae, & in alijs Civitatibus fuerunt constituti septem Diaconi, quorum primus Archidiaconus appellari coepit; huic erat commissa cura invigilandi, ut reliqui Diaconi suum munus ritè exequerentur. *C. 11. D.93.* Hinc Romae septem Regiones Diaconis assignatae *Diaconiae* dictae fuerunt, & ipsi Diaconi *Regionarij*, posteaque *Cardinales* dicti sunt. *C. 5. D. 93.* quia *Cardini, & Custodiae* illius Tituli mancipati erant. *Gonz. in C. 1. h. t. n. 2.* labente tempore adeo crevit Archidiaconorum authoritas, & potestas, tum ex Episcoporum concessione, tum ex ipsorum propria ambitione, ut *oculi Episcoporum* appellarentur. *C. 6. D. 93.* ibi: *Diaconi Ecclesiae tanquam oculi sint Episcopi oberrantes, & circumlustrantes cum verecundia actus totius Ecclesiae. C. 7. h. t.* ibi: *Item in Epistola B. Clementis Papae oculus Episcopi Archidiaconus appellatur, ut loco Episcopi per Episcopatum prospiciens, quae corrigenda viderit, corrigat, & emendet.* Imo & Populum sibi segregare coeperunt, propri officij limites excedendo. *C. 13. D. 93.*

284 De jure ergo communi Archidiaconus Dignitatem, id est, praeeminentiam cum jurisdictione obtinet: & quidem primam post Episcopum. *C. 1. h. t.* consequenterque praecedit Praepositum, & Archipresbyterum. *C. 7. h. t. C. 1. de Offic. Archipresb.* quia licet Archipresbyter ratione Ordinis Sacerdotalis sit major Archidiacono, est tamen ipso minor in jurisdictione: nam quamvis antiquitus non se extendebat ultra Diaconos Archidiaconi jurisdictio postea tamen ad universum Clerum Saecularem, & totam Dioecesim protensa fuit. *C. 7. h. t.* non tamen ad Monasteria, nisi praescriptio probaretur. *C. fin. h. t.* ipse enim est Episcopi *Vicarius natus, & perpetuus* habens jurisdictionem ordinariam, immediatè à jure: & quidem distinctam à jurisdictione Episcopi, ac propterea ad ipsum ab Archidiacono appellatur: in quo differt à Vicario Generali Episcopi, cujus jurisdictio immediatè ab Episcopo provenit, imò est eadem cum illius jurisdictione, & est idem utriusque Tribunal, ac proindè à Vicario non appellatur ad Episcopum. *C. 3. de Appellat. in 6.* Si ergo nunc Archidiaconus jurisdictionem habeat, & curam animarum debet habere 25. annos saltem incoeptos. *C. 7. §. Inferiora, de Elect.* debetque esse Doctor, vel Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Si cura animarum careat sufficit habere 22. annos completos; *arg. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.*

285 Ad Archidiaconum spectat providere, ut omnia Ecclesiastica officia ritè peragantur, pertinetque Acolythos ordinare, eorum officia dividere. *C. 2. h. t.* vasa Ecclesiae usibus destinata custodire. *C. 3. h. t.* Parochiam propriam singulis annis visitare. *C. 6. h. t.* Et quolibet triennio debet ipse, si Episcopus non potest, paraeciam universam circum ire, & cuncta, quae emendatione indigent, ad vicem sui Episcopi corrigere, & emendare. *C. 1.*

h. t.

b. t. Hodie ex *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 3. visitatio Diœcesis est reservata Episcopo, vel ejus Vicario Generali, vel Visitatori. Debet etiam quæ emendatione indigent, corrigere, jurgia singulorum audire, non vero majora, & magis ardua, judicare. *C.* 7. *b. t.* promovendos ad Sacros Ordines, & beneficia Ecclesiastica examinare debet, & postea eos Episcopo sistere, *C.* 7. *b. t.* sed jam hoc examen est reservatum Episcopo. *Trid. sess.* 7. *de Reform. cap.* 3. Legit Evangelium in Missa solemni, vel legendum committit alteri Diacono, quando Episcopus celebrat. *C.* 2. *b. t.* immittit in actualem possessionem Abbates, Beneficiatios, & Abbatissas post decretam immissionem ab Episcopo. *C.* 9. *b. t.* non verò potest, sine speciali Episcopi mandato alicui committere curam animarum; ac proindè non habent institutionem, quem authorizabilem Doctores vocant. *C.* 4. *b. t.* nec dare litteras dimissorias, vel commendatitias. *C.* 8. *b. t.* nec potest Censuras Ecclesiasticas infligere. *C.* 5. *b. t.* Et *ibid. Gonz. plures Textus, & DD. citans*, nisi ubi talis consuetudo viget, & ita intelligendi veniunt. Text. in *C.* 7. *de Prabend. C.* 1. *de Eo, qui furtivè. L.* 4. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Otrosi el Arcediano tiene poderio de vedar, è descomulgar.* Et notat *Greg. Lop. ibid.* quod hæc Lex debet intelligi, quando hoc habet Archidiaconus ex consuetudine, ut de Senonensi, Rhemensi, & alijs Archidiaconis, qui ex consuetudine Censuras infligere possunt, probat *Gonz. in C.* 5. *b. t. in* 6. quæ omnia, & alia latè constat ex nostro Titulo, & *L.* 4. *tit.* 6. *p.* 1.

286 Hodie tamen omnis ferè potestas, & jurisdictio, quam habebant Archidiaconi extincta est, vel ipsorum incuria, vel Episcoporum potentia. Ut ergo sciamus, quousque ejus authoritas, jurisdictio, vel officium pertingat unius cujusque Ecclesiæ examinanda est consuetudo: in nostra Hispania in qualibet Ecclesia Cathedrali plures sunt Archidiaconi, qui totam Diœcesim in certas partes divisam, tanquam perpetui, & intitulati Vicarij gubernant. Et cum nullus in tota Hispania hanc Juris communis potestatem retineat, cessat obligatio, quod sint Doctores, vel Licentiati juxta *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. *Barbos. de Canonic. & Dignitat. cap.* 5. *n.* 8. *&* 9. Et etiam Archidiaconus principalis Ecclesiæ præceditur tam in Choto, quàm extra illum à Vicario Generali Episcopi. Ex *Declarat. Cardin. apud Barb. ubi supr. n.* 55. In aliquibus Ecclesijs obit ejus officium Archipresbyter, vel Decanus, vel Vicarius Generalis: In nostra Hispania quoad jurisdictionem locum Archidiaconi obtinet Vicarius Generalis Episcopi: quoad primam Dignitatem ejus loco successit Decanus, qui abs dubio post Episcopum primam obtinet Dignitatem, saltem ex consuetudine. *L.* 3. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Dean es el primero personage, è el mayor en algunas Eglesias Cathedrales, à fuera del Obispo: è Decanus en latin tanto quiere decir, como ome viejo, è muy cano: cà bien assi, como el ome, que es cano, debe ser sesudo por derecho, è assossegado, è de buenas maneras.* Et licet in Jure Canonico non agatur specialiter de officio Decani, & de ejus jurisdictione fit tamen de eo mentio, *in C.* 55. *de Appellat.* & alibi. Aliquando hanc primam Dignitatem obtinens, dicitur Præpositus, aliquando Prior juxta variarum Ecclesiarum consuetudinem. *L.* 3. *tit.* 6. *p.* 1. Ipse enim est caput Capituli Ecclesiastici, & tam in ipso, quàm in Choro præest: mandatque incipi officia, facit signum exeundi à Choto, citat, & congregat Canonicos ad Capitulum, aliaque hujusmodi facit, prout in unaquaque Ecclesia induxit consuetudo. Ad hanc Dignitatem obtinendam nullus gradus in Theologia, vel Jure Canonico requiritur. *Barbos. de Canonic. & Dignit. cap.* 6. *Machad. in Sum. lib.* 4. *p.* 4. *tr.* 6. *doc.* 6. Et licet in *L.* 3. *tit.* 6. *p.* 1. dicat Rex N. Alphonsus, Decanum esse Judicem Ordinarium, posseque Censuras infligere: hoc jus jam contraria consuetudine est abrogatum, nec credo, aliam jurisdictionem habere, quam quamdam œconomicam potestatem erga Canonicos, aliosque de Capitulo. *Greg. Lop. ibid. v. Juez Ordinario.* Reliqua dicemus in Tit. sequenti: nam in ferè omnibus hi Decani cum Archipresbyteris conveniunt. *L.* 8. *tit.* 6. *p.* 1. licet non in omnibus.

TIT. XXIV.

De Officio Archipresbyteri.

287 A*rchipresbyter* Græcè, Latine *primus, vel Princeps Presbyterorum* dicitur, quia Presbyteris præest. *C.* 1. *D.* 25. *L.* 8. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Arcipreste tanto quiere decir como Cabdillo de Prestes: esto es, porque tiene poder sobre ellos en las cosas, que adelante diremos.* Et hac ratione debet Ordinem Sacerdota-

talem habere, vel saltem intra annum ab electione suscipere. *Clem.* 2. *de Ætate, & qualit.* Quando plebs, vel Populus non erat numerosus, unus tantum Presbyter præponebatur, qui *Paroebus*, & *Plebanus* dicebatur: quando vero plebs erat numerosa, plures præponebantur Presbyteri. Et qui illis præerat Archipresbyter vocabatur. Et aliquando dicebatur *Decanus*. *C.* 7. *de Offic. Archid.* quia plerumque *decem Presbyteris* præponebatur, vel potius, quia jam Decanus dicitur ille, qui alicujus ordinis primus, & præcipuus est. *L.*3. *tit.* 6. *p.* 1. *E aun Decanus en latin tanto quiere dec.r en nuestro lenguage, como Cabdillo de diez.* *Barbos. de Canon. & Dignit. cap.* 6. *n.* 8. Archipresbyter ergo vicem Episcopi in spiritualibus gerit. *C.* 2. *C.* 3. *b. t. L.* 8. *tit.* 6. *p.* 1. ac propterea *Vicarius natus* Episcopi in spiritualibus dicitur, gaudetque jurisdictione ordinaria, utpotè a jure ratione officij habita. *Barbos. de Canon. & Dignitat. cap.* 6. *n.* 24. Archidiacono subest. *C.* 1. *b. t.* Nam licet major sit Archidiacono ratione ordinis. *C.*24. *D.* 93. tamen est minor ratione jurisdictionis: nec repugnat, aliquem esse alio inferiorem, & superiorem ex diversis respectibus. *L.* 1. *C. de Offic. Vicar. C. fin. D.* 93. ubi Diaconus præfertur Sacerdoti, quando locum Metropolitani obtinet, cum alias ipsi non deberet præferri ratione gradus.

288 Archipresbyter alius est *Urbanus*, alius *ruralis*. *Urbanus, seu Civitatensis est*, qui Presbyteris in urbe Episcopali præest, diciturque *Decanus* Ecclesiæ Cathedralis. *L.* 8. *tit.* 6. *p.* 1. habetque saltem personatum, id est, præeminentiam inter Canonicos, & alios Clericos, vel Dignitatem latè dictam; & hinc potest ipsi à Papa causa delegari. *C.* 11. *de Rescript. in* 6. in nostra Hispania, ut jam diximus, habet primam Dignitatem, vel potius personatum, post Episcopum. Siqu.dem est caput Capituli. *Barbos. de Canon. & Dignit. cap.* 9. *n.* 19. majorque Archidiacono est in dignitate. *L.* 8. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *E los primeros Arciprestes, que tienen logares de Deanes, son mayores que Arcedianos.* Archipresbyter ex suo munere curat officia Sacra in cantanda Missa, & Episcopo celebranti assistit, & præcipit Sacerdotibus, ut induant se vestimentis Sacris, & qualitèr ad Missam procedant. *C.* 3. *b. t.* Etiam curat, ut Sacerdotes principaliores Ecclesiarum baptismalium, qui dicuntur Cardinales in *C.* 2. *b. t. Gonz. ibid.* in Sacramentis administrandis probe se gerant; pœnitentiam alijs Sacerdotibus solus ipse de jure injungit: quoad cæteros habet jurisdictionem ordinariam in foro interno. In absentia Episcopi ipse celebrat solemnia Missarum, dicitque Collectam, seu orationem, quæ in fine cujuslibet horæ Canonicæ dicitur. *C.* 1. *b. t. Gonz. ibid. n.* 6. vel alij commendat Missam, & Collectam. *L.* 8. *t.* 6. *p.* 1. Sed non semper uni, sed successivè per ordinem inter Dignitates, & Canonicos distribuit, gradu cujusque, & consuetudine servatis: ipse etiam inchoat cantum horarum, impertitur benedictiones ad Lectiones. Cum publ'ci pœnitentes feria 4. Cinerum ab Ecclesia expelluntur, eorum Capitibus cinerem imponit, & quando in feria 5. in Cœna Domini reconciliantur in ingressu Ecclesiæ, eos præsentat Episcopo: imò, & eos solemniter absolvit, vel reconciliat; non tamen inconsulto Episcopo: fontes benedicit, infirmos, inungit, præcipit Custodi, ut non desit in Sacrario Eucharistia pro infirmis, & provider, ne fortè aliquis sine confessionis, & Eucharistiæ Sacramento moriatur. *C.* 2. *C.* 3. *b. t. L.* 8. *tit.* 6. *p.* 1. & ut notat *Barb. de Canon. & Dignitat. cap.* 6. *n.* 18. Archipresbyter est quasi Parochialis Sacerdos omnium post Episcopum. Sed hodie ex *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 8. in Cathedralibus debet Pœnitentiarius pro confessionibus audiendis institui. In Ecclesijs Collegiatis, qui obtinet primam Dignitatem, sive Decanus, sive Præpositus, sive Abbas, sive Prior vocetur jurisdictionem externam, subordinatam Episcopo, exercet in Clericos suæ Ecclesiæ, nisi aliud ex privilegijs, vel consuetudine habeatur. *Machad. in Sum. L.* 4. *p.* 5. *tr.* 3. *Archipresbyter ruralis*, qui etiam *Decanus ruralis* dicitur, nec Dignitatem, nec personatum obtinet, quia præeminentia non gaudet, nec externa jurisdictione. Regularitèr quidem eligitur ab Episcopo. *C. fin. b. t. L.*8. *tit.*6. *p.*1. *Barb. de Canon. & Dignitat. cap.* 6. *n.* 28. ejus officium est non solum imperiti vulgi, verumetiam Presbyterorum, qui per minores Titulos, (sic Ecclesiæ Parochiales vocantur. *Gonz. in C. fin. b. t. n.* 4.) habitant, solicitudinem gerere, minoresque controversias, vel inter Parochianos, vel inter Parochos, aliosque Clericos sibi subjectos decidere, sine figura tamen judicij: majores autem, quæ sine speciali cognitione nequeunt expediri, ad Episcopum deferre: nec aliquid contra ejus Decretum ordinare præsumet. *C. fin. b. t. L.* 8. *tit.* 6. *p.* 1. *Barbos.* de

tit. Eccles. Et de Canon. & Dignitat. cap. , ex n. 27. Denique in quacumque Ecclesia debet servari, quod consuetudo legitima circa hoc officium, seu Dignitatem introduxit, quoad jurisdictionem, & alia. *L. 8. t. 6 p. 1. & ibid. Gregor. Lop. v. Segun la costumbre usada.* Ubi ait: *Statur, ut hic vides, in hoc consuetudini Ecclesiarum: & communiter videmus, in his Regnis non esse in Ecclesijs Cathedralibus nisi in paucis istam Dignitatem Archipresbyteratus.*

TIT. XXV.

De Officio Primicerij.

289 UT Divina Officia, Divinæque laudes majori cultu, ordine, decentia, & uniformitate canerentur, fuerunt institutæ in Cathedralibus Scholæ Cantorum, & qui eis præerat, aliquando per antonomasiam *Cantor*, aliquando *Præcentor*, aliquando *Primicerius* dicebatur: vel quia primus in cera, vel tabula cerata Cantorum erat descriptus; vel potius, quia erat primus inter alios Cantores. *Gonz. in C. un. h. t. n. 1. Barb. de Canonic. & Dignit. cap. 9. Hispanè dicitur: Chantre* à voce Gallica: *Chanteur.* Etiam appellatur in aliquibus Ecclesijs: *Capiscol. quasi caput Chori cantorum. L. 5. tit. 6. p. 1. Covar. Tesaur. Linguæ Hisp. v. Capiscol.* Ejus officium describitur *in C. un. h. t.* ibi: *Ad ejus curam pertinet, ut præsit in docendo Diaconis, vel reliquis gradibus Ecclesiasticis, ut ipse disciplinæ, & custodiæ insistat, sicut pro animabus eorum rationem redditurus, & Diaconis donet lectiones, quæ ad nocturna officia Clericorum pertinent, & de singulis studium habeat, ut in quacumque re capacem sensum habuerit, absque ulla vacet negligentia, aut à quo ipse jusserit, instruantur. C. 1. D. 25. L. 5. tit. 6. p. 1.* ibi: *Chantre tanto quiere decir, como Cantor, è pertenesce à su oficio de comenzar los Responsos, è los Hymnos, è los otros cantos, que ovieren de cantar tambien en los Cantares, que se ficieren en el Coro, como en las Processiones, que se ficieren en fuera del Coro, è él debe mandar a quien lea, ò cante las cosas, que fueren de leer, ò de cantar, è à él deben obedescer los Acolitos, è los Lectores, è los Psalmistas:::: E la mayoria de esta Dignidad se puede mejor saber por costumbre usada de las Eglesias, que por otro derecho escripto. Succentor, Hispanè: Sochantre*, de quo fit mentio in *C. 11. de Excess. Prælat.* absente Præcentore incipit cantum in Choro. *Barbosa de Canon. & Dignit. cap. 9. n. 11.* Succentoris assignatione, qui debet esse in Musica peritus, suæ obligationi satisfacit Præcentor, etiamsi Musicæ peritiam non habeat. *Machado in Sum. lib. 4. p. 4. tr. 6. doc. 4.* qui ait, Præcentoriam in Hispania non solum esse Dignitatem. *C. 8. de Constit.* sed etiam Superiorem Scholastria, de qua alibi.

TIT. XXVI.

De Officio Sacristæ.

290 SAcrista de Jure Communi nec Dignitatem, quia non jurisdictionem; nec personatum, quia non præeminentiam, obtinet: secus est de consuetudine in aliquibus Ecclesijs; *arg. C. 32. de Offic. deleg. C. 11. de Foro Compet. junct. C. 11. de Rescript. in 6.* in Hispania Dignitas est, & quidem ultima inter cæteras. *Machad. lib. 4. Sum. p. 4. tr. 6. doc. 2. Ad ipsum ergo pertinet Custodia Sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius Thesauri Ecclesiastici, necnon quæ ad luminaria pertinent, sive in cera, sive in Oleo. C. un. h. t. C. 1. D. 25. L. 6. tit. 6. p. 1.* Dicitur *Sacrista*, quia habet curam rerum sacrarum. *L. 6. tit. 6. p. 1.* Etiam dicitur *Thesaurarius*, quia totius Thesauri curam habet. *C. 1. D. 25.* Et sic in nostra Hispania appellatur. *L. 6. tit. 6. p. 1.* ibi: *Tesorero tanto quiere decir, como guardador de Tesoro: cà a su oficio conviene de guardar las Cruces, è los Calices, è los Vestimentas, è los Libros, è todos los otros Ornamentos de Santa Eglesia.* Etiam dicitur Græcè *Cimeliarcha in L. fin. C. de Bonis Author. jud.* quia servat *Cimelium*, quod significat omne id, quod reservatur, & custodiendum reconditur. *Gonz. in C. un. h. t. Barb. de Canon. & Dignit. cap. 7.*

TIT. XXVII.

De Officio Custodis.

291 CUSTOS est quasi Minister Sacristæ, seu Thesaurarij; & aliquando ejus nomine venit, & cum Thesaurario confunditur; ut in *C. 2. h. t.* Archidiacono debet obedire: nullam habet Dignitatem, sed subest Thesaurario majori, & ad ejus nutum ponitur: ad ip-

ipsum pertinet in Horis Canonicis tintinnabula pulsare, custodire linteamina altaris, & utensilia Ecclesiæ, lampades accendere, & extinguere, & panem, & vinum ad Missam præparare. *C.1. c. 2. h.t.* & *Gonz. ibid. Barbos. de Canon. & Dignit. cap. 7. lib. 6. tit. 6. p.* 1. Et ibid. *Greg. Lop.* & *Sebast. Ximen. in Concord. in præsent. tit.*

TIT. XXVIII.

De Officio Vicarij.

292 Vicarius dicitur, qui *vices alterius gerit*, & in ejus locum suffectus est. *L. 13. ff. de Legation.* sic R. Pontifex Vicarius Christi dicitur *C. 2. de Translat. Episc.* qui vicem veri Dei gerit in terris. *C. 3. eod.* licet aliquando lato modo Divi Petri Vicarius appelletur. *C. 30. D. 63. C. 9. 1. q. 7.* Nam tunc Vicarius sumitur pro successore. Vicarius alius dicitur *natus*, *datus* alius. *Natus*, seu *legitimus* est ille, qui à lege talis constituitur: sic Archidiaconus, & Archipresbyter sunt Vicarij nati Episcopi. *C. 1. de Offic. Archid. C. fin. de Offic. Archipresb. Datus*, seu *dativus* dicitur ille, qui talis constituitur ab homine illum in suum locum substituente. Si Vicarius detur ad beneficij administrationem dicitur Vicarius in *Divinis*, vel *beneficijs*. Si ad jurisdictionem exercendam datur, *Vicarius jurisdictionis* dicitur. Vicarius in Divinis, qui fere tantum in beneficijs Parochialibus solet constitui, aliquando in perpetuum, aliquando ad tempus constituitur. Vicarius perpetuus constitui debet, quando Ecclesia Parochialis est perpetuò unita, alteri Ecclesiæ, Monasterio, Collegio, Universitati, vel alteri pio loco, ita ut Rector principalis, vel non possit, vel non deceat, curam animarum exercere. *C. 30. §. Qui verò de Præbend. Trid. sess. 7. de Ref. cap. 7.* vel si Parochia valdè distantem, & numerosum Populum habet. Si enim proventibus abundat erigitur Ecclesia filialis, & in ea Vicarius perpetuus constituitur.

293 Vicarius perpetuus in Parochiali Ecclesia Canonicè institutus æquiparatur Parocho, ita ut quidquid de isto in jure statutum est, in ipso locum habeat. *Cl. un. h. t.* & latè explanat *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 6. ex n.* 18. Ipsi enim competit actualis Cura, & administratio beneficij Parochialis, etiam præsente Rectore principali, qui quidem, in Vicario nequit se ingerere in administratione Sacramentorum. Sicque debet habere 25. annos saltem inchoatos, ita ut possit Sacerdotium suscipere intra annum à pacifica Vicariæ possessione. *Arg. c. 14. de Elect. in 6.* ipsique debetur honor, & prærogativa, quæ & cæteris Parochis, ad consequenter easdem obligationes, ac cæteri Parochi, habet. *Arg. c. 55. de Reg. Jur. in 6. l. 10. ff. eod.* nec ejus beneficium vacat, etiamsi Rector principalis mortuus, vel depositus sit, vel aliter amittat beneficium, cui illud unitum est: nec potest sine culpa removeri à Vicaria. *C. 3. h. t.* nec à successore beneficiatij, qui ejus institutioni consensit, removeri valet. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 6.* Ad Rectorem principalem, ut Curam in habitu retineat, pertinet fructus residuos ex congrua portione Vicario assignata, percipere: ad ipsumque spectat externa defensio, & vindicatio jurium Parochialium in foro contentioso: reparatio fabricæ; imò, & Cura actualis, si Vicaria perpetua vacat per mortem, privationem, vel renuntiationem: Tuncque potest vel per se ipsum, vel per Vicarium temporalem, donec alium præsentet, administrare. *Arg. Trid. sess. 24. de Ref. cap.* 18. Ad ipsumque Rectorem principalem regulariter pertinet nominare, vel præsentare Vicarium perpetuum. *Arg. c. 1. h. t.* & ita declaratum est à *Congreg. Cardin. Garc. de Benef. p. 9. cap. 2. n. 294. Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 6. n. 35. & 45.* quod si beneficium sit juris patronatus accedere debet consensus patroni. C. 3. *de Eccles. ædific.* Episcopus examinat Vicarium præsentatum, an sit idoneus, etiamsi præsentetur ad Ecclesiam, vel Capellam unitam Monasterio, vel Ecclesiæ exemptæ. Nam adhuc Vicarius, & Populus, cui præficitur, subditi sunt Episcopi. *C. 7. de Privileg. in 6. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 6. n.* 47. ad ipsumque Episcopum pertinet institutio talis Vicarij. *C. 3. de Eccles. ædific. c. 3. h. t.* siquidem talis Vicaria perpetua est verum beneficium Ecclesiasticum: ipsique Episcopo competit congruam portionem tali Vicario assignare, quæ plerunque est tertia pars fructuum, vel major, vel minor arbitrio ipsius. *C. 2. de Supplend. negl. C. 12. c. 30. de Præbend. Trid. sess. 7. de Ref. cap. 7.* & in decimis correspondentibus tali portioni habet Vicarius suam intentionem fundatam: sicut Rector principalis in residuis. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 6. n. 39.*

Vi-

294 Vicarius temporalis dicitur ille, qui in locum alterius sufficitur ad tempus, vel ad constituentis voluntatem. Talis Vicaria non est beneficium, nec titulus beneficialis, sed est simplex salarium, vel stipendium, ac proindè non potest quis ad ejus titulum ordinari: nec talis Vicarius regulariter tenetur ad recitationem horarum, & consequenter non gaudet prærogativis, & emolumentis, quibus Vicarij perpetui gaudent. Vicarius temporalis constituitur: 1. quando Rector principalis non habet ætatem legitimam. *C. 2. de Ætate, & qualit.* 2. quando idem Clericus duo beneficia curata ex dispensatione obtinet. *C. 48. 16. q. 1.* 3. si beneficiarius est ingressus religionem, dum novitiatum agit. *Arg. c. 12. de Præbend.* 4. si beneficiarius ex legitima causa absens sit: v. g. ob peregrinationem in pia loca, præcipuè in Terram Sanctam. *C. fin. de Voto, & voti redempt.* vel studiorum causa. *C. 4. de Cleric. non resid.* 5. quando non potest per se ipsum administrare ob infirmitatem. *C. 3. de Cleric. ægrot.* vel ob idiomatis diversitatem. *C. 14. de Offic. Ordin.* vel ob senectutem. *C. 17. 7. q. 1.* vel ob alias justas occupationes. *C. 15. C. 16. 7. q. 1.* 6. quando per mortem, vel resignationem Rectotis vacat Ecclesia. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 18.* 7. quando Divinus cultus ex constitutione Vicarij augendus spectatur. *C. 15. C. 16. 7. q. 1.* sed hi potius sunt cooperatores quam Vicarij, solumque habent jurisdictionem delegatam; sed cum ejs competat ratione muneris, quantumvis temporalis, & sit eadem cum jurisdictione Rectoris principalis, habetur, & reputatur quasi ordinaria, possuntque ipsi Vicarij temporales sibi Vicarium temporalem substituere, eique jurisdictionem, quam ad universitatem causarum habent, delegare possunt quoad partem, regulariter tamen non totam, ut ex D. Thom. & alijs probat *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 31. n. 15.* nisi aliud habeat consuetudo, vel licentia Rectoris principalis accedat, sed nec ipsi Vicarij temporales, imò nec perpetui alium Vicarium perpetuum sibi substituere possunt. *C. 4. h. t. C. 1. eod. in 6. Gonz. in c. 4. h. t. n. 3. latè Barbos. de Jur. Ecclesf. lib. 3. cap. 6. ex n. 50.* Nominatio Vicarij temporalis pertinet. 1. ad Episcopum in Ecclesijs sibi subjectis, si beneficium vacat per mortem, renuntiationem, vel depositionem Vicarij perpetui. 2. Prælatus Ecclesiæ, seu beneficij, cui beneficium Parochiale est unitum potest Vicarium constituere: nec requiritur institutio, vel collatio: sed sufficit Episcopi licentia, & approbatio ad Sacramenta administranda, potestque Episcopus talem Vicarium examinare. 3. quando Parochus ob aliquod justum impedimentum non potest suo officio fungi, potest ad breve tempus authoritate propria sibi constituere Vicarium: si verò sit ad tempus longius duobus, vel tribus mensibus, debet Vicarij constitutio ab Episcopo approbari. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. Barbos. de Jur. Ecclesf. lib. 3. cap. 6. ex n. 50.* Vicaria temporalis finitur, quando Parochus redit ad suum officium: deindè morte, resignatione, & depositione non solum ipsius Vicarij, sed & Parochi, seu Rectoris: & hinc oritur præcipua differentia inter Vicariam perpetuam, & temporalem: nam Vicarius perpetuus solum ab Episcopo instituitur, & destituitur. *C. 3. h. t.* Vicarius tamen temporalis constituitur, & amovetur ad nutum constituentis. *Gonz. in c. 2. h. t. num. 7.*

295 Vicarius Episcopi, non legitimus, seu natus, sed datus, vel dativus, est ille, qui Episcopi vices gerit in jurisdictione exercenda, & ab ipso, sine consensu Capituli, eligitur. Episcopus tamen non tenetur necessariò sibi Vicarium constituere, ut contra aliquos tenet *Barbos. de Jur. Ecclesf. lib. 1. cap. 15. n. 16. cum alijs*: poterit tamen si velit, duos, vel plures Vicarios Generales; & quidem singulos cum jurisdictione insolidum constituere. *Glos. in Cl. 2. de Rescript, v. Principalis. Barb. de Jur. Ecclesf. lib. 1. cap. 15. n. 31.* Et sic de facto accidit in Diœcesi Toletana. Vicarius ergo est duplex: alius *Generalis*, alius *foraneus*. *Generalis* est ille, cui jurisdictionis Episcopalis exercitium tàm quoad jurisdictionem contentiosam, quàm voluntariam committitur, cum quadam generali potestate: Et aliquando dicitur Officialis Episcopi. *C. 2. de Consuet. in 6. c. 1. h. t. in 6. Hispanè*: *Provisor* communiter appellatur. Ex stylo Curiæ Romanæ *Officialis* vocatur ultra Montes Alpinos, ut in Hispania, Gallia, Germania, Polonia, Anglia, & in ultramarinis, ut in Africa. Vicarius tamen vocatur in delegationibus missis ad Italiam, Ungariam, Dalmatiam, Epyrum, Cretam, Siciliam, Corsicam, & partes Orientales. *Barbos. de Jur. Ecclesf. lib. 1. cap. 15. n. 12.* Vicarius Generalis Episcopi habet Dignitatem, hoc est, præeminentiam cum jurisdictione, potestque esse delegatus Pontificis præceditque omnes Prælatos Episcopo in-

Inferiores, etiam Archidiaconum, Abbates, Archipresbyteros, & cæteros Canonicos, etiam Episcopos, non solum in choro, sed ubilibet in distributione palmatum, alijsque functionibus. Si tamen Vicarius est Canonicus, & ut talis indutus assistit, debet in suo proprio loco, juxta suam antiquitatem, & gradum, sedere. Etiam præcedit omnes Commissarios, & Potestates, ac Judices temporales suæ Diœcesis: non tamen Gubernatores Civitatum, quæ Provinciarum sunt capita. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 15. ex n. 34. Et de Offic. Episc. alleg. 54. n. 144. ubi plures Declarationes refert.*

296 Vicarius Generalis habet eamdem jurisdictionem cum Episcopo, sicque ordinariam, datam à jure, supposita electione, & assignatione Episcopi. *L. 6. ff. de Jurisdict.* ut contra *Sotum in 4. D. 18. q. 4. German. & alios* tenent *Glos. in c. 2. h. t. in 6.* v. *Officialem. D. Anton. 3. p. t. 19. cap. 10. §. 2. Covar. Greg. Lop. Azevedo, & plurimi cum Sanch. de Matr. lib. 3. D. 29. n. 3. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. ex n. 26. Gonzalez in c. 5. h. t. n. 5.* ubi idem de Proprætoribus dicit. Siquidem Vicarij non habent jurisdictionem ratione delegationis, sed ratione officij, quod obtinent. *C. 2. h. t. in 6. C. 3. de Tempor. ordin. in 6.* ac proindè lex eis dat jurisdictionem, quæ consequenter ordinaria censetur. *L. 6. ff. de Jurisdict.* nec obstat, quod jurisdictio ordinaria sit penes Episcopum: quia apud ipsum est nomine proprio, & principalitèr, & hinc perpetua: penes Vicarium vero secundariò, & nomine Episcopi, & hinc ad nutum ipsius revocabilis. Sicut apud unum potest esse dominium directum alicujus rei, vel possessio civilis, apud alium verò, dominium utile, & possessio naturalis. Et sicut Legati, tàm missi, quàm nati, licet Vices Pontificis gerant, habent ordinariam jurisdictionem. *C. 1. de Offic. Legat.* & Archidiaconi, qui Vices Episcopi gerebant, jurisdictione gaudebant ordinaria. *C. fin. de Offic. Archidiac.* sic Vicarij jurisdictionem obtinent ordinariam, licet Episcopi Vices gerant. Idem Tribunal cum Episcopo habent, nec à Vicario Generali ad Episcopum appellatur, sed ad Archiepiscopum appellari debet. *C. 2. de Consuet. in 6. C. 3. de Appellat. in 6.* Similitèr Vicarius Scholastici Salmantini, qui Judex studij dicitur. *Hispanè: Juez del Estudio*, idem cum Scholastico, seu Magistro Scholæ Tribunal constituit; ejusque jurisdictio ordinaria, licet aliquomodo limitata, est. *Escobar de Pontif. & Reg. Jurisd. cap. 31. Mendo de Jur. Academ. lib. 1. ex n. 183.* idem est de Proprætoribus.

297 Licet Episcopus possit sibi eligere Assessorem, & Consultorem Laicum in Causis Criminalibus contra Clericos, non tamen potest Vicarium Laicum eligere, sed Vicarius debet esse Clericus: *quia indecorum est, Laicum Vicarium esse Episcopi, & Sæculares in Ecclesia judicare. c. 22. 16. q. 7.* sed non necessariò in Sacris debet esse constitutus, sufficit, si primam habeat tonsuram, & habitum Clericalem deferat. Et sic in Nostra Hispania practicatur, quamvis Clemens VIII. Ordinem Sacrum necessarium esse statuerit; sed in hac parte non est universalitèr admissa Clem. constitutio: debet tamen attigisse 25. annum, quia curam animarum habet: nec potest esse Vicarius conjugatus, cum tales non plenè gaudeant privilegijs Clericalibus. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. ex n. 4.* debet esse in Jure Canonico Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs quantum fieri poterit idoneus. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 16.* potest esse Canonicus Regularis, vel Monachus cum consensu sui Prælati, non tamen Religiosus ex aliquo Ordinum Mendicantium. *Clem. 1. de Regul. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. ex n. 12.*

298 Vicarius Generalis ratione sui officij potest expedire omnia negotia, & causas, quæ ad ordinariam, non verò ad delegatam, jurisdictionem Episcopi pertinent, nisi speciale mandatum requirant. *C. 2. c. fin. h. t. in 6.* cognoscitque de causis matrimonialibus. *C. fin. de Cognat. Spirit. C. 1. de Frigid. & Malefic.* & potest matrimonijs assistere, & in denuntiationibus matrimonialibus, justa causa interveniente, dispensare. Nam in *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 1.* nomine ordinarij intelligitur, & ipse: uno verbo: regularitèr potest omnia, quæ potest Episcopus, ut Judex Ordinarius, nisi aliqua ratione inveniantur excepta. Et hac causa: non potest libere conferre beneficia, nec ad ea præsentare, nec Vicarias perpetuas valet conferre, quando hoc ad Episcopum spectat. *C. fin. h. t. in 6.* nec præsentare ad beneficium juris patronatus pertinens ad præsentationem Episcopi, nec admittere beneficiorum resignationes, quia non habet potestatem destituendi. *C. 2. h. t. in 6.* nec litteras dimissorias dare, nisi Episcopo in remotis agente. *C. 3. de Tempor ordin. in 6.* nec Ecclesias, vel beneficia unire, vel dividere, erigere, vel supprimere; nec imperitis Rectoribus Vicarios

Coad-

Coadjutores dare, nec novas erigere Parochias, nec pensionem beneficijs imponere, nec jus Patronatus alicui reservare, nec donationi juris Patronatus Decretum, seu authoritatem interponere, nec Æconomum Ecclesiæ constituere, nec deponere, à beneficijs, officijs, vel ordine, nec Ecclesias vetustate collapsas in matrices, vel alias viciniores transferre: nec dispensare in irregularitatibus, nec à censuris absolvere, quamquam ex delicto occulto procedant. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. nec interdicta relevare: nec à peccatis Episcopo reservatis absolvere. *C.* 2. *de Pœnit. in* 6. nec hæresim punire, nec ab ea absolvere, etiam de licentia Episcopi: nec publicas pœnitentias imponere, nec pœnitentes publicos reconciliare, nec explorare voluntatem puellæ volentis habitum regularem suscipere, vel professionem emittere: nec auctoritatem interponere ædificationi Monasterij per testatorem relicti: nec concedere facultatem confessiones audiendi, nec dispensare in votis, juramentis, observatione festorum, vel jejuniorum, vel in statutis Diœcesis, vel Legibus Ecclesiasticis: nec visitare Diœcesim, nec congregare Synodum, nec ultimas voluntates exequi, nec res Ecclesiasticas alienare: nec alienationibus, vel transactionibus rerum Ecclesiasticarum præstare consensum: nec restituere in integrum, nec auctorare exemplum ex originali transumptum, ut eandem vim, & authoritatem cum originali habeat: nec repressalias concedere, nec bona Clericorum confiscare, nec pœnas corporales in pecuniarias convertere: nec tractare causas fœudales, & criminales graviores, nec indulgentias concedere, nec charitativum subsidium, nec quartam decimarum, vel mortuariorum, nec Synodaticum imponere. Et etiam si Vicarius sit Episcopus consecratus, non potest Ordines conferre, nec consecrare Ecclesias, Calices, vel Altaria, nec alia, quæ sunt ordinis exercere, nec commendare alteri Episcopo, quia tantum in jurisdictionalibus, non in eis, quæ ordinis sunt, gerit vices Episcopi: quæ omnia probantur ex varijs Declarationibus Cardinalium, & à pluribus DD. licet aliqui in aliquibus contradicant. Latè *Barbos. de Jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 15. & *præcipuè de Offic. Episc. alleg.* 54. *ex n.* 59.

299 Denique in omnibus debet servari tenor concessionis Episcopi. *Arg. L.* 5. *ff. mandat.* & consuetudo legitime introducta. *C.* 8. *de Consuet.* Et Episcopus debet suo Vicario mandatum inscriptis dare: cujus formam affert *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 54. *n.* 56. Ut vero possit Vicarius ea, quæ speciali mandato indigent, exercere, debent sufficienter exprimi in mandato: nec sufficit, quod constituatur, his clausulis adjectis: *Cum plenaria, & libera potestate: quod possit ea, quæ potest Episcopus, & speciale mandatum requirunt. Arg. C.* 4. *de Procur. in* 6. Si verò expressa una causa, quæ requirit speciale mandatum, adjiciatur: & *omnia alia possit, quæ speciale mandatum requirunt.* Solum posset minora, & æqualia expressis requirentia speciale mandatum: ad majora verò esset necessaria nova, & specialis concessio. *Arg. c.* 15. *de Rescript. Cl.* 2. *de Procurat.* In his vero, quæ Vicario specialiter committuntur, non ordinaria, sed delegata jurisdictione gaudet. Officium, & jurisdictio Vicarij finitur per ipsius Vicarij mortem, vel renuntiationem tacitam, vel expressam, vel si Episcopus eum revocet, vel alium Vicarium privativè constituat. Et etiam per mortem, renuntiationem, ingressum in Religionem, captivitatem, relegationem, permutationem, depositionem, vel translationem Episcopi, etiam quoad causas cœptas, & pendentes: & per excommunicationem, suspensionem, vel interdictum ab ipso, vel ab Episcopo incursum suspenditur pro illo tempore Vicarij jurisdictio, & quod illa censura durante fiat, erit irritum: nam cum utriusque jurisdictio sit eadem, finita jurisdictione Episcopi per ipsius mortem, vel translationem, vel suspensa per censuram, etiam Vicarij jurisdictio finitur, vel suspenditur. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 54. *ex n.* 145. Vicarius Episcopi finito officio, non tenetur ad Syndicatum, ut declaravit Greg. XIII. si in officio delinquat in particularium præjudicium Episcopus cognoscit, & punit, sicut cæteri Magistratus suos Officiales puniunt. *C. fin.* §. *Nulli*, 2. *q.* 6. si jurisdictionem Metropolitani offendat, v. g. non deferendo appellationi, vel inhibitionem spernendo, ab ipso Metropolitano censura Ecclesiastica coercetur. *C.* 1. *h. t. in* 6. Episcopus tenetur suo Vicario salarium præbere, etiam si de eo non sit Conventum: quia nullus suis stipendijs militare tenetur. *C.* 2. 28. *q.* 1. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 45. & 46.

300 Capitulum, Sedevacante, tenetur omninò ex *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 16. infra octo dies post mortem Episcopi, Officialem, seu Vicarium constituere, vel existentem confirmare. Si secus factum fue-

fuerit ad Metropolitanum electio devolvitur: sed cum Tridentinum non auferat Capitulo potestatem, hinc est, quod etiam termino octo dierum elapso, si adhuc Metropolitanus non elegit, si Capitulum Vicarium eligat, mora purgata, valida erit electio, cum non irritetur à Concilio. Sic *Garc. de Benefic. p.* 5. *cap.* 7. *n.* 7. *& alij.* Hic terminus octo dierum currit Capitulo, etiam à die scientiæ translationis Episcopi ad aliam Ecclesiam, quando à S. Pontifice fuerit Episcopus à vinculo prioris Ecclesiæ absolutus. Ante Vicarij electionem infra octo dies faciendam, administratio jurisdictionis eo tempore penes totum Capitulum residet, non autem penes primam Dignitatem, scilicèt, Decanum. Et licet de Jure Communi non teneretur Capitulum constituere Vicarium, cum per se posset jurisdictionem exercere; secus est hodie: quippè ultra octo dies, non potest differre Vicarij Constitutionem cum Trid. dicat, quod omninò Vicarium constituere teneatur. Non tamen ipse est necessario eligendus de gremio Capituli; tamen cæteris paribus extraneo præferendus erit, si idoneus in Capitulo inveniatur. Et quidem unus tantum eligendus est, non plures, nisi stante consuetudine immemoriali, quæ debet attendi, ita declaratum à Sacra Congreg. ait *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 54. *n.* 156. quamvis Panvin. tenet, posse Capitulum liberè unum, vel plures Vicarios eligere. In ejus electione non est necessario servanda forma *Text. in C.* 42. *de Elect.* nec forma *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 6. sufficit, si in aliquem major pars Electorum consentiat, *ex Declar. Cardin. Garc. de Benef. p.* 5. *cap.* 7. *n.* 22. Vicario constituto providendum est de competenti salario ex bonis Ecclesiæ vacantis, nisi sit Canonicus, vel de gremio Ecclesiæ. Si Canonicus sit, & à choro absit, inspecto juris rigore, non potest percipere distributiones quotidianas. Si in choro assistat, debet in proprio loco suæ antiquitatis sedere: si non sit Canonicus sedet in sede portatili, non in prima sede, & in Processionibus à prima Dignitate post Episcopum præfertur. Eligi ergo debet juxta *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 16. *Qui saltem in Jure Canonico sit Doctor, vel Licenciatus,* (& quidem in aliqua Universitate) *vel alias, quantum fieri poterit idoneus; si secus factum fuerit ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta Œconomum, & Vicarium idoneum possit constituere.* Formulam creandi Vicarium Capitularem affert, & explicat *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 54. *ex n.* 159. Si electus non sit Doctor, vel Licentiatus in Jure Canonico in aliqua Universitate, erit nulla electio, juxta *Garc. de Benef. p.* 5. *cap.* 7. *n.* 10. & certè Doctor Sacrorum Canonum, quoad hoc Officium, præfertur Magistro, vel Doctori Theologiæ. Electio facta de Theologo, omisso Canonista, erit nulla. *Barbos. Valenz. & alij*, qui varias Declarationes afferunt. Sed cum in Concilio detur arbitrium Capitulo alium idoneum eligendi, & hoc per particulam disjunctivam, ad cujus verificationem qualibet pars disjuncti sufficit. *C.* 4. *de Rescript.* inde tenendum est, quod electio facta à Capitulo de Theologo, non erit nulla, nec irritanda. *Solorz. Polit. Indian. lib.* 4. *cap.* 13. *f.* 606. *alios citans*, & praxim Hispaniæ. Si Vicarius non est Doctor, potest Capitulum ei Doctorem in Consultorem, vel Assessorem designate: alioquin poterit ipse Vicarius Consultorem Doctorem eligere in casibus, in quibus eo opus sit. A Vicario Capituli non datur appellatio ad Capitulum, quia idem est utriusque Tribunal, & Jurisdictio. *Arg. C.* 2. *de Consuet. in* 6.

301 Quoad cæteras qualitates debet Vicarius Capituli habere easdem, quæ in Vicario Episcopi requiruntur. Est tamen major jurisdictio Vicarij Capitularis, quam Vicarij Episcopi, & potest sine speciali commissione Diœcesim visitare. *Barbos. de Canon. & Dignit. cap.* 42. *n.* 68. potest tamen Capitulum aliqua reservare alteri deleganda. Capitulum ergo in Constitutione Vicarij, potest ipsi modum, & tempus procedendi præfigere. Nam cum à Capitulo dependeat Vicarij jurisdictio illam ampliare, & restringere potest: imò potest Vicarium eligere cum clausula, ut per unum tantum annum duret: expedit tamen ut simpliciter constituatur. Et tunc ejus officium durat, quamdiù sedes vacat. Et sic facta electione, ita suo officio functum censetur Capitulum, ut non possit Vicarium ad libitum revocare, ut in Hispania servatur: quamvis plures contrarium teneant, & etiamsi in electione Vicarij Capitulum apposuisset clausulam de non revocando sine causa: quin & si juramentum adjecisset, adhuc posse cum causa, & sine ea Vicarium revocare dicunt, plures Declarationes allegantes. Vid. *Solorz. Polit. Indian. L.* 4. *cap.* 13. *f.* 608. ubi plures pro utraque parte refert *DD.*

&

Declarat. Cardinal. Constitutus verò ob negligentiam Capituli à Metropolitano, potest ad ipsius Metropolitani nutum revocari, sicut constitutus ab Episcopo potest ad libitum Episcopi revocari. Et ita declaratum est apud *Barbos. de Canon. & Dignit. C.* 42. *n.* 48.

302 Vicarius Episcopi, vel Capituli non potest sibi substituere Vicarium, cui totum officium committatur. *C.* 4. *b. t.* quod non solum de Vicario in beneficio, sed de Vicario Capituli, vel Episcopi, etiam intelligitur à DD. nisi ad brebe tempus, nonque nimis frequentèr, ob infirmitatem, absentiam, vel aliud justum impedimentum, vel accedente authoritate Episcopi, vel Capituli; vel unam, vel alteram causam delegare poterit: v. g. si à Capitulo sit electus cum potestate substituendi pro casu infirmitatis, vel absentiæ: & in alijs similibus casibus. Jurisdictio Vicarij Capituli expirat, postquam novus Episcopus confirmatus est, & Episcopatus possessionem accepit. Et ab ipso Vicario, Æconomo, & alijs Officialibus Ecclesiæ vacantis rationem exiget Episcopus administtationis, quam habuerunt, Sedevacante, potestque illos punire, si in suo officio deliquerunt, etiam si redditis rationibus à Capitulo, vel ab eo Deputatis absolutionem, aut liberationem obtinuerint. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 16. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 54. *n.* 181.

303 Vicarius *Foraneus* est ille, qui foris, id est, extra Civitatem residet, & non pro totius Diœcesis causis, sed pro una illius parte designatur, habetque officium cum jurisdictione, sed non Dignitatem, cum careat præeminentia, ac proindè non præcedit Collegiatarum Præpositos: habetque diversum Tribunal, ac Episcopus; appellaturque à Vicario foraneo ad Episcopum, nec habet ordinariam, sed tantum delegatam jurisdictionem ab ipso Episcopo: nec ipse Vicarius foraneus, nec alij Vicarij designati à Prælaris inferioribus Episcopo, possunt esse Papæ delagati, cum careant Dignitate. *Cap.* 11. *de Rescript. in* 6.

304 Vicarius Pontificis, qui hodie debet esse Cardinalis, habet jurisdictionem, & quidem tanquam Episcopus, in his, quæ intra Urbem sunt, & extra eam usque ad quadragintamilliaria, de quo fit mentio in *C.* 13. *de Excess. Prælat.* Quando Pontifex ab Urbe discedit, relinquit in ea Vicarium, seu Legatum, qui habet jurisdictionem tantum intra Urbem ex commissione Pontificis. *C.* 5. *b. t. Et ibid. Gonzal. ex n.* 6. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 48. Huc potest reduci aliud genus Vicariorum, quos olim Episcopi habebant. Siquidem ipsis quidam Coadjutores dabantur, qui Græcè dicebantur *Chorepiscopi*: fueruntque instituti ad exemplum 72. Discipulorum, constituebantque quamdam speciem mediam inter Episcopos, & Sacerdotes: majores his, illis verò inferiores. In pagis, & in villis erant Episcoporum Vicarij, sicut nunc sunt Vicarij foranei. Et à pagis Chorepiscopi dicebantur, quasi pagorum essent Episcopi, sumpta denominatione à duabus vocibus Græcis. In pagis enim plura munera Episcopalia exercebant, distribuebant eleemosynas pauperibus, conferebant Ordines minores, & etiam Subdiaconatum, qui in illis temporibus non erat Ordo Sacer, habebantque animarum curam, aliaque hujusmodi. Sed quia crescente eorum ambitione affectabant, quod est proprium Episcoporum, conferendo Ordines majores, & alia munia Episcopalia exercendo: imò & consecrationem Episcopalem usurpabant, ideò eorum Ordo merito ab Ecclesia fuit damnatus, & repulsus in *C.* 3. *c.* 4. *c.* 5. *D.* 68. Alij Chorepiscopi, vel potius *Coepiscopi* dabantur, qui verè Episcopi erant, & in pagis tanquam Episcopi administrabant, ut sunt hodie Episcopi *Titulares. Gonzal. in C.* 1. *de Privil. ex n.* 7. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 16. *Diction. Univers. de Trevoux*, V. *Chorevequé*: ubi probat, quod non debet scribi *Corepiscopus*, ut aliqui non vulgares faciunt, sed *Chorepiscopi*, ut Voci Græcæ correspondeat.

TIT. XXIX.

De Officio, & potestate Judicis Delegati.

305 JUDEX *à jure*, sive *à justo dicendo* nomen accepit. *C.* 10. *de Verb. signif. Et est persona legitima, seu Legibus non prohibita publicam potestatem habens cognoscendi de controversijs litigantium, & pronuntiandi de eisdem.* Alius est *Notionalis*, seu *Pedaneus*, qui solum cognitionem sine jurisdictione habet: & tales sunt, qui in foro Sæculari *Commissarij* dicuntur, & in foro Ecclesiastico *Auditores*. Alius est *Jurisdictionalis*, qui scilicet jurisdictionem obtinet. Et quidem alij habent jurisdictionem ordinariam, de quibus infra dicemus: alij jurisdictionem de-

le-

legatam habent, & *delegati* dicuntur, qui scilicèt jurisdictionem habent non ex munere proprio, sed ex commissione alterius concessam. *L.* 5. *L.* 16. *ff. de Jurisd. L.* 1. *L.* 19. *tit.* 4. *p.* 3. *Delegare* in genere est alium in suum locum substituere, seu ipsi vices suas committere: qui taliter ab ordinario substituitur, appellatur *delegatus, commissarius, Judex extra Ordinarius, & Judex datus.* Si à delegato substituatur *Judex subdelegatus* dicitur: Et certe potest quis hanc jurisdictionem delegatam habere, non solum à Judice Ordinario, sive Supremo, ut Pontifice, sive inferiori, ut Episcopo, vel alio Magistratu, *L.* 1. *tit.* 4. *p.* 3. ibi: *Otra manera, y ha de Jueces à que llaman delegados, que quiere tanto decir, como omes, que han poderio de judgar segun les mandan los Reyes, ò los Adelantados, ò los otros Jueces Ordinarios.* Sed etiam possunt tales Judices jurisdictionem delegatam habere à jure ipso, vel Canone. Sic talis jurisdictio in pluribus casibus ex speciali concessione Episcopis à jure conceditur in exemptos tanquam Sedis Apostolicæ delegatis. *C.* 13. *de Offic. Ordin. C.* 9. de Hæretic. *C. un.* §. *fin. de Stat. Regul. in* 6. *Trid. S. ff.* 6. *de Ref. cap.* 4. *Et sess.* 22. *de Ref. cap.* 10. Et alibi. Sæpe *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 92. *n.* 3. *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 2. *n.* 10. contra *alios apud ipsos*, qui dicunt in tali casu ipsis Episcopis concedi jurisdictionem ordinariam. Aliquando hæc delegatio competit alicui ratione Dignitatis, qua gaudet, ut in Testibus citatis competit Episcopis: aliquando ratione personæ, quando scilicet, personæ determinatæ, & nomine expresso committitur jurisdictio: Et hæc potest committi ad certam, vel certas causas, v. g. ad aliquam controversiam inter certas personas dirimendam, vel dispensationem in aliquo matrimonio faciendam. Et potest committi ad universitatem causarum, quando scilicèt, alicui committuntur, vel omnes causæ universim, vel saltem in aliquo genere subalterno, v. g. matrimonij, vel decimarum, etiamsi talis jurisdictio ipsi restringatur ad certum locum, vel tempus, vel quantitatem: v. g. ut de decimis cognoscat in hac civitate tantum, intra annum, & quæ non excedant valorem decem aureorum. Hi enim quibus universitas causarum committitur habent jurisdictionem *mandatam*, quæ in rigore à jurisdictione delegata distinguitur: sed jam omnes delegatam jurisdictionem habere dicuntur. Ille, cui committuntur omnes causæ tractandæ inter Titium, & Cajum, si delegatio extenditur ad quascumque causas, etiam futuras, est delegatus ad universitatem, vel potius generalitatem causarum. *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 31. *n.* 4. secus aliter.

306 Delegatus differt à Judice Ordinario, quia hic jure proprio exercet jurisdictionem, secus delegatus, qui tantum eam nomine alieno exercet: à Vicario Generali differt, quia licet Vicarius vice alterius jurisdictionem exerceat, eandem tamen, & in eodem Tribunali, ac principalis habet. Ab arbitro compromissario differt, quia hic non jurisdictionem, sed simplicem cognitionem habet. A mero Executore differt, quia hic non jurisdictionem, sed tantum nudum habet ministerium. Quando sine jurisdictione aliquibus committitur examen causæ controversæ, vel testium, ut rem omnem deferant ad suos principales Judices, ut hi sententiam ferant, tales in foro Civili vocantur *Commissarij*, vel *Consulentes*, in foro Ecclesiastico *Auditores*.

307 Non solum Princeps Supremus, qui aliquando ob multitudinem causarum aliquas delegat, sed etiam Judices inferiores, ordinariam potestatem habentes, possunt aliquas causas delegare, seu vices suas alijs committere. *C.* 7. *de Offic. Ordin. in* 6. Cum possit quis per alium, dum non prohibeatur, quod potest facere per se ipsum. *C.* 68. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 19. *tit.* 4. *p.* 3. *L.* 5. *L.* 16. *ff. de Jurisdict.* ibi: *Solet Prætor jurisdictionem mandare, & aut omnem mandat, aut speciem unam, & is, cui mandata jurisdictio est, fungetur vice ejus, qui mandavit, non sua;* non vero potest judex totam suam jurisdictionem alij committere, quia hoc esset se abdicare officio suo, quod sine Principis consensu facere nequit. *L. pen. junct. Gl. V. Abdicando, ff. de Offic. Præsid.* etiam possunt causas delegare Prior, & Consules Mercatorum secundum jurisdictionem, quam *ex L.* 1. *tit.* 13. *lib.* 3. *R. C.* habent: & etiam Protomedici in casibus. *L.* 1. *tit.* 16. *lib.* 3. *R. C.* exceptis casibus, *L.* 2. *tit.* 16. *lib.* 3. *R. C.* alijs causas committere possunt. *Gonzal. in C.* 3. *h. t. n.* 7. *alios referens.* Delegatus verò regulariter subdelegare nequit. *L.* 5. *ff. de Jurisd.* nisi à delegante hanc potestatem accipiat, quia non habet majorem potestatem, quam, quæ ipsi à delegante concessa est. *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 31. *ex n.* 5. vel si sit delegatus ad universitatem causarum; nam tunc unam, vel alteram subdelegare potest, cum æquiparetur ordina-

gatio; *arg. C. 7. h. t. L. 5. ff. de Jurisdict.* articulus verò non jurisdictionalis, seu nudum ministerium, vel executio potest à quocumque delegato subdelegari. *C. 27. h. t.* Delegatus tamen à Papa, vel ab alio Principe potest alijs subdelegare, ob eminentiam Principis, quem repræsentat; & in hoc æquiparatur ordinario. *C. 3. C. 28. C. fin. h. t. L. 19. tit. 4. p. 3.* ibi: *Los que son puestos por mandado del Rey, pueden poner otros en sus logares, que oyan, è libren aquellos pleytos señalados, que el Rey les encomendare: quier sean comenzados ante ellos por demanda, è por respuesta, quien non. Mas los otros delegados, à quien los Juezes Ordinarios mandan oir, è librar algunos pleytos señalados, non pueden poner otros que los libren en logar dellos, si primeramente non fueren comenzados por demanda, è por respuesta ante ellos. L. 5. C. de Judic.* ibi: *A judice judex delegatus judicis dandi potestatem non habet, cum ipse judicario munere fungatur, nisi à Principe judex datus fuerit.* Non tamen poterit delegatus Principis subdelegare, si in rescripto dicatur, quod cognoscat: *per se ipsum; vel personalitèr*; vel si fortè ob arduitatem causæ sit electa personæ industria. *C. 3. in fin. h. t.* si causa simplicitèr est duobus commissa, nulla alia clausula adjecta potest unus alteri condelegato suas vices committere, & subdelegare. *C. 6. h. t.* & tunc sententiam proferet tanquam delegatus, & subdelegatus sui Collegæ. Si causa duobus sit commissa, cum clausula; *quod si ambo interesse non possunt, alter solus procedat*, unus delegatus non tenetur subdelegatum admittere, sed potest illum per exceptionem repellere, & procedere solus. Nam ex dicta clausula constat, unum solum posse procedere, si alter nolit. *C. 34. h. t.* subdelegatus iterum subdelegare non potest, cum nullibi hoc inveniatur concessum. *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 31. num. 9. Aceved. & alij.*

308 Omnes, qui specialitèr non prohibentur possunt Judices delegati constitui: debent tamen esse majores 20. annis, sed si 18. excesserint, si Princeps scienrèr ipsis commissionem dederit, censetur in ætate dispensare, vel si partes in ipsos consentiant, potest fieri delegatio. *C. 14. h. t.* licet tales non possint esse arbitri compromissarij, etiam partibus consentientibus. *L. 41. ff. de Recept. qui arbitr.* & ratio disparitatis est, quia in arbitrio majus præjudicium, quam in delegatione potest inferri; cum arbiter non possit recusari, nec ab eo facile appellatur, quod secus accidit in delegato. Hodie in nostra Hispania delegatus debet habere 26. annos, nisi Princeps dispenset, ob generalitatem. *L. 2. tit. 9. lib. 3. R. C.* abrogatis, seu declaratis. *L. 5. tit. 4. p. 3. L. 3. tit. 9. lib. 3. R. C. & ibid. Aceved. Gonz. in C. 4. h. t. n. 4.* licet alirer sentiat *Greg. Lop. in d. L. 5. V. Major.* Causæ Ecclesiasticæ, vel etiam temporales personarum Ecclesiasticarum non possunt de Jure Communi Laicis delegari, nec Clerico, & Laico. *C. 2. de Judic. C. 12. C. 18. de For. Compet.* Pontifex vero, qui supra omne jus Ecclesiasticum est, potest ex plenitudine potestatis Laico quascumque causas Ecclesiasticas, & spirituales, etiam inter Clericos controversas delegare; *arg. C. 4. de Concess. præbend. Navarr. Covarr. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 2. n. 160. & alij com.* possunt tamen Laici de Jure Communi arbitrium ferre, & consilium dare in causa Ecclesiastica. *C. 9. de Arbitr.* quia in hoc nullam jurisdictionem exercent. Et hac ratione Laici possunt esse Assessores Judicum Ecclesiasticorum, etiam in causis Ecclesiasticis, & spiritualibus. Prætereà, ut quis possit esse delegatus Papæ, non solum debet de Jure Communi esse Clericus capax jurisdictionis Ecclesiasticæ, sed insuper debet habere Ecclesiasticam Dignitatem, vel personatum, vel Canonicatum in Ecclesia Cathedrali. *C. 11. de Rescript. in 6.* Principalis Episcopi Officialis, & Prior Conventualis possunt esse Pontificis delegati; secus Prior Claustralis, & Vicarius foraneus. *Cl. 2. de Rescript.* potest tamen Pontifex causam delegare, etiam simplici Sacerdoti, vel derogando constitutioni in *C. 11. de Rescript. in 6.* vel addendo clausulam *ex certa scientia.* Nam tunc in ea dispensare censetur. Delegatus Episcopi potest esse quivis Clericus, etiam simplex. *Gloss. in C. 11. de Rescript. in 6. V. Sedis Apostolicæ.* Et si ipsius est subditus potest compelli ad acceptandam delegationem, justa causâ cessante. Secus si subditus non sit: nec partes illum admittere tenentur, si nollent. *L. 17. tit. 4. p. 3.* quia præcipienti extra territorium suum, vel supra suam jurisdictionem, impune non paretur. *L. fin. ff. de Jurisdict.* Sed si talis delegatus acceptavit delegationem potest cogi, ut procedat. *Molin. de Just. & Jur. tr. 5. D. 16. n. 1.* quinimò, & delegatus debet cognoscere de causa delegata intra territorium delegantis, quamvis delegans, etiam extra territorium suum existens possit

cau-

causam delegare: in territorio tamen definiendam. *L.* 17. *tit.* 4. *p.* 3. Delegatus Principis potest, cum Principem repræsentet, quemcumque illius subditum cogere subdelegationem acceptare, & in delegato Papæ hæc potestas ad omnes Christi fideles ob prædictam rationem extenditur. *C.* 28. *h. t.* Delegati nequeunt constitui amentes, furiosi, impuberes, muti, & surdi, *C.* 1. §. *Tria*, 3. *q.* 7. excommunicati. *C.* 24. *de Re jud.* infames, servi, nec fœminæ.

309 Eadem causa potest pluribus simul delegari. *C.* 16. *h. t.* & quidem potest *insolidum* delegari, vel *simpliciter*. *Insolidum* delegatur, quando hæc, vel similis apponitur clausula: *Ut omnes, aut duo eorum, aut etiam unus procedat. Simpliciter*, quando non constat, insolidum delegari. Si eadem causa pluribus insolidum delegatur, locus est præventioni, & alij non possunt se intromittere, quando unus cognoscere cœpit, nisi infirmitate, vel alia causa impeditus, non posit; aut malitiosé nolit procedere. *C.* 8. *h. t. in* 6. Si non insolidum, sed simpliciter causa sit delagata, & unus sine altero procedat, cum limites excedat mandati, erit processus ipso jure nullus, nisi aliter sit expressum in forma commissionis. *C.* 16. *C.* 21. *h. t. L.* 39. *ff. de Re judicat.* nec sufficit quod postea ratum habeatur factum ab ipso. *Gloss. in C.* 21. *h. t.* V. *Teneatur*; quia quod ab initio vitiosum est tractu temporis convalescere non potest. *C.* 18. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 29. *ff. eod.* Nec ille tertius potest huic juri ob favorem publicum introducto renuntiare. *L.* 38. *ff. de Pactis.*

310 Cum jurisdictio sit quid facti, & in quolibet territorio præsumptio sit pro Judice Ordinario, non præsumitur in delegato nisi probetur: ac proinde tenetur delegatus, etiam Sedis Apostolicæ, & etiam Legatus Missus, quem *Hispanè*, dicimus *Nuncio*: litteras suæ delegationis in forma authentica coram ordinario exhibere, & etiam partibus litigantibus: alias parere non debent, neque ordinarius loci, vel alius exequi mandatum tenebitur. *C.* 31. *h. t. C.* 24. *de Rescript. L.* 60. *tit.* 4. *lib.* 2. *R. C.* nec ordinarius tenetur obedire, nec exequi sententiam, etiam conservatoris, si conservator nolit litteras ostendere Episcopo, nec potest Episcopum excommunicare. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 106. *n.* 37. Delegatus Principis regulariter probare tenetur suam commissionem per ipsas litteras authenticas. *L.* 1. *C. de Mandat. Princip. Pareja, Bobadill. Gonz. in C.* 31. *h. t. num.* 1. *cum alijs*, nisi litigantes, & Judex Ordinarius loci sine illis dent fidem delegato. Delegatus verò inferioris per testes potest suam commissionem probare; *arg. L.* 15. *C. de Fid. instrum.* Si Judex delegatus sit Cardinalis illi creditur sine litterarum exhibitione, quando delegatio in nullius tendit præjudicium. *C.* 3. *D.* 97. *Gonz. in C.* 31. *h. t. n.* 5. Etsi delegatus sciat privatim, si nesciat authenticè causam sibi delegatam esse, non potest procedere ante præsentationem rescripti ipsi factam, per quam sciens, & illam acceptans, adquirit jurisdictionem. *C.* 12. *in f. de Appellat. Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 13. Et hinc processus ante ipsam præsentationem factus nullus est, etiamsi postea præsentatio fiat, quia factus est à non habente jurisdictionem. Facta jam præsentatione rescripti, acceptataque commissione à delegato debet ipse accuratè, & diligentèr formam rescripti servare. *C.* 22. *de Rescript. L.* 5. *ff. Mandat.* Ita ut quidquid contra, vel extra ejus tenorem fiat, irritum sit, & inane. *C.* 32. *C.* 37. *h. t.* potest tamen delegatus se extendere ad connexa, vel accessoria. *C.* 5. *h. t.* potest etiam delegatus extra locum in rescripto præfixum cognoscere, si partes huic favori pro ipsis introducto renuntient; *arg. C.* 11. §. *In nullo, de Rescript. in* 6. potest similitèr aliquid se ultra rescriptum extendere, si hoc æquitas suadeat. Nam Pontifex non censetur in suis rescriptis juri partium derogare; *arg. C.* 15. *h. t.* Denique potest ea omnia facere, sine quibus exequi sibi mandatam jurisdictionem nequit. *L.* 2. *ff. de Jurisdict*, adeo ut cognoscat, & pronuntiet, num sua sit jurisdictio, etiamsi pars totalem defectum jurisdictionis objiciat. *C.* 33. *de Rescript.* Nam cum delegatus non agat nomine proprio, sed nomine delegantis, de cujus jurisdictione non dubitatur, fundatam jurisdictionem censetur habere. Et in hoc differt ab ordinario, qui licet possit cognoscere, an habeat jurisdictionem, quando à patte citata objicitur incompetentia respectu ipsius, non tamen potest cognoscere, quando ipsi objicitur totalis defectus jurisdictionis. Nam tunc eam fundatam non habet. Præterea delegatus citat partes, quas si recusent comparere compellit. *C.* 4. §. *fin.* *C.* 5. *h. t.* punit omnes, etiam extraneos, qui ejus jurisdictionem retardant. *C.* 1. *h. t.* compellit testes ad declarandam veritatem. *L.* 47. *tit.* 4.

tit. 4. p. 3. & ſi delegatus Papæ ſit, etiam punit Epiſcopum, ejus juriſdictionem retardantem, debet tamen ejus dignitatem in ipſa coercitione revereri. *C. 28. h. t. niſi altèr fieri ſuaſerit nimia contumacia protervitas, ſeu culpa, c. 2. h. t. in 6.* Licet enim Epiſcopus major ob ſuam Dignitatem, quam delegatus, ſit, tamen delegatus, quà talis, cum Papæ perſonam repræſentet, major Epiſcopo eſt. *C. 11. h. t. C. 28. §. Quia eod.* Etiam abſolvit actorem excommunicatum ob cauſam ad delegatum pertinentem, ſi excommunicatio non eſt ſpecialitèr Papæ reſervata. *C. 21. §. Sexta h. t.* ipſumque actorem ſpoliatum poteſt in poſſeſsionem reſtituere, etiam contra reum abſentem contumaciter, & malitioſé poſt obtentum reſcriptum, ſecus eſt, ſi reus etiam ante obtentum reſcriptum abſens ex legitima cauſa ſit: nam tunc non poteſt delegatus actorem ſpoliatum reſtituere. *C. 10. h. t.* Etiam cognoſcit de reconventione à reo contra actorem poſita, etiamſi in commiſsione non ſit expreſſa. *L. 20. tit. 4. p. 3.* Quando verò aliqua pœna eſt imponenda, ſi à jure ſtatuta eſt, ea debet imponi, ſi non eſt expreſſa arbitrio judicis infligitur. *C. 4. §. 1. h. t.* ubi latè *Gonzalez.* Debet etiam delegatus admittere probationes neceſſarias, & rationabiles exceptiones, frivolas verò repellere. *C. 13. h. t. C. 61. §. Porrò, de Appellat.* & licet delegans prohibuerit, exceptiones admittere, tamen poteſt delegatus notorias exceptiones Juris Naturalis, vel Divini admittere: quales ſunt exceptiones nullitatis, incompetentiæ judicis, defectus citationis, inhabilitatis perſonæ ad agendum, metus, doli, confeſsionis partis, & aliæ hujuſmodi. Debetque deferre legitimæ appellationi. *C. 3. 2. q. 6.* quia eſt defenſio in innocentiæ ſubſidium comparata. *C. 61. §. Porro, de Appellat.* Delegatus Papæ, vel Principis non ſolum de cauſa ſibi commiſſa cognoſcit, & ſententiam profert, ſed ſententiam à ſe latam exequitur. *C. 7. h. t.* Et ibid. *Gonz. l. 19. tit. 4. p. 3.* pro cujus executione habet annum integrum continuum numerandum à lata ſententia. *C. 26. h. t.* Imò, & delegatus ab Ordinario inferiori exequitur ſuam ſententiam, ſi expreſſé non ſibi eam reſervavit delegans. *Molin. de Juſt. & Jur. tr. 5. D. 26. n. 5. Barboſ. in c. 7. h. t. & alij* contra *Barth. Marant. & alios.* Et ratio horum omnium naſcitur ex illa ratione generali, quam in principio propoſuimus ex *l. 2. ff. de Juriſd.* ibi: *Cui juriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus juriſdictio explicari non potuit.*

311 Delegatus Papæ ſuæ ſententiæ executionem poteſt committere Ordinario, ſi per ſe, vel non poſsit, vel nolit eam exequi, illumque, ſi renuat, poteſt compellere cenſuris. *C. 7. h. t.* vel invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis, quod ſi Judex Laicus indebitè auxilium neget, cenſuris compelletur. *C. 26. 23. q. 5. Molin. de Juſt. & Jur. tr. 5. D. 26. n. 3. Gonz. in c. 1. h. t. n. 16.* Si ſententia delegati eſt irrita, non tenetur Judex Ordinarius eam exequi: ſi verò tantum ſit injuſta, non obſtante hac injuſtitiæ ſcientia, & cognitione, debet Ordinarius ſententiam exequi. *C. 28. §. Quia verò h. t.* quia inferiori, ut eſt Ordinarius reſpectu delegati. *C. 11. h. t.* non permittitur de ſuperioris ſententia judicare, an juſta, vel injuſta ſit. *Arg. l. 3. C. Si adverſ. rem judic.* niſi cauſa ſit criminalis, & de vita innocentis agatur: quia hoc cum ſit intrinſecè malum exequi non poteſt. Vel etiam ſi injuſtitia ſit notoria. *C. 54. de Appellat.* quia tunc Executor, ſeu Ordinarius ad Superiorem id referre debet. *C. 5. de Sent. & re judic.* Vel ſi non ſit merus Executor, ſed mixtus, qui habeat aliquam cognitionem. Nam hic poteſt admittere exceptiones, quæ ipſam executionem impediunt, ut ſi impetranti ſolutionem opponatur compenſatio. *Barb. & Gonz. in c. 28. h. t.* Quando diverſæ litteræ, vel contrariæ ſub eadem data impetrantur, ita ut quænam prius, quænam poſterius fuerint conceſſæ, ignoretur, in utrarumque executione ſuperſedendum eſt, donec R. Pontifex Conſulatur, ne pro varietate litterarum, cauſarum fines valeant impediri. *C. 2. h. t. l. 36. tit. 18. p. 3.* Si verò diverſis temporibus ſint impetrata reſcripta, ſi poſterius nullam mentionem de priori faciat, nullum eſt, quia cenſetur ſubreptitium. *C. 3. de Reſcript.* Et ſic hi duo Textus, qui alitèr contrarij apparent, conciliantur. *Gonz. in c. 2. h. t. n. 8.*

312 Omnes cauſæ, quæ ad juriſdictionem ordinariam delegantis ſpectant, & quæ expreſſé non prohibentur, poſſunt delegari. *C. 7. de Offic. Ordin. in 6. C. 2. de Offic. Vicar. in 6. l. un. C. Qui pro ſua juriſd.* Cum ſint tales, de quibus Ordinarius poſſet cognoſcere. *L. 17. tit. 4. p. 3.* cum poſsit quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum. *C. 68. de Reg. Jur. in 6.* Et judex, ad quem eſt appellatum, etiamſi non ſit Princeps, cauſam ad ipſum devolutam poteſt de Jure Canonico alteri

delegare. *C. 11. de Offic. Ordin.* secus de Jure Civili. *Auth. Ad hæc. C. de Judic.* Etiam ea, quæ ordinis sunt valent delegari, si à delegato possunt exerceri: sic Episcopus alteri Episcopo potestatem ordines conferendi delegat: sic Pontifex potestatem ad confirmationis Sacramentum, & Ordines Minores conferendos delegare potest, etiam simplici Sacerdoti. In causis, quæ ad jurisdictionem pertinent, potest delegari negotium in totum, ita ut finiatur omninò à delegante, & potest, tantum delegari principium, ut citatio, vel litis contestatio. *C.* 28. §. 1. *h. t.* vel medium, ut totius causæ examinatio à lite contestata usque ad sententiam, reservata tamen sententia deleganti. *C.* 19. *h. t.* vel finis, ut sententia definitiva, reservata tamen executione. *C.* 27. §. *Verum, h. t. L.* 19. *tit.* 4. *p.* 3. Ita tamen, ut ille, cui tantum sit delegata cognitio causæ, solum possit de ea cognoscere: non verò sententiam definitivam proferre: nam delegatus præcisè habet facultatem concessam à delegante, & nullam aliam, nec ultra concessionem progredi valet. *L.* 5. *ff. Mand. c.* 22. *de Rescript.* Et ideò delegatus debet in causæ decisione consulere delegantem, si hac conditione causa delegetur. *C.* 3. *h. t.* De Jure Civili merum imperium, saltem quoad primum gradum, delegare non potest ab Ordinario, nam hoc Principi reservatur. *L.* 6. *ff. de Offic. Proconsf. L.* 1. *l. fin. ff. de Offic. ejus, cui mand. est jurisd.* ibi: *Mandata jurisdictione privato, imperium, quod non est merum, videtur mandari, quia jurisdictio sine modica coercitione, nulla est*: nisi pro casu absentiæ, vel infirmitatis, vel alterius justi impedimenti. *L.* 1. *ff. de Offic. ejus.* Idem est de jure Hispano. *L.* 18. *tit.* 4. *p.* 3. Et tunc solum cognitio, non verò sententia delegatur, ita ut sententia mortis à Judice Ordinario proferenda sit. *L.* 18. *tit.* 4. *p.* 3. ibi: *Mas los Juezes Ordinarios, despues que fuessen venidos, han de vèr todo lo que pasò ante los Delegados, è dàr la sentencia, segun entendieren, que lo deben facer con derecho.* Et quamvis de Jure Canonico has causas delegari non posse, teneant *Covar.* 3. *var. cap.* 20. *n.* 4. *Menoch. de Arbitr. lib.* 1. *q.* 74. *n.* 45. *& alij*, tamen dicendum est, quod talis delegatio fieri potest. *C.* 2. *de Offic. Vicar. in* 6. *C.* 7. *de Offic. Ordin. in* 6. *Glos. in c.* 10. *de Offic. Ordin. v. Committere. Molin. de Just. & Jur. tr.* 5. *D.* 17. *n.* 4. *& alij.* Imò, & à delegato Principis, secus ab alio, possunt subdelegari tales causæ. *Arg. c. fin.* §. *fin. h. t. Gonz. in c.* 28. *h. t. n.* 8. *cum alijs* contra *Julium Clar. Menoch. & alios.* Aliquæ tamen causæ sunt, ita Supremo Principi reservatæ, ut alijs delegari non valeant, vel non soleant. Sic Summo Pontifici reservantur causæ majores Ecclesiæ, quales sunt, controversias fidei authentice definire, Concilium Generale congregare, impedimenta matrimonij dirimentia statuere, Laicis spiritualia concedere, & alia hujusmodi. *C.* 3. *de Baptism.* Jurisdictio voluntaria ad merum, vel mixtum imperium pertinens, quæ ratione Officij, vel Dignitatis alicui conceditur, & perpetuò illi annexa est, potest delegari: quia ut jurisdictio ordinaria consideratur. Sic Episcopus potest alteri delegare facultatem dispensandi in impedimentis dirimentibus matrimonium, vel dispensandi in Lege Superioris, ut in observatione jejunij, vel festorum, & in alijs casibus, qui secundum Jus Commune Pontifici reservantur, & solum Episcopis competunt ratione imminentis necessitatis, quia non est ad Pontificem recursus. *Arg. c. fin. de Offic. Ordin. Et ibid. Glos. v. Casibus*, nisi res sit magni momenti, vel specialitèr committatur Prælato ob ejus authoritatem. Sic Episcopus solum potest suo Vicario delegare potestatem conferendi beneficia. *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *D.* 40. *ex n.* 13. *plures citans contra alios ibid.* Nec probat contrarium. *Text. in c. fin.* §. *fin. h. t.* Nam ibi agitur de nudo ministerio personæ commisso, ut ex eod. Text. constat ibi: *Cæterum (salva Legatorum Sedis Apostolicæ auctoritate) nulli, cui commissum fuerit prædicare crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, liceat hac de cætero alijs demandare: quia non sibi jurisdictio, sed certum ministerium potius committitur in hac parte.* Secus est in nostro casu: nam talis jurisdictio ex privilegio perpetuò, alicui competens censetur ordinaria: Nec obstat. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. ubi concedens Episcopis casus Papales occultos dicit: *per se, vel per Vicarium*: nam hoc denotat, tales casus non comprehendi in generali Vicariatus commissione: minimè verò, non posse alteri delegari: sic *Sanch. & alij.*

313 Officium, & jurisdictio judicis delegati finitur. 1. Morte ipsius delegati, etiam reintegra. *Arg. l.* 57. *ff. Mandat.* Et quidem si reintegra, plures simplicitèr, & sine clausula sint delegati, unius obitu reliquorum expirat officium, quia

omnes

omnes pro uno habentur. C. 30. c. 42. *b. t.* si verò delegatio facta sit sub nomine dignitatis, aut officij, non verò ratione personæ: v. g. quando in commissione dicitur: Committimus causam Archiepiscopo Manilensi, tunc delegatio ad successorem in Dignitate transmittitur: quia magis inspicitur Dignitas, quam persona. Et hoc tenet etiamsi res sit integra, quia Dignitas perpetua est. C. 14. *b. t. Et ibid. Barb. & Gonz. L.* 47. *tit.* 18. *p.* 3. Et hac ratione, si delegatus amittat Dignitatem, ratione cujus fuit facta delegatio, hæc sequendo Dignitatem, transit ad successorem: quando verò delegatio est facta personæ, etiamsi habuerit Dignitatem tempore commissionis factæ, ut requiritur *ex C.* 11. *de Rescript. in 6.* etsi posteà tempore præsentationis tali Dignitate careat de causa delegata potest cognoscere. Ex regula Text. *in C.* 73. *de Reg. Jur. in 6.* ibi: *Factum legitimè retractari non debet, licet casus eveniat, à quo non potuit incipere*: nisi fortè delegatus habeat statum incompatibilem cum delegatione: v. g. si matrimonium contraxit, vel Religionem est professus, vel si in pœnam delicti sit officio, vel Dignitate privatus; nam in his casibus non potest delegatus de causa delegata cognoscere; *arg. L.* 2. *ff. de Senator. Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 27. *ex n.* 22.

314 2. Per mortem naturalem, vel civilem delegantis publicè notam finitur jurisdictio delegati, si res sit adhuc integra. C. 30. *b. t.* nam ut dicitur *in C.* 6. *b. t. in 6. Cum jurisdictio, ex quo ipsa usus non extitit, non censeatur in eum efficacitèr transivisse.* Et hoc habet locum, si delegatio facta sit à persona, secus si à Lege, vel Dignitate facta sit: v. g. à Sede Apostolica: quia nec Dignitas, nec Lex moritur. C. 5. *de Rescript. in 6.* Ut res non integra dicatur, sufficit citatio partis: imò & quod Decretum citationis sit expeditum, etsi nondum parti sit intimatum. C. 20. *b. t.* ibi: *Proposito citationis edicto*: nec requiritur litis contestatio, ut causa incepta dicatur. Nam *in C.* 19. *b. t.* ex quo videtur probari, esse necessariam contestationem, Pontifex se accommodavit ad casum ibidem propositum; in quo lis erat contestata ante mortem delegantis; quare, cum ibi dicitur: non esse à Judicibus procedendum, si ante litis contestationem delegans decessit, supplendum est, quod *maximè* tunc non est procedendum: quia tunc jam res non erat integra, non tamen excludit, quod per citationem res jam non sit integra, ut sic vitetur correctio jurium *in C.* 19. *c.* 20. *b. t.* & sic supplet *Greg. Lop. L.* 21. *tit.* 4. *p.* 3. ut conformetur *L.* 35. *tit.* 18. *p.* 3. ubi expressè dicitur: *Ca muriendo alguno de estos, non debe valer la Carta, si el pleyto no es comenzado à lo menos por emplazamiento.* Et hanc sententiam tenent *Glos. in C.* 27. §. *Si verò, b. t. Barbos. in C.* 20. *b. t. n.* 3. *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 28. *n.* 10. *& alij*, contra *Arellan. lib.* 1. *Antinom.* 9. *Gonz. in C.* 20. *b. t. n.* 4. *& alios*, qui contestationem litis requirunt. Et etiam contra alios, qui in hoc differentiam inter Jus Canonicum, & Civile constituunt: quin etiam contra alios, qui hos textus inter se irreconciliabiles credunt, ac proinde tenent *Text. in C.* 19. corrigi per C. 20. Hinc non sufficit sola subdelegatio facta à delegato ante obitum delegantis, ut causa non integra censeatur, & videatur perpetuata jurisdictio delegati. *Arg. C. pen. b. t. in 6. Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 28. *n.* 18. neque alia præparatio ad judicium præcedens citationem: v. g. præsentare rescriptum, vocare Notarium, vel testes, præcipere ut citatio fiat. Isti enim actus non sunt propriè judiciales, cum sine causæ cognitione, & extra territorium possint fieri. Etiam per mortem civilem delegantis finitur delegati jurisdictio, sicut morte naturali finitur. *L.* 21. *tit.* 4. *p.* 3. ibi: *La tercera es, si muere, ò pierde el oficio aquel, que manaò oir el pleyto.* Mors enim civilis intelligitur, quando delegans amittit jurisdictionem, tunc enim jurisdictio delegati etiam finitur: nam resolutio jure dantis resolvitur jus accipientis: debet verò tàm mors naturalis, quàm civilis delegantis esse publicè nota in loco, ubi delegatus jurisdictionem exercet: aliàs valent acta delegati ob communem errorem, & titulum coloratum; *arg. L.* 3. *ff. de Offic. Prætor.* Si vero delegatus subdelegavit, cum jurisdictio potius à delegante, quam à subdelegante provenire censeatur, solum per mortem primi delegantis expirabit jurisdictio, re adhuc integra quoad delegatum, & subdelegatum; secus aliter. Nam si delegatus, vel etiam subdelegatus uti cœperat jurisdictione, etiam si primus delegans moriatur, cum jam per talem usum sit jurisdictio radicata in delegato, vel subdelegato: hæc per consequens perpetuatur. *C. pen. b. t. in 6.* Latè *Sanch. de Matrim. lib* 8. *D.* 28. *ex n.* 35. Rescripta gratiæ, quæ à Principe conceduntur absolutè, non expirant morte concedentis, licet res adhuc integra sit; quia beneficium Principis decet esse mansurum. *C.* 16. *de Reg. Jur.* in

in 6. v. g. si alicui concedatur beneficia conferre, nulla persona expressa: si verò committatur gratia mandatario facienda, v. g. quod Titio conferatur beneficium, vel cum illo dispensetur: re adhuc integra, concedentis morte expirat prædicta gratia. *C. 36. de Præbend. in 6.* si gratia est facta, hoc est perfectè concessa ei, in cujus favorem datur, independentèr ab illo, cui exequenda committitur, etiamsi nondum sit executioni mandata: imò ne quidem acceptata ante mortem concedentis, per ipsius mortem non expirat. Sicque Executores designati à concedente, debent eam exequi post mortem concedentis, etiam si cum aliqua causæ cognitione demandata sit. *C. 9. h. t. in 6.* Similitèr dicendum est, si à Papa beneficium conferatur alicui, cum commissione ad Ordinarium, ut ipsi conferat beneficium vacans, aut proximè vacaturum. Vel si dispenset, cum aliquo, committat tamen Ordinario preces examinandas: quia jam est gratia facta. De quibus latè *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 28. ex n. 43.*

315 3. Finitur delegati jurisdictio morte illius, qui erat ex rescripto conveniendus. *C. 36. de Rescript.* nisi ante ejus mortem lis cum ipso erat contestata, vel erat conveniendus ratione Dignitatis. *C. 14. h. t.* 4. Finitur talis jurisdictio per prolationem sententiæ, & ejus executionem, si illam per se executioni mandavit delegatus, vel alteri exequendam commisit. *C. 9. h. t.* quia jam suo officio omninò functus est: Nec potest absque novo mandato in illa causa procedere, nec sententiam emendare, etiam si male, imo & si nullitèr judicasset; *arg. C. 37. §. Si verò, de Elect. in 6.* quamvis Judex Ordinarius, qui nullitèr pronuntiavit sententiam, possit eam revocare, aliamque pronuntiare. *L. 19. ff. de Appellat.* Et ratio disparitatis est, quia Judex Ordinarius habet jurisdictionem magis radicatam, & stabilem, quam, etiam post sententiam, in radice, & habitu retinet: quod secus est in delegato: nisi fortè actus sit extrajudicialis, vel si sententia fuit nulla ob non servatam mandati formam: nam tunc non censetur suo officio, vel jurisdictione usus; *arg. L. 21. ff. de Recept.* vel si ad universitatem causarum sit delegatus: nam cum tunc Ordinario æquiparetur, potest, sicut ille, sententiam revocare: & aliter pronuntiate. 5. Delegati officium cessat, finito negotio per transactionem, vel alio modo, vel si ipse subdelegavit totaliter potestatem sibi commissam: Nam tunc censetur functus suo officio: cum enim jurisdictione se abdicasset; non potest jurisdictionem ad se rursus revocare, nisi res adhuc sit integra: nam tunc causam, etiamsi in totum subdelegasset illam, reassumere potest. *C. 6. h. t. in 6.* Si verò alteri nudum ministerium commisit, non censetur se jurisdictione abdicasse, sed potest revocare commissionem, & per se illam exequi, etiam si Commissarius jam eam exequi cœpisset. *C. 7. h. t. 6.* Cessat, si delegatus pronuntiavit benè, vel malè, sibi nullam jurisdictionem in causa delegata competere. *C. 38. h. t.* functus est enim officio suo: nec potest jurisdictionem reassumere, etiam si partes in hoc consentiant: quia ipsæ nequeunt jurisdictionem dare. *L. 3. C. de Jurisdict.* non tamen extinguitur, si tantum in quæstione incidente pronuntiavit, sibi jurisdictionem non competere: vel si à tali sententia fuisset appellatum: nam per appellationem habetur sententia, ac si lata non fuisset.

316 7. Finitur delegati officium lapsu temporis præfixi: sed quia regulariter terminus in favorem partium statuitur, potest hic communi illarum consensu, suo juri renuntiando, prorogari. *C. 4. h. t.* secus est, si ob favorem publicum sit præfixus, vel si à delegante prohibeatur prorogatio. 8. Finitur revocatione expressa, vel tacita Ordinarij delegantis, etiamsi delegatus jam cœpisset uti jurisdictione sibi commissa. *Glos. in L. 58. ff. de Judic. Milin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 552.* Denique delegati jurisdictio finitur, si ipse à partibus recusetur: ita ut semel ac recusatus est non possit ipse procedere: advertendum tamen est, quod si delegatus Papæ recusatur, quando adhuc non est proposita recusatio potest in totum causam subdelegare. Si jam est recusatio proposita, sed nondum pronuntiatum est super ea, potest subdelegare, consentiente recusatore. Si jam pronuntiatum est, illum esse suspectum, nec consentiente recusatore potest subdelegare. *C. 5. h. t. in 6.* Si delegatus Papæ recusatur, & habeat alios condelegatos cum clausula: *Quod si non omnes possint, unus eorum in causa procedat*, coram condelegato non recusato expeditur, & probatur causa recusationis: quia ad ipsum vi prædictæ clausulæ ipsius cognitio pertinet. Si solus ipse sit delegatus, & causa sit notoria, & expressa in jure delegationem dimittet. Si causa est manifestè frivola, & injusta, potest recusationem rejicere. Si dubia sit, ex consensu partium arbitri eligendi sunt, qui

de

de causa recusationis cognoscant per potestatem ipsis à jure concessam: & Judex recusatus compellet arbitros in unam sententiam convenire, vel ut concorditer tertium advocent cum quo duo, vel alter eorum id faciat, ne hujusmodi occasione principale negotium plus debito prorogetur. C. 39. *h. t.* Si delegatus sit ab Episcopo, vel alio Judice inferiori, tunc ad ipsum delegantem recurrendum est, ut de causa recusationis cognoscat: idem est, si Officialis Episcopi recusetur, licet non appelletur ab Officiali ad Episcopum. C. 4. *h. t. in 6.* de Jure Civili non requiritur, quod exprimatur, nec probetur causa recusationis: Et idem est de Jure Hispano. *L. 22. tit. 4. p. 3.* ibi: *E despues que lo oviere assi dicho, è jurado (scilicet, que lo non dice maliciosamente por alongar el pleyto, mas porque ha miedo, è sospecha del Juez.) non le debe el Judgador apremiar de responder antel, maguer non le diga por que razon lo ha por sospechoso.* Hodie tamen de Jure Hispano idem ac in recusatione ordinarij servatur in recusatione Judicis delegati. Et quidem Judex recusatus in Foro Sæculari non removetur à causæ cognitione, ipse tamen recusatus assumet sibi associatum, seu associatos ad procedendum in causa, prout præscribitur *in L. 1. tit. 16. lib. 4. R. C.* Et ibid. *Acevedo.*

317. Proxima recusationi est appellatio, ac proinde dicere oportet, quid faciendum, quando Judex delegatus in sua sententia aliquem gravat: tunc enim à delegato ad ipsum delegantem appellandum est: vel ad ejus successorem in officio, vel Dignitate, non ad Superiorem illius. *L. 21. §. 1. ff. h. t.* Nam causa debet redire ad illum, in quo jurisdictio radicata est: ut in delegante invenitur: etiamsi totam causam delegasset. Quod si delegatus alteri subdelegavit, ita ut non delegasset in totum, sed jurisdictionem adhuc retineat, tunc ob rationem dictam ad ipsum subdelegantem à subdelegato appellandum est. C. 7. C. 14. *h. t. in 6.* Si vero in totum causam subdelegavit, cum in eo nulla maneat jurisdictio, necesse est, ascendere ad primum delegantem, subdelegante omisso. C. 27. §. *Porrò, h. t.* Etiam ad ipsum primum delegantem recurrendum est, si subdelegatus mortuus, vel excommunicatus, vel aliter impeditus sit, etiamsi subdelegans non in totum subdelegasset. C. 10. *h. t. in 6.* Si unus ex duobus delegatis Principis, cum clausula: *Appellatione remota.* Subdelegat alteri acceptanti, non potest acceptans subdelegare, nec appellatione remota procedere, quod tamen poterat ante acceptationem: Etsi ab isto fuerit appellandum, ad Papam appellabitur, etiamsi non in totum fuerit subdelegatus. C. 27. §. *Si verò, h. t.* Si duo ex tribus à Sede Apostolica delegatis, duobus alijs, non in totum subdelegaverint vices suas, ipsique subdelegati cum tertio delegato in causa delegata processerint, si appelletur ab ipsis, non ad condelegatos, sed ad primum delegantem tantummodo appellari debetur. C. 3. *h. t. in 6.* Quando vero ordinarius causam delegat, quia suspectus est, tunc à delegato non ad ipsum delegantem appellatur, ne una via fiat, quod alia vitari intenditur: sed tunc ad immediatum Ordinarij Superiorem recurritur, & appellatur.

318. Alij Judices delegati dantur, qui *Conservatores* dicuntur. *Conservator* ergo est Judex delegatus à Papa ad aliquem tuendum contra manifestas injurias, seu violentias non solum latas, sed etiam inferendas. Et quidem procedit etiam proferendo sententiam excommunicationis in eos, qui eas commiserint, non tamen utens judiciali indagine. Ita ex C. 1. *& fin. h. t. in 6.* afferunt *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 106. & com. DD.* Conservator non potest subconservatorem deputare, in quo differt ab alijs Principis delegatis. Et à conservatore solum appellatur ad Papam, minimè verò ad ejus Legatum, nisi hoc expressè Legato concedatur. Nostræ Societati est concessum à *S. Pio V. & Greg. XIII.* ut Judices per ipsam in Conservatores eligendi sint Judices Ordinarij. *Molin. de Just. & jur. tr. 5. D. 29. n. 1.* ac proindè possunt subdelegare suam jurisdictionem. C. 7. *de Offic. Ordin. in 6.* De Jure Communi solum possunt Conservatores deputari Episcopi, aut eorum Superiores, Abbates, vel obtinentes Dignitates, seu Personatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesijs. C. *fin. h. t. in 6.* non vero Canonici simplices, nec Superiores Locales Mendicantium, nec Vicarius Generalis, (& in hoc differunt Conservatores ab alijs Judicibus à Papa delegatis) debent tamen esse in altero jurium Graduati, vel si tales non sint, Graduatum debent in Consultorem assumere. *Ex Bull. Leon. X. Regimini. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 106. n. 15. Nullus deputati sibi Conservatoris esse valet Conservator, nec aliquis, Regibus, & Reginis exceptis, potest Conservatorem habere, qui*

sub ipsius jurisdictione Ecclesiastica, vel temporali sit. Conservatores extra Civitates, vel Diœcesis, in quibus fuerint deputati contra quoscumque procedere, aut aliquos ultra unam diætam à fine Diœcesium eorundem trahere non præsumant. Vices quoque suas (citationibus, sententiarum denuntiationibus dumtaxat exceptis, quas per alios valent exercere) nulli committere possunt, nisi hoc eis competit erit ex beneficio litterarum: sed ne tunc nisi intra Civitates, seu Diœceses, in quibus deputati fuerint, & personis tantum, quæ superius sunt expressæ (hoc est illæ, personæ, quæ possunt in Conservatores eligi) *C. fin. h. t in 6.* Ordines Mendicantes sive actores sint, sive rei in causis Criminalibus, seu Civilibus, seu mixtis, possunt non solum assignatos *in C. fin. h. t. in 6.* in Conservatores eligere, sed etiam Canonicos Cathedralis Ecclesiæ, & Vicarios Generales Episcoporum, possuntque procedere sine strepitu judicij, non solum in causis manifestis, sed etiam in his, quæ judicialem cognitionem requirunt, & ultra unam diætam, non tamen ultra tres diætas extra Provinciam possunt partes citare, alijsque suas vices committere, nec eorum jurisdictio morte concedentis expirat, quoad negotia nondum cœpta. Imò & futura tantum. Nam talis delegatio in favorem Religionum est perpetua. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 106. *n.* 51.

319 Conservatores attento Jure Communi *in C. fin. h. t. in 6.* & semotis specialibus concessionibus solum possunt procedere contra injurias, seu violentias manifestas, non requirentes judicialem cognitionem. Hinc, ut conservator possit procedere, debet ante omnia ipsi constare, violentiam, seu injuriam esse notoriam, & manifestam. Si verò reus fatetur factum, & qualitatem ipsius notoriam fuisse: tunc etiam sive in rei veritate tale sit, sive non, semper processus validus erit: nam sufficit partis confessio, ut per illam aliquid notorium dicatur, & de notorietate appareat. Si conservator dubitet de qualitate notorij, debet ante omnia examinare summariè; an violentia, seu injuria, de qua agitur, sit notoria? Etiamsi reus taceat, nec affirmet, & nec neget. Nam debet Judex suam jurisdictionem fundare, ut si notoria sit injuria, procedat; aliàs pronuntiet, se incompetentem. Si de alijs, quam de manifestis injurijs, & violentijs scienter cognoscat, (secus si per ignorantiam etiam crassam) seu ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam extendat potestatem, eo ipso per unum annum ab officio erit suspensus: & quidem non solum ab officio Conservatoris, sed ab officio Clericali: non tamen erit à beneficio suspensus. Pars verò, quæ hoc fieri procuravit in judicio, & quidem effectu secuto, sententiam excommunicationis incurrit, à qua non potest absolvi, nisi ei quem sic fatigavit indebitè, prius satisfaciat integraliter de expensis: Et processus, & sententia nullius momenti erunt ipso jure. *C. fin. h. t. in 6.* potest tamen talis excommunicatus ab Ordinario absolvi, cum non sit absolutio reservata. *Barbos. de Offic. Episcop. alleg.* 106. *ex n.* 47. Notorium, & manifestum, ut possit Conservator procedere, dicitur illud, quod omnibus, vel pluribus Civitatis, vel viciniæ notum, & manifestum est. *C.* 15. *de Purgat. Canon.* At vero ad probandum factum notorium esse, sufficit, quod duo testes legitimè de notorietate deponant, & de sua depositione rationem reddant: nec requiritur, quod omnes testificentur, qui alias ad notorium efficiendum requiruntur. Conservatores debent procedere simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta, sine strepitu, & figura judicij: debent tamen citare partes, & sententiam proferre. *C. fin. h. t. in 6.* Si Conservator suspectus sit potest recusari. *Trid. sess.* 14. *de Ref. cap.* 5. *Cevallos Com. q.* 897. *n.* 779. Et ab ejus sententia appellatur, non solum quando factum est notorium notorietate juris, sed etiam quando tale est notorietate facti. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 106. *ex n.* 32. Conservatores itidem possunt contra inobedientes, & contumaces per censuras, & alia remedia procedere. Et etiam ad executionem demandati sibi negotij brachium Sæculare implorare. *Acevd. in L.* 15. *tit.* 1 *lib.* 4. *R. C. n.* 3. De modo procedendi adversus Episcopos, sic *Alex. IV.* statuit *in C.* 2. *h. t. in 6. Ita, quod eis (quadam condigna reverentia supportatis) ingressus primò ipsis Ecclesiæ, vel Sacerdotale interdicatur ministerium, at deindè ab officio suspendantur, & subsequenter aggravetur Censura Ecclesiastica contra eos, nisi fortè aliter fieri suaserit nimia contumaciæ protervitas, sive culpa.*

Circa Conservatores *Trid. sess.* 14. *de Ref. cap.* 5. decernit, *litteras conservatorias concessas singulis personis cujuscumque Dignitatis, vel conditionis, etiamsi Capitulum sit, & cumquibuscumque clausulis, aut Decretis non habere locum in Causis Criminalibus, seu mixtis ex Criminalibus scilicet,*

ilt, & civilibus, sed tantum in civilibus, & in istis, ubi persona, quibus concessa sunt, non actores, sed rei sint. Nec possit ullus similium litterarum beneficio ultra quinquennium gaudere, nec conservatores possint ullum habere Tribunal erectum. In causis verò mercedum, aut miserabilium personarum hujus Sanctæ Synodi super hoc Decretum in suo robore permaneat. Universitates autem Generales, ac Collegia Doctorum, seu Scholarium, & Regularia loca, necnon Hospitalia actu hospitalitatem servantia, ac Universitatum, Collegiorum, locorum, & Hospitalium hujusmodi persona in præsenti Canone minimè comprehensa, sed exempta omninò sint, & esse intelligantur. Etiam decernit, quod quando conservator est suspectus, aut siqua inter ipsos Judices Conservatorem, & Ordinarium controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos super suspitione, aut jurisdictionis competentia fuerit judicatum. De his omnibus latè *Barbos. de Offic. Episc. allegat.* 106. ubi affert Constitutiones Clem. VIII. & Greg. XV. circa conservatorias Regularium. Scholasticus Salmantinus, *Hispanè: Maestre Escuela* ultra jurisdictionem ordinariam Pontificiam, & Regiam, quam habet in Scholasticos illius Universitatis etiam est Judex conservator: Et hac ratione habet amplissimam jurisdictionem, non solum pro notorijs violentijs, sed pro quacumque causa juxta concordata, quæ constant *Ex l. 18. tit. 7. lib. 1. R. C. Escobar de Pontif. & Reg. Jurisd. cap.* 40. *Mend. de Jur. Academ. lib. 1. ex n.* 167. *Et ex n.* 507. In Nostra Hispania specialitèr est decretum, quod conservatores Religionum, vel aliarum personarum Ecclesiasticarum tantum cognoscant de violentijs, & injurijs notorijs, & manifestis, quæ fiant contra prædictas personas, & quod excessus talium judicum in hoc puncto amissione temporalitatum puniatur. Nec possunt cognoscere de causis profanis, nec inter Laicos. *L. 1. l. 2. l. 3. tit. 8. lib. 1. R. C.* idem jubetur in Indijs, & præcipuè quod observetur Decretum. *Trid. sess. 14. de Ref. cap. 5.* nec possunt eligi a religionibus conservatores contra personas Episcoporum, & Archiepiscoporum; & hoc debet à Cancellatijs Regijs impediri. *L. 16. l. 17. l. 18. tit. 10. lib. 1. R. Ind.* Aliquando possunt compelli Religiosi conservatores eligere in his Provincijs, quando scilicet, non datur Judex, qui de causis ab actore contra ipsos propositis cognoscere valeat ratione laatum exemptionum: nec possunt eligere ut forte olim in conservatores Priores, vel Guardianos Ordinum Mendicantium, sed debent eligere Clericos Sæculares in Dignitate constitutos. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 16. ex n. 15. Solorz. Polit. Ind. lib. 4. cap. 26. f.* 736. Audiamus demum, *l. 17. tit. 10. lib. 1. R. Ind. Por quanto es precisso, que para poder usar los Religiosos de las Ordenes de aquellas Provincias de qualesquier Privilegios, y Bulas de conservatorias, presenten primero ante nuestras Reales Audiencias los motivos, y causas, que les obligan a nombrar Juezes Conservadores, para que vistas, y examinadas, las aprueben, o no consientan usar de ellas, &c.*

TIT. XXX.

De Officio Legati.

320 L*Egatus à legando, seu legendo* dictus est, quasi prius lectus, & electus sit ad negotia publica peragere, & authoritate publica per tractanda: siquidem jam olim à Principe ad Principem, vel à Republica ad Rempublicam ad negotia pacis, & belli expedienda mittebantur, & eorum personæ nec ab hostibus lædi, nec vulnerari poterant, teste Pomponio in *l. fin. ff. de Legation.* ibi: *Si quis Legatum hostium pulsasset, & contra Jus Gentium id commissum esse existimatur: quia Sancti habentur Legati. L. 9. tit. 25. p. 7. c. 9. D. 1.* imò, & ipsis honor, & reverentia debetur ob Principem, quem repræsentant. *L. 25. tit. 18. p. 3.* & injuria ipsis facta ipsorum Principi facta censetur. *C. 15. 2. q. 7. Solorz. de Jur. Indiar. t. 1. lib. 2. cap. 20. n. 27. Gonz. in c. 1. h. t. n. 4. Legatus Apostolicus* est, qui à Pontifice in aliquam Provinciam mittitur, vel ad aliquod nudum ministerium sine jurisdictione, v. g. ad fœdus ineundum, vel cum jurisdictione: & tunc sunt Judices, ordinariamque jurisdictionem obtinent. Et cum eorum potestas maximè pendeat ex litteris suæ commissionis, vel mandati, & cum hæc delegatio sit quid facti, quæ non præsumitur, nisi probetur, non creditur Legatis, nisi exhibeant litteras, & mandatum. *C. 18. D. 63. C. fin. D. 97. C. 31. de Offic. deleg.* Nam licet sint Judices Ordinarij, sunt tamen super inducti, & odiosi, cum sint in præjudicium ordinariorum illius Provinciæ. Et sic de

de Legatis in Nostram Hispaniam missis, quos *Nuncios* appellamus habetur post. *Tit.* 8. *lib.* 1. *R. C.* ibi: *Los Nuncios presenten las facultades, y el Consejo les dà la restriccion para el uso de ellas, segun se declarò por Auto proveido por el Consejo en* 22. *de Diciembre de* 1564. *Parej. de Instrum. edit. Gonz. in c.* 31. *de Offic. deleg. n.* 5. si Legatus sit Cardinalis, & de hoc constet, ei creditur ex bono, & æquo, quoad ea, quæ generali officio Legati continentur; quia Cardinales non solent à Curia, nisi ad legationem exire: non tamen creditur quoad ea, quæ in tertij præjudicium cedunt, vel quæ specialem commissionem requirunt. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 63. *Gonz. in c.* 31. *de Offic. delegat. n.* 5. in Nostra tamen Hispania Legatus etiam Cardinalis litteras Apostolicas suæ commissionis Regio Senatui præsentat, & ibidem examinantur. *Covar. Pract. qq.* 10. *c.* 35. *n.* 4. *Machad. in Sum. lib.* 4. *p.* 7. *tr.* 2. *doc.* 3. in quo ipsis non fit injuria cum ita jam consuetudine servetur. Legati sunt in triplici differentia: nam vel sunt *Legati à Latere*, vel *Missi*, vel *Nati*. *L.* 23. *tit.* 9. *p.* 1. *Legati à Latere* dicuntur, quando sic missi sunt Cardinales; quia quasi à latere, seu Senatu Pontificis mittuntur. *C.* 11. 2. *q.* 6. Hi enim quam primo territorium, ubi Papa residet, egrediuntur, insignibus suo munere competentibus utuntur: scilicet veste purpurea, cum veste linea, seu byssina superiori, Palafredo, seu equo albo phalerato, fræno, & calcaribus deauratis. *C.* 23. *de Privileg. Et ibid. Hostiens. Abbas, & alij cum Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 22. Et ab eodem tempore voluntariam jurisdictionem exercent, ut de Proconsule dicitur *in l.* 1. *ff. de Offic. Proconf. Et ibid. Gothif. l.* 23. *tit.* 9. *p.* 1. ibi: *E los primeros son los que embia el Papa de aquellos que viven con el, assi como los Cardenales, que son parte de su cuerpo, è estos pueden absolver à los que son descomulgados porque metieron manos iradas en Clerigo, ò en otro home, ò muger de Religion, è esto pueden facer en yendo aquellas Provincias, donde los embia el Papa, como quando en ellas fueren, è aun quando se tornaren, fasta que lleguen à la Corte.* Extra Provinciam tamen non exercent jurisdictionem contentiosam. *L.* 1. *ff. de Offic. Proconf.* Legatus verò, cui est commissa legatio in diversis Provincijs potest in una cognoscere de causis emergentibus in alia. *C.* 7. *h. t. & ibid. Gonz. n.* 4. *cum alijs.* Cum supradictis insignibus Civitates processionalitèr ingrediuntur sub baldachino, seu pallio, Populo, & Clero ipsos solemnitèr deducentibus. Archiepiscopi, & alij Legati minores deponunt Crucem, quæ ante ipsos solet deferri. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 5. *ex n.* 18. & ipsi Legati à Latere Crucem per totam suam Provinciam deferunt. *Gonz. in c.* 1. *h. t. n.* 6.

Legati *missi*, qui Nuntij Apostolici dicuntur, sunt quando mittuntur qui Cardinales non sunt. Tales sunt, qui resident in Hispania, Gallia, & Germania: olim *Apocrisarij* Græcè dicebantur quasi *Secretarij* Latinè. *C.* 12. *D.* 16. potestque mitti Subdiaconus. *C.* 1. *D.* 94. vel quicumque idoneus Pontifici videatur. Sed regularitèr eliguntur Prælati, de quorum prudentia, & alijs partibus satis constat. Nuntij Hispaniæ solent mitti cum potestate Legatorum à Latere, sed simul restringitur facultas in collatione beneficiorum. *Garc. de Benef. p.* 5. *cap.* 3. *ex n.* 83. Legati *Nati* sunt illi, qui obtinent Dignitatem, vel Prælaturam, cui perpetuo munus Legati annexum est. Tales sunt Archiepiscopus Cantuariensis. *C.* 1. *h. t.* Eboracensis. *C.* 1. *de Appellation.* & alij. Ille verò, cui à Pontifice aliqua Civitas, vel Provincia Ecclesiæ committitur gubernanda, Gubernator dicitur. Si tamen ad minora negotia, vel ad certam causam terminandam quis mittatur, dicitur Commissarius Apostolicus. Prædictis Legatis in Provincijs, ad quas mittuntur, committitur Legationis officium, ut ibidem evellant, & dissipent, & ædificent, & plantent, scilicèt, Principes, & Populos in fide conservando, vitia, & peccata corrigendo. Suntque tanquam Proconsules, atque Præsides jurisdictionem ordinariam habentes: & quidem Episcopis, & Archiepiscopis ipsarum Provinciarum Superiorem: possuntque statuta condere, quæ, etiam Legatione finita, perseverant. *C. fin. h. t.* Et tanquam Ordinarij in suis Provincijs possunt audire, & cognoscere causas Provincialium ad ipsos devolutas, ita tamen, ut in prima instantia non adeantur, nisi pro causis eis specialitèr delegatis. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 20. quo Decreto manet abrogatus Text. *in C.* 1. *h. t.* ubi dicitur, quod Legatus Papæ etiam per simplicem querelam potest adiri. In appellationibus ad eos interpositis, & in inhibitionibus concedendis debent servare formam, & tenorem Jure Communi statutum, *in c.* 3. *de Appellat. in* 6. Et ita expresse statuitur in *Trid. sess.* 22. *de Ref. cap.* 7. possunt instituere examen

super

super causa electionis Episcopi, non ut de ea cognoscant, sed ut ad Papam mittant. *C. 4. b. t.* Item causas alteri habenti Dignitatem, juxta *C. 11. de Rescript. in 6.* possunt delegare. Et delegati jurisdictio, si præcessit saltem citatio, durat, etiam potestate Legati finita, mortuo, vel revocato Legato. Sed si tunc nonpræcessit citatio expirabit delegati jurisdictio per mortem, vel revocationem Legati. *C. fin. b. t.* Denique omnia possunt facere, quæ Ordinarijs, sive Episcopis in sua Diœcesi, vel Archiepiscopis in sua Provincia competunt: imò & omnia, quæ potest Papa, & ipsi possunt exceptis illis, quæ speciali mandato indigent, vel quæ Papa sibi reservavit. Hinc non possunt conferre Cathedrales, vel Collegiatas, vel Regulares Ecclesias, nec Dignitates Ecclesiarum Cathedralium majores post Episcopos, quæ per electionem conferuntur. *C. 4. b. t. in 6.* Nec possunt Episcopos transferre. *C. 3. b. t.* nec duos Episcopatus unire, nec unum in duos dividere, nec unum alteri subjicere, nec Primatem constituere. *C. 4. b. t.* nec ad se trahere causam alteri à Papa delegatam, nec se illi ingerere, nisi ut justam sententiam confirment, vel exequantur. *C. 2. b. t.* nec restituere aliquem adversus sententiam delegati Papæ, vel Principis; *arg. L. 3. C. Si adversus rem judic.* nec admittere appellationem à sententia talis delegati, cum hic in causa sibi commissa sit major Legato. *C. 11. de Offic. Delegat.* nec de causa ad Papam relata cognoscere valent, quia post talem relationem tanquam non Judices habentur, eorumque manus ligatæ manent. *C. 5. b. t.* Nec possunt conferre beneficia reservata, etiam in sex mensibus alternativæ Episcopi eam habentis. Et etiamsi ipsis concessa sit facultas conferendi beneficia qualitercumque vacantia, non possunt conferre beneficia reservata, sive generalitèr, sive specialitèr; imò etsi habeant facultatem conferendi beneficia reservata, non possunt conferre sine speciali, & expressa facultate beneficia vacantia in Curia. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 1. ex n. 45. Barbos. de Jur. Ecclef. lib. 1. cap. 5. ex n. 42.* Nec possunt conferre beneficia juris Patronatus Laicalis, vel etiam mixti, sine præsentatione Patroni; ne Laici à fundandis, & dotandis Ecclesijs absterreantur. Et quia hæc ratio cessat, possunt Legati conferre beneficia patronata, quando Laici habent tale jus, non ex fundatione, vel dotatione; sed tantum ex privilegio, vel præscriptione. Similitèr possunt conferre beneficium juris Patronatus Laicalis: quando hoc devolvitur ad Episcopum ob negligentiam Patroni in præsentando. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 3. n. 63. Barbof. de Jur. Eeclef. lib. 1. cap. 5. ex n. 44.* Nec possunt conferre beneficia, quæ ad collationem Episcopi jure speciali, vel delegato spectant, *arg. C. 2. b. t.* & ideò nequeunt conferre beneficia devoluta ad Episcopum ob negligentiam Prælati Regularis exempti. Nam tunc Episcopus ea confert authoritate Apostolica. *Cl. 1. de Supplend. neglig.* nec possunt conferre beneficia litigiosa ob *Text. in C. 1. & 2. Ut lite pendent. in 6. Barbof. de Jur. Eeclef. lib. 1. cap. 5. ex n. 41.* nec possunt commendare sine speciali facultate beneficium Parochiale, vel aliud in perpetuum, id est, ad vitam Clerici, cui commendatur: benè tamen possunt ad tempus commendare; *arg. C. 15. de Elect. in 6.* nec possunt Ecclesias Regulares Clericis sæcularibus, nec è contra commendare; & alia hujusmodi. Hæc de Legatis in genere intelliguntur, nunc ad specialia descendamus.

321 Legatus à Latere habet ampliorem cæteris potestatem: ipso enim præsente, cæteri Legati non possunt uti suæ legationis insignibus, nec officio. *C. 8. b. t.* & Episcopus in Civitate, & Diœcesi, cui præest, non potest Populum benedicere præsente in Civitate Legato à Latere, nec deferre vestem, scilicet mozettam, significantem illius jurisdictionem ordinariam; quia in præsentia majoris potestas reverentialis minoris deponitur; non tamen amittitur contentiosa jurisdictio; *arg. C. 6. D. 21. Barbof. de Jur. Eeclef. lib. 1. cap. 5. ex n. 18.* habet etiam jurisdictionem in immediatè Pontifici subjectos. *Glof. in C. 1. b. t.* & contra exemptos potest cognoscere. *C. 1. de Verb. signific. in 6.* non tamen potest aliquem exemptum facere; *arg. C. 10. 16. q. 7.* potest etiam ipse solus (non autem alij Legati) cognoscere causas, & confirmare electiones Episcoporum exemptorum. *C. 36. §. Hujusmodi, de Elect. in 6.* nisi hæc reserventur Pontifici. Præterea, à die, quo à Roma egreditur, quoscumque excommunicatos ob enormen Clerici percusionem ex quocumque loco advenientes, absolvit. *C. 9. b. t. C. 20. de Sentent. excommun.* potest itidem Legatus à Latere in sua Provincia in dispensationibus concedendis, quantum Episcopus in sua Diœcesi; potestque interesse matrimonijs, & alijs licentiam interessendi concedere. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 9. n. 25. Et lib. 3. D. 28. n. 8.*

potest etiam in sua Provincia Indulgentias concedere, & quidem centum dierum, saltem ex consuetudine: quæ quidem perpetuæ sunt, & durant, etiam Legatione finita. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 5. ex n. 72.* Ecclesiastica Beneficia confert in Provincia sibi commissa, & cum Ordinario concurrit. *C. 1. h. t. in 6.* ita ut locus sit præventioni. *C. 31. de Præbend. in 6.* etiamsi talia beneficia ad exemptorum collationem pertineant, vel etiamsi ipsa sint exempta: imò & ea, quorum collatio est devoluta ad Sedem Apostolicam. *C. pen. de Præbend.* nec Legatis currit sex mensium terminus ad conferenda beneficia: potest etiam conferre beneficia suæ Provinciæ, quamvis devoluta ad Prælatum extra suam Legationem, vel etiamsi spectent ad collationem Clericorum alterius Provinciæ: non tamen potest conferre beneficia extra Provinciam existentia, etiamsi per devolutionem, vel aliàs spectarent ad collationem alicujus Prælati de Provincia. Nam magis attenditur locus beneficij, quam persona conferens, & potest habenti beneficium aliud conferre adjecta clausula: *Motu proprio*, absque eo quod mentionem faciat de priori beneficio. Et quidem hæc possunt fieri à Legato, etiamsi extra Provinciam existat. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 3. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 5. ex n. 28. & 51.* possunt etiam Legati à Latere reservare beneficia ad ipsorum collationem pertinentia: sed finita Legatione expirant tales reservationes, & pendente una reservatione in eadem Ecclesia, vel beneficio spectante ad collationem alicujus, non potest aliam in eadem Ecclesia, nec in beneficio spectante ad collationem ejusdem facere. *C. 3. h. t. in 6.*

322 Legatus *Missus*, Jure Communi attento, non aliam potestatem habet, quam quod est suæ Provinciæ ordinarius. *C. 2. h. t. in 6.* & solum absolvit in sua Provincia excommunicatos ob percussionem Clerici, & solum eos, qui sunt è sua Provincia, non verò extraneos. *C. 9. h. t.* nec potest conferre beneficia, nisi ei specialitèr concedatur. *C. 1. h. t. in 6.* nec in exemptos habet potestatem. *C. 36. §. Hujusmodi, de Elect. in 6. Glos. in C. 1. h. t. V. Universas.* Si sit Missus cum hac clausula: *Cum potestate Legati à Latere*, habet eandem potestatem, quoad non specialitèr reservata, quam Legatus à Latere: cum privilegium aliquid debeat conferre, & verba Pontificis aliquid debeant operari. *C. 30. de Privileg. C. 10. eod. in 6. Garc. de Benef. p. 5. cap. 3. n. 82.* contra *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 5. n. 5.* Legatus *Natus* habet Legationem Dignitati annexam, & perpetuam: sed de Jure Communi solum ea potestate gaudet, quam habet ex Dignitate, vel Archiepiscopatu, nec in sua Provincia absolvit excommunicatos ob percussionem Clericorum. *C. 9. h. t. L. 23. tit. 9. p. 1.* ejusque officium non finitur, nisi dimissa, vel amissa Dignitate. *Glos. in C. 3. h. t. in 6. V. Finitur.* Et juxta prædictam Glossam Legatorum potestas expirat. 1. morte Legati, quia mors omnia solvit: quamvis Legatio sit Dignitati annexa, quia juxta communem sensum DD. talis Legatio censetur personalis, non realis, ejusque successor, quasi de novo creatur. 2. Lapsu temporis, si ad certum tempus datus sit Legatus. 3. quando finitum est negotium, ad quod missus est; *arg. C. 4. de Offic. Deleg.* 4. per egressum spontaneum ex Provincia animo non revertendi. *C. fin. h. t.* quando, scilicèt, habet facultatem à Papa Legationem finiendi. 5. Revocatione expressa Pontificis, ac Legato intimata, & probabiliter solum post egressum à Provincia; *arg. L. 3. ff. de Offic. Præsid.* in hoc tamen attendi debet tenor revocationis, ita ut si absoluta sit, statim cesset Legati officium, quod tantum à voluntate constituentis dependet: ac proindè contraria voluntate cessat. Non tamen expirat Legatorum jurisdictio per mortem Papæ, nisi aliqua ex prædictis causis accedat. *C. 2. h. t. in 6.* quia jurisdictionem ordinariam obtinent, & sunt Legati, non tantum Pontificis, quantum Sedis Apostolicæ, seu Dignitatis, quæ nunquam moritur. Si tamen datus aliquis sit ad beneplacitum Papæ, hujus morte finitur officium Legati, sicut ejus morte extinguitur ejus voluntas. De quibus latè *Garc. de Benef. p. 5. cap. 3. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 5. & alij.* In nostra Hispania specialitèr est statutum, quod Nuntij servent dispositionem Trid. in non cognoscendo in prima instantia de causis, quæ ad Ordinarios spectant. *L. 59. tit. 4. lib. 2. R. C.* Et quod non possint dare litteras dimissorias, nec ordines facere sub pœna expulsionis à Regno. Et cum *Ann. 1639.* mortuo Nuntio Campeche, ejus Auditor voluisset continuare jurisdictionem, fuit declaratum in Supremo Concilio, non posse eam continuare. Similitèr declaratum fuit, non posse succedere Nuntium Extraordinarium *D. Cæsarem Faquinete*, qui quasdam litteras Apostolicas ad hunc effectum præsentavit. Et cum dictus Nuntius

tius jurisdictione Nuntij Ordinarij uti cœpisset, antequam aliquid circa suas litteras fuisset resolutum in Concilio, expedita fuit quædam Regia Provisio, ut dictus Nuntius nulla jurisdictione uteretur. Quæ constant ex varijs Decretis, quæ inveniuntur post *Tit.* 8. *lib.* 1. *R. C.*

TIT. XXXI.

De Officio Judicis Ordinarij.

323 JUDEX *Ordinarius* ille dicitur, qui ex proprio munere, adeòque, suo jure jurisdictionem exercet: v.g. ratione officij, quod obtinet *L.* 5. *ff. de Jurisd. L.* 1. *l.* 17. *tit.* 4. *p.* 3. dicitur Ordinarius: quia ordinariè, & regulariter cognoscit de causis suorum subditorum, & ordinariè ab ipsis aditur. *L.* 1. *tit.* 4. *p.* 3. ibi: *E todos estos Juezes, que avemos dicho, llaman en latin Ordinarios, que muestra tanto, como Omes, que son puestos ordinariamente para facer sus oficios sobre aquellos, que han de judgar cada uno en los logares que tiene.* Jurisdictio ordinaria adquiritur 1. à Principe, Republica, vel Magistratu, non recognoscente Superiorem. 2. à Canone, seu Lege: sic Vicarius Episcopi, Archidiaconus, & Consules mercatorum jurisdictionem habent ordinariam. *Molin. de Just. & Jur. tr.* 5. *D.* 8. *ex n.* 4. 3. à consuetudine legitimè præscripta. *C.* 13. *de Foro Compet. & com. DD.* potestque adquiri jurisdictio, quæ ad merum, & mixtum imperium pertinet, saltem per consuetudinem immemorialem, dum tamen talis sit, ut alijs demandari, & delegari valeat, & soleat: cum consuetudo Legis vim habeat. *C. fin. de Consuet. Abb. Covar. & alij*: non tamen potest adquiri merum imperium consuetudine, etiam longi temporis, sed tantum per privilegium: saltem de Jure Hispano. *L.* 18. *tit.* 4. *p.* 3. *L.* 1. *tit.* 15. *lib.* 4. *R. C. Et ibid. Greg. Lop. & latè Azevedo.*

324 Judices esse possunt, qui non prohibentur: ac proinde nequeunt Judices, esse furiosi, amentes, impuberes, muti, surdi, excommunicati, infames, servi, & fœminæ (nisi Reginæ, vel Principissæ sint, & aliquando Abbatissæ.) Cæcus nequit de novo fieri Judex, sed si erat Judex fungitur officio suo. *L.* 6. *ff. de Judic.* de Jure Civili Judex esse poterat, qui habebat 18. annos completos: sed de Jure Hispano debet habere 26. annos ætatis, debetque studuisse decem annis Juri Canonico, vel Civili in aliqua Universitate. *L.* 2. *tit.* 9. *lib.* 3. *R. C.* ibi: *Estudiando Derecho Canonico, ò Civil, à lo menos por espacio de diez años, y ayan edad de 26. años, por lo menos.* Et sufficit in Universitatibus aliorum Regnorum studuisse. Et hæ qualitates requiruntur ad alia officia, de quibus ... dem: *Ningun Letrado pueda aver, n... oficio, ni cargo de Justicia, ni Pesquisidor, ni Relator en el nuestro Consejo, ni en las nuestras Audiencias, ni Chancillerias, ni en ninguna Ciudad, Villa, ni Lugar.* Et insuper debet Leges Regias relegisse. *L.* 4. *tit.* 1. *lib.* 2. *R. C.* Inter Judices ergo Ordinarios; alij sunt *Supremi*, in quibus, tanquam in fonte, reperitur jurisdictio: alij *Inferiores*, qui jurisdictionem, tanquam ex fonte, à pu...tè hauriunt, & participant. Inter omnes, in foro Ecclesiastico, primus est R. Pontifex, qui dicitur Papa, id est, Pater Patrum, Patriarcha Lateranensis, & Episcopus Romanæ Diœcesis: ubi per Vicarium Generalem suam jurisdictionem exercet. Varijs nominibus in jure, & à DD. frequenter nominatur: dicitur enim Sanctissimus, Beatissimus, Episcopus universalis Ecclesiæ. Episcopus totius Orbis, Episcopus Episcoporum, Ordinarius Ordinariorum, Cap... Ecclesiæ, Pastor universalis Fidelium, Princeps Principum, Dominus dominantium, Summus Sacerdos, Vicarius Christi, Petri Successor, Sponsus Ecclesiæ, &c. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 2. *ex n.* 1. *Bellarm. de Sum. Pontifice, & alij com.* ipse tamen se ob humilitatem servum servorum Dei appellat. Divus enim Petrus, ejusque successores, juxta Civil...m, & Politicam Gubernationem, Hierarchiam Ecclesiasticam stabilierunt. Sic Romæ, ubi erat Imperator, Summus Pontifex Sedem collocavit. In Urbibus, ubi erant primi Flamines, & Doctores Legis, Patriarchæ: ubi Archiflamines, Archiepiscopi; in alijs Civitatibus Episcopi fuerunt constituti, suasque Cathedras collocarunt. *C.* 1. *c.* 2. *D.* 80. *C.* 1. *D.* 99. *C.* 1. *de Privileg.* ubi S. Leo ait: *Ut lux veritatis, quæ in omnium Gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.* Denique Chorepiscopi in Pagis ordinabantur, ut essent quasi cooperatores Episcoporum. *C.* 4. *c.* 5. *D.* 68. *Gonz. in C.* 1. *de Privileg.* Et nos supradiximus aliquid de eorum officio, & extinctione.

325 Pontifex ergo est infallibilis in definiendis controversijs fidei, & morum in quibus non potest errare loquens e... Cathedra, hoc est, intendens aliquid pro

fidei articulo, vel pro sana doctrina, ut Supremus Pastor, Pater, & Caput Ecclesiæ definire. Et quidem hoc habet independentèr à Concilio Generali, in quo dissentiunt *Almain. Gers. Castro, & aliqui DD. Sorbonici*: quorum doctrinam aliqui hæreticam, alij erroneam, & hæresi proximam judicant: de quo videatur *Bellarm. de Sum. Pontifice, lib.* 4. Nostram assertionem magno consensu tenent *DD. Catholici cum D. Thom.* 2. 2. *q.* 1. *art.*10. ibi: *Respondendum, quod sicut supra dictum est: nova editio symboli necessaria est advitandum insurgentes errores: ad illius ergo authoritatem pertinet editio symboli, ad cujus authoritatem pertinet finalitèr determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad authoritatem S. Pontificis, ad quem majores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in Decreto: Unde Dominus Luc.* 22. *Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et hujus ratio est: quia una fides debet esse totius Ecclesiæ secundum illud.* 1. *Cor.* 1. *id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata quod servari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia à tota Ecclesia, firmitèr teneatur. Et ideo ad solam authoritatem S. Pontificis pertinet nova editio symboli, sicut, & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum Generalem, & alia hujusmodi.* Quæ doctrina optimè probatur ex Text. *in C.*3. *de Baptism.* ubi Innoc.III. ait: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas intelligit, qui eum quærenti Domino, quem Discipuli dicerent, ipsum esse, respondisse, notabat: Tu es Christus filij Dei vivi. Et pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus.* Unde probatur, solum Petrum, & ejus successores esse Judices in controversijs fidei, independentèr à Concilio Generali; imò Summum Pontificem esse supra Concilium. *C.*4. *C.* 6. *de Elect. C.* 1. *& per tot. D.* 17. sic, & olim dubia Religionis ad Summum Pontificem judicanda deferebantur. *Deut. cap.* 17. *ex n.* 10. ibi: *Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te.* Et *ex D.Hieron. Greg.& alijs* probat *Bellarm.lib.*4. *de Rom. Pontif.cap.*1. Deinde Christus D. apud *Matth.* 16. *v.*18. dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et ut addit *Leo Papa I. in C.*7. *D.* 19. *Ut æterni ædificatio Templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ inferi contra illam prævalerent.* Etiam apud *Joann.* 21. *v.* 17. ait: *Pasce oves meas.* Ex quibus, etiam probatur, quod R. Pontifex est infallibilis regula morum, ita ut non possit errare in proponendo universali Ecclesiæ licitum, ut amplectatur, & in prohibendo inhonestum ut vitetur: alias errare posset in pascendis ovibus doctrina morum. Quod locum habet etiamsi aliqua quæstio facti admisceatur, dum tamen ad doctrinam sit pertinens, & cum ea connexa. *Bellarm. lib.* 4. *de Sum. Pontif. cap.* 5. *Platel. de Fide*, §. 4. *ex n.* 122. *Barb. Suar. de Fide*, *D.* 5. *sect.* 8. *ex n.* 4. *& alijs.* Et multoties Romani Pontifices etiam extra Concilium damnarunt varias propositiones, ut hæreticas, scandalosas, & pernitiosas; & pro talibus ab omnibus fidelibus habitæ sunt. Sic *Innoc. X. An.* 1655. damnavit hæresim Jansenij. Alex. VII. Innoc. XI. & Alex. VIII. varias propositiones, ut scandalosas, & periculosas in materia morum damnarunt. Et denique Clem. XI. damnavit die 8. Septemb. *An.* 1713. 101. propositiones contentas in Libris Paschalis Kesnel. edita Bulla celebri: *Unigenitus*: quam, si aliqui discoli in alijs Regnis impugnarunt, in nostra Hispania reverentèr amplexati sunt, non solum particulares Doctores, sed etiam præcipuè universitates publico edito testimonio, maximè Academiæ nostræ Salmantina, & Granatensis. *Vid. Lacr. lib.* 1. *ex n.* 202. *Platel. de Fide, cap.* 1. §. 4. *ex n.* 121. *Suar. ubi supra, & alij com.* Qui respondent Hæreticorum argumentis. Nec ipse Pontifex potest errare in canonizatione Sanctorum. *D. Thom. quodlib.* 9. *art. ultim. Cano, Bellarm. Azor. Valent. & alij com. cum Suar. de Fide*, *D.* 5. *sect.* 8. *n.* 8. de quo alibi: quia non posset credi, ut fide credendum est, Sanctum solemnitèr canonizatum esse in Cœlis, si posset Pontifex in canonizatione Sanctorum falli: Et quidem specialis instinctus, & assistentia Spiritus Sancti facit, ne in judicio suo erret, licet aliquando dependeat ex facti probationibus: cum sit quædam quasi professio, & protestatio fidei, qua Sanctorum gloriam credimus, ac proindè pertinet ad statum universalem totius Christianæ Religionis. Similitèr errare nequit in approbatione Religionum, saltem quoad ea, quæ pertinent

tinent ad . doctrinæ, & condu- centiam in spiritualem animæ salutem, & ... onem consequendam. Ita contra Can. Locis, L. 5. cap. 5. tenent *Azor. Valent. Suar. de Fide, Disp. 5. sect. 8. n. 9. & latius in t. 3. de Religion. lib. 2. cap. 17.* de quo alibi dicemus quia error circa hujusmodi approbationem inferret errorem circa doctrinam fidei; & morum. Quando aliqua religio extinguitur; hoc ideo est, quia ejus alumni, recedendo ab observantia sui instituti, scandalum fidelibus causant: vel quia sine approbatione legitima forte fuit talis religio instituta, ut secta fraticellorum. *Extr. 1. de Religiof. domib. Joan. XXII.* nec alius præter Romanum Pontificem potest jam Religiones approbare. *C. 1. de Relig. domib. in 6.* nec Sanctos canonizare. *C. 1. de Reliquijs, & vener. Sanctor.* Romanus tamen Pontifex non est infallibilis, ut persona particularis, hoc est, quatenus est talis homo, habensque tales qualitates personales, secundum quas est doctus, nobilis, Sanctus, prudens, &c. Nam tunc, ut persona particularis discurrit; vel resolvit: imò etiam ut Summus Pontifex non est infallibilis in quæstionibus meri facti; non pertinentibus ad Communem fidem Ecclesiæ; religionem, vel morum sanctitatem. Etiam potest errare in alijs quæstionibus particularibus: v. g. an hic Episcopus sit talis criminis reus, irregularis, excommunicatus; vel deponendus: an cum hac; vel illa persona sit dispensandum in voto, vel matrimonio, & alijs hujusmodi: imò & Pontificem, ut personam particularem posse esse Hæreticum; ex *C. 6. D. 40.* tenent plures contra *alios*, qui id negant ex *Luc. 22. v. 32. Ego rogavi pro te ne deficiat fides tua.* Et ipso jure cadere à Papatu per hæresim tenent *Turrecremata, Paludan. Dried. Castro, & alij;* non tamen ipsofacto à dignitate cadere tenent *Suar. de Fid. D. 10. sect. 6. n. 3. Cajet. Can. & alij.* varij casus, & Textus solent afferri ad probandum Pontifices errasse. Tales sunt Text. *in C. 12. de Consecr. D. 2. C. 18. 32. q. 7. C. 24. de Consecr. D. 4. C. 10. de Testam. C. 3. de Sponsa duor. C. 7. de Divort. C. 1. de Verb. signif. in 6. Extrav. 4. & 5. de Verb. signif. Joan. XXII.* qui omnes debent intelligi in sano sensu, ita ut omninò excusetur error, ut in pluribus excusatur. Vel si non possit excusari, vel si velimus via breviori respondere, dicendum est, tunc Pontifices ut personas particulares processisse. Vel errasse in quæstionibus meri facti, non habentibus ullam connexionem cum quæstionibus juris circa fidem, vel mores. Nam pro tali casu nullibi est promissa infallibilitas. Nec talia definire pertinet ad officium universalis Pastoris animarum, aut Capitis Ecclesiæ; cui assistentia Spiritus Sancti promissa est ad dirigendas oves in rebus salutis; seu fidei, & morum.

326 Pontifex etiam habet potestatem Leges condendi, quæ universalem Ecclesiam etiam in conscientia obligent; & quascumque Leges Ecclesiasticas abrogandi, & dispensandi in toto Jure Canonico, ut Supremus Legislator. Ita contra varios Hæreticos tenent Catholici *ex Deut. 17. v. 12. Matth. 16. v. 19.* ubi Christus D. dixit D. Petro: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cœlis, C. 4. de Concess. præbend.* ibi: *Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare. Suar. de Legib. lib. 4. cap. 3. Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. ex cap. 15. & alij;* non tamen potest abrogare, quæ de Jure Naturali, vel Divino sunt. *C. 6. C. 7. 25. q. 1.* potest tamen declarare, seu interpretari in aliquo casu particulari cessare obligationem Juris Divini. *Gloss. in C. 5. de Voto*, potest novos Ritus in Ecclesia introducere, & veteres abrogare: non tamen potest mutare quæ pertinent ad materiam, & formam, cæteraque substantialia Sacramentorum à Christo D. determinata, utpotè Juris Divini. Supremam itidem potestatem obtinet non solum in foro externo, sed etiam in interno. Et vi illius potest absolvere à quibuscumque peccatis, & relaxare vota, & juramenta, & ligare censuris: indulgentias, etiam plenarias tam pro vivis, quàm pro defunctis concedere. Ei etiam competit plenissima dispositio de Ecclesijs, Monasterijs, beneficijs, eorumque bonis, & juribus. Ejus ergo potestas à Christo immediatè data se extendit ad omnes totius Orbis Christiani fideles, seu baptizatos. *C. 4. de Jur. jur. Cl. 1. eod. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 2.* Et in signum prædictæ potestatis semper, & ubique utitur pallio. *C. 4. de Auth. & usu pallij.* Et ubique terrarum defert Crucem; *arg. C. 23. de Privileg.* & omnes ejus pedem osculantur. Omnes fideles judicat, à nemine mortalium judicatur. *C. 6. D. 40.* potest tamen se aliorum judicio submittere ad majorem suæ justitiæ ostensionem: sic Leo Pontifex Maximus se judicio Imperatoris submisit *in C. 41. 2. q. 7. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 2. n. 34.* Denique ut

Prin-

Princeps Sæcularis potest in suo Territorio omnia, quæ cæteri Principes Supremi. *C. 7. §. 1. de Appell. C. 7. C. 13. qui filij sint legitim.* in alijs vero Regnis nullam jurisdictionem directam habet: sed solum spiritualem, & hujus ratione aliquam potestatem indirectam habet in rebus temporalibus totius Mundi, quatenus spiritualem potestatem concernunt. *C. 6. de Major. & obed.* Et hac potestate abrogat Leges Civiles, quæ fovent peccatum. *C. fin. de Præscript.* Et de hac potestate intelliguntur. *Extrav. 1. de Maj. & obed. int. com. & alij Textus concord.* Et hinc dicendum, Romanum Pontificem hac potestate gaudere, etiam respectu Regnorum infidelium, ut ad fidem convertantur, validamque, & legitimam esse donationem Insularum, & terrarum. Novi Orbis factam *ab Alex. VI.* nostris Catholicis Regibus: quidquid alij dentibus fremant, & rabescant. De quo latè *Solorz. de Jur. Ind. t. 1. lib. 2. cap. 23. Greg. Lop. in L. 2. tit. 23. p. 2. & plures alij.* Et præcipuè probatur *ex Bull. Alex. VI.* quæ habetur in 7. Decretal. *lib. 1. tit. 9.* ibi: *Motu proprio non ad vestram, vel alterius pro vobis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes Insulas, & Terras firmas inventas, & inveniendas, detectas, & detegendas versus Occidentem, & Meridiem, fabricando, & construendo unam lineam à Polo Arctico, scilicèt, Septemtrione, ad Polum Antarcticum, scilicèt, Meridiem, sue Terræ firmæ, & Insulæ inventæ, & inveniendæ sint, versus Indiam, aut versus aliam quamcumque partem, quæ linea distet à qualibet Insularum, quæ vulgaritèr nuncupantur de los Azores, y Cabo Verde centum leucis versus Occidentem, & Meridiem, ita quod omnes Insulæ, & Terræ firmæ repertæ, & reperiendæ detectæ, & detegendæ à præfata linea versus Occidentem, & Meridiem, per alium Regem, aut Principem Christianum non fuerint actualitèr possessæ usque ad diem Nativitatis Domini Nostri Jesu-Christi, proximè præteritum, à quo incipit annus præsens millesimus quadringentesimus nonagesimus tertius: quando fuerunt per Nuntios, & Capitaneos vestros inventæ aliquæ prædictarum Insularum authoritate Omnipotentis Dei Nobis in Beato Petro concessa, ac Vicariatus Jesu-Christi, qua fungimur in terris cum omnibus illarum dominijs Civitatibus, Castris, locis, & villis, juribusque, & indictionibus, ac pertinentijs universis, Vobis, hæredibusque, & successoribus vestris [illegible] Legionis Regibus) in perpet[illegible] præsentium donamus, concedimu[illegible] Vosque, & hæredes, ac [illegible] es præfatos illarum Dominos cum plena, libera, & omnimoda potestate, authoritate, & jurisdictione facimus, constituimus, & deputamus: decernentes nihilominus per hujusmodi donationem, & concessionem, & assignationem nostram nulli Christiano Principi, qui actualitèr præfatat Insulas, & Terras firmas possederit usque ad dictum diem Nativitatis Domini Nostri Jesu-Christi, jus quæsitum, sublatum intelligi posse, aut auferri debere. Et insuper mandamus vobis in virtute Sanctæ obedientiæ (ut sicut pollicemini, & non dubitamus pro vestra maxima devotione, & Regia magnanimitate, vos esse facturos) ad Terras firmas, & Insulas prædictas, viros probos, & Deum timentes, doctos, peritos, & expertos ad instruendum Incolas, & habitatores præfatos in Fide Catholica, & bonis moribus imbuendum, destinare debeatis, omnem debitam diligentiam in præmissis adhibentes.* Facit *L. 1. tit. 1. lib. 1. R. Indiar.* ibi: *Dios Nuestro Señor, por su infinita misericordia, y bondad, se ha servido de darnos, sin merecimientos nuestros, tan grande parte en el Señorio de este Mundo, que demàs de juntar en nuestra Real Persona muchos, y grandes Reynos, que nuestros gloriosos Progenitores tuvieron, siendo cada uno por si poderoso Rey, y Señor, ha dilatado nuestra Real Corona en grandes Provincias, y tierras por Nos descubiertas, y señoreadas àcia las partes del Mediodia, y Poniente de estos nuestros Reynos. Provinciæ, & Regna quæ nunc à nostris Regibus feliciter possidentur, specialitèr refer[illegible]tur in tit. 15. lib. 2. R. Ind.*

327 Post R. Pontificem secundum locum in Hierarchia Ecclesiastica Cardinales S. R. Ecclesiæ tenent: sic enim dicti sunt, teste *Eugenio IV. quia sicut super Cardinem volvitur ostium domus, ita super hos Sedes Apostolica, totius Ecclesiæ ostium quiescit, & sustentatur.* Illorum officium tempore Apostolorum cœpit, & ad similitudinem Sacerdotum generis Levitici fuerunt instituti. *C. 13. qui filij sint legit.* Titulus, & nomen Cardinalium tempore S. Sylvestri I. & Constantini Magni incœpisse videtur: de eis facit mentionem Gelasius Papa *in C. 3. D. 24.* Dignitas illorum olim infra Episcopos erat; *arg. C. 6. de Censib.* Sed à *Bonif. VIII.* supra omnes Episcopos, & Prælatos fuerunt evecti: & meritò quidem: quia ipsi, etiamsi Episcopi non sint, faciunt unum Corpus, &

Con-

Consistorium cum R. Pontifice ad Ecclesiam gubernandam in toto Orbe. Olim Illustrissimi dicebantur: sed *Urban. VIII.* titulum Eminentiæ eis dedit, qui proindè hodie Eminentissimi indigitantur: sicut Electores Ecclesiastici Imperij, & Magister equitum Melitensium. Dicuntur etiam esse latus, & Socij R. Pontificis, Lumina Ecclesiæ, Lucernæ ardentes, Patres Spirituales, & Columnæ Ecclesiæ, Regibus æquipatantur, & licet Reges in suo Regno, vel extra præcedant Cardinales, ut particulares, in Consistorio post primum Episcopum, vel antiquiorem Presbyterum locum obtinent. *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 4. ex n. 7.* Rex Noster scribens Cardinali Belluga sic loquitur. *Muy Rdo. en Christo P. Card. Belluga mi muy charo, y muy amado amigo. Innocentius IV.* circa *Ann.* 1244. Cardinalibus missis ad regendas terras Ecclesiæ rubeum galerum dicitur tradidisse: quod postea ad omnes Cardinales extensum fuit, exceptis Religiosis, qui birretum ejusdem coloris, cujus erat habitus religionis, afferebant: postea *Greg. XIV. Anno* 1590. *vel* 1591. dedit birreta rubra Cardinalibus Religiosis, habitu in cæteris nihil immutato: Itaque hodie omnes rubro galeto, & birreto ornantur, quo denotatur promptitudo ad effundendum sanguinem pro fidei defensione, ut ex formula, qua Cardinalibus galerus traditur constat. Solus Papa creat Cardinales, Principes Christiani unum, vel alterum proponunt. sunt numero 72. sicut Discipuli Domini, & sunt in triplici ordine. Alij enim sunt Episcopi; qui hodie sunt sex, olim octo erant: scilicèt Hostiensis, cui conjuncta fuit Ecclesia Velitetna, Portuensis, cui conjunctus fuit Sylvæ Candidæ, seu S. Rufinæ Episcopatus, Tusculanus, Sabinensis, Prænestinus, & Albanus. Alij Presbyteri sunt: & 51. numerum implent. Alij sunt Diaconi, & sunt 15. quem numerum, vel minuere, vel augere benè valet Pontifex. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 3. n. 43. qui ex n. 45.* affert titulos particulares omnium Cardinalium, & *Bull. Sixti V.* Non possunt creari Cardinales illi, qui sunt illegitimi, etiamsi per subsequens matrimonium legitimentur: nec, qui habet filios, vel nepotes. Frater ex uno parente germanus, vel patruelis consobrinus, vel amitinus, nec patruus, aut avunculus nepotis ex fratre, vel sorore Cardinalis viventis, vel è converso, nequeunt esse Cardinales. *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 3. ex n. 16.* nec Cardinales esse possunt, qui aliqua irregularitate, defectu, vel vitio laborant: Imò debent esse lectissimi, & præcellentes viri, quorum vitæ probitas, morum candor, præstans doctrina, eruditio rara, eximia pietas, erga salutem animarum ardens studium, & zelus, aliæque qualitates tam ipsi Pontifici, quàm universo Sacro Collegio, vel Cardinalium Senatui, cognitæ, & probatæ sint, dignique inveniantur, ut pleno ore, & non de nomine tantum Eminentissimi appellentur. Ad Cardinalatum requiritur ætas 30. annorum, sicut ad Episcopatum: arg. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1.* Cardinalis Diaconus potest esse, qui in 22. anno suæ ætatis constitutus sit. *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 3. n. 33.* in Ecclesijs sui Tituli, licet Presbyteri, vel Diaconi tantum sint quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent. *C. 11. de Major. & obed.* possuntque matrimonijs assistere, vel licentiam assistendi concedere; & uti insignibus Pontificijs, solemniterque benedicere, conferre beneficia, & visitare personas sibi subjectas, in easque ferre Censuras. Et si saltem Presbyteri sint possunt ibidem suis subditis conferre Ordines minores. *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 4. ex n. 33.* Et privilegia Episcopis concessa, quæ non requirunt consecrationem ipsis concessa censentur. Et de eorum causis solus Pontifex cognoscit. Et regularitèr non tenentur Regulis Cancellariæ, nec alijs Constitutionibus odiosis, & pœnalibus: possunt condere testamenta, etiam sine solemnitate, sicut milites. Si reo ad patibulum ducto occurrant, & eum pileo, vel veste tegant, manet reus immunis, nisi fortè reus atrocioris criminis sit. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 4. ex n. 54.* Cardinales Episcopi non excusantur à residentia in suis Ecclesijs. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1.* Cardinales omnes olim in Consistorium apud Pontificem bis in hebdomada conveniebant: Hodie semel tantum. In Consistorio proponuntur, & deciduntur controversiæ electorum ad Ecclesias Cathedrales, ubi Ecclesiæ vacant, discutitur, ad quem pertinet electio. Eliguntur propositi ad beneficia Consistorialia, id est, quæ sunt Apostolicæ Sedi reservata. Ibidem tractantur quæ spectant ad cultum Divinum, ac fidem Christianam, religionem, & pacem Orbis Christiani, & etiam temporalem Romanæ Ecclesiæ conservationem. Et in alijs negotijs arduis Papa Cardinalium Consilium requirit, de honestate quidem. *C. 17. v. Decet. de Elect. in 6.* non tamen de necessitate.

C.

C. 14. *de Pænit. & Remis.* In Concilijs Cardinales, etsi Episcopi non sint, habent votum decisivum, sicut Episcopi; & in Conc. Later. sub Leon X. ante Episcopos subscripserunt. *Suar. de Fide D.*11. *sect.* 1. *n.* 17. Eligunt novum Pontificem, quando Sedes vacat, faciuntque omnia ea, quæ ad defensionem Ecclesiæ Sede-vacante, sunt necessaria. C. 3. *de Elect. in* 6. *Cl.* 2. *eod.* sed non succedunt in jurisdictionem Papæ, sicut Capitulum Cathedrale succedit in jurisdictionem Episcopi. *Cl.* 2. *de Elect.* quia jurisdictio Pontificia à Christo solum Petro, ejusque successoribus fuit concessa. Tempore schismatis Concilium congregant, cujus authoritate de Pontifice certo provideatur, ut factum Concilij Constantiensis in electione Martini V. probat. In Ecclesia Compostellana, & alijs, aliqui Canonici appellantur Cardinales ex Pontificio privilegio, quod ad magnum Ecclesiæ illius splendorem conducit, non tamen ipsis privilegia Cardinalibus concessa competunt. Aliquando Parochi Cardinales appellantur in jure. Nam Cardinales in sua prima institutione nihil aliud erant, quam Presbyteri principales, vel Parochi Ecclesiarum Romæ.

328 Post Cardinales Patriarchæ sequuntur. *Patriarcha* significat *Summum Patrem, vel Principem Episcoporum, c.* 1. *D.* 21. quia præpositus est Archiepiscopis, & Episcopis totius Regni. Alij *majores*, alij *minores* dicuntur. Majores sunt. 1. Papa in Lateranensi Basilica per totum Occidentem, scilicèt, Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Angliam, Dalmatiam, &c. Et hic habet primatum in Universali Ecclesia. Nam Ecclesia Romana est omnium Mater, & Magistra. *C.* 23. *de Privil. quæ disponente Domino super omnes alias Ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpotè Mater Universorum Christifidelium, & Mag. C.* 1. *D.* 12. *C.*9. *de Hæretic. Trid. sess.* 6. *de Baptism. Can.*3. *Et sess.* 14. *de Extr. Unct. cap.* 3. *& sæpè alibi in jure.* 2. Constantinopolitanus. 3. Alexandrinus. 4. Antiochenus. 5. Hierosolymitanus. *C.* 23. *de Privileg.* Minores sunt Aquileensis, Venetus, qui in locum Gradensis, de quo fit mentio in *C.*11. *D.* 32. succesit. Patriarcha Indiarum, & Æthiopiæ. Ecclesia Hispalensis, & denuo Olisyponensis etiam titulo Patriarchalium insigniuntur. Olim magna erat Patriarcharum majorum potestas. Nam Archiepiscopis subditis pallium concedebant, cognoscebant de eorum causis, illosque deponere poterant: Crucem ante se ubique valebant deferre, nisi in Urbe Roma, & ubicumque Summus Pontifex, aut ejus Legatus utens insignibus Apostolicæ Dignitatis præsentes essent. In omnibus Provincijs eorum jurisdictioni subjectis, ad eos provocabatur, salvis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humilitèr deferendum. *C.* 23. *de Privileg. C.* 1. *D.* 80. In Concilijs ante Cardinales olim sedebant: sed cum hodie illorum Provinciæ ab infidelibus occupentur, solum Dignitas, & nomen permanet. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. *ex n.* 22. Crux Patriarchalis habet duo ligna transversa, quorum superius brevius est inferiori in hunc modum. ☨ Et in hoc differt à Cruce Archiepiscoporum, quorum Crux simplici ligno transverso constat in hunc modum. ✠ *Barbos. de Jur. Eccl. lib.* 1. *cap.* 6.*n.* 33.

329 Primates Patriarchas subsequuntur: Hi enim sunt Archiepiscopi, qui in aliquo Regno obtinent majores, & principales Metropoles. Tales sunt in Gallia Bituricensis, Rhemensis, Lugdunensis, Arelatensis, & Viennensis, qui inter se de prima Cathedra disputant. In Hungaria Strigoniensis, in Polonia Gnesnensis, in Germania olim Magdeburgensis, hodie Salisburgensis. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.*1. *cap.* 6. *ex n.* 45. Et in Nostra Hispania Primas habetur Archiepiscopus Toletanus; nam licet de Primatu Hispaniæ disputent; non sine fundamento Ecclesiæ Hispalensis, Tarraconensis, & Bracarensis. *C.* 7. *de In integr. restit.* jam pro Toletana Ecclesia ultra varias Pontificum sententias, & Bullas stant. *Lex Regia* 16. *tit.* 1. *lib.* 4. *R. C.* aliaque Regia Rescripta, in veterata possessio, & communis, non solum Hispanorum, sed, & extraneorum existimatio. De quo latè *Castejon. Loaysa in Concil. Hispan. Barbos. de Offic. Episc. tit.* 3. *cap.* 8. *Gonz. in c.* 7. *de In integr. restit. & plures apud ipsos.* Ad quos litigantes mitto: quibus cum Palemone dicam: *Non nostrum inter vos tantas componere lites.* Sed sanè miror, quare Granatensis Ecclesia non affectet Hispaniæ primatum, cum ibidem primo sua in Cathedram collocasset Noster Apostolus Divus Jacobus, & ibidem primo à Sanctissima Virgine fuisset visitatus, & primus sanguis, qui in fidei defensionem effusus est, illam terram irrigasset. Et ibidem primum Concilium, de quo constat, & quod extat, etiam ante Generale Nizenum pro regimine Ecclesiæ celebratum fuerit. Sed fortè ipsa contenta est,

nomi

nomine Apostolicæ quo gaudet. Tales ergo Primates in suis Diœcesibus habent jurisdictionem ordinariam, & ad ipsos ab Archiepiscopis appellatur, etiam in criminalibus. *C. 1. D. 99.* Etiam fit devolutio beneficiorum propter negligentiam Archiepiscoporum: ad eos deferuntur querelæ adversus Archiepiscopos non exemptos. *C. 46. 11. q. 1.* Confirmant Episcopos, & Archiepiscopos, si quos habent subditos: non tamen ipsis competit jurisdictio in subditos Archiepiscoporum, vel Episcoporum: quin, & hodie præter nomen Primatum, & aliqualem præeminentiam vix aliud ipsis remanet quod non sit commune aliis Archiepiscopis. Hi enim post Primates locum obtinent.

330 *Archiepiscopus* ergo *Summus Episcoporum* dicitur. *C. 1. D. 21.* qui etiam hodie *Metropolitanus* à Metropoli appellatur, licet D. Isidorus per Archiepiscopos, quos Superiores Metropolitanis censet, intelligat Primates. *C. 1. D. 21.* ipse enim præest Episcopis alicujus *Provinciæ*: sic enim vocatur ejus districtus, qui omnes Diœceses suffraganeorum includit. Episcopi illius subditi *suffraganei* dicuntur: quia Archiepiscopo in Concilijs, consecrationibus, & alijs suffragantur. Præcellit cæteros Episcopos honore, & est persona magis privilegiata, utitur pallio, ut suo loco diximus; in tota sua Provincia muzzeta violacea supra rochetum apertum utitur, occurrentes benedicit per totam Provinciam, etiam in loco exempto, & ibidem potest Divina Officia celebrare in Pontificalibus, & facere, ut coram ipso celebrentur, & ad hoc collocare sedem, & etiam Crucem defert ante se. *Cl. 2. de Privileg.* non tamen ante acceptum pallium: Eamque deferri ante se facit statim ac suam Provinciam intrat. Quando in Cathedrali recipitur, crux præcedit, sequuntur immediatè Canonici, & Dignitates, & nullus alius: & postea sequitur Archiepiscopus. *Barb. de Jure Eccles. lib. 1. cap. 7. ex n. 125.* ita, ut inter Crucem, & Archiepiscopum solum Canonici, & Dignitates intercedant. Ad Archiepiscopum pertinet de Jure Communi electionem suffraganeorum confirmare, & illos consecrare, vel consecrationem delegare alijs. Sed hodie, ut diximus, hæc reservata sunt Pontifici. Archiepiscopus in sua Diœcesi; (sic ejus peculiare, & immediatum territorium appellatur, prout contra distinguitur à Provincia) in subditos immediatos habet eandem potestatem, quam cæteri Episcopi in suos subditos, & Diœceses: & præterea sunt Judices ordinarij suorum suffraganeorum. *C. 11. h. t.* sed hodie ex *Trid. sess. 24. de R. f. cap. 5.* causæ criminales graviores contra Episcopos, ut hæresis, & aliæ, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum Pontifice cognoscuntur, & terminantur: minores verò à Concilio Provinciali, vel ab eo deputatis. Hodie tamen nec in Causis Civilibus cognoscunt Archiepiscopi contra Episcopos suffraganeos. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 7. n. 46.* possunt tamen suffraganeis, & eorum Vicarijs præcipere, quæ pertinent ad ipsorum officium, eosdem ad Synodum vocant, debentque curare, ut suffraganei apud suas Ecclesias residéant: illorum negligentiam supplent in executione testamentorum, beneficiorum collatione, constitutione Æconomi, in dispensationibus, absolutionibus, & alijs. Possunt iidem aliquando suspendere, interdicere, & excommunicare suffraganeos, vel eorum Vicarios: Imo, & Vicarius Archiepiscopi, eo absente, potest has Censuras ferre in suffraganeos, & potest illos cogere ad constituendum Vicarium, quando non est idoneus, qui erat ab Episcopo constitutus. Similiter possunt Archiepiscopi suffraganeum cogere ad consensum præstandum, quando ejus consensus est ad aliquem actum necessarius, possuntque dispensare in votis, & juramentis suffraganeorum; quæstores eleemosynarum per totam Provinciam mittere pro fabrica Ecclesiæ Metropolitanæ. Edicta per totam Provinciam publicare in casibus ad suam jurisdictionem pertinentibus, & à tota Provincia expellere delinquentes in sua Diœcesi. *C. 11. de Privileg.* Canonicos Episcopi suffraganei, si absque causa cessent a Divinis, præcipuè in Episcopi contemptum punire possunt, aliaque hujusmodi facere, ut latè *Barbos. de Jure Eccles. lib. 1. cap. 7. Ex c. 13. §. 1. h. t. & alijs.* Et licet in subditos suffraganeorum jurisdictionem habeat: non potest eam ipse Archiepiscopus exercere immediatè, nisi in casibus in jure expressis, ne alias Ecclesiasticus ordo confundatur, & immediati superiores contemnantur. *C. 11. h. t. C. 1. eod. in 6.* sicque per viam nullitatis absque appellatione non potest cognoscere de causis inter subditos suffraganei, nec potest in integrum restituere adversus sententiam Episcopi. Cognoscit tamen per se, vel per Vicarium, vel delegatum de quacumque causa criminali, civili, spirituali, vel temporali per viam appellatio-

 nis

nis. C. 3. §. 8. *de Appellat. in 6.* Quando Provinciam visitat, potest absolvere etiam à reservatis Ordinario. *C. fin. de Censib. in 6.* & punire criminosos notorios, non alios. *C. 1. de Pœnis in 6.* imò etiam extra casum appellationis, & visitationis hos punire valet, si in hoc Suffraganeus negligens sit. *C. 1. §. 4. de Censib. in 6.* Item potest concedete Indulgentias per totam Provinciam, etiam extra visitationem. *C. 15. de Pœnit. & remis.* Hodie tamen nonpotest Archiepiscopus Diœceses suffraganeorum visitare, nisi causa cognita, & probata in Concilio Provinciali. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 3.* Quando ad Archiepiscopum deferuntur causæ controversæ inter subditos suorum suffraganeorum de eis cognoscit, vel delegat cognoscendas in propria Civitate, vel Diœcesi, aut in illa, ex qua causæ sunt profectæ, nisi aliud de consuetudine servetur. *C. 5. h. t.* Et ex hac consuetudine Archiepiscopus Compostellanus habet in Civitate Salmantina Vicarium constitutum, qui Metropolitanus dicitur, ad quem per appellationem recurrunt ex tota Provincia, quando à suffraganeorum sententijs appellatur: excepto Episcopo Salmantino, à quo appellatur ad Archiepiscopum ipsum Compostellanum. Et sic vidi in praxi servari. Hic Judex Metropolitanus regularitèr est aliquis Collega major, ut meo tempore erat quidam mei Collegij Conchensis alumnus. *Paz in Praxi, T. 2. prælud. 1. n. 20.*

331 *Episcopus*, Archiepiscopum sequitur, Græca voce sic dicitur quasi Latinè *Superintendens*, vel *Speculator*. *C. 1. D. 2.* Et communitèr vocatur *Ordinarius*: quia ordinariam jurisdictionem exercet in certo loco, vel districtu, qui dicitur *Diœcesis*. Et quidem est Prælatus Ecclesiasticus speciali charactere ordinis insignitus, qui præest Clero, & Populo, quoad curam animarum. Ecclesia principalis, & Matrix Diœcesis, cui immediatè præest, dicitur *Cathedralis*, quia ibi Cathedram Episcopalem obtinet. Duplicem potestatem habet, aliam *jurisdictionis*, *ordinis* aliam. Illa Episcopo confirmato, etsi nondum sit consecratus, competit. *C. 15. de Elect.* hanc per consecrationem habet, consistitque in confirmando, ordinando, consecrando, exerceturque in vestibus, & ornamentis Pontificalibus. *C. 4. D. 68.* Et hæc provenit à Deo immediatè & juxta plures etiam jurisdictio in foro interno, ut tenet *Abulens. cum alijs* contra *Turrecrem.* Imo & jurisdictio exterior fal- tem in genere ex *Paul. ad* [illegible] ibi: *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Pastores, & Doctores.* Apostoli enim immediatè à Christo omnem jurisdictionem accepere, juxta illud Christi D. apud *Joann. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et quia Episcopi in locum Apostolorum successerunt. *C. 2. D. 21. L. 3. tit. 10. p. 2.* videtur à Christo etiam Episcopos omnem potestatem accipere. Ita *Victor. Alphons. Castro, & alij.* Tenendum tamen est, jurisdictionem externam Episcoporum immediatè à R. Pontifice provenire. Ita *D. Thom. Dur. Sot. Suar. de Leg. lib. 4. cap. 4. n. 5. Cajet. & Bellarmin. lib. 4. de Rom. Pontif. ex cap. 22.* Et probatur *ex C. 1. D. 22.* ibi: *Omnes, sive Patriarchij cujuslibet apices, sive Metropoleon primatus, aut Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet ordinis Dignitates, instituit Romana Ecclesia. C. 12. 2. q. 6. C. 18. 24. q. 1.* ibi: *Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo solis multi radij, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, & cum de fonte uno rivuli plurimi defluunt ::: unitas tamen servatur in origine.* Deindè, si potestas jurisdictionis immediatè esset eis data à Christo, non posset auferri ab Ecclesia, vel à Pontifice Episcopis, ut defacto aufertur per excommunicationem, vel degradationem, sicut non potest auferri potestas ordinis. Tribunal, Consistorium, seu Curia Episcopi, debet esse in Civitate Episcopali. *C. 21. 7. q. 1.* vel saltem intra Diœcesim: & quidem in loco honesto, non exempto. *C. 7. h. t. in 6.* quia locus exemptus loco extra Diœcesim sito æquiparatur, ubi Episcopo exercenti jurisdictionem contentiosam impunè non paretur. *C. fin. de Const. in 6.* nisi expulsus sit à Diœcesi. *Cl. un. de Foro compet.* ubi Concilium Viennense concedit Episcopis expulsis à suis sedibus, quod in locis aliarum Diœcesum possint contra expulsores, & fautores procedere, & inter subditos judicare.

332 Tota potestas Episcopi consistit in duplici Lege, *jurisdictionis*, videlicèt, & *Diœcesana*. *C. 18. h. t. Et ibid. DD.* Lege jurisdictionis omnes Ecclesiæ, tàm Sæculares, quàm Regulares, non specialitèr exemptæ, quæ sunt in Diœcesi, tenentur. *Cap. 17. 18. q. 2.* Lege Diœcesana non tenentur Ecclesiæ Regulares, licet subjectæ sint Episcopi jurisdictioni: Nam ob Religionis favorem sunt exemptæ. *C. 1. 10. q. 1.* Ad legem jurisdictionis reducuntur, quæ ex parte Episcopi consistunt in

da-

dando, seu faciendo, sive actus sint ordinis, sive jurisdictionis, ut ordines conferre, confirmare, consecrare Ecclesias, Abbates, &c. Vi hujus Legis etiam cognoscit, & decidit omnes causas ad forum Ecclesiasticum externum spectantes, in prima instantia, etiam cum aliorum inhibitione. *C. 7. b. t. in 6. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 20.* & cumulativè concurrit cum alijs Judicibus Ordinarijs inferioribus, quales solent esse Decani, Archidiaconi, Præpositi, & alij hujusmodi; *arg. L. fin. C. de Jurisd. Molin. de Just. & jur. tr. 5. D. 8. n. 4. in fin.* adeò, ut quando Judici Ordinario aliqua causa committitur, cujus cognitio ad ipsum de Jure Communi spectat, non ideo efficitur delegatus, sed tantum ejus jurisdictio excitari videtur, ita ut Jure Communi, & ut Ordinarius procedat. *C. 12. b. t.* Et ibid. *Gonz. arg. L. 4. tit. 6. lib. 2. R. C.* Etiam ex hac Lege Episcopus punit delicta Clericorum, & Laicorum: quæ ad forum Ecclesiasticum pertinent. *C. 1. b. t.* non solum censuris in contumaces, & pœnis Ecclesiasticis inflictis, sed etiam corporalibus carceris, triremium, & verberum. *C. 7. b. t. in 6.* excepta pœna sanguinis, qua, si Clericus dignus sit, & ea puniendus, degradatur, & brachio traditur sæculari. *C. 4. de Raptor. C. 14. b. t.* Si in revocato auxilio brachij sæcularis Laicus indebitè illud præstare renuat, censuris compellitur ab Episcopo. Etiam mulctas pecuniarias locis pijs applicandas, etiam in Laicos infligit. *C. 4. de Raptor. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 3.* Et in Bulla Cruciatæ imponitur Judicibus Ecclesiasticis obligatio has mulctas in subsidium belli contra Infideles applicandi. In Indijs non debent Episcopi facilè in pœnas pecuniarias Laicos condemnare. *L. 47. tit. 7. lib. 1. R. Ind.* Quando Episcopus procedit contra Capitulares, debet hoc facere cum consilio Adjunctorum, juxta formam *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 6. Videlicèt, ut Capitulum initio cujuslibet anni eligat ex Capitulo duos, de quorum consilio, & assensu Episcopus, vel ejus Vicarius, tam in formando processum, quàm in cæteris omnibus actibus usque ad finem causæ inclusivè, coram Notario tamen ipsius Episcopi, & in ejus domo, aut consueto Tribunali procedere teneatur. Unum autem tantum sit utriusque votum, possitque alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu, seu interlocutoria, vel definitiva sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant, & si in electione tertij etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio devolvatur: & juxta eam partem, cum qua tertius convenict, articulus, in quo erat discordia, terminetur: alias processus, & inde secuta nulla sint, nullosque producant juris effectus. In criminibus tamen ex incontinentia provenientibus, de qua in Decreto de concubinarijs; & in attrocioribus delictis, depositionem, aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium eludatur, & ideò opus sit personali detentione, possit initio solus Episcopus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere: servato tamen in reliquis ordine præmisso. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, ut juxta qualitatem delicti, ac personarum delinquentes ipsi in loco decenti custodiatur.*

333 Etiamsi de aliquibus delictis Laicorum Ecclesiasticus Judex, vel etiam ipse Episcopus cognoscat, non potest eos apprehendere, neque in carcerem ducere, neque in eorum bona executionem facere per suos Ministros, seu Apparitores, *Hispanè: Alguaciles*; sed debet ad hæc brachium sæculare implorare; *arg. C. 14. b. t. C. 21. de Homicid. Trid. sess. 25. de Reg. cap. 5. L. 60. tit. 6. p. 1.* Et expressè *in L. 14. L. 15. tit. 1. lib. 4. R. C.* Si auxilium sæculare invocetur in causa merè Ecclesiastica, cum ejus cognitio non pertineat ad sæcularem, non debet illi constare de justificatione requisitoriæ invocationis; sed cum ipsi constet de sententia, vel præcepto dato, statim auxilium præstabit; *arg. C. 18. §. Prohibemus, de Hæret. in 6.* Si invocetur in causa, quæ etiam ad sæcularem spectet, ut si agatur de delicto mixti fori, Judex sæcularis sumptâ summaria informatione cognoscet de justificatione requisitoriæ, & non aliter auxilium præstabit, quam si viso processu, ipsi de justificatione constet. *Acev. in L. 15. tit. 1. lib. 4. R. C. ex n. 4. Gonz. in C. 1. b. t. n. 17.* Similitèr Judex Sæcularis potest auxilium Judicis Ecclesiastici implorare, quia uttaque jurisdictio debet mutuo foveri, & adjuvari. *C. 6. de Sent. excom. in 6.* ibi: *Sicque utrumque quodammodo gladium, & temporalem, & Ecclesiasticum, alterum, videlicèt altero adjuvare. Acev. in L. 14. tit. 1. lib. 4. R. C. n. 1.* Sed si Judex Sæcularis imploret Ecclesiastici auxilium, non potest illum compellere ad illud præstandum, sed debet adire ejus superiorem; & sæcularis debet Ecclesiastico processum ostendere. *Acev. in L. 15. tit. 1. lib. 4. R. C. n. 10. Covarr. & alij.* Ipse etiam Episcopus pu-

blicas pœnitentias imponit, non tamen, nisi ob publica, & majora crimina. *C. fin. 26. q. 6. Trid. sess. 24. de Ref. cap.* 3. beneficia curata, & non curara, confert, & ab eis destituit, & deponit. *C. 16. h. t.* & inquirit, an beneficiati sint legitime instituti. *C. 3. h. t. in 6.* Condit Diœcesana statuta, quæ tanquam Leges in Diœcesi obligant, etiam post ejus mortem. *C. fin. de Offic. delegat.* exequitur pias dispositiones fidelium, etiam ut Sedis Apostolicæ delegatus, visitat Diœcesim. *Trid. sess. 24. de Ref. cap.* 3. Hospitalia, Collegia confraternitates Laicorum, Scholas, & cætera pia loca; non tamen ea, quæ sub Regum immediata protectione sunt sine eorum licentia. *Trid. sess. 22. de Ref. cap.* 8. Sed in nostra Hispania, & in Indijs Hospitalia, quæ etiam sub immediata nostrorum Regum protectione existunt, ex ipsorum Regum dispositione, simul ab utroque Judice, Ecclesiastico, scilicèt, & Sæculari visitantur. *L. 4. tit. 6. lib. 1. R. C. L. 5. tit. 4. lib. 1. R. Ind. n. 21.* ibi: *Que en las visitas de los dichos Hospitales intervenga el Ordinario Ecclesiastico, especialmente en los que tuvieren Iglesia, Altar, y Campana, conforme el Santo Concilio de Trento. Y los que immediatamente fueren del Patronato Real, por estàr fundados, ò dotados por Nos en todo, ò en parte, ò con rentas, limosnas, y contribuciones, que para ello ayan hecho las Ciudades, y Villas en comun, o en particular, se puedan assimismo visitar, y visiten cada año, ò quando pareciere conveniente, por los Governadores, ò Corregidores, con algunos Diputados de sus Cabildos, ò las personas, que para ello se señalaren por los Virreyes; y se podrà procurar, que estas visitas se hagan a un mismo tiempo por el Ecclesiastico, y Seglar, para escusar embarazo. Bobadilla Polit. t. 2. cap. 18. n. 228. Solorz. Polit. Indian. lib. 4. cap. 3. f. 518. & alij com.* Etiam Ordinarius concurrit cumulativè cum omnibus Parochis suæ Diœcesis in administratione Sacramentorum; cum tota Diœcesis sit ejus Parochia. Etiam debet prædicare per se, si hoc facere valeat, quia hoc est ejus munus præcipuum. *C. 15. h. t.* & in sua Diœcesi Prædicatores constituit, & nullus, contradicente Episcopo, potest prædicare. *Trid. sess. 24. de Ref. cap.* 4. Indulgentias potest concedere, etiam exemptis profuturas, unius anni in dedicatione Ecclesiæ, & 40. dierum in ejus Anniversario, & in alijs casibus. *C. 14. de Pœnitent. & remis.* Potestque Episcopus alia plura facere, de quibus latè DD. præcipuè *Barbosa*, qui integrum volumen composuit de officio, & potestate Episcopi. *Machad. in Sum. lib. 4. & alij.* Et Ego in suis locis alia dicam, interim sufficiat addere, quod juxta plures DD. pro regula generali habetur, quod Episcopus in sua Diœcesi habet tantam potestatem, quantam habet Pontifex in Ecclesia universali: quod saltem temperandum est, ita ut excipiantur res, quæ ad universalem statum Ecclesiæ pertinent. Et etiam respectu Diœcesis ea, quæ à Pontifice sunt specialitèr reservata. *Abulens. Victor. Sanch. de Matr. l. 1. D. 61.* vel potius hoc debet restringi ad ea, quæ competunt Episcopo ad gubernationem ordinariam animarum, ita ut in Jure Communi solum possit dispensare in casibus sibi permissis. *Suar. de Censur. D. 7. sect. 4.*

334 Ad Legem Diœcesanam spectant ea, quæ ex parte Episcopi consistunt in recipiendo: Hinc ex tali Lege exigere potest. 1. *Synodaticum* duorum solidorum, quod scilicèt à Clericis in Synodo celebranda quotannis debet solvi. 2. *Cathedraticum* duorum solidorum, quod in honorem Cathedræ, seu Dignitatis Episcopalis datur. 3. *Quartam decimarum*, quæ præstanda est Episcopo ab Ecclesijs Parochialibus, ad quas decimæ pertinent. 4. *Quartam mortuariorum, seu portionem Canonicam*, quæ Episcopo debetur ex legatis, & funeralibus oblationibus, quæ fiunt Ecclesijs, vel alijs locis sitis intra Diœcesim. In aliquibus Diœcesibus Hispaniæ loco hujus portionis est subrogatum jus quoddam certæ portionis, quod *luctuosa* vocatur, quæ pro varietate locorum varia est, & ideo consuetudo est attendenda. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 19. n. 10.* 5. *Subsidium charitativum*, scilicèt, moderatum subsidium, quod Episcopus exigere potest ab Ecclesijs ex justa causa. 6. *Procurationes*, seu moderata victualia unius diei, quæ præstantur ab Ecclesijs, etiam à Monasterijs non exemptis, dum Episcopus visitat per se, vel per alium. *C. 16. h. t. Trid. sess. 24. de Ref. cap.* 3. sed consulenda est cujuslibet Diœcesis consuetudo: Nec extra hos casus potest Episcopus collectas, vel servitia Clericis imponere. *C. 6. 10. q. 3.* Huc revocatur convocatio, qua talis ad Synodum Diœcesanam: quatenus verò in ea judicatur, pertinet ad Legem jurisdictionalem, & ideò Abbates ad Synodum venire tenentur, quamvis Monasteria à Lege Diœcesana sint exempta. Et quidem talis Synodus deberet fieri quotannis ad morum reformationem, & majorem Ecclesiasticæ disciplinæ observatio-

nem

nem: debentque vocari, & accedere ad Synodum omnes Parochi, saltem Sæculares, & etiam omnes alias exempti. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 2. Et etiam Capitulum Ecclesiasticum, quod etiam potest Procuratores mittere. *C. fin. de His, quæ fiunt à Prælat.* Sicut Concilia Provincialia à Metropolitanis per se ipsos, vel ipsis impeditis à Coepiscopo antiquiori, quolibet saltem triennio debent cogi pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversijs componendis, alijsque hujusmodi. Et ibi convenire debent omnes Episcopi Comprovinciales; nisi justa causa excuset, item Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cujus Synodo Provinciali cum alijs interesse debent, & quæ ibi ordinata fuerint observent, ac observari faciant. Debent etiam convenire illi, qui de jure, vel consuetudine interesse debent: quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi; & alij supra scripti negligentes fuerint pœnas Sacris Canonibus sancitas incurrant. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 2. videnda est *Dist.* 18. ubi de his Concilijs latius agitur. Et ut uno verbo ad utramque Legem pertinentia comprehendantur. *Episcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in Choro, & in Capitulo, in processionibus, & alijs actibus publicis sit prima sedes, & locus, quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum authoritas. Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 6. Et merito quidem: nam ipsi sunt nostri spirituales Patres, gregis Dominici Pastores positi à Christo Vicario regere Ecclesiam Dei Apostolorum successores, & Principes Militantis Ecclesiæ; & ut tales ab omnibus, etiam à Principibus sunt utique honorandi. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 17. Et sæpe alibi in jure. Denique Episcopi in sua Ecclesia, etiam in habitu ordinario: & in loco exempto suæ Diœcesi, etiam invito Prælato, solium, thronum, & baldachinum habere potest: In sua Ecclesia, & domo potest habere umbraculum, seu baldachinum; *Hispanè Dosel.* Etiamsi adsint Prorex, & Regia Audientia, dum Pontificali, aut medio Pontificali utatur: secus aliter; & in alijs functionibus; ut in agitatione Taurorum, vel repræsentatione Scenica: sed tunc potest uti faldistorio. *Hispanè Sitial.* Si Episcopus ut Canonicatus assistat in Capitulo, etiam utitur faldistorio. Aliud præterea umbraculum, seu baldachinum portatile conceditur in Cœremoniali, quod *Hispanè* dicimus *Pallio*, quo solet Episcopus in processionibus uti. Et licet baldachinum, & faldistorium deberent esse ejusdem coloris ac alia paramenta, regulariter sunt purpurei, vel violacei coloris. *Villaroel de Regim. part.* 2. *q.* 12. *& alij.*

335 Quamvis olim omnes Religiones essent ordinarijs subjectæ. *C.* 16. 18. *q.* 2. Hodie tamen vi peculiarium privilegiorum ab eorum jurisdictione exemptæ sunt. Sed tamen adhuc Episcopus tanquam delegatus Papæ aliquando exercet jurisdictionem in Regulares Exemptos, scilicet, in casibus sequentibus. 1. Corrigit, & punit Regularem extra Monasterium degentem, si delinquat. *Trid. sess.* 6. *cap.* 3. Qui degit in aliquo loco, vel in grangia Monasterij, ut in his Insulis plures degunt de licentia suorum Superiorum, & sub Regulari observantia, non censetur extra Monasterium degere; *arg. C.* 3. *de Statu Monach.* Si extra Monasterium incedat Regularis sine habitu, potest ab Episcopo puniri; secus si ita intra Monasterium incedat. 2. *Regularis non Subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, ut Populo scandalo sit, Episcopo instante à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severè puniatur, ac depunitione Episcopum certiorem faciat; sin minus à suo Superiore officio privetur; & delinquens ab Episcopo puniri possit. Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 14. quæ dispositio locum habet in Equitibus Melitensibus, & etiam quando Regularis delinquit intra Ecclesiam sui Monasterij. Et quidem Episcopus potest informationem summariam de delicto facere, & Superiori remittere, ne hic ignorantiam alleget. Et sufficit, quod Episcopus semel Superiorem requirat, ut puniat delinquentem: & Superior debet Episcopo remittere, non tantum sententiam, sed & processum, & testimonium executionis sententiæ. Ita ex varijs declarationibus *S. Congreg. Trid. afferunt Machad. in Sum. lib.* 4. *p.* 6. *tr.* 10. *doc.* 3. *& alij.* 3. Procedit Episcopus contra Regularem, si sine Superioris licentia à Monasterio recedit, etiam prætextu accedendi ad Superiorem, vel si missus ad studia extra Monasterium degat. *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 4. 4. Approbat libros Regularium ut possint imprimi. *Trid. sess.* 4. *in Decr. de Edit. libror.* ibi: *Nulli que liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus Sacris sine nomine Authoris; neque illos in futurum vendere,*

aut

aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab ordinario sub pœna anathematis, & pecuniæ in Canone Concilij Lateranensis apposita, & si Regulares fuerint, ultra examinationem, & approbationem hujusmodi licentiam quoque à suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos Libris juxta formam suarum ordinationum ::: *ipsa verò hujusmodi Librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte Libri, vel scripti, vel impressi authenticè appareat*. Et insuper licentia Regia requiritur. *L.* 23. *tit.* 7. *lib.* 1. *R. C.* 5. Episcopus potest Regulares cogere, ut habeant in Monasterijs, ubi commodè fieri potest, lectionem Scripturæ. *Trid. sess.* 5. *de Ref. cap.* 1. 6. Etiam potest compellere Regulares, ut censuras ab ipso inflictas in suis Ecclesijs publicent, & quod servent festa ab Episcopo indicta *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 12. 7. Compellit ipsos ad publicas Processiones accedere, nisi specialitèr privilegiati sint; decidit inter ipsos controversias in ipsis Processionibus, vel in sepeliendis corporibus exortas. *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 13. 8. Dat licentiam ut possit à Novitijs fieri renuntiario suorum bonorum intra duos menses ante professionem, & compellit sub censuris ipsos Regulares, ut Novitijs ante professionem abeuntibus accepta restituant. *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 16. 9. Exigit rationes testamentorum à Regularibus, si Executores ipsorum sint; & eos punit, si in tali executione malè se gesserunt. *Cl. un. de Testam.* 10. Cognoscit de Crimine hæresis, ubi Inquisitores non sunt. *C.* 9. *§. fin. de Hæretic.* 11. Compellit sub censuris obtinentes Ecclesias curatas verbum Dei prædicare. *Trid. sess.* 5. *de Ref. cap.* 2. 12. Gubernat in spiritualibus Monasteria Sanctimonialium immediatè subjecta Sedi Apostolicæ, & compellit ipsas clausuram servare. *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 5. & 9. 13. Punit Mendicantes, exceptis Prædicatoribus, qui cum debeant una campana esse consenti, plures habent. *Extr. un. de Offic. Custod. int. com.* Sed hoc jam contraria, & communi consuetudine est abrogatum. 14. Si in die Sabbati Sancti majoris hebdomadæ, antequam pulsetur campana Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis, in suis Ecclesijs Regulares pulsent campanas, ab Episco pœna centum ducatorum puniuntur, ut sic debitus honot Matrici servetur; *ex Const.* 17. *Leon. X.* 15. Approbat Regulares, ut possint Confessiones audire, nisi sint Parochi. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 15. 16. Absolvit suspensos ex eo, quod sponsos alienæ Parochiæ sine licentia proprij Parochi matrimonio conjunxerunt. *Trid. sess.* 24. *de Ref. Matr. cap.* 1. 17. Cognoscit de Caussis Matrimonialibus ortis inter subjectos Monasterijs. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 20. 18. Concedit licentiam ad nova Monasteria in ejus Diœcesis ædificanda. *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 3. 19. Excommunicat Regulares sine licentia Parochi administrantes Parochianis Eucharistiam, Matrimonium, & Unctionem extra necessitatem, & alios casus permissos. *Cl.* 1. *de Privileg.* 20. Procedit contra exigentes importunas eleemosynas, vel si in celebratione Missarum Ritus, vel cœremonias, vel preces in Ecclesia non usitatas adhibeant, vel si celebrent in privatis domibus, debetque prohibere musicas, in quibus aliquid lascivum, sive impurum admisceatur, vel si in horis non debitis celebrent in suis Monasterijs. *Trid. sess.* 22. *in Decr. de Observ. in celebr. Missar.* Et in hoc casu, & alijs in jure expressis, ut in casu *Trid. sess.* 5. *de Ref. cap.* 2. *Et sess.* 25. *de Regul. cap.* 16. potest Episcopus contra Regulares, etiam exempros, censuras ferre: secus aliter. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 33. *n.* 23. *ex C.* 1. *de Priv. in* 6. 21. Potest Episcopus Regulares, si notoriè excommunicati sunt, denunriare, ut vitentur. *Cl.* 1. *de Privileg.* Eos capere, si sit periculum in mora, & fuga timeatur, & ad competentem Judicem remittere. Et in justitiæ defectu admittit illorum recursum, suppletque Superiorum Regularium negligentiam. *C.* 7. *h. t. Et ibid. Gonz.* 22. Visitat, & exercet omnimodam jurisdictionem in Monasterijs, vel locis, ubi non inveniuntur actu 12. Religiosi. 23. Regulares etiam subjiciuntur Episcopo in Ecclesiarum consecratione, Chrismatis petitione, susceptione ordinum, & alijs, quæ sunt Ordinis Episcopalis. *C.* 19. *de Præscript.* 24. Nec possunt Indulgentias, etiam à Papa impetratas sine Ordinarij licentia promulgare, nec sine ea concionari in alienis Ecclesijs, nec confessiones Sæcularium audire valent. Denique *Greg. X. in Bull. Inscrutabili, An.* 1623. concessit Episcopis potestatem in Confessarios, & Administratores bonorum Monasteriorum Monialium, statuitque, ut Episcopus simul cum Prælatis Regularibus præsidere, vel per se, vel per alium posset electioni Abbatissæ, seu Præpositæ. Si Regularis aliquem Clericum, v. g. coram Episcopo conveniat,

Epis-

Episcopus fit Judex competens ad cognoscendum de reconventione contra Regularem posita; *arg. C. 1. C. 2. de Mutuis petit.* Quos casus aliosque latius discussos afferunt. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 105. Machad. in Sum. lib. 4. p. 6. tr. 10. Cokier. Integ. tract. de Jurisdict. Episc. in Exemptos.*

336 In his Indiarum Provincijs, Episcopis, ultra id, quod Jure Communi habent, solent concedi quædam facultates, quas ideo *solitas* appellamus: quarum tenor talis est.

1. Conferendi Ordines extra tempora, & non servatis interstitijs, usque ad Presbyteratum inclusivè: si Sacerdotum necessitas ibi fuerit.

2. Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proveniunt; & in his etiam duobus casibus, si præcisa necessitas operariorum ibi fuerit, si tamen quoad homicidium voluntarium ex hujusmodi dispensatione scandalum non oriatur.

3. Dispensandi super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonæi fuerint.

4. Dispensandi, & commutandi, vota simplicia in alia pia opera, & dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis, & Religionis.

5. Absolvendi, & dispensandi in quacumque simonia, & in reali dimissis beneficijs, & super fructibus male perceptis, injuncta aliqua eleemosyna, vel pœnitentia salutari, arbitrio dispensantis, vel etiam retentis beneficijs si fuerint Parochialia, & non sint, qui Parochijs præfici possint.

6. Dispensandi in 3. & 4. consang. & affinit. Simplici, & mixto tantum, & in 2. 3. & 4. mixtis, non tamen in 2. solo, quoad futura matrimonia, quod vero ad præterita, etiam in 2. solo, dummodo, nullo modo attingat primum gradum; cum his, qui ab Hæresi, vel infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam, & in præfatis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

7. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis justis ex sponsalibus proveniente.

8. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, & restituendi jus petendi debitum amissum.

9. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, præterquam inter levantem, & levatum.

10. Hæ vero dispensationes Matrimoniales videlicèt 6. 7. 8. & 9. non concedantur, nisi cum clausula: *Dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit in potestate raptoris non existat.* Et in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ.

11. Dispensandi cum Gentilibus, & Infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem, & Baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

12. Conficiendi Olea Sacra cum Sacerdotibus, quos potuerint habere, & si necessitas urgeat, etiam extra diem Cœnæ Domini.

13. Delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit Sacra Unctio. Et reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta; & in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab Episcopo.

14. Largiendi ter in anno Indulgentiam plenariam contritis, confessis ac Sacra Communione refectis.

15. Absolvendi ab Hæresi, & Apostasia à Fide, & à schismate, quoscumque etiam Ecclesiasticos, tam Sæculares, quàm Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exerceretur, nisi in locis Missionum, in quibus impunè grassantur Hæreses, delinquerint, nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impunè grassantur Hæreses, & post judicialem abjurationem, illuc reversi, in Hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientiæ tantum.

16. Absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis.

17. Concedendi Indulgentiam plenariam primo conversis ab Hæresi, atque etiam fidelibus, quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt.

18. Concedendi Indulgentiam plenariam in oratione 40. horarum ter in anno indicenda diebus Episcopo bene visis, contritis, & confessis, & Sacra Communione refectis, si tamen ex concursu Populi, & expositione Sanctissimi Sacramenti nulla pro-

probabilis suspicio sit sacrilegij ab Hæreticis, & Infidelibus, aut Magistratibus ostensum iri.

19. Lucrandi sibi easdem Indulgentias.

20. Singulis secundis ferijs non impeditis officio 9. lectionum, vel eis impeditis die immediate sequenti, celebrando Missam de Requiem, in quocumque Altari etiam portatili liberandi Animas secundum eorum intentionem à Purgatorij pœnis per modum suffragij.

21. Tenendi, & legendi, non tamen alijs concedendi, libros Hæreticorum, vel Infidelium de eorum Religione tractantium, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinei, Nicolai Macchiavelli, & libros de Astrologia Judiciaria principaliter, vel incidenter, vel alias quovis modo de ea tractantes; ita tamen, ut libri ex illis Provincijs non efferantur.

22. Præficiendi Parochijs Regulares, eisque suos deputandi Vicarios in defectu Sæcularium, de consensu tamen suorum Superiorum.

23. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ut in prima Missa non sumpserit ablutionem: per unam horam, ante Auroram, & aliam post meridiem, sine Ministro, & sub diu, & sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi Altare sit fractum, vel sine Reliquijs Sanctorum, & præsentibus Hæreticis, Schismaticis Infidelibus, excommunicatis, & aliter celebrari non possit. Caveat vero ne prædicta facultate, seu dispensatione celebrandi bis in die aliter, quam ex gravissimis causis, & rarissimè utatur; in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem alteri Sacerdoti, juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi, alicui, qui à Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiæ injungitur, ut paucis dumtaxat, ijsque maturioris prudentiæ, ac zeli, & qui absolutè necessarij sunt, nec pro quolibet loco; sed ubi gravis necessitas tulerit, & ad breve tempus eandem communicet, aut respectivè causas approbet.

24. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occultè ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab Hæreticis, aut infidelibus sit periculum sacrilegij.

25. Induendi vestibus sæcularibus, si aliter, vel transire ad loca eorum curæ commissa, vel in eis permanere non poterunt.

26. Recitandi Rosarium, vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterunt, vel Divinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

27. Dispensandi quando expedire videbitur, super usu carnium, ovorum, & lacticiniorum tempore jejuniorum, & Quadragesimæ.

28. Prædictas facultates communicandi, non tamen illas, quæ requirunt Ordinem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur, Sacerdotibus idoneis, qui in eorum Diœcesibus laborabunt, & præsertim tempore sui obitus; ut Sedevacante sit, qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit per Delegatos, vel per unum ex eis, alio modo provideat: Quibus Delegatis authoritate Apostolica facultas conceditur, Sedevacante, in casu necessitatis consecrandi Calices, Patenas, & Altaria, portatilia Sacris Oleis, ab Episcopo tamen benedictis.

29. Et prædictæ facultates gratis, & sine ulla mercede exerceantur, & ad annos decem tantum concessæ intelligantur, nec illi uti possit extra fines suæ Diœcesis.

337 Abbates gradu inferiores sunt Episcopis. *Abbas* sumpta significatione à Lingua Hebraica, & Syra, *Pater* dicitur. *C. fin. de Regular.* est Prælatus Episcopo inferior, sive Sæcularis, sive Regularis sit. Et quidem aliquando toti Ordini, ut Generalis, aliquando toti Provinciæ, ut Provincialis, aliquando uni Monasterio, ut Prælatus Localis præest, sive Guardianus, Prior, Rector, Præpositus, vel Vicarius appelletur. Abbates, & Præpositi Regulares, etiam non exempti in suos Subditos Religiosos (& sua proportione, etiam in Novitios) habent potestatem dominativam, domesticam, seu œconomicam, ordinariam, ac proindè delegabilem, ortam ex voto obedientiæ ad imperandum ipsis, etiam sub præcepto in virtute obedientiæ, prout ad Regularem disciplinam conveniat, possuntque uti eorum operibus, illorum vota irritare, & ordinare, quæ ad utilitatem Monasterij spectant. *C. 9. 18. q. 2. C. 2. C. 6. de Statu Monach.* Ultra hanc potestatem, quæ est privativa, aliam habent publicam, scilicet, ju-

jurisdictionis spiritualis, & Ecclesiasticæ ordinariam, & delegabilem. *C. fin. h. t.* & quidem pro foro interno: & vi illius absolvunt suos subditos à peccatis, & censuris ab inferiori, vel à jure inflictis, & non specialitèr reservatis; *arg. C. 29. de Sent. excom.* & possunt reservare certa peccata graviora, vel ex comprehensis in *Bulla Clem. VIII. Ad futuram, 26. Maij An.* 1593. vel etiam alia, cum consensu tamen Capituli. Habent etiam jurisdictionem in foro externo in ordine ad corrigendum, & puniendum carcere, pœnis, & censuris, & ad expellendum incorrigibiles. *C. 10. de Major. & obed. C. 8. de Statu Monach.* In quocumque loco possunt fugitivos capere, quia ratione voti obedientiæ totus Mundus est ipsis territorium respectu suorum subditorum. Possuntque cum suis subditis dispensare in votis, juramentis, & alijs, in quibus Episcopus cum suis Diœcesanis dispensat; item in jejunijs, & alijs observationibus, his exceptis, quæ ad habitum, tria vota, & substantiam Religionis pertinent. Si habent Subditos Sæculares, & Territorium proprium, exercent quasi Episcopalem jurisdictionem. Si Territorio carent, attenditur consuetudo, & privilegia de Abbatibus Sæcularibus fere eodem modo discurrendum est. Latè *Barb. de Jure Eccles. lib. 1. cap. 17. Machad. in Sum. lib. 4. p. 5. tr. 3.* Abbatissæ etiam habent in Moniales potestatem dominativam, & gubernativam, sicut quævis Mater familias, ad administrandum, & regendum Monasterium, corrigendum, & puniendum; imò & ad imponenda præcepta spiritualia ad finem spiritualem: adeò, ut earum potestas aliquo modo spiritualis sit. Possuntque Clericis, & Monialibus sibi subjectis prohibere, ne aliquos actus sui muneris exerceant: & hoc intelligitur nomine suspensionis *in C. 12. de Major. & obed.* Imò de plenitudine potestatis potest R. Pontifex aliquam jurisdictionem spiritualem, quæ potestatem Ordinis non includat, ipsis delegare: ut est potestas condendi Leges, ferendi censuras, dispensandi in votis, & alia hujusmodi. *D. Thom. in 4. D. 19. q. 1. art. 1. q. 3. ad 4.*

338 Parochi etiam hierarchiam Ecclesiasticam constituunt. *Parochus*, seu *Paræcus* Græcè *Incola* Latine dicitur, quasi juxta habitationem. *L. 2. 39. §. 2. ff. de Verb. signif.* etiam *Plebanus* à plebe, quam Regit, *& proprius Sacerdos* dicitur *C. 40. de Elect. C. 12. de Pœnit. & remis.* habet jurisdictionem ordinariam in foro interno ex officio, quod gerit, etiam sine Episcopi licentia; nam eam à jure obtinet. *Trid. sess. 23. de Reform. cap. 15.* ac proinde à quibuscumque peccatis, & excommunicationibus non specialitèr Pontifici, vel Episcopo reservatis potest suos Parochianos, ubicumque sint, etiam extra Parochiam absolvere, & ex consensu tacito suorum Parochorum, etiam potest absolvere vagos, & peregrinos, ad suam Parochiam bona fide accedentes, etiam tempore Paschali, potestque illis communionem dare. Non tamen habet jurisdictionem in foro externo, nec potest censuras ferre; *arg. C. 20. de Verb. signif.* de consuetudine tamen dispensat in præcepto jejunij, & observatione festorum, ut possit aliquod opus fieri, quæ consuetudo, ubi fuerit, servari poterit in Legibus, circa quas sit introducta: sed cum sit juri contraria non debet extendi ad casus similes. *Suar. de Legib. lib. 6. cap. 14. n. fin.* Debet itidem Parochus professionem fidei emittere, intra duos menses post adeptam Parochiam, in manibus Episcopi, vel Vicarij Generalis. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Teneturque saltem diebus Dominicis, & festis celebrare Missam. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 14.* Sed ex privilegio, vel consuetudine hodie cessat jus antiquum, quod præcipiebat fidelibus audire Missam prædictis diebus in Parochia propria. *C. 2. de Paroch. C. 4. 9. q. 2.* Debet etiam pœnitentiam, & Eucharistiam, non solum, quando in necessitate, & in Paschate, sed etiam quando Parochiani rationabilitèr petunt, ministrare: Similitèr ipsis Baptismum, & Unctionem administrat. Diebus Dominicis, & festis solemnibus Verbo Dei plebem pascere debet. *Trid. sess. 5. de Reform. cap. 2.* & Doctrina Christiana. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 4.* Matrimonijs Parochianorum assistit, vel alij Sacerdoti assistentiam committit. *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 1.* Hodie Mendicantes prædicant in omnibus Ecclesijs, semperque possunt administrare Sacramentum pœnitentiæ omnibus Christi fidelibus; & extra articulum mortis, etiam in Paschate, Eucharistiam vero possunt Regulares fidelibus administrare, præter casum, in quo debent satisfacere præcepto Paschali, & quando pro Viatico eam recipiunt. Nequeunt tamen Regulares Baptismum, nec Extremam Unctionem conferre nisi in casu necessitatis, vel nisi licentia Parochi adsit: nunquam tamen possunt Matrimonio, sine licentia Parochi assistere: nam unicuique suum jus illæsum servari oportet.

tet. Etiam ex officio Parochus denuntiat jejunia, indulgentias, festa, matrimonia ineunda, benedicit candelas, cineres, palmas, & fontem baptismalem. Debet libros habere, in quibus notet eos, qui contraxerunt matrimonium, & testes. Item debet notare baptizatos, eorum parentes, & patrinos. Item defunctos. Debetque apponere diem, mensem, annum, & locum, & in his omnibus subscribir. Et eorum testimonio fides adhibetur.

339 Nunc aliquid dicendum est de his, qui in Foro Sæculari jurisdictionem ordinariam obtinent. Tales sunt Imperatores, Reges, Principes, & Respublicæ non recognoscentes Superiorem, ut Respublica Venetorum. Item Proreges, Gubernatores, seu Præsides Provinciarum, Prætores, & alij Magistratus, *Hispanè. Virreyes, Adelantados, Governadores, Corregidores, Alcaldes Mayores, y Alcaldes Ordinarios*, qui à Rege, vel ejus delegatis, vel Senatu Civitatum constituuntur. *L. 1. tit. 4. p. 3. & alibi.* Item in mari, vel classe nautica Generales, Almirantes, imo, & Duces particulares aliquarum navium jurisdictionem habent ordinariam. *L. 24. tit. 9. p. 2.* in Exercitu Duces Generales, & alij Præfecti Militum. *L. 12. §.2. ff. de Re Militar.* Etiam Rectores Universitatum sunt Judices Ordinarij respectu Doctorum, Professorum, & studentium in illis, præcipuè in Universitate Complutensi, & alijs, nam illi plena, & totali jurisdictione gaudent: secus est in Salmantina: quia licet ejus Rector jurisdictionem ordinariam habeat, in pluribus rebus est restricta, nam Cancellarius, seu Scholasticus Salmantinus: *Hispanè: Maestre Escuela*, & ejus Vicarius: *Hispanè: Juez del Estudio*, plenissima gaudent jurisdictione, tum Pontificia, tum Regia, ita ut Scholasticus Salmantinus nullum supra se Superiorem habeat, nisi Pontificem, & Regem. *Mendo de Jur. Acad. lib. 1. ex n. 167. Escobar, & alij.* Etiam particulares Judices solent assignari à Principe ad Regium Ærarium, & ejus bona administranda, qui olim *Quæstores, Procuratores Cæsaris, Rationales, Susceptores, Exactores Tributorum, Arcarij*, & alijs nominibus appellabantur, eorumque Superior *Comes Sacrarum largitionum* dicebatur: Sed hodie in Nostris Indijs Officiales Regij dicuntur: quorum nomine veniunt. 1. *Quæstor*, qui potes dici Numerator. *Hispanè*: *Contador*, cui incumbit curam habere circa rationem, & calculationem bonorum, quæ in Arcam Regiam introducuntur, & ex ea extrahuntur. 2. *Thesaurarius*, qui est custos Thesauri Regij, & colligit, & expendit bona ad Regium Ærarium pertinentia. 3. *Factor*, cui incumbit curam habere de tributis solutis in fructibus, vel mercibus, & de alijs rebus ad fiscum pertinentibus, ut in ejus beneficium vendantur. Alijque inferiores Ministri hoc Tribunal complent. Omnes Regij Officiales una individua obligatione ligantur, quæ *Hispanè* dicitur *mancomunidad*. Hi ergo habent jurisdictionem ordinariam, & privativam, quam quidem possunt exercere in omnibus, quæ necessaria sint ad rectam administrationem bonorum Regij Ærarij. *L. 2. ff. de Jurisd.* ab ipsis appellatur pro varietate causarum, aliquando ad Regias Cancellarias, aliquando ad Regium Tribunal Regij Ærarij. *Hispanè: Tribunal de la Real Hacienda.* De quorum Officialium munere, jurisdictione, & requisitis latè agitur in lib. 9. R. C. per varios Titulos, & in toto *lib. 8. R. Ind. Solorz. Polit. Ind. lib. 6. cap. 15. & 16. D. Gaspar de Escalona in Gazof. Reg. Per. lib. 1. p. 2. & alij.* Præterea in Curia Regia Hispaniæ, quæ nunc Matriti est, varij Senatus inveniuntur, tum pro negotijs belli, & navigationum, tum pro causis Regij Ærarij, tum pro alijs controversijs tam civilibus, quàm criminalibus, in quibus, quia supremi sunt, ultimo hæ causæ cognoscuntur, & terminantur. Alij duo Senatus, prædictis inferiores, sunt in Nostra Hispania, Vallisoleti scilicèt, & Granatæ, quos Cancellarias *Hispanè: Chancillerias* dicimus. Regemque repræsentant, & suo nomine, & sigillo litteras, & Provisiones Regias expediunt. Et tota Hispania inter has duas Cancellarias divisa est, ita ut ad Granatensem Cancellariam pertineat quidquid ultra Tagum invenitur simul cum Bętica, Regno Granatensi, & Murciæ, & Insulis fortunatis, seu Canarijs. Cætera omnia ad Vallisoletanam Cancellariam spectant. *L. 2. tit. 5. lib. 2. R. C.* Alij sunt prædictis Cancellarijs inferiores Senatus, quos Audientias nuncupamus, residentque in Brigantina Civitate. *Hispanè: Coruña*, de qua in *tit. 1. lib. 3. R. C.* Hispali: de qua in *tit. 2. lib. 3. R. C.* in Insulis Canarijs, de qua *in tit. 3. lib. 3. R. C.* Aliæ sunt Cæsaraugustæ, Majoricæ, Barcinonæ, Valentiæ, & Oveti. Sed in Nostris Indijs omnes earum Senatus jam Cancellariæ, jam Audientiæ appellantur, sed verè Cancellariæ sunt sicut Vallisoletana, & Granatensis: imò, & in pluribus earum jurisdictio amplior est, quam prædicto-

dictorum Hispaniæ Senatuum ob magnam à Rege distantiam, & ad ipsum, difficilem recursum. Hujusmodi ergo Cancellariæ Indiarum sunt 1. quæ residet in Civitate S. Dominici. In Insula Hispaniola, cujus districtus asignatur in *l.* 2. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind.* ibi: *Y tenga por distrito todas las Islas de Barlovento, y de la Costa de Tierra-Firme, y en ellas las Governaciones de Venezuela, Nueva Andalucìa, el Rio de la Hacha, que es de la Governacion de Santa Marta: y de la Guayana, ò Provincia del Dorado, lo que por aora le tocare, y no mas, partiendo terminos por el Mediodia con las quatro Audiencias del Nuevo Reyno de Granada, Tierra Firme, Guatemàla, y Nueva España, segun las Costas que corren de la Mar del Norte. Por el Poniente con las Provincias de la Florida, y por lo demàs con la Mar del Norte.* 2. Mexici residet, cujus districtus habetur *in l.* 3. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind.* ibi: *La qual tenga por distrito las Provincias que propriamente se llaman de la Nueva España, con las de Yucatan, Cozumèl, y Tabasco: y por la Costa de la Mar del Norte, y Seno Mexicano, hasta el Cabo de la Florida; y por la Mar del Sur, desde donde acaban los terminos de la Audiencia de Guatemala, hasta donde comienzan los de la Galicia: partiendolos con ellas por el Levante, y Poniente: con el Mar del Norte, y Provincia de la Florida por el Septentrion: y con el Mar del Sur por el Mediodia.* 3. In Panamaensi resider Civirate, ejus districtus asignatur *in l.* 4. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind.* ibi: *Y tenga por distrito la Provincia de Castilla del Oro, hasta Portobelo, y su tierra, la Ciudad de Nata, y su tierra: la Governacion de Veragua: y por el Mar del Sur, àzia el Perù, hasta el Puerto de la Buenaventura exclusivè: y desde Portobelo, àzia Cartagena, hasta el Rio del Darien exclusivè, con el Golfo de Urabà, y Tierra-Firme, partiendo terminos por el Levante, y Mediodia con las Audiencias de el Nuevo Reyno de Granada, y San Francisco del Quito: Por el Poniente con la de Santiago de Guatemala: y por el Septentrion, y Mediodia con los dos Mares del Norte, y Sur.* 4. Residet Limæ in Regno Peruano, & ejus districtus habetur in *L.* 5. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind.* ibi: *Y tenga por distrito la Costa que ay desde la dicha Ciudad de Lima, hasta el Reyno de Chile exclusivè, y hasta el Puerto de Payta inclusivè: y por la tierra adentro à San Miguèl de Piura, Caxamarca, Chachapoyas, Moyobamba, y los Motilones inclusivè, y hasta el Collao exclusivè por los terminos que se señalan à la Real Audiencia de la Plata, y à la Ciudad del Cuzco con los suyos inclusivè, partiendo terminos por el Septentrion con la Real Audiencia de Quito: por el Mediodia con la de la Plata: por el Poniente con la Mar del Sur, y por el Levante con Provincias no descubiertas, segun les estàn señalados, y con la declaracion que se contiene en la l.* 14. *de este Titulo.* Ubi territorium Urbis *del Cuzco* dividitur inter Limæ, & Argentinæ Audientias. 5. Residet in Civitate Sancti Jacobi Guatemalensis, cujus districtus habetur in *L.* 6. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind.* ibi: *Y tenga por distristo la dicha Provincia de Guatemala, y las de Nicaragua, Chiapa, Higueras, Cabo de Honduras, la Vera Paz, y Soconusco, con las Islas de la Costa, partiendo terminos por el Levante con la Audiencia de Tierra-Firme, por el Poniente con la de la Nueva Galicia: y con ella, y la Mar del Norte por el Septentrion, y por el Mediodia con la del Sur.* 6. Guadalajaræ resider, cujus districtus declaratur in *L.* 7. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind.* ibi: *Y tenga por distristo la Provincia de la Nueva Galicia, las de Culiacàn, Copala, Colima, y Zacatula, y los Pueblos de Avalos, partiendo terminos, por el Levante con la Audiencia de la Nueva España, y por el Mediodia con la Mar del Sur, y por el Poniente, y Septentrion con Provincias no descubiertas, ni pacificas.* 7. Residet in Civitate Sanctæ fidei Novi Regni Granatensis, cujus districtus asignantur in *L.* 8. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind.* ibi: *Y tenga por distrito las Provincias del Nuevo Reyno, y las de Santa Marta, Rio de San Juan, y la de Popayan, excepto los lugares que de ella estàn señalados a la Real Audiencia de Quito, y de la Guayana, ò Dorado, tenga lo que no fuere de la Audiencia de la Española, y toda la Provincia de Cartagena, partiendo terminos: por el Mediodia con la dicha Audiencia de Quito, y tierras no descubiertas: por el Poniente, y por el Septentrion con el Mar del Norte, y Provincias que pertenecen a la Real Audiencia de la Española, y por el Poniente con la de Tierra-Firme.* 8. In Civitate Argentinæ residet, cujus districtus asignatur in *L.* 9. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind.* ibi: *La qual tenga por distrito la Provincia de los Charcas, y todo el Collao desde el Pueblo de Ayabiri: por el camino de Hurcosuyo desde el Pueblo de Asillo por el camino de Humasuyo desde Atuncana por el camino de Arequipa àzia la parte de los Charcas, inclusivè con las Provincias de Sangabana, Carabaya, Juries, y Dieguitas, Moyos, y Chunchos, y Santa Cruz de la Sierra, partiendo terminos: por el Septentrion con la Real Audiencia de Lima, y Provincias no descubiertas: por el* Me-

Mediodia con la Real Audiencia de Chile: *y por el Levante, y Poniente con los dos Mares del Norte, y del Sur, y linea de la demarcacion entre las Coronas de los Reynos de Castilla, y de Portugal por la parte de la Provincia de Santa Cruz del Brasil.* Vid. *L.* 13. infrà. 9. resîdet in Civitate S. Francisci Quitensis, cujus districtus habetur *in L.* 10. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind.* ibi: *Y tenga por distrito la Provincia de el Quito, y por la Costa àzia la parte de la Ciudad de los Reyes, hasta el Puerto de Payta exclusivè; y por la tierra adentro hasta Piura, Caxamarca, Chachapoyas, Moyobamba, y Motilones exclusivè, incluyendo àzia la parte susodicha los Pueblos de Jaèn, Valladolid, Loxa, Zamora, Cuenca, la Zarza, y Guayaquil, con todos los demàs Pueblos, que estuvieren en sus Comarcas, y se poblaren: y àzia la parte de los Pueblos de la Canela, y los Quixos tenga los dichos Pueblos, con los demàs, que se descubrieren: y por la Costa àzia Panamà, hasta el Puerto de la Buenaventura inclusivè, y la tierra adentro à Pasto, Popayàn, Cali, Buga, Chapanchica, y Guarchicona: porque los demàs Lugares de la Governacion de Popayàn son de la Audiencia del Nuevo Reyno de Granada, con la qual, y con la Tierra-Firme, parte terminos por el Septentrion: y con la de los Reyes por el Mediodia, teniendo al Poniente la Mar del Sur, y al Levante Provincias aun no pacificas, ni descubiertas.* 10. resîdet in hac Civitate Manilæ in his Insulis: cujus districtus assignatur *in L.* 11. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind.* ibi: *Y tenga por distrito la dicha Isla de Luzon, y todas las demàs de las Filipinas, Archipielago de la China, y la Tierra-Firme de ella descubierta, y por descubrir.* 11. resîdet in Civitate Sancti Jacobi Chilensis, cujus districtus habetur *in L.* 12. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind.* ibi: *Y tenga por distrito todo el dicho Reyno de Chile, con las Ciudades, Villas, Lugares, y Tierras, que se incluyen en el Govierno de aquellas Provincias, assi lo que aora està pacifico, y poblado, como lo que se reduxere, poblare, y pacificare dentro, y fuera del Estrecho de Magallanes, y la tierra adentro, hasta la Provincia de Cuyo inclusivè.* 12. resîdet in Civitate Bonaerensi, *Hispanè*: *Buenos Ayres*, cujus districtus assignatur *in L.* 13. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind.* ibi: *Y tenga por distrito todas las Ciudades, Villas, y Lugares, que se comprehenden en las Provincias del Rio de la Plata, Paraguay, y Tucumàn, no embargante, que hasta aora ayan estado debaxo del distrito, y jurisdiccion de la de los Charcas, por quanto las desgregamos, y separamos de ella para este efecto.* Hi sunt Regij Indiarum Senatus, de quorum authoritate, & jurisdictione, & de modo, quo Præsides, & Senatores, *Hispanè*: *Oidores*, debeant ferre suffragium, in alijsque se gerere: & de alijs dubijs, & quæstionibus circa prædicta, latè agitur *in Tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind.* *Solorz. de Jur. Ind. t.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. quæ denique omnia in Supremo Indiarum Senatu à Rege Hispaniæ terminantur Matriti, ubi *ipse sedens niveo candentis limine Phœbi-Dona recognoscit Populorum, aptatque superbis-Postibus, incedunt victæ longo ordine Gentes-Quam variæ linguis, habitu tam vestis, & armis.*

340 Jurisdictio ordinaria finitur. 1. morte ejus, cui data est: nam mors omnia solvit. 2. legitima resignatione officij, seu depositione, seu translatione ab officio, cui est adjuncta. 3. lapsu temporis, ad quod est concessa jurisdictio. Non tamen extinguitur per mortem Principis, à quo est concessa, etsi res adhuc integra sit, nec Judex uti cœperit jurisdictione. *L.* 6. *ff. de Jur. fd. C.* 2. *de Offic. Legat. in* 6. quia semel ac Jurisdictio acceptetur, tanquam Principis gratia illi personæ adhæret, cui est concessa, etiamsi concessa fuisset ad Principis beneplacitum, ita favore publico exigente. *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 28. *ex n.* 4. Jurisdictio verò Vicarij Episcopi, cum principalitèr à jurisdictione Episcopi dependeat, illo mortuo, etsi ordinaria sit, omninò extinguitur, etiam quoad incœpta negotia.

TIT. XXXII.

De Officio Judicis.

341 JUDEX dicitur quasi *jus dicens* Populo, sive ex eo quod *jure disceptet*: jure autem disceptare est justè judicare. *C.* 10. *de Verb. signif.* Et cum judicare sit munus publicum, hinc est, quod Judex debet habere potestatem publicam, scilicèt, jurisdictionem ad cognoscendas, & decidendas causas, & controversias: & quidem ad bonum subditorum ordinatam: & ad hoc reducitur officium Judicis, de quo in præsenti: Nam hoc nil aliud est, quam quoddam munus publicum cognoscendi, & decidendi res in Judicio controversas. Et hoc duplex communitèr distinguitur: aliud enim *nobile*, aliud *mercenarium* dicitur. Officium Judicis *nobile* est, quod nulli actioni servit, nec illi est alligatum, sed aliundè impen-

penditur à Judice, tanquam ex proprio munere, vel motu proprio ob publicam utilitatem, vel quando pars carens actione implorat, & excitat officium Judicis. Sic Leges fert, delicta inquirit, facinorosos punit, ex proprio officio, vel munere ob bonum commune, & publicum, etiam nulla parte petente. C. 24. *de Accusat.* furiosis, pupillis, & miserabilibus personis dat Curatores, Tutores, Advocatos. C. 1. *h. t. L. 6. tit. 6. p.* 3. sequestrat bona, de quibus litigatur, restituit famæ, & natalibus, & minorem in integrum restituit, & læsum infra dimidium justi prætij: absolvit à censuris, & alia hujusmodi facit. Officium Judicis *mercenarium* est illud, quod tanquam mercenarium actionis Civilis in judicio à parte propositæ, illi deservit juxta mensuram, & exigentiam ipsius actionis: ita ut si partes cessent, vel transactionem faciant, cessat etiam Judex, nec se potest amplius in negotium intromittere. Hoc ergo officio utitur, quando præcipit, vel prohibet, interloquitur, vel definit, vel pronuntiat, tàm super re controversa, quàm super sumptibus litis, fructibus, & damnis. Sed lite per sententiam terminata expirat ejus officium mercenarium, censeturque functus hoc officio suo, nec de expensis postea valet pronuntiare. *L.* 55. *ff. de Re judic. L.* 3. *C. de Fructib. & lit. expens.* Et quando ad executionem progreditur, jam officio nobili utitur. *Pichard. in princ. Inst. h. t.* Si officium Judicis nobile non imploretur contra aliquem, v. g. si quis petat ab excommunicatione absolvi, vel si imploretur contra personam incertam, v. g. contra furem ignotum, non est necessaria, nec potest fieri litis contestatio: si vero imploretur contra personam determinatam, ita ut requiratur plena causæ cognitio: v. g. quod quis in integrum restituatur, cum tunc loco actionis succedat tale officium consequens est, ut requiratur contestatio. Si vero tantum incidenter imploretur, ut admittatur exceptio, vel ante, vel post litis ingressum, non requiritur contestatio. *C. fin. h. t.*

342 Cum officium Judicis consistat in exercendo jurisdictionem, scire oportet, quid sit jurisdictio: Hæc enim sic potest definiri: *Est potestas alicujus habentis in aliquos authoritatem, seu eminentiam ex publico munere ad eorum regimen, & gubernationem. Glos. in L.* 1. *ff. de Jurisd. Molin. de Just. & jur. tr.* 5. *D.* 2. *n.* 1. Et sic distinguitur jurisdictio à potestate privata, quam habet Pater in filium, Dominus in servum, Maritus in uxorem, & Magister in discipulum: quæ potestas non publica, sed privata est, & *Œconomica* dicitur. Jurisdictio alia est *Ecclesiastica*, quæ scilicèt ad causas ad Dei cultum, & salutem animarum pertinentes, spectat. Alia est *Politica*, quæ scilicèt ad causas sæculares, & Republicæ gubernationem spectat. Alia est tantum pro foro interno, alia pro externo. Et hæc est duplex *voluntaria*, scilicèt, & *contentiosa*: *Voluntaria* est, quæ in volentes exercetur, & quidem etiam in alieno territorio validè, & plerumque etiam licitè. *Contentiosa* etiam in invitos, & reluctantes exercetur, sed solum in proprio territorio judicis: vel si in alieno ex consensu Judicis illius, & partium litigantium. Jurisdictio præcipuè dividitur in jurisdictionem *presse sumptam*, seu *simplicem*, & *imperium*: Jurisdictio presse sumpta est, quæ exercetur officio Judicis mercenario. *Imperium* est, quod exercetur officio Judicis nobili. Et sanè, quando publicam utilitatem respicit, *merum imperium* appellatur: & dicitur *merum*: quia cum tantum utilitatem publicam respiciat, non participat de jurisdictione simplici. Si privatam respiciat utilitatem dicitur *mixtum imperium*, & vocatur *mixtum*, quia quatenus officio nobili exercetur participat de imperio: quatenus respicit privatam utilitatem participat de jurisdictione simplici, seu presse sumpta. *Molin. de Just. & jur. tr.* 5. *D.* 5.

343 *Imperium* (ait *Ulpian. in L.* 3. *ff. de Jurisd.*) *aut merum, aut mixtum est. Merum est imperium habere gladij potestatem, ad animadvertendum facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. Mixtum est imperium, cui etiam jurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit.* Imperium à *Barthol. Molin. & alijs* in sex gradus dividitur. Ad primum ergo gradum meri imperij spectat Leges condere, & abrogare, bellum indicere, Comitia Generalia, *Hispanè*: *Cortes*, vel Concilia Generalia (respectu Principis Ecclesiastici) congregare, exigere vectigalia, tributa imponere, cognoscere causas appellatione remota, monetam cudere, & alia hujusmodi, quæ *Regalia* appellantur. Hic gradus dicitur *maximus*, vel *summus*, & semper censetur exceptus in concessione, nisi exprimatur, quia specialissima nota est dignus. C. 81. *de Reg. jur. in* 6. *Molin. de Just. & jur. tr.* 5. *D.* 6. *n.* 1. Alij gradus spectant ad justitiam vindicativam, & causas criminales, ut potestas puniendi in vita naturali, & civili per

condemnationem ad mortem, vel mutilationem, vel ad triremes, vel exilium, vel ad plectendum in fama, & bonis temporalibus, & ad pœnas pecuniarias, & alias leviores coercitiones infligendas. Sed cum in Jure Canonico pœna sanguinis nequeat imponi, merum imperium dicetur potestas degradandi, censuras ferendi motu proprio, & non ad instantiam partis. Siquidem censura est gladius spiritualis potestatis, & disciplinæ Ecclesiasticæ. Mixtum imperium versatur in causis civilibus, vel etiam criminalibus civiliter intentatis, & ad ejus primum gradum, quem maximum vocant, spectat concedere minoribus veniam ætatis, illegitimum legitimare, famæ aliquem restituere, qui jure erat infamis, revocare sententiam, quæ transijt in rem judicatam, & respectu Pontificis, transferre Episcopos, dividere Episcopatus, unam Ecclesiam Cathedralem alteri subjicere, & alia hujusmodi. Ad alios verò gradus cætera minoris momenti spectant: ut potestas coercendi carcere, vel pœna pecuniaria, præcipuè in partis commodum, restituendi in integrum, dandi Tutorem, vel Curatorem, determinandi pondera, & mensuras, visitandi Hospitalia, molendina, aliasque Officinas publicas: qui gradus utriusque imperij, variè à varijs dividuntur: primus gradus Principi Supremo reservatur, nec concessus intelligitur, nisi in specie exprimatur: ac proindè respectu Judicum Sæcularium potestas gladij, vel respectu Ecclesiasticorum potestas degradandi, vel infligendi censuras solet primus gradus appellari. Sicque in nostra Hispania non solum Præsides, & Gubernatores Provinciarum, sed etiam Prætores *Hispanè: Corregidores*, & alij Judices Ordinarij locorum *Hispanè: Alcaldes Ordinarios*, potestatem obtinent in prima instantia in causis criminalibus spectantibus ad merum imperium. Et ab illis ad Regia Prætoria, seu Cancellarias appellatur, & quando non appellatur, vel à jure appellatio excluditur, executioni sententiam mandant, etiamsi mortis pœnam infligant. *L. 18. tit. 4. p. 3. Molin. de Just. & jur. tr. 5. D. 6. n. 5. Covar. & alij.* Judices *Notionales*, seu *Pedanei* antiquitus tantum habebant notionem, seu cognitionem sine jurisdictione: quorum loco in foro Civili, sunt *Commissarij*, in foro Ecclesiastico *Auditores.* Judices *Rurales*, *Hispanè*: *Alcaldes de Aldea*, solum possunt cognoscere de quantitate 600. marapetinorum. *L. 12. L. fin. tit. 9. lib. 3. R. C.* Istorum jurisdictio in his Provincijs declaratur in *L. 16. tit. 3. lib. 5. R. Ind.* ibi: *Tendràn jurisdiccion los Indios Alcaldes solamente para inquirir, prender, y traer à los delinquentes à la Carcel del Pueblo de Españoles de aquel distrito: pero podràn castigar con un dia de prision, ò ocho azotes al Indio, que faltare à la Missa el dia de Fiesta, ò se embriagare, ò hiciere otra falta semejante: y si fuere embriaguèz de muchos, se ha de castigar con mas rigor.*

344 *Innoc. IV. in Conc. Lugdunensi*, sic Judices instruit: *Judices in causarum processibus caveant, & prudentèr attendant, ut nil vendicet odium, vel favor usurpet, timor exulet, præmium, aut expectatio præmij justitiam non evertat: sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus, quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententijs, & ferendis, præ oculis habeant solum Deum. C. 1. de Sentent. & re judic. in 6.* Et Eleuterius Papa *in C. 11. 30. q. 5.* ait: *Judicantem oportet, cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere.* Potest ergo Judex supplere ea, quæ sunt juris, si à partibus omittantur, quia hoc ad suum officium pertinet, v. g. repellere libellum, si malè conceptus est: non tamen potest supplere, quæ ad factum spectant, v. g. exceptiones opponere, probationes, vel instrumenta producere: quia non debet assumere officium partium, nisi factum sit notorium, vel intercedat periculum animæ, vel favor boni publici, vel causæ piæ. *Glos. in C. 3. de Postul. Prælat. V. Curavimus.* Debet judicare secundum Leges, Constitutiones, & mores. *Justin. in princ. Inst. h. t.* in judicando in his Indiarum Regnis, debet prius attendere schedulas Regias, noviores, posteà suo ordine Leges Recopilationis Indiarum, Castellæ, & Partitarum, Jus Civile, non tanquam Legem, sed tamquam rationem naturalem, & posteà, DD. Sententias. *L. 1. Taur. L. 3. tit. 1. lib. 2. R. C.* in foro Sæculari, deficiente Jure Regio, recurrendum est ad Jus Canonicum, sicut in foro Ecclesiastico Jure Canonico deficiente ad Jus Regium recurritur. *C. 1. de Novi oper. nuntiat. Paz in Prax. annot. 5. ex n. 35. cum pluribus alijs*, à sententia expressa in Lege recedere non licet. *L. 12. §. 1. ff. Qui, & à quib.* ibi: *Quod quidem per quam durum est: sed ita Lex scripta est*: nisi æquitas, vel epiikia aliud suadeat. *L. 8. C. de Judic.* Nam aliquando littera occidit. In causis civilibus probabiliorem sententiam debet sequi, ut constat ex propositione 2. inter

inter damnatas ab Innoc. XI. *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem.* In dubio partes ad compositionem, vel sortes adiget: nisi alter possideat, cujus conditio melior esse debet. *C. 65. de Reg. jur. in 6.* vel habeat causam favorabilem, scilicet matrimonij, libertatis, dotis, vel testamenti. *C. fin. de Sent. & Re judic.* At verò in criminalibus favendum est reo. *Satius enim esse (ajebat Trajanus) impunitum relinquere facinus nocentis, quam innocentem damnare. L. 5. ff. de Pœnis.* Siquidem in criminalibus debet esse causa instructa apertissimis documentis; vel indicijs ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita. *L. 25. C. de Probat.* Non tenetur sequi sententiam communem, sed quæ est ipsi Judici probabilior. *Exod. 23. v. 2. C. 4. de Ferijs, L. 1. §. 6. C. de Veter. jur. enucleand.* ibi: *Sed neque ex multitudine Authorum quod melius, & æquius est, judicatote, cum possit unius, forsitan, & deterioris sententia, & multas, & majores in aliqua parte superare.*

345 Cum Judex persona publica sit secundum scientiam publicam ex allegationibus, probationibus, & instrumentis ortam judicare debet. Hinc non condemnabit, quem scientia privata certo scit esse delinquentem, si de illo crimine nec convictus sit reus, nec in judicio confessus. *D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 2. & com. DD.* Si verò scientia privata sciat, aliquem esse innocentem, qui juxta allegata, & probata nocens, & delinquens inveniatur, debet tentare omnia media ad ipsum liberandum, iterum, atque iterum interrogando, & examinando testes, & instrumenta, ut detegat falsitatem, vel remittendo reum ad Superiorem: vel si ipse supremus sit, eum de plenitudine potestatis absolvendo: si nihil ex his sufficiat, in civilibus, & etiam criminalibus ubi agitur de exilio, mulcta, privatione ab officio, & similibus, poterit innocentem condemnare: cum sane videatur, esse sufficiens, quod ordo, ac forma judiciorum publicorum non pervertatur, ut tunc possit Respublica suam potestatem exercere disponendo de bonis externis subditorum ipsa alijs auferendo, & transferendo in alios: & hoc saltem debent probare. *D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 6. ad 3. Sanch. lib. 6. Consil. cap. 1. dub. 17.* & alij *ex cap. 28. §. Quia, de Offic. deleg.* ibi: *Etsi sciat, sententiam illam injustam, exequi nihilominus tenetur eandem.* In causis verò, in quibus agitur de pœna mortis, vel mutilationis, non potest innocentem condemnare: hoc enim esset intrinsecè malum, ac proindè nunquam licitum. *C. 1. de Sentent. & Re judic. in 6.* ibi: *Cum æterni Tribunal Judicis illum reum non habeat, quem injustè Judex condemnat.* Talis enim est ille reus, qui scientia Judicis innocens certò est: sicut Susanna innocens vocatur licet de crimine per duos testes convicta. *Daniel. 13.* Et hanc sententiam mediam tenet *Lugo de Just. & jur. D. 37. sect. 4. cum alijs.* Et licet deberet Judex potius officium renuntiare, quam ad mortem condemnare innocentem, cum tamen sententia asserens, posse illum condemnare ex publica scientia, sit probabilis, utpotè *D. Thom. Covar. Sanch. & aliorum*, potest Judex illam sequendo, non renuntiare officium, sed ipsum condemnare: cum adhuc non constet, quænam ex his sententijs probabilior sit. *Lugo ubi supr. Machad. in Sum. lib. 6. part. 2. tr. 1. doc. 4.*

346 Judex benè potest accipere salarium, & partem pœnarum, quam ipsis sæpè Leges assignant, & præcipuè in *L. un. tit. 10. lib. 3. R. C.* Et etiam sportulas, quæ sunt quædam minuta commoda pecuniæ, quasi per stipem collecta jure actorum, quæ Judex facit quotidie. Nam dignus est operarius mercede sua; nec aliquis tenetur proprijs stipendijs militare. Imò, & Judices delegati Ecclesiastici aliqua poculenta, vel esculenta, quæ possint consumi paucis diebus, & liberalitate mera partium sint oblata, accipere valent. *C. 11. §. Insuper, de Rescript. in 6.* Non possunt Judices, etiam stante æqualitate rationum, munera acceptare pro sententia in unius favorem ferenda, ut constat ex hac propositione damnata ab *Alex. VII. & est 26. Quando litigantes habent pro se rationes æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.* Insuper in nostra Hispania enixè prohibetur Judicibus quidquam à litigantibus, etiam esculenta, vel poculenta, accipere: Et de muneribus non accipiendis juramentum faciunt. *L. 3. tit. 9. lib. 3. R. C.* ac proindè severè hoc delictum punitur in *L. 5. tit. 9. lib. 3. R. C.* ibi: *No sean ossados de tomar, ni tomen en publico, ni en escondido, por sì, ni por otros, dones algunos de ninguna, ni algunas personas de qualquier estado, ò condicion que sean, de los que ante ellos ovieren de venir, ò vinieren à pleyto, agora sean los dones oro, plata, dineros, paños, vestidos, viandas, ni otros bienes, ni cosas al-

algunas: y qualquiera que lo tomare por si, ò por otro, que pierda por el mismo hecho el oficio, y que nunca mas aya el dicho oficio, ni otro, y peche lo que tomare con el doblo, y sea para nuestra Camara, y fin, que en nuestro alvedrio de les dar pena por ello, segun la quantia que tomaren, y llevaren; cum alijs concordantibus. Et idem pro Indijs statutum videtur in *L.16. tit. 3. lib. 3. R. Ind.* & alibi; in quibus Legibus non solum Judices Ordinarij, & delegati, sed & alij Ministri comprehenduntur. *L. 56. tit. 5. lib. 2. R. C.* quibus consonat de Jure Civili. *L. 1. ff. ad Leg. Jul. Repetund.* & de Jure Canonico. *C.11. §. 4. de Rescript. in 6. C. 10. de Vita, & honest. Cler.* quod quidem merito prohibetur. Nam ut dicitur *Exod. 23. v. 8. Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* Incredibilem munerum vim ad animos inclinandos bene depinxit ille Poeta: *Munera, crede mihi, placant hominesque, Deosque. Placatur donis Juppiter ipse datis.* Si talia munera non sint data sponte, sed ad redimendam vexationem, vel tanquam pretium pro administranda justitia, non solum graviter peccat Judex, sed etiam ante omnem sententiam, ea restituere tenetur, etiamsi data sint pro sententia alias justissima: quia cum sit obligatus ad suum officium exercendum nullo titulo potuit ea accipere. *C. 15. 14. q. 5.* Quod si ea accipit Judex pro injusta ferenda sententia, cum ad illam sententiam injustam non teneatur Judex, & aliunde magnum periculum subeat ipse, si de injustitia convincatur: & cum præterea illa actio sit utilis litiganti, dicendum est, quod talis Judex non tenetur sic accepta restituere; ut *ex D. Thom. D. Antonin. Navar. Molin. & alijs affert Lacr. lib. 4. n. 1498.* Quando vero sponte data sunt munera, licet graviter peccet Judex, nisi excuset parvitas materiæ, valde dissident DD. circa obligationem restituendi: non teneri ante Judicis sententiam, tenent *Covar. Sylv. Cajet. Medina, Gutierr. & alij cum Machad. in Sum lib. 6. p. 2. tr. 1. doc. 9.* ad restitutionem teneri, etiam ante Judicis sententiam, quia nulla est donatio, probat *Sanch. lib. 3. Consil. cap. un. dub. 1. n. 26.* Et debet fieri, ante sententiam ipsi qui dedit, post sententiam ei, cui per ipsam sententiam applicetur. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 89.* finito officio possunt Judici munera dari, & ipse valet accipere. *L. 56. tit. 5. lib. 2. R. C.* Etiam potest dona accipere à consanguineis, & amicis, etiam Subditis, si ipsi non dent ob litem, sed gratia amicitiæ, vel consanguinitatis, vel ob gratitudinem: imo & à litigantibus possunt Judices aliquid accipere, si in illo negotio majorem diligentiam, quam officium exigit, impendant in favorem partium. *Sanch. lib. 3. Consil. cap. un. dub. 1. ex n. 19. Machad. in Sum. lib. 6. p. 2. tr. 1. doc. 10. vid. Lacr. lib. 4. ex n. 1498.*

347 Nec possunt Judices, vel alij Magistratus in Provincia, quam gubernant, contrahere, negotiari, nec mercimonia exercere. *L. 33. ff. de Rebus credit.* ibi: *Principalibus constitutionibus cavetur, ne hi, qui Provinciam regunt, quive circa eos sunt, negotientur, mutuamve pecuniam dent, fænusve exerceant. L. 5. tit. 5. p. 5. L. 2. tit. 6. lib. 3. R. C.* quod maxime in his Indiarum Regnis prohibitum est, ita ut nullo omnino modo liceat talibus negotiari. *L. 54. & seqq. tit. 16. lib. 2. R. Ind. L. 74. tit. 3. lib. 3. R. Ind.* ibi: *Expressamente prohibimos a los Virreyes de nuestras Indias todo genero de trato, contrato, ò grangeria, por sì, ò sus criados, familiares, allegados, ò otras qualesquier personas, directa, ni indirectamente, en poca, ò mucha cantidad, por mar, ni por tierra, ni el uno en las Provincias del otro, pena de nuestra indignacion, y de las demàs que reservamos à nuestro arbitrio; y declaramos, que para la averiguacion sean bastantes probanzas las irregulares, como està ordenado en los cohechos, y baraterias.* Hac negotiandi prohibitione ligantur Gubernatores Provinciarum, Prætores, *Hispanè Corregidores*, Senatores, *Hispanè Oidores*, & alij Magistratus: *Hispanè Alcaldes Mayores*, & Officiales Regij, ac proinde tales, si contraveniant prædictis Legibus, & præcipuè juramento circa hoc, facto, non possunt excusari à culpa gravi; ut tenent *Fr. Joan. de Paz in suis Consf. 7. dictam. 165. n. 54. f. 450. P. Ribera, & alij com.* Et sic respondi, cum hic essem, à quodam harum Insularum Gubernatore de hac re consultus. Nec potest Judex, nisi sit Supremus Princeps, judicare in causa propria. *C.27. 23. q.4. L. un. C. Ne quis in sua causa. L. 10. tit. 4. part. 3.* ibi: *Juez, è demandador, è demandado, son tres personas, que conviene, que sean en todo pleyto, que se demanda por Juicio: E por ende decimos, que ningun Juzgador non puede, nin debe oir, nin librar pleyto sobre cosa suya, ò que à èl pertenezca, porque non debe un ome tener logar de dos, assi como Juez, è demandador.* Hoc intelligitur, quando requiritur ad causam termi-

mandam jurisdictio contentiosa. Nam potest Judex in sua causa jurisdictionem voluntariam exercere ; v. g. emancipare, adoptare, & manumittere. *L. 2. ff. de Offic. Præsid.* Si verò Dignitati, vel jurisdictioni, quam obtinet injuria fiat, potest utique eam punire. *L. 1. ff. Si quis jus dic. arg. L. 8. tit. 7. p. 3.*

348 Judices Ordinarij, non litterati, quamvis jurisdictione gaudeant, non aliter possunt judicare, & cognoscere, quando res magni momenti est, quam cum Consilio Assessorum, adeò, ut licet sententia alias sit justa, pro nulla omninò habenda est: ipse tamen Judex non tenetur necessario sequi Assessoris judicium, sed potest illud repellere, si injustum, & erroneum ipsi videatur, & ad alium Assessorem negotium remittere. De rebus verò levioris momenti, & de pœnis ordinationum solvendis, bene possunt per se, & sine Assessore pronuntiare: partes possunt Assessorem Judicis, ut suspectum recusare, etiam nulla allegata in specie causa suspicionis ad recusandum. Salarium Assessoris, debet communitèr ab utraque parte solvi. Sic *Greg. Lop. in L. 2. & 3. tit. 21. p. 3. Bobadill. Polit. lib. 3. cap. 8. n. 255. Aceved. in L. 8. tit. 13. lib. 8. R. C.*

349 Judex, qui malè judicavit per imperitiam, vel imprudentiam, de Jure Civili facit litem suam, & ex quasi delicto tenetur ad litis æstumationem resarciendam arbitrio Judicis, *princ. Inst. de Obligat. quæ ex quasi delict. L. 24. tit. 22. p. 3.* si gratia, odio, vel timore inductus malè judicavit, in solidum ad litis æstimationem, id est, quantum partis interest injustè contra eam esse judicatum, ex delicto tenetur. *L. 15. ff. de Judic.* infamiam incurrit, quia venit contra juramentum, quod fecit quando assumptus fuit ad officium, & insuper debet officio privari. *L. 24. tit. 22. p. 3.* si corruptus pecunia in causa Criminali malè judicavit in exilium mittitur, & omnia ejus bona confiscantur. *Auth. Novo jure, C. de Pœn. judic.* & sententia non valet. *L. 24. tit. 22. p. 3.* Si tamen Judex aliquem in causa sanguinis injustè condemnet ; *ex L. 4. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* tenetur Lege Cornelia de Sicarijs, in nostra Hispania tenetur pati pœnam ad quam ipse alium injustè condemnavit: quod si Rex ei vitam indulgeat, debet nihilominus exulare perpetuo, estque infamis, & bona ejus confiscantur. *L. 25. tit. 22. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* Jure Canonico ; *ex C. 1. de Sent. & Re judic. in 6.* Judex Ecclesiasticus, sive Ordinarius, sive Delegatus, qui contra justitiam, & propriam conscientiam, per gratiam, vel per sordes, vel pecuniam aliquid in judicio fecerit ; (secus si omittat facere) in gravamen partium (secus si alium Ministrum gravasset) participandus condemnandus est in æstimationem litis, & per annum suspenditur ab executione officij. Et si durante suspensione, damnabilitèr ingesserit se Divinis, irregularitatis laqueo se involvet, à qua non nisi per Summum Pontificem poterit liberari: in qua dispositione non continetur, qui per ignorantiam malè judicavit, nec Judex Laicus, nec arbiter Compromissarius, nec merus Executor, nec Episcopus ob exceptionem ; *text. in C. 4. de Sentent. excom. in 6.*

TIT. XXXIII.

De Majoritate, & obedientia.

350 NULLA est in toto Terrarum Orbe Respublica, quæ non constet majoritate, & obedientia; aliàs nullus ordo, sed sempiternus horror in ea inhabitaret. Aliquando enim gubernant Populares, & dicitur *Democratia*, ut olim apud Athenienses, & hodie apud Helvetios : aliquando solum optimates, & nobiles gubernant, & dicitur *Aristocratia*, ut olim apud Romanos, & hodie apud Venetos : aliquando unus Princeps, vel Rex gubernat, & *Monarchia* dicitur, ut in Hispania, Gallia, & Ecclesia Romana. *Extr. unam 1. h. t. int. com.* ibi : *Una nempè fuit diluvij tempore Arca Noe unam Ecclesiam præfigurans, quæ in uno cubito consummata, unum (Noe videlicèt) Gubernatorem habuit, & Rectorem ::: hæc est tunica illa Domini inconsutilis, quæ scissa non fuit, sed sorte provenit. Igitur Ecclesiæ unius, & unicæ, unum Corpus, unum Caput, non duo Capita, quasi monstrum, Christus, videlicèt, & Christi Vicarius Petrus, Petrique Successor, dicente Domino ipsi Petro, pasce oves meas, inquit, & generalitèr, non singularitèr has vel illas, per quod commisisse sibi, intelligitur, universas.* Et hic est perfectior gubernandi modus; quia sicut Deus est unus, sic Rex, qui ejus vices tenet in Terris, unicus debet esse. *C. 41. 7. q. 1. L. 2. §. 11. ff. de Origin. jur. L. 7. tit. 1. p. 2.* ibi : *Mas el ome de todo esto non ha nada para sì, à menos de ayuda de muchos, que le busquen, è le alleguen*

aquellas cosas, que le convienen. E este ayuntamiento non puede ser sin Justicia, la que non podria ser fecha, si non por Mayorales, à quien oviessen los otros de obedescer. E estos seyendo muchos non podria ser, que algunas vegadas non se desacordassen, porque naturalmente las voluntades de los omes son de partidas, los unos quieren mas valer que los otros. E por ende fuè menester por derecha fuerza, que oviesse uno, que fuesse Cabeza dellos, por cuyo sesso, se acordassen, è se guiassen, assi como todos los miembros del cuerpo se guian, è se mandan por la Cabeza: E por esta razon convino, que fuessen los Reyes, è los tomassen los omes por Señores. Et sic sentiunt. *D. August. D. Thom. & alij cum Bobadilla Polit. lib. 1. cap. 1. ex n. 15.* Sed prater Regem debent dari alij Superiores (ipso inferiores) per quos quasi per scalas, & gradatim ascendatur ad ipsum. *C. fin. D. 89.* ibi: *Ad hoc dispensationis Divinæ provisio gradus diversos, & ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent vera concordia fieret, & ex diversitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim Universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. Quia verò quæque creatura in una, eademque qualitate gubernari, vel vivere non potest; Cœlestium Militiarum exemplar nos instruit; quia dum sunt Angeli, & sunt Archangeli, liquet, quia non sunt æquales, sed in potestate, & ordine, differt alter ab altero.*

351 In hac ergo Orbis Universitate primum locum Ecclesiasticorum ordo obtinet, præferturque abs dubio Ordini Sæcularium, & Laicorum. Sic *Innoc. III. in c. 6. h. t.* ibi: *Ad firmamentum igitur Cœli, hoc est, Universalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit Dignitates, quæ sunt Pontificalis Authoritas, & Regalis potestas: sed illa, quæ præest diebus, id est spiritualibus major est: quæ verò carnalibus minor, ut quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur.* Hæc majoritas est quædam præeminentia in majori respectu minoris: Et quidem in Statu Ecclesiastico sic quasi per gradus proceditur. In primo gradu Pontifex est, post ipsum Cardinales, etiamsi tantum Diaconi sint, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi Protonotarij Participantes, Archidiaconi, Archipresbyteri, Scholastici, Custodes, Canonici Cathedralis Ecclesiæ, & Collegiatæ Protonotarij non participantes, seu honorarij, Parochi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Exorcistæ, Acolythi, Lectores, Ostiarij, & prima tonsura initiati, qui Cantores, & Psalmistæ dicuntur. Vicarius, sedeplena, primum locum obtinet post Episcopum, sede verò vacante, post Decanum, si est Canonicus sedet in loco proprio ipsi quà tali Canonico. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 54. n. 167.* sicut Episcopus, qui est Doctor; ut talis præceditur à Rectore Universitatis. *Hev. in Cur. Philip. p. 1. cap. 1. n. 9.* in Hispania prima Dignitas post Episcopum est Decanus, postea suo ordine sequuntur Archidiaconus, Primicerius. *Hispanè: Chantre*, Scholasticus, Thesaurarius, & alij. *Machad. in Sum. lib. 4. p. 4. tr. 6. Villaroel de Regim. Eccles. p. 2. q. 18. art. 4.*

352 Inter Regulares præeminentiam habent Canonici, postea Clerici Regulares, Monachi, & Mendicantes. Si cum Clericis concurrant Regulares, post Episcopum sequuntur Abbates, & Prælati; præceduntque Canonicos Cathedralis, quando hi non Collegialitèr incedunt cum suo Capitulo: si cum illo incedant, præcedunt ipsi quoscumque Regulares. Si inter Regulares, etiam exemptos, vel confraternitates Laicorum aliqua oriatur controversia in publicis processionibus, vel deductionibus funerum, Episcopus cognoscit de plano. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 13.* Inter eos, qui Dignitate sunt pares attenditur ordinis prærogativa. *C. 15. h. t.* sic inter Cardinales præferuntur Episcopi, sequuntur Presbyteri, & tandem Diaconi. Si Dignitate, & Ordine sunt pares, prærogativa ordinantis attenditur. *C. 7. h. t.* ubi ordinatus à Papa præfertur ordinatis ab Episcopo. Et *in C. 12. de Præbend. in 6.* receptus authoritate Pontificis in Canonicum præfertur receptis ab alio, licet ille posterius receptus sit: Et Episcopi exempti non exemptis debent præferri. *Arg. C. 6. de Privil. in 6.* Privilegium etiam majoritatem tribuit. Sic Patriarcha Constantinopolitanus præfertur alijs Patriarchis, licet antiquioribus. *C. 23. de Privileg.* Etiam inter Cardinales Episcopos, Ostiensis, saltem antiquitus, cæteris præferebatur: quia ad ipsum spectabat Papam consecrare. Etiam ratione scientiæ, & facultatis in Academijs datur præcedentia. Et sic regularitèr sequuntur: Theologus, Canonista, Legista, Medicus, Mathematicus, Philosophus, Rhetor. *Pomei Indic. Univ. p. 3. cap. 7. f. 120.* si cætera sunt paria antiquitas, etiam per

unum

unum momentum, attenditur ad hanc præeminentiam, seu præcedentiam in sedendo, in subscribendo, in suffragio ferendo, & alijs hujusmodi. *C.* 1. *h.t. C. fin. D.* 17. *l. fin. C. de Præfect. Prætor. lib.* 12. Sic olim in Concilijs Episcopi, non secundum Ecclesiarum dignitatem, sed secundum consecrationis antiquitatem subscribere solebant, ut ex subscriptione Episcoporum in Concilio Illiberitano clarè deducitur. Unde constat, quantum antiquitati est deferendum. *Azeved. in Rubr. tit.* 2. *lib.* 6. *R. C. ex n.* 113. ridendus tamen est ille, qui in omnibus usque ad superstitionem antiquitatem attendit. *Virtutem æstimat annis, miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.* In sedendo locus præstantior est primus, licet sit ad sinistram. In incedendo, manus dextera est præstantior, si plures concurrant honoratior est in medio collocandus. *Vid. Gonz. in c.* 1. *h. t.* Nec est improbanda quæstio, vel competentia super majoritate, & præcedentia, etiam inter personas Ecclesiasticas, si justè de ea contenditur. *Valdès de Dignit. Reg. Cathol. in Proœm. Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 7. *Villaroel de Regim. Eccl. p.* 2. *q.* 12. *art.* 2. *ex n.* 2. *& alij. Arg. C.* 10. 12. *q.* 1. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 17. ubi reprehendit Episcopos, qui suæ Dignitatis obliti nimia summissione erga Regios Ministros sui gradus decorem dehonestant, eisque mandat, ut tàm in Ecclesia, quàm foris suum gradum, & ordinem præ oculis habentes ubique se Patres, & Pastores esse, meminerint, & ut tales etiam à Principibus honorari desiderat. Et profectò à Nostris Regibus sic honorantur, quippè qui nullatenùs permittunt, Episcopos eorum deosculari manus. *Villar. p.* 2. *q.* 12. *art.* 3. *n.* 16. Deindè Clerus præcedit Regem in acceptione candelarum, palmarum, & cineris, & in Crucis adorátione. *L.* 10. *tit.* 15. *lib.* 3. *R. Ind.* multoque magis Proreges. Et sanè hi in Indijs, quando in sua domo audientiam præbent, subtegmine, *Hispanè*: *Dosel*, sedent, & extra domum ubique, etiam in Ecclesia. *Strato erecto*, *Hispanè*, *Sitial*, utuntur, lectoque Evangelio, Missale eis osculandum defertur, alijsque Regijs Cœremonijs honorantur. *L.* 10. *tit.* 15. *lib.* 3. *R. Ind.* In processionibus Episcopus præfertur Proregi. *L.* 36. *tit.* 15. *lib.* 3. *R. Ind.* ibi: *En Actos Ecclesiasticos, y Processiones el Virrey, ò Presidente vaya con los Oydores solamente, y el Prelado delante en mejor lugar, y su Clerecia detràs del Preste: y luego se siga immediatamente el Presidente, de suerte, que en ningun caso se incorpore el Prelado con la Audiencia: pero si fuera de estos actos se juntaren para otra cosa el Virrey, ò Presidente solo con el Prelado, y huvieren de salir, vaya à la mano derecha el Virrey, ò Presidente, porque representa nuestra Real persona.* Aqua benedicta prius Clerus, deindè aspergitur Gubernator: pax itidem prius Episcopo, si sit in Capella majori, postea Gubernatori datur, si sit in Choro à duobus Clericis simul datur utrique. *L.* 23. *tit.* 15. *lib.* 3. *R. Ind.* ubi additur: *En los demàs Actos Ecclesiasticos se ha de llevar la falda al Obispo, aunque vaya alli el Governador, pero solo ha de llevar al Caudatario, y quando fuere à las Casas del Governador, se le podrà llevar hasta la puerta del aposento, donde estuviere, y bolverla à recoger donde se quedare el Governador.* Quod si Pontificali utat ur potest sibi Magistrum Cœremoniarum, & alium Capellanum associare. *L.* 40. Nullus etiam Prælatus, vel Titulus sedere valet in Senatu Regio simul cum Senatoribus in actibus publicis. *L.* 30. Visitatores Audientiarum primum locum post Præsidem habent. *L.* 71. Senatores: *Hispanè*, *Oydores*, extra Cathedralem Canonicos præcedunt. *L.* 46. Et extra actum Inquisitionis, etiam Inquisitores. *L.* 78. Deindè quatuor, vel sex Canonici debent occurrere ad Ecclesiæ januam Præsidi quando, etiam sine Audientia, Ecclesiam ingreditur, illumque comitari usque ad Cathedralis januam, quando egreditur. *L.* 7. *tit.* 15. *lib.* 3. *R. Ind.* Civitatibus principalioribus conceditur ante se clavas argenteas, *Hispanè*, *Mazas*, deferre *L.* 86. *tit.* 15. *lib.* 3. *R. Ind.* quin, & Universitates eis utuntur. *Diction. de Trevoux.* v. *Masse enterme deblasson. Covar. Diction.* v. *Maza.* Quamvis cœremonia Regalis sit. *L.* 8. *tit.* 1. *lib.* 4. *R. Cast.* sicut olim ante Magistratus præibant Lictores fasces, & bacillos insignum jurisdictionis deferentes. *L.* 53. *C. de Decurion. lib.* 10. *& ibid. Glos.*

353 Potest aliquis diversis respectibus consideratis esse alio major, & minor. Sic quidem Diaconus licet respectu Ordinis sit minor Presbytero, tamen ut Episcopi delegatus ipsi præfertur. *C. pen. & fin. D.* 93. Et Archidiaconus licet Ordine sit minor Archipresbytero, potestate verò, & jurisdictione major est ipso. *C.* 1. *de Offic. Archipresbyt.* Episcopus delinquens in territorio Abbatis exempti potest in eo puniri, quia in alieno territorio habetur, ut privatus. *L.* 3. *ff. de Offic.* Pre-

Præsid. Sic etiam Collegæ Majores licet cæteros omnes Collegas præcedant, præceduntur tamen à Collegis minoribus in congressu Universitatis, si Collegæ minores sint Doctores ip... antiquiores, & sic vidi practicari. Majoritati, regularitèr obedientia debetur proindè sicut R. Pontifex est major in dignitate omnibus fidelibus, ita ex parte omnium fidelium obedientia ipsi præstanda est. Omnesque fideles ipsi obedire tenentur. *C.* 1. *de Constit.* debitam scilicèt reverentiam exhibendo, & ejus observando mandata. Et magis in particulari loquendo. Clerici suo Episcopo tenentur obedire; imò si curati sint tempore investituræ juramentum obedientiæ præstant, saltem ubi ita consuetudo suadeat. Alij verò Clerici ad hoc non compelluntur. *C.* 3. *h. t.* nisi sint rebelles, vel de inobedientia suspecti. *C.* 10. *h. t.* Religiosi suis Superioribus obedire tenentur. *C.* 10. *h. t.* similitèr Moniales suis Abbatissis. *C.* 12. *h. t.* & denique quicumque subditus sit suo Superiori debet obedire in illis rebus, in quibus subditus est, secus in alijs. *C.* 11. *de Offic. Ordinar.* si tamen certum sit, ipsum injustè præcipere, magis Deo, quam hominibus debet quis obedire. *C.* 93. 11. *q.* 3. etiamsi sub excommunicatione quid illicitum præcipiatur. *C.* 44. *de Sentent. excom.*

TIT. XXXIV.

De Treuga, & Pace.

354 CUm in præsenti titulo de treuga, & pace agatur, & sæpè non alitèr pax, quam inito bello possit haberi, *pr. tit.* 23. *p.* 2. ideo aliquid de bello prius disserere oportet: de quo audiamus *Augustinum in c.* 3. 23. *q.* 1. *Noli existimare*, (ait ipse) *neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis militat, In his erat S. David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium. In his etiam plurimi illius temporis justi. Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus à necessitate, & conservet in pace: non enim pax quæritur, ut bellum excitetur; sed bellum geritur, ut pax adquiratur.* Sic etiam DD. cum *D. Thom.* 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. contra Manichæos, & Æcum lampadium, qui dixerunt, nunquam bellum esse licitum. Quamvis enim non possit esse utrimque materialitèr, & re ipsa justum quia uni tantum potest jus à parte rei competere, cum dominium apud duos esse non possit. *L.* 5. §. 15. *ff. Commodat.* Formalitèr tamen potest esse justum, cum possit esse probabilis opinio pro justitia utriusque partis. Bellum ergo est discordia Principum, vel Rerum publicarum vim, & arma sibi mutuo inferentium, ut deducitur ex *D. Thom.* 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. Si hæc contentio inter privatos fiat, *duellum, vel rixa* dicitur: si inter Principem, & Populum sibi subjectum accidat, *rebellio* vocatur; si inter Cives, & Rempublicam *seditio.* Si Respublica inter Cives divisa sit, *bellum erit civile.* Si non solum cives, sed & cognati inter se dimicent, sicut tempore Cæsaris, & Pompeji, *plus quam Civile* à Lucano dicitur *L.* 1. *tit.* 23. *p.* 2. Bellum ergo est duplex: aliud *defensivum*, aliud *offensivum*: *Defensivum* est illud, quo propellitur vis, vel injuria illata, vel inferenda: nam vim vi repellere omnia jura permittunt. *L.* 3. *ff. de Just. & jur.* *Offensivum*, seu *aggressivum* est illud, quo etiam injuria, vel damnum illatum vindicatur, aut reparatur. Sed cum bellum sit infelicium, & fatalium malorum radix, ut tristis docet experientia, & apprime explicuit *Ovid. Metam.* 1.

Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque
Sanguineaque manu, crepitantia concutit arma.

Ut justum hoc sit, requiritur juxta *D. Thom.* 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. & *com. DD.* 1. Authoritas legitima, quæ in Principe Supremo residet. 2. Causa justa, de qua indicenti bellum constet, licet non constet militibus, qui ipsam præsumere debent. *C.* 4. 23. *q.* 1. 3. recta intentio, qua scilicèt intendatur, ut promoveatur bonum, & malum vitetur. Ut Princeps suæ bonæ intentionis det testimonium, & ut secure procedat, faciet, jus suum, & partis adversæ à viris doctis, & timoratæ conscientiæ, accuratè examinari. Et quidem probabile est, quod si major probabilitas stetet pro illo, qui rem non possidet, possit illam bello quærere: quia major probabilitas facit excessum juris; & sicut per judicis sententiam res illi adjudicaretur, sic etiam per bellum, & arma quæri valet. Sic *Mendo, & Lacroix lib.* 3. *p.* 1. *n.* 869. contra *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 103. habenti verò jus minus probabile, si possideat, etiam licet bellum facere: quia possessio supplet defectum juris, datque jus possidenti ad juste retinendum: quod si ille qui minus probabile jus habet, etiam possi-

possessione rei careat, non potest licitè bellum movere, nec facere. Si tamen quis injuste bellum gerat gravissime peccat, teneturque tàm hostibus, quàm subditis omnia damna, quorum causa injusta fuit, resarcire. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 101. n. 2.*

355 Justæ causæ bellum indicendi sunt. 1. Ut recuperetur Provincia, vel res debita, & non reddita ab alio. *L. 1. tit. 23. p. 2.* 2. Ut vindicetur gravis injuria, vel contumelia Principi illata: Hinc Dux Hispanus, in cujus navi est erectum vexillum Regium: si alia navis in mari nostro occurrat, etiamsi sit Principis amici, & confœderati, & non submittat vexillum, *Hispanè: arriar Vandéra*, & explodat tormenta bellica in signum honoris; tunc enim noster Dux ad Regium honorem, & injuriam vindicandam potest, & debet navem, etiam Principis amici persequi hostilitèr, & debellare, illamque apprehendere, & bona pro more dividere. *L. 3. tit. 24. p. 2.* ibi: *Debe prometer, que non escusara su muerte por amparar la Fè, è por acrescentar la honra de su Señor, è pro comunal de la tierra. Salcedo de Contravand. post n. 77.* 3. Causa indicendi bellum est, ut ultio sumatur de Principe auxiliante hosti, qui injustum bellum gerit. 4. Ut confœderatis justum feratur auxilium. 5. Ut impetrentur ea, quæ Jure Gentium permittuntur, quando per injuriam denegantur. Quod si in his casibus post bellum jam cœptum competens offeratur satisfactio ab eo cessandum est. 6. Etiam Principi Catholico licet bellum gerere, ut vera fides, & Evangelium defendatur, præcipuè si ejus promulgatio impediatur ab infidelibus. *C. 49. 23. q. 4.* ibi: *Ubi enim meritorum vestrorum loquax non discurrit opinio? quæ & bella vos frequentèr appetere, non desiderio fundendi sanguinis; sed dilatandæ causa Reipublicæ, in qua Deum coli conspicimus, loquitur; quatenus Christi nomen per subditas gentes fidei prædicatione circumquaque discurrat. L. 2. tit. 23. p. 2.* ibi: *Mover guerra es cosa, en que deben mucho parar mientes los que la quieren facer, ante que la comienzen, porque la fagan con razon, è con derecho. Ca de esto vienen grandes tres bienes. El primero, que ayuda Dios mas por ende à los que assi lo facèn. El segundo, porque ellos se esfuerzan mas en si mismos, por el derecho que tienen. El tercero, porque los que lo oyen, si son amigos, ayudan los de mayor voluntad; è si enemigos, recelanse mas de ellos. E este derecho, segun mostraron los Sabios antiguos, sobre que la guerra se debia facer, es sobre tres razones. La primera, por acrescentar el Pueblo su Fe, è para destruir los que la quisiessen contrallar. La segunda por su Señor, queriendole servir, e honrar, e guardar lealmente. La tercera, para amparar à si mismos, è acrescentar, e honrar la tierra donde son.* Et late ibid. *Greg. Lop.* Hinc licita sunt bella ab Hispanis adversus Indos facta: quia noster Rex nomine Ecclesiæ protegit, & promovet prædicationem Evangelij in his vastis Regionibus, justèque debellat ponentes impedimentum promulgationi fidei, & prædicationi Evangelij. De quo *Gregor. Lop. in d. l. 2. V. Acrescentar. D. Joan. Solorzano, & Pereyra de Jur. Indiar. tom. 1. lib. 2. ex cap. 10.* ubi latè de hoc agit, & doctè, & eruditè hunc, & alios titulos justos hujus conquisitionis affert, pluribus textibus, & Doctoribus allegatis. Movere tamen bellum præcisé ad gloriam, commodum, & imperium illud inferentis amplificandum tyrannicum, & injustum est: ideo de Alexandro dixit quidam Poeta: *Magnus Alexander prædo clarissimus Orbis.* Erudite *Solorz. Emblem. 88.* Nec item licet bellum indicere ex timore, ne nimium crescat vicina potentia: sed si ex alia causa licitum sit, ex hac erit prudens. *Hugo Grotius de Jur. belli, & pac. lib. 2. cap. 1. n. 17.*

356 Episcopis, & Clericis, quamvis licitum sit interesse bellis, ut exhortentur Milites ad fortitèr pugnandum, & præcipuè, ut ipsis spiritualitèr subveniant, sicut in Lege Veteri, *Josue 6.* mandabatur, quod Sacerdotes sacris buccinis in bellis clangerent: & sic olim in nostra Hispania Episcopi comitabantur Regem, & Exercitum contra Mauros: non tamen est ipsis licitum propria manu pugnare: non quia hoc sit peccatum, sed quia sic facientes non perfectè mansuetudinem Christi, quam debent repræsentare, imitarentur: & quia tale exercitium eos à contemplatione Divinorum, laude Dei, & oratione distraheret. *D. Thom. 2. 2. q. 40. art. 2.* in casu tamen urgentis necessitatis possunt propria manu pugnare pro vita, pro Ecclesia, & pro Patria. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 268. ex n. 8.*

357 In bello justo licet omne illud, quod est medium necessarium, vel conducens ad finem consequendum; *arg. L. 2. ff. de Jurisdict.* ac proindè licitum est, homines occidere, vel capere, vastare agros, arces diruere, urbem in prædam, vel in ferrum dare bona, & terras occupare: imò

Eccle-

Ecclesiam, ejusque bona comburere. Et quandoque, saltem indirectè, innocentes occidere licet: obsidens enim jure impetit mœnia tormentis bellicis, quamvis prævidear eorum ictibus aliquos innocentes occidendos, quod præter intentionem sequitur: & inde non imputatur ad culpam. Et etiam licet hostes bello captos, si morte digni sint, quia scienter injustum bellum moverunt, occidere, nisi sub conditione acceptata, ne interficiantur, se dederint: Quod si omnes, vel plures nocentes sint, tunc suadet charitas christiana, ut Authores injusti belli occidantur, & erga alios rigor mitigetur. Si vero capti bello excusabiles sint ob ignorantiam, aut dubium de belli justitia, non sunt occidendi parta victoria. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. ex D.* 117. Innocentes directè occidi non possunt, quales sunt mulieres, senes, pueri, Religiosi, Clerici, peregrini, mercatores, rustici. C. 2. *h t.* bonis tamen externis spoliari possunt, si hoc est necessarium ad finem belli. Et fœminæ, & pueri possunt tanquam captivi abduci, si sint Christiani, inter quos exulat servitus; si verò infideles sint, servi fient. In conflictu belli licitum est omnes è contrario pugnantes, etiamsi intersint innocentes, occidere. *Molin. de Just. & jur. tr.*2. *D.*122. Etiam sunt licitæ repressaliæ, seu impignorationes, quando aliqui de alia Republica damnum intulerunt, & neque ipsi, nec eorum Princeps, etiam post monitionem, volunt satisfacere. Nam tunc possunt bona illius Republicæ capi, quamvis illi, quorum bona occupantur, damnum non intulissent: Hoc namque modo in suis membris punitur Respublica, quæ jam est in culpa ex eo, quod non cogat suos subditos satisfacere. *Molin. tr.* 2. *D.* 121. *Hugo Grot. de Jur. belli, & pacis, lib.* 3. *cap.* 2. sed non debet plus damni per repressalia inferri, quam justa satisfactio requirit. Similitèr Princeps ædifficans in fundo Caji ad muniendam urbem, tenetur huic pro rata compensare. Militibus licita est pabulatio in terra hostili, non tamen in amica, si pretio necessaria comparare possit. Etiam licet, per accidens, Ecclesias comburere, & hostes ex eis extrahere, si ibidem defendantur. Insidiæ, & stratagemmata, quæ dolus bonus dicuntur, etiam licent in bello, ut constat ex D. Aug. *in C.* 2. 23. *q.* 2. qui hoc probat authoritate Domini, qui mandavit Josue, ut insidias poneret habitatoribus Civitatis Hai. *Josue* 8. *v.* 2. & reddit rationem: *Cum autem justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidijs vincat, nihil ad justitiam interest: justa autem bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens, vel Civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per injurias ablatum est. L fin. tit.* 23. *p.*2. ibi: *Celada es otra manera de guerra, que los antiguos asacaron para facer daño a sus enemigos.* Hac arte Trojani contra Græcos usi sunt *Virg. Æneid. lib.* 2. *Mutemus Clypeos, Danaumque insignia nobis aptemus: Dolus, an virtus quis in hoste requirat?* Ea verò, quæ intrinsece mala sunt, & quæ nulla prudentia præcaveri possunt, illicitè fiunt: v.g. uti amuletis, & veneficijs magicis, vel venenum apponere in fontibus, vel armis: quia bella non veneno, & veneficijs, sed robore virium, armis, & consilio gerenda sunt. Et quia aliqui solent objicere, quod non licet uti insidijs: quia hoc esset fallere, quod licitum non est, audiamus Angelicum Magistrum 2. 2. *q.* 40. *art.* 3. ibi: *Dupliciter aliquis potest falli ex facto, vel dicto alterius: uno modo ex eo, quod ei dicitur falsum, vel non servatur promissum, & istud semper est illicitum, & hoc modo nullus debet hostes fallere: sunt enim quædam jura bellorum, & fœdera, etiam inter ipsos hostes servanda. Alio modo aliquis potest falli ex dicto, vel facto nostro, quia ei propositum, aut intellectum non aperimus: hoc etiam semper facere non tenemur: unde inter cætera documenta rei militaris hoc præcipuè ponitur de occultandis consilijs, ne ad hostes perveniant.* Ac proinde dicendum est, quod utendo insidijs magis ipsi hostes fallunt se ipsos, quam nos illos fallimus. Exploratores, *Hispanè: Espias*, possunt in terris infidelium se Turcas, v. g. esse simulare, ac eorum vestibus uti, eorumque Templa adire. *Diana.* V. *Explorator.*

358 Immobilia in bello capta cedunt Principi, vel Reipublicæ, mobilia verò Jure Gentium fiunt Capientium: aliquando vero varie inter Principem, Duces, & Milites dividuntur, prout bellum fit, in mari, vel in terra: in quo debet attendi quid conventiones, & consuetudo permittant. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 117. & 118. & late hoc habetur *in tit.* 26. *p.*2. sed nunc in nostra Hispania quinta pars, *Hispanè: el quinto*, Regi debetur. *L.* 4. *tit.* 13. *lib.* 3. *R. C.* quæquidem pars à nostris Regibus ceditur Generalibus Clasis Indicæ, *Hispanè: Generales de Flota, y Galeones. L.* 5. *tit.* 13. *lib.* 3. *R. Ind. Solorz. Polit. Indian. lib.* 5. *cap.* 18. *Escalon. Gazofil.*

Gofl. lib.2. p. 2. cap. 8. Saleedo de Contrav. ex cap. 11. Veytia Norte de la Contrat. lib. 2. cap. 26. in quibus invenies quomodo dividenda funt fpolia in mari capta, & varios cafus, in quibus licet bellum Pyratis, & inimicis facere, & illorum naves capere. An cum Hæreticis, & Turcis liceat fœdera inire acritèr pro utraque parte difputatur. Sed quamvis aliquando liceret, raro in praxi licitum eft. *Lacr. l. 3. p. 1. n.* 872. quinimo deberent Principes Catholici, agmine facto, talem Gentem exterminare: ut quid enim terram occupat? Non licet arma ad hoftes deferre; præcipuè, fi infideles fint: nam hoc delictum punitur excommunicatione refervata in Bulla Cœnæ. Quod fi fideles ea deferant animo infideles adjuvandi in bello contra Chriftianos, poffunt Inquifitores juxta gradum fufpicionis fic deferentes torquere, & tanquam fautores hæreticorum punire. Si verò hæc faciant lucrandi causâ, & viles fint, fuftibus cæduntur, fin minus exilio, & pecunia in ea quantitate, qua equi, & arma valebant, mulctantur: fi vero tranfportata fuerint, pœna pecuniaria duplicatur. *Dian. in Sum. Verb. Inquifitorum jurifdictio, quoad pœnas, ex n.* 159. *Bobadill. Polit. tom.1. lib.2. cap. 17. n. 69.*

359 Ut his fuppofitis ad titulum proprius accedamus. *Treuga* (juxta *Glof. in cap. 1. b. t.*) eft fecuritas perfonis, & rebus præftita, difcordia nondum finita. Alia eft *Canonica*, alia *Conventionalis*. *Canonica* eft, quæ à Canone conftituta eft; & etiam *Legalis*, quafi à Lege conftituta, dicitur. Tales treugæ habentur ab Adventu Domini ufque ad Octavam Epiphaniæ; à Septuagefima ufque ad Octavam Pafchæ: & reliquis anni hebdomadibus ab occafu Solis Feriæ 4. ufque ad Solis ortum Feriæ fecundæ. In his temporibus bellorum ftrepitus ceffare debebat. *C. 1. b. t.* fed hæc Lex per defuetudinem eft abrogata: imò etiam diebus Dominicis, & Feftis bellum licitè geritur, ut ex 1. *Machab. 2. v.* 41. probat *D. Thom. 2. 2. q. 40. art.* 4. Ingruente enim bello folum quod necefsitas dictat attenditur; nam inter armorum ftrepitum filent Leges. Treuga *Conventionalis* eft, quæ fit conventione partium, & ad tempus tantum ceffatur ab armis: & in hoc differt *à pace*, quæ dat bello finem. Talis treuga dicitur *armiftitium*, quod eft *arma ftare*, *Hifpanè*: *Sufpenfion de armas*: Quod fi ad longius tempus treuga concedatur, nomine *induciarum* propriè fignificatur. Et quidem quomodocumque treuga fiat de Jure Gentium fervanda eft. C. 3. 23. *q.* 1. ibi: *Fides enim quando promittitur, etiam hofti fervanda eft. L. 2. tit. 16. p.* 7. ibi: *Porque la fé, ò verdad, que ome promete, debela guardar enteramente à todo ome, de qualquier ley, que fea, maguer fea fu enemigo*: nifi ceffet conditio, fub qua fuit conceffa, vel fit illius tempus elapfum; *arg. C.* 85. *de Reg. Jur. in* 6. vel fi fortè inimicus treugam violet: quippè tunc treuga non obligat: fiquidem frangenti fidem fides, etiam jurata, poteft frangi. *Molin. de Juft. & jur. tr. 2. D.* 111. *Gonzal. in* C. 1. *b. t. n.* 15. & 16. Nam *fruftra fibi fidem quis poftulat ab eo fervari, cum fidem a fe præftitam fervare recufat. C.*75. *de Reg. Jur. in* 6. De quibus omnibus latè agitur in *cauf.* 23. *q.* 1. & *feqq. in tit.*23. & *feqq. p.* 2. *Molin. de Juft, tr. 2. ex D.* 99. *Lacr. l.* 3. *p.* 1. *ex n.* 867.

TIT. XXXV.

De Pactis.

360 PActum, tefte Ulpiano, *à pactione dicitur, inde etiam pacis nomen appellatum eft*: & eft *pactio duorum, pluriumvè in idem placitum confenfus. L. 1. ff. h. t.* Et *Glof. ibid.* V. *Idem*: addit; *Danaum, vel faciendum uni noftrum ab altero veftrum*. Sicque differt. 1. a Teftamento; & Codicillis, & alijs ultimis voluntatibus: quia hæ unius tantum voluntate conftant, cum pactum plurium voluntatum requirat confenfum. 2. à pollicitatione, feu fimplici promifsione nondum acceptata, quia hæc folum promittentis includit confenfum. 3. à transfactione: quia hæc folum illas conventiones comprehendit, in quibus res dubiæ terminantur aliquo dato, vel retento, promiffo, vel remiffo: cum pactum generalitèr ad quæcumque fe extendat negotia. 4. à contractibus: quia contractus eft una ex fpeciebus pacti: pactum enim omnes conventiones continet, etiam contractus; è contra contractus folum includit conventiones producentes obligationem, & actionem civilem. Pactum ergo multiplex eft; aliud enim eft *expreffum*, aliud *tacitum*. *Expreffum* eft, quod ex voluntate pacifcentis expreffa procedit. *Tacitum*, quod ex aliquo facto præfumitur, feu deducitur, v. g. fi quis debitori Chirographum reddat, videtur cum eo conveniffe, ne petat. *L. 2. §. 1. ff. h. t.* Aliud eft *nudum*, feu *fimplex*, aliud *legitimum*, feu *veftitum*. Nu-

Nudum est quod solo consensu partium, & æquitate naturali nititur, solamque obligationem naturalem, seu in conscientia ligantem producit. *Legitimum* est quod aliquod adminiculum habet a Lege, civilemque obligationem, & ex illa resultantem actionem in foro externo producit. *L. 7. ff. h. t.* quod accidit, si pactum transeat in contractum specificum; v. g. in emptionem, vel mutuum, vel si adjiciatur incontinenti contractui, cujus naturam, ut accessorium, sequitur tale pactum, vel si fiat in judicio, quia in eo quasi contrahitur. *L. 3. §. 11. ff. de Pecul.* vel si juramento firmetur. Vel si ex altera parte sequatur traditio, vel impletio; tunc ille, qui implevit ex sua parte pactum potest adversus alium agere, ut vel promissionem etiam ex sua parte adimpleat, vel restituat acceptum. Etiam pacta à jure vestita intelliguntur pacta sponsalitia, promissio dotis acceptata; simplex donatio, seu promissio de donando, & pactum, quo quis promittit solutionem alieni, aut proprij debiti, alio die, aut loco: & præcipue pactum vestitum, & legitimum habetur illud, cui stipulatio accedit, quod proinde obligationem, & actionem parit. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 255. & 256. Gonz. in C. 1. b. t. n. 12.*

361 *Pollicitatio*, quæ est promissio ex una parte tantum facta privatis, antequam acceptetur, regulariter nec obligationem naturalem producit quin potest prohibitu promittentis revocari: quia ut quis obligetur ex promissione, mutuus utriusque consensus est necessarius. *L. 1. §. 3. ff. h. t.* Si vero fiat in favorem Reipublicæ, Civitatis, Ecclesiæ, vel causæ piæ, sine acceptatione valet, & obligat promittentem. *L. 1 l. 3. l. 4. ff. de Pollicitat. Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 263.* Et quidem non sufficit quod promissio fiat præsenti, & tacenti. *L. 1. §. 4. ff. de Verb. oblig.* Sed requiritur, quod expressè acceptetur: & tunc producit obligationem naturalem. *L. 1. in pr. ff. h. t.* ac consequenter exceptionem adversus paciscentem. *L. 7. §. 4. ff. h. t.* & facit, quod non possit repeti, quod ex tali pacto solutum est. *L. 6. ff. de Condict. indebit.* At vero talia pacta nuda attento Jure Civili non producunt actionem civilem. *L. 7. §. 4. ff. h. t.* quia cum facile ineantur, & violentur, Tribunalia multitudine litium opprimerentur. Jure tamen Canonico actionem producunt talia pacta; ut contra *Gonzalez in C. 1. h. t. n. 13. & alios* tenent *Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 257. n. 10. Acevedo in L. 2. tit. 16. lib. 5. R. C. & alij.* Et prob. ex *C. 1. h. t.* ibi: *Pax servetur, pacta custodiantur.* *C. 3. eod.* ibi: *Studiosè agendum, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur.* Nec credendum est, Jus Canonicum, quod semper attendit æquitatem, & forum conscientiæ. *C. fin. de Præscript.* non fovere, dando actionem in foro externo, obligationem naturalem, & conscientiæ, quam pactum nudum producit. Jure tamen Hispano abs dubio quodcumque pactum nudum, etiam non acceptatum, seu pollicitatio, obligat civiliter paciscentem, seu promittentem, etiamsi promissarius absens sit. *L. 2. tit. 16. lib. 5. R. C.* ibi: *Mandamos, que todavia vala la dicha obligacion, y contrato, que fuesse vecho en qualquiera manera, que uno se quiso obligar à otro. Molin. de Just. tr. 2. D. 257. n. fin. Anton. Gom. 2. Var. cap. 9. Acevea. in L. 2. tit. 16. lib. 5. R. C. & alij com.*

362 Contrahere, & pacisci valent omnes illi, qui consentire possunt, si non prohibeantur. *L. 5. C. de Obligat. & action. L. 4. tit. 11. p. 5.* ibi: *Prometer puede à otro todo ome, a quien non es defendido señaladamente.* Ex qua generalitate deducitur, quod si Princeps, vel Rex cum suis subditis contractum celebret, non solum obligatur naturaliter, ut omnes facile concedunt; sed & civiliter: quia etsi Legibus solutus sit, sponte sua se subjicit ipsis, ut contra *Com.* tenent *Anton. Gom. Var. 2. n. 1. Molina de Just. tr. 2. D. 261. n. fin. Pichardo in §. 28. Instit. de Action. q. 3. n. 7.* quod saltem de Jure Hispano tenendum est; ex *L. 3. tit. 1. p. 5.* ibi: *Empero si el menseagero sobre dicho del Rey sacasse el emprestido sobre carta del Rey, en que oviesse otorgado poder para sacarlo, estonce tenudo seria el Rey de pagar el emprestido, que assi fuesse fecho, o sacado, quier entrasse en su pro, quier non.* Deinde, Jure Civili solum poterat quis sibi stipulari, vel pacisci, non vero alteri. *L. 38. §. Alteri, ff. de Verb. oblig.* de jure tamen Hispano, etiam alteri potest quis stipulari, vel pacisci, ita ut alteri per alterum obligatio, & actio adquirantur, etiamsi stipulans non habeat mandatum alterius, & etiamsi ille tertius absens sit, imo & jus executivum per alterum adquiritur; ex *L. 2. tit. 16. lib. 5. R. C. Et ibid. Aceved. ex n. 30. Gom. Var. 2. cap. 11. Pichard. in §. 4. Inst. de Inutil. stipulat. ex n. 24.* At vero Infantes, id est, minores septennio, amentes, mente capti, furiosi (extra lucida intervalla) non possunt ex defectu consensus

pa-

pacisci. Pupillus; id est minor 14. annis, patre orbatus sine Tutoris authoritate, nisi suam conditionem meliorem faciat, non potest contrahere; & quidem in contractibus ex quibus obligationes mutuæ nascuntur, ut in emptione, & venditione, locatione, & conductione, alterum sibi pupillus obligat, ipse tamen alteri non obligatur saltem civilitèr, *pr. Inst. de Authorit. Tutor. L. 4. tit. 11. p. 5.* & probabilius, nec naturalitèr. *L. 59. ff. de O. & A. L. 41. ff. de Condict. indeb.* nisi fortè sit factus locupletior: & moretur in lucro, & is cum quo contraxit in damno sit. *Piehard. in pr. Inst. de Author. Tutor. n. 4. & 10.* Minor 25. annis, curatore carens potest pacisci de rebus mobilibus non pretiosis, & obligatur, sed læsus restituitur: de immobilibus vero solum potest pacisci cum Judicis Decreto. *L. 22. C. de Administr. Tutor.* Etiamsi veniam ætatis impetraverit: quia nequidem cum curatore hæc potest alienare. *L. 3. C. de Prædijs minor.* Si curatorem habet indiget ejus authoritate ad contrahendum de bonis suis, quæcumque sint, & quamvis alterum sibi obliget, se alteri non obligat. *L. 3. C. de In integr. restit. L. 4. tit. 11. p. 5.* in nostra Hispania conjugatus, qui attingit 18. annum, potest sua, suæque uxoris bona administrare sine Curatore indigeat, nec sit necesse, veniam ætatis impetrare. *L. fin. tit. 1. lib. 5. R. C.* ibi: *Y si se casare antes de diez y ocho años, pueda administrar (en entrando en los diez y ocho) su hacienda, y la de su muger, si fuere menor, sin tener necessidad de venia.* Nec tunc potest restitutionem petere, & in judicio sine Curatore comparere valet. *Gonz. in C. 2. de Despons. impuber. n. 7.* Minor etiam de Jure Civili, sine Tutore potest personalitèr se obligare. *L. 101. ff. de Verb. oblig.* quia Curator non personæ, sed rebus datur: ac proinde potest se obligare ad quamcumque actionem personalem, quæ ad alienationem rerum non non tendat: & præcipuè potest contrahere sponsalia, matrimonium, & religionem profiteri. *C. 2. c. 3. c. 9. de Desponsat. impuber. C. 11. c. 12. de Regul. L. fin. tit. 1. lib. 5. R. C.* Prodigus, cui bonorum administratio est à Judice interdicta comparatur minori, nec potest sine Curatore se obligare. *L. 6. ff. de Verb. oblig. L. 5. tit. 11. p. 5.* Indi ob suam miseriam, & pusillanimitatem jure minorum, & eorum privilegijs gaudent, etiamsi majores sint, & non aliter alienare possunt, nec contrahere de fundis, & de rebus mobilibus pretiosis, quam interveniente Judicis authoritate. *L. 27. tit. 1. lib. 6. R. Ind.* & assistentia sui Protectoris, qui est ipse Regius Fiscalis, vel alius specialitèr deputatus, sine quo nihil agere possunt in judicio, nec extra, nec sine eo possunt obligari. Et insuper possunt, sicut, & minores restitutionem petere, si læduntur. *L. 34. tit. 18. lib. 2. R. Ind Et tot. tit. 6. lib. 6. R. Ind. Solorz. de Jur. Ind. t. 2. lib. 1. cap. 27. ex n. 40. & in Polit. Indica. Lib. 2. cap. 28. f. 233.*

363 Etiam alienare prohibentur, & contrahere, vel pacisci sine debita solemnitate Prælati, & Administratores Ecclesiarum. *C. 52. 12. q. 2.* de quo *in tit. de Rebus Eccles. alienand.* dicemus. Religiosus nequit contrahere, nec pacisci, nisi in casibus permissis: quia velle, vel nolle proprium non habet. *C. 2. de Testam. in 6.* potest tamen circa actiones personales, etiam sine licentia Prælati, pacisci, & quando in favorem Religionis contrahit, & præcipuè quando ex voluntate expressa, vel tacita Superioris paciscitur. Et quidem tunc naturalitèr, & civilitèr obligatur. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 31. ex n. 27.* Servus cum civilitèr mortuus sit non potest civilitèr obligari: bene vero naturalitèr: quia secundum naturam non differ à libero. *L. 14. ff. de O. & A. L. 32. ff. de Reg. jur.* filius familias pubes validè obligatur. 1. personalitèr ad actionem personalem sine consensu patris, imò & etiam ad alienandum pro tempore, quo sui juris factus posit exequi alienationem. 2. quoad bona *Castrensia*, id est, intuitu militiæ adquisita: & *quasi Castrensia*, id est, obtenta ex officio publico Judicis, Professoris, Medici, &c. quia habet dominium, & administrationem talium bonorum: Quoad bona vero *profectitia*, id est, quæ ipsi obveniunt intuitu patris, & quoad *adventitia*, id est, quæ aliunde obveniunt, v. g. ex hæreditate, vel linea materna, indiget consensu saltem tacito patris, ut de ipsis possit contrahere, *L. fin. §. 5. C. de Bonis, quæ liber.* Et ipse debet esse pubes: nam impubes, nequidem patre authore, potest se obligare. *L. fin. §. 2. ff. de Verb. oblig.* quia non potest conveníre patrem de malè præstita authoritate, sicut posset Tutorem convenire. *Molin. de Just. tr. 2. D. 261.* in nostra Hispania prohibitum est, quod filius familias sive major, sive minor 25. annis sit: item, quod minor quicumque sub Tutore, aut Curatore sit, quid quam credito emat, Hispanè: *Al fiado*, per se,

vel per alium, sine authoritate patris, Tutoris, aut Curatoris. Similiter prohibetur, quod nullus ipsis aliquid credito vendat: alioqui contractus, etiam juramento firmatus, nullus est, neque ex illo potest quidquam à fidejussoribus exigi. *L. 22. tit. 11. lib. 5. R. C.* Et hac exceptione possunt se fidejussores, filiorum familias, vel minorum defendere; adeò ut nec in foro conscientiæ aliquid debeatur. *Molin. de Just. tr. 2. D. 261. n. 4.* filius familias, & à fortiori filia familias ex mutuo accepto in pecunia, secus in alijs rebus, nisi forte esset in fraudem S. C. Macedoniani, sine consensu, saltem tacito, vel ratihabitatione patris, beneficio, & exceptione Senatusconsulti Macedoniani, si conveniebatur, etiam post mortem patris, elidebat actionem: & quidem etsi non opposita exceptione sint condemnati, adhuc exceptione uti poterunt. Et eodem beneficio, & exceptione gaudent fidejussores, & hæredes filij familias. *L. 1. L. 7. l. 18. ff. ad S. C. Macedon.* Non tamen filius hac exceptione uti valet, si miles sit, vel habeat peculium Castrense, vel quasi Castrense, vel si communi errore creditur non filius familias, sed sui juris esse, quia sit præpositus officio publico, vel officinæ mercium: vel si alter pater in talem dationem mutui saltem tacitè consentiret, vel si ipse filius Patremfamilias se simulavit, vel si Legationis, vel studiorum causa mutuum accepit ad sumptus necessarios: nam in his casibus, & siqui sunt similes ex mutuo accepto tenetur. *L. 2. L. 3. L. 12. ff. ad S. C. Macedon. L. 4. tit. 1. p. 5.* in nostra Hispania filius familias, qui matrimonium contraxit, potest ex mutuo obligari: nam per matrimonium à patria potestate liberantur; ac proindè tales dicuntur patres familias, quamvis eorum parentes vivi sint. *L. 47. l. 48. Taur. l. 8. l. 9. tit. 1. lib. 5. R. C.* ibi: *El hijo, ò hija casado, y velado, sea avido por emancipado en todas las cosas para siempre.* Extra prædictos casus, filius familias non solum in foro externo, sed & in interno conscientiæ securè uti potest hac S. C. exceptione. Sed contra *Facbineum lib. 2. Controv. cap. 62.* tenent *Molin. de Just. tr. 2. D. 301. n. 2. Gom. 2. Var. cap. 6. n. 2. Greg. Lop. in l. 4. tit. 1. p. 5. V. Non es tenudo*, ubi addit, quod nec factus sui juris tenetur. Et ratio est, quia hæc Lex est justa cum consulat vitæ parentum, & coerceat tum levitatem filiorum, tum fæneratorum iniquitatem, & consequentèr in utroque foro observanda est. Et cum non tàm in favorem filij, quàm patris, & Reipublicæ cedat hoc S. C. non potest filius ei renuntiare, nequidem cum juramento, nisi vel morte patris, vel alias essent inconvenientia, quæ intendit prædictum S. C. vitare. *Gom. Var. 2. cap. 6. n. 2. Acevel. in L. 22. tit. 11. lib. 5. R. C.* Si tamen filius familias post mortem patris penes se pecuniam retinet, vel in alias res commutavit, vel factus est locupletior, licet in foro externo non teneatur mutuanti. *L. 9. §. 2. ff. ad S. C. Macedon. Greg. Lop. in l. 4. tit. 1. p. 5.* cum tamen cesset ratio S.C. in foro conscientiæ tenetur reddere mutuum. *Castropal. tr. 32. D. 4. p. 3. n. 22. & alij.*

364 De omnibus rebus, & factis, quæ specialitèr non prohibentur possunt iniri pacta; etiamsi res non extet, speretur tamen futura, ut partus ancillæ, vel fructus nondum natus. *L. 20. tit. 11. p. 5.* prohibetur tamen pactum. 1. de re impossibili. *L. 21. tit. 11. p. 5. C. fin. h. t. Et ibid. Gonz. ex n. 11.* quia impossibilium nulla est obligatio. *L. 185. ff. de Reg. jur.* nec valet pactum de re, quæ non est, nec speratur, vel quæ jam perijt. *L. 21. tit. 11. p. 5.* 2. de re turpi in futurum committenda, quæ de jure impossibilis est. *C. fin. h. t.* Si altera pars jam crimen commisisset; v. g. si mulier sui corporis copiam fecit, potest exigere pecuniam promissam, & alter tenetur reddere: quia hoc, licet supponat turpitudinem, tamen eam non continet. *L. 4. §. 3. ff. de Condict. obturp. caus.* 3. non tenet pactum, quò remittitur delictum in futurum committendum, seu ne dolus præstetur: quia hoc ad scelera invitaret: secus si post delictum commissum remittatur. *L. 29. tit. 11. p. 5.* nec valet pactum de non committendo delicto: quia turpe est pretio à malo abstinere. *L. 7. §. 3. ff. h. t.* 4. prohibetur pactum de facto alieno: nam hoc non est in manu promittentis, nisi quis promittat, se curaturum, ut alius faciat; *§. 2. Inst. de inutilib. stipulat.* Et quia in Jure Canonico maximè æquitas attenditur, *C. 6. de Judic.* facti alieni promissio resolvitur in pactum, quo quis promittit, se acturum, vel curaturum, quod alter factum apponat. Jure nostro Hispano adeò valet promissio facti alieni, ut promissor non liberetur, & si omnem diligentiam adhibeat, ut adimpleatur; sed insuper tenetur ad interesse, & damna ex tali promissione resultantia. *L. 2. tit. 16. lib. 5. R. C. Et ibid. Acevel. ex n. 41.*

Pi-

Pichard. in §. 2. *Inst. de Inutilib. stipulat. ex n.* 25. *contra alios apud ipsum.* 5. prohibetur pactum de re aliena in alium transferenda, cum id, *quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non possit. L.* 11. *ff. de Reg. jur.* 6. de rebus spiritualibus nequit fieri pactum: v. g. si quis liti renuntiet super beneficio Ecclesiastico sub pacto, quod aliquid ipsi, saltem expensarum nomine, solvatur. *C.* 4. *b. t.* 7. etiam prohibetur pactum de succedendo in Ecclesiam post mortem Prælati illius. *C.* 5. *b. t.* idem est de pacto in præjudicium juris Parochialis apposito ab Ecclesia, quando rem suam locat, vel in feudum concedit. *C.* 7. *b. t.* nec valet pactum de rebus spiritualibus. *C. fin. b. t.* 8. nec de re, quæ est extra hominum commercium, ut de re sacra, vel homine libero dando pro servo: vel de homine Christiano pro non Christiano dando: vel de re communi in usum communem deputata, ut est forum, theatrum, & alia hujusmodi; §. 2. *Inst. de Inutil. stipul. L.* 22. *tit.* 11. *p.* 5. 9. Nec filia dote contenta potest per pactum renuntiare paternæ hæreditati. *L. fin. ff. de Suis, & legit.* 10. prohibetur pactum de succedendo in hæreditatem viventis, si persona determinetur, in cujus hæreditatem succedendum sit: secus si sit indeterminata: sic non potest fieri pactum de eo, quod unus, vel uterque paciscentium, si alteri supervixerit, sit ejus hæres. *L.* 15. *l.* 19. *C. b. t.* propter periculum captandæ, vel optandæ mortis alienæ. *L.* 61. *ff. de Verb. oblig. Gonz. in C.* 5. *b. t. ex n.* 4. nisi pactum adjectum sit de voluntate ejus de cujus successione conventum est, vel si milites sint, qui paciscuntur: vel si pactum juramento sit firmatum. Tunc namque talia pacta sustinentur. *L.* 33. *tit.* 11. *p.* 5. *C.* 28. *de Jur. jur. C.* 2. *eod. in* 6.

365 Pactum in genere etiam comprehendit distractum, qui est resolutio contractus: & etiam quasi contractum, qui scilicet non ex consensu expresso contrahentium, sed à Lege præsumpto, procedit, ut accidit in negotiorum gestione, & alijs, de quibus agitur, *in Inst. de Obligation. quæ ex quasi contract. nasc.* Et quidem quasi contractus ad sex capita reduci possunt. 1. Est negotiorum gestio, quando, scilicet, quis negotia alicujus absentis sine ejus mandato gerit. Et huc reducuntur officia Judicis, Advocati, Medici, Confessarij, vel Consiliarij. 2. est administratio Tutelæ, & Curatelæ. 3. est rerum communio. 4. communio hæreditatis. 5. indebiti solutio. 6. aditio hæreditatis. Etiam pactum comprehendit contractum proprie talem, quem Ulpian. in *l.* 19. *ff. de Verb. sign.* definit: *Ultro citroque obligationem, quod Græci synallagma vocant.* In qua tamen definitione solum comprehenduntur contractus *mutui*, & *onerosi* utrimque producentes obligationem, & propterea *bilaterales* dicuntur: Tales sunt emptio, & venditio, in qua sicut venditor obligatur tradere emptori rem, ita emptor tenetur tradere pretium venditori. Generalius tamen definitur contractus sic: *Est pactum, vel conventio civilem obligationem producens, seu obligationem ex justitia commutativa.* Et in hac majori extensione comprehenduntur etiam contractus *lucrativi* ex una tantum parte obligantes, ut donatio. Consensus ad valorem contractus debet esse verus, & internus, nec sufficit ponere verba externa, per quæ solet contractus fieri; sed debet esse cum animo se obligandi saltem implicito ex parte utriusque contrahentis. *L.* 1. §. 3. *ff. b. t.* ibi: *Adeo conventionis nomen generale est, ut elegantèr dicat Pedius, nullum esse contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in se conventionem, sive re, sive verbis fiat.* Non tamen requiritur animus implendi obligationem: quia bene stat aliquem velle se ad aliquid obligare, & nolle illud implere: sic potest quis velle serio statum Religiosum, vel Sacerdotalem, & nolle horas recitare, nec servare castitatem. Debet etiam consensus esse liber ab inadvertentia, ignorantia, & errore circa substantialia contractus, cum non consentiant, qui errant: *Quid enim tam contrarium est consensui, quam error? L.* 15. *ff. de Jurisdict.* Si quis enim vitrum pro gemma, vel acetum emat pro vino, cum error circa rei substantiam versetur, contractus de Jure Naturæ nullus est ob consensus defectum. Si vero solum contrahens circa rei qualitatem erret, valet utique contractus. *L.* 9. *l.* 10. *l.* 11. *ff. de Contrah. empt.* universaliter loquendo censetur esse de substantia contractus id, ad quod se restringit contrahentis voluntas, quo deficiente non contraheret. *Laer. lib.* 3. *p.* 2. *n.* 621. de dolo, & metu alibi agemus.

366 Contractus alius est *nominatus*, *innominatus* alius. *Nominatus* est qui proprium, & speciale nomen in jure habet, ut emptio, & venditio. *Innominatus* est ille, qui proprio nomine caret. Horum contractuum quatuor sunt genera, ad quæ possunt modi negativi, & alij reduci:

& numerantur in *L. 5. ff. de Præscript. verbis*. Scilicèt. *Do, ut des. Facio, ut facias. Do ut facias; facio, ut des.* In his contractibus, etiam re non integra, licet pœnitere, & ipsam repetere de Jure Civili. *L. 5. ff. de Condict. caus. dat.* secus de Jure Canonico; *Arg. c. 1. b. t.* vel Jure Regio Hispano. *L. 2. tit. 16. lib. 5. R. C.* Alij sunt contractus *bonæ fidei*, alij *stricti juris*. Contractus *bonæ fidei* sunt, qui benignam admittunt interpretationem, & de quibus secundum bonum, & æquum potest Judex pronunriare, etiam de his, quæ non sunt expressa. Tales sunt emptio, & venditio, & alij, qui numerantur in §. 28. *Inst. de Action. stricti juris* sunt illi, in quibus strictè interpretatio fit, & præcisè secundum verba expressa, & naturam contractus. Tales sunt mutuum, stipulatio, aditio hæreditatis, solutio indebiti, & alij, qui non numerantur inter contractus bonæ fidei in §. 28. *Inst. de Action.* Hæc differentia contractuum bonæ fidei, & stricti juris, etiam de Jure Canonico procedit. Ut ex *C. 6. de Exception.* contra alios probat *Pichard. in d. §. 28. q. 5.* Alij sunt *onerosi*, alij *lucrativi*. *Onerosi* dicuntur, quando utrique contrahentium onus imponitur, aliquid dandi, vel præstandi, ut sunt contractus emptionis, & venditionis, locationis, & conductionis, permutationis, & alij hujusmodi. *Lucrativi* sunt, quando unus tantum contrahens gravatur, ut donatio, commodatum, vel precarium. Et hac ratione *unilaterales*, sicut ob rationem contrariam onerosi *bilaterales*, appellantur.

367 Contractus omnes perficiuntur aut *re*, aut *verbis*, aut *litteris*, aut *consensu*. *§. fin. Inst. de Obligationibus. Re*, qui scilicèt actuali rei traditione ita perficiuntur, ut ante illam, non producant obligationem civilem. Tales sunt mutuum, commodatum, depositum, precarium, pignus, & permutatio. *Verbis*, qui scilicèt certis, & solemnibus verbis constant, ut stipulatio: quæ his verbis concipi debebat: *Spondes mihi dare centum? Spondeo. Litteris.* Illi scilicèt, in quibus scriptura requiritur, ut emphytheusis de re Ecclesiastica, vel donatio insinuationem exigens. *Consensu.* Illi scilicèt, ad quorum substantiam, seu naturam, neque verba solemnia, neque scriptura, neque rei traditio necessaria sunt, sed tantum consensus sufficit. Tales sunt emptio, venditio, locatio, conductio, societas, & mandatum. Quæ omnia constant *ex lib. 3. Inst. tit. 14. & seqq. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 254. Pichard. Vinnius, & cæteri institutarij in præd. tit.* Contractus, si perfectus est, producit obligationem. *Obligatio est juris vinculum, quo necessitate astringimur alicujus rei solvendæ secundum nostræ civitatis jura. §. 1 Inst. de Obligat.* Præterea obligatio ex perfecto contractu resultans est *naturalis, & civilis simul*, seu mixta: quæ quidem obligat, & in Foro Conscientiæ, vi consensus præstiti, & in Foro Externo, vi actionis ex obligatione resultantis. *Actio* siquidem *est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur. pr. Inst. de Action.* si probetur contractus, sed verè deficiat consensus, resultat obligatio *merè Civilis* obligans solum in Foro Externo: Si non possit probari contractus celebratus, sed verè datur consensus, nascitur *obligatio merè naturalis* in Conscientia obligans, sed nihil pro Foro Externo deserviens ob probationum defectum. Etiam stante consensu non oritur obligatio naturalis in illis contractibus, qui irritantur Jure Naturali, vel Divino, vel positivo vi clausulæ, etiam obligationem naturalem impedientis. Ut irritatur omnino matrimonium clandestinum, esto firmissimus consensus ex parte utriusque contrahentis adsit. *Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1.*

368 Contractus in his, quæ ipsis extrinseca sunt, ex partium conventione legem accipiunt. *L. 1. §. 6. ff. de Posit. L. 23. ff. de Reg. Jur. c. 85. eod. in 6.* Aliquando *purè*, & *absolutè* fiunt, nulla scilicèt adjecta qualitate conditionis, temporis, vel modi. In contractu puro dies statim *cedit*, id est, statim incipit illius obligatio, & etiam dies statim *venit*, id est statim potest exequi. *L. 213. ff. de V. S.* sed hoc cum grano salis intelligendum est: nec enim decet, quod statim, ac venit dies ad debitorem urgendum cum sacco creditor accedat: hoc enim incivile est *L. 105. ff. de Solution.* sub *conditione* celebratur contractus, quando ipse alicui eventui alligatur, & sub his particulis regularitèr concipitur. *Si, nisi, casu quo, cum, nec alias, quando, &c.* Quod si conditio est de præsenti, vel præterito, non suspenditur contractus obligatio, sed statim firma est, casu quo conditio impleta est: vel si impleta non est, statim est nulla obligatio. *L. 100. ff. de V. O.* Si est de futuro, necessaria tamen, contractus habetur tanquam si purè esset celebratus, & statim producit obligationem. *L. 9. §. 1. ff. de Novation.* Si conditio est impossibilis de facto, quia per rerum naturam physicè repugnat, vel de jure est impossibilis,

lis, quia contra bonos mores est, vitiat contractum, nullamque producit obligationem. *L. 31. ff. de O. & A. quia ea est cogitatio, ut nihil agi existiment, apposita ea conditione, quam sciunt, esse impossibilem.* In testamentis, & matrimonijs, ob eorum favorem conditio impossibilis non ipsa vitiat, sed ipsa vitiatur, & pro non adjecta habetur. *L. 6. ff. de Condit. Instit. C. fin. de Condition. apposit.* Si vero conditio est contingens, & pendens in futurum (quæ sola est verè, & propriè conditio faciens contractum conditionalem) illum suspendit, donec conditio adimpleatur, & ea pendente, neque venit, neque cedit dies, hoc est, nec debetur, quod in contractu conditionali promittitur, nec peti potest. *L. 213. ff. de V. S.* Sed est spes debitum iri: quæ quidem spes, seu jus ad hæredes transmittitur. Si conditio negativa apponatur: v. g. si in Capitolium non ascenderit: in ultimis voluntatibus pro impleta habetur vi *Cautionis Mutianæ*, quæ præstatur de restituenda re, si non servetur conditio. *L. 7. l. 79. ff. de Condit. & demonstr.* in contractibus est expectanda mors ejus, qui impleturus est conditionem: qua posita hæredes ejus rem obtinebunt. *Oñate de Contract. D. 13. n. 158. Lugo de Just. D. 22. n. 376.* Quando in contractu *dies, vel tempus* ad ejus adimpletionem assignatur, si hoc est incertum, quia dubium est, an aliquando sit futurum, v. g. tempus pubertatis Titij, habetur tanquam conditio. *Arg. L. 1. §. 3. ff. de Condit. & demonstr.* Si verò tempus certum assignatur, vel quod certò exiturum est, licet nesciatur quando. V. g. tempus mortis paternæ: statim cedit dies, sed nondum venit: hoc est, obligatio incipit: sed non potest exequi, donec lapsum sit tempus assignatum. *§. 2. Inst. de V. O.* nisi aliqua summa annua pro eleemosyna, & alimentis præstanda est: nam tunc solvenda est, & peti potest in principio anni. *L. 1. C. Quando dies legat.* quippe dies in contractibus in favorem debitoris adjicitur. Etiam contractus fiunt sub *modo*, qui hac particula *ut* solet concipi: quando, scilicèt, aliquod onus, vel obligatio contrahenti imponitur. V. g. dono tibi centum, ut Ecclesiam ædifices. Modus non suspendit obligationem: & in hoc differt à conditione; sed statim obligationem inducit. *L. 1. C. de Donation. quæ sub mod.* statimque ante modi adimpletionem, præstita cautione, de modo exequendo, potest quod in contractu promittitur, peti *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 208. n. 8.* Quando dubitatur, ansit conditio, an modus præsumitur conditio. *L. 109. ff. de Condit. & demonstrat.* In alternativis obligationibus: v. g. Solves 100. *vel* 8. regularitèr electio est debitoris, & satisfacit si alterutram, quam maluerit adimpleat. *C. 70. de Reg. Jur. in 6. l. 43. tit. 11. p. 5.* quia in dubio favendum est reo: Si contractus sit factus in favorem creditoris, illius erit electio. In promissione alternativa, si aliqua res pereat culpa creditoris, quia v. g. rem à debitore oblatam non accepit, debitor liberatur, ita ut nec pretium rei peremptæ, nec aliam rem extantem teneatur præstare. *L. 105. ff. de V. O.* Si debitoris culpa perijsset, potest creditor extantem petere, vel si hæc pretiosior sit, peremptæ pretium petere valet. *L. 95. ff. de Solution. quia cuilibet sua mora debet esse nociva. C. 25. de Reg. Juris in 6.* Et convenit quod culpa suos teneat Authores. *L. 22. C. de Pœnis.* Si nullius culpa perijt, & optio ad debitorem spectat, sat est, præstare rei peremptæ pretium, etsi vilioris pretij sit, quam extans. *L. 47. §. 3. ff. de Legat. 1.* Si ad creditorem spectat electio, ipse eliget, vel rei peremptæ pretium, vel extantem, quam maluerit. *L. 95. ff. de Solution. Greg. Lop. in l. 23. tit. 11. p. 5. V. Fincase viva.*

TIT. XXXVI.

De Transactionibus.

369 Cum per lites inimicitiæ, odia, accusationes, inquietudo animi, & alia inconvenientia causentur, cum sint quasi quoddam bellum, quod in foro exercetur, juxta illud. *Nos lenta fori pugnamus arena*, ideò Ecclesia quotidie petit à Deo, quod *extinguat flammas litium*: & *ne litis horror insonet.* Imò, & Jus Civile, multoque magis Jus Canonicum, & Hispanum lites execratur. *L. 13. C. de Judic. C. 5. de Dolo, & Contum. L. 10. tit. 17. lib. 4. R. C.* ideò omni jure est admissa transactio: Hanc enim quilibet Christianus debet ante litem intendere, multoque magis personæ Ecclesiasticæ, quarum officium est partes discordantes ad pacem, & concordiam redigere. *C. 9. D. 90.* Et sanè sæpè utilius est liti cedere, quam in lite vincere: ideò Christus D. apud *Matth. 5. v. 40.* dixit: *Ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere: dimitte ei, & pallium.* Nam ut

ut communitèr dicitur: *Melior est transactio tenuis, quam pinguis sententia.* Et in nostro idiomate dicimus: *Mejor es mala composicion, que buen pleyto. Gonzal. in c. 1. h. t. n.* 2. Late *Valeron de Transact. & alij.* *Transactio* ergo sic dicta, quasi *transitio actionis*, latè accepta significat quamcumque amicabilem negotij compositionem. *L.* 229. *ff. de V. S.* ac proindè est quædam pacti species. *Strictè* tamen sumpta *est pactio non gratuita de re dubia, & controversa, seu lite incerta, & nondum finita.* *C.* 7. *h. t. L.* 1. *ff. eod.* in ipsa igitur debet aliquid dari, vel remitti, vel retineri, vel promitti: & res, de qua transigitur debet esse dubia, quia vel lis jam mota, vel saltem movenda est. *L.* 2. *C. h. t.* Si de re certa transigitur, non potest sic transigens acceptum, quod ad se non pertinere scit, in conscientia retinere, & insuper in Foro Externo irrita est talis transactio. *L.* 1. *l.* 2. *C. h. t.* ac proindè non tenet transactio de re judicata, quæ transijt in authoritatem talis. *L.* 32. *C. h. t.* quia res judicata rem certam, & indubitatam inter partes facit. *L.* 207. *ff. de Reg. jur.* sed in alio quocumque statu litis bene potest transigi, scilicèt, vel ante, vel post contestationem: quinimò etiam post sententiam, si ab ea appelletur, vel possit appellari, vel supplicari, vel restitutio in integrum peti: quia in tali statu, adhuc res est dubia. *L.* 32. *C. h. t.* Transactio est contractus onerosus, quia ex partium consensu ultro, citroque obligationem civilem inducit: quamvis alij dicant, esse distractum, quia priorem obligationem, & actionem tollit. A sententia judiciali differt in eo, quod hæc feratur in invitos: secus transactio, quæ tantum ex conventione partium finem liti imponit. Alia est *realis*, *personalis* alia. *Realis* est, quæ ad hæredes transit, illosque obligat; *arg. L.* 7. §. 8. *ff. de Pactis.* *Personalis* est, quæ solum transigentes obligat, nec ad successores transit. *C.* 5. *h. t.* potestque fieri vel purè, vel conditionatè, in judicio, vel extra judicium, vel verbis tantum, vel interveniente scriptura, vel cum juramento, vel sine eo, vel pœna apposita, vel cum clausula, raro manente pacto, &c. Si verò nudo pacto fiat de Jure Civili exceptionem tantum, de Jure tamen Canonico, & Hispano obligationem, & actionem Civilem insuper producet. *C.* 1. *de Pactis*, *l.* 2. *tit.* 16. *lib.* 5. *R. C.*

370 Cum transactio sit quædam alienationis species. *L.* 4. *C. de Prædijs Minor.* Omnes, & illi soli, qui habent potestatem alienandi, transigere possunt. *Arg. L.* 21. *C. Mandat.* Hinc mutus, surdus, & quilibet sanus mente, licet æger corpore, transigere valet. *L.* 27. *C. h. t.* Nec solum Dominus rei, sed etiam procurator potest transigere, dum tamen ad hoc habeat speciale mandatum, vel sit procurator cum libera administratione. *L.* 58. *ff. de Procurat. C.* 4. *eod. in* 6. aut in rem suam sit datus procurator. *L.* 17. *ff. de Jur. jur.* alias nequit procurator transigere, etiamsi sit procurator generalis, & omnium bonorum. *L.* 60. *ff. de Procurat.* Curatores, & Tutores possunt transigere de lite minorum, & pupillorum. *L.* 54. §. *fin. l.* 56. §. 4. *ff. de Furtis.* Si jus partium sit obscurum, aut probationes non suppetant. *L.* 46. §. *fin. ff. de Administr. Tutor. l.* 35. *ff. de Jur. jur.* Si tamen res immobilis, vel mobilis pretiosa per transactionem cedenda sit, requiritur Decretum judicis. *L.* 4. *C. de Prædijs Minor.* Idem dicendum est de Syndicis, & Administratoribus Civitatum, qui licet de jure dubio possint transigere, nequeunt hoc facere de immobilibus, & mobilibus pretiosis sine superioris consensu. *L. fin. C. de Vendend. rebus Civitat. lib.* 11. Prælati, alijque Ecclesiarum Administratores, & Rectores possunt de rebus modicis, vel parum utilibus, etiamsi immobiles sint, transigere: ad transigendum verò de rebus immobilibus, vel de mobilibus pretiosis indigent eadem solemnitate, quæ est necessaria ad alienandum. *C.* 2. *c.* 3. *h. t.* nisi habeant mandatum procuratorium liberum cum *Clausula de Ratihabitione* Capituli, scilicèt, quod Capitulum, vel Conventus ratum habebit quidquid Prælati, egerint in tali casu. *C.* 3. *h. t.* Quinimò Prælati Tutores, Administratores, & majoratus possessor transigere possunt de quibuscumque rebus, quando hoc modo eas retinent, vel recuperant: Etiam aliqua pecunia oblata: vel alitèr faciunt suam conditionem meliorem. Vassallus sine consensu Domini directi in re feudali, hæres gravatus fideicomisso, vel qui bona vinculata, vel majoratum habent in Nostra Hispania, Pater de bonis adventitijs, filij jam emancipati sine Decreto judicis. *L.* 10. *ff. h. t.* Religiosi sine Prælati licentia; *arg. C.* 11. 12. *q.* 1. nequeunt transigere, sicut alienare non possunt sine prædictis licentijs, & circunstantijs. *Molina de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 557. *Anton. Gom. in l.* 40. *Taur. n.* 86. *Greg. Lop. in l.* 10. *tit.* 26. *p.* 4. *col.* 5. *in med.* Pupillus, & minor non alitèr, quam

cum

cum authoritate Tutoris, & Curatoris transigere valent; *arg. l. 5. ff. de Authorit. Tutor.* idem est de prodigo. *L. 6. ff. de V. O.* At verò infantes, vel amentes nullo modo ob defectum consensus possunt transigere. *L. 1. §. 3. ff. de Pact.* Quamvis Judex possit litigantes ad transactionem hortari, regulariter tamen non potest eos ad transigendum cogere, cum nemo invitus teneatur suo juri cedere, quo potest litem intentare, ut rem integre consequatur; *arg. L. 11. C. de Contrab. empt.* nisi fortè lis sit valdè dubia, & intricata, vel aliqua inconvenientia, vel scandala timerentur: nam tunc pro bono pacis posset partes ad transigendum cogere.

371 Transactio super omni, & sola re dubia, & controversa fieri potest, dum non prohibeatur specialitèr. *L. 1. ff. b. t. l. 34. tit. 14. p. 5.* Non tamen potest transigi de hæreditate viventis. *L. 4. C. de Postlim. reverf.* Nec de his, quæ Testamento, vel Codicillo relicta sunt; nam de eis nequit transigi, nisi inspectis, cognitisque verbis testamenti. *L. 6. ff. b. t.* Nec transigi valet sine Judicis authoritate de alimentis futuris in ultima voluntate relictis. *L. 8. ff. b. t.* ne in his duobus casibus contenti modico præsente facilè transigant, & negligatur testatoris voluntas: Imò contra eam egeant sic transigentes. Huic tamen juri possunt renuntiare juramento adjecto, quia cum hoc non contineat peccatum, nec tertij detrimentum debet servari. *C. 28. de Jur. jur.* de alimentis verò, quæ non sunt donata mortis causa, licitum est transigire sine Prætore authore; & similitèr de alimentis præteritis. *L. 8. C. b. t.* super matrimonio transactio fieri nequit. *C. fin. b. t.* siquidem hæc causa, juxta Sacros Canones necessario definienda est; ne aliàs contingat, vel matrimonium legitimè contractum dissolvi, vel illegitime initum perseverare. Nec de rebus spiritualibus potest transigi, quando pro illis aliquid temporale datur, ob simoniæ vitium; v. g. si super jure decimas percipiendi hoc modo transigeretur. *C. 2. b. t.* vel super jure patronatus, seu præsentandi ad beneficia, vel super subjectione spirituali alicui debita. *C. 9. c. 10. b. t.* At vero pro re spirituali alia spiritualis benè potest dari. *C. 6. c. fin. de Rerum permut.* in beneficijs verò est prohibita omnis transactio onerosa sine superioris authoritate, tanquam simoniaca, etiamsi unum beneficium pro alio detur: ne fortè fiat intuitu præbendæ, quæ in proventibus temporalibus consistit. *C. 4. c. 5. c. 6. b. t.* Transigere, vel pacisci de crimine capitali, (excepto adulterio) prohibitum non est: ignoscendum Principes censuerunt ei, qui sanguinem suum qualitèr qualitèr redemptum voluit. *L. 1. ff. de Bonis eor. qui ante sentent.* in alijs autem publicis criminibus, qui sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem. *L. 18. C. b. t.* de crimine falsi, quod gravem infamiam infert, quæ pœnæ sanguinis æquiparatur transigi potest. Similiter de crimine privato civilitèr intentato ad interesse partis transigere licet: secus si criminalitèr ad vindictam publicam agatur: tunc enim non licet transigere, ne delicta maneant impunita. *L. 51. §. 2. ff. ad Leg. Aquil.* Quod si citra casus permissos reus de delicto transigat pro confesso habetur, nisi probet, præcisè ad redimendam vexationem, vel ad vitandos litis sumptus transegisse. *L. 23. C. ad Leg. Jul. de Adulter.*

372 Cum Reipublicæ expediat lites sopitas non amplius suscitari, hinc transactio legitimè facta rei judicatæ æquiparatur. *L. 20. C. b. t.* & licet non pariat actionem civilem, si non sit firmata traditione, vel stipulatione, parit tamen exceptionem litis finitæ. *L. 17. C. b. t.* nec potest altera parte invita revocari. *L. 34. tit. 14. p. 5.* ibi: *E por ende decimos, que la avenencia, è el pleyto, que assi fuesse fecho, que debe ser guardado tambien por la una parte, como por la otra*: ne quidem per Rescriptum Principis revocatur. *L. 16. C. b. t.* nec prætextu instrumentorum repertorum de novo. *L. 19. l. 29. C. b. t.* Si generalis est, generaliter intelligenda est; si specialis, specialitèr; extenditur tamen ad connexa, & accessoria. *L. 27. §. 4. l. 35. ff. de Pactis.* Tamen varijs modis rescinditur: & quidem 1. Si in ipsa intervenit injustus metus gravis. *L. 2. C. b. t.* vel dolus. *L. 34. tit. 14. p. 5.* vel error substantialis. *L. 15. ff. de Jurisd.* Quippè in his casibus deficit necessarius consensus. 2. Si partes in rescisionem transactionis consentiant. *L. 14. C. b. t.* cum nil tàm naturale sit, quàm res eo modo solvatur, quo colligata est. *L. 35. ff. de Reg. jur.* 3. Si ex falsis instrumentis inita fuit transactio. *L. 42. C. b. t.* 4. Læsio minoris, quæ per restitutionem est reparanda, & læsio enormissima majoris etiam jurata, rescindunt transactionem. Si tamen hæc læsio sit infra dimidium, non rescinditur transactio, sicut non rescinditur venditio. *L. 2. C. de Rescind. vendit. C. 3. c. 6. de Emption. & vendit.* imò etiamsi læsio sit ultra dimidium,

dium, si tamen non est enormissima, non rescindit transactionem, ut contra *Molin. de Just. tr. 2. D.* 556. *& alios* tenent *Glos. in C. 6. de Emption.* V. *Restituerent. Greg. Lop. in l.* 34. *tit.* 14. *p.* 5. V. *Quanto quier.* Et quidem ipsa Lex satis nostram sententiam declarat. Facit *L.*78. §. *fin. ff. ad S. C. Trebell.* Et quia sententia, quæ transijt in rem judicatam, cui comparatur transactio, *L.* 20. *C. h. t.* non rescinditur prætextu cujuscumque læsionis, etiam ultra dimidium. *Tot. tit. C. Sentent. rescind. non posse.*

TIT. XXXVII.

De Postulando.

373 Postulare sumitur aliquando pro eo, quod est eligere in Prælatum aliquem, qui impedimento Canonico laborat, ut in *Tit. de Postulat. Prælat.* sed in præsenti idem est postulare, ac *advocare.* Teste enim Ulpiano *in L.* 1. §. 2. *ff. h. t. Postulare est desiderium suum, vel amici sui in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere.* Idem *in C.* 2. 3. *q.* 7. *l.* 1. *tit.* 6. *p.* 3. *Advocatus* ergo, qui & *Orator*, & *causidicus Togatus*, *Patronusque causæ vocatur*, *est*, *qui pro altero præsente postulat, patrociniumque præstat; causam in judicio defendendo secundum jura.* In *L.* 1. *tit.* 6. *p.* 3. dicitur: *Bozero: porque con voces, y palabras usa de este oficio.* Communiter tamen dicitur *advocatus. L.* 1. *ff. de Extraord. cognit. C.* 1. *c.* 2. *h. t.* quia ipsi in consilium advocantur. *Gonz. in C. fin. h. t. n.* 5. Horum officium est publicum, & honorabile. *L.*4. *C. de Advocat. divers. Judic.* Advocatus non fit Dominus litis, etiam per litis contestationem. *L.* 1. *C. de Error. advocat.* Et de prævaricatione tenetur, si colluserit cum adversario. *L.* 1. *C. de Advocat. divers. Judic.* Et in his præcipuè differt à Procuratore, cujus officium est magis privatum, & de Jure Civile, vile, & onerosum. *L.* 34. *C. de Decurion. lib.*10. Nec tàm scientia, quàm diligentia in eo requiritur, & postulat pro absente, & post litis contestationem fit Dominus litis. *C.* 1. §. 1. *de Procurat. in* 6. si causam malè egerit, vel colluserit cum adversario, tenetur actione mandati. *L.*8. §. 1. *ff. mandat.* Advocatus, qui in causa publica suam operam impendit, *publicus* dicitur, v. g. si in causa Fisci quis sit Advocatus, & talis dicitur *Fiscalis*: de cujus munere latè agit *D. Franciscus de Alfaro.* Ille verò, qui in albo Advocatorum est scriptus, dicitur *immatriculatus.* Et quidem talis, cum officium publicum gerat, nequit suum patrocinium, sine justa causa denegare illud poscenti; ad quod non tenetur, qui non est in albo Advocatorum descriptus. Et sic descriptum potest Judex compellere patrocinium partibus illud petentibus præstare, quando vel ob contrarij potentiam, vel ob petentis inopiam renuit Advocatus suam operam, & patrocinium impendere. *L.* 1. §. 4. *ff. h. t. l.* 6. *tit.* 6. *p.* 3. *l.* 28. *tit.* 16. *lib.* 2. *R. C.* vel quando partes sunt pauperes, & miserabiles. *L.* 6. *tit.* 6. *p.* 3. *l.* 16. *tit.* 16. *lib.* 2. *R. C.* dumtamen litigans Advocato caret, nequit, ut contumax condemnari, sed ipsi induciæ ad illum quærendum dantur. *C.* 1. *Ut lite non constat. L.* 28. *tit.* 16. *lib.* 2. *R. C.*

374 Advocati possunt esse quicumque non prohibentur. *L.* 1. *ff. h. t. arg. l.* 43. §. 1. *ff. de Procurat.* dummodo periti juris sint, vel fori, & consuetudinis, saltem ex longo usu. *L.* 2. *C. h. t. l.* 2. *tit.* 6. *p.* 3. Prohibentur, præcipuè Hæreticus. *L. fin. C. h. t.* infidelis, servus, cæcus, quia non potest insignia Magistratus videre, & revereri: Surdus, infamis, condemnatus publico judicio de crimine, vel calumnia. Minor 17. annis completis. *L.* 1. *ex* §. 3. *ff. h. t. C.* 2. 3. *q.* 7. *l.* 2. *l.* 3. *l.* 4. *l.* 5. *tit.* 6. *p.* 3. Fœmina nequit publicè postulare, ne contra pudicitiam sexui congruentem virorum cœtibus se immisceat. *L.* 31. §. 6. *ff. de Negot. gestis. L.* 3. *tit.* 6. *p.* 3. ubi etiam hæc ratio additur: *Porque antiguamente lo defendieron los Sabios por una mugér, que decian Calfurnia, que era sabidora, porque era tan desvergonzada, que enojaba à los Jueces con sus voces, que non podian con ella.* Nec possunt postulare potentiores contra infirmiores, ne judicem terreant, jusque partis adversæ opprimant: nec Judex, nec arbiter in causa, in qua sunt judicaturi, possunt esse Advocati. *L.* 6. *C. h. t.* nec Decuriones contra Patriam. *L.*10. §. 1. *ff. h. t.* Judex tamen potest suam sententiam defendere, si ab ea fuit appellatum, nullo tamen accepto salario. *L.* 13. *tit.* 16. *lib.* 3. *R. C.* nec excommunicatus potest Advocatus esse. *C.* 8. *de Sentent. excom. in* 6. nec Religiosi, nisi in causis sui Monasterij de consensu Prælati in foro Sæculari. *C.* 2. *h. t.* Franciscani verò, nec de licentia sui Prælati, nec ob Conventus utilitatem nequeunt advocare. *Cl.* 1. *de V. S.* Clerici etiam in minoribus nequeunt coram Judice Sæculari postulare, maximè, in causa mortis, & mutilationis,

si postulent pro actore contra reum, propter periculum irregularitatis. *C. 9. Ne Cleric. vel Monach.* possunt tamen defendere reum, quamvis securius sit, etiam ab hoc abstinere. *Azeved. in l. 15. tit. 16. lib. 2. R. C. n. 2.* nec possunt postulare contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinent, nec contra proprium Episcopum, etiam in Tribunali Ecclesiastico. *C. fin. b. t.* nisi justa causa aliud suadeat. Possunt verò Clerici, etiam Sacerdotes, postulare, etiam in judicio sæculari, pro se ipsis, vel pro suis Ecclesijs, vel pro personis conjunctis usque ad quartum gradum: vel pro miserabilibus personis, quales sunt pupilli, orphani, viduæ, pauperes, vel Indi. *C. fin. b. t.* Præter hos casus in Tribunali Sæculari non possunt Sacerdotes postulare; quia illorum officium est nulli nocere, omnibus autem velle prodesse. *C. fin. b. t.* Clerici, etiam Sacerdotes, possunt postulare in quacumque causa coram Judice Ecclesiastico; *arg. à contr. in C. 1. b. t. Gonz. in C. 3. b. t. n. 12.* Clerici, etiam in majoribus constituti, si beneficio careant, postulare coram Judice, etiam sæculari valent, ut sic propriæ necessitati consulant. *Gonz. in C. 3. b. t. n. 8. Barbos. Valasc. & alij.* Sed hoc in nostra Hispania credo, esse prohibitum *in L. 10. tit. 3. lib. 1. R. C.* certè in nostro Jure Tabelliones nequeunt esse Advocati. *L. 30. tit. 16. lib. 2. R. C.* nec Relatores Audientiarum. *L. 13. tit. 13. lib. 2. R. C.* & insuper, ut quis possit esse Advocatus requiritur, quod sit graduatus in Jure Canonico, vel Civili, & examinatus, & in matricula Advocatorum descriptus. *L. 13. tit. 6. p. 3.* nec potest præsentari libellus, qui non sit ab hujusmodi Advocatis subscriptus, nisi fortè ab ipsa parte factus sit. *L. 1. tit. 16. lib. 2. R. C.*

375 Advocatus debet esse modestus, non verbosus, nec procapax. *L. 7. tit. 6. p. 3.* Et cum ex facto jus oriatur facti narrationem in scriptis recipiet. *L. 3. l. 14. tit. 16. lib. 2. R. C.* ut jus, & quantum in sui clientis favorem faciat, alleget: non debet fovere, (nam hoc opus Diaboli est) sed extinguere curabit flammas litium, sicut quotidiè orat Ecclesia: abstinere debet à fallacijs, nec Leges falsas, vel correctas, vel truncatas allegare potest: nec contra Legem expressam postulare valet. *L. 16. tit. 16. lib. 3. R. C.* debetque brevi compendio, claro tamen, jus suæ partis ostendere, non tamen Leges, nec jura in libellis citare, nam Judex censetur jura scire, & in scrinio pectoris habere. *C. 1. de Const. in 6. L. 4. tit. 16. lib. 2. R. C.* multoque magis à convitijs, & petulantia verborum abstinere debet. Quando coram Judicibus causam defendit, potest Textus, & DD. citare. Idem facere potest in allegationibus scriptis, seu impressis, quæ post discussam causam solent Judicibus præsentari, ut uniuscujusque partis jus patefiat. Quando tamen coram Judice vult pro sua parte allegare, stare debet. *L. 7. tit. 6. p. 3.* ibi: *Ca los bozeros deben razonar en pie. L. 1. C. de Offic. Civil. Judic.* dum Advocati non orant, sedent, quin & in Hispanis Prætorijs est in usu, quod sedentes, detecto tamen capite orent. Fiscales vero in principio orationis reverentiam faciunt, sed postea capite tecto orant. Advocati sedent in Cancellarijs, juxta cujusque antiquitatem. *L. 25. tit. 16. lib. 2. R. C. Et ibid. Azev.* Et prius incipit loqui Advocatus actoris, & postea sequitur Advocatus rei; sed ita debent orare, ut non proferant verba injuriosa, nec superflua. *L. 7. tit. 6. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* Non potest Advocatus causam prodere, revelando arcana, nec merita causæ, nec cum parte adversa colludere. *L. 17. tit. 16. lib. 2. R. C.* quod si aliquis hæc faciat, potest à Judice privari ab officij exercitio. *L. 11. l. 12. tit. 6. p. 3.* nec potest deserere causam semel susceptam invito cliente. *L. 6. C. b. t. l. 22. tit. 16. lib. 2. R. C.* si per errorem aliquid dixit Advocatus in suæ partis præjudicium, illud debet revocare, errore probato, si nondum sit lata sententia definitiva, vel etiamsi lata sit, si ab ea fuit appellatum. *L. 8. tit. 6. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* si per imperitiam, vel negligentiam damnum causavit, illud restituere tenetur. *L. 6. tit. 16. lib. 2. R. C.* potest tamen Advocatus, non solum causam probabiliorem, sed etiam minus probabilem, dummodo suum clientem de minori probabilitate moneat, defendere *sic Sot. Lacroix l. 4. n. 1507. cum pluribus,* contra *aliquos*: siquidem ea, quæ minus probabilia videntur, possunt re ipsa esse veriora. Præterquamquod ipse solum proponit argumenta partis, quod ipsa pars posset facere, & Judici relinquit decisionem, qui fortè ex alijs fundamentis potest judicare hanc partem, vel veram, vel probabiliorem; ac proindè non debet litigans patrocinio destrui. Non tamen potest in eadem causa, etiamsi causa dubia sit pro utraque parte postulare: nec potest, saltem de Jure Hispano, in causa appellationis defendere partem contrariam, contra quam in prima instantia postulavit. *L. 13. tit. 16. lib. 3. R. C.* si verò causam in-

injustam, vel contra Legem expressam sciens suscipiat, tenebitur tum Clienti, si eum decepit; tum parti læsæ restituere damna. *L. 6. tit. 16. lib. 3. R. C.* quod si à principio ipsi videretur justa, postquam injustam esse cognovit, debet eam deserere. *D. [illegible] 2. 2. q. 71. art. 3.* ad quod [illegible] juramento tenetur. *L. 2. tit. 16. lib. 2. R. C.* Si Advocatus in eadem [illegible] utramque partem adjuvat, unam publice, alteram secreto, dicitur prævaricator: quod si faciat scienter, partem uti falsis instrumentis, vel testibus, utroque casu pœna mortis punitur. *L. fin. tit. 6. p. 3.*

376 Potest Advocatus à suo Cliente petere, & cum eo pacisci de salario, seu stipendio, quod *honorarium* solet appellari; ut in *L. 1. §. 10. ff. de Extraordin. cognit.* dum non excedat taxationem à Lege fictam. *L. 14. tit. 6. p. 3. l. 18. & seqq. tit. 16. l. 2. R. C.* Siquidem nemo suis stipendijs cogitur militare. *C. 16. de Præscription.* Sed nihil percipere potest nomine victoriæ, & palmarum. *L. 7. cum seqq. l. 29. tit. 16. lib. 2. R. C.* nec potest pacisci de pretio post litem inchoatam. *L. 7. tit. 16. lib. 3. R. C.* salarium tamen debet taxari juxta qualitatem causæ, & litigantium, & diligentiam studium, & laborem Advocati. *L. 11. tit. 16. lib. 3. R. C.* debet tamen pauperes defendere gratis, ubi non sunt Advocati pauperum. *L. 16. tit. 16. lib. 2. R. C.* Advocati, & procuratores nequeunt salarium petere post [illegible]ium annorum à die debiti, lapsum. *L. 32. tit. 16. lib. 2. R. C.* Advocati participant privilegia militaria, præter ea, quæ ob ignorantiam sunt militibus concessa. *L. 14. C. de Advocat. diversor. Judic.* ibi: *Militant namque causarum patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine laborantium spem, vitam, & posteros defendunt.* Nec possunt torqueri, nec fustigari, nec suspendi, quia nobilium privilegijs decorantur. *L. 7. C. h. t. arg. l. 3. tit. 10. p. 2. Et ibid. Greg. Lop. V. Sabiduria de los derechos.* Et hac ratione immunes sunt ab oneribus, & muneribus realibus, & personalibus. *L. 6. C. de Profes. & Medic. lib. 10.* Hoc denique officium, si ut oportet, exerceatur, ut laudabile, vitæque hominum maximè necessarium, Principalibus præmijs remunerari oportet. *L. 4. C. de Advocat. divers. Judic.* De quorum privilegijs, & [illegible] late agit *D. Melchior de Cabrera* [illegible] ubi plures illustres viros, qui hoc officium exercuerunt refert: Siquidem Moyses, Abraham, D. Hieronym. S. Ambros. S. Daniel; & alii Advocati fuerunt: & S. Ivo Advocatorum Advocatus est: imò & ipsa Sanctissima Virgo Maria, nostra Advocata salutatur ab Ecclesia: & Christum Dominum Advocatum habemus apud Patrem. *Joan. 1. cap. 2. v. 1.* sed improbos Advocatos, ut pestem Reipublicæ increpant. *Cevall. Com. Bobadill. Polit. lib. 3. cap. 14. ex n. 56.* Et ipsos alloquens *D. August. Epist. 54.* ait: *Redde, quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, Judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti.* De Advocatis latè agitur in Digesto, & Codice sub titulo *de Postulando. Et in tit. 6. p. 3. Et in tit. 16. lib. 2. R. C. Et in tit. 24. lib. 2. R. Ind.*

TIT. XXXVIII.

De Procuratoribus.

377 **P***Rocurator*, sic dictus, quasi *pro alio Curator*, est qui aliena negotia mandato Domini administrat. *L. 1. ff. h. t.* qui etiam in jure *Responsalis* vocatur, *C. 25. de Rescript.* Et ibid. *Gonz. n. 8. Hispanè* appellatur: *Procurador, y Personero. L. 1. tit. 5. part. 3.* differt ab advocato, quia hic non gerit privatim negotia aliena mandato Domini, sed pro altero dicit, & advocat, & jus suæ partis explicat, & allegat merita causæ: *Negotiorum gestor, & defensor*, etiam administrant negotia aliena, sed sine Domini mandato. *L. 2. ff. de Negot. gest.* Et in hoc à Procuratore differunt. Tutor, & Curator, etiam negotia aliena administrant, sed etiam sine Domini mandato; sed hoc habent à publica authoritate Legis, vel Magistratus, vel à Testatoris voluntate. Hinc Procuratoris officium, cum sit species mandati deberet esse gratuitum, sicut mandatum. *L. 15. C. h. t.* ac proindè quoties de mercede convenitur locatio est. *L. 1. §. fin. ff. Mandat. Procurator*, alius dicitur *verus* alius *falsus. Verus* est, qui legitimum mandatum administrandi à Domino habet: legitimum mandatum erit, si factum sit *juxta L. 13. & seqq. tit. 5. p. 3. Falsus* Procurator dicitur, qui mandatum non habet, vel quod habet est illegitimum, & insufficiens. *L. 19. C. de Furtis.* Procurator alius est *Judicialis*, *Extrajudicialis* alter. *Judicialis* est qui ad lites alieno nomine prosequendas datur. *Extrajudicialis* ille dicitur, qui ad negotia extra judicium administrandum

niſtranda datur. Et hi ſolent appellari in jure *Mandatores*. Quod ſi detur ad univerſa bona, & negotia adminiſtranda *Procurator generalis* dicitur; E contra vero *particularis Procurator*, appellatur quando unius rei, vel negotij adminiſtratio ipſi mandatur. *L.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Similitèr dicendum eſt de Procuratore judiciali. Aliquando requiritur, quod Procurator habeat mandatum ſpeciale. Tale eſt neceſſarium ad cauſas Criminales criminalitèr intentatas, adjurandum de calumnia, ad deferendum juramentum deciſivum parti adverſæ, ad tranſigendum, compromittendum in arbitrum, ad matrimonium, ad reſtitutionem petendam, ad reſcriptum impetrandum, ad fidejubendum, ad donandum, ad debitum remittendum, ad renuntiandum beneficio, ad præſentandum ad beneficium, ad petendum abſolutionem ab excommunicatione, vel diſpenſationem ſuper defectu natalium, & alia hujuſmodi. Nec hoc mandatum ſuppletur per clauſulam: *Ut poſſit omnia, licet ſpeciale mandatum exigant. C.* 4. *h. t. in* 6. *Cl.* 2. *h. t. L.* 19. *tit.* 5. *p.* 3. *Paz in Prax. annot.* 4. *n.* 16. Mandatum ſpecialitèr conceſſum ad aliquas lites, vel negotia non comprehendit majora, vel graviora expreſsis, etiam adjecta clauſula: *Ad omnes lites, & negotia, quæ habeo, & habere ſpero.* Imò hæc clauſula ſolum includit lites præſentes, & ex præſentibus ortas; non vero futuras, niſi dependeant ex litibus de præſenti. Nec mandatum contra unum, & alios, includit digniores, imò etiam adjecta clauſula generali: *Contra quamcumque perſonam* non includit Univerſitatem, Civitatem, aut Collegium. *Paz in Prax. annot.* 4. *ex n.* 19. Quando Procurator habet generale mandatum quoad negotia, etiam quoad lites cenſetur mandatum habere. *C.* 5. *h. t. in* 6. aliquando Procuratori datur mandatum generale *cum libera*, id eſt *plena, & libera poteſtate* agendi omnia, quæ poſſet, & ipſe Dominus agere. *C.* 4. *h. t. in* 6. Et poteſt res mobiles, & immobiles vendere, permutare, alienare, & facere, quæ mandatum ſpeciale requirunt. *C.* 4. *h. t. in* 6. *L.* 19. *tit.* 5. *p.* 3. ſed non poteſt donare. *L.* 63. *ff. h. t. Paz in Praxi, annot.* 4. *n.* 17. & 20. Procurator actoris datus ad agendum, etiam ad defendendum datus cenſetur, & in cauſa reconventionis tenetur reſpondere. *L.* 33. §. 4. *ff. h. t.* Procurator rei ad agendum datus non cenſetur datus ad ipſum defendendum; nam Dominus in judicio conventus, ſciens ſe reum eſſe, Procuratorem tantum ad agendum conſtituens, creditur nolle eum defenſorem aſsignare. *C.* 12. *h. t. Et ibid. Gonz. n.* 6.

378 Procurator ad negotia poteſt alium ſibi libere ſubſtituere. *C.* 1. §. *fin. h. t. in* 6. niſi datus ſit ad matrimonium contrahendum. *C. fin. h. t. in* 6. vel ſi aliud negotium magni momenti ipſi commiſſum ſit, vel ſpeciale requiratur mandatum, vel aliter à Domino coarctetur hæc facultas alterum ſubſtituendi. Procurator verò ad lites non aliter poteſt alterum ſubſtituere, niſi factus ſit litis dominus per ejus conteſtationem, vel à Domino habeat facultatem ſubſtituendi, vel in rem ſuam datus ſit. *C.* 1. §. 1. *h. t. in* 6. Siquidem aliquando Dominus vendit, donat, aut cedit jura, & actiones ſuas alteri, ita ut ille alieno nomine litiget, emolumenta vero litis pertineant ad ipſum ceſsionarium, qui dicitur *Procurator in rem ſuam. L.* 34. *l.* 55. *ff. h. t.* dicitur *in rem ſuam*, quia jus, & actionem per ceſſionem adquiſivit: dicitur *Procurator*, quia exercet actionem ab alio mandatam, & ceſſam. Procurator judicialis fit Dominus litis per litis conteſtationem, poteſtque tunc alium ſubſtituere, etiamſi in mandato non contineatur hæc poteſtas. Si enim hæc ſubſtituendi poteſtas ipſi concedatur, vel ſi datus ſit in rem ſuam, etiam ante litem conteſtatam poteſt ſubſtituere. *C.* 1. *h. t. in* 6. Et in hoc ſtat præcipuum diſcrimen inter Procuratorem ad negotia, & ad lites. Nam ille libere quemcumque alium ſubſtituere poteſt, ſecus Procurator ad lites niſi in caſibus dictis. *L.* 19. *tit.* 15. *p.* 3. Procurator ergo per conteſtationem adeò fit Dominus litis, ut licet executio fiat in bonis Domini, totus proceſſus, & ſententia regularitèr in Procuratorem dirigatur. *L.* 23. *C. h. t. L. fin. tit.* 5. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop.* V. *El perſonero*, niſi Dominus præſens fuit in judicio, & litem eſt conteſtatus, vel in matrimonialibus, beneficialibus, & ſpiritualibus cauſis, vel etiam in cauſis Eccleſiarum, communitatum, & pupillorum, & in criminalibus criminalitèr intentatis. Si Procurator qui in aliquo puncto litis arduo vult Dominum conſulere, petat ad hoc inducias, & ipſi denegentur appellare poteſt. *C.* 11. *h. t.* quando in judicio condemnatur, debet appellare, non tamen tenetur appellationem proſequi. *C.* 14. *h. t.* niſi cum mandato ad hoc ſe extendente conſtitutus ſit.

379 Qui caret legitimo mandato ſive ex

ex parte actoris, sive ex parte rei sit constitutus, *falsus* Procurator dicitur, & gesta ab ipso sunt ipso jure irrita; *arg. C. 4. h. t.* quia habetur tanquam persona extranea, & Judex etiam parte non petente, poterit illum compellere, ut ostendat mandatum, quod sit sufficiens: imò non auditur, nisi illud exhibeat, etiam in causa summaria: sufficit tamen ad validitatem processus, mandatum, quandocumque offerri, etiam post conclusum in causa. *L. 16. Styli.* Et ita in praxi servatur. *Paz in Praxi, annot. 4. n. 39.* In mandato Procuratoris, ut legitimum, & sufficiens dicatur debet apponi nomen Procuratorem constituentis, Procuratoris constituti, actoris, contra quem, Judicis apud quem constituitur, & causa, de qua agendum est, & etiam dies, annus, & locus, & à tergo manu Advocati debet ut sufficiens declarari, & subscribi. Et si postea insufficiens appareat, Advocatus solvet litis expensas. *L. 3. tit. 2. lib. 4. R. C. Aceved. ibid. Paz in Praxi, annot. 4. n. 9.* Nec sufficit, quod Tabellio fidem faciat, se legisse mandatum, sed hoc, præcipuè in nostra Hispania deber modo dicto exhiberi. Nec item sufficit, quod Procurator caveat, Dominum ratum habiturum. *C. 1. h. t. L. 40. §. fin. ff. h. t. l. 10. tit. 5. p. 3.* nam omnia gesta per talem Procuratorem nullius momenti erunt. *L. 10. C. h. t. Gonz. in C. 1. h. t. n. 9.* Admittuntur tamen in judicio ad actionem pro alio, etiam sine ejus mandato, proponendam, Canonici, quando agunt pro juribus suæ Ecclesiæ. *C. 34. de Offic. delegat.* Conjunctæ personæ pro suis conjunctis, ut liberi pro parentibus, fratres pro fratribus maritus pro uxore, & sic alij consanguinei, & affines pro alijs consanguineis, & affinibus usque ad quartum gradum, nisi aperte eorum voluntas repugnet. *C. 8. de In integr. restit. L. 40. §. fin. junct. l. 35. ff. h. t.* Patroni, pro libertis, & liberti pro Patronis, & Socij pro Socijs in re communi. Sed hi omnes debent præstare cautionem *de rato*, & quidem fidejussoriam de eo, quod illi, pro quibus agunt, ratum habebunt, quidquid fiat, vel judicatum sit: etsi ipsi ratum non habeant, quod ipsi Procuratores, & fidejussores solvent pœnam, quæ imponatur. Sed reus debet hanc cautionem exigere ante litis contestationem: nam postea non tenentur tales Procuratores eam præstare. *L. 10. tit. 5. p. 3.* sed in Regijs Cancellarijs hoc non habet locum; ob *L. 2. tit. 24. lib. 2. R. C. ut notat Greg. Lop. in d. l. 10.* Etiam pro reo absente potest extraneus, etiam sine mandato defensionem assumere, & talis dicitur *defensor. L. 76. ff. h. t.* Nam semper in defensione rei censetur ejus conditionem meliorem facere; *arg. L. 1. ff. de Negot. gest.* debet tamen cautionem *de rato* præstare. *L. 10. tit. 5. p. 3.*

380 Nullus regularitèr compellitur Procuratorem constituere, nisi habeat impedimentum perpetuum comparendi. *C. 2. h. t.* vel causa celeritatem exigat, vel negotium non afferat magnum præjudicium, vel si de hoc sit statutum, ut in Regijs nostræ Hispaniæ Cancellarijs, ubi certus numerus Procuratorum constitutus est. *L. 1. tit. 24. lib. 2. R. C.* Et quidem tales, cum munus publicum exerceant, possunt compelli accipere mandatum, secus privati. *C. 6. h. t. in 6. L. 17. C. eod.* Si impedimentum litigatori non sit diuturnum debet adversarius patienter sperare donec cesset. *C. 2. h. t.* Reges, Episcopi, & aliæ personæ valde illustres non litigant per se in sua causa, sed per Procuratorem, nisi in Causa criminali contra ipsos mota. *L. 11. tit. 5. p. 3.* Et quamquam olim, non facile possent Procuratores ad lites constitui postea tamen indistinctè in usum Procuratores venerunt ob rationem. Text in *L. 1. §. 2. ff. h. t.* ibi: *Usus Procuratoris perquam necessarius est, ut qui rebus suis ipsi superesse, vel nolunt, vel non possunt, per alios possunt agere, vel conveniri.* Itaque jam hodie omnes Domini, & habentes liberam rerum administrationem, si non prohibentur, possunt Procuratorem constituere. Hoc quippè: Edictum prohibitorium est, ac proindè omni illi permittitur, cui hoc specialitèr non prohibetur. *L. 43. §. 1. ff. h. t.* Et quælibet universitas potest Procuratorem constituere, qui *Syndicus*, & *Actor* appellatur. *C. 7. h. t.* etiamsi Regentes, vel Præfecti sint excommunicati, nisi ipsi excommunicati in litteris Procuratoris sint expressi, vel eorum authoritate Procuratoris constitutio facta fuisset, vel si ipsa communitas eos tales sciens admisisset ad constituendum Procuratorem. *C. fin. h. t.* Sane non valet Procuratorem constituere servus, nisi de suo statu litiget. *L. 33. ff. h. t.* vel quando alias agere potest. *L. 8. ff. h. t.* Nec Curator, Tutor, vel Syndicus possunt Procuratorem constituere pro minoribus, pupillis, vel communitate, nisi post litem contestatam. *L. 11. C. h. t. l. 3. tit. 5. p. 3.* Religiosus sine licentia Prælati nequit Procu-

curatorem facere. *Cl.* 3. *h. t.* nisi quando sine licentia Prælati potest stare in judicio, v. g. ad accusandum Prælatum: quinimò nec Prælatus in causis arduis, & magni momenti potest illum constituere, nec Procuratorem generalem, & perpetuum ad omnia negotia facere valet. Extra hos duos casus potest per se, etiam ante litem contestatam constituere Procuratorem. *C. 6. de Juram. calumn. Paz in Praxi, annot.* 4. *n.* 36. si minor habens Curatorem per se ipsum constituat Procuratorem, sententia pro ipso lata valebit: secus ea, quæ contra ipsum feratur. *L.* 14, *C. h. t.* Cum authoritate Curatoris potest, & debet constituere Procuratorem. *L.* 3. *tit.* 5. *p.* 3. nisi in casibus, in quibus potest per se litigare: nam tunc etiam sine authoritate Curatoris Procuratorem constituere potest. Idem dic de filio familias, qui sine patris consensu potest Procuratorem constituere, quando per se potest litigare; *ut in l.* 2. *tit.* 5. *p.* 3. Minor in causis beneficialibus, & alijs spiritualibus, si sit major 14. annis, potest agere, & defendere causam spiritualem per se, vel per alium, perindè ac si esset major 25. annis. Si verò sit minor 14. annis per se non agit, sed per Procuratorem, vel Curatorem datum authoritate Judicis Ecclesiastici. Filius familias sine patris assensu agit causam spiritualem. *C. fin. de Judic. in* 6. In causa temporali dandus est adulto Procurator à Magistratu. *L.* 43. *ff. h. t.*

381 Procurator potest esse, qui litem, vel negotium prosequi potest, etiam absens. *C.* 7. *h. t. in* 6. etiam Laicus in rebus spiritualibus. *C.* 1. *h. t. in* 6. etiam filius familias; & quidem sine assensu patris si major sit 17. annis, quando ad negotia eligitur, vel major 25. si ad lites constituatur. *C.* 5. *h. t. in* 6. *l.* 5. *l.* 19. *tit.* 5, *p.* 3. In summa: omnes illi, qui non prohibentur, possunt Procuratores esse. *L.* 43, §. 1. *ff. h. t. l.* 5. *tit.* 5. *p.* 3. nequeunt tamen Procuratores constitui infantes, furiosi, amentes ob judicij defectum. *L.* 2. *ff. h. t.* nec milites nisi in sua causa, vel nomine suæ cohortis. *L.* 7. *l.* 9. *C. h. t. l.* 5. *l.* 6. *l.* 7. *tit.* 5. *p.* 3. Mutus, & surdus. *L.* 43. *ff. h. t.* servus. *L.* 33. *ff. eod.* fœmina, nisi sit Turrix, vel Abbatissa, vel in rem suam, vel in defensionem libertatis, vel pro marito, vel fratribus, vel consanguineis, non potest hoc officium assumere. *L.* 54. *ff. h. t. l.* 4. *C. eod.* Infames nequeunt, saltem de Jure Canonico Procuratores esse. *C.* 1. *c.* 2. 3. *q.* 7. Et hinc non est de Jure Canonico officium vile: de Jure verò Civili esse officium vile constat. *Ex l.* 34. *C. de Decurion. lib.* 10. sed cum hodie officium Procuratoris à Rege concedatur in Tribunalibus, ubi certus numerus est assignatus, nobile esse dicit *Paz in Praxi annot.* 4. *n.* 46. Item nequeunt Procuratores esse excommunicati. *C.* 7. *de Judic.* Religiosus, nisi sit Prælatus, vel alius de ejus licentia. *Cl.* 3. *h. t.* Clerici, quando non possunt postulare. *C. fin. de Postuland. l.* 5. *tit.* 5. *p.* 3. Et quidem in uno negotio, vel lite, possunt plures Procuratores constitui, vel simpliciter, vel insolidum. Si plures sunt *simpliciter* simul constituti, unus sine altero non potest procedere, sed Judex potest unum eligere ad celeriorem causæ expeditionem. Si *insolidum* sint constituti, ille, qui prævenit, & causam prius, licet nul iter, tractare cœpit, excludit alios. *C.* 6. *h. t. in* 6. *L.* 18. *tit.* 5. *p.* 3. si post unum constitutum constituatur secundus, hic revocat primum. *L.* 31. *ff. h. t.* nisi alitèr de voluntate Domini constet. *L.* 24. *tit.* 5. *p.* 3. In Cancellarijs Regijs Nostræ Hispaniæ, & in alijs Tribunalibus, nullus potest esse Procurator, nisi prius à Præside, & Senatoribus examinetur, & sit ex numero Procuratorum illius Audientiæ. *L.* 1. *tit.* 24. *lib.* 2. *R. C. Paz in Prax. Annot.* 4. *n.* 31.

382 Regularitèr in quacumque causa potest Procurator constitui, ac proindè rectè constituuntur in causis temporalibus, & spiritualibus. *C.* 1. *h. t. in* 6. In pecuniarijs, etiam criminalibus, in liberalibus, seu concernentibus statum, ad lites præsentes, & futuras, in prima, & in secunda instantia: Etiam ad matrimonium contrahendum potest Procurator constitui; debet tamen habere speciale mandatum, nec potest alium substituere: quod si fuerit revocatus, quando contrahit matrimonium, hoc non tenet, etiamsi revocationem ignoret. *C. fin. h. t. in* 6. Si non fuerit revocatus, etiamsi tempore, quo ipse contrahit, principalis dormiat, vel in amentiam incidisset, valet matrimonium. Ut contra *Ponze lib.* 2. *de Matr. cap.* 15. *n.* 14. *& Lugo* tenent *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *D.* 11 *n.* 12. *& alij*; *arg. C.* 3. §. *fin. de Baptismo.* Quia tunc moralitèr perseverat mandantis consensus, cum nec revocatus sit, nec per mortem cessaverit. Nec in Procuratoribus ad contrahendum matrimonium requiritur diversitas sexuum; sed possunt duo viri, vel duæ fœminæ esse Procuratores contrahentium. *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *D.* 11. *n.* 15.

Reus,

Reus, nec accusator in causis criminalibus criminalitèr intentatis, in quibus potest infligi pœna Capitalis, vel alia relegatione major, non potest per Procuratorem comparere. *C.* 15. *de Accusation. l.* 13. *ff. de Public. judic. l.* 12. *tit.* 5. *p.* 3. ne sententia Judicis reddatur elusoria, si reus, in quem pœna infligenda erat, fugeret. Idem accideret in accusatore, si non comparetet, cum deberet ad pœnam talionis subscribere. *L.* 7. *ff. de Accusat.* Si solum venit imponenda pœna pecuniaria contra accusatorem, ut hodie, cessante jam talionis pœna, cum hæc posśit imponi etiamsi ipse fugiat, nihil interest, quod non compareat per se, cum executio in bonis ejus facienda sit. Si reus absens criminalitèr fuerit accusatus, licet non posśit defendi, potest per Procuratorem excusari, hoc est, possunt per Procuratorem proponi causæ suæ absentiæ. *L.* 12. *tit.* 5. *p.* 3. *Gonz. in c.* 5. *h. t. n.* 10. In causis, in quibus potest principalitèr infligi infamia, potest quis Procuratorem constituere, siquidem hoc prohibitum non est. In actionibus popularibus, quæ competunt cuilibet de populo, admittitur Procurator ex parte rei, secus ex parte actoris. *L.* 5. *ff. de Popular. action.*

383 Procurator finito negotio, vel lite debet rationem Domino reddere omnium, quæ gesśit, illique omnia, quæ sit consecutus restituere. *L.* 46. §. 4. *ff. h. t. l.* 25. *tit.* 5. *p.* 3. Et propter industriam tacitè promissam, de dolo, & etiam de culpa levisśima damnum proveniens, restituere tenetur. *L.* 11. *l.* 13. *C. Mandat. l.* 26. *tit.* 5. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop.* Procurator itidem potest à Domino exigere, non solum impensas legitimè in negotio factas. *C.* 6. *h. t. l.* 25. *tit.* 5. *p.* 3. Sed, & damna orta ob culpam levisśimam mandantis. *Arg. L.* 5. *ff. Mandat.* Et quidem in his casibus mandans actionem mandati directam, mandatarius verò actionem contrariam mandati habet. Si Dominus salarium, vel honorarium procuratori promisit, ut potest, & jam regularitèr fit. *L.* 7. *ff. Mandat.* Procurator pro eo habet actionem locati, & utraque actio transit ad hæredes. *Gonzal. in c.* 6. *h. t.* Sed tales actiones non oriuntur, si contra, vel extra formam mandati aliquid factum est: Nam *fines mandati diligentèr servandi sunt*, *l.* 5. *ff. Mandat.* adeo, ut quidquid contra, vel extra mandatum factum sit, nullius momenti est. *C.* 22. *de. Rescript. l.* 19. *tit.* 5. *p.* 3. Procurator, quando in judicio agit, debet jurare de calumnia, non solum in anima sui Domini, sed etiam in anima sui ipsius. *Paz in Praxi annot.* 4. *n.* 42.

384 Procuratoris officium finitur 1. morte Procuratoris in quo cum statu negotij, vel litis contingit. *L.* 27. §. 3. *ff. Mandat.* Siquidem illius industria erat electa. 2. mutuo utriusque consensu: nam dissolvitur modo, quo constituitur. *C.* 1. *de Reg. jur.* Sed lite contestata, debet accedere consensus adversarij, vel causæ cognitio, quia in judicio quasi contrahitur cum adversario. *L.* 3. §. 11. *ff. de Pecul. Gonz. in c.* 13. *h. t. n.* 3. & 4. 3. morte constituentis, re integra, finitur, re non integra, persеverat. *L.* 26. *ff. Mandat.* Procurator verò à Prælato deputatus pro juribus Ecclesiæ, etiam re non integra finitur per mortem constituentis. *Cl. fin. h. t.* de Jure Hispano mortuo Procuratore, lite jam contestata, ejus hæredes prosequebantur causam, sed hoc nunquam practicatum fuit: si verò ipse Procurator substituerat alium, ipse substitutus, mortuo Procuratore prosequi causam potest. *L.* 23. *tit.* 5. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop.* 4. Procurator potest ante litem contestatam, vel negotium inceptum, etiam sine causa libere à Domino revocari, postea tamen, ipso nolente revocari nequit, nisi Domino suspectus, aut inimicus, aut adversario affinis fiat, vel in longinquam regionem peregrinetur, aut alia rationabilis causa subsit. *C.* 2. *h. t. in* 6. Revocatio Procuratoris debet intimari ipsi Procuratori, & Judici, vel ejus loco, adversario, ut sciant, Procuratoris potestatem esse finitam: alias valebit, quidquid cum primo factum fuerit. *C.* 3. *c.* 4. *h. t.* Postquam in judicis, vel adversarij notitiam pervenit revocatio, nullum est ipso jure quidquid cum ipso Procuratore fiat. *C.* 13. *h. t. Et ibid. Gonz.* In matrimonij tamen Procuratore cessat potestas statim ab ipsa revocatione, etiam non intimata. *C. fin. h. t. in* 6. Renuntiatio facta à Procuratore constituto ad renuntiandum beneficio post revocationem mandati, etiamsi ad ejus, vel Superioris notitiam non perveniat, jure speciali valet. *Cl. un. de Renuntiat. Gonz. in c.* 13. *h. t. n.* 9. 5. Procurator potest renuntiare officio ante litem contestatam: secus post eam, nisi justa subsit causa. *L.* 8. *l.* 9. *l.* 10. *ff. h. t.* 6. finito negotio finitur hoc officium: & si ad litem sit datus Procurator, finita instantia judicis per sententiam definitivam: nam licet teneatur Procurator appellare, ne sententia transeat in rem judicatam, non tenetur

tur appellationem prosequi, quia per litis contestationem fuit factus Dominus Instantiæ, non causæ. C. 14. h. t. Denique, si Dominus ante, vel post litem contestatam, ad suam causam veniat, ut eam agat, & tractet per se, finitur Procuratoris officium. Quippè hoc ipso, nisi aliud exprimat, & protestetur, censetur Procuratorem revocare. C. 8. *h. t. in 6.* Huc potest reduci officium Cardinalis Camerarij, vulgò Camarlengo, qui Procurator, & Æconomus est Ærarij Pontificij, habetque unam ex tribus clavibus thesauri in Castro S. Angeli servati, alias habent Papa, Decanus Sacri Collegij, curamque habet proventuum Cameræ Apostolicæ, & Sedevacante magna gaudet authoritate, quippè qui potest monetam cum suis gentilitijs insignijs cudere. *Calderon de Excellent. Romæ, p. 2. lib. 5. cap. 4.*

T I T. XXXIX.

De Syndico.

385 CUM Universitas, Collegium, Civitas, Oppidum, vel quæcumque Communitas per se, nec convenire, nec conveniri possit. *L. 7. §. 1. ff. Quod cujusque Univers. L. 13. tit. 2. p. 3.* debet constituere alium, vel duos, aut tres, ut ipsam Communitatem ad hos effectus repræsentent. *L. 1. §. 1. ff. Quod cujusque Univers.* talitèr constitutus regularitèr *Syndicus* dicitur, sicut generalitèr Procurator appellatur, qui à privato constitutus est. Ut ergo Syndicus constituatur, debent vocari omnes, qui habent suffragium, & congregari duæ, saltem illorum partes, & consentire major pars congregatorum. *L. 3. ff. Quod cujusq. Univers.* si bona, & jura, super quibus constituitur, pertineant etiam communitèr ad Privatorum, ejus assensus requiritur. Debetque talis Syndicus habere mandatum sigillo Universitatis munitum, & ubi est consuetudo ab aliquibus subscriptum. In nostra Hispania constituitur Syndicus modo, & forma, de qua *in L. 98. tit. 18. p.* . Talis Syndicus pro varietate materiæ, varijs nominibus solet appellari. Si enim sit constitutus ad lites, & sententias præsentes, & futuras, dicitur Syndicus. *C. 2. de in I* *gr. restit.* Si ad negotia extrajudicialia, dicitur *Curator*; si ad pecuniam administrandam, dicitur *Quæstor*, seu *Administrator Cameræ.* Si ad criminales causas, & persequendas pœnas, & mulctas Universitati debitas, dicitur *Fiscalis.* Si ad certam causam, vel litem, dicitur *Actor publicus.* Si Communitas, cujus vices agit, sit Ecclesia, Æconomus dicitur. *C. 2. D. 89.* Et licet sic pro diversitate causarum diversis appellentur nominibus, ob affinitatem negotiorum generalitèr procuratores, & alijs nominibus appellantur. *C. 7. c. 9. h. t.* Potest constitui Syndicus aliquis de corpore Universitatis, etiam illius Rector, vel Superior, vel etiam extraneus. *Gonz. in C. un. h. t. n. 10.* Etiam in causis spiritualibus Laicus potest Syndicus constitui; quia nec munus spirituale, nec jurisdictionem, sed nudum ministerium exercet; *arg. C. 1. de Procurat. in 6.* Æconomus vero Ecclesiæ, cum administrationem spiritualium habeat, debet esse Clericus. *C. 22. 16. q. 7. Gonz. in C. un. h. t. n. 12.*

386 Potestas Syndici, si aliundè non restringatur, vel amplietur, eadem fere est, ac Procuratoris constituti *cum libera. L. 6. §. fin. ff. Quod cujusque Universit.* potestque transigere, præstare juramentum, aliaque hujusmodi facere: non tamen donare, nec remittere debitum liquidum. Post contestationem fit Dominus litis, & in ipsum processus dirigitur, & cum sit persona publica Universitatem repræsentans, præsumitur esse solvendo, ac proindè non cogitur satisdare de *judicato solvendo*, sed tantum de *judicio sisti*: nec cavere debet de rato, nisi quando de ejus mandato dubitatur. *L. 6. §. 3. ff. Quod cujusque Univers.* & quando jurat de calumnia, solum in suam propriam animam, non verò in animam communitatis, vel eam constituentium jurat. *C. 3. c. 4. de Juram. calumn.* Et cum ad causas Universitatis sit constitutus generalitèr, non finitur ejus officium finita instantia, sed debet prosequi appellationem; *arg. C. 14. de Procurat.* Nec morte constituentium finitur, quia communitas, cujus nomine constitutus est, non moritur, sed in quibuscumque successoribus est moralitèr eadem. *L. 7. §. 2. ff. Quod cujusque Univers.* revocatione, & alijs modis, quibus Procuratoris officium finitur, similitèr & finitur officium Syndici. Et quidem Abbas solus potest revocare Syndicum, etiam cum consensu Capituli constitutum; quia ipse solus in causis sui Monasterij agere potest. *C. 21. de Rescript.* nec in tali revocatione vertitur Monasterij præjudicium. Religiosi debent habere Syndicum extraneum, qui causas Monasterij agat, & defendat; etiam assignato illi salario: nam expedit pro parvo incommodo

modo à strepitu causarum servos Dei segregari, & quietos vivere. *C. un. h. t.* Si vero necessitas, vel utilitas aliud exigat, potest constitui Syndicus unus ex Religiosis cum consensu Prælati. *C.* 35. 16. *q.* 1. Et sic in praxi servatur *Gonz. in C. un. h. t. n.* 12. qui *n.* 13. ait: hunc textum non de necessitate, sed ex honestate tantum procedere. Denique in dubijs, si quæ oriantur, debet attendi, & servari Syndici mandatum. *L.* 98. *tit.* 18. *p.* 3. *Gonz. in C. un. h. t. n.* 10.

TIT. XL.

De his, quæ vi metusvè causa fiunt.

387 VIS *absoluta*, seu *præcisa* est majoris rei impetus, qui repelli non potest. *L.* 2. *ff. de eo, quod metus caus.* vel clarius: est corporalis coactio ad patiendum, vel faciendum aliquid. *L.* 15. *tit.* 2. *p.* 4. ibi: *Fuerza se debe entender, quando alguno aducen contra su voluntad, ò le prenden, ò le ligan.* Sic Pyrrus Priamum *Altaria ad ipsa trementem traxit.* Et cum hæc vis tollat absdubio voluntarium. *Aristot. Ethic.* 3. *cap.* 1. *C.* 3. §. *fin. de Baptism.* excusat à peccato illam patientem, ut S. Lucia dixit Tyranno: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. L.* 39. *ff. ad L. Jul. de Adulter. L.* 20. *C. eod.* ubi Lex Julia non comprehendit mulierem vi oppressam. Quod si vis armis inferatur, dicitur *vis publica*, & *armata*; si sine illis, *vis privata* dicitur. §. 6. *Inst. de Interdict.* si aliquid mobile per vim auferatur, dicitur *vis ablativa*: & adversus eam competit interdictum *vi bonorum raptorum.* Si quis in sua possessione turbatur vis turbativa committitur, & competit, si facta est in immobilibus interdictum *uti possidetis*, si in mobilibus interdictum *utrobi*, quando quis in usu suæ rei inquietatur, committitur *vis inquietativa*, & competit interdictum, *quod vi, aut clam.* Si quis ejiciatur à possessione suæ rei committitur vis expulsiva, & competit interdictum *unde vi.* Denique quando quis compellitur ad aliquid faciendum, quod aliàs non faceret: v. g. quando aliquis alicui mortem minatur, si aliquid non faciat, committitur *vis compulsiva*, & competit actio, & exceptio. *Quod metus causa*, quæ omnia plures Textus, & DD. citans affert *Doct. Anton. Pichard. in pr. Inst. de Vi bonor. raptor. ex n.* 13.

388 Vis compulsiva dicitur etiam *conditionalis*, seu *modificata*, & in hoc sensu sumitur in præsenti Rubrica: parum enim distat à metu, nisi in eo, quod vis refertur ad eum, qui cogit, metus ad eum, qui cogitur. *Metus ergo est mentis trepidatio instantis, vel futuri periculi causa. L.* 1. *ff. de eo, quod metus caus.* id est, *actus voluntatis fugiens malum imminens.* Si futuri mali apprehensio vehementèr animum contrahat, datur metus; si mali imminentis apprehensio conturbet, timor dicitur; si malum, quod apprehenditur sit permaneus, formido appellatur. Si valdè concutiat, terror dicitur. Si mentem loco moveat, pavor; si ulterius processerit, exanimatio est. Ita *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 12. Vis præcisa, & absoluta tollit absolutè voluntarium. Siquidem illam ab extrinseco patiens, non tàm agit, quàm agitur. Metus tamen, licet minuat, non tollit voluntarium. *L.* 21. §. 5. *ff. de eo, quod metus caus.* ibi: *Quamvis si liberum esset noluissem, tamen coactus volui.* Unde *Glos Voluntas coacta voluntas est.* Et ideò nullus metus excusat à peccato illum, qui facit quod est intrinsecè malum. Et hinc meritò Innoc. XI. damnavit hanc Propositionem, quæ est 29. *Urgens metus gravis est justa causa Sacramentorum administrationem simulandi.* Metus alius est *gravis*, alius est *levis*. *Metus gravis* absolutè talis est, qui cadit in virum constantem, seu constantissimum, ut loquitur *L.* 6. *ff. Quod metus caus.* & vehementèr ejus animum conturbat, nec facile potest superari: & etiam *metus justus* appellatur, & *metus majoris malitatis. L.* 5. *ff. de eo, quod metus caus. Vir constans* ille dicitur, qui alias fortis, & non meticulosus est. *L.* 15. *tit.* 2. *p.* 4. ibi: *Miedo se entiende, quando es fecho en tal manera, que todo ome, maguer fuesse de gran coraçon, se temiesse de el.* Ut ergo metus cadere dicatur in virum constantem duo requiruntur, scilicèt, quod & malum, quod timetur grave sit judicio prudentum, & quod gravi, seu probabili ratione timeatur, tanquam imminens. Sic *Suar. lib.* 1. *de Voto, cap.* 8. *n.* 1. gravem metum incutiunt mors, mutilatio, servitus, amissio status honorifici, vel Dignitatis, amissio bonorum, vel saltem notabilis partis illorum, attrox cruciatus, verbera, carcer diuturnus, exilium, stuprum, adulterium, & alia hujusmodi. *C.* 2. *c.* 6. *h. t. L.* 3. *l.* 4. *l.* 7. *ff. eod. l.* 15. *tit.* 2. *p.* 4. idem est, si hæc omnia timeantur, non solum sibi, sed ne filijs eveniant.

niant. *L.8. §. fin. ff. h.t.* ob rationem, quæ ibidem redditur: *Cum affectu parentes magis in liberis terreantur.* Si vero metum patiens facile his malis occurrere possit, non censetur metus gravis. Metus falsæ infamiæ vanus est, & contemnendus. *L. 7. ff. de eo, quod metus caus.* metus verò admittendi criminis, ex quo vera sequatur infamia, gravis est. *L.8. §. pen. ff. h. t.* Quando quis aufugit ex rumore tantum, quod ad eum homines armati accederent, non potest intentare Edictum, *quod metus causa*; cum non censeatur metus gravis, si verò illos armatos ad se venientes vidit, & aufugit, causam justi, & gravis metus habuisse creditur. Et sic concordatur *L.9. ff. de eo, quod metus caus. Et leg.* 33. §. 2. *ff. de Usucapion. Gonz. in* C. 1. *h. t. n.* 14. Quando actio est tantum per Legem Civilem, vel Ecclesiasticam prohibita, gravis metus à peccato excusat talis Legis transgressorem. Sic David comedit, necessitate urgente, panes propositionis contra Legem scriptam, & à Domino excusatur apud *Matth.* 12. Item Discipuli Domini, qui alienas spicas fame coacti sumpserunt, immunes fuerunt à peccato, Christo D. sic declarante apud *Matth.* 12. Et habetur Text. *in* C. 26. *de Cens. D.* 5. quia Leges humanæ non obligant cum tam gravi periculo, nisi per accidens misceatur obligatio Juris Naturalis, quia v. g. illa transgressio cedat in damnum Reipublicæ, vel in contemptum Legislatoris, præcipuè Ecclesiastici, vel in fidei contemptum, vel si scandalum generetur ex non observatione; ut si Hæreticus in contemptum Ecclesiæ mortem minaretur Catholico, si carnes in die jejunij non comedat: tunc enim potius debet mortem pati, quam carnes comedere. C.8. 32. *q*.4. Sic Eleazarus maluit mortem subire, quam carnes porcinas in contemptum Legis comedere. *Machab.* 2. *cap.* 6. sic etiam fidelis nequit cum excommunicato communicare, in contemptum Clavium Ecclesiæ, etiam quocumque periculo proposito. C.5. *h. t. ibid. Gonz. n.* 10.

389 Metui gravi æquivalet metus *reverentialis*, filij, uxoris, Clerici, Monachi, vel subditi erga parentem, maritum, Episcopum, Abbatem, vel Principem, dummodo accedat rigida tractatio, asperitas vultus diuturna, rixæ, importunæ preces, & repetitæ, & aliquæ minæ. C. 8. 20. *q*.1. C. 11. *de Desponsatione impuber.* siquidem valdè molestum est sustinere prædicta mala, vel preces, à persona, cui debetur reverentia, obedientia, vel continua habitatio; *arg.* C. 2. *de Pact. in* 6. *L.*22. *ff. de Ritu nuptiar. junct. Glos. fin. ibid. L.* 10. *tit.*1. *p.* 4. *Et ibid. Greg. Lop.* V. *Todo*, independentèr ab his metus reverentialis levis censetur *Greg. Lop. ubi supr. Sanch. de Matr. lib.* 4. *D.* 6. *n.*7. contra *varios variè sentientes apud ipsum ex n.* 4. Si enim quicumque metus reverentialis gravis censeretur, plures contractus inter has personas celebrati essent infirmi. Nec solæ minæ gravem metum incutiunt, nisi procedant ab eo, qui solitus sit eas exequi. *L.* 9. *c. h. t.* Nec sat est suspicio tantum metus inferendi, nisi vehemens sit, ut pro metu habeatur *L.* 9. *ff. de eo, quod metus caus. L.*7.§.1. *ff. Quod falso Tutor. Gonz. in* C. 1. *h. t. n.* 12. Metus, qui absolutè non est gravis, censetur gravis respectivè attenta qualitate subjecti, alijsque circunstantijs inspectis. Talis consideratur metus in senibus, mulieribus, pueris, & Indis, quos quidem minor vexatio facile conturbat; *arg.* C.6. *de Homicid. c.*4. 32. *q*.6. Et quidem Judicis arbitrio relinquitur judicare, quando talis metus, gravis, vel levis, sit habendus. *Metus levis* est vana mentis trepidatio ex malo levi, & modico immediatè orta, qui non vehementèr animum conturbat, & facile potest excuti, solumque cadit in virum pusillanimem, & formidolosum, qui non timenda timet. Talem metum incutit levis infamia, vexatio modica, & quid simile. Et solet vocari *metus injustus, improbabilis, & vanus. L. 6. ff. de eo, quod metus caus. L.* 184. *ff. de Reg. jur.* Metus, sive gravis, sive levis, alius est incussus ab *intrinseco*, alius ab *extrinseco*. Ab *intrinseco* incussus est ille, qui à causa naturali, & non libera provenit. V. g. à naufragio, incendio, ruina, morbo, bellua, &c. Ab *extrinseco* incussus dicitur ille, qui provenit à causa libera, scilicèt, ab homine. Et tunc alius est *justè*, alius *injustè* incussus; ac proindè metus *justus*, vel *injustus* dicitur. *Justus* ille censetur, qui infertur ab eo, qui jus inferendi illum habet: v. g. si Judex minetur mortem delinquenti, qui pœnam mortis meretur, vel si Episcopus sub censura adimplere præcipiat sponsalia legitimè contracta. *Injustus* est, quando illum inferens non habet jus illum inferendi, sed per injuriam metum infert, v. g. latro, qui minatur mortem, si ipsi pecunia non tribuatur. Metus potest incuti, vel ab altera comparte contrahente, vel ab alio tertio: item potest incuti *directè* ad extorquendum consensum, ad aliquem actum, ut si latro mortem minetur Titio, si non

tribuat pecuniam: vel potest incuti ob alium finem, ut si pater ob violentiam suæ filiæ factam minetur mortem, & violator ad mortem vitandam promittat illam in uxorem ducere.

390 Actus proveniens à metu gravi intrinseco valet, & non rescinditur. Similitèr valet nec rescinditur actus factus metu, etiam gravi, & ab extrinseco proveniente, incusso tamen juste, id est, ab habente jus incuriendi: v. g. si quis contrahat matrimonium metu accusationis, vel pœnæ incusso ab eo, qui potest justè deferre ad Judicem, matrimonium validum erit; *arg. L.* 21. *ff. de eo, quod metus cauf.* ibi: *Hunc sibi metum ipsa infert.* Si metus gravis injustè incutiatur, etiamsi illum incutiens, fictè, & sine animo exequendi, mortem v. g. minaretur, dum patiens metum serio credat, mortem esse sibi inferendam, attento Jure Naturæ non reddit actum, ad quem metus infertur, invalidum, cum in eo non desit simplicitèr voluntarium, & consensus. Metus verò levis, etiamsi injustè incussus sit, non reddit actum invalidum, nec rescindibilem, nec metum passo datur actio in foro externo. *L. 6. ff. de eo, quod metus cauf.* quod ob quietem publicam statutum est, ne Tribunalia litium frequentia obruantur: & ne foveantur lites, ac consequentèr impediantur commercia. Sed cum talem metum inferens faciat injuriam, & injustitiam, debet in conscientia satisfacere pro illa injuria, & rescindere actum, si metum passus velit, vel ipsum implere, si metum passus rescisionem nolit, ut sic res in pristinum statum restituatur, & redigatur ad æqualitatem. Et ad hoc est in conscientia obligatus metum inferens. *Sanch. de Matr. lib.* 4. *D.* 9. *n.* 4. *cum pluribus, contra alios variè sentientes apud ipsum ex n.* 1. Imò & in foro externo talitèr metum passo succurritur officio Judicis, & contractus rescindetur: quia non est æquum, Judicem permittere, ut metum inferens commodum ex sua culpa reportet; *arg. L. fin. ff. de Extraord. crimin. Sanch. de Matr. lib.* 4. *D.* 9. *n.* 5. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 14.

391 Actus extorti gravi metu injusto non sunt ipso jure positivo nulli, nec irriti, sed tantum irritandi, & rescindendi per Judicem, proposita actione: *Quod metus causa*, etiamsi metus non ab ipso contrahente, sed ab alio tertio sit incussus. *L.* 14. *§.* 3. *ff. de eo, quod metus cauf. C.* 15. *de Sponsal.* Ita tenent *Glos. in C. un. h. t. in* 6. *Gl. in L.* 21. *V. Ullum, ff. de eo, quod metus cauf. Anton. Gom. Var.* 3. *cap.* 4. *Sanch. de Matr. lib.* 4. *D.* 8. *n.* 4. *ubi plures citat. Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 15. contra *Soto de Just. & jur. lib.* 8. *q.* 2. *art.* 7. *Palacios de Contract. lib.* 4. *cap.* 9. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 326. *Fortun. & alios*, qui dicunt, actus metu gravi injusto initos esse nullos ipso jure. Et quidem nostra conclusio probatur *ex C.* 2. *h. t. L.* 1. *L.* 9. *§.* 3. *L.* 21. *§.* 5. *ff. de eo, quod metus cauf. L. fin. C. eod. §.* 1. *Instit. de Exception. L.* 56. *tit.* 5. *p.* 5. ibi: *Por miedo, ò por fuerza comprando, ò vendiendo algun ome alguna cosa, non debe valer; ante decimos, que debe ser desfecha la compra. Et ibid. Greg. Lopez, V. Desfecha.* In quibus Textibus actus metu gesti, rescinduntur, & cum certum sit, actus ipso jure nullos rescindi non posse, *L.* 5. *ff. de Injusto rupt.* legitimè deducitur, tales actus non esse nullos, nec irritos ipso jure, imò & validos esse summo jure infertur: quia in ipsis nec voluntarium, nec justus titulus deest, ac proindè jure naturali valent, & cum nullo jure positivo irritentur, etiam summo jure positivo valere dicendum est: ne jus positivum sine fundamento discordemus à jure naturali. Deindè: quia magis favorabile est metum passo, cujus favorem Leges spectant, si contractus, vel actus subsistat, quam si ipso jure esset nullus; sic enim ipse potest eligere, vel actum rescindere, quando ipsi fuerit damnosus, vel si utilis sit, poterit compellere inferentem metum, stare actui, & ipse ad hoc est obligatus in conscientia. Sed quia inspecto effectu idem est, quando actus rescinditur, ac quando nullus est: ideò actus metu gravi facti irriti solent appellari. *L.* 1. *C. de Rescind. vendit.* quod clarè patet *ex L.* 56. *tit.* 5. *p.* 5. Et hoc modo fit satis fundamento præcipuo adversariorum.

392 Sunt tamen aliqui actus, qui ad sui valorem requirunt majorem libertatem, & spontaneitatem: ac proindè si metu gravi injusto extorqueantur, sunt nulli ipso jure. Tales sunt matrimonium. *C.* 14. *&* 15. *de Sponsalib.* Constitutio procuratoris ad illud. *Sanch. de Matr. lib.* 4. *D.* 12. *n.* 22. quia ut accessorium sequitur naturam principalis. *C.* 42. *de Reg. jur. in* 6. promissio, & constitutio dotis. *L.* 21. *§.* 3. *ff. de eo, quod metus cauf.* Sponsalia. *C.* 11. *de Desponsat. impuber. Sanch. de Matr. lib.* 4. *D.* 19. *n.* 3. contra *Enriq. & alios*, promissio, & traditio rerum Ecclesiæ, etiam juramento firmata. *C.* 2. *de Jur. jur.* Testamentum, ad quod testes coguntur. *L.* 20. *§. fin. ff. Qui Testament. facer.* Absolutio à censura. *C. un. h. t. in* 6. Datio libertatis.

L. 9.

L. 9. *ff. Qui, & à quib.* electio Canonica. C. 14. *de Election.* collatio jurisdictionis, & ejus prorogatio. *L. 2. ff. de Judic.* factum à Tutore invito vel per vim detento. *L. 1. §. 1. ff. de Author. Tutor.* Professio, vel vota religiosa, seu solemnia: quia non solum libertatem, sed spontaneitatem requirunt. *C. 1. de Regular.* ibi: *Spontanea voluntate. C. 1. de Statu Regul. in 6. C. 1. h. t.* ex quo, & idem de voto simplici religionis tenet *Suar. de Voto, lib. 1. cap.* 8. Renuntiationem beneficij metu factam, esse ipso jure nullam tenet *Gonz. in C. 3. h. t.* cum alijs ex *Cl. 2. de Pœnis* contra *Barbos. Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. & alios.* Votum simplex gravi metu extortum, etiam ad hoc directè incusso, mero, & summo jure valet; licet relaxari possit, metu probato. *Suar. de Voto, lib. 1. cap. 8. à n. 4. Marin. de Voto, Disp. 1. sect. 15. n. 73.* Nam cum ex una parte tale votum sit voluntarium, & aliunde nullo jure positivo probetur irritum, ipso jure, valere dicendum est: nam text. in *C. 1. h. t.* loquitur de professione religiosa; & text. in *C. 6. h. t.* tantum à contrario sensu metus levis hoc posset inferre. Nec probat in voto, sicut non probat in juramento. Contrarium tamen tenet *Gonz. in C. 6. h. t. n. 10. citans Bonav. & alios.* Similitèr juramentum licet metu gravi extorqueatur validum est, etiam jure positivo. *C. 8. de Jur. jur. C. 2. c. 3. h. t. L. fin. tit. 11. p. 3.* donec relaxetur: sed certè ratione metus facile relaxatur. *C. 15. de Jur. jur.* Quando vero relaxatum est, servari non debet; nec contractui robur, nec firmitatem præstat. *Suar. de Jurament. lib. 2. cap. 10. n. 4. Sanch. de Matr. lib. 4. D. 20. Gonz. in C. 6. h. t. n. fin.* contra *Seraph. Cabrer. & alios.* Et ratio est, quia juramentum, quod sine dispendio salutis æternæ, & sine alterius præjudicio potest impleri, servandum est. *C. 28. de Jur. jur.* Et hac ratione dicendum est, quod renuntiatio beneficij metu facta, juramento firmata, valet. *C. 3. c. 4. h. t.* donec juramentum relaxatur. Tunc enim renuntiatio nulla est. *C. 2. h. t. Gonz. in C. 4. h. t.* De quibus casibus latè agunt *Gloss. in C. 2. h. t. V. Coactus. Gonz. in C. 1. h. t. ex n. 17. & alij.* Quando metus non est incussus ad extorquendum actum, sive proveniat à causa morali sive libera, & quamvis gravissimus sit, non reddit actum nullum, nec rescindibilem, sed firmus utrique est, non obstante tali metu; *arg. C. 17. de Regular.* ubi valet votum factum metu mortis ab eo, qui morbo laborabat. Et ratio est, nam ille, qui actum facit ob metum, non impellitur ab alio ad talem actum, sed à se ipso, cum nullus tunc hujusmodi actum exigat, sed voluntariè eligitur à metu passo, ut medium ad evadendum periculum animæ, vel corporis. Sic *Sanch. de Matr. lib. 4. D. 12. ex n. 3.* ubi plures casus particulares, & Doctores illos probantes affert.

393 Si actus metu gestus est ipso jure nullus, probata nullitate, & declarata per Judicis sententiam, repetitur, ac restituitur quod datum, aut acceptum est. *C. fin. h. t.* Quando vero contractus, vel actus non est ipso jure nullus, sed est rescindendus: si metum passus jam tradiderat rem, & in illo actu est læsus, & damnum acceperit, & metus est gravis, ab extrinseco injustè illatus, & præsens, tunc talis metum passus habet actionem: *quod metus causa*, qua coram Judice petit, contractum, vel actum rescindi, sibique restitui suam rem cum fructibus ab inferente metum perceptis, & cum illis, quos ipse metum passus potuisset percipere, si non fuisset metus incussus: siquidem fuit causa talis damni. *L. 12. ff. de Eo, quod metus caus.* quam quidem actionem etiam habet contra tertium possidentem, licet metum non intulisset. *L. 14. §. 3. ff. de Eo, quod metus caus.* daturque hæc actio contra hæredes, quatenus ad eos pervenit, ne lucrum ex damno alieno consequantur. *L. 9. §. fin. l. 14. §. In hac, ff. de Eo, quod metus caus.* Et quatenus rei persecutionem continet, datur hæredibus, cœterisque successoribus. *L. 16. §. 2. ff. de Eo, quod metus caus.* Quod si res nondum sit tradita, & illam petat, qui metum intulit, repellendus est exceptione: *quod metus causa*, quia *cui damus actiones, eidem, & exceptionem competere multo magis quis dixerit. L. 156. ff. de Regul. jur.* De quo latè *Gonz. in C. 1. h. t. ex n. 21. Pichard. in §. 27. Instit. de Actionib.*

TIT. XLI.

De in integrum restitutione.

394 Restitutio est repositio in pristinum statum, in quo res fuit ante læsionem. *C. fin. 2. q. 2. L. 24. §. 4. ff. de Minor. l. 1. tit. 19. p. 6.* ibi: *E que revoque el juicio, que fuesse dado contra èl, è torne el pleyto en el estado, en que era ante, que lo diessen.* Et quidem hoc restitutionis remedium potest proponi

per modum *actionis*, seu *directè*, vel etiam *incidenter* per modum *exceptionis*. Et pendente restitutionis causa omnia in eodem statu debent manere. *L. un. C. h. t. l. 2. tit. 25. p. 3.* Et illa obtenta redintegrantur omnia, & reducuntur ad statum, in quo ante læsionem erant: quæ quidem restitutio utrique litiganti est communis, lædenti scilicet, & læso, ut unus non ferat lucrum, nec alter damnum recipiat. *C. 1. h. t. L. 24. §. 4. ff. de Minor. l. 8. tit. 19. p. 6.* Hinc est quod minor læsus in venditione, si restituatur, debet reddere non solum pretium emptionis, quatenus in ejus utilitatem est versum. *L. 10. C. de Prædijs minor.* Sed etiam expensas necessarias, & utiles bona fide ab emptore factas cum laboris æstimatione, & melioramentis. *C. 1. h. t.* Et quidem secundum pretium, quod habent tempore restitutionis, licet pluris valuissent, quando fuerunt facta. Non tamen tenetur restituere expensas voluptarias. *L. 32. §. 5. ff. de Administr. Tutor.* nec tenetur reddere mutuanti pecunias mutuo acceptas, quas ipse minor inutiliter prodegit. *L. 27. §. 1. ff. de Minor.* nec pretium acceptum ex venditione, si fuerit consumptum, quin minor sit locupletior factus. Quando minor donavit aliquod prædium, vel lucrosam hæreditatem repudiant, vel ex alio contractu lucrativo fiat restitutio: tunc deductis expensis, debent cum re simul fructus restitui, siquidem non solum in re, sed & in fructibus fuit minor læsus. *L. 24. §. 4. l. 27. §. 1. ff. de Minor.* Si vero per venditionem, vel alium contractum onerosum aliquid alienavit minor, ex quo læsio resultet, si hæc contingat ex pretij inæqualitate fructus restituendi sunt juxta proportionem pretij diminuti, quia hoc modo fuit læsus. *L. 27. §. 1. ff. de Minor.* Si verò læsio proveniat ex eo, quod rem illam alienari non expediat: v. g. si alienavit primogenitum, vel Castrum Gentilitium, sufficit restituere rem sine fructibus, quia pretium loco rei substitutum poterat tribuere lucrum fructibus correspondens; quod si ita factum non est, sibi hoc imputet minor. *Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 575. n. 6. Lessius, eod. lib. 2. cap. 17. ex n. 70.* contra *alios aliter sentientes.*

395 Hoc ergo remedium extraordinarium datur, quando ex facto, vel contractu minoris resultat læsio saltem mediocris in ipsius præjudicium. Nec enim sufficit quælibet modica læsio, ut hoc remedium detur: tum quia de modicis non curat Prætor. *L. 4. ff. h. t.* tum quia deterreret homines, ne contraherent cum minoribus, quod in magnum ipsorum detrimentum cederet. *L. 24. §. 1. ff. de Minor.* nec requiritur ad hoc remedium decernendum, quod læsio sit enormis, alias nullus favor minoribus fieret. *Menoch. de Arbitrar. cas. 74. n. 4. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 573. n. 9.* necesse tamen est, quod læsio, quæ hoc remedio indigeat, sit sufficienter probata, vel manifeste de ea constet. *L. 24. ff. de Minor.* Et quidem coram judice competente, præsente adversario, nisi contumaciter absit. *C. 5. h. t.* citatione, & litis contestatione præmissis. *C. 2. h. t. L. 47. ff. de Minor.* Et quod læsio, vel aliqua culpa adversarij, vel facilitate læsi, vel negligentia Procuratoris, seu Administratoris contigerit. Nec sufficit, si casu fortuito læsio accidit: *Nec enim aventus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas. L. 11. §. 4. ff. de Minor.* Insuper requiritur ad restitutionem decernendam, quod negotium sit Civile: nam in Criminalibus restitutio non datur: quia malorum mores non debet fovere restitutionis remedium. *L. 1. C. Si adversus delict.* Et certè actus, vel contractus debet esse validus, ut adversus illum petatur restitutio: Si enim est nullus; v. g. quia sine Curatore est celebratus, tunc competit remedium ordinarium nullitatis, nec habet locum restitutionis remedium. *L. 1. tit. 25. p. 3:* tum quia est rescissorium, quod supponit actum validum: tum quia est extraordinarium, quod mandatur habenti remedium ordinarium, nisi sit pinguius illo. *L. 16. §. 3. ff. de Minor.* Debet etiam actus esse rescindibilis, ut emptio, & venditio: si enim irrescindibilis est, ut matrimonium, ordinum susceptio, & professio religiosa, non habet locum restitutio. *Molin. de Just. tr. 2. D. 573. n. 6. & 8.* in his causis spiritualibus minor habetur tanquam si major esse. *C. fin. de Judic. in 6. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 37. n. 21.*

396 Minor læsus in quantitate pretij non solum potest petere supplementum pretij, sed etiam rescisionem contractus. Sic *Gonzal. in C. 1. h. t. n. 13. & alij ex C. 1. h. t.* ubi possessiones Ecclesiæ concessæ sub modico censu ad jus, & proprietatem illius jubentur redire. *L. 27. §. 1. ff. de Minor.* quia restitutio reponit rem in statu, quem ante læsionem habebat. Quod si læsio sit ultra dimidium justi pretij non solum competit remedium. *L. 2. C. de Rescind. vendit.* sed etiam restitutio

in

in integrum, si læsus ea velit uti: quia per *L. 2. C. de Rescind. vendit.* solum petitur alternative vel rescisio contractus, vel pretij supplementum, & electio est penes reum. At vero per restitutionem determinate peri potest rescisio contractus, si ita velit læsus, & apud ipsum electio est. Deinde: quia difficile est probare læsionem ultra dimidium, & ad restitutionem sufficit læsionem gravem probare, ac proindè hoc restitutionis remedium, ut pinguius in hac parte, licet extraordinarium sit, non excluditur per remedium ordinarium, *d. L. 2. C. de Rescind. vendit.* Datur ergo restitutio adversus venditionem prædij majorum suorum, si minor est læsus in retractu omisso. *C. 8. b. t.* adversus locationem, aliosque contractus onerosos, etiam adversus transactionem, compromissum, donationem irrevocabilem, etiam remunerationis causa factam, causæ tamen profanæ, secus causæ piæ. Etiam datur adversus solutionem, si non est Decreto Judicis firmata. *L. 32. §. 4. ff. de Administr. Tutor.* Etiam adversus aditionem hæreditatis damnosæ, & lucrosæ repudiationem: adversus sententiam latam omissa probatione, vel defensione. *C. 2. c. 3. b. t.* etiamsi à Papa sit sententia lata, si restitutio petatur prætextu erroris proprij. *C. 5. b. t.* Etiam adversus appellationis fatalia, usucapionem, confessionem propriam, si minor non est legitimè interrogatus, vel etiamsi legitime interrogatus sit, si confessus est crimen falsum: secus est, si legitimè interrogatus confessus est verum crimen. *L. 37. §. 1 ff. de Minor. l. 4. tit. 19. p. 6.* Etiam datur adversus tres sententias conformes, si petatur restitutio prætextu imprudentiæ, & imbecillitatis ætatis, secus si prætextu injustitiæ. *Covar. Pract. cap. 25. n. 7. Menoch. de Arbitr. cas. 9. n. 3.* etiam adversus adoptionem vel arrogationem, si bona minoris male administrentur; vel si ipse minor pravis moribus imbuatur. *L. 3. §. 6. ff. de Minor. l. 5. tit. 19. p. 6.* Restitutio etiam conceditur adversus lapsum quinquennij, in quo etiam major non reclamavit adversus suam professionem ratione ignorantiæ, vel alterius impedimenti. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 104. n. 18. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 37. n. 22.* contra *Cevall. Com. q. 500.* Et licet *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 19.* hoc videatur negare, loquitur solum de actione ordinaria, quæ non debet intendi elapso quinquennio. Secus est de remedio extraordinario, quale est restitutio, de qua in præsenti. De quibus omnibus agitur *in L. 5. & seqq. tit. 19. p. 6. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 573. Gonz. in C. 1. b. t. n. 10.* Si restitutio denegetur, non potest iterum ipsa neque coram Judice denegante, neque coram alio peti. *L. 1. C. Si sæpius*, quod si postea novæ emergunt detensiones potest concedi. *C. fin. b. t.* idem est, si minor omisit appellare à sententia denegationis restitutionis; nam tunc potest concedi restitutio ad appellandum contra talem sententiam. *C. fin. b. t. L. 6. tit. 19. p. 6. Et ibid. Greg. Lop. Deinde in l. 5. tit. 5. lib. 4. R. C.* sic habetur: *Ordenamos, y mandamos, que si por parte de los menores, ò de qualquier persona, ò Universidad, que de Derecho pueda pedir restitucion in integrum, se pidiere restitucion en la primera instancia para poner sus excepciones nuevas, que una vez tan solamente le sea otorgada la restitucion: con tanto, que la pidan antes de la conclusion para definitiva, y que por la misma sentencia le sea denegada otra restitucion. Et ibid. Aceved.* & præcipuè *in L. 3. tit. 8. lib. 4. R. C.* Quando post venditionem, vel locationem celebratam, & perfectam, justo pretio, & debitis solemnitatibus, alius majus pretium offerat minori, qui rem vendidit, non debet restitui: quia tunc non datur læsio: secus si celebrata fuit sine debitis solemnitatibus, & non justo pretio, etiam in publica subhastatione. *C. 8. b. t. L. 7. §. 8. ff. de Minor. l. 5. tit. 19. p. 6. Et ibid. Greg. Lop. Molin. de Just. tr. 2. D. 575 n. 9. Less. lib. 2. cap. 17. n. 69.*

397 Restitutionis beneficio gaudent. 1. minores, qui 25. annos ætatis nondum impleverunt. *L. 3. §. 3. ff. de Minor. L. 2. tit. 19. p. 6.* etiamsi Clerici sint, & beneficio Ecclesiastico renuntiarint, & etiamsi beneficium alteri jam sit collatum. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 573. n. 16.* contra *aliquos.* Et ratio est: quia fragile, & infirmum est hujus ætatis consilium, & multis captionibus obnoxium expositumque multorum insidijs, & ideo facile sibi nocere graviter possent in bonis suis, tum propria imperitia, tum aliorum malitia, aut negligentia. *L. 1. ff. de Minor. l. 7. tit. 19. p. 6.* 2. Hoc gaudent beneficio Ecclesiæ ob favorem publicum, & quia earum bona aliena industria curantur. *C. 1. c. 3. b. t. c. 1. c. 2. eod. in 6. L. 35. c. de Episcop. & Cleric.* nomine Ecclesiarum veniunt in præsenti, etiam Ecclesiæ inchoatæ, Monasteria, loca Religiosa, Congregationes, confraternitates, & quæcumque pia loca, & hospitalia, dum tamen Episcopi autho-

ri-

ritate erecta sint. 3. Clerici in bonis, & juribus suorum beneficiorum: quia hæc magis ad Ecclesiam, quam ad Clericos pertinent: secus est in bonis patrimonialibus. 4. Respublicæ, & oppida eodem beneficio funguntur. *L.* 4. *C. Quibus ex causis. Gonz. in c.* 1. *b. t. n.* 11. *contra aliquos.* Et clarè habetur *in l. fin. tit.* 19. *p.* 6. ibi: *Porque los bienes de las Eglesias, è de los Reyes, è de los Concejos se pierden, ò se menoscaban por culpa de los que los han à procurar, ò por engaño de los otros: E por ende fuè establecido antiguamente, que tales bienes ayan aquel previllejo, è aquella mejoria, que han las cosas de los Menores de veinte è cinco años. Et ibid. Greg. Lop.* V. *Concejos.* 5. Idem obtinet privilegium Princeps Supremus, non quidem quoad bona illius propria, sed quoad bona Principatus, coronæ aut fisci. *L. fin. tit.* 19. *p.* 6. *Et ibid. Greg. Lop.* V. *Reyes.* Hoc tamen privilegium, quod prædictis conceditur ad minorum exemplum est aliquo modo reale: Siquidem non præcisè conceditur ratione personæ, sed ratione damni, quod minor, vel Ecclesia patitur in bonis, & juribus suis; ac proindè etiam competit hæredibus minorum, qui illos repræsentant, etiamsi hæredes majores sint: ita ut intra tempus, quo minor posset, possint, & ejus hæredes restitutionem petere. *L.* 18. §. *fin. ff. de Minor. l.* 8. *tit.* 19. *p.* 6. sicut privilegium S. C. Vellejani concessum mulieribus fidejubentibus, transit ad ipsarum hæredes. *L.* 20. *C. ad. S. C. Vellejan.* regularitèr tamen hoc restitutionis beneficium non competit fidejussoribus minorum. *L.* 1. *C. de Fidejus. minor. L.* 5. *tit.* 19. *p.* 6. Cum enim fidejussor sit major, cautius prospicere sibi debuit, nec ita facilè spondere debebat: Nec minor tenetur fidejussori actione mandati pro eo, quod solvit. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 573. si non privilegiatus sit Socius, vel consors litis privilegiati, & res est dividua, hoc est, dividi potest, v. g. debitum centum aureorum, restitutio privilegiati non prodest Socio non privilegiato: proderit tamen, si causa, vel res sit individua, quæ scilicet, dividi nequeat. *Arg. L.* 10. *ff. Quemadmod. servit.* Tunc enim extenditur privilegium ob privilegiatum ad non privilegiatum, ne alias inutilitèr privilegium concessum videatur. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 573. *n.* 31. *Ayllon. in Addit. ad Gonz. & contra ipsum.* 2. *Var. cap.* 14. *num.* 10.

398 Minores, & qui eorum privilegio gaudent restitui possunt, si læsi sunt, & de eo constet, ex officio Judicis, etiamsi pars restitutionem non petat, vel etiam implorato Judicis officio. *L.* 24. §. *fin. ff. de Minor.* possuntque hoc remedio uti quamvis aliud remedium habeant. Quod si Tutore, vel Curatore interveniente læsi sunt, in eorum electione est, contra Tutorem, vel Curatorem experiri actione Tutelæ, vel Curatelæ, vel restitutionem petere. Majoribus quandoque conceditur restitutio; non tamen ex officio Judicis, sed ad instantiam partis, & quando alio remedio carent, nec Procuratorem, contra quem agant, reliquerunt: non tamen sufficit ipsis probare læsionem, sed requiritur justa causa ad talem restitutionem concedendam. Justæ causæ sunt: si quis fuit læsus, cum causa Reipublicæ absens erat, vel per justum metum, vel infirmitatem, vel violentam detentionem abfuit: vel si miles sit, vel persona, in qua juris ignorantia toleratur, ut rustici vel mulieres, vel quando quis ex necessitate, non ex voluntate agere non potest, vel denique quando alia justa causa ad restitutionem subsit. *L.* 1. *& seqq ff. Ex quibus caus. major. Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 574. *n. fin.* Sed non restituitur major adversus præscriptionem ex eo, quod invencibilitèr, & justè ignoret, rem suam præscribi. Ut contra *Bartol. & alios* tenent *Fachin. lib.* 1. *Controv. cap.* 69. *& alij.* Ex *c.* 6. *de Præscription. l. fin. C. de Fundis patrimon. lib.* 11. in quibus quadragenaria præscriptio omnem actionem, molestiam, & inquietudinem, ac proindè restitutionem in integrum excludit. Deindè: quia alias rarissimè locum haberet usucapio, si admitteretur talis restitutio: & ex præscriptione, quæ ad consopiendas lites est introducta novæ lites quotidiè exurgerent, & ex ipsis remedijs novæ damna orirentur.

399 Minores non gaudent restitutione. 1. Adversus professionem religiosam validam, nec adversus ordinationem validè factam, nec adversus matrimonium: quia hæc ex sua natura rescindi nequeunt: ac proindè non potest restitutio fieri: benè tamen conceditur adversus læsionem in dote, vel in alijs rebus acceptam. *L. un. C. Si adversus dotem.* 2. Si minor aliquid dolo malo in contractibus gessit: *Quia malorum mores infirmitas animi non excusat. L.* 1. *C. Si advers. delict.* 3. Si veniam ætatis impetrarunt. *L.* 1. *C. de His, qui ven. Ne hi, qui cum eis contrahunt principali authoritate circumscripti esse videantur.* Hæc quidem venia masculis 20.

formi-

fœminî. 18. ætatis anno completo concedi ſolet. *L.* 2. *C. de His, qui veniam.* Et licet hanc veniam imperrans non poſsit bona immobilia alienare ſine Judicis Decreto uſque ad 25. annum completum: ac proindè talia alienans ſine Decreto Judicis, cum contractus ſit nullus, reſtitutione non indigeat. Si tamen cum Judicis Decreto alienet, non gaudet reſtitutionis beneficio. *Molin. de Juſt. tr.* 2. *D.* 573. *n.* 4. 4. Si quando ſunt majores ratum habeant, quod cum eſſent minores, fecerunt. *L.* 1. *l.* 2. *C. Si major fact.* 5. Si doloſé ſe ſimulent majores; quia errantibus, non tamen fallentibus minoribus publica jura ſubveniunt. *L.* 2. *C. Si minor ſe maj. l.* 6. *tit.* 19. *p.* 6. 6. Si minor cum pubes jam ſit, contractum juravit. *C.* 28. *de Jur. jur. l.* 6. *tit.* 19. *p.* 6. 7. Si huic reſtitutionis beneficio, ut in ipſorum favorem inducto, juramento renuntiarunt. *L.* 29. *C. de Pactis.* 8. Si caſu fortuito, v. g. incendio rei emptæ læſus eſt minor, poſtquam contractum prudentèr geſsit: quia *non eventus damni reſtitutionem indulget, ſed inconſulta facilitas. L.* 11. §. 4. *ff. de Minor.* 9. Contra ſententiam, quæ pro libertate ſervi fuit contra minorem lata, hic non reſtituitur. *L.* 6. *tit.* 19. *p.* 6. 10. Si minor 25. annis, major tamen 20. ſe vendat ad pretium participandum: tunc enim non conceditur reſtitutio in integrum. *L.* 9. §. 4. *ff. de Minor.* 11. Nec contra ſolutionem minori factam Decreto Judicis. §. 2. *Inſtit. quibus alienare licet. L.* 4. *tit.* 14. *p.* 5. *Molin. de Juſt. tr.* 2. *D.* 224. *n.* 35. *Gomez Var.* 2. *cap.* 14. *n.* 4. Denique minor litteratus, ſeu Doctor non reſtituitur, ſi in puncto juris ſit læſus, & deceptus, ſecus eſt, ſi læſus ſit in patrimonij adminiſtratione. Et ſic poſſunt concordari DD. abſolutè ſentientes cum *Gonz. in c.* 1. *h. t. n.* 10. reſtitutione ipſum gaudere. Et DD. hoc abſolutè negantes cum *Gom.* 2. *Var. cap.* 14. *n.* 15. Minor adverſus minorem, & Eccleſia adverſus aliam Eccleſiam adhuc privilegio reſtitutionis gaudet, ſi unus minor, & Eccleſia ſit lædens, & alter minor, vel Eccleſia ſit læſa. *C.* 3. *h. t. l.* 11. §. 6. *ff. de Minor.* Nam licet privilegiatus non gaudeat privilegio contra paritèr privilegiatum quando utriuſque conditio par eſt. *L.* 12. *C. Qui potiores*, quando ſcilicèt, uterque eſt læſus, & ageret de damno vitando: v. g. ſi Titius minor Sejo minori pecuniam mutuam dediſſet, & hic prodigè eam abſumpſiſſet, non daretur Titio reſtitutio. *L.* 11. §. 6. *ff. de Minor.* Hæc tamen profecto datur, quando utriuſque eſt diſpar conditio, quando ſcilicèt, alter lædit, alter læſus eſt, quando unus agit de captando lucro, alius verò de vitando damno. *Barboſa Axiom. jur. axiom.* 190. *num.* 3.

400 Cum reſtitutio in integrum ſit actus mixti imperij, ſolum poteſt peti coram judice habente, ſaltem mixtum imperium. *C.* 9. *h. t. l.* 16. §. *fin. ff. de Minor. junct. Gloſ.* Et quidem competente reſpectu ejus contra quem petitur. *L.* 2. *C. Ubi, & apud quem.* Sive ſit competens ratione domicilij, vel rei ſitæ, vel contractus. *Covar. lib.* 1. *Var. cap.* 4. *n.* 1. *Molin. de Juſt. tr.* 2. *D.* 573. *n.* 23. nec intereſt, an judex ſit Ordinarius, an delegatus, ſi hoc ſpecialitèr ſit ipſi commiſſum. *L.* 3. *C. de Judic.* Clericus læſus in rebus patrimonialibus poteſt contra Laicum petere reſtitutionem coram Judice Sæculari: quia actor ſequitur forum rei. *C.* 8. *de For. compet.* ſi verò Eccleſia in rebus ſuis ſit à Laico læſa poteſt reſtitutionem petere vel coram Judice Sæculari, vel Eccleſiaſtico. *C.* 11. *de Rebus Eccleſ. non alienand.* Et quidem reſtitutio eſt petenda coram eo judice, qui contra minorem protulit ſententiam, vel coram ejus Superiori. *L. fin. tit.* 25. *p.* 3. non tamen poteſt peti coram delegatis non habentibus adminiſtrationem, ſed tantum facultatem judicandi, nec coram arbitris, niſi incidentèr. *C.* 9. *h. t. Arg. L.* 3. *C. de Judic.* Et judex debet partem adverſam citare, & ſic cognita cauſa, reſtitutionem concedat, vel neget. *L.* 2. *tit.* 25. *p.* 3. *l.* 8. *tit.* 19. *p.* 6. Minor reſtitutionem petens duo debet probare: Et damnum accepiſſe in bonis ſuis, ſive in contractu, ſive in ſententia, ſive quomodocunque; & ſe eſſe minorem 25. annis, cum illud accepit. *L.* 11. §. 3. *ff. de Minor. l.* 2. *l.* 5. *l.* 6. *tit.* 19. *p.* 6. ſive ſub Curatore, ſive ſine Curatore extiterit, & ejus authoritate contraxerit; quinimò etiamſi accedat Judicis Decretum adhuc reſtituetur minor, ſi læſus inveniatur. *L.* 11. *C. de Prædijs minor. l.* 1. *tit.* 25. *p.* 3. Tunc minores damnum accepiſſe creduntur, quando ipſi, quod habuerunt amiſerunt; aut quod adquirere emolumentum potuerunt, omiſerunt, aut ſe oneri, quod non ſuſcipere licuit, obligaverunt. *L.* 44. *ff. de Minor.* Poteſt minor læſus non ſolum per ſe, ſed etiam per Procuratorem reſtitutionem petere; debet tamen Procurator habere ad hoc, ſpeciale mandatum. *C.* 7. *h. t.* Qui verò habent adminiſtrationem

legi-

legitimam bonorum minorum, Ecclesiarum, vel Civitatum sine alio mandato possunt restitutionem petere, cum ex munere proprio illis administratio incumbat. Tales sunt Tutor, Curator, Prælatus, Æconomus, pater administrans bona adventitia filij. Non tamen admittuntur alij ad restitutionem petendam, etiam pro consanguineis nisi cum speciali mandato. Minores debent restitutionem petere cum authoritate Curatorum. *L.* 1. *l.* 2. *C. Qui legitim. l.* 2. *tit.* 25. *p.* 3. ibi: *Demandar pueden los guardadores entrega del juicio, que fuesse dado contra los Menores, ò ellos mismos, estando sus guardadores delante. E esso mismo puede facer su personero aviendo señalado mandado para esto.*

401 Antiquitus restitutio erat petenda intra annum utilem, nunc autem intra quadriennium petenda est: quod quidem currit diebus feriatis, & hac parte est continuum: non tamen currit justè impedito, sed deducitur tempus impedimenti: & hac parte est utile. *L. fin. C. de Tempor. in integr. restit.* Minori est numerandum tempus restitutionis ab anno 25. completo usque ad annum 29. completum. *L.* 8. *tit.* 19. *p.* 6. quod si veniam ætatis impetravit, numeratur quadriennium à die, quo hæc venia obtenta, & intimata ei fuit, nec testitui possunt minores elapso quadriennio, etiam ex justa causa. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 574. *n.* 3. Ecclesiæ, & Civitati incipit currere quadriennium à die læsionis factæ. *C.* 1. *c.* 2. *h. t. in* 6. *Cl. un. h. t. l. fin. tit.* 19. *p.* 6. & sufficit, quod intra quadriennium petatur restitutio, licet post plures annos concedatur. *C.* 5. *h. t. Et ibid. Gonz. n. fin.* regulariter tamen debet intra quadriennium finiri, & terminari causa restitutionis, nisi justa subsit causa. *Cl. un. h. t.* Si læsio in alienatione fuit ultra dimidium justi pretij, restituuntur Ecclesia, Civitas, & Rex intra 30. annos computandos à die alienationis. *L.* 9. *tit.* 19. *p.* 6. potest etiam post quadriennium Ecclesia restitui, si fraude, aut dolo læsio facta sit, vel alia rationabilis causa subsit. *C.* 1. *h. t. in* 6. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 574. *n.* 3. Et etiam adversus Prælati confessionem restituitur Ecclesia ultra quadriennium, justo errore probato. *C. fin. h. t. in* 6. ibi: *Ubi verò per viam communem revocationis erroris, quem in facto prætendit, vult adversus suam confessionem Ecclesia se juvare, hoc quandocunque poterit, donec negotium sit finitum.* Majoribus computatur quadriennium à die, quo cessat causa absentiæ, vel alterius impedimenti. *Glos. in Cl. un. h. t.* V. *A tempore.* nisi restitutio petatur ex causa metus, quæ actio uno anno finitur. *L.* 14. §. 1. *ff. de Eo, quod metus caus.* vel si ex dolo petatur: quæ finitur biennio continuo. *L. fin. C. de Dolo malo.* Quando verò nullum est justum impedimentum, elapso quadriennio, cessat omninò restitutio, nec per modum exceptionis potest opponi; quia cum sit in potestate læsi restitutionem petere, non petendo censetur, huic privilegio in ejus favorem introducto, renuntiare. Nec habet locum regula. Text. *in l.* 5. §. *fin. ff. de Dol. mal. & met. except.* scilicèt, quod ea, quæ temporalia sunt ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum. *Gonzal. in c.* 1. *h. t. n.* 9. ob rationem dictam.

402 Quando Ecclesia, Civitas, vel Universitas, vel minor læsionem patiuntur sine culpa Prælati, Procuratoris, vel Curatoris, solum possunt restitutionem in integrum intendere, nullam tamen habent actionem contra Prælatum, vel Procuratorem, vel Curatorem, quia nulla in eis datur culpa. *L.* 47. *ff. de Minor.* Si verò hæc detur possunt Ecclesia, Civitas, & Minor intentare alternativè, vel restitutionem, vel actionem contra Prælatum, Procuratorem, vel Curatorem, quod si ex una via obtinuerunt, non possunt potere ex alia. *L.* 39. §. 1. *ff. de Minor. l.* 2. *tit.* 19. *p.* 6. si culpa Procuratoris provenisset læsio, contra ipsum determinatè agitur, & solum, quando solvendo non est, petitur restitutio. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 573. *n.* 5. *Greg. Lop. in l.* 2. *tit.* 19. *p.* 6. V. *De su guardador.*

TIT. XLII.

De Alienatione judicij mutandi causa.

403 Quoties in judicijs realibus alienata, vel cessa est res, vel in judicijs personalibus alienata, vel cessa est actio ad rem, de qua timetur movenda lis, si per talem alienationem, vel cessionem fiat deterior conditio debitoris, quia alienatio facta est in alium potentiorem, vel cavillosum, vel in hominem alterius Provinciæ, vel in Clericum ob mutationem fori: & talis alienatio fiat animo doloso, & intentione, ut conditio actoris, vel petitoris fiat durior; & re ipsa ejus conditio ob quali-

tatem

tatem adversarij substituti fiat deterior: tunc potest læsus, cujus interest, intentare actionem Prætoriam in factum adversus alienantem, ad id, quanti nostra interest, non habere alium adversarium: & ad refectionem impensarum, aliaque damna. *L.* 1. *& seqq. ff. h. t. l.* 30. *tit.* 2. *p.* 3. Siquidem *alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri. L.* 74. *ff. de Reg. jur. C.* 33. *eod. in* 6. *Gonz. in C.* 2. *h. t. n.* 8. Etiam datur actio in rem, quæ utilis rei vindicatio dicitur. *L. un. c. h. t.* & competit læso contra possessorem rei alienatæ; quin & adversus alienantem, qui dolo desijt possidere: quia qui dolo desijt possidere pro possessore habetur *L.* 131. *ff. de Reg. jur.* Utraque actio, cum sit rei persecutoria, competit hæredibus læsi. *L.* 4. §. *fin. ff. h. t.* Sed quia videtur provenire ex delicto, non competit contra hæredes alienantis, nisi quatenùs ad eos pervenit. *L.* 7. *ff. h. t.* At verò de Jure Canonico *in C.* 1. *h. t.* Is, in quem facta est alienatio rei causa mutandi judicij, convenitur per rescriptum impetratum contra alienantem, etiamsi illius nulla fiat mentio in rescripto. Et *in C.* 2. *h. t.* sub censura prohibetur Clericis has alienationes, vel cessiones facere. Quæ omnia comprobantur *ex L.* 30. *tit.* 2. *p.* 3. ibi: *Otrosi decimos, que si alguno, temiendo que le demandaràn en juicio alguna cosa que tiene, la enagenare à otro mas poderoso, que si, ò que sea de otro fuero, por facer mas trabajàr al que entiende que le quiere mover pleyto sobre ella, que puede el demandador demandar al que la tuviere. Otrosi puede demandar al que la enagenò quanto daño le vino por razon de aquel enagenamiento: pero si non quisiere facer la demanda à aquel que tiene la cosa, bien puede demandar la valia de ella à aquel que la enagenò. Mas despues que este precio, que diximos, llevare del enagenador, non puede despues demandar al que la cosa tiene. L.* 15. *tit.* 7. *p.* 3.

404 Nomine alienationis venit in præsenti omnis actus, per quem in alium transfertur dominium rei, sive ex titulo oneroso, sive ex titulo lucrativo. *L.* 1. *C. de Fund. dotal.* vel etiamsi transferatur tantum possessio, v. g. si quis rem alienam vendat, locus est huic Edicto. *L.* 8. §. 2. *ff. h. t.* Etiam extenditur ad manumissionem servi, ad servitutes tàm reales, quàm personales, & alia hujusmodi. *Gonz. in C.* 2. *h. t. n.* 11. Si quando res alienatur, lis jam est mota, talis alienatio est ipso jure nulla. *L.* 2. *C. de Litigios.* ac proindè non est necessaria hæc actio. *Gonz. in C.* 2. *h. t. n.* 10. Nec itidem habet locum hoc remedium. 1. Si res, de qua lis timetur, non alienetur per contractum inter vivos, sed per ultimam voluntatem. 2. Si non judicij mutandi, sed ex alia causa alienetur, v. g. ad fugiendas litis molestias, vel ob debita solvenda, vel ob infirmitatem, vel senium, &c. *L.* 4. §. 3. *ff. h. t.* 3. Si quis non alienavit rem, sed tantum eam locavit, commodavit, vel deposuit. 4. Si alienatio non fuit dolo malo facta. 5. Si nihil intersit petitoris, rem esse alienatam.

TIT. XLIII.

De Arbitris.

405 ARbiter *ab arbitrando, seu existimando*, dicitur, & licet aliquando hoc nomine vocetur Judex, præcipuè in actionibus bonæ fidei, ut probat *Gonz. in C.* 1. *h. t. ex n.* 8. in præsenti tamen arbiter ille dicitur, qui cum Judex non sit, eligitur, ut circa rem aliquam controversam suum judicium proferat, suoque judicio, vel sententia controversiam dirimat, ut sic litis expensis parcatur, & sine publico judiciorum strepitu quieti, & paci consulatur. *L.* 4. *tit.* 21. *lib.* 4. *R. C.* Arbitri jure partitarum dicuntur *Avenidores, ò Juezes de Avenencia.* Arbiter ergo alius est *juris*, alius *compromissarius. Arbiter juris*, qui & *necessarius* dicitur, quia potest compelli ad hoc munus suscipiendum, est ille, qui ex juris dispositione assumitur: ut accidit in casu, quo Judex est suspectus. *C.* 39. *de Offic. Deleg.* & quando diversi Judices super revocatione rescriptorum discordant. *C.* 14. *de Rescript.* Arbitri juris magnam cum Judicibus affinitatem habent, gaudentque quadam jurisdictione, quasi media inter ordinariam, & delegatam, possuntque partes citare, examinare testes, litis contestationem, & juramentum calumniæ, aliaque hujusmodi exigere, & facere. *C.* 39. *de Offic. Deleg. Et ibid. Glos. V. Apud quos omnia. L.* 23. *tit.* 4. *p.* 3. & reconventionem possunt admittere, si non sunt electi ad determinatum articulum; *arg. C.* 1. *de Mutuis petit. Compromissarius*, qui & *voluntarius* dicitur, quia non tenetur hoc munus suscipere, est ille, qui ex conventione partium eligitur, ut rem determinet. *C.* 1. *c.* 7. *h. t.* Et hinc *compromissum*, & *arbitrium* pro eodem sumuntur. *L.* 1. *ff. de Recept. qui arbitr.* Ex his tamen arbitris alij assumuntur, ut rem determinent ser-

vato ordine judiciario, citando partes, examinando testes, &c. tanquam si Judices essent. *L.* 23. *tit.* 4. *p.* 3. Et hi *in ff. & Cod. arbitri recepti* vocantur, quia ex recepto, id est, ex Compromisso eliguntur ad controversiam dirimendam. *L.* 14. *C. de Judic.* Alij assumuntur à partibus, ut controversiam dirimant, ordine judiciario non servato, & dicuntur *arbitratores, vel amicabiles compositores.* *L.* 23. *tit.* 4. *p.* 3. *l.* 4. *tit.* 21. *lib.* 4. *R. C.* quamvis hi antiquitus potius ad negotia extrajudicialia, quam ad lites dirimendas constituerentur. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 14. Et licet à principio nullus compellatur compromissum acceptare, post ipsum tamen susceptum, illud adimplere tenetur, & ad hoc potest à Judice ordinario compelli. *L.* 3. §. 1. *ff. h. t. l.* 29. *tit.* 4. *p.* 3. nisi aliqua legitima causa ad illud repudiandum superveniat: qualis est infirmitas, absentia, occupatio propriorum negotiorum, munus publicum, inimicitia capitalis inter litigantes, & compromissarium orta. Vel si Judex fiat rei, super qua est factum compromissum, vel si litigatores arbitrum infamarunt, vel si ejus spreta authoritate litigatores ad Judicem ordinarium, vel ad alium arbitrium accesserunt, vel si alia similis causa subsit. *L.* 9. *l.* 10. *l.* 15. *l.* 16. *ff. h. t. l.* 30. *tit.* 4. *p.* 3. sanè compromissum fieri potest voce, vel nutu, inter præsentes; vel per Epistolam, aut nuntium inter absentes: potestque fieri pacto nudo, vel stipulatione, vel juramento, vel sine eo, vel adjecta pœna, vel sine illa.

406 Arbiter compromissarius differt à Judice, quia ipse jurisdictionem non habet, cum à compromittentibus constituatur, qui, ut privati, nequeunt jurisdictionem dare. *L.* 3. *C. de Jurisd.* nec propriè potest citare partes, nec testes ad testimonium dicendum compellere, nec partes coercere: nec Procurator coram arbitro litigans tenetur cavere, Dominum rem ratam habiturum, cum possit non stare sententiæ solvendo pœnam. *L.* 32. §. 20. *ff. h. t.* nec valet sententiam altera parte absente proferre. *L.* 27. *tit.* 4. *p.* 3. nec sententiam à se latam exequi: nec ex tali sententia oritur actio, vel exceptio rei judicatæ, sed tantum pœnæ petitio. *L.* 2. *C. h. t.* nec potest causam delegare, nec ab ipso appellatur. *L.* 1. *C. h. t.* nec ejus sententia in causa furti, vel injuriæ, vel alijs hujusmodi criminibus infamat condemnatum. *L.* 13. §. 5. *ff. de his, qui notantur.* Quæ omnia secus se habent in Judice, qui cum publica jurisdictione gaudeat, potest partem mulctare, denegareque audientiam ob contumaciam, testes compellere, illosque punire, si falsum deponat, sententiam exequi, & alia ad suum munus necessaria facere potest. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 10. Arbitrator etiam in hoc, quod est jurisdictione carere, differt à Judice. Et ab arbitro in eo, quod nec ordinem judiciarium debet sequi, sed de plano, partibus auditis, inquisitaque veritate per allegationes, & instrumenta, magis defacto, quam de jure litem dirimere debet, sententiam proferendo ex bono, & æquo prout voluerit juxtà suum judicium, & conscientiam. *L.* 23. *tit.* 4. *p.* 3. potestque rem, de qua est controversia inter litigantes dividere; *arg. C.* 2. *de Præsumption.* §. 20. *Inst. de Action.* vel etiam ipsam victoriam, ita ut omnes contenti maneant, & lis sopiatur, ut fecit Palæmon inter Menalcam, & Damætam apud *Virg. Eclog.* 3. *Non nostrum inter vos tantas componere lites: & vitula tu dignus, & hic.* *L.* 23. *tit.* 4. *p.* 3. ibi: *La otra manera de Juces de avenencia es, à que llaman en latin Arbitratores: que quiere tanto decir, cómo alvedriadores, è comunales amigos, que son escogidos por avenencia de amas las partes para avenir, è librar las contiendas, que ovieren entre si, en qualquier manera, que ellos tovieren por bien: è de avenirlas en qual manera quisieren.* Et *ibid. Greg. Lop.* notat: non enim arctatur, ut arbiter, ut pronuntiet secundum jus: sed pro bono pacis potest auferre de jure unius, & dare alteri: ut *in C. Cum essent,* 21. *de Præbend.*

407 Nemo potest compelli in arbitros compromittere. *C.* 1. *h. t.* Princeps tamen Supremus cogere subditum ad compromittendum potest in his, quæ liberæ ipsius dispositioni subsunt, & etiam Judex in causis valdè difficilibus, & controversis, & quæ sine scandalo vix possunt expediri. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 3. semel autem in arbitros facto compromisso, non potest causa coram Judice discuti invita altera parte: & hoc intendens repelletur exceptione arbitrij pendentis, & pœna adversus eum committenda. *L.* 30. *ff. h. t.* Et regulariter omnes, & eodem modo, quo liberam administrationem suorum bonorum habent, possunt compromittere; *arg. C.* 5. *h. t. l.* 25. *tit.* 4. *p.* 3. scilicet, paterfamilias, & etiam filius in peculio Castrensi, vel quasi Castrensi: & minor, si curatore careat, læsus tamen restituitur. *L.* 25. *tit.* 4. *p.* 3. Prælatus potest compromittere super rebus mobilibus non pretiosis, & quidem si per compromissum non alie-

alienet, sed retineat, etiam compromittere valet super rebus immobilibus, & mobilibus pretiosis. Hinc à contrario, compromittere prohibentur furiosus, prodigus, servus, filius familias super peculio adventitio, vel profectitio, Tutores, & Curatores super rebus, quas nequeunt alienare sine debita solemnitate, Parochus, vel alius quicumque beneficiatus in præjudicium Ecclesiæ, vel beneficij, sine Episcopi consensu. *C.* 3. *b. t.* Procurator sine speciali mandato. *C.* 9. *b. t.* Prælatus nisi adhibitis solemnitatibus ad alienandum necessarijs, quando per compromissum potest perveniri ad alienationem rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum. *C.* 3. *c.* 5. *b. t. Et ibid. Gonzal. & alij* contra *Durand. & alios.* Vassallus sine licentia Domini, nec possessor primogenij, vel vinculi super rebus majoratus, cum non possit eas propria authoritate alienare. Pupillus sine Tutoris authoritate: quia ab illo non potest peti pœna, nisi fidejussorem det, à quo pœna petatur. *L.* 35. *ff. b. t.* Minor Curatorem habens sine ejus authoritate, & Judicis Decreto super rebus immobilibus, & mobilibus pretiosis: & restituitur læsus, etiamsi Curatore authore compromiserit. *L.* 34. *§.* 1. *ff. de Minor. l.* 25. *tit.* 4. *p.* 3.

408 Similiter omnes, qui specialiter non prohibentur, possunt esse arbitri; & quidem unus, vel plures, pares, vel impares. *C.* 3. *c.* 12. *b. t. L.* 17. *ff. de Recept. qui arbitr.* Judex proprius ordinarius, etiam de Jure Canonico arbiter potest esse. *C.* 5. *c.* 7. *c.* 10. *b. t.* secus de Jure Civili. *L.* 4. *ff. de Recept. qui arbitr.* & de Jure Hispano. *L.* 24. *tit.* 4. *p.* 3. *l.* 9. *tit.* 6. *lib.* 3. *R. C. & ibid. Aceved. n.* 4. *Gonzal. in C.* 5. *b. t. n.* 3. Etiam possunt arbitri esse filius familias, etiam in causa patris: infamis, ingenuus, vel libertinus, privatus, vel constitutus in dignitate, vel officio publico. *L.* 3. *ff. de Recept. qui arbitr. Gonz. in C.* 3. *b. t. ex n.* 8. Et licet in numero pari possint eligi, expedit, quod in numero impari eligantur: quia cum homines valde faciles sint ad dissentiendum, hoc modo inveniatur major pars in una sententia, quam in alia, & ejus arbitrio stabitur. *L.* 17. *§.* 6. *ff. de Recept. qui arbitr. C.* 1. *b. t. L.* 29. *tit.* 4. *p.* 3. nequeunt tamen arbitri esse furiosus, servus, pupillus, surdus, mutus, minor 20. annis. *L.* 7. *l.* 9. *l.* 41. *ff. de Recept. qui arbitr.* Et nullus in sua causa potest esse arbiter, sicut nec Judex. *L.* 51. *ff. de Recept. qui arbitr. l.* 24. *tit.* 4. *p.* 3. Etiam prohibentur excommunicatus vitandus; *arg. C.* 59. *de Sent. excom.* Si tamen in ipsum partes compromiserint, & ipse pronuntiet, valet probabilitèr laudum, seu sententia, cum non sit actus jurisdictionis. *Suar. de Censur. D.* 16. *sect.* 1. *n.* 6. Mulier. *L. fin. C. b. t.* nisi sit Regina, Ducissa, Abbatissa, vel alias jurisdictionem habens; nam tunc potest utique arbitra esse. *C.* 4. *b. t. Molina de Just. tr.* 5. *D.* 39. *n.* 4. Religiosus sine Superioris licentia. Laicus in causa spirituali. *C.* 8. *b. t.* potest tamen conjunctim in cum Clerico, cum licentia Judicis Ecclesiastici. *C.* 9. *b. t.* quia dignius trahit ad se minus dignum. Sed non omnes, qui esse arbitri prohibentur, sunt consequenter prohibiti, ut sint arbitratores, seu amicabiles compositores. Siquidem potest quis esse in sua causa arbitrator. *L.* 24. *tit.* 4. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop.* Deinde Religiosus potest esse arbitrator; *arg. C.* 89. 11. *q.* 3. *Gonz. in c.* 8. *b. t. n.* 4. & Laicus in re spirituali. *Bobad. Polit. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 240. & fœmina potest arbitratrix esse; *arg. C.* 4. *b. t.* Et ratio discriminis in his casibus est, quia arbitria ad formam judiciorum sunt redacta: secus arbitramenta: & ideò illa strictiora sunt. Et hinc etiam provenit, quod arbitrator possit in die feriato sententiam proferre. *L.* 32. *tit.* 4. *p.* 3. licet satius sit hoc non facere. Etiam de Jure Hispano Judex Ordinarius potest esse arbitrator. *L.* 24. *tit.* 4. *p.* 3.

409 Potest itidem compromissum fieri in omnibus causis non prohibitis, quin & in causa pendente coram judice compromitti potest. *L.* 24. *tit.* 4. *p.* 3. Prohibetur tamen compromissum fieri in causis matrimonialibus, ne matrimonia contra Sacrorum Canonum dispositionem concilientur, aut dissolvantur, *C.* 9. *de In integr. restit.* Etiam in beneficialibus, ne beneficia sine Canonica institutione adquirantur contra Text. *in C.* 1. *de Reg. jur. in* 6. idem est in causis liberalibus, in quibus de hominis libertate, ingenuitate, vel servitute agitur: nam hæ causæ ob suam gravitatem majores Judices postulant. Nec causa restitutionis in integrum cadit in compromissum, nisi incidenter tractetur. *C.* 9. *de In integr. restit. L.* 24. *tit.* 4. *p.* 3. nec causa exemptionis. *C.* 5. *b. t.* Nec quæ transijt in rem judicatam. *C.* 11. *b. t.* nisi forte ipsi renuntiet pars, in cujus favorem fuit lata sententia. Et in casibus, quos affert *Aceved. in L.* 4. *tit.* 21. *lib.* 4. *R. C. ex n.* 20. Nec in compromissum veniunt Causæ Criminales criminali-

ter intentatæ. *C. 9. de In integr. restitut.* quia crimina publica authoritate condignè sunt vindicanda. Nec aliæ causæ spectantes ad Regnum, Civitatem, vel communitatem, ne privatorum pactionibus jus publicum lædi contingat. *L. 24. tit. 4. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. Molina de Just. tr. 5. D. 40.*

410 Cum tota potestas arbitri ex compromisso pendeat. *L. 32. §. 15. ff. de Recept. l. 23. tit. 4. p. 3.* si ejus limites excedat nihil agit. *L. 21. §. 6. ff. de Receptis, l. 26. tit. 4. p. 3.* scilicet, respectu illius puncti, in quo excedit; secus respectu aliorum ab illo independentium; *arg. C. 37. de Reg. jur. in 6.* ubi dicitur, *quod utile non debet per inutile vitiari.* ideo arbiter non potest sibi alium substituere, nisi hoc in compromisso sit concessum expressè: nec de causa reconventionis cognoscet, nisi in compromisso exprimatur. *C. 6. b. t.* potest tamen arbiter ad unam causam electus, cognoscere de connexis cum ea, quæ quasi intrinseca causæ sunt; v. g. de exceptionibus tàm dilatorijs, quàm peremptorijs: de interesse tàm actoris, quam rei; *arg. L. 11. ff. Judicatum solvi*: de fructibus rei. *L. 35. §. 1. ff. de Rei vindicat. l. 32. tit. 4. p. 3.* de sumptibus litis. *Gonz. C. 6. b. t. n. 4.* & de alijs hujusmodi in reliquis tamen fines mandati diligentèr servabit. *L. 5. ff. Mandat.* Non tamen valet arbitrium, in quo arbitris præscribitur sententia necessario pronuntianda juxta id, quod alius tertius dixerit: nam sententia debet esse libera ipsis judicantibus. *L. 17. §. 3. ff. de Receptis*: quamvis arbitri debeant in dubijs doctiores consulere. *L. 28. tit. 4. p. 3.* Imò & aliquando tenentur alterius consilium exquirere: non tamen necessario illud sequi. *C. 7. b. t.* Si compromissum fiat nudo pacto, tunc in nostra sententia competit actio ad interesse Jure Canonico. *C. 1. de Pactis*: in Jure tamen Civili nec actio, nec exceptio ex tali compromisso dabatur. *L. 2. ff. de Receptis*, postea vero, non solum exceptio reo, sed & actori actio in factum dabatur. *L. 5. C. b. t.* Etsi *laudum* (sic arbitrorum appellatur sententia, sicut sententia arbitratorum dicitur *arbitramentum*) sit *homologatum*, id est, si receptum sit, vel expresse, vel tacitè per silentium decem dierum, oritur exceptio, & actio in factum, tanquam ex re judicata, quæ exequenda est. *C. 9. b. t. L. 24. l. fin. tit. 4. p. 3.* Si in compromisso sit adjecta pœna transgressori, potest compromittens recedere ab arbitri sententia, soluta pœna. *L. fin. tit. 4. p. 3.* etiamsi compromissum juratum sit: nam juramentum sequitur naturam actus cui accedit. *C. 25. de Jur. jur. C. 2. de Sponsal.* Si sententia homologata sit expresse debet stare compromittens sententiæ: nam hoc elegisse censetur. Si sit adjecta clausula *de rato manente compromisso, & arbitrio super eo lato*, & ad sententiam, & ad pœnam tenetur; *arg. L. 16. ff. de Transact. Molin. de Just. tr. 5. D. 35.* Si nulla adjecta pœna in compromisso, apponatur juramentum de stando sententiæ, partes compelluntur arbitrium servare. *C. 2. b. t.* idem est ex Jure Codicis. *L. 4. C. b. t.* secus de Jure Civili noviori. *Auth. Decernit. C. eod.* Denique Jure Regio Hispano post varias Constitutiones, statutum est, ut arbitrorum sententia, non solum actionem producat, verum, & paratam habeat executionem, ita ut statim exequi debeat. *L. 4. tit. 21. lib. 4. R. C.* ille tamen qui executionem petit, debet fidejussoribus datis cavere, se restituturum omnia in arbitrio comprehensa cum fructibus, si arbitrium non confirmetur à Superiori. *L. 2. tit. 21. lib. 4. R. C.* quæ cautio apud practicos dicitur: *La fianza de la Ley de Toledo*; ac proindè, si à tali sententia appelletur, illa appellatio solum effectum devolutivum, non verò suspensivum habebit.

411 Quando plures assumpti sunt arbitri, de Jure Civili (quod in suo foro servandum est) omnium præsentia ad laudi valorem requiritur. *L. 17. §. fin. ff. de Receptis*: nam potest præsentia absentis alios in suam sententiam trahere: secus est, si adjiciatur hæc clausula: *Quod uno, vel altero absente, cæteri nihilominus procedere valeant*, nam tunc laudum alijs absentibus, à præsentibus pronuntiatum valeret. *L. 32. §. 13. ff. de Recept. l. 32. tit. 4. p. 3.* De Jure tamen Canonico, si major pars adsit, & reliqui requisiti, ex negligentia, vel malitia interesse nolint, possunt præsentes causam definire. *C. 2. b. t. in 6.* Et hoc in foro Ecclesiastico servandum est. Si ex tribus arbitris duo aliquem in decem, tertius in quinque condemnent, sententia duorum prævalere debet: quando verò unus in 15. alius in 10. & tertius in 5. pronuntiant, prævalet sententia istius tertij, qui circa minorem summam pronuntiavit, cum in illa omnes concordes existant. *C. 1. b. t. in 6.* quod si omninò arbitri dissentiant, ita, ut in nullo possint concordari, nullius sententia valet. Si arbitri utrimque numero pares dissen-

sentiant non habent facultatem eligendi tertium, ne in ipso etiam eligendo dissentiant. *C. 12. h. t.* Sed Judex ipsos compellet ut tertiam personam certam eligant, vel assumant designatam à partibus coram ipsis litigantibus, ut ejus authoritate res terminetur. *L. 17. §. 6. ff. de Recept.* Et ab initio possunt ipsi litigantes aliquem tertium, pro casu discordiæ assignare. *L. 26. tit. 4. p. 3. Gregor. Lop. ibid.* Cum hodie arbitria ad similitudinem Judiciorum sint redacta. *L. 1. ff. de Recept.* arbiter debet tanquam Judex procedere. Hinc debet partes citare, & facere, quod lis utrimque contestetur; jubet præstare juramentum calumniæ, & testes examinari, potestque contumaces non comparentes, punire. *L. 39. ff. de Recept. l. 33. tit. 4. p. 3.* nisi habeant legitimum impedimentum. Et utriusque partis probationes recipiet. *L. 23. tit. 4. p. 3.* Causa, de qua est compromissum, terminanda est in loco, in quo est factum ipsum compromissum, si honestus, & decens sit, nec alius sit determinare in compromisso assignatus; nam tunc in eo causa erit terminanda. *L. 21. §. 6. ff. de Recept. l. 27. tit. 4. p. 3.* potestque arbiter compromittentes citare, & evocare ex alieno Territorio; quod ex conventione partium provenit. Non debet sententia in Ecclesia pronuntiari, quinimò laudum, vel sententia lata in Ecclesia non valet; *arg. C. 2. de Immunitat. Eccles. in 6.* nec lata in ferijs in Dei honorem institutis; *arg. L. 3. C. de Ferijs.* Imò nec sententia in ferijs Legalibus pronuntiata. *L. 32. tit. 4. p. 3.* Debet similitèr arbiter sententiam ferre juxta Leges, jura, statuta, & consuetudines loci, nec aliter valet ejus sententia si dolo proferatur, & de hoc constet. *C. 2. h. t.* Nec potest sententiam semel, etiam malè pronuntiatam, corrigere, cum jam sit suo functus officio. *L. 19. §. 2. l. 20. ff. de Recept.* Si arbiter proferat sententiam injustam, & reus contra quem est lata conveniatur actione ex stipulatu adsolvendam pœnam promissam, potest petentem repellere exceptione doli mali. *L. 31. ff. de Recept.* Si reus ultra dimidium justi pretij lædatur potest agere ex remedio. *L. 2. C. de Rescind. vendit.*

412 Arbitrium varios effectus producit: nam præscriptionem interrumpit. *L. 5. §. 1. C. h. t.* acta coram arbitrio retinent vim probandi in quolibet judicio inter eosdem compromittentes. *L. 5. §. fin. C. h. t.* & compromittentibus ex laudo, vel sententia arbitri competit actio, & exceptio, non quidem judicati, sed in factum ex compromisso. *L. 1. C. h. t. & ipsi tenentur stare, & parere arbitri sententiæ. L. 27. §. 2. ff. de Recept. qui arbitr.* ibi: *Stari autem debet sententiæ arbitri, quam de re dixerit, sive æqua, sive iniqua fuit, & sibi imputet, qui compromisit: nam & Divi Pij rescripto adjicitur: vel minus probabilem sententiam æquo animo ferre debet. L. fin. tit. 4. p. 3.* nisi sententia sit lata extra formam in compromisso præscriptam. *C. 6. h. t.* vel contra Leges aut Canones. *C. 2. h. t.* vel si dolo pronuntiata est. *L. 3. C. h. t.* vel si iniquitas est notoria: nam in his casibus non valet sententia. *L. 34. tit. 4. p. 3.* nec debet servari, si continet enormissimam læsionem, imò etiam si tantum enormem læsionem, & citra dolum contineat; juxta *Molin. de Just. tr. 5. D. 30. ex C. 2. c. 3. h. t. L. 78. l. 79. ff. pro Socio*: quos Textus intelligunt alij de sententia non homologata. *L. 5. §. Sin autem, C. h. t.* quæ potest ad arbitrium boni viri reduci; secus de homologata: quia compromittentes videntur transigere, & desistere ab ulteriori causæ prosequtione, & arbitri sententiæ acquiescere. *L. 27. §. de Recept. qui arbitr.* sententiæ vero arbitratoris non tenetur stare pars læsa, quamvis læsio non sit enormissa: sed quoties apparet iniqua, potest usque ad 30. annos peti reductio ad arbitrium boni viri; quia partes solum censentur in arbitratorem consentire; quia credunt, ipsum rectè arbitraturum. *L. 76. ff. pro Socio.* Deinde sententia arbitri finem imponit liti, quod si injusta notorie sit, ultra exceptionem doli mali, & remedium, ex *L. 2. C. de Rescind. vendit.* ut jam diximus, potest insuper reus ab ipsa sententia appellare, etiamsi compromissum sit juramento firmatum. Vel potest reductionem ad arbitrium boni viri petere: quod est quasi appellare, etiamsi compromittentes jurassent, talem reductionem non petere: nam juramentum non debet esse vinculum iniquitatis; expedit tamen relaxationem petere. *L. 24. tit. 4. p. 3.* ibi: *E librando de esta guisa, valdra lo que ficiesse: è si cosa desmesurada mandasse, debese enderezar por alvedrio de Omes buenos, è non seria tenudo el otro de fincar por ella: maguer el pleyto oviesse metido en su mano, e jurado de facer lo que èl por bien toviesse.* Nomine boni viri in præsenti intelligitur Judex Ordinatius, coram quo agendum fuisset. Si non esset compromissum. *L. 23. tit. 4. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. V. Omes buenos.* cum enim talis re-

reductio non sit propriè appellatio, cum non præcesserit actio judicati non est ad Superiorem arbitri interponenda: sed est tantum quasi quædam provocatio ad Judicem competentem, qui in tali casu est ille, qui Judex causæ futurus erat, si lis in judicio disceptaretur. Si sententia à qua est appellatum, vel petita reductio confirmetur, debet, qui succubuit, pœnam solvere. *L. 38. ff. de Recept.* si non confirmetur arbitrorum Sententia, non debetur pœna. *L. 3. tit. 26. lib. 8. R. C.* Quando igitur Judex Ordinarius confirmat sententiam, à qua est appellatum, vel petita reductio, potest comptomittens condemnatus appellare ad Judicem Superiorem, vel ad Regiam Cancellariam, quod si ejus Senatores prima sententia confirment sententiam arbitrorum, non admittitur appellatio, seu supplicatio à tali Cancellariæ sententia. Si revocetur arbitrorum sententia, potest à sententia revocatoria Cancellariæ, *Hispanè*: *de Vista*, appellati, seu supplicari: & tunc ultima sententia Cancellariæ, *Hispanè*: *de Revista* executioni mandatur. *L. 4. tit. 21. lib. 4. R. C.* ibi: *Mandamos, que luego, que la tal sententia arbitraria fuere dada, de que la Parte pidiere execucion, se execute libremente pareciendo, y presentandose el Compromisso, y Sentencia signada del Escribano publico, y pareciendo que fuè dada dentro del termino del Compromisso, y sobre las cosas sobre que fuè comprometido, y que la Parte sea satisfecha de aquello sobre que fuè sentenciado en su favor, haciendo obligacion, y dando fianzas llanas, y abonadas ante el Juez, ò Jueces, ante quien se pidiere, ò oviere de executar la sentencia de tornar, y restituir lo que ubiere recebido por virtud de la tal sentencia con los frutos, y rentas, segun que fuere condenado, si la tal sentencia fuere revocada: y si la otra Parte oviere reclamado, ò reclamare, ò pedido, ò pidiere reduccion, y alvedrio de buen varon, ò fecho, ò ficiere de nulidad, ò por otro remedio, ò recurso alguno, si la tal sentencia arbitraria fuere confirmada por el Presidente, y Oidores, que de la tal sentencia confirmatoria no aya mas suplicacion, ni nulidad, ni otro remedio alguno; pero si por Juez inferior fuere confirmada, que pueda apelar para ante el Presidente, y Oidores, para que sentencien en ello: y si fuere confirmada no aya mas grado: y si fuere revocada por el Presidente, y Oidores, que de la tal sentencia revocatoria se pueda suplicar para ante ellos mismos, quedando en su fuerza la execucion, hasta que se dè sentencia en Revista.* Si inter arbitros alius sit Laicus alius Clericus, appellatio, vel reductio petenda est coram Clerici Superiori: quia dignius trahit ad se minus dignum. Et profectò hæc appellatio, vel reductio interponi debet in Nostra Hispania intra quinque dies à die notificationis. *Arg. L. 1. tit. 18. lib. 4. R. C.* qua Lege corrigitur juxta aliquos. *L. fin. tit. 4. p. 3.* ubi decem dies conceduntur ad hanc reductionem petendam: & quamvis hoc neget. *Acevedo in l. 4. tit. 21. lib. 4. R. C. n. 143.* tamen securius judicat interponere appellationem, seu reductionem intra quinque dies. Et idem dicendum de sententia arbitratorum. Et cum generalitèr sit prohibita appellatio à sententia arbitrorum. *L. 27. §. 2. ff. de Recept. l. fin. tit. 4. p. 3.* ut admittatur talis appellatio, seu reductio debet inveniri gravis læsio, quæ juxta *Bartol.* erit sexta pars rei, de qua compromittitur. Et juxta alios hoc judicis arbitrio relinquitur. *Hevia de Com. Terrestr. lib. 2. cap. 14.* ubi latè de his agit.

413 Arbitri officium finitur. 1. Sententiæ definitivæ pronuntiatione: nam tunc jam suo officio functus censetur. *L. 19. §. 1. ff. de Recept.* adeò, ut nec suam sententiam exequatur, sed ejus executionem Judici Ordinario relinquit. *Arg. C. 4. de For. Compet. l. fin. tit. 4. p. 3.* 2. Lapsu temporis præfixi compromisso, nisi à partibus prorogetur, vel in compromisso hæc facultas arbitris concedatur. *L. 32. §. fin. ff. de Recept. l. 27. tit. 4. p. 3.* 3. Interitu, vel transactione, vel cessione rei, de qua erat arbitrium ferendum. *L. 32. §. 5. ff. de Recept. l. 28. tit. 4. p. 3.* 4. Si recedens à compromisso solvat pœnam in eo positam transgressori, nisi adjecta sit clausula: *Rato manente compromisso. L. 34. §. 1. ff. de Recept. l. fin. tit. 4. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. V. Peche la pena.* Nam tunc, etiam pœna soluta debet stari sententiæ. *Gonz. in c. 2. h. t. n. 23.* 5. Morte arbitri. *C. 50. de Testib.* etiam unius tantum, si sunt plures; nam censetur industria personæ electa. *C. 42. de Offic. Delegat.* nisi sit adjecta clausula: *Si omnes non possunt, arbitrentur reliqui*, vel si res non sit integra, vel si sit compromissum in aliquam Universitatem, vel etiam in Prælatum sub nomine Dignitatis, secus est, si persona est electa. *C. fin. §. Is de Offic. Deleg.* 6. Arbitri deportatione, vel professione religiosa, vel diuturna absentia. *L. 28. tit. 4. p. 3.* vel recusatione, ob odium cum una, vel ob affinitatem cum alia parte. Et quidem arbiter

biter non poteſt recuſari niſi ob cauſam ortam, vel notam poſt compromiſſum factum. *L.* 15. *ff. de Recept. l.* 31. *tit.* 4. *p.* 3. *Hevia de Com. Terreſtr. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 12. 7. Morte compromittentium, vel unius tantum. *C. fin. b. t.* niſi ſit Univerſitas, quæ non moritur. *L.* 7. §. *fin. ff. Quod cujuſq.* ſi Curator, vel Procurator compromiſſerunt, non illorum mors, ſed Minoris, vel Domini mors eſt attendenda: nam horum gratia factum fuit compromiſſum. Si Prælatus compromiſit ſuper re, de qua poteſt ſolus diſponere, ejus morte finitur compromiſſum: ſi de rebus Eccleſiæ adhibita ſolemnitate eſt factum compromiſſum, tranſit ad ſucceſſorem. *Molin. de Juſt. tr.* 5. *D.* 43. 8. Mutuo compromittentium conſenſu: nam ab eorum voluntate ipſum accipit legem. *Arg. C.* 81. *de Reg. Jur. in* 6. idem dicendum eſt de officio arbitratoris, quod eiſdem modis finitur.

LIBER II. DECRETALIUM.

TITUL. I.

DE JUDICIJS.

1 JUdicium aliquando ſignificat *uſum rationis. L.* 12. §. 2. *ff. b. t.* aliquando *ultimam voluntatem. C.* 4. *de Sepultur. in* 6. aliquando *actionem*, *condemnationem*, *ſententiam*, & *jurisdictionem* ſignificat. In præſenti tamen ſumitur pro *toto proceſſu*, qui coram Judice competente fit. *Gl. in c.* 12. *de Reg. Jur. in* 6. V. *In Judicijs.* Et definitur ex *L.* 9. *l.* 13. *C. b. t. C.* 10. *de V. S.* ſic: *Judicium eſt legitima controverſia, quæ inter actorem, & reum intercedit, per judicem cognitio, diſcuſſio, ac definitio.* Et quidem in hac definitione ſatis explicantur, & comprehenduntur omnes partes principales judicij: nam per illam vocem *legitima* ſignificatur, quod debet ſervari juris ordo à Legibus præſcriptus; per illas voces *diſcuſſio*, & *cognitio* ſignificatur accurata inquiſitio, & ſedulum examen ad definiendam litem per ſententiam, quod per ultimam vocem ſignificatur. Etiam comprehenduntur perſonæ, quibus judicium debet conſtare: Scilicet, actor, reus, & judex. *C.* 10. *de V. S.* Etiam continetur judicij materia: nam controverſia eſt cauſa, caſus, factum, punctum, materia, negotium, articulus, quæſtio, jurgium, vel lis de qua eſt ferenda ſententia. Quæſtio, quæ in judicio diſceptatur, aliquando pertinet ad factum: v. g. An Titius contraxerit, vel non matrimonium, vel alium contractum: & tunc dicitur quæſtio facti. Aliquando verò pertinet ad jus: v. g. an tale matrimonium ſit validum, vel non, an ſit licitum, vel non: an talis contractus ſit uſurarius, vel non, an ſit legitimus, vel non: & dicitur quæſtio juris. Et licet prædicta nomina cauſæ, controverſiæ, negotij, &c. aliquantulum differant. *C.* 10. *de V. S.* ſæpè pro eodem ſumuntur. Tempus, intra quod judicium fit, dicitur *Inſtantia.* Sic prima inſtantia eſt illud tempus, quod ab initio judicij, præcipuè à litis conteſtatione uſque ad ſententiam definitivam currit: & ſecunda inſtantia vocatur, quando lis apud judicem appellationis diſceptatur.

2 *Actor*, ſic *ab agendo dictus eſt, qui primus provocat ad judicium. L.* 13. *l.* 29. *ff. b. t. l.* 1. *tit.* 2. *p.* 3. adeo ut etiam in judicio ex *L. Diffamari* 5. *C. de Ingen. manum.* diffamans provocare cenſeatur: ac proinde tanquam actor, diffamatus verò tanquam reus habetur. Etiam in judicijs duplicibus, in quibus uterque litigans eſt actor, & reus, ut in judicijs diviſorijs familiæ herciſcundæ, communi dividundo, & finium regundorum, ille qui prius ad judicium provocat, actor cenſetur. *L.* 13. *ff. b. t.* Ille, qui in cauſis civilibus actor, in criminalibus *accuſator* dicitur. *L.* 10. *l.* 13. *ff. de Public. judic.* quaſi *cauſator*, quia ad cauſam vocat eum quem accuſat, vel appellat, ad judicium. *C.* 10. *de V. S.* Et loco accuſatoris aliquando ſuccedit Ma-

Magistratus procedens per viam inquisitionis: vel notorietas facti, vel fama delicti. *C. 24. de Accusat.* Ita ut semper judicium tribus prædictis personis saltem civilitèr talibus, constare videatur. *Reus* in criminalibus sic dictus à *reatu*, & in civilibus à *re*, quæ petitur. *C. 10. de V. S.* est ille, qui invitus, & provocatus trahitur ad judicium. *L. 2. tit. 7. p. 3.* Et quidem ex Lege 12. Tabularum actori licebat manu injecta, seu ut dici solet, obtorto collo reum in judicium trahere. Actor igitur, & reus sunt personæ in judicio contendentes, seu litigantes, & cum actor in controversia petat, & reus neget, ratio ipsa naturalis dictat, quod eligenda sit authoritate publica tertia persona, inter utramque media, quæ æquo libramine in bilance justitiæ litigantis utriusque jus ponderet, ut det unicuique quod suum est: Et hac ratione judicia radicalitèr sunt Juris Naturalis, licet quoad solemnitates ipsorum, Juris Civilis sint. Hæc ergo tertia, & media persona dicitur *Judex*, quasi *jus dicens*, sive de *jure disceptans*: non tamen erit Judex, si non est in eo justitia, cum jure disceptare justè judicare sit, teste *D. Isidoro in c. 10. de V. S.* Si verè, & propriè non sit Judex sed tantum probabili, & publico, seu communi Populi errore habeatur tanquam Judex, vel Episcopus, vel Prælatus, vel Parochus, vel Sacerdos, sententiæ ab ipso pronuntiatæ, & acta ab ipso facta valida sunt. *Arg. Text. in Celebri, l. Barbarius Philippus 3. ff. de Offic. Prætor.* quia in tali casu Ecclesia, vel Respublica ob favorem publicum, & necessitatem supplet, & dat pro utroque foro jurisdictionem necessariam ad valorem sententiarum, aliorumque actuum judicialium, absolutionum Sacramentalium, & matrimoniorum. Non tamen valent ea, quorum valor non potest ab Ecclesia, vel à Republica suppleri: Sic quia Ordo Sacerdotalis, & sexus virilis requiruntur de Jure Divino ad valorem absolutionis Sacramentalis, non potest Ecclesia facere, quod valeat absolutio data à Laico, vel fœmina: quamvis Sacerdotes existimentur: Imò nec Ecclesia, vel Respublica supplet jurisdictionem, quando error non est communis, nec quando, & si communis sit, est error crassus, & supinus ex ignorantia juris liquidi. Quæ deducuntur *ex d. l. 3. ff. de Offic. Prætor. L. 2. C. de Sent. & interloc. C. 1. v. fin. 3. q. 7. l. 4. tit. 4. p. 3.* ibi: *Pero si acaeciesse, que algun Siervo, que andoviesse por libre fuesse otorgado poderio de judgar non sabiendo que yacia en servidumbre, en tal razon, como esta decimos, que las Sentencias, è los Mandamientos, è todas las otras cosas, que èl oviesse fecho, como Juez fasta el dia, que fuesse descubierto por Siervo valdrian. E esto tovieron por bien los Sabios Antiguos por esta razon, porque quando tal yerro como este, ficiesse algun Pueblo comunalmente, todos le deben dàr passada: bien como si non fuesse. L. 8. tit. 9. lib. 3. R. C.* ibi: *Valdrian fasta el dia, que fuesse descubierto ser Siervo, pues que por comun opinion fuè avido por libre. Latè Sanch. de Matr. lib. 3. D. 22. plures citans. Greg. Lop. Acev. in Præd. Leg. & alij com.* Aliæ personæ, quæ in judicio interveniunt ad tres prædictas reducuntur, & tanquam ipsarum accessoriæ in judicio admittuntur. Tales sunt *Assessores*, sic ab *assidendo* Judici dicti Consiliarij, qui suo Consilio Judicem adjuvant. Licet ipse non teneatur necessario Consiliarij, nec Assessoris dictamen sequi. Notarij, Tabelliones, Protocolistæ. Actuarij, Secretarij, Scribæ publici, qui acta publica, & judicialia publica authoritate scribunt. Advocati, Procuratores, qui suo patrocinio, & diligentia adjuvant litigantes. Nuntij Judiciales, Pedelli, Apparitores, & alij hujusmodi, qui jussa Magistratus exequuntur, quos *Hispanè* dicimus *Alguaciles*, *Ministros*, *y Corchetes*. Referendarij, *Hispanè*: *Relatores*, qui in brevem narrationem substantialia redigunt processus, ut Judici referant. Fiscales Audientiarum in Indijs præter obligationem defendendi causas Fisci Regij, & alia plurima onera, regularitèr etiam sunt Indorum Protectores, toga utuntur; sicut Senatores, *Hispanè*: *Garnacha*, & post illos in eodem Tribunali sedent, sed non habent suffragium in causarum decisione, possuntque habere adjutorem, *Hispanè*; *Solicitador, ò Agente Fiscal. Tit. 18. lib. 2. R. Ind.* Relatores debent esse advocati, faciunt, jurant, & subscribunt relationem, & in actis inferunt. *Tit. 22. lib. 2. R. Ind.* Officiales Majores Audientiarum, *Hispanè*: *Alguaciles Mayores*, justitiæ executioni incumbunt juxta præscriptum Audientiarum, aliosque inferiores Ministros, & Custodes carcerum designant, & in Tribunali cum Senatoribus sedent post Fiscalem. *Tit. 20. lib. 2. R. Ind.* sed omnes prædicti minus principalitèr pertinent ad Judicium, & considerantur tanquam personæ accessoriæ Judicis, actoris, & rei.

3 Judicium multiplicitèr dividitur: & qui-

quidem I. aliud est *Ecclesiasticum*, *Saculare* aliud. *Ecclesiasticum* est, quod instituitur à Judice Ecclesiastico, qua tali: & versatur circa causas spirituales, & illis annexas. Et tunc etiam respectu Laicorum exercetur. Tales sunt causæ de Fide, de Sacramentis, de electione Prælati, de Matrimonio, de Decimis, de Beneficijs, de Jure Patronatus, & aliæ hujusmodi. Etiam versatur circa quædam crimina, ut sunt hæresis, & simonia. Etiam ad res temporales extenditur, quando uterque litigans, vel saltem reus est Ecclesiasticus. C. 1. *c.* 12. *de Foro compet.* C. 2. *e.* 8. *h. t.* L. 57. *tit.* 6. *p.* 1. *Saculare* est illud, in quo cognoscit, & procedit Judex Sæcularis, qua talis: ut in causis merè profanis, quando uterque, vel saltem reus est Laicus. C. 5. *de For. compet.* L. 57. *tit.* 6. *p.* 1. quæ causæ adeo propriæ fori Sæcularis sunt, ut nec Summus Pontifex in causis Laicorum merè temporalibus jurisdictionem directè exerceat, nisi in territorio suo temporali Dominio subjecto. C. 13. *h. t.* Quando Pontifex, vel Episcopus jurisdictionem temporalem in aliquo territorio obtinent: ea negotia, quæ coram ipsis, ut Dominis temporalibus, & Judicibus Sæcularibus aguntur ad judicium Sæculare spectant. *L.* 8. *tit.* 3. *lib.* 1. *R. C.* Et in nostra Hispania tales Episcopi, vel Judices Ecclesiastici jurisdictionem temporalem exercentes debent illam exercere per Regios Tabelliones, Officiales, & Ministros Laicos: nec debent procedere per censuras Ecclesiasticas, debentque admittere appellationes ad Judices Sæculares Superiores, seu ad Regias Cancellarias. C. 3. §. *Debet*, *de Appellation. in* 6. imò & in negotijs S. Inquisitionis Tabelliones; & Secretarij Laici debent intervenire. *Acev. in L.* 8. *tit.* 3. *lib.* 1. *R. C. n. fin.* Similitèr si Laico, vel fœminæ delegetur à Papa, ut potest ex plenitudine potestatis. C. 7. 2. *q.* 4. Causa Ecclesiastica, sive civilis, sive criminalis, quæ scilicèt versetur inter Clericos, illa ad judicium Ecclesiasticum pertinebit: quia tunc Judex Sæcularis non cognoscit, qua talis, sed potius nomine delegantis. *L.* 1. §. 1. *ff. de Offic. ejus, cui mand.* Et ideò notantèr dixi: *Judex Ecclesiasticus, qua talis, & Judex Sæcularis, qua talis*, in divisione utriusque judicij. Laicus benè potest esse Assessor, Notarius, vel Executor in causis Clericorum: imò & in causis fidei admittuntur Laici, ut Consultores in Tribunali S. Inquisitionis. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 4. in his enim casibus nullam jurisdictionem exercent Laici in Clericos, vel in causis Ecclesiasticis, sed nudum ministerium Judici Ecclesiastico exhibent, quod minime est prohibitum. C. 1. *de Procurat. in* 6.

4 2. Judicium aliud est *petitorium*, aliud *possessorium*. *Petitorium* est, in quo agitur de proprietate rei, quam petit actor, sibique competere intendit: v. g. si petat fundum, prædium, hæreditatem, uxorem, beneficium, patronatum, & alia hujusmodi, & quidem quoad dominium, seu proprietatem. *Possessorium* est illud, in quo agitur de rei, vel juris possessione, vel quasi possessione adipiscenda, retinenda, vel recuperanda, ut si quis petat se manuteneri in possessione fundi, beneficij, vel matrimonij. 3. Aliud est *plenarium*, seu *ordinarium*, & *solemne*; aliud *summarium*, seu *extraordinarium*. *Ordinarium* est illud, in quo juris ordine, & solemnitatibus accurate servaris, scilicèt, oblatione libelli, contestatione litis, juramento calumniæ, dilationibus, & alijs, de causa cognoscitur: & sic regularitèr, & ordinarie proceditur. *Summarium*, seu *Extraordinarium* est illud, in quo simplicitèr, & de plano sine strepitu, & figura judicij quoad solemnitates, sed tantum attenta rei veritate pronuntiatur sententia. Hoc judicij genus instituitur in causis, quæ celerem expeditionem desiderant, ut sunt causæ beneficiales, matrimoniales, decimarum, usurarum, mercedum, mercatorum, tributorum, alimentorum, dotis, naufragorum, pauperum, & miserabilium personarum, & aliquæ causæ incidentes. Etiam hoc judicio disceptatur, quando dandus est Tutor, filius emancipandus, vel adoptandus, quando res est modica, ut in delictis levibus. *L.* 6. *ff. de Accusat.* quando cognoscitur in judicio possessorio præparatorio ad petitorum, quando quantitas debiti, & summæ attenta qualitate personarum est exigui pretij. Et hac ratione lites Indorum regularitèr sunt summariè definiendæ. *L.* 10. *l.* 11. *tit.* 10. *lib.* 5. *R. Ind.* Quando alicui committitur, ut procedat in causa *simplicitèr, & de plano, & sine strepitu judicij*, sic debet procedere: *Non necessario exigat libellum, litis contestationem non postulet, in tempore etiam feriarum ob hominum necessitatem indultarum à jure procedere valeat: amputet dilatationum materiam, litem, quando poterit, faciat breviorem: exceptiones, appellationes dilatorias, & frustratorias repellendo, partium, advocatorum, & procuratorum contentiones, & jurgia, testium superfluam multitudinem re-*

frænando : non sic tamen Judex litem abbreviet , quin probationes necessariæ , & defensiones legitimæ admittantur : citationem verò , ac præstationem juramenti de calumnia, vel malitia , sive de veritate dicenda , ne veritas occultetur per commissionem hujusmodi intelligitur non excludi. Aliqua tamen petitio ex parte actoris , & rei in exordio litis est facienda , sive scriptis , sive verbo , actis tamen continuò (ut super quibus positiones, & articuli formari debent , possit haberi plenior certitudo , & ut fiat definitio clarior) inserenda. Cl. 2. *de V. S.* 4. Judicium aliud est *civile* , aliud *criminale*. *Civile* est , in quo actor principaliter prosequitur commodum privatum ex contractu , vel quasi contractu , ex delicto , vel quasi delicto proveniens. Et hinc quando de crimine agitur , non ad vindictam publicam , sed ad commodum privatum , illud judicium civile est : si ad utrumque agatur , dicitur mixtum. *Criminale* est , in quo de crimine agitur : & quidem criminaliter , seu ad vindictam publicam , v. g. si agatur contra aliquem ad privationem officij , vel ad pœnam corporis afflictivam , vel ad infamiam , vel ad mulctam pecuniariam , vel quid simile. Si verò reo est irroganda pœna capitalis , hoc est , vel mortis naturalis, vel servitutis , vel deportationis , dicitur judicium criminale *capitale*. Hæ sunt principaliores judiciorum divisiones, alijs omissis , quæ facile percipiuntur. In judicio stare possunt omnes illi , qui habent personam legitimam standi in judicio , ut sunt homines liberi , nisi aliqua ratione prohibeantur : cum cuilibet liceat jus suum prosequi , actionem intentando , & se defendere exceptiones opponendo: nequeunt tamen in judicio stare. 1. Furiosi , amentes , infantes , pupilli , surdi , muti , prodigi ; sed pro ipsis tàm ad agendum, quàm ad defendendum , judicium subeunt Curatores , & Tutores. *L.* 1. *§.* 2. *ff. de Administr. & pericul.* ibi : *Sufficit Tutoribus ad plenam defensionem , sive ipsi judicium suscipiant , sive pupillus ipsis auctoribus.* Admittitur tamen pupillus etiam sine Tutore in causis criminalibus , sic exigente publica utilitate , si aliter nequeat probari delictum. Si pupillus comparens sine Tutore in judicio non repellatur ab adversario, & vincat , sustinetur sententia in ejus favorem lata , ne alias in ejus damnum retorqueretur , quod in ejus favorem fuit introductum. 2. Minor 25. annis , nec in civilibus , nec in criminalibus habet legitimam personam standi in judicio sine Curatore , & sententia contra ipsum lata, tanquam contra indefensum est ipso jure nulla. *L.* 45. *§.* 2. *l.* 54. *ff. de Re judic.* pro ipso tamen lata sustinetur. *L.* 14. *C. de Procurat.* ibi : *Minoribus enim ætas in damnis subvenire : non in rebus prosperè gestis obesse consuevit. L.* 11. *tit.* 2. *p.* 3. ac proindè, si minor Curatorem non habeat, ipsi, etiam invito , ad litem est Curator dandus. *§.* 2. *Inst. de Curator.* cujus officium, lite finita, cessat. *§. fin. Inst. de Authorit. Tutor. l.* 7. *tit.* 2. *p.* 3. Minor tamen , qui jam pubes est , habet personam standi in judicio sine Curatore. 1. In causa spirituali , ut in causa matrimoniali , beneficiali , decimali , & etiam in annexa spirituali , v. g. si super dote ratione matrimonij contracti , vel super jure patronatus annexi beneficio minori moveatur lis. Si tamen impubes est dandus est ipsi ab Episcopo , vel Vicario, vel delegato Curator specialis , qui loco illius prosequatur litem , etiamsi Tutorem habeat. *C. fin. h. t. in* 6. *Et ibid. DD.* 2. Si juravit non contravenire gestis , vel gerendis in judicio. 3. Si juravit , se majorem. 4. In causa momentaneæ possessionis. 5. In querela de toro violato , hoc est, si matrimonij sui injuriam prosequatur, secus aliter. *L.* 15. *§.* 6. *ff. ad Leg. Juliam, de Adulter.* 6. In causa alimentorum, si periculum est in mora. *L.* 1. *C. de Aliment. pupill. præstand.* 7. Si 20. ætatis anno completo veniam ætatis aliquis minor impetravit. *L.* 2. *C. de his , qui veniam ætat.* 8. In præparatorijs judicij usque ad contestationem litis exclusivè. Denique, quandocumque ex consuetudine , vel statuto potest minor sine Curatore stare in judicio.

5 3. Filius familias non habet personam legitimam standi in judicio. Et quidem si contra patrem vult litigare , ut potest de causa spirituali. *C.* 11. *de Sponsalib.* vel de patria potestate , vel de peculio Castrensi , vel quasi Castrensi , vel de alimentis ; tunc indiget venia Prætoris. *L.* 13. *ff. de in Jus vocand. L.* 3. *tit.* 2. *p.* 3. quæ Lex loquitur de filio , qui à patria exierat potestate , & tunc petita venia non solum in prædictis casibus , sed etiam in quacumque causa potest filius contra patrem agere , dum non sequatur pœna mortis , vel mutilationis , vel infamiæ. Si tamen filius magnam injuriam, vel damnum in sua persona , vel bonis passus sit , potest agere contra patrem actione in factum ad emendam. Idem dicitur de liberto gratis manumisso , quiquidem non potest agere contra patronum , nisi petita venia à Judice. Eandem veniam debet petere gener, quando

do contra socerum agit, etiam mortua sua uxore, idem est, si vassallus contra Dominum, Parochianus contra Parochum, Discipulus contra Magistrum, Privignus contra Novercam agant, & alij: de quibus *Paz in Prax. Bobad. Polit. Hev. in Cur. Philip. p. 1. §. 10. ex n. 4.* Si filius familias cum extraneo habeat litem, etiamsi major 25. annis, sit regulariter indiget consensu, saltem generali patris, ut agere, vel se defendere possit in judicio. *L. fin. C. de Bonis, quæ liber. C. fin. h. t. in 6.* quod si pater injuste renuat nanc veniam concedere, potest ad hoc compelli à Judice. Si filius familias sit major 25. annis, potest in judicio stare sine consensu patris, sed nomine alieno, v. g. tanquam Curator, vel Procurator. *C. 5. de Procurat. in 6.* imo & nomine proprio, si lis sit de causa spirituali, vel illi annexa. *C. fin. h. t. in 6.* vel de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus. *L. 4. §. 1 ff. de Castrens. pecul.* ibi: *Actionem, prosecutionemque Castrensium semper filius, etiam invito patre, habet. L. 2. tit. 2. p. 3.* In momentatea possessione, de toro violato, in his, quæ extraordinario officio Judicis fiunt. *L. 17. ff. de Rebus credit.* In absentia, vel amentia patris, vel si detur periculum in mora. *L. 18. §. 1. ff. h. t.* In præparatorijs judicij usque ad litis contestationem. *L. 22. §. 5. ff. Soluto matrim.* Et in causa personali. *L. 57. ff. h. t. Hev. in Cur. Philip. p. 1. §. 10. n. 7.* 4. Mulieres honestæ in causis civilibus possunt, si velint, (nisi sint Religiosæ) non tamen coguntur stare in judicio agendo, vel respondendo: ne cogantur vagare, & virorum cœtibus se immiscere: sed earum defensio à virijs suscipienda est, & executio in bonis ipsarum facienda. *L. 3. tit. 7. p. 3. Menoch. de Arbitr. lib. 1. q. 88. n. 10.* In criminalibus non permittuntur accusare ob sexus pudorem, nisi suam, vel suorum injuriam prosequantur. *L. 8. ff. de Accusat.* si tamen aliqua mulier atrocioris criminis sit rea, invita trahitur ad judicium: imò & ad carcerem. *C. 2. h. t. in 6.* & furca suspenditur, si hac pœna sit dignum delictum. Fœminæ Religiosæ, etiamsi velint in civilibus comparere in judicio, nequeunt hoc facere, ne hoc prætextu extra claustra vagentur cum detrimento disciplinæ religiosæ. *C. 2. h. t. in 6.* 5. Religiosus tanquam actor, vel reus, per se, vel per Procuratorem, etiam circa contractum ante ingressum celebratum non potest in judicio stare sine Prælati licentia, saltem tacita, & aliter facta sunt ipso jure irrita, cum Religiosi mortui sæculo censeantur, & nihil proprium habeant: sed Monasterium, in quod bona, & jura transtulit pro eo agere, & respondere debet, si ipse pro ære alieno, vel contractu celebrato ante Religionis ingressum conveniatur. Et contra Monasterium est formandus libellus, non tamen tenetur Monasterium ultra bona, quæ à Monacho accepit. *L. 10. tit. 2. p. 3. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 12. n. 1. & 2. plures citans.* Potest tamen Monachus stare in judicio, & in eo respondere, vel agere, si lis intentetur circa valorem professionis, vel si studiorum, vel alia legitima causa absit à Monasterio, *arg. L. 18. §. 1. ff. h. t.* vel si obtineat beneficium, quod aliquam administrationem habeat annexam, vel si ex delicto proprio conveniatur. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 12. n. 3. &* 4. Prælatus immediatus alicujus Ecclesiæ, si apud ipsum sit administratio, potest in judicio stare, tanquam actor, & reus, nomine suæ Ecclesiæ, etiam super bonis, & juribus communibus, sine consensu Capituli. *C. 9. 18. q. 2. c. 9. h. t. c. 21. de Rescript. c. 17. de Restit. spoliat.* si bona pertinent specialiter ad Capitulum, ipsum sine Prælato stare in judicio potest; nisi in utroque casu negotium sit valdè arduum: quia tunc nec Prælatus sine Capitulo, nec Capitulum sine Prælato stare possunt in judicio. Sed si fortè Capitulum sine Prælati consensu stetit, & obtinuit, etiamsi requiratur Prælati consensus, non solum quoad solemnitatem, sed etiam ad valorem sententiæ hæc tenet, si postea ratahabeatur à Prælato; *arg. L. 56. ff. h. t.* Prælatus in causa propria Capituli, & Capitulum in causa propria Prælati possunt agere, vel respondere, si habeant mandatum speciale, vel saltem caveant de rato, quando agunt, & de judicato solvendo, quando respondent. *Glos. in C. 1. de Procurat. V. Legalitèr*, sicut in personis conjunctis accidit. Prælatorum Regularium facultas ad standum in judicio per se, vel per alios, juxta singulorum ordinum constitutiones, debet regulari. Et idem dicendum est de Abbatissis, Priorissis, & alijs Præpositis Monialium. Ipsæ tamen de Jure Communi super bonis, & juribus suorum Monasteriorum possunt per Procuratores stare in judicio. *Tambur. de Jur. Abbat. D. 32. q. 13.* Ad Parochum etiam spectat (non excluso Episcopo, sed cumulativè cum illo) jus agendi super rebus, & juribus suæ Parochialis Ecclesiæ; *arg. C. 21. de Rescript.* Si tamen in ea Ecclesia sit Vicarius constitutus, & Ecclesia sit incorporata Monasterio, Monasterium de juribus, & rebus

Ecclesiæ, ipse Vicarius de jure Vicariæ, qua talis, respectivè agent. Eodem modo discurrendum est de Rectoribus Hospitalium, & aliorum piorum locorum.

6 6. Servus in causis pecuniarijs non habet legitimam personam standi in judicio. *L. 6. C. b. t.* bene tamen admittitur in causis concernentibus suum statum, vel utilitatem publicam, & in causis Criminalibus. *L. 53. ff. b. t. l. 9. tit. 2. p. 3.* 7. Excomunicatione majori ligatus repellitur à judicio, vel à parte per exceptionem, vel à Judice ex officio, quando ipse excommunicatus accedit voluntariè, non solum tanquam actor, sed etiam tanquam reus, ut sic Censura Ecclesiastica magis timeatur, & excommunicatus rubore suffusus humilitèr, & reverentèr reconciliationem procuret. *C. 7. b. t. c. 2. c. 12. de Except. c. 8. de Sentent. excom. in 6. Suar. de Censur. D. 16. sect. 3. & 4.* Quando verò invitus ad judicium accedit, vel tanquam reus, vel etiam tanquam actor, tenetur in judicio comparere, vel per Procuratorem, ut debet ex honestate (& sic intelligitur verbum *debet. Text. in C. 7. b. t. Gonz. ibid. n. fin.*) non tamen ex necessitate: siquidem per se potest comparere in judicio: quia si ex debito, vel crimine non posset trahi in judicium, lucrum ex suo delicto reportaret contra Text. in *C. 7. b. t. Gloss. ibid. V. Conveniri. Suar. de Cens. D. 16. sect. 4. n. 6.* contra *Decium, Imol. & alios*, qui dicunt excommunicatum solum posse, & debere stare in judicio per procuratorem. Quando igitur ad judicium sic invitus trahitur excommunicatus potest actorem reconvenire. Si reconventio connexa sit cum actoris conventione, quia tunc potius se defendit, quam agit, & omnis defensio, ut à Jure Naturali descendens, illi permittitur, ac propterea potest opponere exceptiones, recusare Judicem, & ab ejus sententia appellare. Non tamen poterit reconventionem ponere, si hæc est inconnexa cum conventione: nam reconventio est reciproca petitio. *C. 2. de Mutuis petit.* & reconveniendo in nova, & inconnexa causa fit actor *voluntarius*: quod omninò ipsi prohibetur. *C. 7. b. t.* Similitèr intelligitur reus *voluntariè* accedere, quando intendit remedium. *L. Diffamari, 5. C. de Ingen. manum.* & è contra censetur actor accedere *invitus*, ac consequenter in judicio admittitur, cum tunc ad se defendendum accedere credatur. *C. 5. c. fin. de Except.* Quando agit in concernentibus animæ periculum, vel quando petit revocationem attentatorum, vel quando agit, quia periculum est in mora, vel si impediatur facere sibi permissa, vel si agat de bono publico suæ Ecclesiæ, vel si intendat probare excommunicationem, esse nullam. *arg. C. 1. de Rescript. in 6. Barbos. in c. 7. b. t. ex n. 10.* Post *Extr. Mart. V. Ad evitanda.* Si excommunicatus vitandus est, regularitèr debet necessario repelli: si toleratus sit, potest à parte, vel Judice repelli, licet non necessario repellatur, si non repellitur, valent acta in judicio, quamvis illicitè fiant. *Gonz. in c. 7. b. t. n. 6.*

7 Licèt regularitèr, nemo compellatur agere, vel accusare, cum cuilibet liberum sit actioni, & juri, quod contra alium habet cedere. *L. un. C. Ut nemo invit. ag. vel accusar. l. 46. tit. 2. p. 3.* Si verò quis semel actionem proposuit, cogi potest, eam prosequi. *Auth. Qui semel, C. Quomod. & quand. Judic.* etiam agere compelluntur Tutores, & Curatores pro suis minoribus; *arg. L. 2. C. Arbitrium. Tutel.* Procurator. *L. 11. l. 13. C. Mandat.* Administrator Civitatis; *arg. L. 2. §. 7. ff. de Administr. rer. ad Civit. pertin.* Qui fraudulentèr agit contra mercatorem, vel alium viatorem, ut differat ejus iter compellitur, & meritò quidem, à Judice ad instantiam partis, ut intra breve tempus contra talem mercatorem, vel viatorem agat: alias non audiatur donec à suo itinere, vel via redierit. *L. fin. tit. 2. p. 3.* Qui alterum diffamavit, cum censeatur provocasse diffamatum, ad hujus instantiam compellitur ad agendum intra certum tempus, alias ipsi silentium imponetur. *L. Diffamari, 5. C. de Ingenuis manum.* Qui semel promisit coram Judice sedente pro Tribunali, se litigaturum, dum sit Judex proprius, & non unicus, quamvis lis non sit contestata, non potest à judicio resilire, nec forum declinare, nisi ex nova causa, vel si antiqua detegatur: quod si legitimè citatus non compareat, ut contumax excommunicatur. *C. 1. b. t.* Si in Judicem alienum consensit, ante litis contestationem, tanquam re adhuc integra, resilire potest. *L. Si convenerit, 18. ff. de Jurisd. Gonz. in C. 1. b. t. n. 12.* Judices Principe inferiores, sive Ordinarij, sive Delegati, non possunt cogere litigantes stare per se in judicio, nisi causa fuerit Criminalis; si est infligenda pœna corporis afflictiva relegatione major, vel etiam pro veritate dicenda, vel pro juramento calumniæ præstando,

do, si ipse litigans non habeat procuratorem cum speciali mandato ad hoc juramentum faciendum. Nam in his casibus, vel quando alia necessitas exigat, possunt Judices litigantes cogere, ut coram ipsis compareant personalitèr. *C.* 1. *h. t. in* 6. Extra hos casus, possunt litigantes uti jure sibi concesso, ac proinde per se, vel per Procuratorem alternativè comparere. *C.* 2. *de Procurat.* quo jure solum ab ipso Legislatore possunt privari; *arg. C.* 17. *de Reg. jur. in* 6. ibi: *Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum. L.* 3. *tit.* 7. *p.* 3. Litigantes tamen per se ipsos, non per Advocatos proponere debent ea, quæ ad factum spectant, nisi sint personæ rudes. *C.* 14. *h. t. L.* 20. §. 1. *ff. de Interrogat. in jur.* quia ipsi rem melius perspectam habent; *arg. C.* 40. *de Elect.* Hodie verò factum, & jus ex eo resultans per Advocatos proponitur.

8 Causæ, quæ ad judicium Ecclesiasticum spectant sunt in duplici differentia: aliæ enim sunt *spirituales*, quæ & *merè Ecclesiasticæ* appellantur, aliæ sunt *temporales*. *Spirituales* dicuntur illæ, quæ ex suo objecto sacræ sunt, & circa rem sacram versantur. *Temporales* sunt, quæ ex se habent objectum profanum; sed quia contra personam Ecclesiasticam proponuntur, vel ex alio capite ad Judicem Ecclesiasticum pertinent, Ecclesiasticæ dicuntur. Causæ spirituales, seu merè Ecclesiasticæ, etiam inter, & contra Laicos versantes, ad Judicem Ecclesiasticum pertinent. *C.* 2. *c.* 3. *h. t. c.* 18. §. *Prohibemus*, *de Heret. in* 6. *C.* 12. *de Sent. excom. in* 6. quia potestas, & jurisdictio spiritualis, quæ ad ipsarum definitionem requiritur est à Christo D. concessa D. Petro. *Matth.* 16. *v.* 18. ubi Petro dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et apud Joan.* 21. *v.* 17. dixit: *Pasce oves meas.* Et in Petro, ejus Successoribus idem concesit, & nullo modo Laicis. *C.* 6. *de Major. & obed. Extr.* 1. *eod. int. com.* Inde est, quod harum causarum exemptio à potestate, & jurisdictione Laicorum à Jure Divino provenit: siquidem harum causarum judicialis cognitio requirit potestatem spiritualem à Christo institutam, & Divo Petro, & ejus Successoribus concessam; & ab his, scilicèt, Romanis Pontificibus, communicatam Judicibus Ecclesiasticis, & nullo modo Laicis. *C.* 10. *de Constit. c.* 1. *D.* 96. *Bellarm. de Cleric. lib.* 1. *cap.* 28. *Bobadill. Polit. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 32. *L.* 56. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Franqueados son aun los Clerigos en otras cosas, sin las que diximos en las Leyes antes de esta, è esto es en razon de sus juitios, que se departen en tres maneras. Cà, ò son de las cosas espirituales, ò de las temporales, ò de fecho de pecado :::: E todas estas cosas sobredichas, è las otras semejantes dellas, pertenescen à juicio de Santa Eglesia, è los Perlados las deben judgar. Et ibid. Greg. Lop.* Causæ ergo Ecclesiasticæ sunt, quæ pertinent ad fidem, Sacramenta, sacrificia, vota, juramenta, Ritus Sacros, Censuras Ecclesiasticas, & prædictis annexæ: nam magis dignum trahit ad se minus dignum; *arg. C.* 7. 1. *q.* 3. *C.* 3. *de Consecr. Eccles.* ut sunt causæ decimarum, & aliæ hujusmodi. Etiam sunt Causæ Ecclesiasticæ, quæ versanrur circa matrimonium fidelium (quia non solum contractus, sed est Sacramentum est) quantum ad ejus valorem, obligationes, dissolutionem quoad vinculum, vel etiam quoad torum, etiam ad breve tempus. *C.* 5. *de Procurat Trid. sess.* 24. *de Matr. Can.* 12. Quoad cœremonias verò, pompam, & solemnitates extrinsecas matrimonij Laicus Judex competens esse potest; de illisque bene valet cognoscere: imò & ad juvandum dispositionem Sacrorum Canonum, potest punire matrimonium Clandestinum contrahentes. *L.* 49. *Taur. l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 5. *R. C.* & adulteros. *C.* 5. *de Procurat.* & compellere sponsos injustè renuentes, contrahere: & conjugem divertentem coget ad suum conjugem redire. Matrimonia verò infidelium, quia tantum contractus sunt, ad Judicem Sæcularem penitus spectant. Si circa sepulturam versetur aliqua quæstio juris, sive actio realis intentetur; v. g. Si dubium sit, an Titio competat jus sepulturæ in aliquo loco Ecclesiastico; sive actio personalis proponatur; v. g. Si dubitetur, an valeat promissio Titio facta de eo sepeliendo in sepulchro majorum; cum jus sepulturæ sit spirituale, vel spirituali annexum, scilicèt, loco Sacro, vel Ecclesiæ, de tali quæstione solum Judex Ecclesiasticus cognoscit, & pronuntiat. Si verò quæstio circa merum factum tantum versetur: v. g. an Titio sit jus sepulturæ promissum, vel non: vel si quæstio versetur circa impensas funeris, Judex Sæcularis cognoscit: cum tunc tantum de facto, non verò de aliquo jure spirituali cognoscat, quod tantum ipsi est prohibitum. Jus patronatus cum sit jus spirituale, vel saltem spiritualibus annexum, siquidem ordinatur ad beneficium Ecclesiasticum conferendum, consequentèr ad

ju-

judicium Ecclesiasticum spectat. *C. 3. b.t.* ibi: *Causa juris patronatus ita conjuncta est, & connexa spiritualibus causis, quod non nisi Ecclesiastico judicio valeat definiri. L. 56. tit. 6. p. 1.* Si vero jus patronatus non per se, sed accessoriè, & in cumulo, & universitate bonorum consideretur de eo potest Judex Sæcularis cognoscere; *arg. C. 7. de Jure Patron.* de Jure Regio patronatus, quod inter *Regalia* reputatur cognoscunt Prætoria Regia in nostra Hispania. *L. 34. tit. 5. lib. 2. R. C. Gonz. in C. 3. b. t. n. fin. Solorz. de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 3. ex n. 27.* In Indijs cognoscunt, inter quascumque personas, de causis patronatus cum aliorum inhibitione Proreges, Gubernarores, & Præsides, quibus hæc facultas, tanquam Vice-Patronis à Rege conceditur. *L. 1. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* Et potest appellari à sententia Vice-Patroni ad Regias Cancellarias: quod si aliquod grave dubium emergat circa materiam patronatus non debent Prælati Ecclesiastici quid innovare, sed debent dubium remittere decidendum Regio Indiarum Consilio. *L. 45. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* Debent tamen tales Judices Sæculares se intra terminos, & limites concessionis continere, quin manum ad prohibita extendant. Nam ut respondit Heva Serpenti. *Genes. 3. v. 3. De fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Latè de hoc agunt *D. Petrus Frasso de Reg. Indiar. Patron. tom. 1. cap. 34. ex n. 32. Villaroel de Regim. Eccles. 2. p. q. 18. art. 4. & q. 19. art. 1. ex n. 28. Solorzan. & alij.* Quando principalitèr agitur de dote, & alimentis conjugi præstandis, solus Judex Laicus cognoscit; si verò incidenter in causa divortij de ipsis agatur, quia vir nolit uxori, quia adultera est, dare dotem, & alimenta, ea causa trahitur ad magis principalem, qualis est causa divortij, ac proindè coram Judice Ecclesiastico disceptatur. *C. 3. de Donat. inter Vir. Gom. in l. 50. Taur. n. 53. Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 8. n. 15.* Etiam aliqua crimina reservantur judicio Ecclesiæ, & nullo modo Laicorum, etiamsi à Laicis committantur, ut hæresis, simonia, & alia, de quibus in suis locis agemus. *L. 58. tit. 6. p. 1.* casus prædicti, & alij pertinentes ad judicium Ecclesiasticum afferuntur in *L. 56. tit. 6. p. 1.* Si dubitetur ad quem pertineat decisio alicujus causæ; hoc dubium ab Ecclesiastico deciditur. *C. 12. de Sent. excom. in 6.* quia hic licet forte incompetens esset, non est incapax de causa sæculari cognoscendi, sicut est incapax Laicus in causa Ecclesiastica procedendi; sicque nullum esset periculum, quod Judex Ecclesiasticus limites suæ potestatis excederet, sicut esset in Judice Laico.

9 Causæ temporales, quæ agitantur inter Clericos, vel saltem, quando reus, cujus forum sequitur actor. *C. 8. de Foro compet.* est Clericus, etiam pertinent ad judicium Ecclesiasticum. *C. 2. c. 4. c. 8. c. 10. b.t. c. 2. c. 12. de For. comp. c. 26. & per tot. 11. q. 1. L. 57. tit. 6. p. 1.* Et hoc habet locum, sive Causa Civilis sit, sive Criminalis, sive in judicio petitorio, sive in possessorio disceptetur, sive probationes liquidæ sint, sive non. Sive judicium exerceatur cognoscendo, & definiendo, sive executioni mandando sententiam à Judice Ecclesiastico latam, nisi eam exequatur Laicus de Judicis Ecclesiastici mandato. Et non solum quando Clericus, vel Ecclesia convenitur actione personali debet coram Ecclesiastico stare; sed etiam quando actio realis intentatur ob generalitatem. *Text. in C. 2. c. 6. 11. q. 1. c. 2. c. 4. b. t.* quia res tanquam accessoriæ personæ personam sequuntur. *L. 43. ff. de Rei vindication.* nec potest Clericus, etiam ratione officij Sæcularis, quod exercet coram Sæculari conveniri: nam licet possit à Principe tali officio privari, tamen criminalitèr, & civilitèr debet (ex Jure Canonico) coram Ecclesiastico stare. *Clar. §. fin. q. 36. n. 25.* Si Clericus in judicio Sæculari falsum testimonium dixit, non potest pro eo à Sæculari puniri; *arg. C. 4. b. t. Covarr. Jul. Clar. Saleed. Barb. lib. 1. de Jure Eccles. cap. 39. §. 2. n. 90.* Si Clerici ratione bonorum, quæ habent aliquam contributionem debeant solvere, hæc debet peti coram Ecclesiastico ex declaratione Clem. VIII.

10 Hoc privilegio fori gaudent. 1. Clerici, non solum in sacris, sed etiam in minoribus, vel prima tonsura constituti. *C. 2. b. t.* Sed *ex Trid. sess. 23. de Ref. cap. 6. & L. 1. tit. 4. lib. 1. R. C.* ut in minoribus constitutis hodie gaudeat fori privilegio est necesse, ut *vel beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum eum tonsura deferat, & simul alicui Ecclesiæ, ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendo versetur.* Clerici conjugati, si cum una, eaque Virgine matrimonialitèr

co-

copulari sint, alicujus præterea Ecclesiæ ministerio ab Episcopo sint deputati, & insuper Clericali habitu, & tonsurâ utantur, saltem in causis Criminalibus gaudent fori privilegio. *C. un. de Cleric. conjug. in 6. L. 2. tit. 4. lib. 1. R. C.* ibi: *Los Clerigos de Corona, y menores Ordenes, que conforme ad Decreto del Sacro Concilio, y la Ley antes desta, pueden gozar del privilegio del fuero, sea, y se entienda tan solamente, quanto al privilegio del fuero en las Causas Criminales (pero en todo lo demàs, assi en el pechar, como en el pagar Alcavala, y en todas las otras cosas, no sean essentos, ni gocen del privilegio, y paguen, y contribuyan como los Legos; y en esto, y en todo lo demàs sean avidos por tales, salvo los no casados, que actualmente tuvieren beneficio Eclesiastico.)* Quod saltem in nostra Hispania servandum est: quod quidem privilegium non extenditur ad Clericorum uxores. *Barb. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 39. §. 2. n. 62. contra alios.* Clerici in minoribus etiam non conjugati non eximuntur à solvendis debitis tributis nisi actu habeant beneficium. *Aceved. in l. 2. & 4. lib. 1. R. C.* & intelligit *Legem 6. tit. 18. lib. 9. R. C.* de Clericis in Sacris, & de minoribus, si habent beneficium Ecclesiasticum. 2. Privilegio fori gaudent Regulares utriusque sexus, etiam Laici; *arg. C. 29. 17. q. 4.* Imo & Novitij; *arg. C. 21. §. 1. de Sentent. excom. in 6. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 10. n. 10. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 12. n. 37. & 38.* 3. Religiosi Ordinum Militarium, oblati, qui Religioni se suaque tradiderunt. Tertiarij S. Dominici, & S. Francisci, Eremitæ si in communi vivant, & juxta modum ab Episcopo approbatum, Rectores Hospitalium, quæ authoritate Episcoporum sunt erecta, si intra domos degant, & ipsi Hospitalarij, qui sub eorum obedientia vivunt hoc privilegio gaudent. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 12. n. 37.* familiares Episcoporum in nostra Hispania non gaudent privilegio fori; *ex Decr. post tit. 1. lib. 4. R. C.* Oppositum tenet cum communissima DD. Illustrissimus DD. Franciscus Perez de Prado, sua allegatione à fol. 678. usque ad 700. ubi ex Jure Canonico, & declarationibus SS. Pontificum suam sententiam firmiter statuit.

11 Sunt tamen plures casus, in quibus Clerici non gaudent privilegio fori, sed coram judicibus Sæcularibus debent comparere. Sicque ad judicium Sæculare spectat causa feudalis, super qua Clericus conveniri potest coram Domino feudi, etiamsi Laicus sit. *C. 5. h. t. c. 6. c. 7. de Foro compet. L. 57. tit 6. p. 1.* hac ferè ratione in nostra Hispania Ecclesiæ, Monasteria, vel Clerici, qui habent aliqua stipendia, vel census annuos, vel eleemosynas, aliave jura ex Regia concessione debent Laicos coram Sæculari judice super his redditibus, & eleemosynis convenire, ibique litigare, non verò coram Ecclesiastico, aliàs talibus juribus privantur. *L. 6. tit. 1. lib. 4. R. C.* idem est de stipendijs, quæ in Indijs ex Ærario Regio recipiuntur ad sustentationem Parochorum. *Hevia in Cur. Philip. 1. p. §. 5. n. 12.* Si Clericus coram Sæculari conveniat Laicum in causa mere profana, non criminali, nec spirituali, potest ibidem reconveniri. *L. 57. tit. 6. p. 1. Et ibid. Greg. Lop. Hevia in Cur. p. 1. §. 5. n. 18.* quæ alios pro hac DD. citat. *Gloss. in C. 1. de Mutuis petit.* V. *Super. suis, Barbos. ibid. n. 4.* contra *Abbat. Socin. & alios.* Etiam coram Judice Sæculari debent Ecclesiastici stare, si bona concessa sint Ecclesijs cum reservatione jurisdictionis Sæcularis. *Molina de Just. & jur. tr. 5. D. 6. in fin.* Sic Reges nostræ Hispaniæ sibi reservarunt jurisdictionem in locis, & territorijs, in quibus jurisdictionem temporalem Episcopis, vel alijs personis Ecclesiasticis concesserunt. *L. 8. tit. 3. lib. 1. R. C.* ibi: *Mandamos, que los Prelados, ò otras personas Eclesiasticas de estos Reynos, en los casos, que tuvieren jurisdiccion temporal, assi en la primera instancia, como en grado de apelacion, ayan de poner, y pongan personas legas, que la exerciten, y administren, y no pongan personas Eclesiasticas: y procediendo los dichos Prelados por sus personas en los dichos casos, en que tuvieren jurisdiccion temporal, no procedan por Censuras; è que los dichos Jueces legos que pusieren, procedan como Jueces temporales, è no como Jueces Eclesiasticos: y mandamos, que en todas las causas temporales, que dellos, ò de qualquiera dellos fuere apelado, otorguen las apelaciones para las nuestras Chancillerìas, ò para otros qualesquier nuestros Jueces, à quien pertenezca el conocimiento de las tales apelaciones, en caso que las dichas apelaciones ayan lugar; y que ante los dichos jueces legos pongan Escrivanos legos, publicos, y Reales, ante quien passen los Autos, habiles, y examinados, y no pongan Notarios Apostolicos; y los del nuestro Consejo dèn las provisiones necessarias para que assi se cumpla.* Deinde coram Sæculari debent sta-

stare Clericus, qui Laico rem vendidit, si evincatur à Laico. *L.* 57. *tit.* 6. *p.* 1. quia tunc tantum indirectè contra Clericum agitur. Similitèr ille Clericus, qui nomine alieno ratione officij convenitur, ut Tutor, Curator, vel Procurator alicujus Laici. *Bobad. Polit. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 130. vel si Clericus sit hæres alicujus Laici, post litem cum de functo contestatam, tenetur coram Sæculari stare. *L.* 57. *tit.* 6. *p.* 1. *Et ibid. Greg. Lop.* V. *Demanda*, quia ubi incœptum est semel judicium, ibi, & finem accipere debet. *L.*30. *ff. h. t.* Clerici Administratores pecuniæ publicæ, vel Regiæ, vel habentes aliud Officium Sæculare, v.g. si sint Auditores Regij, Cathedratici, vel Medici, etiam Familiares S. Inquisitionis, & etiam equites Ordinum Militarium, qui sunt Decuriones alicujus Civitatis, & alij hujusmodi, ratione officiorum (sed non ultra, nec extra ipsa) conveniuntur attento jure Hispaniæ, coram Judice Sæculari. *Hevia in Cur. Phil. p.* 1. §. 5. *ex n.* 22.

12 In criminalibus potest etiam in aliquibus casibus Judex Sæcularis contra Clericum procedere, scilicet. 1. quando Clericus, etiamsi Sacerdos sit, est actualitèr degradatus, & brachio Sæculari traditus. *C.* 4. *c.* 10. *h. t.* 2. si sit assasinus. *C.*1. *de Homicid. in* 6. debet tamen præcedere declaratio assasinij facta à Judice Ecclesiastico; *ex Declarat. Clem. VIII.* 18. *Dec.* 1595. Et procedit de verò assasino, qui ope infidelium homicidium perpetravit. 3. si habitum, & tonsuram non deferat. & ter monitus sit ab Episcopo sub pœna amittendi privilegij Clericalis, illud amittit. *C.* 25. *c.* 45. *de Sent. Excommunic.* 4. si dimisso habitu Clericali se enormitatibus immisceat, & non resipiscat post trinam Episcopi monitionem. *Covar. Pract. qq. c.* 32. *n.* 2. *Barb. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 39. §. 2. *n.* 71. *& seqq.* 5. Clerici Goliardi seu bufones, macellarij, seu carnifices vel tabernarij, si moniti tertio, non desistant, ipso jure privantur privilegio Clericali. *C. un. de Vit. & honest. in* 6. *Cl.* 1. *eod.* Etiam aliquando Laici Judices contra Clericos procedunt de licentia saltem præsumpta Ecclesiastici, ideò possunt apprehendere, detinere; imò, & in carcerare Clericum in flagranti delicto deprehensum, si periculum est in mora, ut quam primum ad Judicem Ecclesiasticum remittant, quod praxi totius Orbis comprobatur: quinimò in Nostra Hispania habetur in *L.* 9. *tit.* 3. *lib.* 1. *R.C. Clerigos de Orden Sacra, ò Religiosos, ò Sacristanes, que fueren hallados andando de noche despues de la Campana de queda por qualquier Ciudad, Villa, ò Lugar sin lumbre, è sin traer habito de Clerigo, ò Frayle: que sea preso por los nuestros Alcaldes, è Justicias del Lugar donde assi fuere tomado, è los lleven à sus Prelados, ò Vicarios, siendo tales, que deban gozar del privilegio del fuero: y los requieran, y amonesten, que requieran, y amonesten à sus Clerigos, y Religiosos, no anden de noche, y à los Sacristanes sin lumbre, è habito honesto; y si dende en adelante no lo guardaren, se passe contra ellos por nuestras Justicias, como hallaren por Derecho.* Et *ibid. Aceved.* Etiam potest Capi per Sæcularem Clericus de fuga suspectus, quando delictum est notorium, vel quandò debitum non vult solvere, nec cautionem de eo solvendo præstare vult: & quidem tunc, & ab ipso creditore detineri potest. Quando Clericus portat arma prohibita, potest eis à Judice Sæculari spoliari, & ipse capitur, ut tradatur Judici Ecclesiastico puniendus; imò, & juxta *Covar.* potest imponi Clerico pœna statuta contra portantes arma prohibita. *Aceved. in L.* 9. *tit.* 3. *lib.* 1. *R. C.* potestque Clericus detineri, & in carcerari à Judice Laico, quando alitèr non potest impediri crimen, quod intendit facere: vel si alitèr non potest præcaveri damnum proximo imminens. Et præter alios casus, potest Capi à Laico, quando hic authoritate, vel mandato Judicis Ecclesiastici procedit. Si Clericus reus læsæ Majestatis sit, & se immisceat rebellioni, aut proditioni subditorum, si inter perduelles in pugna reperiatur, potest occidi, vel Capi à Judice Sæculari, si alitèr damnum caveri nequeat: nam hoc ad defensionem naturalem spectare censetur: at verò quando captus est, non potest contra ipsum à Sæculari procedi, nisi prius degradetur. *C.*4. *c.* 10. *h. t. C.* 2. *c.* 12. *de Foro compet. C.*27. *de V. S.* Si Clericus, vel Regularis falset monetam, degradatur, & traditur Curiæ Sæculari puniendus; *ex Constitut. Urban. VIII. Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 39. §. 2. *n.* 97. Quando Clericus perturbat Regiam Jurisdictionem, vel publicam pacem potest à Rege bonis temporalibus, quæ in suo Regno obtinet, *Hispanè: Temporalidades* privari: & à Regno ejici. *Hispanè: Estrañar.* Et quidem Rex non exercet tunc in Clericos jurisdictionem, sed utitur æconomica potestate, sicut Paterfamilias potest a sua domo Capellanum expellere, quia non expedit quod in sua domo illum retineat. *L.* 18. *tit.* 9. *p.* 1. L.

L. 25. *tit.* 3. *lib.* 1. *R. C. L.* 13. *tit.* 3. *lib.* 4. *R. C. L.* 1. *tit.* 6. *lib.* 1. *R. Ind. L.* 1. *l.* 2. *tit.* 8. *lib.* 1. *R. C. L.* 17. *tit.* 5. *L.* 16. *tit.* 6. *lib.* 3. *R. C.* & sæpè alibi. Et in *L.* 28. *tit.* 14. *lib.* 1. *R. Ind.* præcipit Rex Gubernatori harum Insularum, quod non permittat hic Religiosos scandalosos degere: sed quia hæc materia gravissima, & periculosissima est, & quia doctrinæ, quæ in hoc puncto versantur non sine limitatione, vel restrictione ab omnibus admittuntur: quando casus contingat maturo, & sedulo judicio non præcipiti temeritate casus examinetur: ita ut quantum pax publica permittat, Ecclesiasticis judicibus debitus honor exhibeatur. Et in dubio pro Ecclesia stare debemus. Casus prædicti possunt latius videri apud *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 39. §. 2. *Bobadilla Polit. lib.* 2. *cap.* 18. *Ceval. de Cognit. per viam violent. p.* 2. *q.* 23. *Solorz. de Jure Indiar. t.* 2. *lib.* 3. *cap.* 27. *Hevia in Cur. Phil. p.* 3. §. 3.

13 Etiam ad forum, & Judicem Ecclesiasticum pertinent aliquæ causæ temporales, etiam quando reus est Laicus: quæ quidem ad utrumque forum spectant, & ideò *mixti fori* dicuntur, daturque in ipsis locus præventioni, ac proinde de ea causa cognoscit Judex, qui prævenit, sive Ecclesiasticus, sive Sæcularis sit. *Bobadilla Polit. lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 163. *Gonz. in C.* 2. *h. t. n.* 8. Ita tamen, ut si Laicus punitus est in Foro Ecclesiastico, vel Sæculari condignè, pœna scilicèt ordinaria delicto correspondente, non potest in alio foro rursus puniri. *C.* 6. *de Accusat.* ibi: *De his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari. L.* 6. §. *fin. ff. Naut. Caup.* ubi dicitur quod de eodem delicto sæpius quærendum non est. Si verò solum pœna medicinalis, vel in foro pœnitentiali, licet pœnitentia fuisset publica, vel pœna, etiam judicialis, sed non condigna delicto, in Foro Ecclesiastico, v. g. est imposita, adhuc in Foro Sæculari potest suppleri, quod deest justo supplicio. *L.* 3. *C. de Sportul. C.* 5. *de Pœnis in* 6. Qui enim commisit crimen mixti fori utramque Rempublicam, Ecclesiasticam videlicet, & Sæcularem offendit: justum ergo est, ut ab utraque coerceatur. Et hac ratione si Laicus accusatus de delicto mixti fori, sit absolutus à Judice Ecclesiastico potest condemnari à Sæculari. Ut tenent *Ant. Gom.* 3. *Var. cap.* 1. *n.* 10. *& alij* contra *Glos. in C.* 6. *de Accusat.* V. *Replicari.* Casus ergo mixti fori sunt sequentes. Quando in causis matrimonialibus, decimarum, juris patronatus, & alijs spiritualibus, vel ipsis annexis, non disceptantur quæstiones juris, sed tantum meri facti. V. g. si de adulterio agatur ad illud puniendum, erit causa mixti fori: quod si ad divortium agatur ad Ecclesiasticum pertinet privativè. Si agatur de possessione harum rerum retinenda, vel recuperanda contra Laicum, ad utrumque forum spectat cognitio. Itidem ad utrumque forum spectant causæ sacrilegij, & invasionis rerum Ecclesiasticarum. *C.* 8. *c.* 16. *de Foro Compet.* causæ sodomiæ, fornicationis concubinatus, incestus, blasphemiæ non hæreticalis, juramenti, quando agitur ad ejus observationem, perjurij, quando ad ejus punitionem agitur, falsitatis litterarum Apostolicarum, Usurarum, Sortilegij, Magiæ, & beneficij, quando hæc non sunt hæreticalia aliæque similes causæ mixti fori sunt. Vide *Bobadill. Polit. lib.* 2. *cap.* 17. *Hevia in Cur. Philip. p.* 3. §. 2. *Paz in Prax. tom.* 2. *Pralud. Greg. Lop. in L.* 58. *tit.* 6. *p.* 1. *& alij com.* in his enim casibus potest Judex Ecclesiasticus contra Laicum procedere, sed in Nostra Hispania, quando vult executionem facere in Laicos, vel in bona Laicorum, non debet illos apprehendere per Ministros Tribunalis Ecclesiastici, etiamsi talis vigeat consuetudo, sed debet ad hoc invocare auxilium brachij Sæcularis: quod si alitèr faciat, temporalibus privatur, & potest reus Laicus impunè resistere Ministro Judicis Ecclesiastici. *L.* 14. *l.* 15. *tit.* 1. *lib.* 4. *R. C.*

14 Exemptio Clericorum à jurisdictione sæculari, quoad causas temporales esse de Jure Divino, tenent *Glos. in C.* 11. *D.* 96. V. *Discuti. Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 39. §. 2. *n.* 5. *& alij*, quod probant à paritate Sacerdotum, & Levitarum, qui erant exempti Jure Divino antiquo à jurisdictione sæculari aliarum Tribuum. *Levit. cap. fin. v.* 28. Et ex illo *David Psalm.* 104. *v.* 15. *Nolite tangere Christos meos. Matth.* 17. *v.* 25. ubi Christus D. dixit: *Ergo liberi sunt filij*: ubi nomine filiorum, juxta *D. Hieron.* & *August.* Clerici intelliguntur. E contrà verò, hanc exemptionem in nova Lege solo Jure Positivo esse introductam, tenent *Bellarm. lib.* 1. *de Cleric. cap.* 28. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 31. *n.* 11. *& alij*: quia nullus textus invenitur in novo Testamento, in quo fundetur, imò contrarium constare videtur; nam *Apost. ad Rom.* 13. *v.* 1. sic abso-

Iurè dicit: *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit.* Et *D. Petr.* 1. *cap.* 2. *v.* 13. ita ait: *Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, quaſi excellenti.* Deindè: quia hæc exemptio variatur, tum quoad cauſas, tum quoad perſonas. *C.* 5. *h. t. C.* 27. *de V. S. Trid. ſeſſ.* 23. *de Ref. cap.* 6. Imò & Clerici degradati omninò hac exemptione, & privilegio fori privantur. *C.* 10. *h. t.* quod non accideret, ſi exemptio, & privilegium fori eſſet de Jure Divino, ſicut eſt character. Et ſanè hæc ſententia ex prædictis fundamentis verior apparet, ſaltem ſi addamus, hanc exemptionem mediatè, & in ordinatione eſſe Juris Divini, immediatè tamen eſſe Juris Eccleſiaſtici: quod clarè patet *ex Trid. ſeſſ.* 25. *de Ref. cap.* 20. ubi dicitur: *Nec permiſſum, ut Officiales, aut inferiores Magiſtratus, Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam, &c.* Et quidem dicitur conſtituta *ordinatione Dei*: quia ſtatuta eſt ad imitationem Juris Divini antiqui, & ex quodam inſtinctu, & quodammodò ex præcepto Dei, ſiquidem Clerici ex ipſius Clericatus inſtitutione à Deo facta ſunt Patres, & Magiſtri fidelium. *C.* 9. *D.* 96. ibi: *Quis dubitet, Sacerdotes Chriſti, Regum, & Principum, omniumque fidelium Patres, & Magiſtros cenſeri? Nonnè miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius Patrem, diſcipulus Magiſtrum ſibi conetur ſubjugare, & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubjicere, a quo credit, non ſolum in terra, ſed etiam in Cœlis ſe ligari poſſe, & ſolvi?* Et hoc temperamento adhibito benè concordantur DD. utriuſque ſententiæ, facileque intelliguntur textus utriuſque partis, & præcipuè *Text. in C.* 4. *de Cenſib. in* 6. ubi dicitur, hanc immunitatem eſſe Juris Divini. Et *Text. in C.* 15. 12. *q.* 1. ubi Conſtantinus dixit: *Dij etenim vocati eſtis, & idcircò non poteſtis ab hominibus judicari.* Et *Pſalm.* 104. *Dij enim eſtis.* Deindè, illud Chriſti D. apud *Matth.* 17. *v.* 25. *Ergo liberi ſunt filij*, ad ſummum probat, Divum Petrum, & ejus ſucceſſores eſſe immunes de Jure Divino; vel ſi latius ſumatur, nimis probat, cum non ſolum Clerici, ſed & omnes fideles, filij Dei nuncupentur. E contrà verò illud Divi Petri, & Divi Pauli, quod pro ſecunda ſententia affertur, ſolum probat, quod quiſque debeat ſubeſſe ſuo legitimo Superiori: Laicus, ſcilicèt, Sæculari, Clericus verò Eccleſiaſtico. Et hanc ſententiam tenent *Bobad. Polit. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 35. *Gonz. in C.* 8. *h. t. n.* 11. *& alij.*

15 Quamvis Judex Eccleſiaſticus poſſit cognoſcere contra Laicum in cauſis miſerabilium perſonarum, & oppreſſarum, vel quando Judex Sæcularis negligens eſt in adminiſtranda juſtitia. *C.* 10. *c.* 11. *c.* 15. *de Foro compet.* tamen in noſtra Hiſpania hoc non admittitur: ſiquidem Laicus non poteſt coram Judice Eccleſiaſtico Laicum in re merè profana convenire, nec Eccleſiaſtici juriſdictioni ſe ſubmittere: nam punietur amiſsione actionis, & officij, & alijs pœnis pecuniarijs. *L.* 10. *tit.* 1. *lib.* 4. *R. C.* ibi: *Ordenamos, que ningun Lego ſea oſſado demandar, citar, ni emplazar à otro Lego delante del Juez de la Igleſia, ni hacer, ni otorgar obligacion ſobre ſi, en que ſe ſometa à la juriſdiccion Eccleſiaſtica ſobre deudas, ò coſas profanas: y ſi lo hiciere, mandamos, que por el miſmo hecho pierda la accion, y ſea adquirida al reo; y ſi tuviere officio en qualquier de las Ciudades, Villas, y Lugares de nueſtros Reynos, pierda el officio; y ſi officio no tuviere, que dende en adelante no pueda aver otro; y demàs, que cayga en pena de diez mil maravedis, la mitad para el acuſador, y la otra mitad para el reparo de los Muros en la Ciudad, Villa, ò Lugar, do eſto acaeciere. Aceved. ibid. n.* 47. Quando ergo Judex Sæcularis eſt negligens in adminiſtranda juſtitia, hæc negligentia ſupplenda eſt à Judice Sæculari illius Superiori, non verò ab Eccleſiaſtico: quia Eccleſia adminiſtrationi juſtitiæ in temporalibus, & profanis cauſis non ſe immiſcet, quando ad Superiorem datur recurſus. *C.* 13. *h. t. L.* 10. *l.* 11. *tit.* 1. *lib.* 4. *R. C.* ſimilitèr negligentia Judicis Eccleſiaſtici ab Eccleſiaſtico Superiori ſuppletur: minimè verò à Laico, qui eſt juriſdictionis Eccleſiaſticæ incapax. *C.* 2. *h. t.* debentque propterea Prælati Eccleſiaſtici Laicis de Clericis, appellatione fruſtratoria non obſtante, juſtitiam facere: *Ne pro defectu juſtitiæ Clerici trahantur à Laicis ad judicium ſæculare, quod omninò fieri prohibemus. C.* 17. *h. t.* In noſtra Hiſpania ab antiquo viget conſuetudo, ut Prætoria Regia per viam violentiæ extra ordinem cognoſcant de abruptis proceſsibus Eccleſiaſticorum, quando hi deferre nolunt juſtis reorum appellationibus, Regijque Senatores Regiam Proviſionem emittunt, ut Judex Eccleſiaſticus ceſſet, & per 60. dies abſolvat excomunicatos, ſi qui ſunt, præcipiatque Notario, ut parti tradat proceſſum originalem: & eo in Supremis Tribunalibus relato, abſque novis actis, nuda notione, abſque ullo juriſdictionis exercitio declaratur, Judicem Eccle-

V. fiaſ-

siasticum in non deferendo appellationi vim facere: jubeturque, ut appellationi deferat. *L. 36. tit. 5. lib. 2. R. C.* ibi: *Por quanto assi por derechos, como por costumbre immemorial, nos pertenece alzar las fuerzas, que los Jueces Eclesiasticos, y otras personas hacen en las causas que conocen, no otorgando las apelaciones, que de ellas legitimamente son interpuestas: por ende mandamos à nuestros Presidentes, y Oidores de las nuestras Audiencias de Valladolid, y Granada, que quando alguno viniere ante ellos quexandose, que no se le otorga la apelacion, que justamente interpone de algun Juez Eclesiastico, dèn nuestras Cartas en la forma acostumbrada en nuestro Consejo, para que se otorgue la apelacion; y si el Juez Eclesiastico no la otorgare, manden traher à las dichas nuestras Audiencias el Processo Eclesiastico originalmente, el qual trahido, sin dilacion lo vean: y si por el les constare, que la apelacion està legitimamente interpuesta, alzando la fuerza, provean que el tal Juez la otorgue, porque las Partes puedan seguir su justicia ante quien, y como deban, y repongan lo que despues de ella huvieren hecho. Y si por el dicho Processo pareciere la dicha apelacion no ser justa, y legitimamente interpuesta, remitan luego el tal Processo al Juez Eclesiastico, con condenacion de costas, si les pareciere, para que el tal proceda, y haga justicia.* Ratio hujus praxis est: nam si vi oppressus, potest, Jure Naturali sic dictante, vim vi repellere, etiam cum morte aggressoris, quare ipse oppressus non poterit potentia, & brachio forti Principis defendi? Cum de illis loquens *Hierem. 22. v. 3.* dicat: *Hæc dicit Dominus: Facite judicium, & justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris.* Et in *C. 31. 16. q. 7.* dicitur: *Quod si talia Episcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc insinuare procurent; Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant.* Et in *C. 20. 23. q. 5.* dicitur: *Principes Sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. C. 23. c. 26. 23. q. 5.* & roboratur exemplo *Divi Pauli Act. 25. v. 10.* ubi Apostolus Præsidi festo dixit: *Ad Tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari.* Et hæc praxis, & consuetudo est approbata ab Academijs Salmantina, & Complutensi, & à Sacra Rota. Et à Sancta Theresia de Jesu, quando Nuntius reformationem à Sancta procuratam prohibere tentavit, satis probatum hoc remedium videtur. *Tom. 3. Epist. 27. n. 4.* Et hanc praxim, vel ex privilegio Pontificio, vel ex immemoriali consuetudine provenientem, vel potius in Jure Naturali fundatam defendunt. *Bañez 1. 2. q. 6. art. 1. dub. 2. concl. 6. Salgad. de Reg. Protect. lib. 1. cap. 2. n. 343. Puente de Utriusq. Monach. concord. L. 1. cap. 11. §. 2. Salced. de Leg. Polit. lib. 1. ex cap. 7. Cevallos de Cognit. per viam viol.* ubi latè *Aceved. in L. 2. tit. 6. lib. 1. R. C.* Et præcipuè *in L. 80. tit. 5. lib. 2. R. C.* ubi dicitur, quod prædictum remedium non est contra Bullam Cœnæ: & redditur ratio: *Y que el remedio de la fuerza es el mas importante, y necessario, que puede aver para el bien, y quietud, è buen govierno de ellos, sin el qual toda la Republica se turbaria, è se seguirian grandes escandalos, è inconvenientes.* Idem remedium sæpè repetitum habemus pro his Indiatum Provincijs in *L. 134. & seqq. tit. 15. lib. 2. R. Ind.* Et meritò quidem: nam sæpè in his remotissimis Regionibus accidit, quod dicebat Onias *2. Machab. 4. v. 6. Videbat enim sine Regali providentia impossibile esse, pacem rebus dari, nec Simonem posse cessare à stultitia sua. Solorz. de Jur. Indiar. t. 2. lib. 4. cap. 3. n. 35. Villaroel de Regim. Eccles. p. 1. q. 1. art. 12. ex n. 49. Et p. 2. q. 11. art. 2. n. 20. Avendañ. Thesaur. Indic. tom. 1. tit. 2. cap. 7. ex n. 79. & alij plures contra aliquos*: debent tamen cavere Judices, ne in hujus remedij usu excedant. Via namque periculosa est, *& eget moderamine certo.*

16 Judicium varijs modis finitur. 1. Per sententiam definitivam, quæ rei controversæ finem imponit. Tunc enim Judex suo officio jam functus est, & Judex esse desinit, quoad illam causam, *L. 55. ff. de Re judicat.* quod si non sit appellatum intra decendium in foro Ecclesiastico, *C. 15. de Sentent. & re judic.* & ubi Jus Civile servatur *Novel. 23. cap. 1.* vel intra quinque dies in foro Sæculari in nostra Hispania. *L. 1. tit. 18. lib. 4. R. C.* Controversia finitur omninò: nam sententia transit in authoritatem rei judicatæ. Quod si à sententia lata sit appellatum in tempore oportuno, finitur instantia, quamvis adhuc sub lite maneat controversia. 2. Finitur judicium mutua partium voluntate: nam quamvis judicio cœpto, neuter litigans, repugnante adversario, possit ab illo recedere; *arg. L. 5. C. de O. & A.* tamen si uterque consentiat, cum nulli fiat injuria, & quilibet juri in sui favorem inducto renuntiare valeat, benè possunt à judicio recedere, sicut possunt alij contrahentes à contractu mutuo consensu discedere. *C. 2. de Sponsal.* 3. Jure Civili cau-

sa criminalis intra biennium, civilis intra triennium à contestatione litis debebat decidi; alias peribat instantia. *L.* 13. *C. h. t.* aliquibus casibus exceptis apud DD. sed jam usu contrario hujusmodi Lex cessavit: Jure tamen Canonico instantia perpetuatur, donec terminetur per sententiam. Ut contra aliquos deducitur ex *C.* 20. *h. t.* & tenent *Glos. ibid. Barbos. & alij. In Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 20. permittitur, ut partes elapso biennio possint Judicem Superiorem adire; sed si velint, possunt prosequi instantiam apud Judicem inferiorem, coram quo incoeptum est judicium. Similitèr finitur instantia, quando pars absolvitur ab observatione judicij, ita ut non teneatur jam in ea instantia respondere. Sed tamen alteri parti jus suum reservatur, ut novo judicio intentato, possit procedere: quod accidit, si in litis progressu appareat, quod actoris petitio fuit inepte proposita. *C.* 15. *h. t.* vel reo comparente ad præfixum terminum actor contumacitèr absit: Tunc enim potest reus petere ab instantia absolvi; in alijsque ejusmodi casibus.

17 Judicium ex varijs capitibus solet esse nullum, ita ut nullum effectum producat: tale est quando Judex, vel est incapax jurisdictionis, vel eam actu non habet, vel etiam si habear, est impedita. *C.* 4. *h. t. c.* 24. *de Sentent. & re judic. L.* 2. *l. fin. C. Si à non compet.* vel si litigantes personam legitimam standi in judicio non habeant, vel si Procurator careat mandato sufficiente, vel si defuit actus, vel solemnitas substantialis, v. g. citatio, contestatio litis, vel sufficiens instructio causæ. In nostra Hispania defectus ordinis judiciatij, non annullat judicium, quoties sufficientèr potest de veritate rei controversæ constare. *L.* 10. *tit.* 17. *lib.* 4. *R. C.* ibi: *Por ende establecemos, assi en los pleytos Civiles, como Criminales, assi en primera Instancia, como en segunda, ò tercera, que si la demanda, ò acusacion pareciere assentada en el Proceesso, aunque no sea dada por la Parte en escrito, ò faltare en la Demanda el Pedimento, ò alguna de las cosas, que en la Demanda deben de ser puestas, segun la subtileza del Derecho, ò que no se aya fecho juramento de calumnia, estando pedido por la Parte una vez solamente, ò que la sentencia no fuè leida por el Alcalde, ò que desfallece en las otras solemnidades, y substancias de la orden de los juicios, que los Derechos mandan, ò alguna de ellas, conteniendose todavia en la Demanda la cosa, que el Demandador entendiò demandar, ò el Acusador pedir, seyendo llada, y probada la verdad del fecho por el Processo, en qualquier de las Instancias, que se viere, sobre que se pueda dar cierta sentencia, que los Jueces, que conocieren de los pleytos, y los ovieren de librar, los determ.nen, y juzguen segun la verdad, que hallaren probada en los tales pleytos: y las Sentencias, que en ellos dieren por las razones dichas, no dexen de ser valederas. Pero si el demandado, seyendo llamado antes que vaya el pleyto adelante, pidiere que el Demandador dè su Demanda por escrito, que quede en alvedrio del Juez para lo mandar, si viere que conviene, que se faga assi. Y ansimismo, que si las cosas, que fueren de substancia del juicio, y la Parte pidiere, declarandolas, que la otra Parte las guarde, y no quisiere, seyendole mandado; y lo mismo en no jurar de calumnia, seyendole pedido, y mandado dos veces, que entonces sentenciando el Juez, sin se facer lo susodicho, sea avido el pleyto por ninguno, y el Juez condenado en costas*: ubi late *Aceved.* varias quæstiones disputans. Acta in aliquo judicio coram Judice competente discusso fidem faciunt in alio judicio inter easdem personas, & ad eundem finem, etsi diversus sit Judex, & etiamsi sententia non sit lata in primo judicio, v. g. si tantum depositiones inveniantur. *C.* 15. *de Testib.* sicut sententia lata per Ecclesiasticum admittitur in foro Sæculari, & è contrà, causatque exceptionem rei judicatæ. *C. fin. de Except. in* 6. quippè jam est parti jus adquisitum, quod alius Judex illi non debet tollere. Acta verò coram Judice incompetente, vel in judicio nullo, cum nulla sint, non faciunt fidem coram competente Judice. *C.* 4. *h. t.*

18 Sæpè judicia insigniuntur nomine actionum, quibus in unoquoque judicio agitur. Sic solet dici judicium personale, reale, bonæ fidei, stricti juris, simplex, duplex, &c. Et cum in litium pugna arma, quibus adversarios imperimus sint actiones, de illis necessarium est saltem duo verba proferre. *Actio enim est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur.* §. 1. *Inst. de Action.* hoc est, facultas à jure concessa ad persequendum quod debetur, non solum jure personali ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto, vel quasi delicto, sed etiam quod debetur, quia nostrum est. Actio ergo multiplex est. 1. Actio alia est *realis*, alia *personalis*. Actio *realis*, *seu in rem* est illa, qua rem nostram, quam alius possidet, vel dolo desijt possidere, petimus. Hæc rursus alia est *Civilis*, alia *Pratoria*, prout à Jure Civili, vel

Præ-

Prætorio proveniebat. Et quidem civilis, vel est in rem corporalem, ut est rei vindicatio, quæ soli Domino ad rem suam vindicandam, competit: vel est in rem incorporalem, ut *actio confessoria*, quæ competit ad servitutem asserendam contra quemcunque eam impedientem, vel etiam *actio negatoria*, quæ competit ad servitutem negandam contra quemcunque possessorem: qua quidem negatur, servitutem ad eum pertinere. Actio præjudicialis, per quam agitur, an aliquis sit liber, vel servus, etiam Civilis est, quia in ea de dominio mancipij quæritur, & dominij vindicatio Civilis est. Etiam actio realis Prætoria, qua rem persequimur multiplex in jure invenitur. 1. Actio *Publiciana*, sic dicta à suo Authore Publio Prætore; qua quis repetit à quocumque possessore, tanquam usucaptam, (licet nondum usucapta sit) rem, quam bona fide à non Domino accepit, dummodo possessor, à quo reperit, vel nullo, vel inferiori titulo possideat. 2. Actio *Rescisoria*, quæ datur adversus præscribentem, ut rescindatur præscriptio, & detur restitutio: & postquam res præscripta est tanquam non præscripta habeatur. 3. *Pauliana*, qua creditor rem in ipsius fraudem alienatam à debitore revocat, tanquam si alienata non esset. 4. Duæ aliæ actiones præjudiciales de libertinitate, & de partu agnoscendo. De alia præjudiciali jam diximus. 5. Actio *Serviana*, quæ datur locatori prædij rustici ad persequendas res, per conventionem expressam in securitatem pensionis, sibi obligatas. 6. *Quasi serviana, seu hypothecaria*, quæ datur creditori cuicumque ad persequendas res sibi oppignoratas tacitè, vel expressé, sive pignus sit conventionale, sive legale, sive prætorium, sive judiciale. Etiam deservit ad possessionem talium rerum obtinendam, vel retinendam, donec debitum solvatur: & ipsa persequitur creditor pignora, & hypothecas. De quibus latè Institutarij. *In* §. 3. *& seqq. Inst. de Action.* Et præcipuè *Pichardo*. Actio personalis, quæ etiam dicitur *condictio* à *condicendo, seu denuntiando*, est illa, qua aliquem nobis dare, aut facere oportere, intendimus: & hæc rursus, vel est Civilis, vel Prætoria prout originem ducit. Civilis enim est illa, quæ ex legitimis, & civilibus causis descendit: ut est fere omnis, quæ ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto, vel quasi delicto oritur. Prætoria est illa, quæ ex naturalibus causis, & obligationibus à Prætore, attentâ æquitate naturali, roboratis, & confirmatis procedit. Talis est. 1. Actio *de Constituta pecunia*, qua agimus, contra eum, qui constituit, vel recepit nudo pacto, se soluturum, quod ipse prius, vel alius debebat. 2. *Actio de peculio*, qua pater pro filio, & Dominus pro servo, qui sunt obligati alicui ex contractu conveniuntur, ut solvant ex peculio filij, vel servi secundum peculij vires. 3. Actio ex *jure jurando*: quando quis postulante adversario jurat, sibi deberi pecuniam, quam petit. Sic enim juranti justissimè commendat Prætor talem actionem, per quam, non illud quæritur, an ei pecunia debeatur: sed an juraverit. Latius Institutarij. *In* §. 8. *& seqq. Inst. de Action.*

19 2. Actio alia est rei *persecutoria*, alia *pœnalis*. *Rei persecutoria* est illa, per quam petimus rem, quæ nobis abest: Tales sunt omnes actiones in rem, & etiam actiones personales ex contractibus descendentes, quibus petimus simplum: item condictio furtiva. Pœnalis est illa, qua petimus pœnam nobis applicari, v. g. duplum. Talis est. 1. actio civilis *furti nec manifesti in duplum*. 2. actio Prætoria *furti manifesti in quadruplum*. 3. actio infactum *de albo corrupto*. V. g. si Prætor Edictum proposuit, & aliquis illud conscidit, vel abstulit datur contra hunc actio pœnalis de albo corrupto: quæ sic vocatur, quia Edictum dicitur album, quia albis litteris conscribebatur. 4. actio *de in jus vocando*, quæ datur contra filium emancipatum, vel libertum, qui patrem, vel patronum sine venia in jus vocarunt. 5. actio *de vi eximente in jus vocatum*, quæ datur contra eum, qui vi exemit, aut dolo fecit, ne ad judicium veniret ille, qui mihi obligatus in jus vocatus erat. Aliæque innumerabiles actiones pœnales inveniebantur. §. 12. *Inst. de Action.* quod si quis simul rem, & pœnam peteret, erit actio *mixta*: Talis est. 1. actio civilis *Legis Aquiliæ* de damno injuriæ dato, non solum si adversus inficiantem, in duplum agatur, sed interdum licet in simplum quisque agat. §. 19. *Inst. de Action.* 2. *legatorum ad pias causas*: nam si hæredes, vel testamentarij ea dare distulerunt, usque adeò, ut etiam in judicium vocentur; tunc, & ipsam pecuniam relictam, & aliud tantum pro pœna dare compelluntur. 3. actio Prætoria *depositi miserabilis*, quæ in duplum datur adversus eum, qui tumultus, incendij, ruinæ, & naufragij causa depositum inficiatus fuerit, ejus-

eiusvè hæredem fraudulentum. 4. actio *vi bonorum raptorum*, qua in quadruplum agitur, sed in eo rei persecutio continetur, ita ut pœna sit tripli.

20 3. Quædam actiones mixtam causam obtinere videntur, tàm in rem, quàm in personam. Talis est. 1. Actio *familiæ herciscundæ*, quæ competit cohæredibus pro dividenda hæreditate. 2. Actio *communi dividundo*, quæ inter eos redditur, inter quos aliquid commune est, ut dividatur. 3. Actio *finium regundorum*, qua inter eos agitur, qui confines agros habent: in quibus tribus judicijs permittitur judici ex bono, & æquo rem alicui ex litigatoribus adjudicare, & si unius pars prægravari videtur, eum invicem certa pecunia alteri condemnare. §. 20. *Inst. de Action.* 4. Aliæ actiones sunt *bonæ fidei*, aliæ *stricti juris*, aliæ *arbitrariæ*. 1. bonæ fidei actiones, ita dictæ quasi latæ interpretationis sunt illæ, quibus judici permittitur ex bono, & æquo judicare, etiam de rebus, de quibus inter partes conventum non est. Et quia in eis æquitas exuberare debet actiones bonæ fidei nuncupantur. Tales sunt actiones ex empto, vendito, locato, conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, tutelæ, commodati, pignoratitia, familiæ herciscundæ, communi dividundo, præscriptis verbis, quæ de æstimato proponitur, & ea, quæ ex permutatione competit, hæreditatis petitio, & actio ex stipulatu pro exactione dotis. §. 28. *Inst. de Action. Stricti juris* actiones, quasi strictæ interpretationis dictæ, sunt illæ, in quibus judex solum ex præscripto formulæ, atque conventionis judicat, nulla æquitatis habita ratione: Tales sunt certi condictiones ex omnibus fere causis, & actiones ex stipulatu, mutuo, & arbitrio, & reliquæ, quæ inter actiones bonæ fidei non inveniuntur. *Arbitrariæ* sunt illæ in quibus arbitrium judicis præcedit condemnationem, ut sunt Publiciana, Serviana, quasi Serviana seu Hypothecaria, quod metus causa, de dolo, quod certo loco, & ad exhibendum: In his enim actionibus, & alijs similibus permittitur judici ex bono, & æquo secundum cujusque rei, de qua agitur, naturam, æstimare quemadmodum actori satisfieri oporteat. 5. Aliæ actiones sunt *perpetuæ*, aliæ *temporales*: *Perpetuæ* sunt illæ, quæ sine aliqua temporis taxatione olim proponi poterant, quousque certos limites constitutiones eis imposuerunt. *Temporales* sunt illæ, quæ ad determinatum tantum tempus durant ex juris dispositione, quales erant olim Prætoriæ, quæ uno tantum anno, sicut officium Prætoris durabant: & hodie est actio *redhibitoria*, quæ sex mensibus præscribitur, & aliæ.

21 6. Aliæ actiones sunt *transitoriæ ad hæredes*, aliæ *non transitoriæ*. *Transitoriæ ad hæredes* sunt illæ, quæ post mortem actoris, vel rei adhuc durant, & in eorum hæredes transeunt. Tales sunt actiones, quæ fluunt ex dominio, actiones in rem, quæ transeunt ad hæredes actoris: secus ad hæredes rei, nisi ad ipsos transeat res. Item actiones, quæ ex contractu, vel quasi contractu oriuntur, quæ quidem dantur hæredibus actoris, vel creditoris, & contra hæredes rei, vel debitoris. *L.* 152. *l.* 157. *ff. de Reg. jur.* Actiones verò, quæ ex delicto nascuntur, quando criminaliter agitur ad vindictam seu pœnam publicam defuncto eo, qui reus criminis fuit, extinguuntur, sicut morte ipsa extinguuntur crimina. *L.* 6. *ff. de Public. judic.* ac proindè non transeunt ad accusatoris, nec rei hæredes. Nam reo defuncto ulterius non progreditur. Actiones, quæ ex delicto descendunt, & simul pœnales sunt, non transeunt contra hæredes rei. Nam ut ait *Justinian. in* §. 1. *Inst. de Perpet. & tempor. action. Est enim certissima juris regula, ex maleficijs pœnales actiones in hæredem rei non competere, veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, damni, injuriæ: Sed hæredibus hujusmodi actiones competunt, nec denegantur, excepta injuriarum actione, & si qua alia similis inveniatur. Aliquando tamen ex contractu actio contra hæredem non competit, veluti cum testator dolosè versatus sit, & ad hæredem ejus nihil ex eo dolo pervenit. Pœnales autem actiones, quas supra diximus, si ab ipsis principalibus personis fuerint contestatæ, & hæredibus dantur, & contra hæredes transeunt*: Si ad delinquentis hæredes aliquid pervenisset, contra ipsos transit actio in quantum ad ipsos pervenit. *L.* 44. *ff. de Reg. jur.* Jure Canonico actio orta ex delicto, quatenùs est rei persecutoria, cum supponat verum debitum defuncti, & æs alienum, ad quod solvendum hæredes tenentur, ad ipsos transit, etiamsi lis cum defuncto non sit contestata. *C.* 5. *de Raptor. C. fin. de Sepultur.* 7. Alia actio est *directa*, alia *contraria*. *Directa* est, quæ com-

competit ei, ad quem res pertinet. *Contraria*, quæ alteri competit, v. g. actio directa depositi competit deponenti ad repetendum depositum, & accessiones ejus. Actio contraria depositi competit ei, penes quem res deposita est ad petendum impensas, &c. 8. Alia est *directa*, alia *utilis*. *Directa* in hoc sensu est, quæ directè oritur ex verbis Legis. *Utilis*, quæ ex mente, & interpretatione Legis oritur. 9. Actio *infactum* est illa, quæ neque ex verbis, neque ex mente Legis oritur, sed per ulteriorem interpretationem est introducta ex æquitate: veluti siquis misericordia ductus alienum servum compeditum solverit, ut fugeret. §. *fin. Inst. de Lege Aquil.* Dicitur hæc actio infactum, quia actor simpliciter narrat factum, & deficit nomen actionis, vel contractus, & petit, reum, æquitate exigente, condemnari. 10. Actio *præscriptis verbis* est illa, qua quis petit, reum condemnari secundum verba præscripta in libello, in quo actor rem gestam simplici relatione verborum describit, oriturque ex contractibus innominatis. Satisque de actionibus dictum videtur, cum latiorem earum explicationem prosequi, nec nostri sit instituti, nec brevi, posit spatio concludi ob materiæ ambages, & implexas difficultates: nam certè: *Hic labor ille domus hic inextricabilis errori* Sed cum nostrum Jus Canonicum non amet nimias subtilitates, non est necessarium in nostro Jure nomen actionis in libello apponere, sed sufficit simplex factum narrare. *C. 6. h. t.* Et idem accidit de Jure Hispano. *L. 40. tit. 2. p. 3. l. fin. tit. 2. lib. 4. R. C.* quod si fortè actor ineptam actionem intentavit, potest eam emendare, vel mutare, durante judicio, vel posteà. *C. 15. h. t.* ibi: *Undè intentionem tuam in hac parte pronuntiavimus, non tenere, absolventes eosdem milites ab eadem: ita tamen, quod si congruentem, & aptam intentare volueris actionem, respondere tibi nihilominùs teneantur.* Pro pleniori tamen actionum intelligentia Consule Civilistas, & Institutarios, præcipuè *D. D. Anton. Pichard. in lib. 4. Inst.* qui latissimè de eis agit. Et si velis eas ad praxim reducere, vide *Gundisalvum Suar. de Paz in Prax. tom. 5.* ubi sermone Hispano habet libellos formatos singulis actionibus correspondentes.

(S)(S)(S)

TIT. II.

De Foro competente.

22 FOrum propriè dicitur locus ubi nundinæ fiunt, *Hispanè: Plaza, ó Mercado*, sic à *ferendo dictum*, quia illuc feruntur, quæ vendenda sunt, teste *Nebrissensi*, V. *Forum*. Et quia in illo loco Gentiles jus dicebant; *forus*, vel *forum* nunc vocatur ille locus, seu Tribunal ubicumque sit, ubi jus dicitur. *L. 9. §. 4. ff. de Pœnis*, aliter hoc intelligit D. Isidorus in *C. 10. de V. S.* ubi sic ait: *Forus est exercendarum litium locus à fando dictus, sive Phoroneo Rege, qui primus Græcis Legem dedit.* Etiam dicitur *Tribunal*, *Audientia*, & *Consistorium*. Etiam forum sumitur pro jurisdictione, seu potestate publica cognoscendi de re controversa. Et hinc causæ forenses dicuntur, quæ in foro disceptantur. Forum ergo sumptum pro loco judicij exercendi est duplex, aliud *competens*; *incompetens* aliud. *Competens* est illud, in quo reus conveniri potest, & debet: & hoc dicitur *simpliciter competens*: nam est & aliud, quod licet incompetens sit, potest consensu partium judicis inibi judicaturi jurisdictio prorogari. Tale est forum Ecclesiasticum respectu Laicorum. *C. 18. h. t.* *Incompetens* est illud, in quo nec debet, nec potest reus conveniri: & si jurisdictio talis Judicis nec consensu partium posit prorogari; dicitur simplicitèr *incompetens*, & Judex ibi judicans *incapax habetur*. Talis est Laicus respectu causarum spiritualium. *C. 18. h. t.* Et sententia ab eo lata est ipso jure nulla. *C. 4. de Judic. L. 2. l. fin. C. Si à non compet.* contra quam etiam post tres sententias nullitas potest opponi. Si tamen sententia lata sit à Judice incompetente, cujus jurisdictio à partibus potest prorogari, & hoc ab ipsis sciatur, & non opponatur exceptio fori declinatoria, valet, & sustinetur sententia; secus est, si ignorarunt talis Judicis incompetentiam: nam tunc non censetur in prorogationem consentire; *arg. L. 15. ff. de Jurisdict.* Rursus forum dividitur in *Saculare*, & *Ecclesiasticum*, sicut de judicio jam diximus: Ecclesiasticum aliud est *externum*, *internum aliud*. *Externum*, quod *forum fori* appellatur, est illud, in quo secundum allegata, & probata Judex procedit. Et quidem aliquando dicitur *contentiosum*, estque illud, in quo exercetur juris-

Jurisdictio contentiosa, in invitos, scilicèt, & renuentes. Aliquando verò *voluntarium*, estque illud, in quo jurisdictio voluntaria, scilicèt in volentes tantum exercetur: forum *internum*, quod *forum poli, seu conscientiæ* dicitur, est illud, in quo secundum conscientiam propriam quis solvitur, & ligatur: quod si hoc fiat in administratione Sacramenti pœnitentiæ, dicitur forum *Sacramentale, seu pœnitentiale*: & sic absolvitur quis à peccatis. Quod si extra Sacramentum pœnitentiæ quis solvatur, dicitur solvi absolutè in foro conscientiæ, vel interno. Sic potest quis absolvi à Censuris, vel dispensari in voto pro foro interno, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ.

23 Quando litigantes sunt diversi fori; v. gr. Clericus, & Laicus, regularitèr actor sequitur forum rei. *C.* 15. 11. *q.* 1. *c.* 5. *c.* 8. *h. t. L.* 5. *C. de Jurisdict. l.* 32. *tit.* 2. *p.* 3. nisi consuetudo contraria vigeat, vel aliquod privilegium obstet. Sic Clericus actor debet agere contra Laicum reum in foro Sæculari. Salmanticæ tamen viget consuetudo, quod Judex Ecclesiasticus cognoscat adversus Laicos, etiam quando hi sunt rei, ad petitionem Clericorum. *Paz in Prax. tom.* 2. *prælud.* 2. *n.* 20. Si actor possit reum coram diversis judicibus convenire, ut sæpè accidit, in electione actoris est adire Judicem, quem maluerit. *L. fin. C. de Jurisdict. Paz in Prax. tom.* 1. *p.* 1. *temp.* 1. *n.* 77. Reus citatus ad competentem Judicem, coram ipso comparere tenetur; secus si ad incompetentem citetur. *L.* 53. §. 3. *ff. de Re Judic. leg.* 32. *tit.* 2. *p.* 3. Si dubitat de Judicis competentia, comparere similitèr tenetur: quia *Prætoris est æstimare, an sua sit jurisdictio: vocati autem non contemnere authoritatem Prætoris. L.* 5. *ff. de Judic.* quod intelligitur, quando nullum commodum Judici resultat: secus est, si resultet: nam tunc ipse non judicabit de sua jurisdictione: potest tamen reus, qui de competentia Judicis dubitat, opponere exceptionem incompetentiæ, seu fori declinatoriam: & quidem eam statim in litis exordio apponet: nam si aliquem actum judicialem faciat, videbitur in Judicem consensisse, nec postea audietur, nisi juret, posteà ei innotuisse Judicis incompetentiam, vel si Judex eum impediverit, vel si sit incapax: nam tunc prorogari non potest.

24 Judex extra suum territorium, hoc est, locum, ad quem est limitata sua jurisdictio, non potest jurisdictionem contentiosam; v. gr. citando reum, etiam in suos subditos exercere: sive ipse cum illis extra territorium sit, sive illi solum: *Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impunè. C.* 2. *de Constit. in* 6. *L. fin. ff. de Jurisdict. L.* 53. *C. de Decurion. lib.* 10. ibi: *Duum virum impune non liceat extollere potestatem fascium extra metas territorij propriæ Civitatis.* Potest tamen Judex extra territorium suum exercere jurisdictionem voluntariam; v. g. conferre beneficia, absolvere pœnitentes, dispensare in votis, legitimare spurios, assistere matrimonio sui Parochiani, & alia hujusmodi. Imò & jurisdictionem contentiosam exercere valet, si non requiritur causæ cognitio judicialis, neque partium contentio sit necessaria; v. g. Si Princeps extra territorium faciat statutum. Quod quidem maximè procedit in causis notorijs ubi non est necessaria causæ cognitio. *C.* 9. *de Accusat.* quin nec citatio. *C.* 5. §. 2. *de Appellat.* Si verò subditi consentiant saltem tacitè, id est, si non contradicant, & detur consensus Judicis, in cujus territorio existunt, potest Judex ipsorum, in eos jurisdictionem contentiosam exercere, etiam cum causæ cognitione. *C.* 3. *c.* 7. 9. *q.* 2. *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 19. *n.* 8. *plures citans.* Quippè tunc nec litigantes trahuntur inviti extra suum territorium, nec Judici illius territorij irrogatur injuria: siquidem omnes in usum, & exercitium talis jurisdictionis consentiunt. Episcopi à suis Sedibus expulsi in alijs Diœcesibus jurisdictionem contentiosam valent exercere, non solum contra suos expulsores, Consiliarios, & fautores eorum, sed etiam inter suos subditos jus dicere valent: dummodò per se, vel per alium, hoc in suis Diœcesibus facere non audeant, vel non possint; ita tamen, quod subditi, qui expulsores, vel eorum fautores, aut Consiliarij non fuerint, ultra duas diætas à fine suæ Diœcesis non trahantur: debent tamen Episcopi expulsi petere licentiam ab Episcopo illius Diœcesis, quam si obtinere nequiverint procedere nihilominùs debent. *C. un. h. t. in* 6. Locus exemptus extra territorium esse censetur, ac proindè Episcopus, licet in quolibet loco suæ Diœcesis possit per se, vel per alium pro Tribunali sedere, ab hoc excipitur locus exemptus. *C.* 7. *de Offic. Ordinar. in* 6. Judex extra territorium existens bene potest per alium (quem, dum adhuc esset in suo territorio delegatum constituit) exercere in suos subditos jurisdictionem contentiosam;

fam: dummodò ille delegatu ritorium existat. Si tamen ex rium constitutus Judex vellet suo territorio constituere deleg sensus tamen subditorum esset ne cum Judici, extra territorium jus non pareatur impunè. C. 2. *de Conf.* Nec Judex in suo territorio existens test citare suos subditos extra illud ex tentes, nec citatione verbali, & simplici, quæ fit per nuntium, aut apparitorem, nec citatione reali, quæ fit per capturam. *Cl. 2. de Re Judic. L. 3. ff. de Offic. Præsid.* nisi talis subditus sit adstrictus obedientia perpetua, & personali, & aufugiat; ut Religiosus à Monasterio, uxor à marito, servus à Domino. *L. 1. C. Ubi quis, de Curial.* Et sententiam, quam in absentes, eo quod citati non compareant, validè Judices pronuntiant, *L. fin. C. Quomod. & quand.* non possunt exequi in persona, vel rebus eorum, quæ extra territorium existunt, nisi consensus Judicis, in cujus territorio sunt accedat. *C.* *4. h. t.* qui imploratus per litteras requisitorias promptè debet suum auxilium præbere, cum una jurisdictio ab alia adjuvanda sit. *C. 1. §. 3. h. t. in 6.*

25 Licet Supremus Judex, qualis est Rex, vel Respublica non recognoscens Superiorem potest in sua causa judicare inter se, & suos subditos. *C. 12. de Judic.* nam hoc exigit plenitudo potestatis, ob quam non potest cogi stare alterius judicio. *Gloss. in C. 12. h. t. V. Judicari. Barbos. ibid. n. fin.* Tamen Judex inferior nequit in sua causa Judex esse. *C. 27. 23. q. 4.* ibi: *Unde de cætero omninò esto circumspectus, atque solicitus, & talia cuiquam pro defensione propria injuria tuæ inferre denuo non præsumas: nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum. L. un. C. Ne quis in sua caus.* ibi: *Generali Lege decernimus, neminem sibi esse Judicem, vel jus sibi dicere debere: in re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiæ. L. 10. tit. 4. p. 3.* ibi: *E por ende decimos, que ningun Judgador non debe oir, ni librar pleyto sobre cosa suya, ò que à èl pertenezca, porque non debe un ome tener logar de dos, assi como de Juez, è demandador.* Judex ergo in tali casu esset omninò incompetens, nec ejus sententia valeret, quamvis non recusaretur à parte; imò, nec posset jus in sua causa dicere adhuc de partium consensu; ut notat *Gregor. Lop. in d. L. 10. tit. 4. p. 3.* Et meritò quidem, quia in hoc casu non præsumitur contra se pronuntiaturus propter natura-lem affectionem, quam quilibet erga res suas habet; ac proindè suspectus efficitur, ne justitiam corrumpat. Et hac ratione non potest quis esse Judex, vel Assessor in causa, in qua fuit advocatus; *arg. L. [illegible] C. de Assessorib.* Nec quando habet [illegible] actor, vel reus aliam causam [illegible] potest esse Judex in illa cau- [illegible] ppe nimis favorabilis tali causæ [illegible] ur, jusque diceret alijs, eodem modo, quo sibi vellet dici. *C. 18. de Judic.* Bene tamen potest quis esse Judex in sua causa in his, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis. *L. 3. ff. de Adoption.* ibi: *Si Consul, vel Præses filius familias sit, posse eum apud semetipsum, vel emancipari, vel in adoptionem dari constat.* Imo & jurisdictionem contentiosam poterit exercere, quando injuria, non tam sibi, quàm dignitati sit illata, vel quando causa potius ad Ecclesiam, quam ad Episcopum spectat. *Barbos. in C. 12. de Judic. & com. DD.* Etiam Judex cognoscit, & declarat, an sua sit jurisdictio, quando rationabiliter dubitat, an sua jurisdictio se extendat ad causam ad suum Tribunal perlatam. *L. 5. ff. de Judic.*

26 Pluribus modis potest quis forum sortiri. 14. assignat Rex noster Alphonsus in *L. 32. tit. 2. p. 3.* 50. *Speculat. in lib. 2. de Comp. Judic.* 109. *affert Marianus Socin. in Rubr. h. t.* Sed communis ad quatuor reducuntur modi forum sortiendi: Scilicèt, 1. domicilium. 2. contractus. 3. delictum. 4. res sita. *C. fin. h. t.* inter quos præcipuus est domicilium. *L. 32. tit. 2. p. 3.* Domicilium ergo est locus, ubi quis familiam, rerumque, ac fortunarum summam constituit cum animo illic non discedendi si nihil avocet. *L. 7. C. de Incol. lib. 10. L. 32. tit. 2. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. V. Diez años.* Domicilium concurrit cum omnibus alijs foris; imò & illis potentius est, foro feudi excepto. *Greg. Lop. in L. 32. tit. 2. p. 3. V. Poniendo.* Sive Causa Civilis, sive Criminalis sit: ac proindè sortitur quis forum domicilij, etiamsi delictum, vel contractus alibi, & ante obtentum domicilium, commissum, vel celebratus sit. *C. 17. h. t. L. 19. §. fin. ff. de Judic.* Sive reus conveniendus in loco domicilij existat, vel non: quia si contumaciter non compareat, postquam citatus est in absentia, potest fieri missio in ejus bona. *L. 4. §. 5. ff. de Damno infect.* Siquidem per domicilium fit quis absolutè subditus Judicis illius loci: in quocumque loco ipse reus existat. Duo enim domicilium constituunt. 1. animus in illo loco stabili-

tèr, & perpetuò habitandi, si nihil àvocet. *L. 26. ff. de Captiv.* 2. factum habitandi ibidem, etiam ex primo die. *L. 239. §. 2. ff. de Verb. signif.* Et etiamsi ibi non habeat majorem partem suorum bonorum. *Menoch. de Arbitr. lib. 2. cas. 86. n. 18.* Animus alicubi figendi domicilium constare censetur, si illuc quis transtulit majorem partem suorum bonorum, vel totam familiam, vel si per decennium habitet. *L. 32. tit. 2. p. 3.* Si æqualitèr (non mathematicè, sed moralitèr) quis in duobus, vel pluribus locis habitet, in utroque adquirit domicilium. *L. 6. §. 2. l. 27. §. 2. ff. ad Municip.* Uxor, & vidua est convenienda in loco domicilij mariti. *L. 22. §. 1. ff. ad Municip.* Servus coram Judice sui Domini. *L. 1. C. Ubi caus. status.* Libertus, ejusque filij coram Judice domicilij patroni. *L. 22. ff. ad Municip.* Hæres, qui ex contractu defuncti convenitur in judicio incœpto à defuncto, respondere debet in loco, ubi defunctus conveutus est. *L. 34. ff. de Judic. l. 32. tit. 2. p. 3.* Secus est, si judicium nondum cœptum fuerat cum defuncto, vel si non conveniatur ex persona defuncti. Vagabundi, cum nullum habeant domicilium, neque animum habitationem alicubi constituendi, possunt conveniri ubicumque inveniatur. *L. 32. tit. 2. p. 3.* cum ibi sortiantur forum, etiam ratione delicti alibi commissi. *Gloss. in L. Hæres absens, ff. de Judic.* V. *Debebit. & alij com. cum Sanch. de Matr. lib. 3. D. 25. n. 5.*

27 Qui in aliquo loco degunt animo, non perpetuò, sed per majorem, vel notabilem anni partem, ibidem commorandi, ex quo ad talem locum accedunt, habent quasi domicilium in illo loco, ut studiosi in Academijs, Legati in loco legationis, famuli, ancillæ, negotiatores, & alij hujusmodi. *L. 19. §. 2. ff. de Judic.* & ibi adquirunt jus Parochiæ, & sepulturæ, & possunt ibi omnia Sacramenta, ordine excepto suscipere. *Gloss. in Clem. 1. de Privileg. D. Antonin. Sanch. de Matr. lib. 3. cap. 23. n. 12. & alij* contra *Joan. And. Abbat. & alios.* Imò ibidem possunt conveniri de contractibus, vel delictis alibi gestis. *L. 2. C. Ubi, de Crimin. agi oport. Et Gloss. ibid.* V. *Degit.* contra *Barbos.* Olim profectò omnes poterant Romæ conveniri, quia erat patria communis. *L. 33. ff. ad Municip.* ac proinde quasi commune domicilium habebatur. Hodie tamen in parte hoc cessat: nam solum Clerici possunt ibi conveniri indistinctè in quacumque causa, sive spirituali, sive, seu profana: dum ibi existant; Laici; nam hi solum de sæcularibus, vel Ecclesiasticis tenentur respondere. *C. fin. h. t. c. 17. c. 18.* nisi prædicti habeant jus domum revocandi causam, ut melius instructi possint respondere, ut Legati, vel qui Romam mittuntur ad negotia suarum Ecclesiarum, vel ad reddendas rationes. *L. 2. §. 3. ff. de Judic.* Et idem dicendum est ob identitatem rationis de quacumque Civitate, ubi Pontifex existat: nam ut canebat. *Lucanus. Vejos habitante Camillo, illic Roma fuit.* Similitèr, & ferè in eisdem casibus possunt Laici conveniri in loco ubi est Curia Regis; nam rectè potest de cujusque Principis Curia dici, quod alter de Roma canebat; *Fecisti patriam diversis Gentibus unam.* *L. 4. tit. 3. p. 3.* ibi: *E esto es, porque la Corte del Rey es fuero comunal de todos, è non se puede ninguno escusar de estar à Derecho.* Et ibi afferuntur variæ ampliationes, & limitationes. Jure Civili sortitur quis forum originis in loco, ubi natus est non fortuito, sed ubi parentes domicilium habebant; *L. 9. ff. de Captiv. l. 4. C. de Municipibus.* Sed hoc jam est hodierna consuetudine sublatum. Jure tamen Canonico solum attenditur locus originis, quoad ordinum susceptionem. *C. 3. de Tempor. ordin. in 6.* minimè vero quoad sortiendum forum.

28 2. Ratione contractus quis forum sortitur. Si quis ergo sive Clericus, sive Laicus extra domicilium contractum ineat, vel quasi contractum, vel aliam quamcumque conventionem, vel administrationem, vel distractum, vel rescisionem contractus jam celebrati, sive hoc faciat per se, vel per institorem: & etiam si privilegium habeat (nisi sit inclusum in corpore juris) quod non teneatur respondere, nisi in certo loco: est in actoris electione eum convenire, vel in loco domicilij, vel in loco contractus: si tamen reus est Clericus coram Ecclesiastico conveniendus est. *C. 17. c. fin. h. t. L. 19. §. 2. & 3. ff. de Judic.* Et ratio est, ne creditores graventur sumptibus in adeundo locum domicilij, cum ad solvendum in loco contractus tacitè, vel expressè se contrahens obligarit. Deinde, quia in loco contractus facilius potest constare de contractu, & ejus requisitis: cum illius loci Legibus subjaceat contractus, tam quoad valorem, quàm quoad probationem. *L. 6. ff. de Evictión.* excepta dote, quam mulier repetere debet in domicilio mariti,

&

& juxta ejus domicilij jura, & non secundum jura loci ubi promissa est. *L. 65. ff. de Judic.* nisi aliter conventum fuerit. *L. 19. §. 2. ff. de Judic.* Peregrini possunt conveniri in loco contractus, si ibi moram trahunt, & conduxerunt officinam: secus si brevi sunt discessuri: quia durissimum foret, quotquot locis quis navigans, vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere. *L. 19. §. 2. ff. de Judic.* Sed in loco domicilij conveniendi sunt, nisi contrahens ignoret, cum illo contrahentem esse viatorem, vel aliter sit conventum, vel aliud suadeat consuetudo, vel si viator sit de fuga suspectus: Nam in his casibus potest in loco contractus conveniri; *arg. L. 32. tit. 2. p. 3.*

29 Si contrahens non inveniatur in loco contractus, non potest regularitèr ibi conveniri. *C. 1. §. 3. h. t. in 6. L. 19. ff. de Judic.* nisi ibi responsurum promisit, & simul foro domicilij renuntiavit. *Glos. in L. 1. ff. Si quis in jus vocat. Covar. Pract. qq. cap. 10. n. 5.* vel si ibi lis cum defuncto cœpta fuerit. *L. 34. ff. de Judic. l. 32. tit. 2. p. 3.* vel si agatur de reddenda administrationis ratione, sive publica, sive privata sit. Nam reus, etiam absens, potest conveniri ubi administravit. *L. 1. C. Ubi de Ratiocin. agi oport. L. 32. tit. 2. p. 3. Covar. Pract. qq. cap. 10. n. 4.* Qui in aliquo loco à contractus loco distincto solvere promisit, ibi, & in domicilij loco ad actoris arbitrium, non in contractus loco conveniri debet. *L. 21. ff. de O. & A.* si se soluturum promittit Manilæ, vel Acapulci disjunctivè, solvere potest ubi voluerit, conveniri tamen potest ubi actor voluerit: & quidem ad integram summam *L. 21. ff. de O. & A.* ibi: *Contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo ut solveret se obligavit.* Si copulativè promisit, se soluturum Manilæ, & Acapulci, media pars potest in uno loco peti, alia medietas in alio loco; *arg. L. 2. §. 4. ff. de eo, quod cert. loc.* quia natura copulæ est æqualitèr distribuere copulata. *L. 11. §. 1. ff. de Duob. reis.*

30 3. Ratione delicti quis forum sortitur. Quicumque enim delinquens, sive Paganus, sive Miles. *L. fin. C. de Recusat.* quando non est crimen Militare: sive Magistratus. *L. 1. C. Ubi Senator.* sive privilegiatus, si in ipso privilegio casus delicti non includatur. *C. 1. de Privileg. in 6.* qualecumque delictum committat, sive grave, sive leve, sive publicum, sive privatum: in loco delicti sortitur forum, & subjicitur [illegible] illius loci, in cujus territorio delinquit. *C. 4. e. fin. h. t. L. 1. e. Ubi de criminib. agi oport. L. 32. tit. 2. p. 3.* quia ut ait *J. C. in L. 28. §. 15. ff. de Pœnis. Famosos latrones in his locis, ubi grassati sunt, furca figendos compluribus placuit, ut & conspectu deterreantur alij ab eisdem facinoribus. L. 3. tit. 16. lib. 8. R. C.* ibi: *Porque alli donde cayò en la culpa reciba la pena.* Ut hoc modo vindicta, & satisfactio detur illi Reipublicæ, quæ per crimen læsa, & injuria affecta est. Deindè, quia in loco delicti facilius illud probari valet, & regularitèr infligitur reo pœna, quæ in illo loco statuta est, licet sit distincta à pœna statuta in loco domicilij. *Julius Clar. lib. 5. §. fin. q. 85. n. 3.* ubi etiam dicit, quod sæpè extranei possunt excusari à pœna posita in illa Civitate per aliquod peculiare statutum. Judex igitur territorij potest delinquentem ibi deprehensum, etsi alias illius subditus non sit, pro ratione delicti punire pœna corporali, vel pecuniaria. *C. 14. h. t. l. 1. e. Ubi de criminib.* quod si post citationem factam reus fugiat ab eo territorio, denuò debet citari: & si contumacitèr non compareat, fit processus, & ejus bona annotantur, & in ea fit immissio, potestque talis reus excommunicari. *C. 19. h. t. e. 8. de Dolo, & contum. l. 1. e. de Requir. reis:* quia per citationem subjicitur illi Judici. Si fugiat ante citationem, & non constet, in quo loco reus sit, facta informatione summaria de crimine, citatur per Edictum, quod voce præconis promulgatur, vel affigitur portis Civitatis, vel valvis Curiæ, vel Ecclesiæ pro delicti qualitate, *Hispanè: Llamar à Edictos, y pregones.* Si contumacitèr non compareat reus, licet non possit in ipsum ferri pœna corporis afflictiva. *L. 1. C. de Requirend. reis. Cl. 2. de Sentent. & re judic.* quia per discessum desijt esse subditus illius Judicis: si tamen habeat bona, possunt annotari, & casu, quo reus aliter satisfactionem præstare renuat, fit immissio in bona, vel si alibi habeat, requiritur Judex illius loci, ut in bona rei absentis immittat actorem. *C. 1. §. 3. h. t. in 6.*

31 Si verò constet, ubi sit delinquens, licet Judex non possit illum persequi, & apprehendere extra suum territorium: quia ibi impunè illi non paretur, cum extra suum territorium tanquam privatus habeatur. *C. 2. de Constit. in 6. L. fin. ff. de Jurisdict.* quin etsi reum capiat, ante omnia debet illum relaxare: nisi sit Prælatus, maritus, vel Dominus: nam hi per modum dominij, seu vindicationis, pos-

sunt ubique capere Religiosum, uxorem, vel rem ablatam: potest tamen per litteras requisitorias illum quærere. Quod si delictum sit grave, debet Judex loci delicti informationem summariam de delicto facere, ita ut constet de persona, quæ illud commisit, ipsamque informationem includere in litteris requisitorijs, & remittere ad Judicem territorij, ubi reus invenitur. *L.1.§.2.ff. de Requirend.* Si J... illius territorij est subditus alteri Principi, cui non est subjectus Judex loci delicti, non tenetur reum remittere, nisi ultro annuat. Si tamen uterque Judex sub eodem sint Principe, Judex requisitus tenetur reum capere, & remittere ad Judicem domicilij, vel delicti, prout ab eis fuerit requisitus; *arg. L.7.§.fin. ff.de Accusat.* & etiam tenetur exequi sententiam latam à legitimo Judice, si quoad hoc sit requisitus, ut *ex C. 1. de Raptor.* colligit *Gonz. in C. 14. h. t. n. 7.* In nostra Hispania, si Judex requisitus nolit remittere reum, punitur ea pœna, quam meretur delinquens. *L. 1. l. 2. l. 3. tit. 16. lib. 8. R. C.* quod si Judex loci ubi delinquens invenitur non sit requisitus, potest illum remittere; non tamen tenetur, nisi ipse non possit infligere pœnam condignam delicto, v.g. mortem. *L. 1. l. 7. C. de Defensorib. Civitat.* Et quidem regularitèr solum potest delinquens puniri à Judice domicilij, vel delicti, non tamen à Judice territorij ubi est delinquens, ut contra *Bartol. & alios* tenent *Covar. Pract. qq. cap. 11. n. 9. Gomez Variar. 3. cap. 1. n. 87. ex C. fin. h. t. & C. 1. de Privil. in 6.* ubi tale forum non cognoscitur. In nostra Hispania potest, & tenetur Judex territorij, ubi reus invenitur, illum pœna condigna punire, si hoc petat accusator: quod si hic videat, sententiam nimis differri, potest petere, quod remittatur ad locum delicti, & Judex territorij illum remittere tenetur, quantumvis jucium jam coram ipso incœptum esset. *L.3. tit.16. lib. 8. R. C.* quod singulare est, ut ibidem notat *Aceved. n. 5.*

32 Quando aliquis iu uno territorio sauciatus inde abijt, & in confinio utrius territorij decedit, in territorio, in quo reus vulnus inflixit conveniendus est, quia ibi fuit posita causa efficax homicidij; *arg. L. 21. §. 2. ff. ad Leg. Aquil.* Si verò quis stans in uno territorio occidit sclopo, vel sagitta stantem in altero territorio in utroque forum sortitur talis delinquens, & datur locus præventioni. *L. 1. ... ibi de Crimin. agi oport. Clar. lib. 5. §. ... q. 38. n. 9.* Qui in uno territorio existens mandat homicidium in alio territorio exequendum, sortitur forum in loco executionis. *Jul. Clar. lib. 5. §. fin. q. 38. n. 6.* nisi in aliquibus delictis, in quibus etiam solus affectus, licet effectus non sit secutus, punitur pœna ordinaria, ut crimen assasinij; *arg. C. 1. de Homicid. in 6.* vel læsæ Majestatis: quippè tunc mandans, & mandatarius utriusque loci forum sortiuntur, deturque locus præventioni: Similitèr est locus præventioni, quando cadaver hominis occisi jacet in confinio utriusque territorij, & nescitur, in quo vulnus lethale accepit; *arg. L. 19. ff. Commun. divid.* Nec attenditur ubi sint pedes, cor, vel caput cadaveris, & aliqui DD. distinguunt. *Jul. Clar. l. 5. §. fin. q. 38. n. 11.* Delinquens in mari in Navi oneraria ibidem potest capi, sed punitur ab illo Magistratu, qui imperium, & jurisdictionem in proximo portu exercet. *L. 2. tit. 9. p. 5. & ibid. Greg. Lop. Bobad. Polit. lib. 4. cap. 5. n.6.* In Navibus Regijs delinquens regularitèr punitur à Duce, secundum facultatem, quam habeat *Hevia lib. 3. Com. Nav. cap. 3. n. 5.* 4. ratione rei sitæ forum habetur. Quando enim est lis, & controversia de re, quæ existit in loco distincto à domicilio litigantis, & agitur actione reali, quæ rem sequitur; non verò quando agitur actione personali, quæ personam sequitur. *L. 25. ff. de O. & A.* est in potestate actoris reum convenire, non solum in loco domicilij: siquidem domicilium forum generale est concurrens cum quolibet alio; sed etiam in loco, ubi res sita est. *C.3. c. fin. h.t. L. fin. c. Ubi in rem. act.* cum in actione reali potior rei, quam personæ habeatur consideratio. *L. 19. ff. de Jur. Fisci.* Deindè, quia ubi res existit, facilior est causæ probatio, sententiæ executio. *L. 32. tit. 2. p. 3.* Quando verò judicium est momentaneæ possessionis, in loco ubi res sita est, debet terminari: Nam cum hoc judicium institutum sit, ne partes ad arma veniant, & hoc potius in loco rei sitæ, quam domicilij debeat timeri, ibi etiam debet terminari. Ubi enim res sita est, sive immobilis, sive mobilis, quæ non tantum transeuntèr est in eo loco; *arg. L. 32. ff. de Pignorib.* reus forum sortitur tàm quoad judicium petitorium, quàm possessorium. *L. un. C. Ubi de possess. L. un. C. Ubi de hæredit. c.1. de Caus. possess.* etiamsi habeat privilegium, ut coram certo tantum Judice teneatur respondere. *C. 1. de Privileg. in 6. L. 19. ff. de Judic.* Etiam Clericus in loco rei sitæ, coram Judice tamen Ecclesiastico, co... eniendu... Quod si

reus

reus absit à loco ubi res sita est, Judex rei sitæ non potest contra eum personalitèr procedere, utpote non subditum personalitèr suæ jurisdictioni, potest tamen procedere realitèr, etsi in jus vocatus non compareat, actorem immittere potest in possessionem rei, de qua est lis. *C. fin. §. fin. Ut lite non contestat. L. 2. C. Ubi in rem act.* quia quando in rem agitur, potior rei, quam personæ habetur ratio. *L. 19. ff. de Jur. Fisci*, nec reus, qui possidet rem, potest ab actione liberari nominando authorem, à quo emit rem, potest tamen illum citare ad se defendendum in causa evictionis, & re evicta potest illum ad interesse convenire. *L. 1. C. Ubi in rem act.* Si verò possessor rei nomine alieno rem tenet: v. g. ut inquilinus, usufructuarius, creditor pignoratitius, superficiarius, emphiteuta, vel vasallus, licet adversus ipsos possit judicium institui, non tenentur illud sustinere; sed possunt nominare authorem, cujus nomine rem tenent, & concessis Induciis, ut Dominus possit rem suam vel per se, vel per Procuratorem defendere, in ipsum dirigitur actio. Si verò inquilinus, usufructuarius, & reliqui ratione juris, quod ipsis in re competit conveniantur, ipsi respondere tenentur.

33 Præter quatuor modos assignatos, qui sunt communes, & ordinarij sortiendi forum, alij speciales inveniuntur, inter quos eminet privilegium Clericale, quo apud omnes Catholicos contra Hæreticos, Clerici à Sæculari jurisdictione exempti merito sunt. *C. 2. c. 8. de Judic. c. 12. h. t. c. 4. de Censib. in 6. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 20. Auth. Statuimus. C. de Episc. & Cleric. Auth. Cassa. C. de Sacrosanct. Eccles. l. 57. tit. 6. p. 1.* Clerici ergo conveniendi sunt civilitèr, & criminalitèr, si non sunt exempti, coram Episcopo proprio, vel alio Judice ordinario. *C. 39. c. 46. 11. q. 1. c. 7. de Offic. Ordin. in 6. c. 1. h. t.* Episcopus proprius erit Episcopus domicilij, vel contractus, vel delicti, vel rei sitæ. *C. fin. h. t.* vel ubi Clericus habet beneficium. *C. 14. h. t.* Et quidem quoad illius beneficij causas semper ibi potest conveniri. Etiamsi beneficium non exigat residentiam personalem, nec Clericus ibi existat. Nec enim Clericus ab alio, quam à suo Episcopo judicari debet: siquidem ut optimè ait D. Greg. *in C. 39. 11. q. 1. Si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur.* Episcopi tamen in criminalibus, & civilibus arduis coram R. Pontifice conveniuntur: v. g. in causa hæresis. Causæ verò criminales minores Episcoporum in Concilio Provinciali deciduntur. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 5.* Summus Pontifex solum Deum judicem cognoscit: quia prima sedes à nullo judicatur. *C. 17. 9. q. 3.*

34 Si aliquis Laicus delinquat, & postea fiat Clericus, si ante susceptum clericatum non est cœptum judicium, hoc debet coram Ecclesiastico institui. Si jam est incœptum à Sæculari per citationem, vel litis contestationem, ibidem debet finiri. *C. 19. h. t. L. 30. ff. de Judic.* ibi: *Ubi acceptum est semel judicium, ibi, & finem accipere debet.* Sed non debet puniri pœna corporis afflictiva; quia persona jam est exempta. Si quis in clericatu, v. g. qui est in minoribus constitutus, vel in Monasterio delinquat: & posteà redeat ad statum Laicalem, quia contrahat matrimonium, vel à religione expellatur à solo Judice Ecclesiastico potest puniri: quia ad gaudendum privilegio fori attenditur status delinquentis tempore, quo delictum commisit, non quo fertur sententia. *L. 1. ff. de Pœnis. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. c. 39. §. 2. n. 98. Menoch. de Arbitr. cas. 131. Pignatel. tom. 2. consult. 66.* Cum hoc privilegium Fori Clericalis sit introductum non in favorem hujus, vel alterius personæ particularis, sed in favorem publicum totius status Clericalis, non potest ab aliquo Clerico in particulari renuntiari, nec tacitè, nec expressè, nec etiam adjecto juramento: sive causa spiritualis, sive criminalis, sive civilis sit. *C. 12. h. t. Arg. L. 38. ff. de Pactis*, ibi: *Jus publicum privatorum pactis mutari non potest.* Sicque non solum quando renuunt, & repugnant, nequeunt trahi ad Forum Sæculare, sed etiam si sponte velint, & consentiant nequeunt ad ipsum accedere: Quod si Clericus actor cum sit, ad judicium Sæculare trahat alium Clericum, si causa civilis est, eam perdit, sed post Sententiam: & excommunicatur: si verò desistat à causa in quacumque parte litis, evitat pœnam. Clericus verò reus, qui coram Sæculari respondet, amittit causam, si civilis sit, sed post sententiam, vel si quod evicit, & obtinuit, retinere velit, deponitur, si causa est criminalis deponitur. *C. 6. c. 42. c. 43. 11. q. 1.* Quæ constant præcipuè ex percelebri *Text. in C. Si diligenti 12. h. t.* ibi: *Asseruisti, te usque ad hæc tempora tenuisse, quod licitum sit Clerico renuntiare saltem in temporalibus causis juri suo, & sibi Laicum judicem constituere,*

stituere, præsertim; ubi adversarij voluntas accedit, ac temerè juramentum super hoc interpositum respondisti: Immemor constitutionis, qua cavetur, pacto privatorum juri publico minimè derogari. Cum ergo jus hoc in Milevitano, & Carthaginensi Concilijs sit specialitèr promulgatum, ne Clerici, relicto suo Pontifice ad judicia publica pertrahant, alioquin causam perdant, & à communione habeantur extranei: & tàm Episcopi, quàm Diaconi, seu quilibet Clerici in criminali, seu civili negotio, si derelicto Ecclesiastico judicio, publicis judicijs se purgare voluerint, etiamsi pro eis sit lata sententia, locum suum amittant, & hoc in criminali actione, in civili verò perdant, quod evicerint, si locum suum maluerint obtinere. Manifestè patet, quod non solum inviti, sed etiam voluntarij pacisci non possunt, ut sæcularia judicia subeant, cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit publicè indultum: cui privatorum pacto derogari non potest; nec juramentum licitè servari potuit, quod contra Canonica statuta illicitis pactionibus informatur. Quod si Laicus trahat Clericum ad judicium Sæculare, incurrit pœnam amissionis causæ. Sed ut æqualitas inter utrumque forum servetur, sicut Laicus non debet trahere Clericum ad Forum Sæculare, sic nec Clericus ad Forum Ecclesiasticum debet Laicum rapere, ob rationem. *L. 14. tit. 1. lib. 4. R. C.* ibi: *Porque assi como Nos queremos guardar su jurisdiccion à la Iglesia, y à los Ecclesiasticos Jueces, assi es razon, y derecho, que la Iglesia, y Jueces della no se entremetan en perturbar la nuestra Jurisdiccion Real. C. 13. de Judic. non putet aliquis, quod jurisdictionem Illustris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus, cum ipse jurisdictionem nostram nec velit, nec debeat impedire.*

35 Præterea plures sunt Laici, qui habent forum privilegiatum, suntque exempti à communi, & ordinario foro aliorum Laicorum. Tales sunt Milites, studiosi, & miserabiles personæ. Milites enim, postquam in numerum Militum conscripti sunt, civilitèr, & criminalitèr conveniuntur coram Magistro Militum. *Arg. L. 42. ff. de Testam. Milit.* Magistri Militum nomine hodie venit Dux Militum, vel Colonellus, qui de eorum causis cognoscit, per se, vel per Auditorem suum, & in causis gravioribus, & Capitalibus proceditur convocato Militari Senatu. *L. 6. C. de Jurisd. omnium judic. L. 3. tit. 29. p. 7.* Quod quidem intelligitur ubicumque sit delictum commissum. Et alij Judices, etiam Milite non petente, debent illum ad suum Ducem remittere: qui non debet stare probationibus coram alio judice factis, ob ejus in competentiam. *Greg. Lop. in d. l. 3.* si verò aliquis coram alio Judice conventus fiat miles non gaudet privilegio militari. *L. 7. ff. de Judic. l. 5. tit. 11. lib. 3. R. Ind.* ex ratione *L. 30. ff. de Judic. ubi acceptum semel est judicium, ibi, & finem accipere debet.* In Nostra Hispania circa Milites, & eorum privilegium quoad forum plures sunt casus, in quibus eo non gaudent, ut constat ex *Decret. post tit. 1. lib. 4. R. C. f. 318. & seq.* ibi: *Los Soldados de la guarda de su Magestad no gozan del privilegio del fuero en caso de resistencias, y los que tienen Tabernas, ò Mesones, ò Bodegones, y en estos casos las Justicias Ordinarias pueden proceder contra ellos, y sus mugeres. Los Soldados de la Milicia en primera instancia estan sujetos à la Justicia Ordinaria en todos los casos criminales, y en segunda instancia pueden apelar al Consejo de Guerra, ò à las Chancillerias. Los Soldados, ù hombres de armas, y continuos no gozan del privilegio del Fuero Militar en caso de resistencia à las Justicias: tampoco gozan del privilegio militar en los casos, en que se procede contra ellos por saca de plata, ò entrar moneda de vellon: lo mismo en los oficiales de la Casa de la Moneda, Artilleros, y otros, que pretenden ser exemptos. L. 61. tit. 18. lib. 6. R. C. Los hombres de armas no pueden traer pistolas. L. 17. tit. 23. lib. 8. R. C.* Et addit *D. Jacob. Magro in Indic. Leg. Recop. Cast. V. Fuero, f. 230. que gozan del Fuero Militar las Milicias del partido de las Alpujarras.* In Indijs cognoscunt de causis militaribus Proreges, & alij, qui sunt Duces Generales in suis Provincijs: & quidem in omnibus instantijs cum inhibitione aliorum Judicum, & etiam Regiarum Audientiarum. *L. 1. & per tot. tit. 11. lib. 3. R. Ind.* In his tamen Insulis Philippinis cognoscit de his causis in prima instantia Præfectus, seu Magister Militum. *Hispanè: Maestre de Campo*, & ab ipso ad Gubernatorem hujus Provinciæ appellatur. *L. 3. tit. 11. lib. 3. R. Ind.* Custodes Castrorum. *Hispanè: Alcaydes, ò Castellanos*, cognoscunt in prima instantia de causis militum, qui in suo Castro existunt. *L. 7. tit. 11. lib. 3. R. Indiar.*

36 Studiosi, etiam Cessatores, seu otiosi, ut tenet praxis contra *Mendo*, non solum qui extra Patriam, sed, qui in ipsa discunt litteras in aliqua Academia unive

versali, vel Gymnasio (secus si privato Marte tantum studeant,) etiam si Clerici sint, dum in album, seu matriculam Universitatis sint relati (secus alitèr. *Arg. L. 42. ff. de Testam. Milit.*) item Professores, seu Magistri, & illorum uxores. *L. fin. C. de Incolis*, *lib.* 10. viduæ pro toto viduitatis tempore. *L.* 22. §. 1. *ff. Ad Municip.* Eorum filij, & nepotes, si in ipsorum existunt potestate (secus post mortem parentum) & famuli, si matriculæ sint inscripti, Notarij, seu Secretarij Bedelli, Nuntij, Ostiarij, alijque Ministri Academiæ, dum officium retinent: Hi ergo omnes privilegio Academico, & ejus foro gaudent: & ideò debent, quando rei sunt conveniri civilitèr, & criminalitèr coram Rectore Universitatis, ut habetur ex constitutione Imperatoris Friderici apud Roncalias, quæ extat in *Auth. Habita. C. Ne filius pro patre.* Et *L.* 10. *l.* 20. *tit.* 7. *lib.* 1. *R. C.* Larè mei Collegij Conchensis meritissimus alumnus. *D. Alfonsus Escobar. de Pontific. & Reg. Jurisd. cap.* 40. *& alibi. Mendo de Jure Academ. lib.* 1. *q.* 2. *ex n.* 452. *Et lib.* 3. *q.* 2. quod privilegium habet locum non solum, quando prædicti in Academia inveniuntur, sed etiam ex loco delicti sunt remittendi ad Academiam. *Arg. L.* 9. *ff. de Custod. & exhibit. reor.* Ratio hujus privilegij assignatur in *d. Auth. Habita*, ibi: *Quia eorum scientia totus illuminatur Mundus, & ad obediendum Deo, & nobis ejus Ministris vita subjectorum informatur.* In Nostra Salmantina Academia, omnium scientiarum Principe, & Magistra, Scholastici, si rei sunt, debent coram Scholastico Salmantino (qui etiam Magister Scholæ, & Cancellarius appellatur) conveniri tàm in civil us, quàm in criminalibus: siquidem *L.* 7. *tit.* 31. *p.* 2. quæ hanc cognitionem in criminalibus negat, jam est abrogata posterioribus privilegijs, ut testatur *Escobar. ubi supra.* Et quidem coram illo sunt conveniendi, ubicumque existant, nec possunt coram alio Judice, vel Sæculari, vel Ecclesiastico conveniri. Si verò Scholastici sint Actores possunt item reos coram Scholastico Salmantino trahere: olim existentes intra quatuor dietas, hodie intra duas tantum, hoc est intra viginti leucas, quæ computantur à fine Diœcesis, in qua citandus moratur. *L.* 18. *l.* 20. *tit.* 7. *lib.* 1. *R. C.* Et ibid. *Acevedo.* Idem dicendum est de Vice-Cancellario, seu Judice studij. *Hispanè: Juez del Estudio,* qui idem cum Magistro Scholæ Tribunal constituit. *Mendo de Jur. Academ. lib.* 1. *ex n.* 183. Similitèr de Rectore Universitatis Complutensis, & Vallisoletanæ dicendum est: Nam hi habent totam potestatem, quam Cancellarius, & Rector Salmantinus divisam habent. *Mendo de Jur. Acad. lib.* 1. *n.* 156. Et licet sex Collegia majora, scilicet, Conchense, Divi Bartholomæi, Archiepiscopi, & Overense in Salmantina: S. Crucis in Vallesoletana, & Divi Ildephonsi in Complutensi Academijs sint, & quidem principalissima prædictarum Universitatum membra, tamen Collegarum causæ graviores sunt reservatæ Supremo Castellæ Senatui, ut constat *ex Decr. in fin. tit.* 7. *lib.* 1. *R. C. Mendo de Jur. Academ. lib.* 1. *n.* 174. Imò sex Consiliarij Regij sunt destinati, ut incumbant regimini, & rectæ gubernationi prædictorum Collegiorum: *Tanta molis erat Romanam condere Gentem.* In Indijs Rectores Universitatum Limensis, & Mexicanæ cognoscunt de causis Scholasticorum, & Doctorum, tàm in civilibus, quàm in criminalibus (extra pœnam tamen sanguinis, vel aliam corporalem) dum habeant connexionem cum studiorum causis, vel pertineant ad regimen Universitatis, & statutorum observationem: secus quoad alias causas. Nam de eis Judices Ordinarij cognoscunt *L.* 12. *tit.* 22. *lib.* 1. *R. Ind.* Si aliquis delinquens, vel contractum celebrans, postquam præventus est ab alio Judice, fiat Scholaris, non gaudet privilegio *L.* 19. *ff. de jurisdict. l.* 7. *de judic.* In Nostra Academia Salmantina non gaudent privilegio fori Clerici Salmantini, etiam matriculati, & etiam si aliquas lectiones in Universitate audiant, si non sint verè studenres, & huic operi seriò incumbant. Etiam statutum est: *Que à ningun Estudiante, que venga al dicho Estudio nuevamente, no se le dèn conservadorias de las deudas, y cosas fechas, y contrahidas, antes que vengan al dicho Estudio, basta tanto, que ayan hecho un Curso entero, y que estudien continuo, y que entren en las Escuelas, y oygan dos lecciones cada dia: de manera, que hagan aquello porque deban gozar. Y que lo semejante se haga con los Estudiantes, que se fueren del Estudio, y hicieren su assiento en su tierra, ò en otra parte, y despues bolvieren al Estudio. L.* 18. §. 5. *&* 6. *tit.* 7. *lib.* 1. *R. C.* Nec privilegio gaudent Scholastici, qui Justiijs resistunt. *L.* 28. *tit.* 7. *lib.* 1. *R. C.* nec conservatores studiorum gaudent privilegio, nisi quando de mandato Cancellarij aliquid faciunt, nec Procuratores, Librarij, Pharmacopolæ, vel alij Officiales, etiam

etiam matriculati, & etiamsi Universitatis lectionibus adsint, gaudent privilegio. *L.* 18. *tit.* 7. *lib.* 1. *R. C.* ubi redditur ratio: *Porque aquello parece, que se hace solamente à fin de gozar de las libertades, y no aprovechar en el Estudio*: famuli Scholasticorum solum gaudent, si, & ipsi Scholastici sint. *L.* 18. §. *fin. tit.* 7. *lib.* 1. *R. C.* de ipsis latè in dicto *tit.* 7. *lib.* 1. *R. C.* agitur. *Escob. Mend. & alij.* Scholasticos posse fori privilegio renuntiare satis clarè colligitur ex *L.* 7. *tit.* 31. *p.* 2. ibi: *Nin traer à juicio delante de otro Alcalde, sin su placer dellos.*

37 Miserabilibus etiam personis aliquale solarium in suæ miseræ conditionis levamen à jure tribuitur: siquidem tales miserabiles personæ, quales sunt minores, quantumvis Curatorem habeant, & licet divites sint, dum tamen simul sint Orphani, secus alitèr: viduæ, etiamsi pauperes non sint, nisi impudice vivant: fœminæ, non meretrices, etiam habentes maritum, sed inutilem, à quo nequeant defendi, quia captivus, exul, vel ad triremes damnatus est: Virgines patre carentes. *Arg. L.* 242. §. 3. *ff. de V. S.* Senes decrepiti, diuturno morbo exhausti. *L. un. C. Quand. imper. inter. pupill.* vel si quis servus pro libertate contendat, Æthiopes juxta *Carrasco*, indi juxta *Solorz. de Jur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *n.* 40. Et quicumque judicis arbitrio ob injuriam fortunæ miseratione sunt digni, nisi ludo, gula, aut alio crimine in talem miseriam inciderunt: Extra Provincias, in quibus existunt nequeunt vocari ad Curiam Imperatoris, nec ibi tales personæ invitæ valent conveniri. Si verò prædicti alios conveniant possunt illos in prima instantia coram Imperatore convenire. *L. unic. C. Quand. Imperat. int. pupil.* Tales autem personæ non possunt uti suo privilegio contra alias paritèr miserabiles: & possunt huic privilegio, utpotè in earum favorem introducto renuntiare. *Glos. in L. un. C. Quando Imper.* V. *Excedere*, *& alij*, contra *Villalob. & Aceved.* Hoc enim privilegium præcipuè stat in eo, quod licet regularitèr nullus litigans admittatur in prima instantia in Tribunalibus Superioribus, sed debeat adire suum judicem immediatum, tales personæ admittuntur in prima instantia in Curia Regia, & ideò *Hispanè*: dicuntur tales causæ, *Casos de Corte*: Siquidem in Regijs Cancellarijs discutiuntur etiam in prima instantia, & litigantes à suo foro immediato extrahuntur, & judices inferiores inhibentur. *L.* 11. *tit.* 5. *lib.* 2. *R. C.* Etiam in alijs casibus hoc privilegium in Nostra Hispania Regio jure concessum est. Casus ergo, qui Curiæ dicuntur sunt violatio treugæ, *Hispanè*: *Salvaguardia.* Violatio itineris, causa duelli, sed cum hodie duellorum usus sit damnatus, cessat hic casus, teste Carrasco. Causa mortis securæ, domus combustæ, raptus mulieris, publici latronis, hominis bannitio, *Hispanè*: *Encartado*, falsitatis sigilli Regij, vel monetæ, proditionis contra Regem, vel Regnum. Si contra Præsidem causa discepretur, vel etiam contra alium Judicem Ordinarium, vel Decuriones, vel Syndicum Civitatis, vel contra Civitatem, vel Universitatem, vel contra Auditores, seu Senatores Regios, aliosque Cancellariarum Officiales, vel contra alias personas nimis potentes, ut Magnates, Duces, Comites, Marchiones, vel quando denegatur justitia à Judice Ordinario. Etiam huc pertinet causa vinculorum, vel majoratuum, vel quando causa magni momenti est. Etiam hoc privilegio gaudent Ecclesiæ, Capitula, Monasteria, Universitates, Collegia, Confraternitates; item Advocati, Relatores, & alij Officiales Audientiarum pro suis stipendijs, & alij. Qui enim hoc privilegio gaudent eo uti possunt, sive sint actores, sive rei, dum tamen causa excedat quantitatem 10. millium marapetinorum in Hispania, & 60. millium in Indijs, sed debent ante omnia plenè probare, talem casum ad Curiam pertinere, si aliunde ob ejus notorietatem non eximantur ab onere probandi. Quæ omnia cum varijs ampliationibus, & restrictionibus latius videbis in *L.* 23. *tit.* 9. *p.* 2. *L.* 5. *tit.* 3. *p.* 3. *L.* 11. *tit.* 5. *lib.* 2. *R. C. L.* 8. *l.* 9. *l.* 10. *l.* 11. *tit.* 3. *lib.* 4. *R. C. L.* 72. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Indiar.* ubi jubetur, quod in Indijs nulli alij casus Curiæ admittantur præter admissos in Hispania *Greg. Lop. & Aceved. in Prad. Leg. Covar. Pract. QQ. cap.* 6. *&* 7. *Menoch. de Arbitr. cas.* 66. *Hevia in Cur. Philip. p.* 1. §. 9. *D. Carrasc. in Tract. de Casibus Curiæ.* Commissarij Cruciatæ sunt Judices privativi, etiam cum Regiorum Senatorum inhibitione in causis ad Bullas, Subsidium, & Excusatum spectantibus. *L.* 8. *tit.* 10. *lib.* 1. *R. C. L.* 5. *tit.* 20. *lib.* 1. *R. Indiar. latè Perez de Lara.*

38 Familiares S. Inquisitionis habent in plutibus casibus privilegium fori: nam sæpè conveniuntur, si delinquant, coram ipsis Inquisitoribus. Ut constat *ex L. fin. tit.* 1. *lib.* 4. *R. C.* ibi: *Pero que en todas las otras causas criminales, que no son de los*

dichos delitos; y casos arriba exceptuados, quede à los dichos Inquisidores sobre los dichos Familiares la jurisdiccion criminal, para que libremente procedan en ellas, y las determinen como Jueces, que para ello tienen jurisdiccion de su Magestad, y nuestra por aora, y para adelante: y en los dichos casos, en que los Inquisidores han de proceder, pueda prender el Juez Seglar al Familiar delinquente, con que luego lo remita al Inquisidor, que del delito ha de conocer, con la informacion, que oviere tomado: lo qual se haga à costa del deliquente. Tales ergo Familiares in causis civilibus subjacent, sicut cæteri Laici Judicibus Sæcularibus, & in causis criminalibus læsæ Majestatis, sodomiæ, seditionis, proditionis, inobedientiæ contra Regem, violationis fidei publicæ, alevosiæ, taptus, vel violentiæ mulieris, violationis domus, vel Ecclesiæ, vel Monasterij, vel dolosæ combustionis agri, vel do[...], vel quando sunt publici latrones, vel [...] justitiæ resistant, & in alijs majoribus delictis. *L. fin. tit. 1. lib. 4. R. C.* ibi: *Que los dichos Inquisidores no tengan jurisdiccion sobre los dichos Familiares para conocer de los delitos, que de yuso se harà mencion, sino que el conocimiento, y determinacion dellos quede à los Jueces Seglares, como en las causas criminales de los otros legos, es à saber en el crimen læsa Majestatis humana, y en el crimen nefando contra natura, y en el crimen de levantamiento, ò conmocion de Provincia, ò Pueblo, y en quebrantamiento de cartas, è seguros de su Magestad, ò nuestros, y rebelion, è inobediencia à los mandamientos Reales, ò en caso de aleve, ò forzamiento de muger, ò robo della, y de robador publico, y de quebrantamiento de Casa, ò Iglesia, ò Monasterio, y quema de Casa, ò de Campo con dolo, y en otros delitos mayores que estos. Item en resistencia, ò desacato calificado contra nuestras Justicias Reales.* Nec privilegio fori gaudent ad arma prohibita afferenda *L. 17. tit. 23. lib. 8. R. C.* nec eximuntur à solvendis tributis, vel alijs Regijs juribus, vel jure salis. *Decret. post tit. 1. lib. 4. R. C.* Nec possunt à Regno extrahere monetam argenteam, nec intromittere in Regnum æream monetam, *Hispane de vellon.* Nec in his causis privilegio gaudent *L. 61. tit. 18. lib. 6. R. C.* ubi transgressores pœna ignis, & omnium bonorum amissione puniuntur. Casus, in quibus in Indijs Familiares S. Inquisitionis gaudent fori privilegio, vel non, constant ex concordatis *in L. 29. & 30. tit. 19. lib. 1. R. Indiar.* Vide *Dian. in Sum. V. Inquisitores, n. 26. & 27.* Etiam Nobiles in Hispania, quando de nobilitate disceptatur, habent Judices peculiares, qui *Hispane: Alcaldes de Hijosdalgo* dicuntur *L. 1. & per tot. tit. 11. lib. 2. R. C.*

39 Qui alium de statu, fama, crimine, vel debito diffamat, quasi provocat diffamatum ad judicium: ac proindè diffamatus coram suo Judice (diffamati scilicèt) comparebit, ut jubeat, vel per se, si diffamans sit illius subditus, vel requirendo Judicem diffamantis, si v. g. sit Clericus, qui diffamat, ut faciat, ipsum diffamantem probare, quæ jactat, vel ipsi imponi perpetuum silentium ex per celebri Text. in *L. Diffamari, 5. C. de Ingenuis manum.* ut sic temeritas malignantium reprimatur, & defendatur honestorum virorum bonum nomen, & fama. *L. 46. tit. 2. p. 3.* Et ibid. *Greg. Lop.* V. *Al Juez del logar.* Et cum diffamans consideretur ut actor, etiamsi conveniatur à diffamato coram uno Judice, potest adire alium, si habeat competentem. *Greg. Lop. in l. 46. tit. 2. p. 3. alios citans.* De modo procedendi in praxi ex hoc remedio agit *Paz in Prax. tom. 3. cap. 9. §. 1. qui in §. 2.* ponit praxim remedij ex *L. Si contendat, 28. ff. de fidejussorib.* quod quidem specialitèr conceptum de fidejussoribus, quibus beneficium divisionis competit, ex æquitate extenditur ad quemcumque casum, quo aliquis timet sibi ab alio, sine infamia (in quo differt hoc à remedio antecedenti) movendam esse litem, cum actor jam habeat jus agendi: quia tunc potest suum Judicem adire (non Judicem adversarij) & officium nobile implorando ab eo petere, ut ejus adversarius citetur, & eo præsente declaretur, se nihil illi debere: ac proindè si citatus contumacitèr non compareat perpetuum imponatur silentium. Et hoc modo patet quomodo in his casibus specialibus procedatur.

40 Quando Clericus, & Laicus in eodem crimine v. g. homicidij socij sunt, quod quidem delictum non sit Ecclesiasticum, nec mixti fori, quilibet à suo Judice, Clericus, scilicèt, ab Ecclesiastico, Laicus à Sæculari puniendus est, cum regularitèr socius privilegio socij non gaudeat in delictis. *Arg. l. 52. §. 1. ff. de furtis, Acevd. in l. 10. tit. 1. lib. 4. R. C. n. 23. & alij* contra *Menoch. de Arbitr. & alios.* Et hoc verum videtur saltem de jure Hispano ob *L. 10. tit. 1. lib. 4. R. C.* ubi jubetur, quod Laicus coram Ecclesiastico non conveniatur in causa profana, nec ejus jurisdictioni se submittat. Similitèr

sit, quando Clericus, & Laicus sunt rei debendi, & causa dividua est, hoc est, potest dividi: Si verò causa individua sit, seu nequeat dividi, uterque coram Judice Ecclesiastico est conveniendus: quia cum continentia causarum non sit dividenda. *C.* 1. *de Caus. possession. & propriet. L.* 10. *C. de Judic.* convenientius est, quod magis dignum trahat ad se minus dignum, quam è contrà. *C.* 3. *de Consecr. Eccles. L.* 43. *ff. de Rei vindic.* Continentia enim, seu connexio causarum non debet dividi, quando scilicèt ipsæ habent communem qualitatem, ac rationem discussionis, & liquidationis, ita ut una sine altera plenè cognosci, ac definiri nequeat, v. g. inter plures cohæredes, Socios, aut Tutores: vel cum lis incidit de proprietate, & possessione, de divortio, & dote, vel ratione reconventionis, vel de alijs causis connexis: Et ratio est; quia Judex de una instructus faciliùs procedit ad alterius decisionem, & non sequentur sententiæ contrariæ, ut posset contingere, si à diversis judicibus causæ terminarentur, & hoc denique modo parcitur sumptibus litigantium. Quod si Judex de una cognoscens incompetens sit respectu alterius, tunc necesse est ut dividantur. *C. fin. de Judic. C.* 3. *de Ordine Cognit.* Quando reus potest conveniri coram duobus, vel pluribus judicibus, qui respectu illius sunt competentes, ille, qui prævenit, sive verbalitèr per citationem, sive realitèr per capturam rei, cæteros excludit, & privativè de causa cognoscit, etiamsi post preventionem reus novum privilegium adquirat. *L.* 19. *ff. de Jurisd. L.* 7. *ff. de Judic.* nisi in ipso privilegio eximatur reus ab alterius jurisdictione, etiam lite contestata. *L.* 12. *ff. Si quis cautionib. Et ibid. Gothofr.* vel si Laicus fiat Clericus, & puniendus sit pœna corporis afflictiva: quia secundum suam personam omninò exemptus est à Judice Sæculari: hic tamen procedet, si solum pœna pecuniaria, vel confiscatio bonorum imponenda sit. Ad jurisdictionem per præventionem adquirendam non sufficit inquisitio, vel accusatio, sed requiritur saltem una citatio (legitima quidem, quia si nulla est, nullum producit effectum) in causa civili facta ad instantiam partis: In criminali ex officio judicis fieri valet. Debetque esse parti intimata, quia quousque intimetur, potius est mandatum de citando, quam citatio. Si post citationem reo intimatam ipse non comparuit, sed se contumacitèr absentavit, potest coram alio Judice competente conveniri, nec est remittendus, etiamsi velit ad Judicem contemptum, nisi velit purgare contumaciam, & solvere expensas, & damna. Si vero comparuit coram Judice, qui illum citavit, ibi fit judicium. *L.* 30. *ff. de Judicijs.* Et potest opponere exceptionem præventionis, si fortè citetur ab altero Judice, & appellare, si contempta exceptione, alter procedat. Et cum cuilibet Judici permissum sit suam jurisdictionem defendere adversus alium Judicem, sive inferiorem, sive æqualem. *L. un. ff. Si quis jus dicent.* Si postquam reum prævenit citatione ipsi intimata, actor adeat alium Judicem, potest sanè Judex, qui prævenit alteri Judici inhibere, ne procedat in causa, si uterque litigans velit post citationem factam alium Judicem adire, possunt hoc facere quando civilitèr, & ad interesse privatum agitur: siquidem solum ad petitionem partis debet Judex suum officium mercenarium impartiri. *L.* 4. §. 8. *ff. de Damno infect.* Secus est, si criminalitèr agatur, & Judex, ex officio suo nobili procedat: imò Judex, qui prævenit, potest invitis partibus remissionem rei ab altero Judice petere: quod si renuat, contra ipsum aget interdicto retinendæ: ut alter desistat ab ejus jurisdictione perturbanda.

41 Aliquando accidit, quod Judex, qui alias incompetens habebatur possit de aliqua causa cognoscere ex eo, quod ejus jurisdictio prorogetur. *Prorogatio* enim est quædam jurisdictionis extensio ad personas, causas, tempus, vel locum, in quas, quando, & ubi alias non competebat. Quæ extensio, seu prorogatio debet esse facta consensu partium; & quidem libero, non per errorem, nec gravi metu extorto; & saltem tacitò, consistente in ipso facto comparendi coram illo Judice. *C.* 40. *de Offic. deleg. L.* 32. *tit.* 2. *p.* 3. ut alicujus possit prorogari jurisdictio debet ipse aliquam jurisdictionem habere: nam si nulla præcedat jurisdictio nequit utique prorogari, nec extendi. *C.* 40. *de Offic. deleg. L.* 14. *ff. de Jurisd. l.* 32. *tit.* 2. *p.* 3. ideoque in arbitris nulla datur prorogatio, quia illi nullam habent jurisdictionem. *arg. L.* 13. §. 5. *ff. de His qui notant.* & litigantes, ut personæ privatæ nequeunt jurisdictionem dare. *C.* 18. *h. t.* Et quidem jurisdictio, quæ præcedere debet, similis debet esse prorogatæ; v. g. si ad causam spiritualem, vel criminalem fiat prorogatio, debet Judex instructus esse jurisdictione spirituali, vel criminali; *arg. L.* 61. §. 1. *ff.*

de

de Judic. Hinc jurisdictio judicum Mercatorum. *Hispanè del Consulado*, non potest ad alias causas, quam commercij, & mercaturæ prorogari, nec super causa nobilitatis datur in nostra Hispania prorogatio. *Gonz. in C.* 18. *b. t. n.* 5. cum Judices peculiares habeat, quos *Hispanè* dicimus *Alcaldes de Hijosdalgo*. De quibus agitur in *tit.* 11. *lib.* 2. *R. C. Et ibid. Acevd.* Quatuor igitur modis fieri potest prorogatio. 1. de persona ad personam: quando, scilicèt, litigantes subjiciuntur judici non suo, ut de causa inter ipsos controversa cognoscat. *L.* 1. *l.* 2. *ff. de Judic. l.* 18. *ff. de Jurisdict.* 2. de causa ad causam: si litigantes, scilicèt, Judici habenti jurisdictionem ad 100. se subjiciant, ut de majori quantitate cognoscat. *L.* 74. §. 1. *ff. de Judic.* Si Judex sit delegatus non prorogantur persona, & causa ad personam, & causam non expressas. *C.* 32. *c.* 40. *de Offic. deleg.* de tempore ad tempus, & de loco ad locum potest utique jurisdictio delegata prorogari. *C.* 4. *de Offic. deleg.* 3. de tempore ad tempus fit prorogatio, quando tempus, intra quod causa erat terminanda, protrahitur, ut eo etiam elapso Judex cognoscere valeat. *C.* 4. *de Offic. deleg.* 4. de loco ad locum, quando judicium instituitur in loco remotiori, quam poterat ex jure, vel delegatione: quod si extensio fiat ad alienum territorium, ultra consensum partium, requiritur, consensus Judicis illius loci, alias aliquomodo injuria tali Judici inferretur; *arg. C.* 2. *c.* 7. 9. *q.* 2. *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 19. *n.* 8. Hæc generalitèr procedunt: sunt tamen plures casus, & causæ in quibus non admittitur prorogatio. Hæc enim locum non habet in causa feudali, vel criminali, vel reservata Principi in signum supræmæ jurisdictionis. *C.* 13. *Qui filij sint legitim.* vel in causa ab ipso Principe sibimet avocata, vel expressè, vel tacitè manum in ea imponendo, nec in causa appellationis. Nec item Clerici, nec Religiosi, ne quidem juramento interveniente, nec etiam consentiente Episcopo, valent prorogare jurisdictionem Judicis Laici. Siquidem ipse est incapax respectu illorum. *C.* 12. *b. t.* Imò, & Clerici sine sui Episcopi licentia nequeunt alterius Judicis Ecclesiastici jurisdictionem protogare. *C.* 18. *b. t.* ne quidem Archiepiscopi. *C.* 1. *eod. in* 6. Laici bene possunt in causis profanis prorogare Judicis Ecclesiastici jurisdictionem, quia licet sit incompetens respectu illorum, non tamen est incapax jurisdictionis temporalis. In nostra tamen Hispania non potest Laicus jurisdictionem Ecclesiastici prorogare in causa merè profana, cum jus Regium resistat. *L.* 10. *l.* 11. *tit.* 1. *lib.* 4. *R. C. Gonz. in c.* 18. *b. t. n.* 10. *Escobar de Pontif. & Reg. jurisdict. cap.* 27. *n.* 7. Et inde infert, quod Laicus potest prorogare jurisdictionem Regiam Cancellarij Salmantini, vel Rectoris Complutensis Academiæ, non vero jurisdictionem Ecclesiasticam eorundem. Et hanc Legem Politicam, sustinendam esse probatur; *arg. C.* 13. *de Judic.* Et confirmat omnium ferè Nationum Catholicarum consuetudo, & praxis. Nec Laici possunt in causis spiritualibus prorogare alieni Judicis, etiam Ecclesiastici jurisdictionem sine sui ordinarij consensu, nec in causis annexis spiritualibus, nec etiam in his, quæ ad voluntariam jurisdictionem spectant. *C.* 1. 9. *q.* 2. *c.* 3. *de Paroch. Trid sess.* 23. *de Ref. cap.* 8. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 1. sic non possunt ab alieno Episcopo sine proprij licentia recipere Ordines, nec Parochiani sine consensu Parochi possunt coram alio matrimonium contrahere, & alia hujusmodi.

42 Omnes igitur, qui habent personam standi in judicio, & specialitèr non prohibentur, possunt alieni Judicis prorogare jurisdictionem. Prohibentur tamen furiosi, servi, pupilli, sine Tutore, Minores, & Prodigi sine Curatore. *L.* 5. *ff. de Reg. jur.* Procuratores nisi habeant mandatum speciale, vel generale cum libera. *C.* 4. *c.* 5. *de Procurat. in* 6. *L.* 60 *ff. Mand.* Clerici, & Religiosi exempti sine consensu Papæ, si ipsi immediatè subjiciuntur, & conventus pertinent ad jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ nequeunt alterius Judicis prorogare jurisdictionem contentiosam: cum hæc præcipuè in honorem cedat Pontificis. *C.* 5. *de Arbitr.* Imò nec cœteri Religiosi, qui sunt exempti à jurisdictione ordinarij, & gradatim per suos Superiores, Priores, scilicèt, seu Rectores, Provinciales, & Generales subjecti sunt R. Pontifici, ut tenet *Salgad. de Supplicat. ad Sanctis. p.* 2. *cap.* 11. *ex n.* 15. sed contraria sententia in praxi admissa videtur; ut infrà dicemus. Nec ipsos posse prorogare jurisdictionem voluntariam Episcoporum, cujusmodi est absolutio à peccatis, & censuris, dispensatio in votis, juramentis, irregularitatibus jejunijs, & similibus, tenet *Suar. lib.* 6. *de Voto, cap.* 11. *n.* 7. cotrarium tamen scilicèt posse Religiosum exemptum ex Superioris licentia cedere privilegio, ac subjici Episcopo, ut ab eo absolvatur, vel cum eo dis-

dispensetur, tenent plures eum *Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 39. n. 32. arg. C. Luminoso. b. 18. q. 2.* ibi: *Nec audeat ibi Cathedram collocare. Episcopus, vel quamlibet potestatem exercere imperandi, nec aliquam ordinationem, quamvis levissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus.* Siquidem cum exemptio sit introducta in favorem Religionum, possunt Religiosi de licentia Prælati Regularis, saltem tacita, imò, & sine illa, si forte eam irrationabilitèr neget, ordinarium Diœcesis adire, ne quod in eorum favorem est inductum, in eorum dispendium retorqueatur, contra *Text. in C. 61. de Reg. jur. in 6.* Et cum hæc sententia Religiosis maximè faveat, & magna nitatur æquitate, securè potest ad praxim reduci: imò & quod Religiosi exempti possint prorogare jurisdictionem, etiam contentiosam Episcopi, tenent aliqui contra *Salgad.* Et in praxi ita servari restatur *Gonz. in C. 12. h. t. n. 8.* quia eum talis exemptio sit principalitèr in favorem ordinum introducta. *C. 6. 18. q. 2.* possunt illi profecto renunriare. *C. 6. de Privileg. L. 29. C. de Pactis*, maximè cum tunc non prorogent jurisdictionem Judicis non sui, sicut prorogarent in Laicum consentiendo, quia Episcopus est Judex exemptorum, cessante privilegio. *Barbos. in C. 5. de Arbitr. n. 5.* Hinc etiam Milites, Scholastici, & Familiares Sancti Officij, licet habeant Judices privativos, forumque privilegiatum, possunt suis privilegijs renuntiare, & prorogare jurisdictionem Judicum Ordinariorum, ad quorum jurisdictionem pertinerent, si non gauderent illo privilegio. *Gonz. in C. 12. h. t. n. 8.* quod in nostra Hispania habet majorem vim ob *L. 7. tit. 31. p. 2.* ubi de Scholasticis loquendo dicitur: *E non los deben demandar, nin traer à juicio delante otro Alcalde, sin su placer dellos.* Denique hic notari debet, quod Judices, tam Ecclesiastici, quàm Sæculares debent talitèr se gerere, ut non deturpent, nec dehonestent suam dignitatem, & jurisdictionem, se alijs Judicibus submittendo, quando non debent, ut deducitur ex *L. 19. ff. de Offic. Præsid. l. 49. tit. 5. p. 1. Trid. sess 25. de Ref. cap. 17.* & præcipuè constat ex *L. 15. tit. 1. lib. 4. R. C.* ibi: *Y damos licencia, y facultad, y mandamos à las nuestras Justicias, que no consientan, ni dèn lugar à los dichos Fiscales, y Executores, que hagan lo susodicho; antes, si fuere menester, que lo resistan.* Et ideo Illustr. *Villaroel de Regim. Eccles. p. 2. q. 12. n. 3. & 4. f. 57.* air: debere Prælatos credere se obsequium Deo præstare, quando suam defendunt authoritatem.

TIT. III.

De Libelli oblatione.

83 Libellus, sic dictus quasi *parvus liber*, aliquando pro *scriptura instrumentali* accipitur: unde, quia in emphytheusi scriptura requiritur contractus *libellarius* dicitur. Aliquando pro *schedula* alicujus rei intimatoria sumitur. *L. 43. §. 8. ff. de Furtis*: plerumque libelli pro *precibus* accipiuntur. *L. 15. ff. de In jus vocand. Libellus famosus* dicitur quæcumque scriptura ad alicujus infamiam facta. *L. 5. §. 9. ff. de Injur. & famos. libell.* sed his acceptionibus omissis in præsenti. *Libellus est brevis scriptura claram actoris petitionem, & causam illius continens. L. 40. tit. 2. p. 3. l. fin. tit. 2. lib. 4. R. C. Gonz. in C. 4. h. t. n. 5. & com. DD.* debetque constare, ut rectè dispositus, & efficax sit, narratione facti, medio concludendi, seu causa petendi, & conclusione: quia ex facto, & jure concluditur sententia, quasi fiat quidam syllogismus sic. 1. in Causa Criminali: Titius occidit gladio: sed juxta Legem qui gladio occidit debet gladio perire: hoc ergo peto. 2. in Causa Civili: Titius emit meum equum centum aureis, & ego illum ipsi tradidi: sed juxta Legem emptor tenetur solvere venditori pretium rei emptæ, & traditæ: hoc ergo peto. Et quidem libellus debet offerri, & præsentari in Judicijs plenarijs, & ordinarijs; omittitur tamen in summarijs, *Cl. 2. de Verb. signif.* in notorijs *C. 9. de Accusat.* & alijs hujusmodi. Libellus in Causa Civili dicitur: *Conventionalis*, in Causa Criminali *querela*, vel *accusatio* dicitur: regularitèr debet in scriptis offerri. 1. ut sic melius Judex instruatur circa causam, vel negotium, pronuntietque sententiam conformem libelli conclusioni: quæ quidem conclusio est ipsa petitio actoris, qua suggerit Judici, quid, quale, & quantum ipsi est tribuendum: & censetur pars principalis libelli. Debet ergo sententia esse conformis libello, quoad rem petitam, quoad causam, ex qua petitur, & quoad actionem, quam libellus continet. De Jure Hispano libellus sine conclusione sustinetur, dummodo tamen constet quid actor, vel accusator petit. *L. 10. tit. 17. lib. 4. R. C. Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 4. n. 14.* 2. debet

in scriptis offerri, ut reus melius deliberet, an cedere, vel contendere debeat; & si contendere parat, veniat instructus ad judicium cognita, & perspecta actione, qua convenitur. *L. 1. ff. de Edendo.* 3. ut actor possit ex facto in libello clarè proposito suos deducere articulos. *L. 40. tit. 2. p. 3.* Et licet olim de Jure Hispano in causis alicujus momenti debebat in scriptis offerri libellus. *L. 41. tit. 2. p. 3.* Hodie tamen hoc non est necessarium: imò, & si ab adversario petatur, libellum in scriptis offerri, erit in arbitrio Judicis præcipere, ut in scriptis offeratur, vel non. *L. 10. tit. 17. lib. 4. R. C.* Nam sufficit, quod in actis constet petitio: at vero in Cancellarijs Regijs, & Supremis Tribunalibus debet in scriptis præsentari libellus; ut ex *L. 1. tit. 2. lib. 4. R. C.* probat *Paz in Prax. t. 1. p. 1. temp. 3. n. 4.* quin & debet ab Advocato subscribi. *L. 4. tit. 16. lib. 2. R. C.*

44 Libellus debet esse brevis, solumque necessaria, & utilia, non superflua continere. *L. fin. §. 1. C. de Appellat.* ibi: *Sed hæc sola eis inscribere, quæ compendiosa narratione causas provocationis possunt explanare.* Nam ut lepide ait *Martial. lib. 2. Epigram.* suum alloquens librum: *Tercenta quidem poteras epigrammata ferre- Sed quis te ferret, per legeretque liber? At nunc succinti, quæ sunt bona disce libelli. Hoc primum est, brevior, quod mihi carta perit. Deinde, quod hæc una peraget librarius hora- nec tantum nugis serviet ille meis- Tertia res hæc est, quod sicui fortè legeris sis licet usque malus, non odiosus eris.* Debet itidem libellus claram actoris petitionem continere: ac proinde debet in eo poni. 1. nomen Judicis, cui offertur, licet non proprium ipsius nomen, saltem officij, ut sciatur, an sit competens, vel non. 2. nomen actoris, & si hic nomine alieno agit, etiam nomen principalis actoris apponi debet. 3. nomen rei, contra quem agitur. 4. narratio facti cum necessarijs circunstantijs dicendo quid, quale, & quantum debeatur, vel petatur; v. g. si petatur servus, debet explicari nomen, ætas, & officium: si animal, genus, sexus, & color: in rebus, quæ pondere, numero, vel mensura constant, quantitas exprimi debet. Et sic de alijs, in his versiculis comprehendit *Gloss. in C. 1. b. t.* quæ debent in libello contineri:

Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & à quo.
Rectè compositus quisque libellus habet.

Quæ omnia habentur in *L. 40. tit. 2. p. 3.* ibi: *Libellus en latin tanto quiere de-r, como demanda fecha por escrito. E esta es una de las dos maneras porque se puede facer. E la otra es por palabra. Pero la más cierta es la que por escripto se face, porque non se puede cambiar, nin negar como la otra. Mas en qualquiera demanda para ser fecha derechamente, deben, y ser catadas cinco cosas: la primera el nome de el Juez, ante quien debe ser fecha: la segunda el nome ael que la face: la tercera, el de aquel contra quien la quiere facer: la quarta la cosa, ò la quantia, ò el fecho, que demanda: la quinta, por què razon la pide. Cà seyendo todas estas cosas puestas en la demanda, cierto puede el demandado saber por ellas, en què manera debe responder. E otrosi, el demandador sabra mas ciertamente, què es lo que ha de probar. E sobre todo tomarà apercebimiento el Juez para ir adelante por el pleyto derechamente.* *L. fin. tit. 2. lib. 4. R. C.* ubi additur, quod in criminali libello, prærdicta, apponendus est delicti locus: imò, si reus petat, dies, & hora, ut possit probare negativam. *Hispanè: la coartada. L. 3. ff. de Accusat. junct. Gloss. Gothifr. num. 38. Jul. Clar. lib. 5. Sent. §. ult. q. 12. n. 13. Gonz. in C. 1. h. t. n. 5.*

45 Ita tamen debent in libello factum narrari, & actio proponi. 1. ut non detur contradictio. *C. 54. de Appellation.* 2. nec obscuritas; *arg. C. 2. D. 4.* 3. nec incertitudo. Nam si incertitudinem contineat, non poterit esse sententia certa: & potest à Judice, præcipuè in nostra Hispania, etiam parte non petente, repelli talis libellus. *L. fin. tit. 2. lib. 4. R. C.* verba tamen obscura ita debent accipi, ut libellus potius subsistat, quam corruat. *L. 12. ff. de Rebus dub.* & sunt per libellantem explicanda. 4. est vitanda generalitas: & hæc in criminalibus vitiat libellum. *L. 3. ff. de Accusat.* in civilibus tamen debet contra hujusmodi generalitatem exceptio opponi. Attamen libellus generalis admittitur in actione tutelæ, vel alia actione generali, in petitione fructuum, vel damnorum, vel hæreditatis, & similibus. *L. fin. tit. 2. lib. 4. R. C.* 5. non debet apponi petitio alternativa. *L. 7. §. 1. ff. de Injurijs*: quia non posset proferri sententia certa, qualis debet à Judice pronuntiari. At vero aliquando admittitur libellus alternativus, quando, scilicet, incertitudo provenit ex facto alieno præsertim adversarij. *L. 1. §. 4. ff. Quod Legator*: vel in actione hypothecaria: quando

petitur, ut actori tradatur res obligata vel solvatur debitum. *L. 16. §. 3. ff. de Pignor. Barbos. in C. 2. h. t. n.* 10. vel in remedio. *L. 2. C. de Rescind. vendit.* ubi venditor petit, quod emptor suppleat pretium, vel rem restituat. *C. 3. de Emption. & vend.* vel quando petitur res, si extet, vel ejus æstimatio, si sit consumpta. Vel quando restitutio petitur contra sententiam, contractum, vel testamentum: nam tunc actor petit, ut Judex pronuntiet, sententiam, contractum, vel testamentum non valere: vel contra ipsa restituat, si valuere. *C. 8. de in Integr. restitut.* De quibus *Gonzal. in C. 2. h. t. n. 6. &* 8. Libellus in nostra Hispania debet præsentari in judicio sæculari (secus in Ecclesiastico) in Chatta sigillata, *Hispanè*: *Papel sellado*, & quidem sigillo correspondente: tum personæ libellanti, tum causæ, de qua agitur juxta formam præscriptam in *L. 34. & seq. tit. 25. lib. 4. R. C.* & pro Indijs. *L. 18. tit. 23. lib. 8. R. Ind.*

46 Licet actio debeat in libello proponi. *C. 1. de Mutuis petit. l. 1. ff. de Edend.* non tamen est necesse specificum nomen actionis exprimi. *C. 6. de Judic.* non enim titulus actionis, sed debiti causa respicienda est. *L. 69. ff. de Fidejussor.* & possunt simul plures actiones, si compatibiles sunt, cumulari. *L. 11. ff. de Jurisdict.* ut sic faciliùs finis litibus imponatur. In actione personali sufficit, & est necessarium causam remotam exprimere, scilicèt, contractum, vel quasi contractum, delictum, vel quasi delictum, ex quo oritur obligatio, quæ est causa proxima petendi. *C. 3. h. t. Et ibid. Gonz. l. 40. tit. 2. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* V. *Lo que prestè.* In actione tamen reali sufficit, causam proximam allegare, scilicèt, dominium, vel jus in re, quin sit necessarium (potest tamen, si velit actor) exprimere causam remotam, scilicèt, illum titulum, ex quo provenit illud jus in re. *C. 2. h. t. Et ibid. Glos.* V. *Significantibus. Paz in Praxi, tom. 1. p. 1. temp. 4. ex n.* 23. debet tamen adjici causa in vindicatione hominis liberi. *L. 1. §. 2. ff. de Rei vindicat.* & in actione hypothecaria, qua in rem agitur: quia Judicis, & rei interest scire, ex qua causa res est pignorata, & an privilegio gaudeat, vel non: aliàs in creditorum concursu Judex non posset justè proferre sententiam.

47 Oblatio libelli reo insinuata facit rem litigiosam, ita ut non possit alienari. *Clem. fin. Ut lite pendent.* interrumpit etiam præscriptionem. *L. fin. C. de Annal. except.* & contra libellantem probat, quoad ea, quæ in libello asseruntur: *arg. L. 13. C. de Non numer. pecun.* porrigentem obligat ad prosequendam causam. *Auth. Qui semel. C. Quomod. & quand. Jud.* si scilicet, hoc intersit rei: secus si nihil intersit, vel si res adhuc sit integra. Nam tunc actor, invito etiam reo, potest à lite recedere. *L. 28. C. de Appellation.* Si libellus est omninò ineptus, ita ut neque jus agendi concludatur, nec possit interpretatione juvari: non fertur validè sententia, licet reus nihil opponat. *C. 15. de Judic.* & potest à Judice, etiam parte nihil opponente, repelli. *L. fin. tit. 2. lib. 4. R. C.* ibi: *Y si tales demandas, ò recusaciones no fueren ciertas en la manera susodicha, mandamos que no se reciban, y repelan, fasta que se pongan ciertas.* Potestque Judex actorem in expensas condemnare reservato eidem jure agendi ex alia causa, & reus absolvitur ab instantia. Si verò tantum sit vitiosus libellus, vel aliqua ipsi solemnitas desit, dumtamen percipiatur benè, quid actor petat, ex facti narratione, sustinetur libellus de Jure Hispano. *L. 10. tit. 17. lib. 4. R. C.* Actor potest emendare libellum declarando obscura, petendo fructus, expensas, vel plus, vel minus, quam in eo petierat, corrigendo illum juxta stylum Curiæ, ita tamen, ut salva maneat ejus substantia in re petita, & causa petendi: quod potest facere usque ad sententiam, reo refusis expensis per libellum ineptum causatis. *L. 4. §. fin. ff. de Noxalib. action.* Imò & ipsum quoad substantiam potest actor mutare ante litem contestatam, cum nondum sit cœptum judicium: secus post litem contestatam: siquidem jam est obligatus instantiæ, nec est locus pœnitentiæ. *L. 25. ff. de Rei vindic. Barbos. in C. 2. h. t. n.* 11. contra. *alios* Et repudiata priori causa agendi, potest actor aliam substituere, vel novum actionis genus sumere, vel diversam rem petere: debent tamen reo novæ induciæ concedi ad deliberandum, & compensari expensæ ob variationem causæ. *L. 3. C. de Edend.* Et *Gloss.*

48 Ut ex prædictis hucusque regulis ad praxim descendamus, libellus sic clausulis consuetis Hispanè formatur. — *M. Ille. Sr. — Juan Gomez, vecino de esta Ciudad de Manila, en la mejor forma, que aya lugar en derecho, ante V. S. me presento, y digo: Que el año passado de 35. prestè mil pesos a Pedro Gutierrez, vecino assimismo de esta Ciudad, hasta la venida del Galeon N. S. de Guia, que hizo viage al Puerto de Acapulco, como consta del Instrumento* ad-

adjunto; y siendo dicho Galeon yà llegado, aunque por mi ha sido requerido extrajudicialmente dicho Pedro Gutierrez à que pague dicha cantidad, como es justicia, no lo ha querido hacer, sin contienda de juicio. Por tanto: A V. S. pido, y suplico, que avida mi relacion por verdadera, en la parte que baste para el vencimiento de esta causa, compela al dicho Pedro Gutierrez por todo rigor de Derecho, à que me pague dicha cantidad: protesto las costas, y el oficio de V. S. imploro: y juro en forma, que no pongo esta demanda de malicia, &c. Si vero per Procuratorem quis compareat: sic formatur libellus: *Manuel Sanchez, en nombre, y como Procurador de Juan Gomez, de cuyo poder hago presentacion, &c.* Et in juramento dicitur: *Y juro en forma, en anima de mi parte, y de la mia, &c.* His clausulis positis rectè libellus formatus censetur. *L. 40. tit. 2. p. 3.* Et quidem illa clausula: *Como mejor aya lugar en Derecho*, facit, quod libellus sustineatur quocumque modo possit, juxta intentionem actoris. Illa alia clausula: *Que avida mi relacion por verdadera, en la parte que baste*, facit, quod actor non teneatur probare quæcumque in libello apposuit, sed sat erit, si probet, quod fundet suam intentionem. Illa clausula: *Las costas protesto*, facit, quod Judex possit adversarium in expensas litis condemnare: quod non posset facere, parte non petente respectu expensarum, quæ ante litis contestationem sunt factæ, posteà tamen in factas post contestationem condemnare. Illa clausula: *El oficio de V. S. imploro*, facit, quod Judex possit impartiri suum officium ad utilitatem privatam petentis in omnibus ipsi necessarijs. Si in libello intentatur actio personalis in via ordinaria sic concluditur: *Condene al dicho Pedro Gutierrez à que me dè, y pague.* Si intenditur via executiva sic concluditur: *Compela.* Si actio realis intentetur sic concluditur: *Condene à que me entregue.* In nostra Hispania non est necessarium, expedit tamen, conclusionem in libello apponere. Et juxta stylum Tribunalium Hispaniæ non ponitur in libello nomen proprium Judicis, quidquid sit de jure antiquo in *L. 40. tit. 2. p. 3.* sed tantum titulus Judicis, & quidem in media fronte libelli, juxta cujusque Judicis gradum. Si Regi offertur tantum apponitur—*Señor*,— & in corpore libelli dicitur *V. M.* si Senatui Supremo, vel Regijs Cancellarijs offertur, dicitur: — *M. P. S.* — scilicet, *Muy Poderoso Señor*: & in corpore ditur *V. A.* Verò si in Cancellarijs aliquis loquatur, vel respondeat alicui Senatori, dicit: *V. S.* si Episcopo offeratur libellus dicitur — *Illmo. Sr.* — & in corpore *V. Illma.* idem est, si Archiepiscopo offeratur, nisi sit Archiepiscopus Toletanus: nam tunc dicitur — *Excmo. Sr.* — & si Cardinalis sit — *Emmo. Sr.* — & in corpore *V. E.* Latiorem explicationem libelli potes videre apud *Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 4. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 11. & alij apud ipsos.*

49 Post oblatum Judici libellum sequi *citatio*: quæ nihil aliud est, quam quidam actus legitimus, quo quis mandato Judicis juris experiundi causâ in judicium vocatur. *L. 1. ff. de In jus vocand.* Et Hispanè dicitur: *Citacion, ò emplazamiento. L. 1. tit. 7. p. 3. tot. tit. 3. lib. 4. R. C.* Hæc citatio debet fieri, juxta cujusque Curiæ stylum. In nostra Hispania transmittit Judex libellum actoris reo, quin sit necessarium ipsi concedere inducias deliberatorias. *C. 2. de Dilation.* Citatio alia est *juris*, alia *hominis*. *Citatio juris* est, quando Lex assignat terminum, intra quem quis in judicio debet stare. *C. 1. de Elect. in 6. C. 8. de Offic. Ordinar. in 6. & sæpè alibi. Citatio hominis* est, quando Judex vocat aliquem in judicium. *C. 19. de Foro compet.* Si per Nuntium, vel ore tenus, vel in scriptis citatio fiat, dicitur *verbalis*; si fit privatim ad faciem, vel domum rei dicitur *privata*, si voce præconis, campana, tuba, tympano, tormento bellico, vel signo Militari, *Hispanè*: *Vandera*, ut fit in Exercitu, vel classe Maritima, dicitur citatio *publica*. Si per Edictum quis citetur, dicitur citatio *Edictalis*: & hæc fit, quando citandus est vagus, vel impedit, quominùs aliter citari possit, vel si locus ubi est citandus, non censetur tutus: vel si contradictor sit incertus, vel in genere citentur omnes, quorum interest; & ita fit, quia hoc solum modo speratur, citationem ad notitiam citatorum perventuram. *C. 1. de Postulat. Prælator.* Et hic modus citandi solum permittitur Judicibus Ordinarijs, & delegatis Principum, secus alijs. *Auth. Qui semel. C. Quomod. & quand.* Et quidem prius citatio debet legi per Nuntium, vel Ministrum, & postea affigi debet in locis consuetis, & ibi est relinquenda sufficienti temporis spatio arbitrio Judicis, & de his omnibus testimonium sumendum est. Si Judex simplicitèr mandet alicui, quod tali die compareat, dicitur citatio *simplex*, si præcisam necessitatem comparendi imponat, ulteriori termino, seu citatione denegata, vel si citetur tribus distinc-

tinctis citationibus, ut sæpè fit, vel una pro tribus, dicitur citatio *peremptoria. L. 70. l. 72. ff. de Judic.* sed citatus debet de hoc admoneri, & tempus debet esse sufficiens, ut reus possit ad Judicem accedere, & deliberare, quid debeat respondere. Et tempus præfixum computandum est à tempore citationis factæ. *Citatio realis* est, quando persona apprehenditur, & capitur. *C. 15. de Sentent. excom. in 6.* Et solum Judici Ordinario permittitur hic modus citandi, non verò delegato, nisi in aliquibus casibus; *arg. C. 1. de Judic. in 6.* & in criminalibus adhibetur, præmissa causæ cognitione, saltem summaria. In civilibus verò, quando debitor est suspectus de fuga, & debitum est liquidum, & habet undè solvendo, sed non habet bona immobilia. Et quidem tunc, & ipse creditor potest debitorem apprehendere, & Judici tradere. *L. 10. §. 16. ff. Quæ in fraudem creditor.*

50 Ut citatio sit legitima, debet, si causa utilitatem privatam contineat, fieri ad instantiam partis. *L. 68. ff. de Judic.* Si causa publicam concernat utilitatem, Judex ex officio procedit, nemine petente, ut hodie fit in causis criminalibus, præsertim in capitalibus: quia publicè interest, ne delicta maneant impunita. *L. 51. §. fin. ff. ad Leg. Aquil.* debet item fieri de mandato Judicis competentis, cujus scilicèt jurisdictioni subsit citatus, & in ejus territorio commoretur, aliàs citationem arctabit citatum. *L. fin. C. de Exhibend. reis.* Siquidem Judici extra suum territorium jus dicenti impunè non paretur. *C. 2. de Constitut. in 6. L. fin. ff. de Jurisd.* si citatus sit extra territorium citantis, debet per litteras requisitorias Judex illius loci moneri, ut ipsum capiat, & remittat. *L. 7. tit. 4. p. 3.* nisi fortè reus ad illum locum malitiosè se transtulisset, ne posset à suo Judice citari: nam tunc habita de hoc informatione, etiam extra suum territorium potest Judex in nostra Hispania, saltem verbalitèr, citare. *L. 7. tit. 3. lib. 4. R. C. Acev. in l. 3. tit. 3. lib. 4. R. C. ex n.* 30. Si citato certò constet, Judicem ipsum citantem non esse competentem, ut si Clericus à Laico citetur, nullo modo tenetur citatus coram citante, nequidem ad allegandum suum privilegium comparere; sed potest illicò incompetentiam Judicis opponere. *L. 2. tit. 7. p. 3.* ubi plures casus afferuntur, in quibus citatus non tenetur coram citante comparere. Si dubium sit, tenetur citatus, se Judici sistere: quia Judicis est æstimare, an sua sit jurisdictio, *L. 5. ff. de Judic.* & ibi suum privilegium allegabit, etiamsi privilegiatus sit; ut sic Judicibus debitus honor, & reverentia præstetur. *L. 2. tit. 7. p. 3. Pax in Praxi, tom. 1. p. 1. temp. 3. n. 42.* Et quamvis requiratur Judicis mandatum ad aliquem citandum præsertim si capiendus est, tamen si reus inflagranti delicto reperiatur, potest à Ministris Justitiæ apprehendi. *L. 7. tit. 23. lib. 4. R. C.* ibi: *Mandamos, que ninguno de los Alguaciles de la nuestra Casa, y Corte, y Chancilleria, ni de las otras Justicias, prenda persona alguna sin mandamiento, salvo el que hallaren haciendo delito; y el que lo contrario hiciere, èl, ni carcelero no lleven derecho alguno; y si lo llevaren, lo buelvan con el quatrotanto: la mitad para la parte, y la otra para la Iglesia mas cercana à la Carcel.* Si Judex delegatus aliquem citet, in ipsa citatione est inserenda copia delegationis. *C. 31. de Offic. delegat. Et ibid. Gonz. n. 3. Gloss. in C. 8. 3. q. 2.* V. *Convocari contra Felin. & alios.*

51 Citatio igitur in scriptis facta debet continere. 1. nomen, & cognomen Judicis citantis, ut sciatur, an competens, an incompetens sit, vel etiam an suspectus habeatur. 2. nomen, & cognomen actoris, & rei. Si Universitas citetur, citatur ejus Syndicus. *L. 1. §. 1. ff. Quod cujusq. Universit.* Si careat Syndico, illius capita citantur, v. g. Decanus Capituli, Abbas Monasterij, Consules, & Senatores Civitatis, Præses Cancellariæ, & similes. 3. debet indicari locus judicij, ut reus adversus locum, si extra Judicis jurisdictionem, vel si non est tutus, vel si incommodus sit, possit excipere: Nam extra territorium Judici non paretur impunè. *L. fin. ff. de Jurisdict.* nec citatus tenetur comparere nisi in loco idoneo, & securo, & potest appellare, si compellatur ad talem locum accedere. *C. 47. de Appellat.* 4. debet concedere terminum competentem, intra quem possit reus comparere; nam si terminus nimis brevis apponatur, citatio valida non erit; *arg. L. 5. ff. Quod vi, aut clam.* Et potest à tali gravamine appellari. & licet non sit assignanda hora, quia debet reus hora solita comparere, & quidem ante tenebras, assignandus est dies, ut reus sciat, quando, & an comparere debeat, vel non: nam si dies est feriatus in honorem Dei, tunc non potest comparere: si sit feriatus in favorem partium, ut tempus messis, vel vindemiarum, non tenetur, potest tamen tali favori renuntiando, comparere. *C. fin. de Ferijs*: nisi fortè periculum sit in mora, quia tunc quolibet di-

po-

potest fieri citatio, veluti si res tempore peritura sit, vel alia urgeat necessitas: quippe hac urgente facilè jura relaxantur. *C.* 4. *de Reg. jur.* Etiam in causis pupillorum, viduarum, alimentorum, incarceratorum, & aliarum personarum miserabilium potest citatio die feriato fieri. Executio citationis fit per Judicem, vel Tabelliones, vel Nuntium, vel Apparitores, vel Alguacellos, vel per alios Ministros publicos: qui quidem sine Judicis decreto nequeunt citare, nec verbalitèr, nec realitèr. *L.* 1. *tit.* 7. *p.* 3. *L.* 3. *tit.* 3. *lib.* 4. *R. C. L.* 7. *tit.* 23. *lib.* 4. *R. C.* cujus verba supra retulimus. In Nostra Hispania, ut credatur Nuntio asserenti, se alium citasse, duo testes requiruntur, si Nuntius fuerit judicum inferiorum; si fuerit Nuntius Regis, unus testis sufficiet. Judici verò Curiæ Regiæ asserenti, se aliquem citasse, creditur absque alio teste. *L.* 1. *tit.* 7. *p.* 3. debet insuper fieri citatio in proprio territorio, & in diei claritate, non de nocte. *C.* 24. *de Offic. deleg. ne judicium Ecclesiasticum exerceatur in tenebris: quia juxta testimonium veritatis, qui male agit, odit lucem.* Et quidem debet fieri in ipsius rei faciem, vel si non invenitur ad domum, in qua ipse habitat. *Cl.* 3. *de Elect.* Nec hodie domus est, ut olim erat, tutissimum refugium. *L.* 18. *ff. de In jus vocand.* Si in sua domo non inveniatur reus, fiet citatio domesticis, vel vicinis, vel denique per præconem, vel Edictum citabitur: quæ omnia notantur in processu à Tabellione. *L.* 1. *tit.* 7. *p.* 3.

52 Prima citatio, qua reus monetur, Juris Naturalis est, cum ad ejus defensionem spectet. *Cl.* 2. *de Sentent. & re judic.* & Juri Divino valdè consona est: siquidem Deus noluit Adamum condemnare, ante quam ipsum citaret, & ejus excusationem audiret. *Genes.* 3. *v.* 9. ibi: *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, ubi es? Qui ait: Vocem tuam audivi in Paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. Cui dixit: Quis enim indicavit tibi: quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Et postea sententiam profert. Ferè idem constat ex casu Sodomæ. *Genes.* 18. & ut dicitur *in Text. in C. Deus omnipotens* 20. 2. *q.* 1. *Deus omnipotens, ut nos à præcipitata sententia prolatione compesceret, cum omnia nuda, & aperta sint oculis ejus, mala tamen Sodoma, noluit audita judicare, priusquam manifestè agnosceret, quæ dicebantur. Unde ipse ait: Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me opere compleverint, an non est ita, sciam. Deus omnipotens, cui nihil est absconditum, sed omnia et manifesta sunt, etiam antequam fiant, non ob aliud hæc, & alia multa (quæ hic prolixitatem vitantes, non inserutmus) per se inquirere dignatus est, nisi ut nobis exemplum daret, ne præcipites in discutiendis, & judicandis negotijs essemus; & ne mala quorumque prius quisquam præsumat credere, quam probare.* Et hac ratione prima citatio non potest omitti: nec in hoc Princeps, nec Summus quidem Pontifex dispensare valet. *C.* 1. *de Caus. possess. & propriet. C.* 2. *c.* 4. 3. *q.* 9. *Cl.* 2. *de Sentent. & re judic.* Nam ut *Seneca in Medeam act.* 2. aiebat: *Qui statuit aliquid parte inaudita altera Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.* Ideò Alexander Magnus, orante aliquo accusatore, altera manu autem solebat occludere, ut ipsa servaretur reo expers omnis calumniæ, ut notat *Plutarc. in Alex.* imò, & si Diabolus in judicio compareret, audiendus esset, ut dicunt communitèr DD. nisi crimen sit adeo notorium, ut nulla reo supersit defensio ad excusandam pœnam, vel culpam: nam tunc absens, & non citatus condemnari potest. *C.* 15. *c. fin.* 2. *q.* 1. ubi dicitur, quod manifesta accusatione non indigent. *C.* 5. §. 1. *de Appellat.* Et sic *Apost.* 1. *Cor.* 5. *v.* 3. quemdam absentem, & irrequisitum excommunicavit. Nec est necessaria citatio, quando reus inflagranti crimine deprehenditur, nec quando Judex ex officio procedit, nec quando reus est præsens, & paratus est respondere: nec quando periculum est in mora, nec quando non requiritur causæ cognitio. Deinde in causa hæresis possunt recipi testes, etiam parte non citata. *C. fin. de Hæretic. in* 6. De quibus, & alijs casibus passim agunt DD. extra ipsos tamen citatio præire, & ad judicium supponi debet: & merito: nam ipsa est quasi lapis angularis, & fundamentum judicij in sensu mox explicando. §. *fin. Inst. de Pœna temere litig.* Hinc processus sine prævia citatione factus est irritus, & nullus, ejusque nullitas quocumque tempore potest opponi, etiam post sententiam revisionis. *Paz in Prax. tom.* 1. *p.* 1. *temp.* 3. *n.* 8. *Larrea, Valenz. Pareja, & alij, cum Gonz. in c.* 1. *de Caus. possess. & propr. num.* 21.

53 Non solum reus principalis, sed etiam omnes, quorum interest, seu quorum causa agitur, citandi sunt. *L.* 47. *ff. de Re judic. L.* 39. *ff. de Adoption.* quod si reus procuratorem ad litem constituit, post ipsam contestatam, & ipse Procurator,

tor, cum quo lis agi intelligitur, citandus est. Non tamen possunt citari ascendentes à descendentibus, patroni à libertis, & omnes personæ, quibus debetur ab actoribus reverentia, nisi præcedente judicis venia, saltem tacita. *L. 4. l. 13. ff. de In jus vocand.* Et licet olim non possent citari Consules, Præfecti, Prætores, Proconsules, neque cæteri Magistratus, qui habebant imperium, & aliquem poterant coercere, & jubere in carcerem duci. *L. 2. ff. de In jus vocand.* sed hodie jam generali consuetudine citantur, & in jus vocantur, quando oportet coram Magistratibus Superioribus, quod præcipuè in Nostra Hispania observandum est. *Ob l. 2. tit. 7. p. 3. Greg. Lop. ibid.* V. *Juez Mayor. Sebastian Ximen. in Concord. jur. in l. 2. ff. de In jus vocand.* Deindè in jus vocare nullus debet Clericum, dum sacra facit, nec eos, qui propter loci religionem inde se movere non possunt, nec eum, qui est impeditus causa Reipublicæ, vel in bello, vel in castris, nec eum, qui uxorem ducit, ipso die nuptiarum, nec Judicem, dum de re cognoscit, nec eum, qui actu apud Prætorem causam agit: neque funus ducentem familiare, justavè mortuo facientem. *L. 2. ff. de In jus vocand. L. 2. tit. 7. p. 3.* ubi plures, referuntur, qui ex justo motivo nequeunt citari. Si ergo nulla justa causa citatum excuset, debet ipse citationi legitimæ parere, & coram Judice se sistere: aliàs ad instantiam actoris potest, ut contumax puniri. *C. 2. de Dolo, & contum. L. 2. ff. Si quis in jus vocat.* Citatio legitimè à Judice facta, facit, quod ipse in causa præveniat, nec alij Judices, quantumvis alias competentes possunt se intromittere nec immiscere causæ cognitioni. Ipseque actor tenetur coram eo Judice litem prosequi. *L. fin. §. 2. C. de In jus vocand.* nec habet potestatem alterum Judicem, etiam alias competentem eligendi. *C. 19. de Foro compet.* & per citationem constituitur citatus legitimus contradictor, adeò, ut citans, licet alias posset, jam non potest illum repellere, & in hoc Judex sibi præjudicat. Per citationem perpetuatur jurisdictio delegati. *C. 20. de Offic. delegat.* item inducitur litis pendentia, ita ut nihil possit jam innovari. *C. 1. & per tot. ut lite pendent.* res etiam fit litigiosa, ac proindè lite pendente alienari non potest. *Cl. 2. Ut lite pendent.* & interrumpitur præscriptio saltem odiosa, ea scilicèt, quæ tantum ob negligentiam Domini inducitur. Etiam per citationem prorogatur Judicis, qui citavit, jurisdictio, adeò, ut coram eo litem prosequi teneatur citatus, & si postea diversi fori esse cœperit. *L. 7. ff. de Judic. L. 19. ff. de Jurisdict.* Prædictos tamen effectus minimè operatur citatio invalida. *Cl. 3. de Elect.* nisi ex post facto convalidetur per comparitionem citati, vel si se pro citato habeat: quia cum in rei favorem sit hæc nullitas introducta ab eo valet utique renuntiari. *L. 29. C. de Pactis.* Et ob contrariam rationem non convalescit citatio, quæ ex defectu jurisdictionis invalida fuit. De quibus omnibus latè agitur *in tit. 7. p. 3. tit. 3. lib. 4. R. C. Et ibid. Greg. Lop. & Acevedo. Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 3. & 4. Hevia in Cur. Philip. 1. p. §. 11. & 12.*

TIT. IV.

De Mutuis Petitionibus.

54 **R***Econventio* est rei conventi adversus actorem, durante conventionis judicio vicissim sub eodem Judice, sive Ordinario, sive delegato instituta actio. *C. 3. de Rescript. in 6. L. 22. ff. de Judic. C. 1. h. t. Et Barbos. ibid. n. 5. & Conz. n. 4. 6. & 9. Conventio* igitur est petitio actoris adversus reum: reconventio est mutua petitio seu actio rei adversus actorem: Hinc ille, qui non potest agere, ut excommunicatus, non potest reconvenire: Sed omnis ille, qui contra aliquem agit ab eo reconveniri potest, si non prohibeatur à Lege: non tamen permittitur actori reconvento rursus reum reconvenire, ne procedatur in infinitum. Nec potest quis reconvenire actorem, quando non suo, sed alieno nomine agit, qualis est Procurator, Tutor, vel Curator. Reconventio differt ab *exceptione*: quia hæc nihil petit, sed tantum intentionem actoris excludit. *L. 2. ff. de Exception.* cum reconventio sit mutua petitio, etiam differt à *compensatione*, quia hæc est debiti liquidi, & confessi: reconventio est ejus, quod debetur, sed nondum est confessum, aut certum: estque præparatoria ad compensationem petendam.

55 Reconventio habet locum in quacumque causa non excepta, etiamsi causæ sint diversi generis, v. g. quod causa conventionis sit ex empto, & causa reconventionis sit ex mutuo. *L. 1. §. fin. ff. de Extraordin. cognit.* sive una ex actione reali, alia ex personali procedat, sive utraque sit plenaria, sive summaria sit. *Cl. 2. de V. S.* si verò una sit summaria, & alte-

altera plenaria, & pari passu ambulare possint, una sententia definiuntur: quod si summaria exigat accelerationem: tunc talis reconventio solum effectum prorogandi Judicis jurisdictionem operabitur, non verò quod simultaneus processus fiat, & una sententia terminentur causa conventionis, & reconventionis. Etiam in causis executivis utrimque locum habet reconventio, siquidem utraque causa potest intra terminum primæ executionis liquidari. Secus si una sit ordinaria, & altera executiva: imò etiam si utraque sit executiva, si reconventio intra terminum primæ executionis nequeat liquidari, admittitur quidem tantum, quoad effectum prorogandi jurisdictionem, non verò quoad effectum impediendi executionem primæ causæ conventionis. *Acceved. in L. 1. tit. 5. lib. 4. R. C. ex n. 68. Didac. Perez. Gonzal. in c. 1. b. t. n. 6.* contra *alios.* Reconventio autem varijs casibus non habet locum. 1. In causa depositi: nam hæc adeò privilegiata est ob bonam fidem, qua exuberare debet, ut nullam exceptionem, aut compensationem admittat. *C. 2. de Deposit. l. 11. C. eod.* Si verò proponatur, jurisdictionis prorogationem operabitur, non tamen poterit Judex simul in utraque procedere. 2. In causa spolij: nam spoliatus agens judicio possessorio ante omnia restituendus est. *C. fin. de Ordin. cognit.* 3. In causa appellationis: nam ibi solum judicatur de sententia lata in prima instantia, & de gravamine illic illato reparando. Hinc cum reconventio in prima instantia non sit proposita, nec in appellatione est proponenda. 4. In causa feudali: nam actor conveniens Vassallum super re feudali coram Domino feudi non potest reconveniri super re allodiali (id est, libera à feudo) coram ipso, siquidem extra causam feudalem, jurisdictione caret. *Gonz. in c. 1. b. t. n. 6.* In causa criminali, si quis est civilitèr accusatus, potest reaccusare civilitèr actorem: quia tunc illa causa, ut civilis habetur, cum de interesse solum agatur. Accusatus civilitèr etiam potest criminalitèr accusare actorem: prius tamen de crimine est pronuntiandum quam de causa civili cognoscatur. *L. fin. C. de Ordin. judic.* at verò accusatus criminalitèr non potest civilitèr reaccusare actorem: siquidem causa criminalis, ut magis principalis silere facit civilem. *L. fin. C. de Ordin. judic.* nec criminalitèr accusatus potest reaccusare criminalitèr. *C. 2. c. 3. 3. q. 11. L. 5. ff. de Public. judic. quia non relatione criminis, sed innocentia purgatur reus*, potest tamen de majori crimine, vel de connexo cum crimine objecto, vel quando suam, vel suorum injuriam prosequitur, reaccusare criminalitèr. *L. 19. C. de His, qui accusar. L. 14. §. 6. ff. de Bonis libert.* Similitèr potest accusatus reaccusare criminalitèr, quando Judex est competens respectu utriusque, præcipuè, quando illius criminis objectione reus se à crimine liberat. *L. 4. tit. 1. p. 7. Et ibid. Greg. Lop. Gonz. in c. 1. b. t. n. 12.*

56 Reconventio habet duos effectus. 1. Est prorogatio jurisdictionis ex jure, & sine consensu partium proveniens: ita ut actor reconventus subjiciatur judici, coram quo ipse agit; nec ipsum licet incompetentem, possit recusare. *L. 14. C. de Sent. & interloc.* ibi: *Cujus enim in agendo observat arbitrium, eum habere contra se judicem in eodem negotio* (hoc est lite, vel instantia) *non dedignetur. L. 20. tit. 4. p. 3.* ibi: *Cà guisada* (id est, justa) *cosa es que despues, que el demandador quiso alcanzar derecho ante este Juez., que antel lo faga al demandado.* Cessat tamen hæc prorogatio, ac proindè reconventio, quando Judex, nequidem consentientibus partibus, de causa cognoscere potest: v. g. si causa reconventionis sit reservata Supremo Principi, vel si Judex sit Laicus, & causa spiritualis sit, respectu cujus incapax est. Quando Clericus coram Judice Sæculari agit contra Laicum, non potest de crimine coram eo reconveniri, quia de hoc solus Judex Ecclesiasticus contra Clericum cognoscere valet. *C. 8. de Judic.* Si verò reconventio per modum exceptionis Clerico actori à Laico opponatur in causa civili coram Judice Sæculari, cum tunc tantum ad rei defensionem tendat, nec ultrà protendatur, absdubiò admittitur: quod si reconventio per modum actionis proponatur, *Abb. in c. 4. de Judic. & alij* tenent, quod tunc non potest cognoscere Sæcularis ob ejus incompetentiam respectu Clerici, cum jura absolutè, & generalitèr Clericum à judicio Sæculari eximant. Posse tamen tunc Sæcularem cognoscere, & ejus jurisdictionem prorogari, ac proindè competentem reddi, tenent *Glos. in C. 1. b. t. V. Super. Barb. ibid. n. 4. Felin. Bartol. Bald. & alij*, quod saltem in Nostra Hispania tenendum est *ob L. 57. tit. 6. p. 1.* ibi: *Mas si el Clerigo demandare alguna cosa al Lego temporal, tal demanda como esta debe ser fecha ante él Judgador Seglar, è si ante quel pleyto se acabasse, el Lego, à quien demanda, quisiere facer otra demanda al Clerigo su demandador, alli debe responder por*

por aquel mismo juicio, è non se puede escusar, por la franqueza, que han los Clerigos por razon de la Eglesia. Et ibid. Greg. Lop. ubi dicit hanc opinionem communem DD. utriusque juris, & quam approbat antiqua consuetudo. Sed etiamsi Sæcularis adversus Clericum sententiam ferat executio relinquenda est Ecclesiastico. 2. effectus reconventionis est processus simultaneus. Utraque enim causa simul, quoad actus judiciales tractanda est. *C. 1. c. 2. de Ordin. cognition.* & si de utraque simul liqueat eadem sententia terminanda est. *C. 1. h. t.* ita tamen, ut prærogativa detur actori. Si reconventio in litis exordio proponatur, vel statim per contestationem ante alios actus judiciales, habet utrumque effectum. *C. 1. h. t.* si vero proponatur post litem contestatam usque ad sententiam definitivam, tunc non processus simultanei effectum cum damno actoris, sed tantum prorogationem talis reconventio operabitur; *arg. C. 3. de Rescript. in 6. Gonz. in C. 1. h. t. num. 7.* in nostra Hispania reconventio quoad utrumque effectum potest proponi etiam post litem contestatam, sed tamen intra viginti dies assignatos ad opponendas exceptiones peremptorias, postea vero non admittitur. *L. 1. tit. 5. lib. 4. R. C. Et ibid. Acevd. n. 60.*

TIT. V.

De Litis contestatione.

57 OLIM actor, & reus coram Judice testes adducebant, & ordinato judicio dicebant: *Testes estote*; & inde nomen arripuit *litis contestatio. Teste Carol. Sigon. Gonz. in C. un. h. t. n. 6.* Et hæc quidem est propriè fundamentum, lapis angularis, & basis Judicij. *L. 3. tit. 10. p. 3.* ibi: *Comenzamiento, è raiz de todo pleyto, sobre que debe ser dado juicio, es quando entran en èl por demanda, è por respuesta delante del Judgador. Et ibid. Greg. Lop. Gloss. in C. 27. de Offic. delegat. V. Litis exordium*, quamvis citatio, quia est principium actionis. *L. 3. C. de Edendo*, aliquando latè dicatur principium, & fundamentum litis: at verò propriè loquendo, ipsa citatio, & cætera, quæ præcedunt contestationem litis, dicuntur præparatoria Judicij. *Litis ergo contestatio est* petitio actoris in judicio proposita, & subsecuta responsio rei animo litigandi. *C. un. h. t. L. 2. l. 3. tit. 10. p. 3. l. 1. tit. 4. lib. 4. R. C.* sive petitio, & responsio per ipsum actorem, & reum, sive per Procuratores, vel Tutores eorum proponatur: vel etiam per advocatos partium. *C. 62. de Appellat.* sive fiat verbis juxta stylum Curiæ usitatis, & dicitur *contestatio solemnis*, sive quocumque alio modo fiat, verbo, vel facto animum contestandi litem significante, & dicitur contestatio *simplex*. Quando reus dicit: *nego narrata, ut narrantur, vera esse*: non potest argui de simplici negatione, nec de simplici confessione: sicque evitat pœnam statutam negantibus. *L. fin. ff. de Rei vindicat.* Nec item potest pro confesso, nec pro condemnato haberi. *L. un. C. de Confessis.* Sed Jure Regio hujusmodi verbis lis contestata intelligitur. *L. 3. tit. 10. p. 3. Et ibid. Gregor. Lop. V. Non son. Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 7. n. 52.* quin obstet, *L. 1. tit. 4. lib. 4. R. C.* ubi dicitur, quod contestatio debet fieri per verba: *nego, vel confiteor*: potestque fieri litis contestatio non solum in continenti, & præsente parte, sed etiam ex intervallo, & absente parte fieri valet. *L. 2. tit. 4. lib. 4. R. C.* potestque fieri tam per affirmationem, quando scilicèt, narrationem fatetur reus, opponit tamen exceptionem quod jam solvit debitum: quam per negationem, quando scilicèt, simpliciter negat reus, quod actor petit: dumtamen hæc fiant, ut semper præsumitur (nisi expressè reus protestetur) animo litigandi, & judicium subeundi: Hinc etiam tacitè fit contestatio, si reus deferat juramentum actori: nam tunc fateri censetur, esse vera contenta in libello, si actor juret. In nostra Hispania debet lis contestari præcisè per hæc verba *nego, vel confiteor. L. 1. tit. 4. lib. 4. R. C. l. 10. tit. 3. p. 3. l. 3. tit. 10. p. 3.* ubi additur: *E respondiendo el demandado à aquella demanda llanamente: si, ò non :::: Otrosi puede responder el demandado, si quisiere negar la demanda, en esta manera, diciendo assi: Las cosas, que son puestas en la demanda de mi contendor, niego, que no son assi, como èl lo recontò. Et ibid. Greg. Lop.* Si reus tanquam Procurator, vel hæres alterius compareat, sufficit ad contestandum, si dicat, quod nescit, nec credit petita sic esse. *L. 3. tit. 10. p. 3.*

58 Contestatio debet fieri in jure, seu judicio; *arg. L. 4. ff. de Interrogat.* & regularitèr est necessaria litis contestatio ad substantiam judicij, cum sit illius fundamentum. *L. 3. tit. 10. p. 3.* quo deficiente corruit ædificium. *L. 26. ff. de Except.*

rei

rei judic. C. 26. 1. q. 1. & cum ad jus publicum pertineat non potest à partibus litis contestatio renuntiari. L. 38. ff. de Pactis, nec Judicis authoritate valet remitti, imo & ipse Judex potest partes ad litem contestandam compellere. L. 10. tit. 3. p. 3. ac proinde litis contestatione non præcedente nullus est processus; arg. L. 4. C. de Sentent. & interloc. L. 7. tit. 3. p. 3. l. 2. tit. 16. p. 3. & probat Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 6. n. 2. In judicijs summarijs non est necessaria litis contestatio, cum ad solemnitates Juris Positivi, non ad Jus Naturale pertineat. Cl. 2. de Verb. signif. Et hac ratione nec requiritur litis contestatio, quando causa agitur coram Principe: nam hic bene potest ordinem judiciorum sua authoritate supplere: nec in causis appellationis. C. 58. de Appellat. quia durat contestatio facta in prima instantia: nec in causis notorijs, in quibus juris ordo non servatur. C. 21. de Jur. jur. quinimò in ipsis juris ordo est ordinem juris non servari. Nec requiritur in causis, ubi non requiritur libellus. Cl. 2. de Verb. signif. in nostra Hispania etiam in causis summarijs debet lis contestari. L. 10. tit. 17. lib. 4. R. C. Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 6. n. 7. Litis contestatio de Jure Communi fit post viginti dies post oblatum libellum. Auth. offeratur, C. h. t. in nostra Hispania intra novem dies ab oblatione libelli est contestanda lis, alias reus pro confesso habetur. L. 1. tit. 4. lib. 4. R. C. quæ pœna licet non servetur apud Regios, & Supremos Judices, tamen apud inferiores servari debet; ut tenent Covarr. Matienzo, & Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 6. n. 44. & tales dies sunt continui, non utiles, & contestatio non solum de die, sed etiam noctu fieri potest. Aceved. in L. 1. tit. 4. lib. 4. R. C. n. 39. Et potest fieri coram Judice in loco ubi possit inveniri, vel si Judex non inveniatur coram Tabellione. L. 2. tit. 4. lib. 4. R. C. Si reus intra novem dies non contestetur litem, potest nihilominùs intra viginti dies opponere exceptiones peremptorias. Paz in Praxi, tom. 1. p. 1. temp. 6. n. 29. in causis verò gabellarum lis est contestanda intra tres dies connumerandos à die intimationis libelli reo factæ. L. 5. tit. 7. lib. 9. R. C.

59 Non fit litis contestatio per oppositionem exceptionum à reo factam, sive opponantur exceptiones peremptoriæ. C. fin. h. t. in 6. quando, scilicèt, intenditur vel nullam unquam fuisse actionem, vel actionem, si quæ competijt, extinctam fuisse debiti solutione, transactione, jure jurando, vel authoritate rei judicatæ: sive declinatoriæ, sive dilatoriæ opponantur. Nam per peremptorias non suscipitur judicium, sed potius perimi intenditur; per declinatorias Judex declinatur, ac proindè suscipi nequit judicium. Per dilatorias non intenditur lis moveri, vel amplecti, sed potius differri. Si tamen actor replicet contra exceptionem à reo oppositam, jam fit litis contestatio saltem, quoad exceptionem: imò & lis contestatur, quoad rem controversam, quando opponitur exceptio peremptoria, non intendens, vel nullam esse actionem, vel desijsse, quæ erat, sed intendens elidere, & excludere actionem, quæ orta est, & competit. C. 1. h. t. in 6. quia tales exceptiones litis contestationem præsupponunt. Positiones, de quibus in C. un. h. t. dicitur, quod per eas non fit litis contestatio: quia nullam continent petitionem, & regularitèr fiunt post litis contestationem, sunt quædam breves narrationes alicujus facti, non juris, saltem communis, licet possint esse juris Municipalis, vel consuetudine introducti. C. 1. de Constit. in 6. Has quidem actor ponit in scriptis, ut ad controversiam pertinentes, petitque, adversarium ad eas respondere, ut se actor ab onere eximat probandi, quod in illis continetur. Reus non respondens, vel non ritè ad eas respondens, pro confesso habetur, si est jussus eis respondere. C. 2. de Confessis in 6. Si reus eas neget, dicuntur articuli illæ ipsæ positiones, & actor eos probare tenetur. Hi etenim articuli in quodam interrogatorio includuntur, & ad ejus tenorem testes examinantur. Tam positiones actoris, quàm responsiones rei offeruntur Judici sub juramento, quo jurant non proponi animo calumniandi, sed suum jus tuendi. C. 2. de Testib. in 6. Et ibid. Gloss.

60 Lite igitur validè contestata (invalida enim litis contestatio nihil operatur. Auth. offeratur, C. h. t.) incipit propriè judicium; arg. L. 7. ff. Rem ratam haber. l. 7. tit. 3. p. 3. Tunc siquidem instantia currere incipit. L. 13. §. 1. C. de Judic. nec jam possunt opponi exceptiones dilatoriæ nisi de ipsis ponendis facta sit protestatio, vel nova causa emerserit, vel de novo sciantur. C. 20. de Sentent. & re judic. nec Judex potest recusari, nisi causa suspitionis supervenìat: quia ex ipso facto litem contestandi partes videntur in eum consentisse. L. 52. ff. de Judic. item actio personalis fit litigiosa. L. 2. C. de Liti-

Litigiof. Etiam possessor bonæ fidei per litis contestationem in mala fide constituitur, quoad fructus, quos quidem à die litis contestatæ non lucratur; sed debet illos conservare, & restituere actori, si hic in causa obtineat. *L. 22. C. de Rei vindicat.* Etiam interrumpitur præscriptio decem, vel viginti annorum. *L. 26. C. de Rei vindicat.* Et in his contestatio est efficacior citatione: nam hæc solum facit litigiosam rem controversam in actione reali, & solum interrumpit præscriptionem longissimi temporis. Etiam lite contestata actio temporalis perpetuatur usque ad 40. annos à tempore contestationis computandos. *L. fin. C. de Præscript. 30. vel 40. an.* Etiam actiones pœnales ex delictis, vel quasi delictis descendentes transeunt insolidum ad hæredes, ita, ut insolidum possint hæredes delinquentis conveniri, qui lite non contestata solum tenerentur in quantum pervenit ad ipsos. Per litis contestationem quasi contrahitur inter litigantes: ac proinde nullus potest, altero invito, à lite recedere, nisi velit condemnari, ut temerarius litigator in damna, & expensas adversario refundendas. §. 1. *Inst. de Pœna temer. litigant.* Nec jam admittitur mutatio libelli, nec potest revocari Procurator, si renuat, nisi ex justa causa. *C. 2. de Procurat. in 6.* nec possunt exigi cautiones, de *judicio sisti*, de *judicatum solvi*, & de *rato*; *arg. L. un. C. de Satisdando.* Hos, & alios effectus contestationis litis afferunt. *L. fin. tit. 10. p. 3. Greg. Lop. ibid. & com. DD.* & præcipuè habetur, quod post litis contestationem, & non antea, procedendum est ad testium receptionem, & ad sententiam definitivam: de quo posteà in Titulo sequenti agitur.

61 Qui litem contestari recusat intra novem dies præscripto à Lege, si fuit personalitèr citatus, pro confesso habetur in nostra Hispania. *L. 1. tit. 4. lib. 4. R. C.* debet tamen, saltem de consuetudine, præcedere accusatio contumaciæ facta ab actore, ut reus pro confesso habeatur. Et quidem debet reus pro confesso à Judice declarari. Nec ante talem declarationem transit ad hæredes pœna hujus Legis, si fortè antea moriatur reus: nec pœna hujus Legis habet locum in Causis Criminalibus, etiam civilitèr intentatis ad hoc, ut pro confesso reus habeatur. De quibus agitur in *tit. 10. p. 2. Et ibid. Greg. Lop. tit. 4. lib. 4. R. C. Et ibid. Acev. Gonz. & Barb. in C. un. h. t. Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 6. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 14.*

TIT. VI.

Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem; vel ad sententiam definitivam.

62 Præsens Titulus, vel Rubrica cum sensum perfectum habeat, vim Legis obtinet, & pro tali in causarum decisionibus allegari valet. *Gonzalez hic. Olea, & Altamir.* Cum ergo à contestatione litis exordium sumat judicium, consequens est, ut lite non contestata non possint testes recipi. *C. 62. de Appell. L. fin. tit. 10. p. 3. l. 2. tit. 16. p. 3.* ibi: *Los testigos non deben ser ante recebidos, que el pleyto sea comenzado por demanda, è por respuesta*: multoque minus potest sententia definitiva ferri, cum testes, & sententia circa rem in judicium deductam versentur, nec lis potest per sententiam finiri, si lis non fuit. *L. 83. l. 208. ff. de Reg. jur.* ibi: *Non potest videri desiisse habere, qui nunquam habuit.* Potest tamen ante litis contestationem sententia ferri interlocutoria: quia hæc pertinet, & contingit quæstiones emergentes inter principium, & finem causæ principalis: v. g. an citatio ad reum pervenerit, an reus pro contumaci sit habendus. *C. 70. §. fin. de Appellat.* an citatus sit jurisdictioni citantis subjectus, & aliæ hujusmodi quæstiones. Ac proindè tunc est necesse, testes recipi, & sententia ferri, etiam lite non contestata ad cursum causæ. *C. 19. de Judic.*

63 Possunt tamen testes recipi lite non contestata. 1. in judicijs summarijs, in quibus de plano proceditur, nec libellus, nec litis contestatio de Jure Communi requiruntur; *arg. L. 2. tit. 16. p. 3.* 2. quando Judex procedit ex officio ad inquisitionem generalem. *C. fin. §. Sunt, h. t. l. 3. tit. 16. p. 3.* si procedat ad instantiam partis, vel quando ex inquisitione speciali, etiam ex officio procedit, debet prius lis contestari, quam recipiantur testes. 3. cum actor timet, ne inter moras litis contestandæ in causa civili, vel criminali civilitèr intentata pereat copia probationis ob senium, infirmitatem, profectionem ad bellum, navigationem, diuturnam absentiam testium, vel oblivionem rei gestæ, vel si alia justa causa adsit: tunc enim possunt testes, etiam ante litem contestatam, recipi. *C. fin. h. t.*

Et

Et ibid. Barbos. & Gonz. l. 2. tit. 16. p. 3. Quando ergo ex justa causa testes ex parte actoris recipiuntur, debet regulariter, si commodè potest, citari reus, ut intersit testium receptioni, & juramentum ipsi præstare debent; arg. C. 2. de Testib. Si verò ex aliqua causa reus non interfuit testium receptioni, debet actor intra annum actionem instituere, vel saltem receptionem testium reo denuntiare, cessante justo impedimento, alias attestationes non valent, ne fortè hoc procuret in fraudem rei, ut processu temporis exceptiones legitimæ ad repellendum testes, vel aliæ locum habere non possint. C. fin. h. t. l. 2. tit. 16. p. 3. Hic quidem annus a principio est utilis, & in progressu continuus, curritque in diebus feriatis. Glos. in C. fin. h. t. V. Intra annum. Testibus enim sic examinatis non statim ad sententiam definitivam proceditur: sed eorum depositiones in publicum instrumentum redactæ asservantur, ut publicentur cum depositionibus aliorum testium, qui post litem contestatam recipiuntur. L. 2. tit. 16. p. 3. quod si tunc præsentes, & valentes sint testes antecedentèr recepti, denuò recipi possunt. Barbos. in C. fin. h. t. n. 5. contra alios. Et habetur in L. 2. tit. 16. p. 3. ibi: *Pero si aquellos testigos fuessen vivos, è los quisiere el demandador aducir en juicio para probar su pleyto, non los puede el demando desechar, maguer diga, que otra vez fueron recebidos, è non valiò su testimonio: porque non gelo fizieron saber fasta un año, assi como dicho es.* In causa verò criminali criminalitèr intentata (excepta causa hæresis ob favorem fidei) non possunt lite non contestata testes recipi, etiamsi de eorum morte, vel diuturna absentia timeatur. Glos. in C. fin. h. t. V. Civilitèr: *quia satius est impunitum reliqui facinus nocentis, quam innocentem damnare*: quam benignissimam sententiam Trajanus protulit certè Hispano Principe dignam. L. 5. ff. de pœnis, l. 2. tit. 16. p. 3. ibi: *E lo que diximos en esta Ley, que los testigos pueden ser recibidos ante que el pleyto sea comenzado por respuesta: non ha lugar en pleyto de justicia, en que pudiesse venir muerte, ò perdimiento de miembro, ò echamiento de la tierra. Fueras ende, si el Rey de su oficio mandasse .. er pesquisa, assi como adelante mostraremos.*

64 Cum in potestate rei non stet conveniri, quando vult, sed quando actor illum velit convenire, & posset actor expectare, & differre dolosè agere contra illum, donec testes, qui rei innocentiam possent defendere, essent mortui, absentes, vel obliti rei gestæ: hac ratione potest reus, qui timet litem sibi imposterum movendam in causa criminaliter civili, petitoria, vel possessoria, testes producere ante litem contestatam, etiamsi non sint senes, valetudinarij, vel absfuturi, ut examinentur ad perpetuam rei memoriam, & sui defensionem. Et sic receptæ attestationes in perpetuum valent. C. fin. §. Sunt, h. t. L. 4. tit. 16. p. 3. In causa matrimonij, quando agitur de illius valore, si reus contumacitèr absit, possunt ante litis contestationem recipi testes, & si de causa liquidò constet, sententia definitiva fertur. C. fin. §. Porrò, h. t. ob causæ favorem, ut conjuges sibi cohabitent, si matrimonium valet: vel separentur, si non valet, ne ipsis peccandi occasio præbeatur. Si verò agatur de adulterio ad separationem tori, vel restitutionem dotis, cum materia sit odiosa; siquidem agitur de præjudicio conjugis accusati, & ipsius matrimonij, quatenùs intenditur dissolvi ejus individua societas, non debent testes recipi, nec sententia ferri etiam contra reum contumacitèr absentem, quousque lis sit contestata. C. 1. h. t. Quando agitur de removendo Prælato electo, quia electio impugnatur tanquam nulla ex defectu formæ, vel personæ, & ipsæ contumacitèr non compareat ad terminum peremptorium testes, etiam lite non contestata recipiuntur, & si de causa liqueat ad sententiam proceditur. C. fin. §. Porrò, h. t. Si verò postquam legitimè fuit institutus agatur de eo removendo ob crimen, si contumacitèr non compareat, excommunicatur. Si contempta censura, intra annum non compareat, contra eum proceditur ad sententiam depositionis, vel privationis. C. 8. de Dolo, & contum. eodem modo proceditur cum inferioribus Beneficiatis, saltem cum Curatis. Quando aliquid est notorium, etiam absente adversatio, recipiuntur testes: imò & sententia definitiva fertur; arg. C. 9. de Accusat. In alijs causis, in quibus reus contumax est, non recipiuntur testes ante litem contestatam, sed actor mittitur in bonorum rei possessionem custodiæ causa, vel si non habeat bona, compellitur per censuras ad comparendum. C. 3. h. t. Denique quotiescumque negotium est tale, quod facile potest oblivioni tradi, possunt recipi testes, etiam ante litem contestatam ad perpetuam rei memoriam. L. 4. tit. 16. p. 3. ibid. Greg. Lopez.

TIT.

TIT. VII.

De Juramento calumniæ.

65 CAlumniari in criminalibus est falsa crimina intendere. *L. 1. §. 1. ff. ad S. C. Turpil.* in civilibus est per fraudem alios litibus vexare, vel negotium frustrationibus differre. *L. 233. ff. de V. S.* ad has igitur calumnias removendas est introductum juramentum calumniæ. Sed quidem non Jure Divino, ut credit *Menoch. de Arbitr. lib. 1. q. 20. n. 2. ex 22. Exod. v.* 8. ibi: *Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos, & jurabit, quod non extenderit manum in rem proximi sui ad perpetrandam fraudem.* Sed Jure Positivo, ut tenent DD.com. apud *Gonzal. in C. fin. h. t. n. 5.* nec textus Exodi loquitur de juramento calumniæ. Sed de juramento decisorio, quod præstat, qui rem alterius habuit in custodia: nec etiamsi de eo loqueretur, aliquid probat, cum illa Lex abolita sit per Christum: Hinc est, quod tale juramentum potest omitti ex Principis dispensatione, & per tacitam partium renuntiationem. *C. 1. §. 1. h. t. in 6.* quia tunc partes sunt in continuo metu, ne juramentum exigatur; ac proindè finis illius obtinetur in calumniæ remotione. Non tamen potest expressè renuntiari à partibus. *L. 2. C. h. t.* quia cùm sit ob favorem publicum introductum, scilicèt, ut omnis calumnia arceatur, & sciatur veritas, & ut compescatur audacia litigantium, non potest à privato renuntiari. *L. 38. ff. de Pactis. C. 12. de Foro compet.* Siquidem renuntiatio expressa invitaret ad liberius calumniandum. *L. 2. §. 4. C. h. t. Aceved. in l. 1. tit. 6. lib. 4. R. C. n. 2.* Nec à Judice valet remitti. *Aceved. in l. 10. tit. 17. lib. 4. R. C. n. 2.* imò nec per consuetudinem potest tolli. *C. 5. h. t.* quia cum talis consuetudo præberet occasionem occultandi veritatem, & calumnijs viam aperiret non videtur rationabilis: præcipuè cum à jure expressè excludatur. *Barbos. in C. 5. h. t. n. 5.* contrarium tamen tenet *Gonz. in C. 5. h. t. n. 5.* sed adhuc possunt hæ sententiæ conciliari: nam licet non valeat totaliter tale juramentum tolli, potest aliquomodo moderari, ut de facto contingit in nostra Hispania, & alijs Regnis. Hoc juramentum olim in nostra Hispania dicebatur: *Jura de la manquadra*: quia sicut manus, quæ quadrata est, habet quinque digitos, ita hoc juramentum continet quinque articulos, quos refert *L. 23. tit. 11. p. 3.* Et etiam affert *Gloss. in C. 1. h. t.* in his Versiculis. In quibus continentur partes, quibus tale juramentum constat.

Illud juretur, quod lis sibi justa videtur:
Et si quæretur, verum non inficietur:
Nil promittetur, nec falsa probatio detur:
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

66 Et quidem hoc juramentum differt. 1. à *juramento veritatis*, quia hoc est de dicenda veritate, quam jurans scit. Juramentum verò calumniæ est credulitatis quo quis jurat, se credere, bonam habere causam. 2. differt à *juramento malitiæ*: quia hoc solum concernit partem negotij suspectam, itaque est tanquam species, vel pars juramenti calumniæ. Et ante, vel post litem contestatam præstatur, & potest exigi toties, quoties est aliqua præsumptio contra partem litigantem. Juramentum verò calumniæ concernit totum negotium, & regulariter semel tantum præstatur: & quidem solum post litem contestatam. *L. 23. tit. 11. p. 3.* sed antequam positiones ab actore offerantur. *C. 6. h. t.* Sed si fuit omissum, in qualibet parte præstatur ante conclusionem in causa, parte sic petente. *C. 1. h. t. in 6.* Præstatur ergo hoc juramentum Authore Judice. *L. 5. §. 14. ff. de Novi oper. nuntiat.* eoque, & adversario præsentibus, tactis Sacris Scripturis, vel Evangelijs. *L. 2. C. h. t.* Sed hodie sufficit apud acta jurare, etiam non tactis, nec propositis Evangelijs: & præstatur in omnibus causis, magnis, vel parvis, ordinarijs, vel delegatis, civilibus, vel criminalibus. In capitalibus tamen aliqui reum excusant ab hoc juramento: imo & alij hoc juramentum à causis criminalibus excludunt. Sed quidquid alibi de hoc censendum sit, in nostra Hispania, etiam in causis capitalibus debet fieri. *L. 23. tit. 11. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. Aceved. in l. 2. tit. 7. lib. 4. R. C. n. 1.* Hodie etiam præstatur in causis spiritualibus. *C. 1. §. fin. h. t. in 6.* per quod corrigitur. *C. 2. h. t.* In causa appellationis. *C. 2. h. t. in 6.* quia in secunda instantia alius est Judex, & aliud est Tribunal, & sic in praxi servatur. In causis summarijs ex generalitate. *L. 1. C. h. t.* ibi: *In omnibus causis. C. 1. eod.* At verò in notorijs non præstatur, quia probatione non indigent; *arg. C. 9. de Accusat.* Si ab alterutra parte hoc juramentum petatur, necessario præstandum est, & si omittatur annullat processum, in quantum est in favorem recusantis jurare. In nostra Hispania, si tantum semel petatur, & si non præstetur non vitiat processum; vitiat tamen,

men, & annullat illum, si bis petitum, non præstetur. *L.* 10. *tit.* 17. *lib.* 4. *R. C. Et ibid. Aceved.* Hoc quidem juramentum præstant actor, & reus: prius tamen jurat actor de eo, quod credat, se bonam causam habere; deindè reus de eo, quod credat, se bono jure actori resistere. *L.* 2. *C. h. t. l.* 23. *tit.* 11. *p.* 3. Procurator vero, si habeat speciale mandatum, non tamen sine illo. *C. fin. h. t. in* 6. *l.* 23. *l.* 24. *tit.* 11. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop. Aceved. in l.* 2. *tit.* 7. *lib.* 4. *R. C. n.* 19. hoc juramentum præstat: & tunc duplex facit juramentum, unum in animam propriam, alterum in animam principalis litigantis, seu suæ partis. Qui nomine alieno agunt, ut Tutores, Curatores, Æconomi, Syndici, Administratores Monasterij, Ecclesiæ, vel Civitatis jurant in animam ipsorum propriam, etiamsi speciale mandatum non habeant principalis. *C.* 3. *c.* 4. *h. t. Barbos. in C.* 3. *h. t. n.* 4. *Aceved. in l.* 2. *tit.* 7. *lib.* 4. *R. C. n.* 20. Nec est necesse jurare in personam principalis. *L.* 2. §. 2. *C. h. t.* & in hoc differunt à Procuratoribus, qui cum speciali mandato, & non sine eo juravit in animam principalis. Minores in causis spiritualibus, & filij familias in Castrensibus debent jurare per se, vel per Procuratorem in animam ipsorum. Procurator datus à Judice non tenetur jurare; *arg. C.* 24. *de Reg. jur. in* 6. ibi: *Quod quisque mandato facit Judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.* Licet Advocati debeant de calumnia jurare. *L.* 2. *C. h. t.* Hodie ex consuetudine sufficit generale juramentum, quod præstant, cum ad munus postulandi admittuntur.

67 Ab hac juramenti obligatione sunt exempti. 1. Principes, quorum dignitas calumniæ suspicionem excludit. 2. Dominus feudi cum vassallo, & vassallus cum Domino feudi litigans. 3. Procurator Fisci ex consuetudine. 4. Parentes, & Patroni cum filijs, & libertis litigantes ob reverentiam eis à liberis, & libertis debitam. *L.* 16. *ff. de Jur. jur.* secus liberi, vel liberti cum parentibus, vel patronis litigantes: sed si parentes, vel patroni juramentum decisorium deferant liberis, & libertis, secum in casibus permissis litigantibus, non excusantur prædicti parentes, vel patroni à juramento calumniæ præstando. *L.* 34. §. 4. *ff. de Jur. jur. Gonz. in C. fin. h. t. n.* 6. Clericus, sive Religiosus litigans coram Judice Ecclesiastico alieno, indiget licentia Prælati ad juramentum de calumnia præstandum. *C.* 1. *h. t.* & à fortiori ea indiget, si coram Judice Laico litiget. *C.* 22. *q.* 5. quia hoc juramentum judiciale est coactivum, & ideò est necessaria proprij Superioris licentia. Ad juramentum verò extrajudiciale, & voluntarium, quod Clericus, cum Laico contrahens, præstat, non est necessaria licentia, quia nulla est coactio, *arg. C.* 26. *de Jur. jur.* Quod si Clerici, vel Religiosi coram Judice non suo, sive Ecclesiastico, sive Laico sine Superioris licentia jurent, quamvis illicitè faciant, non tamen vitiatur processus, vel judicium. *Glos. fin. in C.* 1. *h. t. Et ibid. Barbos. n.* 8. si verò Clerici, vel Religiosi in causa ipsorum propria coram Judice proprio litigent, possunt jurare per se, vel per Procuratorem. Si vero in causa Ecclesiæ litigent, quia v.g. sint Prælati, vel Abbates, non tenentur personalitèr jurare, sed possunt hoc facere per Syndicum, vel Procuratorem generalitèr ad causas Ecclesiæ constitutum. *C.* 4. *c. fin. h. t.* Et cum non deceat, quod Episcopus per se in judicio compareat (siquidem in judicio actor, & reus stare debent, sedente Judice) per Syndicum decentèr comparebit, & per ipsum consequentèr jurabit. *C. fin.* 5. *q.* 3. Sed si causa sit criminalis, vel alia valdè gravis, per se illam aget, & personaliter præstabit juramentum, non tactis, sed tantum propositis Evangelijs, & manu pectori admota. *C. fin. h. t. l.* 24. *tit.* 11. *p.* 3.

68 Quicumque de calumnia jurans liberatur à calumnia præsumpta. *L.* 1. *C. h. t.* non tamen liberatur à solvendis litis expensis: quia si verè calumniator sit, ut potest accidere, etiamsi de calumnia juraffet, est in expensas condemnandus. *Covar. Pract. qq. cap.* 27. *n.* 1. Qui verò juramentum præstare recusat, si est actor, cadit ab instituta actione: si reus, habetur pro confesso. *C. fin.* §. 1. *h. t. l.* 23. *tit.* 11. *p.* 3. non quidem ipso jure, sed post Judicis sententiam. *Auth. Principales. C. h. t.* quam quidem pœnam evitant actor, & reus, si ante sententiam præstent hoc juramentum, vel si moriantur ante sententiam declaratoriam: nam tunc eorum hæredes causam prosequi possunt, & debent hoc juramentum præstare, nec prædicta tenentur pœna. *L.* 29. *ff. de Jure Fisci.* Hanc pœnam non incurrunt litigantes. 1. quando simul actor, & reus jurare recusant: quia tunc unius damnatio alteri victoriam afferret. 2. Si causa sit criminalis: nam tunc requiruntur probationes clariores luce meridiana; nec aliter potest condemnatio fieri. Et sic renuens potest compelli jurare per capturam personæ, & indictio-

nem mulctæ. 3. Si causa sit spiritualis, v.g. si agatur de beneficio, de decimis, vel de jure patronatus: tunc enim reus jurare recusans habetur pro confesso in sui præjudicium, non autem in actoris favorem, ne detur ingressus vitiosus in beneficium: cum non alitèr, quam per Institutionem Canonicam debeat conferri. *C.* 1. *de Reg. jur. in 6. Acevèd. in l.* 2. *tit.* 7. *lib.* 4. *R. C. n.* 2. *&* 3. 4. Hac pœna liberatur, si nolens jurare jam perfectè probasset: quia ubi non est probationis necessitas, nec hujus juramenti est necessitas. Hæc etiam pœna comprehendit eum, qui renuit juramentum malitiæ præstare, ac proindè in illo articulo, in quo detrectat præstare juramentum malitiæ, vel cadit à causa, vel pro confesso habetur: Nam cum hoc juramentum sit species, vel pars juramenti calumniæ, quidquid jus de illo disponit, etiam de hoc disponere censetur, cum pars contineatur in suo toto. *L.* 113. *ff. de Reg. jur. c.* 80. *eod. in 6.* quamvis aliqui teneant, hanc pœnam ad juramentum malitiæ non extendi. Quod satis constat ex generalitate *L.* 23. *tit.* 11. *p.* 3. ibi: *Cà si el demandador non la quisiesse facer, debe dar por quito al demandado; è otrosi si el demandado fuesse rebelde en non facerla, debelo dàr por vencido, bien assi como si conociesse todo aquello, que le demandaba su Contendor.* Et clarius adhuc habetur in *L.* 2. *tit.* 7. *lib.* 4. *R. C.* Quòd si Procurator, vel alius administrator renuat juramentum calumniæ præstare, eorum contumacia non debet Dominis nocere, ut hanc pœnam incurrant, ut contra *Valensem hic n.* 4. *& alios* tenet communis, & benignior sententia, *ex L. unic.* §. 2. *ff. Si quis jus dicent.* ibi: *Si Procurator tuus, vel Tutor, vel Curator jus dicenti non obtemporavit, ipse punitur, non Dominus, vel pupillus.* Et quidem ipse Procurator non audietur in ea causa. In Nostra Hispania in locum juramenti calumniæ successit juramentum malitiæ in hac forma: *Y juro à Dios, y à esta ✠ que esta demanda no pongo de malicia.* Si Procurator jurat, ait: *Y juro à Dios, y à esta Cruz en anima de mi parte, y la mia. Paz in Prax. tom.* 1. *p.* 1. *temp.* 4. *ex n.* 39. *&* 44. *Gonzal. in c. fin. h. t. n.* 3. *Hevia in Cur. p.* 1. §. 11. *num.* 17.

*** *** ***

*** ***

***

TIT. VIII.

De Dilationibus.

69 Dilatio est illud spatium, vel intervallum, quod ad actum peragendum in judicio actori, vel reo datur. Si à Lege detur, dilatio *Legalis*, dicitur; si à Judice *Judicialis* nuncupatur. Et quidem à Judice datur pro Tribunali sedente, prævia saltem summaria causæ cognitione, & præsente utraque parte, & non contradicente. *C. fin.* 3. *q.* 3. Hæc dilatio hodie fere arbitraria est: siquidem Judex pro negotij, vel personæ qualitate, & alijs circumstantijs potest augere, vel minuere dilationes. *C.* 24. *de Offic. deleg.* Sed non debet dilationes nimis longas concedere, ut finis litibus imponatur, nèc nimis breves, ne litigatores indefensi reperiantur: Quod si ipsis non detur sufficiens tempus ad comparendum, & etiam ad deliberandum, & advocatos, & peritos consulendos, à Judicis sententia, licet interlocutoria, rectè appellatur, cum gravamen irreparabile contineat. *C.* 1. *h. t.* Possunt tamen Judices dilationes coarctare, moderate tamen. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 10. *in fin.* ibi: *Admonet de hinc Sancta Synodus tàm Ordinarios, quàm alios quoscumque Judices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate studeant, ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte judicij differenda modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.* *L.* 1. *tit.* 6. *lib.* 4. *R. C.* ibi: *Y los del nuestro Consejo, ò el Presidente, y Oidores, ante quien la causa pendiere, puedan abreviar los dichos terminos, y cada uno dellos, acatada la calidad de la causa, y personas, y cantidad, y distancia de los lugares, donde se han de hacer las probanzas, y que no las puedan alargar.* Et hoc debent Judices præ oculis habere, ne lites fiant immortales, & æternæ.

70 Dilationis tempore conquiescit Judicis officium adeò, ut sit ipso jure nullum, quod tunc innovatum fuerit in illo articulo, super quo data est dilatio, nec per partium consensum potest validari: dilatione tamen elapsa potest Judex ad ulteriora procedere. Dilatio uni parti concessa, licet sit minori, jure speciali per restitutionem in integrum adversus lapsum temporis concessa, alteri litiganti prodest. *L. fin. tit.* 8. *lib.* 4. *R. C.* cum in judicijs æqualitatem servari oporteat.

C.

C. 32. *de Reg. jur. in 6.* adeò, ut nec reus datæ dilationi renunriare possit, etiam re integra, quia per ipsam dationem, etiam ad petitionem rei concessam, est jus actori adquisitum, quo invitus non debet spoliari. *Barbos. in c. fin. h. t. n.* 7. Etiam socius Minoris gaudet restitutione minori concessa, quando causa est individua, nec potest dividi, secus si dividua sit, seu dividi possit. *Hevia in Cur. Phil. p.* 1. §. 16. *n.* 24. Dies, in quo terminus conceditur, juxta aliquos in termino computatur, sed non computari tenet praxis Tribunalium teste *Hevia in Cur. p.* 1. §. 16. *n.* 7. Dilationes, nisi aliud constet, non utiles, sed continuæ sunt, ac proindè dies feriati, sive feriæ sint solemnes, sive repentinæ, nisi vel totam, vel majorem partem dilationis absorbeant, in termino dilationis computantur. *L.* 3. *C. h. t. Hevia in Cur. p.* 1. §. 16. *n.* 8. Ultimus dies, qui pro termino assignatur cedit in commodum dilationem petentis. *Arg.* §. 2. *Inst. de V. O.* undè ultimo adhuc momento rectè comparet, qui dilationem obtinuit, nisi sit dies feriatus, seu non juridicus.

71 Dilationes, quæ in judicio conceduntur, aliqui doctrinæ gratia pro tempore, & effectu, pro quibus conceduntur, solent dividere in dilationes *citatorias*, *seu expectatorias*, *deliberatorias*, *recusatorias*, *seu declinatorias*, *probatorias*, *allegatorias*, *definitorias*, *& executorias*, quarum natura ex ipsis terminis satis percipitur. Jam ad rem accedamus: post oblatum ergo actoris libellum, Jure Communi viginti dies reo ad respondendum conceduntur. *Auth. Offeratur. C. de Litis contest.* In nostra tamen Hispania novem dierum dilatio reo conceditur, ut deliberet, si velit liti cedere, vel contendere, & ut actioni respondeat, litemque contestetur. *L.* 1. *tit.* 4. *l.* 1. *tit.* 5. *lib.* 4. *R. C.* qui quidem à die notificationis computantur. Et quidem reus ante litis contestationem potest exceptiones dilatorias opponere. *C.* 20. *de Re judic. l.* 9. *tit.* 3. *p.* 3. post litis contestationem potest exceptiones peremptorias opponere, jure quidem communi usque ad definitivam: jure Hispano intra viginti dies à litis contestatione opponendæ sunt. *L.* 1. *tit.* 5. *lib.* 4. *R. C.* Libello rei responsorio porrecto conceditur actori sex dierum dilatio, ut reo respondeat, nisi reus reconventionem, mutuamquè petitionem objecerit actori: quia tunc novem dies ei conceduntur. *L.* 2. *tit.* 5. *lib.* 4. *R.C.* Actor intra sex dies replicat rei libello, & intra alios sex dies reus debet producere libellum duplicationis. *L.* 2. *tit.* 5. *lib.* 4. *R. C. Paz in Prax. tom.* 1. *p.* 1. *temp.* 7. & nullus alius libellus postea admittitur in Nostra Hispania, ita ut duo tantum ex parte actoris, & duo itidem tantum ex parte rei porrigantur. Libellorum terminis elapsis, intra sex dies pronuntiat Judex sententiam interlocutoriam, ut partes ad probationem causæ, si causa probatione indigeat, admittantur. *L.* 1. *tit.* 17. *lib.* 4. *R. C.* olim terminus ad probandum non porrigebatur ultra primam dilationem. *L.* 7. *ff. de Ferijs*, *& dilation.* postea verò tres dilationes, seu termini concedebantur. *C.* 15. *de Testib. l.* 33. *tit.* 16. *p.* 3. De jure enim civili tempus ad probandum sic moderatur: ut si ex Provincia, ubi lis agitur, vel persona, vel instrumenta poscantur, non amplius, quam tres menses indulgeantur; si verò ex contiuentibus Provincijs, sex menses custodiri justitiæ est: in transmarina autem dilatione novem menses computari oportebit. *L.* 1. *C. h. t.* Hodie tamen sub una dilatione possunt Judicis arbitrio omnes termini, seu dilationes concedi, dummodo in Nostra Hispania dilatio non extendatur ultra octoginta dies, si causa sit citra montes, nec ultra centum, & viginti, si ultra montes sit. Terminus ultramarinus est sex mensium, & conceditur partibus testes ultra mare habentibus: debentque partes testes nominare, & intra triginta dies probare, illos testes adfuisse illi facto, vel casui, de quo litigatur. Debetque hunc terminum petens jurare, se non procedere ex malitia, debetque pecuniam deponere arbitrio Judicis sufficientem ad has impensas: à quibus omnibus excusatur, si factum, vel casus, de quo litigatur contigit ultra mare. *L.* 1. *& seqq. tit.* 6. *lib.* 4. *R. C.* In Indijs verò major est hic terminus ultramarinus pro distantia Provinciarum. Quarta dilatio, *Hispanè*: *Quarto plazo* nisi ex magna causa dari non debet: v. g. si lapsis primis dilationibus, novæ probationes, exceptiones, vel aliud incidens superveniat. *Arg. L.* 11. §. 8. *ff. de Interrogat. in jur.* debetque hanc dilationem petens, probare causam, ut concedatur: & insuper jurare, se non petere dolosé talem dilationem. *C.* 15. *de Testib. Auth. Atqui semel. C. de Probation.*

72 Postquam attestationes sunt publicatæ nullus alius terminus ad probandum conceditur, nec alij testes possunt præsentari, ne detur locus perjurijs, & occasio testes corrumpendi. Si verò aliquis ex litigantibus possit, restitutionem ad pro-

bandum, petere; quia minor, vel Universitas est, debet intra 15. dies à publicatione testium connumerandos talem restitutionem petere, & solum ipsi concedetur dimidium termini probatorij, qui fuit concessus ad primam probationem, ita ut ipsi alia restitutio negetur. *L. 5. tit. 6. lib. 4. R. C. L. fin. tit. 8. lib. 4. R. C.* Elapsis jam terminis, & dilationibus probatorijs, de Jure Civili tres dilationes ad allegandum dabantur, quarum quælibet triginta dies, seu mensem continebat. *Auth. Jubemus. C. de Judic.* De jure Hispano intra sex dies debent partes allegare, suam intentionem esse legitimè, & sufficientèr probatam: & è contra adversarium non probasse suas exceptiones. Tunc ergo admittuntur partes ad probandum, suam intentionem esse legitime, & sufficientèr probatam: & hic libellus dicitur *Hispanè: Escrito de bien probado.* Et ibidem opponuntur objectiones, seu repulsæ testium, qui à parte contraria sunt producti. *Hispanè: Prueba de tachas.* Et tales objectiones contra testes, eorumque declarationes, debent esse specificæ: nam si generales sint non admittuntur. *L. 2. tit. 8. lib. 4. R.C.* & Judex juxta suum arbitrium tempus ad has probationes concedet, ita tamen, ut non excedat temporis ad probationem principalem concessi, medietatem. *L. 1. tit. 8. lib. 4. R. C.* Postquam partes merita causæ allegarunt, sequitur conclusio in causa, quæ est probationum, & disputationum ulteriorum renuntiatio: ac proindè post eam nulla probatio, vel exceptio admittitur. *C. 9. de Fide Instrum. C. 5. de Causa possess.* Non tamen prohibetur, quod quis post conclusionem in causa suam probationem declaret, etiam producendo, si necesse est, instrumenta, & scripturas. *Arg. L. 21. §. 1. ff. Qui testament.* ibi: *Nihil enim nunc dat, sed datum significat.* Hæc tamen conclusio non est de substantia judicij, & processus summarij. *Cl. 2. de V. S.* & juxta *Abbat. in c. 9. de Fid. Instr. Marant. & alios*, nec de substantia judicij ordinarij. Contra *Glos. in Cl. 2. de V. S. V. Conclusione, & alios.* Sed quidquid de alijs sit, in Nostra Hispania, talem conclusionem esse de judicij substantia, tanquàm indubitatum asserit. *Hevia in Cur. Phil. p. 1. §. 16. n. 31. ex L. fin. tit. 6. lib. 4. R. C. L. 1. tit. 7. lib. 4. R. C.*

73 Aliquando tamen post conclusionem in causa probationes, & instrumenta solent admitti, & quidem: 1. Reus in causa criminali, in qua de pœna corporali agitur; (secus si de pœna pecuniaria tantum agatur) probare valet suam innocentiam, etiam post conclusionem in causa. *L. 27. ff. de Pœnis.* Imò quocumque tempore, etiam post sententiam usque ad realem executionem: & consequentèr quocumque tempore de rei innocentia constet debet absolvi à Judice. *L. 4. tit. 30. p. 7.* ibi: *Pero si ante que fagan la justicia del, fallare el Judgador en verdad, que lo que conosciò, non era asi: mas que lo dixo con miedo de las feridas, ò con despecho, que avia porque lo ferian, ò por locura, ò por otra razon semejante destas, debelo quitar.* Et *ibid. Greg. Lop. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 15. n. 9. Paz, Gom. & alij.* 2. Etiam admittitur post conclusionem probatio in causa matrimoniali: quia etiam post sententiam licet uti novis, imò, & contrarijs probationibus, & allegationibus. *C. 7. c. 11. h. t. L. 13. tit. 22. p. 3. 3.* Appellans potest coram Judice appellationis producere nova instrumenta, & probationes, quæ antea non potuerunt produci. *L. 4. C. de Tempor. & reparat. appellat.* undè ortum habuit illud solemne apud Juristas axioma: *In appellationis causa non allegata allegabo, & non probata probabo.* 4. Si talem probationem offerat qui gaudet restitutione in integrum, ea prius petita, ut minor, Ecclesia, vel Universitas. 5. Si aliquis producat instrumenta novitèr reperta, vel quæ de novo ad producentis notitiam pervenerunt, & hoc juramento affirmet. *Arg. C. 4. de Except. L. 7. ff. de Ferijs.* Nam quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio. *L. 11. §. 8. ff. de Interrogat.* 6. Si adversarius tali probationi non contradicat: quia censetur juri, quod ad contradicendum habet, renuntiare. 7. Admittitur probatio per confessionem adversarij, vel per facti evidentiam, vel per ocularem inspectionem. 8. Admittitur exceptio excommunicationis. Siquidem, & post sententiam opponi potest. *C. 1. de Except. in 6.* 9. Si Judex ex causa legitima, velit probationes admittere, quia respectu illius nunquam concluditur in causa. *C. 10. de Fide Instrum.* Denique etiam post conclusionem possunt offerri Judici pro pleniori ejus instructione, allegationes juris. *Menoch. de Arbitr. lib. 1. q. 35. n. 21.* & in Supremis Consistorijs, & Regijs Cancellarijs Advocati utriusque partis solent pro suis clientibus doctas, & eruditas allegationes juris facere, ut olim vidi Granatæ, & ita in usu fuit ab antiquo, ut constat ex Orationibus, & Declamationibus Tullij, & Quintiliani. Et tunc permissum est Advocatis Textus citare,

tare, & Doctorum allegare doctrinas. Quod si negotium magni momenti sit tales allegationes typis mandantur: & sufficit, quod ab Advocatis partium subscriptæ sint, quin alia licentia ad earum impressionem requiratur. *L.* 24. *l.* 33. *tit.* 7. *lib.* 1. *R. C.* non tamen inferuntur tales allegationes in processu, nec adversario copia illarum datur, cum ad meram Judicis instructionem fiant. *Paz in Prax. tom.* 1. *p.* 1. *temp.* 10. *n.* 8. *Hevia in Cur. p.* 1. §. 16. *n. fin.* Et in hac Civitate jam non semel visum est Advocatos Regiam Cancellariam pro suis clientibus allegatutos in jure, adire, postquam hic juris Cathedræ ex N. Potentissimi Regis Philipppi concessione erectæ sunt. Quod si quis hoc philautiæ finistre tribuat. Candide dicam cum Horatio: *Si quid novisti rectius istis, candidus imperti: si non, his utere mecum.*

74 Omnibus igitur terminis probatorijs elapsis, de Jure Communi datur dilatio arbitrio Judicis ad proferendam sententiam. *L.* 71. *ff. de Judic.* in nostra Hispania Judex interlocutoriam sententiam proferre debet intra sex dies: definitivam vero intra viginti dies à die conclusionis in causa numerandos: alias litis retardatæ duplicatas expensas solvet, & 50. millium marapetinorum pœnam incurret. *L.* 1. *tit.* 17. *lib.* 4. *R. C.* quod quidem locum habet, si Judex à parte requiratur, non alias. *Aceved. ibid. n.* 2. & deducitur ex ipsa Lege, ibi: *Desque fueren las razones cerradas en el pleyto para dar sentencia interlocutoria, ò definitiva, el Juez dè, y pronuncie, à pedimento de parte, la sentencia interlocutoria hasta seis dias, y la definitiva hasta veinte dias: y si assi no lo hiciere, peche las costas, que se hicieren dobladas, hasta que dè, y pronuncie sentencia; y demàs, que el Juez que la dicha sentencia no diere à los terminos susodichos, que incurra en pena de cinquenta mil maravedis para la nuestra Camara: la tercia parte para el acusador, ò para el nuestro Procurador Fiscal, si èl prosiguiere la dicha causa.* Contra sententiam definitivam latam olim perperuò nullitas poterat opponi. *L.* 1. *C. Quando provocar. l.* 4. *tit.* 26. *p.* 3. Hodie tamen in nostra Hispania tantum potest opponi intra 60. dies ab intimatione sententiæ. *L.* 2. *tit.* 17. *lib.* 4. *R.C.* *Et ibid. Aceved. ex n.* 22. *Paz in Prax. tom.* 1. *p.* 1. *temp.* 12. *ex n.* 5. nisi nullitas proveniat ex defectu jurisdictionis in Judice, qui sententiam tulit. Nam tunc, & in alijs casibus videndis apud *Aceved. ex n.* 25. non procedit prædicta sexaginta dierum dilatio. Quod si partes non possint adversus sententiam nullitatem objicere, possunt ab ea tanquam injusta regulariter appellare. Hæc appellatio debet interponi Jure Canonico, Civili, & Hispano antiquo intra decem dies à sententiæ intimatione. *C.* 15. *de Re judic. Auth. Hodie, C. de Appellat. L.* 22. *tit.* 23. *p.* 3. Sed Jure Regio noviori intra quinque dies à sententiæ notificatione debet interponi appellatio. *L.* 1. *tit.* 18. *lib.* 4. *R. C.* Postquam sententia transijt in rem judicatam, vel quia non fuit appellatum, vel quia appellatio interposita fuit deserta, vel quia jam non erat appellationi locus, tunc proceditur ad sententiæ executionem, pro qua variæ dilationes dantur. Nam ad executionem sententiæ in causa capitali, quando scilicèt reus morti tradendus est, tres dies in nostra Hispania conceduntur, in alijs Criminalibus causis terminus executionis arbitrarius est. In causis Civilibus personalibus de Jure Communi solent quatuor menses concedi. *C.* 26. *de Offic. deleg.* si verò reus habeat rem, quam restituere debet, hæc potest manu militari capi. *L.* 68. *ff. de Rei vindicat.* in nostra Hispania postquam sententia in causa Civili in rem transijt judicatam proceditur via executiva, de cujus terminis, & dilationibus alibi dicemus. Sciendum tamen est, quod dilationes, quæ à jure sine Judicis ministerio dantur, quales sunt dilationes quinque, vel decem dierum ad appellandum, vel decem dierum, qui in via executiva dantur, ut reus executionem impediat, non possunt à Judice coarctari, nec prorogari, possunt tamen coarctari, vel prorogari alij termini, & dilationes, quæ cum ministerio Judicis dantur. *Menoch. de Arbitr. cas.* 52. *à n.* 6. *Didac. Perez in l.* 1. *tit* 17. *lib.* 3. *Ordin. Reg. V. Hasta nueve dias. Gonz. in C. fin. h. t. n.* 3. At verò *Paz in Prax. tom.* 1. *p.* 1. *temp.* 5. *n.* 20. *Hevia in Cur. p.* 1. §.16. *n.* 3. & *Bobadill.* dicunt, Judicem posse quoscumque terminos, etiam Legales, ex justa causa prorogare, vel coarctare,

TIT. IX.

De Ferijs.

75 FEriæ, quæ à feriendis hostijs, quæ talibus diebus immolabantur, dictæ sunt, etiam vocantur *dies festi. L.* 2. *C. de Statuis, & imag.* suntque dies, quibus à negotijs forensibus cessatur,

tur, & ideò *nefasti* dies dicuntur, quia non licebat Judici hæc tria verba fari. *Do*, *Dico*, *Addico*, ut ait *Ovid. lib. 1. Fastor. Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur. Fastus erit per quem Lege licebit agi.* Nam in his tribus solemnibus verbis universa Prætoris jurisdictio comprehendebatur. *Dare* enim ad Judicis dationem pertinebat. *Dicere* ad prolationem sententiæ. *Addicere* ad sententiæ executionem spectabat. In Ecclesia tamen omnes hebdomadæ dies, præter Dominicam, & Sabbatum, feriæ appellantur, relegatis jam nominibus Solis, Lunæ Martis, Mercurij, Jovis, Veneris, & Saturni. *C.* 11. *de Celebrat. Missar. Dies* etenim dicti sunt à Dijs, quibus ordine prædicto Gentiles eos sacrarunt, teste *D. Isidoro lib.* 5. *Etymol. cap.* 30. Prima enim hebdomadæ dies Solis olim à Gentilibus nuncupabatur. *L.* 7. *C. h. t.* Judæi verò primam Sabbati talem diem appellabant, id est, primam diem Sabbati: nam Sabbatum etiam sumebatur pro hebdomada, juxta illud *Luc.* 18. *Jejuno bis in Sabbato.* Sed Catholici jam à tempore S. Joannis Apostoli *diem Dominicam*, vocant primam hebdomadæ diem. Sic in *Apocalyps. cap.* 1. *v.* 10. *ait*: *Fui in spiritu in Dominica die.* Sic enim indigitatur quasi dies Domini, vel quasi Deo specialitèr consecrata: & meritò sic per antonomasiam appellatur: Nam hac die creavit Deus Universum, resurrexit à mortuis, misit Spiritum Sanctum, pluit manna de Cœlo in deserto: apparuit Stella Magis: Christus fuit baptizatus: Israelitæ transierunt per mare rubrum: Christus D. convertit aquam in vinum in Cana Galileæ, aliaque prodigia in tali die facta ex SS. Patribus, & Concilijs affert *Didac. Ximen. in Lexic. Eccles.* V. *Dominica*, & ob ejus celebritatem tali die non jejunatur. *C.* 7. *D.* 30. *C.* 14. *de Conf. D.* 3. & in hoc die fiunt Ordinationes, & Consecrationes. *C.* 5. *D.* 75. Et quando publice oramus in tali die non genua flectimus, sed stamus. *C.* 2. *h. t.* ibi: *Diebus autem Dominicis, & alijs præcipuè festivitatibus, sive inter Pascha, & Pentecosten genuum flexio nequaquam debet fieri: nisi aliquis ex devotione id velit facere in secreto.* Et ideò tempore Quadragesimæ cum in Meridie Sabbati oramus, stare debemus, cum jam sit elapsum tempus Vesperas recitandi, nec in diebus Dominicis licet Tauros agitare.

76 Feriæ igitur aliæ sunt *ordinariæ*; *extraordinariæ* aliæ. *Ordinariæ*, quæ etiam dicuntur *Solemnes*, *Statæ*, & *Anniversariæ*, sunt illæ quæ à jure definitæ singulis annis recurrunt. Si in honorem Dei, & Sanctorum sunt institutæ *Sacræ* dicuntur, ut dies Domini, & festi, & dies qui currunt à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis. *C. fin. de f. L.* 1. *tit.* 23. *p.* 1. Hæ feriæ Sacræ incipiunt à Vespera usque ad Vesperam. *C.* 2. *h. t.* juxta præceptum Judæis datum *Levit.* 23. *v.* 32. *à Vespera usque ad Vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Sed hodie hoc solum observatur quoad celebrationem Divinorum Officiorum: quoad vacationem verò ab operibus servilibus feriæ incipiunt à media nocte usque ad alterius noctis medium. Itaque durant per diem naturalem 24. horarum. Quod si feriæ sint in hominum gratiam institutæ *profanæ* dicuntur, ut feriæ nundinarum. *L. un. C. de Nundin.* messium, & vendimiarum. *L.* 1. *l.* 4. *ff. h. t. C.* 2. *eod. l.* 1. *tit.* 23. *p.* 1. *l.* 37. *tit.* 2. *p.* 3. Huc reducuntur feriæ nuptiarum, quæ antiquitus erant à Dominica prima Adventus usque ad Epiphaniam, à Septuagesima usque ad Octavam Paschæ inclusivè, & tribus hebdomadis ante festivitatem S. Joannis Baptistæ, non quidem immediate, sed mediatè scilicèt, à Dominica Rogationum usque ad festum SS. Trinitatis exclusivè. *C.* 4. *h. t. C.* 10. 33. *q.* 4. Sed hæ feriæ jure novo. *Trid. sess.* 24. *de Ref. Matr. cap.* 10. restrictæ sunt ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, & à feria 4. Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusivè: in his enim ferijs, licet non prohibeatur matrimonium, etiam in facie Ecclesiæ, & coram Parocho celebrari, nec copula, seu consummatio illius. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 7. *n.* 23. *cum alijs.* Contra *Sylv. & alios*: prohibentur tamen solemnitates matrimonij, cum devotionem hoc tempore ab Ecclesia intentam distrahant. Prohibentur igitur benedictio nuptiarum, *Hispanè*: *Velaciones. C.* 1. 30. *q.* 5. Convivia, traductio solemnis (secus privata) uxoris in domum viri. *C.* 11. 33. *q.* 4. Sabbato tamen ante Dominicam Adventus possunt dari benedictiones nuptiales. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 7. *n.* 2. feriæ *extraordinariæ*, quæ etiam *repentinæ* dicuntur, sunt quæ pro occurrentibus circunstantijs indici solent: v. g. ob Principis adventum, inaugurationem, nuptias, nativitatem, victoriam, vel ob pestem, seditionem, & similia. *L.* 7. *C. h. t. l.* 1. *tit.* 23. *p.* 1. *l.* 36. *tit.* 2. *p.* 3. Et cum ob favorem publicum sint constitutæ, non possunt partes illis renuntiare. *L.* 38. *ff. de Pactis.* Sicut nec renuntiare

va-

va.:nt ferijs Sacris in honorem Dei institutis ob majoritatem rationis. *C. fin. h. t.* At verò ferijs vindemiarum, vel messium, cum principalitèr in favorem partium sint institutæ, benè possunt eis renuntiare expressè, vel tacitè, ultro in illis comparendo in judicio. *L. 1. ff. h. t. C. fin. eod.* sed neque Judex, neque testes, in quorum favorem quoque concessæ sunt, tenentur inviti his diebus in judicium, extra casum urgentis necessitatis, venire. *L. 38. tit. 2. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* V. *El Judgador.*

77 Ipsa ratio naturalis dictat aliquem diem sanctificare; postea Hebræis in Lege Scripta fuit impositum præceptum Sabbatum custodiendi: quod quidem fuit tertium Decalogi præceptum, & ultimum primæ Tabulæ sub his verbis. *Memento, ut diem Sabbati sanctifices. Exod.* 20. *v.* 8. Et quidem hoc præceptum erat morale, quatenùs absolutè præcipiebat cultum Dei externum: erat tamen cœremoniale, quarenùs diem Sabbati in signum creationis Mundi designabat. *D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 1.* ibi: *Dicendum, quod præceptum de Sanctificatione Sabbati litteralitèr intellectum est partim morale, partim autem cœremoniale. Morale quidem, quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum Divinis. Inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc quod cuilibet rei necessariæ deputetur aliquod tempus; sicut corporali refectioni, somno, & alijs hujusmodi. Unde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur secundum dictamen naturalis rationis, aliquod tempus deputat homo. Et sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum Divinis cadit sub præcepto morali. Sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis Mundi sic est præceptum cœremoniale. Similitèr etiam cœremoniale est secundum allegoricam significationem, prout fuit signum quietis Christi in Sepulchro, quæ fuit septima die. Et similitèr secundum moralem significationem, prout significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo: & secundum hoc quodammodo est præceptum generale. Similitèr etiam cœremoniale est secundum significationem Anagogicam, prout scilicèt præfigurat quietem fruitionis Dei, quæ erit in patria. Unde præceptum de Sanctificatione Sabbati ponitur inter præcepta Decalogi, in quantum est præceptum morale, non in quantum est cœremoniale.* In Lege verò Gratiæ diem Dominicam loco Sabbati observamus ex præcepto Ecclesiæ: & quidem verisimilitèr tradito ab Apostolis verbo tenus, & à toto Populo Christiano recepto, posteaque Legibus Ecclesiasticis confirmato. *C. 1. de Cons. D. 3. C. 1. c. fin. h. t. D. Thom. 2. 2. q. 122. art.* 4 *ad* 4. ibi: *Dicendum, quod observantia diei Dominicæ in nova Lege succedit observantiæ Sabbati, non ex vi præcepti Legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine Populi Christiani: nec enim hujusmodi observatio est figuralis, sicut fuit observatio Sabbati in Veteri Lege: & ideò non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominica sicut in die Sabbati. Sed quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die Sabbati prohibebantur: sicut decoctio ciborum, & alia hujusmodi. Et etiam quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur in Nova, quam in Veteri Lege: quia figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet. Opera autem secundum se considerata immutari possunt pro loco, & tempore. Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 1. & 4.*

78 Præter dies Dominicas, alias festivitates Ecclesia observari præcepit: de quibus in *C. 1. de Cons. D. 3. C. fin. h. t. L. 1. l. fin. C. eod. l. 34. tit. 2. p. 3.* Dies ergo festi, qui in tota Ditione Hispana servantur, præter omnes anni Dominicas, sunt sequentes: In Mense Januarij. Die 1. Circumcisio. 6. Festum Regum. *Februar.* 2. Purificatio. 24. vel 25. S. Mathias Apost. Mart. 19. S. Josephus. 20. S. Joachimus. 25. Annuntiatio B. Virg. Maj. 1. SS. Philippus, & Jacobus Apost. 3. Inventio S. Crucis. 15. S. Isidorus. Jun. 13. S. Antonius Patavinus. 24. S. Joannes Baptista. 29. SS. Petrus, & Paulus Apost. Jul. 25. S. Jacobus Nostræ Hispaniæ Apostolus, Protector singularis, & Patronus. 26. S. Anna. Aug. 10. S. Laurentius. 15. Assumptio B. Virg. 24. S. Bartholomæus Apost. Sept. 8. Nativitas B. Virg. 21. S. Matthæus Apost. 29. S. Michael Archang. Octob. 28. SS. Simeon, & Judas Ap. Nov. 1. Festum Omnium Sanctorum. 30. S. Andreas Ap. Decemb. 21. S. Thomas Ap. 25. *Nativitas D. N. Jesu Christi.* 26. S. Stephanus. 27. S. Joannes Evang. 28. SS. Innocentes. 31. S. Sylvester. Ascensio Domini Dominica Resurrectionis, cum 2. seqq. Dominica Pentecostes cum 2. seqq. Festum Corporis Christi. In Indijs servatur ab Hispanis festum S. Rosæ Limanæ 30. Augusti, Indiarum Patronæ. Alicubi non servantur dies. SS. Innocentium, & S. Sylvestri: deberent tamen servari cum contineantur *in C. fin. h. t.* & in Bulla *Urbani VIII.* 1642. *Quintanad. t. 2. Sing. tr. 1.*

cap.

cap. 2. n. fin. Salmanticens. tom. 5. tr. 23. cap. 1. n. 93. & 95. Indi, Æthiopes, Sinæ, & ab his progeniti, quos *Mestizos* appellamus, tantum tenentur servare dies qui Cruce notari sunt: in reliquis autem festis possunt, si velint laborare: sed non possunt ad hoc compelli. Ac proindè præter Dominicas solum decem dies festos servare tenentur. Principes, vel Magistratus Sæculares Superiorem non recognoscentes possunt indicere ferias profanas, quia ad finem merè Politicum ordinantur. *L. 7. C. h. t. l. 1. tit. 23. p. 1. l. 36. tit. 2. p. 3.* Et tales sunt illæ feriæ, quibus jus in Tribunalibus non dicitur: quas *Hispanè* vocamus *Fiestas de Corte*. Et variæ sunt in his Indiarum Audientijs, licet solum diebus festis hanc vacationem permittat. *L. 18. tit. 15. lib. 2. R. Ind.* sed nequeunt ferias Sacras indicere, ut contra Hæreticos, & aliquos Catholicos tenent *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 12. n. 2. Barbos. de Offic. Episcop. alleg. 105. n. 38. & alij*: quia potestas indicendi ferias Sacras in honorem Dei, & Sanctorum, cum spectet ad cultum Divinum & Religionem est spiritualis, ac proindè Laicis competere nequit. *C. 10. de Constitut.* Residet ergo potestas indicendi ferias Sacras penes Magistratus Ecclesiasticos, consequenterque solus R. Pontifex potest tales ferias pro Universa Ecclesia indicere. *Arg. C. 1. de Reliq. & venerat. Sanct.* ubi dicitur, quod sine Papæ licentia nullus potest pro Sancto venerari. Quia cum ipse solus sit Supremus Ecclesiæ Legislator, ipse solus potest Legem ponere, quæ totam obliget Ecclesiam. *Extr. 1. de Major. & obed.* Pro sua tamen Diœcesi potest quilibet Episcopus dies festos indicere. *C. 1. de Conf. D. 3. C. fin. h. t.* Et ibid. *Barb. n. 23. l. 1. tit. 23. p. 1.* ibi: *Fiesta tanto quiere decir como dia honrado, en que los Christianos deben oir las horas, è facer, è decir cosas, que sean à alabanza, è servicio de Dios, è à honra del Santo, en cuyo nome la facen: è tal fiesta como esta es aquella, que manda el Apostolico facer, è cada Obispo en su Obispado, con ayuntamiento del Pueblo, à honra de algun Santo, que sea otorgado por la Eglesia de Roma.* Sed licet antiquitus requireretur ad festum in Diœcesi indicendum consensus Cleri, & Populi præsentia: hodie tamen solus Episcopus sine alterius consensu indicit festum, dum tamen, ut notat Lex Regia, Sanctus in cujus honorem festum indicitur sit Canonizatus, vel saltem Beatificatus. *Barbos. in C. fin. h. t. n. 24.* Sanè per consuetudinem cum consensu saltem tacito potentis festum instituere, etiam potest induci obligatio aliquem diem festum celebrandi. *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 12. n. 5.* possunt tamen Principes Sæculares suis Legibus coadjuvare ad festorum observationem quæ sunt ab Ecclesia statuta. *L. 2. l. fin. C. h. t. l. 34. tit. 2. p. 3.*

79 Nunc dicere debemus quomodo dies festi servandi sint, & quid in illis fieri præcipiatur, & prohibeatur. Diebus ergo festis tenentur Christi fideles, etiam pueri, dum usum rationis habeant, & quidem sub gravi, Missam integram audire. *C. 64. de Conf. D. 1.* ibi: *Missas die Dominico totas audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi Populus non præsumat, quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur. L. 2. tit. 23. p. 1.* ibi: *Mas debense trabajar de ir apuestamente, è con gran humildad à la eglesia, cuya fiesta guardan, si la oviere, è si non, à las otras, è oir las horas con gran devocion, è desque salieren de las Eglesias deben facer, è decir cosas, que sean à servicio de Dios, è à pro de sus almas.* Et *ibid. Greg. Lop.* ubi benè notat, quod plura ex prædictis pertinent ad honestatem, nec ex necessitate fiunt. Et hinc deducitur universalis consuetudinis approbatio, qua homines utuntur diebus festis, vestibus honorabilioribus, & magis pretiosis: non tamen ex hoc approbatur, quod ad Ecclesias pompatiquè accedant, ut reprehenditur apud *Amos 6. v. 1.* præcipuè si illa pompa indecentiam afferat, vel scandalum generet. In hoc ergo præcepto sub culpa gravi tenentur omnes fideles Missam integram audire: si verò parum Missæ omittatur, v. g. usque ad finitam Epistolam, solum erit veniale peccatum. Sufficit tamen audire dimidiam Missam unius Sacerdotis, & dimidiam alterius successivè. Potest etiam quis dum Missam audit horas, vel Rosarium recitare. Etiam potest quis simul plures Missas, quæ in diversis altaribus dicuntur, audire, & pluribus hoc modo obligationibus satisfacere. A Missæ auditione excusat non solum impotentia naturalis v. g. Infirmitas, vel incarceratio, sed etiam impotentia moralis, qualis est magnus labor, notabilis bonorum amissio, gravis difficultas, magna distantia, incommoditas itineris, aeris intemperies, pluvia, vel si in publicum quis sine magno dedecore non possit exire, ut innupta prægnans, vel vidua immediatè post mariti mortem contra consuetudinem viduarum honestarum illius Provinciæ, vel qui caret veste suo

sta-

statui conveniente, vel si ægroto assistat, vel Milites, qui portas, & castra custodiunt Civitatis. Idem dicendum est de Indis, qui in his Insulis proprias domos custodiunt, quando à Populo sunt valdè distantes: aliaque similia ab audienda Missa excusant. Interim tamen debemus præsentes habere has Propositiones damnatas ab *Innoc. XI.* scilicèt 52. *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* 53. *Satisfacit praecepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes: imò quatuor à diversis celebrantibus audit.* Et ratio hanc damnandi est, quia una Missa, est unum totum successivum, quod consistit in motu actionum, & verborum sibi succedentium: & quamvis unum successivum alteri successivo coexistere valeat, ac proindè duæ Missæ simul audiri: non tamen potest pars successivi, ejusdem successivi alteri parti coexistere, & ideò non impletur præceptum audiendi Missam integram, audiendo simul plures partes diversarum Missarum inter se penetratas. *Lacr. lib.* 3. *p.* 1. *ex n.* 608. ubi plura de his.

80 Varia prohibentur diebus festis fieri. Et quidem 1. prohibentur opera servilia. *C.3. h.t.* ibi: *Licet tàm veteris, quàm novi Testamenti pagina septimum diem ad humanam quietem specialitèr deputaverit, & tàm eos, quàm alios dies Majestati Altissimæ deputatos, necnon natalitia SS. Martyrum Ecclesia decreverit observanda: & in his ab omni opere servili cessandum. L.* 2. *tit.* 23. *p.* 1. ibi: *Guardadas deben ser todas las Fiestas, de que fabla en la Ley ante desta, è mayormente las de Dios, è de los Santos, porque son espirituales, eà las deben todos los Christianos guardar, è demàs desto non debe ningun Judgador judgar, nin emplazar en ellas, nin facer aquellas labores, que suelen facer en los otros dias.* Opera servilia, quæ prohibentur, sunt illa opera ignobiliora, quæ utilitati corporis immediatè deserviunt, ut fabricare, artefacta conficere, arare, imprimere, texere colores, tingere, colorare asseres, vel pannos, vel dealbare parietes, ducere jumentum, currum, vel navigium mercibus onustum; si tamen ante festum talia itinera incoepta sint, possunt etiam die festo continuari, vel ob publicam utilitatem, vel ad vitandum damnum. Non tamen prohibentur die festo opera liberalia, quæ scilicèt immediatè ad instruendam mentem propriam, vel alienam referuntur, ut legere, docere, scribere, vel transcribere, musicam exercere, ludere, choreas ducere, bellica exercitia facere, etiam tempore pacis venari, & piscari moderatè in flumine sine magno labore, etiam ob lucrum; non tamen licet piscari in mari, quia nec est in usu, nec regularitèr sine magno labore fit, bellum gerere, armorum exercitium facere, v. g. digladiari, *Hispanè*: *Esgrimir*, non est servile, sicut nec saltare, vel pulsare cytharam. Pingere acu, vel penicillo causa addiscendi, vel otij vitandi licitum est, sicut etiam iter agere, vel equis, vel pedibus, vel curru, vel navi. Pingere coloribus, vel penicillo ob lucrum illiberale ab *Azor*, *Filiuc. & alijs* habetur; at verò *Armilla, Lopez, & alij* hoc negant. Etiam *Layman*, *& alij* excusant in Hypographijs litterarum collocatores, quando post Divina Officia collocant neglectum pensum. Barbitonsores communitèr excusantur, vel parvitate materiæ, si unum, vel alterum tondeant, vel necessitate, vel consuetudine, vel ob lucrum cessans, vel ob damnum oriturum. *Lacr. lib.* 3. *p.* 1. *n.* 591. Ad rationem operis servilis non debet attendi, an ex intentione vana, turpi, vel pia, vel an ob lucrum, vel recreationem fiat: ut tenent *Cajetan. Suar. & alij* contra *Sylv. & alios*: ac proindè nec illiberale erit docere, scribere, vel transcribere, quamvis ob pretium hæc fiant. Sed omnia opera servilia licitè fiunt in die festo, quando necessitas urget, vel pietas suadet. *L.*35. *tit.* 2. *p.* 3. *C.* 1. *c.*3. *h.t. Et ibid.com.DD.* Latè *Suar. de Relig tom.*1. *de Festis. Lacr. lib.*3. *p.* 1. *ex n.* 571. *Dian. in Sum.* V. *Festum servare*: illos Consule, nam ego ad ulteriora propero: nec immorari vacat. 2. die festo juramentum prohibetur. *C.* 1. *h. t.* ibi: *Nec Sacramenta nisi pro pace, vel alia necessitate præstentur.* In quo textu nomine Sacramenti juramentum intelligitur, sicut in *C.* 13. 22. *q.* 4. & in *Auth. Sacramenta puberum. C. Si advers. vendit.* Ex generalitate igitur Textus in *C.* 1. *h. t.* & ex ejus exceptione, scilicèt, quod juramentum possit pro pace die festo fieri, deducitur, quod non solum prohibetur in tali die juramentum judiciale, quod nomine *placiti* satis explicatur, & continetur in prædicto textu, sed etiam juramentum extrajudiciale, (non quidem illud, quod privatim, & piè fit) sed quando hoc publicè, & solemnitèr in conventionibus, contractibus, vel alijs pactis interponitur. Nec alias aptè exciperetur juramentum pro pace, quod certè extrajudiciale est, cum juxta commune axioma: exceptio debeat esse de regu-

la. *Suar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 30. *ex n.*16. *Gonz. in C.* 1. *b.t. n.* 12. 3. prohibetur mercatum. *C.* 1. *b.t.* quo nomine veniunt contractus emptionum, & venditionum, & alij similes, si publica solemnitate fiant; non tamen invalidantur tales contractus, ut ex *C.* 1. *b.t.* benè deducit *Suar. de Relig. tom.*1. *lib.* 2. *cap.*30. *n.*2. ratio prohibitionis est: nam in his commercijs, & nundinationibus animus à devotione distrahitur, & ut dicitur in *C.* 2. *de Pœnit. D.* 5. *Difficile est inter ementis, vendentisque commercium non intervenire peccatum.* Non tamen prohibentur distractiones rerum minoris momenti, quæ necessariæ sunt ad quotidianum victum: imò licet nundinæ, quæ bis, vel semel in anno, & singulis hebdomadis certo die fiunt, *Hispanè*: *Ferias, y Mercados*, sint de jure prohibitæ. *C.* 1. *b. t.* tamen attendendo necessitatem rusticorum, & pauperum, qui non possunt sua opera deserere, & fortiori ratione in his Indiarum partibus, die festo permittuntur. *Suar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 5.

81 4. Non solum in ferijs sacris, sed etiam in profanis prohibetur *placitum. C.* 1. *b. t.* hoc est, strepitus judicialis, ita ut etiam consentientibus partibus, nec processus habitus, nec sententia teneat. *C. fin. b. t. L.* 34. *tit.* 2. *p.* 3. ibi: *E si en tal manera alguna cosa fuere demandada, è librada, non serìa valedero lo que ficiessen, maguer fuesse fecho con placer de amas las partes*: quod etiam habet locum in processu facto coram arbitro: quia ipse servare debet ordinem judiciarium. *L.* 7. *C. b. t.* cum arbitria ad similitudinem judiciorum sint redacta. *L.* 1. *ff. de Recept.* Secus est, si negotium, vel lis agitetur coram arbitratore, seu amicabili compositore. Strepitus judicialis à citatione incipere videtur, & in prolatione, & executione sententiæ maximè cessat. Hinc est, quod libellus potest die festo Judici offerri: quia hæc oblatio non fit authoritate Judicis, sed solum actoris voluntate, sicut etiam licet Advocatum consulere, cum Procuratore de lite agere, Judicem informare, & alia hujusmodi: imò & licitè fit inquisitio à Judice circa litem, antequam causa inchoetur. Actus verò judiciales, qui in die feriato fiunt, irriti sunt: tales sunt. 1. mandatum citandi reum, non solum datum à Judice sedente pro Tribunali, ut facile omnes concedunt, sed etiam quando hoc mandatum decernitur ab ipso non sedente pro Tribunali, ut contra *Joan. And. in C. fin. b. t.* & *alios* tenent *Suar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 4. *Gonz. in C. fin. b. t. n.* 7. & *alij*: Nam talis dies debet esse à cognitionibus alienus. *L. fin. C. b. t.* & ad tale Decretum debet præcedere cognitio, qua Judex statuat terminum, quo reus debet comparere. 2. nec die feriato potest fieri citatio realis per manuum injectionem, nec citatio publica per præconem. Nam ex *L. fin. C. b. t.* his diebus præconis horrida vox silere debet. Nec per oblationem libelli adversario factam potest ipse citari, quia hoc judicialem strepitum involvit. *C. fin. b. L. fin. C. eod.* 3. non valet fieri citatio, quæ per litteras, vel Nuntium adversario intimatur. *Suar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 5. contra *alios*. Nec potest fieri illa citatio, quæ die non feriato decernitur ad diem feriatum expressè, v. g. talis reus compareat in judicio die Dominica: Tunc enim, nec illa die, nec altera, sine nova citatione, tenetur reus comparere: quia citatio, ut nulla, nullum producit effectum: secus est, si fiat ad diem feriatum non expressè: v. g. si reus ex die 20. Junij citetur, ut intra decem dies compareat in judicio, si festum in illum diem incidat, tenetur saltem die sequenti in judicio comparere; *arg. C.* 6. *de Dolo*, & *contum. Suar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 3. Sicut si citatus ad diem non feriatum, non possit comparere eo die ex impedimento superveniente, comparebit die sequenti non impedito. *C.* 6. *de Dolo*, & *contumac.* 4. nequit fieri tali die juramentum. *C.* 1. *b. t.* ac proindè nulla est depositio testium, quando in ea juramentum præstatur: si verò die non feriata juramentum erat præstitum, posse testes examinari die feriata, tenent *Durand. Marant.* & *Gonz. in C. fin. b. t. n.* 27. dicendum tamen est, quod talis depositio est nulla: siquidem illa examinatio maximè pertinet ad formationem processus, & cum processus sit nullus. *C. fin. b. t.* nulla etiam erit talis examinatio, & depositio. *Suar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 16. & *alij*. 5. Pronuntiatio judicialis sententiæ, ejusque publicatio in causa temporali, spirituali, criminali, vel civili causæ cognitionem, strepitumque judicialem involvit: ac proindè, si in die feriato fiat, erit nulla. *C. fin. b. t.* Etiam executio sententiæ est irrita, si die feriato fiat, ut contra *Abbat.* & *alios* tenent *Suar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 11. & *alij*. Nam in *L. fin. b. t.* dicitur: *A cunctis executionibus excusetur.* *C.* 1. *b. t.* ibi: *Neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur.* Nec reus debet die fe-

ria-

riato incarcerari, nisi periculum sit in mora, nec potest itidem torqueri. Sententiam excommunicationis posse ferri contra aliquos tenet *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. n. 9.* quia est veluti præceptum imponere, præcipuè cum excommunicatio sit pœna medicinalis ad bonum animæ ordinata: Non tamen licet ferre censuram, si ad eam ferendam sit necessaria causæ cognitio, citatio censurandi, vel quid simile. Etiam die feriato licet appellationem interponere: (prosequi tamen illam non licet) siquidem appellationis interpositio non est actus judicialis, nec exercitium jurisdictionis, cum non à Judice proveniat, sed tantum à parte fiat, & quidem sine strepitu judiciali. Sed si necessitas perituri termini non urgeat, debet saltem de consilio in die non feriato fieri. *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. n. 13.*

82 Die tamen feriato potest judicium institui. 1. ex causa necessitatis. *C. 1. b. t. L. 35. tit. 2. p. 3.* v. g. si contra latrones proceditur, & periculum sit in mora. *L. 10. C. b. t.* vel si expediat ad terrorem aliorum, delinquentem puniri in magno Populi concursu. Et hac de causa in nostra Hispania Hæretici solent publicè judicari, & puniri diebus festis. Vel si reus, vel debitor sit de fuga suspectus, vel actio, vel res tempore est peritura. *C. fin. de Judic. L. 3. ff. b. t.* vel si datur periculum boni publici, aut privati, vel alia quæcumque necessitas: quia hæc Legem non habet. *C. 2. de Observ. jejun.* Et ut dicitur in *C. 4. de Reg. jur. quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum.* 2. ex causa pietatis. *C. 1. b. t.* sic possunt diebus feriatis expediri causæ alimentorum. *C. 3. b. t.* pupillorum, viduarum, incarceratorum, & causæ, quæ pertinent ad pacem, & concordiam. *C. 17. 22. q. 5.* vel ad causam piam, Religionem, & matrimonium spectantes, aliæque hujusmodi. *L. 35. tit. 2. p. 3.* ubi varij casus referuntur, in quibus potest procedi in die feriato. Et ibid. *Greg. Lop. Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30.* Denique validè exercentur in quocumque die actus jurisdictionis voluntariæ, qui de plano, sine causæ cognitione & sine strepitu judicij fiunt; *arg. à contr. C. fin. b. t.* Tales sunt designatio Tutoris, vel Curatoris, & eorum excusatio, vel remotio, manumissio, emancipatio, dispensatio, absolutio, concessio Indulgentiarum, & privilegiorum, approbatio contractuum, confectio, & consignatio instrumentorum, datio veniæ ætatis, creatio Magistratus, & alia, de quibus in *L. 2. ff. b. t. l. 35. tit. 2. p. 3.* Si tamen actus ad jurisdictionem voluntariam spectantes solemnem causæ cognitionem requirant, & aliquo strepitu judiciali indigeant, ut arrogatio impuberum, Decretalis possessio bonorum, & alij similes, nequeunt die feriato fieri: Nam hic debet esse à cognitionibus alienus, ut ait Text. in *L. fin. C. b. t. Gonz. in C. fin. b. t. n. 27.*

TIT. X.

De Ordine cognitionum.

83 ORDO, juxta *D. August. de Civ. Dei, lib. 19. cap. 13.* est *dispositio rerum, & collocatio secundum prius, & posterius.* Et quidem in omnibus rebus expedit ordinem materiæ proportionatum servari: ubi enim ordo deest, quid restat, nisi *chaos, rudis indigestaque moles? nec quidquam nisi pondus iners congestaque eodem non benè junctarum discordia semina rerum?* Et ideo postea dicitur: *Hanc Deus, & melior litem natura diremit: nam cœlo terras, & terris abscidit undas: & liquidum spisso secrevit ab aere cœlum, quæ postquam evolvit, cæcoque exemit acervo dissociata locis concordi pace ligavit.* Quod ergo in natura accidit, sua proportione in judicio servari oportet: Et quia solent plures in uno judicio quæstiones cumulari, quæ non possunt simul decidi, ne confusio generetur cum justitiæ, & partium detrimento, ideo debet in earum cognitione ordo servari; tum unius causæ ad se ipsam, quando scilicèt, concurrunt exceptio, & causa principalis: tum unius causæ ad aliam, quando scilicèt causa criminalis, & civilis, petitoria, & possessoria concurrunt. Quando ergo duæ causæ in judicio proponuntur, debet prius cognosci, & pronuntiari de illa, à qua altera dependet. *L. 16. l. 17. l. 18. ff. de Except.* Sic prius cognoscitur de causa possessionis, ut sciatur, cui incumbat onus proprietatem probandi: prius de causa Clericatus, ut constet, an Judex Sæcularis possit contra reum judicare: prius de excommunicationis exceptione contra actorem opposita, ut constet, an possit in judicio agere: prius de causa præjudiciali incidente, sive civilis, sive criminalis, sive major, sive minor sit causa principali: & tunc Judex debet supersedere in causa principali. *C. fin. 3. q. 11.* v. g. si petenti hæreditatem coram Judice Sæculari objiciatur ab adversario, quod non est le-

gitimus, cum hæc exceptio causæ principali præjudicet, prius de legitimitate debet Ecclesiasticus cognoscere. *C.* 5. *Qui filij sint legitim.*

84 Causa major præfertur minori. *L.* 4. *tit.* 10. *p.* 3. nisi causa minor sit præjudicialis. *L.* 54. *ff. de Judic.* Sic causa spiritualis, quia dignior præfertur, & præcedit temporalem; *arg. C.* 3. *de Consecrat. Eccles.* Criminalis, quia regulariter est majoris periculi, præcedit civilem. *L. fin. C. de Ordin. Judic.* Causa proprietatis, causam servitutis. *L.* 16. *ff. de Exception.* Causa possessoria etiam præcedit petitoriam propter possessionis commoda. Quod si ambæ causæ æquales sint, antiquior debet præferri, quia porior est; *arg. L.* 29. *ff. de Judic. l.* 4. *tit.* 10. *p.* 3. si in causam principalem quæstio incidat respectu cujus Judex incompetens sit, ratione connexionis, & ne dividatur continentia causarum, potest de incidente cognoscere. *L.* 3. *C. de Judic.* v.g. si coram Judice Ecclesiastico incidat causa temporalis ad sæcularem pertinens, tunc Judex Ecclesiasticus ob causarum continentiam, & connexionem etiam de re temporali cognoscit. *C.* 1. *Qui filij sint legitim. C.* 2. *de Conjug. servor.* Si verò Judex non solum incompetens, sed & incapax sit respectu illius causæ: v.g. Laicus respectu causæ per se spiritualis, debet in ejus cognitione supersedere ob jurisdictionis defectum, quousque Judex Ecclesiasticus de incidente cognoscat. *C.* 3. *h. t. c.* 5. *c.* 7. *Qui filij sint legitim.* ubi dum Judex Ecclesiasticus cognoscit de causa legitimitatis incidente supersedet sæcularis in causa principali hæreditatis. Si verò causa incidens non sit spiritualis, sed profana, & tantum sit Ecclesiastica, quia contra Clericum agitatur; tunc Judex Sæcularis potest de ea cognoscere: sic quando Clericus contra Laicum agit coram sæculari, si incidat quæstio de solvendis expensis ab actore, de hac potest sæcularis cognoscere. In nostra Hispania: si causa majoratus in judicio *Tenutæ* tractetur in Supremo Senatu, & opponatur illegitimitatis exceptio, non suspenditur causa possessoria, sed in eodem Senatu discutitur, & remittitur causa proprietatis ad Regiam Cancellariam, cui correspondet. *L.* 10. *tit.* 7. *lib.* 5. *R. C.* Si verò ibidem rursus objiciatur, suspenditur causa principalis, donec coram Ecclesiastico causa illegitimitatis terminetur: quia cum causa illegitimitatis requirat prolixiorem discussionem, in possessorio *Tenutæ* proceditur ex *L.* 45. *Tauri. Molin. de Primog. lib.* 3. *cap.* 13. qui de hac praxi testatur. *Gonz. in c.* 3. *h. t. n.* 16. Si quæstio incidens pertineat ex se ad Ecclesiasticum, sed sit meri facti, quando reus Conventus est Laicus, est mixti fori, ac proindè potest Sæcularis de ea cognoscere. *Arg. C.* 8. *de Sentent. excom. in* 6. ubi Judices Sæculares cognoscunt an litigantes sint excommunicati. Et in *C.* 2. *de Jur. jur. in* 6. ubi dicitur, quod Judicibus Sæcularibus potest legitimè de juramento præstito constare. Et ita tenent *Solorzano de Jur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 35. *Gonz. in C.* 3. *h. t. n.* 3. *& alij.* Contra *Bald. Joannem Andr. Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 84. *n.* 31.

85 Quando in judiciali controversia opponitur exceptio peremptoria: v. g. si contra mulierem vindicantem judicio petitorio aliquem in maritum, opponatur consanguinitas, prius discutienda est exceptio, quam causa principalis matrimonij, & sufficiet, super ipsa causa principali pronuntiare. *C.* 1. *h. t.* quia ex exceptione dependet causa principalis, & probata exceptione perimitur actoris petitio, cum non possit stare matrimonium, probata consanguinitate: quod si in verso ordine procederet Judex cognoscendo prius de quæstione principali, & mox de exceptione posset accidere, quod si ferret sententiam in favorem matrimonij, probata postea exceptione, sententiam retractare teneretur, & exitus judicij esset diuturnior: & processus implexus, obscurus, & contrarius evaderet. Si verò mulier esset marito spoliata, & intentaret possessorium recuperandæ possessionis, ante omnia debebat mulier restitui, antequam cognoscatur de consanguinitatis exceptione. *C.* 16. *de Offic. deleg. C.* 4. *Ut lite non contest. C.* 10. *c.* 13. *de Restitut. spoliat.* Nam spoliatus debet ante omnia restitui. *L.* 5. *tit.* 10. *p.* 3. Et sic concordantur prædicti Textus, qui alias contrarij videntur. Discussa tamen causa exceptionis peremptoriæ, non est necesse super eadem sententiam pronuntiare. *L.* 1. *C. de Ordin. judicior.* nisi coram diversis judicibus agitentur. *C.* 3. *h. t. C.* 5. *Qui filij sint legitim.* quia pronuntiatio super negotio principali v. g. super valore matrimonij continet pronuntiationem super peremptoria scilicet, super consanguinitate. *Arg. C.* 21. *de Sentent. & re judic.* Nam si declaratur matrimonium nullum esse, est idem ac si consanguinitas esset probata, & è contra, si matrimonium validum pronuntietur, consanguinitatis excep-

exceptionem locum non habere pronuntiari censetur. Si verò opponatur exceptio dilatoria, quales sunt exceptiones juramenti, sententiæ latæ, vel quod Judex, vel actor est excommunicatus, & aliæ similes, non solum prius cognosci de dilatoria debet, sed etiam de ea est pronuntiandum, antequam de causa, vel negotio principali tractetur. *L. 4. C. de Dilation. L. 26. C. Ad Leg. Jul. de Adulter.* nam vi talium exceptionum, si probentur, non est procedendum ulterius in judicio: prius ergo est pronuntiandum super exceptione expressè, vel saltem tacitè, hoc est, contrarium actum exercendo: & sic quodammodo conciliantur duæ opiniones contrariæ, quarum una absolutè asserebat, judicem super quacumque exceptione proposita debere pronuntiare, *ex L. 47. ff. de Re judic.* Et hanc approbat Noster Rex Alphonsus in *L. fin. tit. 3. p. 3.* & altera, quæ absolutè negabat, super exceptione esse pronuntiandum, cum sat esset super negotio principali pronuntiare. *Sic Gonz. in C. 1. h. t. n. 15.* & hoc in praxi est admissum in Nostra Hispania, & comprobatum in *L. 1. & 2. tit. 5. lib. 4. R. C.* ut notat *Greg. Lopez, in l. fin. tit. 3. p. 3. V. E non debe ir adelante*, & addit, quod si judici opponatur incompetentia, necesse est, quod super hoc pronuntietur: quod si procederet ad ulteriora, non pronuntiando, se esse judicem competentem, non valeret processus, cum non sit Judex certus de sua potestate. *Arg. L. 3. ff. De eo, qui pro Tutore.*

86 In casu spolij potest contra actorem spoliantem spolium super alia, & diversa re duplicitèr opponi; vel per viam exceptionis, & tunc prius est audiendus reus super illa, & ea probata, non tenetur actori respondere, quia est exceptio dilatoria, quæ proponitur ante litis contestationem, ac proindè audiendus est reus, antequam respondeat libello, etiamsi actor ageret de spolio ab ipso reo facto, quia in causa æquali favorabilior est reus, quam actor. *L. 125. ff. de Reg. jur.* vel potest opponi spolium, etiam per viam actionis, & tunc erit reconventio, reusque tanquam actor habetur, & causa est æque principalis, ac conventio: Sicque utraque simul tractari, ac determinari debet: ut sic circuitus vitentur. *L. 53. ff. de Condict. indebit.* Attamen illa, quæ prius fuit proposita debet præferri in cognitione, & prolatione sententiæ. *Arg. L. 29. ff. de Judic. l. 4. tit. 10. p. 3.* & probato spolio à reo Judex actorem condemnat ad restitutionem. *L. 5. tit. 10. p. 3.* Secus, quando spolium opponitur ut exceptio, quia cum hujus finis solum sit repellere actorem, non verò petere aliquid ab eo. *L. 17. ff. de Eviction.* Judex pronuntiando secundum partis intentionem. *C. 24. de Accusat.* ibi: *Illo semper adhibito moderamine, ut juxta formam judicij, sententia quoque forma dictetur*: Etiamsi reus exceptionem probaverit, solum poterit Judex actorem repellere: sed non restituetur reus. Quæ omnia constant ex *C. 2. h. t.* Aliquando verò non admittitur exceptio spolij. Scilicèt. 1. In causa notoria. *Arg. C. 17. 2. q. 1.* nisi etiam spoliatio sit notoria: Nam tunc non potest spoliatus cogi ad satisfaciendum, nisi prius restituatur. 2. In causa matrimoniali, & alijs spiritualibus, vel quasi spiritualibus non admittitur contra agentem exceptio spoliationis rerum privatarum. *C. 1. §. fin. de Restit. spoliator. in 6.* 3. Si periculum sit in mora. 4. Quando imploratur officium judicis nulla instituta actione: quia ubi non datur actio, nec exceptio competit, quæ est ejus exclusio: Et quidem in prædictis casibus omissa exceptione, proceditur in cognitione causæ principalis.

TIT. XI.

De Plus petitionibus.

87 Quatuor modis plus petitur, quam quod à reo actori debetur. *C. un. h. t. §. 33. Inst. de Actionib.* quos continet hic versus: *Plus petitur causa, vel tempore, reque, locoque.* 1. *Causa* plus petitur; *ex Greg. in c. un. h. t. & Justin. in §. 33. Instit. de Action. l. 42. tit. 2. p. 3. Cum aliquid in genere, vel sub alternatione debetur, & rem in specie, vel unum praecisè peti contingit.* Etiamsi vilius sit, quod petit v. g. si quis promisit equum in genere, & alter petit talem equum determinatè, vel si promisit librum, vel pecuniam, & alter petat determinatè librum: quia in his promissionibus electio est promissoris: nisi ad ipsum creditorem pertineat electio: quia verba ad ipsum dirigantur: nam tunc potest petere rem, quam maluerit. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 270. n. 5.* vel si ante impleram promissionem unus ex duobus equis promissis perierit, & promissor fuit in culpa. Nam tunc tenetur superstitem dare: si non fuit in culpa, sufficit, si det vel equum superstitem, vel ejus æstimationem, prout ma-

lue-

fuerit. *L.* 95. §. 1. *ff. de Solution.* 2. Plus *re* petitur: si decem sint debita, & viginti petantur. Si verò ultra rem principalem debitam petat quis fructus, vel pensiones, non debitas, non dicitur plus petere; quia non attenditur, quod accessoriè petitur. 3. *loco* plus petitur, cum quis non ubi convenit solvere, sed alibi convenitur: v. g. si qui promisit dare centum Acapulci conveniatur Manilæ: Nam debitori aufertur utilitas quam percipere posset, v. g. negotiando illa pecunia, si cogitur solvere Manilæ cum sit conventum de solutione Acapulci facienda. Si tamen debitor nunquam in loco convento reperitur, alibi potest conveniri, ne creditor suo debito privetur, & ne debitori sua malitia, vel dolus suffragium præstet: Quando verò debitor est de fuga suspectus, potest creditor petere, quod præstet cautionem. 4. *tempore* plus petitur cum ante diem, vel conditionem petitur quod ad talem diem, vel sub tali conditione debetur, quia privatur debitor commoditate, quam posset habere, differendo solutionem: nam interim posset aliquid, negotiando illa pecunia, lucrari. Ex justa tamen causa potest ante diem peti. Sic si maritus vergat ad inopiam, potest uxor etiam constante matrimonio dotem repetere. Etiam filius, adhuc vivente patre, potest petere, ut ipsi legitima assignetur, si pater bona dissipat. Successor majoratus petere potest, declarari, ad ipsum pertinere majoratum post mortem possessoris, quando hic in alium intendit transferre majoratum.

88 Si creditor per errorem aliud, vel minus petat, quam sibi debetur non ipsi nocet hæc petitio. *L.* 1. §. *fin. C. h. t.* ibi: *Si verò quis minus, quam re vera sit taxaverit suam litem; nec ad hoc respiciat Judex, sed in veram quantitatem calculum ferat.* §. 34. & 35. *Inst. de Action.* Olim plus petentes causa cadebant, id est, amittebant litem cum toto debito, nec facilè restituebantur. §. 33. *Inst. de Action.* Hodie verò, qui plus *re*, *causa*, vel *loco* petit in omne damnum, quod sua petitione debitori intulit condemnatur in triplum. §. 33. *Inst. de Action.* Qui verò petit debitum jam solutum committit crimen *Stellionatus.* *L.* 29. §. 5. *ff. Mandat.* In Jure Canonico nulla fit mentio hujus pœnæ tripli. *In C. un. h. t.* ticque ablata censetur. *Gonz. in C. un. h. t. n.* 14. Imò ferè nullibi in praxi servatur ut ait *Arnold. Vin. in* §. 33. *Inst. de Action.* Pœna *tempore* plus petentis est, quod induciæ duplicantur adversario ad solutionem faciendam. In Nostra Hispania, quidquid alibi sit, induciæ duplicantur tantum respectu temporis ab actore præventi, & in expensis condemnatur. *L.* 45. *tit.* 2. *p.* 3. ibi: *Mas el Juzgador por pena debe alongar el plazo otro tanto adelante, quanto la demandò el ante del plazo, à que la debiera demandar,* Et ibid. *Greg. Lop.* nec litem cogitur suscipere debitor nisi prius illi expensæ à plus tempore petente solvantur. *C. un. h. t. l.* 2. *C. eod.* Qui verò non solum plus petit in quantitate, sed etiam dolosè à reo exigit cautionem super falsa quantitate petita, cadit à causa, etiam respectu ejus, quod verè ipsi debetur. *L. fin. C. h. t. l.* 44. *tit.* 2. *p.* 3. In Nostra Hispania plus petens loco, vel causa punitur pœna tripli respectu expensarum, quas fecerat reus: si petat plus re Judex condemnabit reum, in quantitate quam actor probaverit, & in qua non probet, ipsum absolvet, & in expensis condemnabit plus petentem: & in hoc casu non tenetur in triplum. *L.* 43. *tit.* 2. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lopez*, quod si reus neget plus debito fit ad invicem compensatio in istis expensis. *Greg. Lop. in d. l.* 43. A pœna plus petentium excusat. 1. Si quis non per dolum, sed per errorem plus petijt. §. 33. *Inst. de Action.* 2. Si minor plus petat, habet restitutionem. §. 33. *Inst. de Actionib.* 3. Si ante litis contestationem à plus petitione actor recedat. *C. un. h. t. l. fin. C. eod. l.* 44. *tit.* 2. *p.* 3. ibi: *Pero si el Demandador, ante que entrasse en juicio, se quisiesse quitar del engaño, non cae por ende en pena ninguna.*

TIT. XII.

De causa possessionis, & proprietatis.

89 Dominium plenum continet proprietatem, & possessionem: solet tamen accidere, quod alter habeat possessionem, alter proprietatem. *L.* 35. *ff. de Adquir. vel amittend. possess.* adeo, ut nihil commune habere dicatur proprietas cum possessione. *L.* 12. §. 1. *ff. de Adquir. vel amittend. possess.* De utraque causa in præsenti Rubrica agitur: & quidem prius de possessione. *Possessio* enim sic dicitur à *positione pedum*, *vel sedium*: vel à *posse*, & *sedere*, aliquando significat proprietatem. *L.* 78. *ff. de V. S.* aliquando usucapionem. *L.* 23. §. 1. *ff. Ex quibus caus.* aliquando ipsam rem posses-

sum,

Iam. C. 1. *h. t. Matth. 19. v. 22.* sed in præsenti sumitur pro jure, vel facto possidendi, & dicitur possessio juris, vel facti: *Possessio ergo juris est jus insistendi rei corporali tanquam suæ, non probibita possideri.* Dicitur 1. Jus, in quo distinguitur à possessione facti; & cum pluribus alijs juribus convenit. 2. *Insistendi rei*, in quo distinguitur à dominio, per quod competit jus disponendi de re, cum per possessionem solum possit quis retinere rem, & quidem corporalem. *L. 3. ff. de Adquir. posses. l. 27. tit. 2. p. 3.* ibi: *E possession tanto quiere decir como tenencia.* Nam incorporalia, ut sunt servitutes, jus eligendi, decimandi, & similia, non propriè possidentur, sed tantum quasi possidentur. *C. 3. h. t.* 3. *Tanquam sua*: nam qui alieno nomine, & non suo, rem detinent, ut Tutor, Administrator, & servus non possident res suorum Dominorum, quorum nomine eas detinent. 4. *Non probibitæ possideri.* Hinc Laicus res Sacras non possidet, nec privatus respublicas, & communes: quia contra jura, expressè talium rerum possessionem prohibentia, possessio juris non datur: *Possessio facti est detentio rei corporalis, corporis, animi, & juris adminiculo. L. 27. tit. 2. p. 3.* dum enim primo detinetur, & apprehenditur, saltem fictè, res corporalis, ejus possessio adquiritur, ideò dicitur detentio rei corporalis corporis adminiculo. Etiam requiritur animus, quo quis velit, rem ut suam retinere, vel Dominus rei videri, & ut talis judicari, etiamsi possidens non credat, se Dominum esse, eo quod injustam esse suam detentationem agnoscat. Item jus adminiculum præstare debet, quatenùs non auferat capacitatem possidendi, ut aufert Laico circa res Sacras: non tamen est necessarium, quod possessio sit justa, hoc est, legitimo titulo innixa: quia potest esse injusta ut possessio, quam fur habet in re furtiva, vel quando quis mala fide rem possidet, & tamen potest esse verè, & propriè possessio, ut sunt prædictæ.

90 Possessio multipliciter dividitur: nam alia est *naturalis*, *civilis* alia, & alia ex utraque composita, quæ *mixta* potest appellari: *Naturalis*, quæ omnium est infima, est quando quis rem corpore, & animi adminiculo detinet, cum alius possessionem civilem habeat. *L. 23. ff. de Adquir. posses. civilis*, quæ est naturali perfectior, est quando quis solo animo detinet rem, quam aliquando naturalitèr, & corporis actu possidebat. *Mixta*, quæ est perfectissima possessio est, quando quis animo, & corpore rem actualitèr possidet. Alia est præterea, quæ *civilissima* solet appellari, & est illa, quæ præcisè ministerio Legis, etiam sine voluntate, & animo possidentis adquiritur. Sic in nostra Hispania successor in Majoratu mortuo possessore adquirit Majoratus possessionem civilem, & naturalem, etiam ignorans: imo etiamsi Majoratus ab alio corporalitèr possideatur, vel etiamsi ipse antecessor possessionem tradidisset alteri. *L. 45. Taur. l. 8. tit. 7. lib. 5. R. C.* Possessio itidem alia est *bonæ fidei*, quando scilicèt, possidens judicat, rem ad se pertinere, licet verè ad ipsum non pertineat. Alia est *malæ fidei*, quando scilicèt possidens, rem ad se non pertinere credit. Hinc potest bona fides esse injusta, si fortè titulo justo destituatur, & solum nitatur titulo existimato, & similitèr mala fides potest esse justa, ut accidit in eo, qui rem suam credendo, esse alienam, possidet; nam mala fide, quia credit alienam, justè tamen possidet, quia res est sua.

91 Possessionis commoda plura sunt; *arg. L. fin. C. de Rei vindicat. l. 28. tit. 2. p. 3.* Qui enim tempore litis contestatæ, invenitur in possessione rei debet à Judice in ea conservari. *L. 1. ff. Uti possidetis*: quia in dubio melior est conditio possidentis. *L. 128. ff. de Reg. jur. c. 65. eod. in 6.* nec ipsi incumbit probatio, sed adversario non possidenti, quod si satis non probet, pro possessore judicandum est. *L. 4. C. de Edend. l. 28. tit. 2. p. 3. c. 3. h. t.* Similiter si bona fide præscribens dubitet, an res sit aliena, & post sufficientem inquisitionem dubium perseveret, potest ea frui, donec illi constet, ad alium talem rem pertinere; *arg. L. 128. ff. de Reg. jur.* Item possessio bonæ fidei præscriptionem parit, & ex ea dominium, etiamsi res sit aliena. *L. 3. ff. de Usucap.* habetque possessor jus administrandi, ac proindè potest eligere, præsentare, & alia hujusmodi facere, & ab ipso facta valent, & si postea constet, jus ad alium pertinere. *C. 19. de fur. Patron. C. 24. de Elect.* Quod si possessor fructus rei possessæ alienet, & si postea sciat, rem esse alienam, solum restituere tenetur id, quo factus est ditior. *L. 20. §. 6. ff. de Hæredit. petit.* sed post litis contestationem, cum fiat malæ fidei possessor, tenetur restituere etiam fructus consumptos, & quos percipere potuit. *L. 2. C. de Fructib. & litium exp. l. 40. tit. 28. p. 3.* Deindè, bonæ fidei possessor potest vim vi repellere, suamque possessionem armis defendere, illamque amissam,

in-

incontinenti, id est, quam primum attentis circumstantijs, recuperare. *C. 12. de Restitut. spoliat.* Etiam possessio 30. vel 40. annis continuata fundat præsumptionem tituli, si jus non resistat possidenti. *C. 1. de Præscript. in 6. L. 4. c. de Præscript. 30. vel 40.* quod si tempore immemoriali continuetur fundat præsumptionem juris, & de jure, & in pluribus casibus instar privilegij habetur. *C. 26. de V. S.* Nec Princeps censetur concedere privilegium in præjudicium habentis possessionem, nisi hoc exprimatur in Rescripto. *C. 31. de Privileg.* Etiam immobilium possessor, cum cesset suspicio de fuga, non tenetur satisdare de judicio sisti. *L. 15. ff. Qui satisdar. cogant.* De quibus, & alijs commodis possessionis *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 16.* & com. DD.

92 Possessio varijs modis adquiritur, & amittitur: & quidem adquiritur. 1. apprehensione vera. *L. 23. de Adquir. possess.* quod si res mobilis sit, manibus accipitur, si immobilis, pedibus intratur, vel per se, vel per filium, vel per servum, vel per procuratorem, vel per fructuarium, &c. *L. 1. ff. de Adquir. possess.* nec est necesse totam rem apprehendere, sed sufficit aprehendere aliquam partem ejus: quæ facit unum totum morale, ut tota possideatur. *L. 3. §. 1. ff. de Adquirend. possess.* ibi: *Quod autem diximus, & corpore, & animo adquirere nos debere possessionem, non utique ita accipiendum est, ut qui fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet; sed sufficit, quamlibet partem ejus fundi introire, dum mente, & cogitatione hac sit, uti totum fundum usque ad terminum velit possidere.* 2. adquiritur apprehensione ficta, ut per traditionem clavium horrei (non causa custodiæ factam) nam per talem traditionem transfertur possessio cum dominio frumenti. *L. 74. ff. de Contrah. emption.* vel per traditionem scripturæ. *L. 1. C. de Donation.* vel per visum, quando antiquus possessor alij ostendit fundum, & dicit, se vacuam illius possessionem tradere. *L. 18. ff. §. 2. de Adquir. possess.* vel per appositionem brevis manus, quando rem Titio locatam, vel commodatam vendo, vel dono ipsi; quia quasi fingitur, mihi esse restitutam, & postea à me de novo traditam ipsi. *L. 9. §. 5. ff. de Adquir. rerum domin. §. 44. Inst. de Rer. divis.* vel per signationem rei venditæ: v. g. si quis equum venditum tanquam suum signet. *L. 14. §. 1. ff. de Periculo & com. rei vendit.* vel per investituram: v. g. si post titulum Prælaturæ, vel Dignitatis tradatur annulus, ensis, pileus, vel quid simile. Et tunc non solum Prælaturæ, vel Dignitatis, sed & bonorum, & jurium illi annexorum possessio adquiritur; *arg. L. 74. ff. de Contrah. emption.* vel per clausulam constituti: quando donator, vel venditor post donatam, vel venditam rem se constituit possessorem nomine donatarij, vel emptoris: Nam tunc donatario, vel emptori possessio quæritur, & alter est tanquam Procurator. *L. 18. ff. de Adquirend. possess.* Denique per Legis dispositionem adquiritur possessio, ut deducitur ex *C. 9. de Dolo, & contum.* contra *Bald. & alios.* Possessio, seu quasi possessio rerum incorporalium, seu jurium adquiritur per usum illorum jurium, quasi ex jure sibi competente, & non ex mera gratia exercitum, accedente scientia, & patientia illius, cujus interest, annuere, vel resistere: sic potest quis quasi possessionem adquirere eligendo inter Capitulares, utendo actibus servitutis, itineris, viæ, & similium. Et quidem quando tales actus frequentèr alicui solent concedi ex gratia: v. g. quod quis ad mensam alterius vocetur, etiamsi millies reperantur, non dant quasi possessionem: quia non ex jure sic vocato competente, sed ex mera vocantis gratia, proveniunt. Si verò sint actus, qui non frequentèr conceduntur, ut aucupium in alieno fundo exercere: tunc plures actus debent quasi jure proprio frequentari, ut quasi possessionem illius juris fundent; *arg. L. 1. §. 2. ff. de Itiner. actuque.* Si denique tales sunt actus, qui vix alicui ex gratia conceduntur, ut habere suffragium in Capitulo; tunc unus actus sufficit ad quasi possessionem juris eligendi comparandam. *C. 5. de Præbend. in 6. l. 1. §. 21. ff. de Aqua quotidian.* Idem est, quando agitur de adquirenda servitute negativa: v. g. altius non tollendi: nam tunc sufficit, quod qui illam adquirere intendit saltem semel resistat, quasi proprio jure, volenti altius tollere, & hic contradictioni acquiescat, *Glos. in C. 25. de V. S. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 14. n. 2. & 3.*

93 Possessio amittitur. 1. quando res derelinquitur, & animo, & corpore: nec tamen sufficit rem solo corpore relinquere: siquidem solo animo possessio civilis retinetur. *L. 3. §. 7. ff. de Adquir. possess.* ac proinde est necessarius animus possessionem relinquendi ex Text. sic intelligendo in *L. 8. ff. de Adquir. possess.* sufficit ramen solus animus, si absolutè quis possessionem relinquere velit, ut possessio amit-

amittatur, quamvis res detineatur corporaliter. L. 3. §. 6. l. 17. §. 1. ff. de Adquir. possess. amittiturque, etiamsi ille, cui traditur possessio incapax sit illam adquirendi. L. 1. §. 4. ff. de Adquir. possess. Et tunc possessio cum à nullo sit occupata, erit vacua. 2. amittitur possessio per furtum, & rapinam alterius. L. 15. ff. de Adquir. poss. quod si res immobilis sit, amittetur possessio, quando per vim dejectus, vel alio modo re occupata, possessor negligat vindicare illam, vel non possit eam recuperare, ut quando est ab hoste, vel flumine occupata. L. 3. §. 17. l. 15. ff. de Adquir. possess. 3. per amissionem rei, si non sit in nostra custodia, v. g. intra domum. L. 25. ff. de Adquir. possess. Et possessio animalium non domesticorum, ut avium, piscium, & ferarum amittitur, quando nostram custodiam effugiunt; possessio vero domesticatorum tunc quidem amittitur, quando consuetudinem eundi, & redeundi amiserunt. Possessio tamen animalium, quæ sua natura sunt mansueta, solùm amittitur; quando ab alijs per furtum, vel alio modo simili occupantur. Servorum, & ancillarum possessio amittitur, non quando fugiunt, sed quando ab alio occupantur, vel si diu pro liberis se gerant. L. 1. §. 14. ff. de Adquir. possess. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 15. Rerum incorporalium possessionem amittimus, si per negligentiam, vel absentiam jure nostro non utamur, vel si alio impediente nos acquiescamus.

94 Nunc de secunda parte Rubricæ agendum est. *Proprietas* ergo, prout à possessione distincta, est pars principalis dominij pleni, licet aliquando pro dominio pleno accipiatur. L. 13. ff. de Adquir. rer. domin. L. 27. tit. 2. p. 3. *Propriedad tanto quiere decir, como el señorio, que el ome ha en la cosa.* Dominium verò *plenum*, & *perfectum* propriè est illud, in quo junguntur proprietas, ususfructus, & possessio: si quis enim proprietatem rei habeat, careat tamen possessione, vel usufructu, vel usu, vel alio jure, non dominium plenum, & perfectum, sed tantum imperfectum habere censetur. Nec enim in præsenti agimus de dominio jurisdictionis, quod est jus gubernandi, puniendi, protegendi subditos, ab eisque emolumenta exigendi: sed de dominio proprietatis, vi cujus de rebus disponere possumus, quando sunt tales, quæ dominium, & proprietatem non subterfugiant: siquidem plures sunt res, quæ in nullius dominio sunt, vel quatenus sunt res sacræ, sanctæ, & religiosæ, vel quatenus sunt Jure Naturali communes, ut aer, aqua, mare, & littora ipsius, aquavè profluens, vel quatenus publicæ sunt, ut flumina, portus, viæ, & itinera: vel quatenus Universitatis sunt, non singulorum, ut Theatra, Stadia, fontes, montes, campi, & alia hujusmodi. §. 1. & seqq. Inst. de Rer. divis. Proprietas ergo prout in præsenti sumitur multipliciter à possessione differt: Nam aliquando solo animo adquiritur. L. 23. ff. de Adquir. possess. nunquam tamen solo animo amittitur. L. 17. §. 1. ff. de Adquir. possess. E contrà verò possessio nunquam solo animo adquiritur. L. 3. §. 1. ff. de Adquir. possess. & solo animo amittitur. L. 3. §. 6. ff. de Adquir. possess. Dominium, seu proprietas non adquiritur sine titulo. L. 31. ff. de Adquir. rer. domin. possessio titulum non requirit. L. 6. §. 1. ff. de Adquir. possess. possessio potest ex pluribus causis haberi, dominium ex una tantum: quia quod nostrum est, amplius, etiam ex alia causa, esse nostrum non potest. L. 3. §. 4. ff. de Adquir. possess. Et ibid. Gothofr. Quando de proprietate litigatur res contrahit vitium *litigiosæ*, secus, quando solum agitur de possessione: plures alias differentias inter dominium, seu proprietatem, & possessionem DD. afferunt. Gonz. in C. 1. h. t. n. 13. Nunc aliquid de dominio, & de modis illud adquirendi in gratiam studentium dicendum est.

95 Dominium sic communitèr describitur: *Est jus, & facultas de re corporali rectè disponendi, aut vindicandi nisi Lex, vel conventio obsistat.* L. 21. C. Mandat. l. 1. tit. 28. cap. 3, ibi: *Señorio es poder, que ome ha en su cosa de facer della lo que quisiere, segun Dios, è segun fuero.* Domino enim competit ad libitum de re sua disponere, si apud ipsum sit. L. 21. C. Mandat. Nam quilibet suæ rei est moderator, & arbiter. Quod si res apud alium sit, Domino rei vindicatio ad illam recuperandam competit. L. 23. ff. de Rei vindicat. Aliquando tamen accidit, ut qui Dominus sit alienare non possit, & contra qui Dominus non sit alienandæ rei potestatem habeat. Sic pupilli, vel minores, quamvis Domini sint, non valent de suis rebus disponere, quia Lex obsistit: idem est, de eo qui cum alio convenit de re non alienanda. E contrà verò creditor pignus ex pactione, quamvis ejus ea res non sit, alienare potest, ut constat ex Tit. Instit. quibus alienare licet, vel non. Dominium olim aliud erat *Quiritarium*, *Bonitarium*

rium aliud. *Quiritarium* erat dominium civile, & legitimum, & dabatur in rebus *mancipi* in prædijs Italicis. *Bonitarium* erat, quod dabatur in rebus, mancipi, & nec mancipi, & tantum in rebus Provincialibus, stipendiarijs, & tributarijs. Sed jam hac abolita differentia, dominium sic dividitur. 1. Aliud est *directum*, aliud *utile*. *Directum* est, quod habet is, penes quem nuda manet proprietas. Tale dominium haber, qui rem dedit in feudum, vel emphythesim. *Utile* est, quod habet is, qui gaudet jure stabili utendi fruendi, separato à proprietate cum jure vindicandi rem ipsam; quale haber vassallus, emphyteuta, superficiarius. Et licet dominium diversi generis apud duos esse possit, at verò dominium plenum, vel ejusdem generis apud duos simul consistere nequit. *L.* 5. §. 15. *ff. Commodat.* 2. Aliud est *revocabile*, *irrevocabile* aliud. *Revocabile* est, quod ex se potest revocari, quale habet maritus in re dotali, vel bonæ fidei possessor in fructibus extantibus. *L.* 48. *ff. de Adquir. rer. Domin.* ibi: *Bonæ fidei emptor percipiendo fructus, etiam ex aliena re, suos interim facit. Irrevocabile* est, quod ex se, & quasi sua natura durat perpetuò, quale habet, qui perfectè Dominus rei est, quia eam emit: licet per accidens possit revocari, vel auferri ab ipso: v. g. ob aliquod delictum. 3. Aliud *altum*, aliud *bassum* dicitur. *Altum* est illud, quod habet Princeps, vel Respublica pro casu necessitatis publicæ in bona subditorum. *Bassum* est, quod cæteri privati habent. Dominium igitur adquiritur vel Jure Civili, ut usucapione, donatione, vel legato; vel Jure Gentium, idque multis modis, scilicet, 1. *per inventionem*, & *occupationem*: sic lapilli, & gemmæ, quæ in littore maris inveniuntur, & alia, quæ in nullius sunt dominio, adquiruntur inventori, fiuntque primo ea occupantis. §. 18. *Inst. de Rer. divis. l.* 5. *tit.* 28. *p.* 3. *Insula* nata in mari, cum nullius sit, primo occupanti adquiritur. §. 22. *Instit. de Rer. divis. l.* 29. *tit.* 28. *p.* 3. Et hic titulus juvat ad justificandam adquisitionem novi Orbis, quem alijs pluribus titulis nostri Potentissimi Reges obtinent. *Solorz. de Jur. Indiar. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. Et per quandam consequentiam nostri Reges habent maris Indici protectionem, & jurisdictionem cum jure prohibendi exteris navigationem: & exigendi vectigalia, aliasque gabellas imponendi, & Leges stabiliendi, quidquid alij clament pro mari libero, ut pluribus citatis probat *Doct. D. Joannes de Solorzano*, & *Pereyra de Jure Indiar. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 3. Si Insula in flumine nascatur adquiritur Domino prædij vicinioris; vel si in medio fluminis sit, fit communis eorum, qui ab utraque parte prædia possident pro modo latitudinis cujusque fundi. §. 22. *Inst. de Rer. divis. L.* 27. & *seqq. tit.* 28. *p.* 3. Idem est de alveo derelicto à flumine. §. 23. *Inst. de Rer. divis. L.* 31. *tit.* 28. *p.* 3. *Missilia*, quæ solent in vulgus jactare Consules, vel Principes in die triumphi, vel alij Magistratus, & Canonici in die possessionis suarum dignitatum, etiam primo occupanti adquiruntur. §. 46. *Inst. de Rer. divis. L.* 48. *tit.* 28. *p.* 3. *Bona vacantia*, id est, quæ relicta sunt à moriente ab intestato sine uxore, & sine hærede olim quidem intra decimum. *L.* 6. *tit.* 13. *p.* 6. Hodie tamen in nostra Hispania, intra quartum gradum. *L.* 3. *tit.* 9. *lib.* 1. *R. C. L.* 9. *tit.* 10. *lib.* 1. *R. C. Salmantic. tr.* 14. *cap.* 5. *n.* 102. *Machado*, & *alij* contra *Solorz. Polit. Ind. lib.* 5. *cap.* 7. & *alios*, qui etiam hodie usque ad decimum gradum extendunt. Licet enim Jure Gentium primo occupantis fierent, Jure tamen Civili, & Hispano adquiritur Fisco. *L.* 4. *C. de Bonis vacant. l.* 12. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C.* Sed si defunctus uxorem reliquit, illa Fisco præfertur. Sed hodie in nostra Hispania ad Tribunal Cruciatæ spectat. *L.* 9. *tit.* 10. *lib.* 1. *R. C. Lara lib. de Tribus gratijs*, *fol.* 281. In Indijs autem exactio horum bonorum spectat ad quemdam Senatorem Regium, qui Judex bonorum defunctorum nuncupatur, de cujus officio, & potestate late agitur in *tot. tit.* 32. *lib.* 2. *R. Ind. Bona pro derelictis* habita, *Hispanè*: *Bienes mostrencos*, etiam adquiruntur occupanti. §. 47. *Inst. de Rer. divis. l.* 49. *tit.* 28. *p.* 3. Sed hodie in nostra Hispania Fisco adquiruntur. *L.* 6. *tit.* 13. *lib.* 6. *R. C. Merces* tamen in mare projectæ levandæ navis causa permanent suorum Dominorum, quia palam est non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat: idem est de his, quæ de rheda currente, non intelligentibus Dominis cadunt. §. *fin. Inst. de Rer. divis. l.* 49. *tit.* 28. *p.* 3. Bona, quorum Domini sunt incerti, postquam publicis præconijs per annum, & duos menses publicantur, Fisco adquiruntur, & hæc bona *Hispanè* etiam vocantur *mostrencos*. *L.* 7. *tit.* 13. *lib.* 1. *R. C.* Et licet in Hispania horum bonorum exactio ad Tribunal Cruciatæ spectet, non tamen in Indijs. Nam hoc ad Quæstores

Re-

Regij Patrimonij spectat in Nostra Hispania hæc bona sunt à Nostris Regibus concessa Religiosis SS. Trinitatis, vel B. Virginis de Mercede ad præventionem, pro redimendis captivis; secus in Indijs. Si verò aliquis particularis ejusmodi bona inveniat, si post sufficientem diligentiam non appareat Dominus, poterit sibi ea retinere, sed quoties de Domino constet illi sunt absdubiò restituenda. De quibus *Solorz. Polit. Indian. lib. 4. cap. 25. Et lib. 5. cap. 7. Acevedo in l. 9. tit. 15. lib. 4. R. C. ex n. 55. Machad. in Sum. lib. 2. p. 3. tr. 21. docum. 8. Escalon. Gazophilac. Reg. Per. lib. 2. cap. 5.*

Thesaurus, quem quis in suo fundo invenit ipsi inventori adquiritur: si in alieno fundo, vel loco publico, vel Regis inveniatur fortuito dividitur inter inventorem, & Dominum fundi. §. 39. *Inst. de Rer. divis.* In Nostra Hispania thesaurus, ubicumque inveniatur Regi adquiritur, quarta tantum parte inventori relicta. *L. 1. tit. 13. lib. 6. R. C.* Et per hanc Legem corrigitur. *L. 45. tit. 28. p. 3.* ut tenet *Acevedo.* At verò metalla omnia, ut aurum, argentum, æs, ferrum, cuprum, plumbum, & alia, quæ in fodinis inveniuntur tàm in Hispania, quàm in Indijs pertinent ad Nostros Reges, siquidem in eorum dominijs inveniuntur, & tanquam pars terræ considerantur. *L. 11. tit. 28. p. 3. l. 2. l. 3. l. 4. tit. 13. lib. 6. R. C. Arg. l. 1. tit. 10. lib. 8. R. Ind.* Conceditur tamen à Nostris Regibus, quod suis Vassallis tales fodinas excolentibus metalla inventa adquirantur, dummodo quintam partem Regi solvant; *Hispanè: El quinto.* Idem est de margariris, alijsque lapillis pretiosis. *L. 1. & per tot. tit. 19. lib. 4. R. Ind. L. 1. & per tot. tit. 25. lib. 4. R. Ind.* De quibus, & alijs juribus Indiarum latè agit *D. Gaspar. de Escalon. Gazophil. Reg. Per. lib. 2. p. 2. cap. 1. Solorz. & alij.* Etiam salis fodinæ in Nostra Hispania pertinent ad Regem. *L. 2. tit. 13. lib. 4. R. C. Animalia*, quæ sunt in sua naturali libertate nobis etiam adquiruntur, sive venatione, sive aucupio, sive piscatione ea occupemus, vel si incidant in laqueum, rete, viscum, vel in manus nostras, etiamsi alius illa prius vulneraffet. §. 12. & 13. *Inst. de Rer. divis. l. 17. l. 19. l. 21. tit. 28. p. 3.*

96 2. Per *captivitatem* adquiritur dominium: Nam res mobiles, etiam homines liberi ab hostibus in bello justo capti capientium fiunt. §. 17. *Inst. de Rer. divis. l. 1. & per tot. tit. 26. p. 2.* immobiles verò Principi victori adquiruntur, ut urbes, villæ, & castra. *L. 20. tit. 28. p. 3.* & aliquando etiam quinta pars mobilium. *L. 7. l. 14. tit. 26. p. 2. L. 2. tit. 10. lib. 8. R. Ind.* Ecclesiæ verò, & Monasteria suis possessoribus relinquuntur. Si Lattones, vel Pyratæ aliquem Hispanum mercibus suis spolient, & postea, quocumque tempore illæ merces à Militibus Regis redimantur, debent suis Dominis restitui: Nam earum rerum dominium non potuit latronibus, nec Pyratis adquiri. *L. 24. ff. de Captivis.* Quod si illa merces ab hostibus in bello justo capiantur, & intra præsidium ponantur, posteaque redimantur à nostris Militibus, capientibus adquiruntur: quippè ex eo quod in loco tuto res jam essent collocatæ hostibus fuit adquisitum dominium. *L. 26. tit. 26. p. 2.* quod si tales res in mari capiantur, & postea, quocumque tempore, à classe Regia redimantur, antequam sint ad portum securum asportatæ, restitui suis Dominis debent. *L. 31. tit. 26. p. 2. l. 13. tit. 9. p. 5.* Si tamen à cursoribus, *Hispanè: Armadores* sint recuperatæ postquam 24. horarum spatio fuerant in hostium potestate, illis adquiruntur: Siquidem suo periculo, & labore eas recuperarunt. Ut constat ex Regia Schedula 24. Dec. 1624. apud *Salcedo de Contravand. cap. 11. Solorzano Polit. Ind. lib. 5. cap. 18. 3. Per nativitatem* adquiritur dominium: nam quod nascitur ex ancillis, vel alijs animalibus fœmellis dominio nostro subjectis nobis adquiritur. §. 37. *Inst. de Rer. divis. L. 5. ff. de Rei vindicat. 4. Per alluvionem*: quando scilicèt insensibiliter motu fluminis aliquid fundo Titij v. g. accedit ipsi Titio adquiritur. §. 20. *Inst. de Rer. divis.* Non tamen adquiritur dominium per avulsionem, quando scilicèt, vis fluminis de aliquo prædio aliquam partem dettaxerit, & Titij prædio attulerit: illa quippè pars manet in dominio sui Domini antiqui, nisi fortè tempore coalescat, & arbores in Titij fundo radices egerint; tunc enim Titio adquiritur. §. 21. *Inst. de Rer. divis.* sed debet illud lucrum boni viri arbitrio compensari. *L. 28. tit. 28. p. 3. 5. Per specificationem*, seu novi corporis effectionem ex aliena materia dominium adquiritur: In quo tenenda est media sententia inter Proculejanos, & Sabinianos: ita, ut si reduci possit ad primam, & rudem materiam, ut vas ex ære confectum, ad Dominum materiæ pertinebit nova species; quod si non possit reduci ad primam, & rudem materiam ut vinum, vel oleum, ad specificantem nova species pertinebit.

§. 25. *Inst. de Rer. divis. L.* 33. *l.* 34. *tit.* 28. *p.* 3. 6. Per *accessionem* etiam adquiritur dominium, v. g. si quis alienam purpuram suæ vesti intexuerit ad ipsum purpura pertinebit; cum obligatione tamen illius æstimationem præstandi. §. 26. *Inst. de Rer. divis.* 7. Per *confusionem* corporum liquidorum, & metallorum: quæ quidem si casu, vel communi consensu Dominorum fiat: erit res communis. Si ab uno tantum sine alterius consensu, & mala fide fiat: tota massa cedit læso sine obligatione aliquid dandi miscenti. Si bona fide materiæ fuerunt mixtæ, & materia est æqualis, fit communis, si inæqualis, adquiritur Domino majoris partis. *L.* 5. §. 1. *ff. de Rei vindic.* §. 27. *Inst. de Rer. divis.* 8. Per *mixtionem* corporum solidorum, ut frumenti, & capitum, ut gregis, etiam adquiritur dominium, & quidem si mixtio voluntate Dominorum fiat, res erit communis, si casu accidat, arbitrio judicis æstimabitur quid unicuique tribui oporteat. §. 28. *Inst. de Rer. divis.* Qui alienam pecuniam suæ immiscet, ita ut discerni, non possint, sive bona, sive mala fide id fiat, Dominus fit totius summæ. 10. Per *in ædificationem*, per quam quidquid in alieno solo ædificatur, solo cedit; sed Domino materiæ competit pro ea actio. §. 29. & 30. *Inst. de Rer. divis. l.* 38. *tit.* 28. *p.* 3. 11. Per *implantationem*: Nam planta, vel semen cedit Domino soli, in quo radices egit. §. 31. & 32. *Inst. de Rer. divis. l.* 43. *tit.* 28. *p.* 3. 12. Per *scripturam.* Nam dominium characterum adquiritur Domino materiæ scriptæ. §. 33. *Inst. de Rer. divis. l.* 36. *tit.* 28. *p.* 3. 13. Per *picturam*, quippè tabulam pingenti tabula picta adquiritur. Cum tabula picturæ cedit. §. 34. *Inst. de Rer. divis.* ibi: *Ridiculum est enim picturam Apellis, vel Parrhasij in accessionem vilissimæ tabulæ cedere*: nisi tabula pretiosior sit pictura, vel in muro, vel pariete facta pictura sit: Nam tunc pictura rei pictæ cedit. *L.* 23. §. 2. *ff. de Rei vindic.* 14. Per *bonæ fidei possessionem* adquiruntur fructus industriales propter rei curam, & culturam; non tamen adquiruntur fructus naturales. *L.* 48. *ff. de Adquir. rer. domin.* §. 35. *Inst. de Rer. divis. l.* 39. *tit.* 28. *p.* 3. Denique: per *traditionem* Domini habentis administrationem liberam suarum rerum dominium adquiritur. Siquidem nihil tàm conveniens est naturali æquitati, quàm voluntatem Domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. §. 40. *Inst. de Rer. divis. L.* 20. *ff. de Adquir. rer. domin.* sed debet adesse justus titulus, & justa causa ad dominium transferendum: talis est donatio, venditio, permutatio, &c. *L.* 31. *ff. de Adquir. rer. domin.* His omnibus modis dominium rerum comparatur: Amittitur tamen, quando Dominus rei illam alteri donat, vel vendit, vel alitèr alienat: imò, quando illam à se abjicit cum animo non amplius eam, ut suam conservandi sed rem pro derelicta habendi. *L.* 21. *C. Mandat. l.* 49. *l.* 50. *tit.* 28. *p.* 3. Post hanc aliqualem dominij, seu proprietatis, & possessionis notitiam, propius ad titulum accedendo, de modo, quo de his causis agitur in judicio, tractare restat.

97 Causa igitur possessionis est, in qua principalitèr agitur de possessione, vel quasi possessione: & dicitur judicium possessorium. Causa proprietatis est, in qua principalitèr agitur de proprietate, vel dominio, vel quasi dominio, vel alio jure, quod per modum proprietatis competat: ut de usufructu, servitutibus, jurisdictione, beneficijs, jure eligendi, præsentandi, decimandi, venandi, pascendi, piscandi, vel similibus: & dicitur judicium petitorium: & competit rei vindicatio, actio confessoria, vel negatoria, vel condictio, seu actio personalis ad petendum, prout cujusque judicij materia exposcit: Et jam de his actionibus aliquid diximus in titulo de judicijs: nunc etiam aliquantulum dicemus de actionibus, quibus possessionem petere possumus: quæ *interdicta* dicuntur: sumpta denominatione ex eo quod sint *quasi inter duo dicta*, cum Prætor statuat apud quem ex duobus debeat esse possessio: vel potius, quia *interim dicitur* talis sententia, donec pleniori judicio de proprietate disceptetur. *Gonz. in C.* 6. *h. t. n.* 6. Hæc interdicta ita comparata sunt, ut alia sint ad *adipiscendam* possessionem, quam nunquam habuimus: alia ad *retinendam* possessionem, quam habemus: alia denique ad *recuperandam* possessionem, quam amisimus. §. 2. *Inst. de Interd.* Pro adipiscenda possessione, quam nunquam habuit actor competit ipsi triplex interdictum. 1. *Quorum bonorum*, sic à primis Edicti Prætoris verbis nuncupatum: & hoc competit hæredi post aditam hæreditatem ad illius possessionem comparandam adversus eum, qui aliquid pro hærede, vel pro possessore possidet. Pro hærede possidere dicitur, qui putat, se hæredem esse, cum non sit: pro possessore is possidet, qui sine omni titulo, & sine ullo jure rem hæreditariam

tariam occupat. Etiam datur hoc remedium adversus eum, qui dolo desijt possidere. §. 3. *Inst. de Interd. l. 1. ff. Quorum bonor.* 2. Interdictum adipiscendæ est *quod legatorum*, quod quidem hæredi, vel bonorum possessori competit contra legatarium, ut legatum, quod propria authoritate occupavit restituat: etenim æquissimum Prætori visum est, unumquemque non sibi ipsi jus dicere occupatis legatis, sed ea ab hærede petere: & quidem post restitutionem, potest legatarius hæredem pro legato convenire. *L. 1. §. 2. ff. Quod Legator.* 3. est interdictum *Salvianum*, sic à suo Authore Salvio Juliano dictum, competitque Domino, seu locatori fundi, ut Colonus, vel conductor tradat possessionem rerum in prædium conductum illatarum, quæ pro mercede conductionis expresse sunt oppignoratæ. §. 3. *Inst. de Interdict.* & datur adversus tertium possessorem. *L. 1. ff. de Salvian. Interd.* & extenditur ex identitate rationis ad res invectas in prædio urbano. Præter hæc remedia Prætoria aliaque civilia potest quis officium Judicis implorare, ut ejus authoritate interposita apprehendere valeat possessionem vacantem hæreditatis, vel beneficij, vel rei similis; *arg. L. 68. ff. de Rei vindicat.* ibi: *Qui restituere jussus Judici non paret, contendens non posse restituere, siquidem habeat rem, manu militari officio Judicis ab eo possessio transfertur.* In nostra Hispania pro adipiscenda actuali possessione majoratus: quam civilissimam appellamus ex *L. 45. Taur. l. 8. tit. 7. lib. 5. R. C.* agitur in prima instantia in Supremo Consilio Castellæ, & debet terminari intra quinquaginta dies, & in gradu supplicationis intra 40. & postea remittebatur causa decidenda tàm quoad possessionem, quàm quoad proprietatem ad Regias Cancellarias: sed hodie, in Supremo Senatu cognoscitur, non solum de Tenuta, sed etiam de possesione, & sola causa proprietatis remittitur ad Regias Cancellarias. *L. 9. l. 10. tit. 7. lib. 5. R. C. Et ibid. Acevedo.*

98 Pro possessione, quamvis habet *retinenda* duplex præcipuè competit interdictum. 1. *Uti possidetis*, (sic à primis Edicti verbis dictum) quo se defendit possessor, qui in possessione rerum immobilium turbatur injustè, dum tempore litis contestatæ possideat sine vitio, nec vi, nec clam, nec precario. 2. Interdictum *utrobi* pro rebus mobilibus cum eisdem circunstantijs, ac antecedens. §. 4. *Inst. de Interdict.* ablata jam differentia, quæ olim inter hæc duo interdicta dabatur. Nam ibi concludit *Justinian. Hodie tamen aliter observatur: nam utriusque interdicti potestas (quantum ad possessionem pertinet) exæquata est; ut ille vincat, & in re soli, & in re mobili, qui possessionem nec vi, nec clam, nec precario ab adversario litis contestatæ tempore detinet.* Alia plura sunt interdicta pro retinenda possessione, ut de superficiebus, de rivis, de fonte, de aqua quotidiana, de itinere, actùque privato: de quibus Civilistæ. Pro recuperanda possessione amissa, præter alia remedia, duo præcipuè interdicta dantur. 1. *Interdictum unde vi* adversus spoliantem alium à possessione rerum mobilium, vel immobilium, quæ in illo loco, à quo spoliatus fuit expulsus, inveniebantur. *L. 1. ff. de Vi, & vi armat.* Si de possessione rerum corporalium quis dejicitur: appellatur *Interdictum unde vi directum.* Si de quasi possessione rerum incorporalium quis dejiciatur *Interdictum unde vi utile* dicitur. 2. *Vi bonorum raptorum*, quod quidem datur pro recuperandis rebus mobilibus vi ablatis. *L. 1. ff. de Vi bonorum raptor.* Qui ergo in judicio contendit prius debet intentare judicium possessorium, quam petitorium: tum propter possessionis commoda. *L. 24. ff. de Rei vindicat. l. 27. tit. 2. p. 3.* tum, quia facilius potest probari possessio, quam proprietas. *C. 18. de Restitut. spoliator.* Siquidem possessio in factis consistit. *L. 48. ff. de Adquirend. rer. domin.* quæ pluribus modis probari possunt: secus dominium, seu proprietas, quæ cum in jure consistat, difficile probatur. Nam licet quis probet, se rem emisset non sufficit ad probandum, se esse illius Dominum, nisi probet: & venditorem Dominum esse, & nulla Lege esse impeditum ad dominium transferendum. Et ideò ait noster Rex Alphonsus in *L. 27. tit. 2. p. 3. E porque es mas grave de probar el señorio de la cosa, que la tenencia, dixeron los antiguos, que mas cuerdamente face el demandador su demanda, en demandar en juicio la tenencia, si la pudiere probar, que la propriedad.*

99 Causa ergo possessionis, & proprietatis apud eundem Judicem tractari debet; non solum quando simul de utraque agitur, sed etiam quando causa possessionis finita, instituitur causa proprietatis. *C. 1. h. t.* ibi: *Legali provisione decretum est, tàm momenti, quàm proprietatis causam sub uno, eodemque Judice debere cognosci*: quia cum hæ causæ inter se sint connexæ, Judex, qui de causa possessio-

ſeſsionis cognovit magis inſtructus erit, ad cauſam proprietatis : unde in proloquium abijt : quod *continentia cauſarum non eſt dividenda. L. 10. C. de Judic.* quod quidem non ſolum in Judice Ordinario, ſed etiam in Delegato ſervandum eſt, quando alicui cauſa poſſeſsionis, vel proprietatis committitur terminanda. *C. 1. de Sequeſtrat. poſſeſ.* niſi expreſſe ſuper una cauſa ſola facta ſit delegatio. Nam tunc de altera non cognoſcitur : fines namque mandati diligenter ſunt ſervandi. *C. 22. de Reſcript. l. 5. ff. Mandat.* Si litigantes ſint diverſi fori, v. g. quod actor ſit Clericus, qui contra Laicum obtinuit in poſſeſſorio coram ſæculari, non tenetur reſpondere coram eodem in petitorio ex *C. fin. de Judic.* quia talis Judex non eſt competens reſpectu Clerici. Similitèr, ſi Judex Sæcularis cognovit contra Laicum de poſteſsione rei ſpiritualis, vel quaſi ſpiritualis, in quæſtione meri facti, ut contra *Gutierr. Barboſ. & alios* poſſe cognoſcere tenent *Covarr. Pract. qq. cap. 35. & alij*, quibus Tribunalium communis praxis ſuffragatur, teſte *Barboſ. de Jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 39. §. 2. n. 161.* Cauſa proprietatis tunc coram Eccleſiaſtico tractanda eſt, ac proindè dividi debet continentia cauſarum : quia Judex Sæcularis nequit cognoſcere de cauſa proprietatis in re ſpirituali, imò neque in quæſtione facti habentis, admixtam aliquam juris quæſtionem. *C. 2. c. 3. de Judic. Covarr. & comm. DD.* Poteſt utique in eodem judicio cumulari, & ſimul proponi judicium proprietatis, & poſſeſsionis. *C. 2. c. 4. c. 5. c. 6. h. t. l. 27. tit. 2. p. 3. l. 18. §. fin. ff. de Vi, & vi arm. l. 1. §. 4. ff. Quod legator.* quia hoc modo lites minuuntur, & ex duabus una tantum reſultat. Et quidem non ſolum cum judicio poſſeſſorio adipiſcendæ, & recuperandæ. *L. 27. tit. 2. p. 3.* ſed etiam cum judicio retinendæ poſſeſsionis poteſt cumulari petitorium : ut contra varios variè ſentientes apud *Gonz. in C. 6. h. t. ex n. 13.* clarè probat. *L. 12. ff. de Adquir. vel amit. poſſeſ.* ibi: *Nihil commune habet proprietas cum poſſeſsione, & ideò non denegatur ei interdictum uti poſſidetis, qui cœpit rem vindicare : non enim videtur poſſeſsioni renuntiaſſe, qui rem vindicavit.* Et notat ibid. *Gotifr.* & deducitur ex generalitate *Text. in C. 4. & 5. h. t.* ſic ille, qui intentat petitorium amiſſa poſſeſsione naturali, vel ſaltem detentatione, poteſt ſimul intentare petitorium, & remedium retinendæ poſſeſsionis. Idem eſt, ſi de ſervitutibus, vel alijs juribus agatur : Nam licet quis in poſſeſsione ſit, poteſt, ſi ab aliero moleſtetur, petere à Judice per actionem in rem confeſſoriam declarari, quod adverſario nullum jus competat, & ſimul poſſeſſorium retinendæ intentare ; *arg. C. 4. h. t.* Quando tamen judicium petitorium, & poſſeſſorium cumulantur, cum prius conſtare debeat, quis ſit poſſeſſor, & quis ſit actor. *§. 4. Inſt. de Interd.* prius de cauſa poſſeſsionis, quam proprietatis eſt cognoſcendum. *C. 2. h. t. l. 37. ff. de Judic. l. 27. tit. 2. p. 3.* & de ipſa prius, licet in eadem ſententia, pronuntiandum eſt. *L. 35. ff. de Adquir. poſſeſ.* In executione tamen prævalet cauſa proprietatis. *C. 6. h. t.* quia ut dignior ad ſe trahit cauſam poſſeſsionis, quin, & ipſam abſorbet : & hac ratione, juxta aliquos, judicium poſſeſſorium dicitur *momentaneum*, & ipſa poſſeſsio *momentum* nuncupatur in *C. 1. h. t.* Siquidem contra eum, qui ſuccumbit in petitorio pronuntiatur, licet in poſſeſſorio obtinuiſſet: nec poſſeſsio, quam probavit, eſt ei adjudicanda, quaſi ad momentum, cum ſtatim teneretur reddere rem ipſam : At verò poſſeſſor liberatur à ſolvendis expenſis litis, & fructibus medio tempore bona fide perceptis. Qui tamen non poteſt probare poſſeſsionem, poteſt, hoc judicio omiſſo, proprietatem probare. *L. 27. tit. 2. p. 3.* Similitèr, qui agit judicio petitorio, ſi in eo probatio difficilis appareat, poteſt hoc judicio omiſſo, quando non eſt concluſa cauſa, & renuntiatum probationibus, interdictum adipiſcendæ, vel recuperandæ poſſeſsionis intentare in odium ſpoliatoris, & ſpoliati favorem: ſecus poſtquam in cauſa concluſum eſt, & probationibus, & allegationibus eſt renuntiatum, ne lites litibus inculcentur, & via fraudibus aperiatur, ut ait *Innoc. in C. 5. h. t.* niſi Judex, qui de cauſa cognoſcit, hoc ipſum ex juſta cauſa viderit expedire : v. g. cum ex perſpicuis indicijs facile arguitur iniquitas invaſoris, & ſpoliato caſus, vel malitia probandi dominium ſubtraxerit facultatem. *C. 5. h. t.*

T I T. XIII.

De Reſtitutione ſpoliatorum.

100 SPoliato per vim ab actuali poſſeſsione, verè tali, naturali, vel civili, juſta, vel injuſta, rei immobilis, competit pro poſſeſsione recuperanda inter-

interdictum *unde vi*, & ante omnia talitèr spoliatus restituendus est in omnem modum, causam, & locum, à quo dejectus fuit. *Arg. L.* 1. *C. de Sentent. passis. L.* 5. *tit.* 10. *p.*3. & in plenam libertatem, quam habebat, etiamsi fundum ipsum non possideret dejectus. *C. fin. b. t.* sic ille, qui ex fundo ab alio possesso percipiebat census, & praestationes annuas restitui debet ita, ut possit percipere eosdem census, & praestationes. Etiam successoribus spoliati competit hoc interdictum. *L.* 1. §. 44. *ff. de Vi, & vi armat.* Item, & praedoni notorio, etiamsi spolietur ab ipso, quem praedo dejecerat, competit restitutio. *C.*5. *b. t.* ibi: *Quia praedo etiam est secundum rigorem juris restituendus.* Non tamen restituitur contra Dominum, si incontinenti praedo à Domino spolietur. *L.* 17. *ff. de Vi, & vi arm.* ubi generalitèr dicitur: *Qui possessionem vi ereptam, vi in ipso congressu recuperat in pristinam causam reverti potius, quam vi possidere intelligendus est: ideoque si te vi dejecero, illico, tu me, deindè ego te; unde vi interdictum tibi utile erit.* Nec restituitur spoliator, quando est publicus latro, depopulator agrorum, vel incendiarius. *Arg. L.* 1. *C. Quando liceat unicuique.* Imò, attenta aequitate, praedo, seu spoliator notorius non restituitur contra Dominum vi suam possessionem recuperantem. *Barbos. in C.* 5. *b. t. Menoch. & alij.* Et quidem non indistinctè hoc remedium cuique spoliato conceditur: nam depositario, commodatario, & alijs, qui non proprio, sed alieno nomine possident, non competit hoc remedium restitutionis; imò nec Colono, Emphyteutae, Usufructuario, Vasallo, & alijs hujusmodi, si ad breve tantum tempus hoc jure gaudeant: Sed tunc Domino rei competit restitutio. *L.* 1. §. 10. *ff. de Vi, & vi armat.* ipsis tamen succurritur extraordinario officio judicis implorato: Siquidem ipsi non possident, sed tantum rem detinent: Is enim possidet, cujus nomine possidetur. *C.* 9. *b. t. C.* 17. *de Praescript. L.* 18. *ff. de Adquir. poss.* Si verò ad longum tempus, v. g. ad decennium sint Coloni, vel Emphyteutae, vel simili jure gaudeant, cum tunc sint in quasi possessione talis juris, ac dominij utilis, quod suo nomine possident. *L.* 15. §. 1. *ff. Qui satis dare cogant.* consequenter poterunt hoc intentare remedium, si fortè spolientur. *L.* 3. §. 13. *ff. de Vi, & vi armat.* Si alicui liber homo; vel Laico per vim eripiantur res sacrae, beneficium Ecclesiasticum, decimae, vel quid simile; quia haec de facto detinet, & non verè possidet: cum possessionis talium rerum incapax sit, non competit interdictum *Unde vi. Glos. in C.* 14. *b. t.* V. *Commodo.* Si ille, qui dejectus est à possessione fundi, ipsum possidebat per servum, non habet interdictum, cum possessione non sit spoliatus, quam adhuc per servum retinet. Similitèr, si omnes è Collegio, vel Monasterio, praeter unicum, ejiciantur, quia in illo conservatur possessio, sicut conservatur Collegium, vel Communitas. *L.* 7. §. *fin. ff. Quod cujusque univers.* non gaudent interdicto *unde vi.*

101 Hoc igitur interdictum *unde vi* competit adversus eum, qui vi, vel clam alium à possessione dejecit, etiamsi ille, qui spoliavit, postea non amplius rem possideat. *L. fin. C. Unde vi.* Etiam datur contra mandantem spoliare, vel spoliationem suo nomine factam ratam habentem. *L.* 1. §. 12. & 14. *ff. de Vi, & vi armat.* & non contra alios. *C.* 15. *b. t.* Si enim spoliator aliquod jus ad rem habere credebat, illam debuit coram judice petere, & non propria authoritate cum periculo, & perturbatione publicae quietis eam sibi sumere, & sibi in propria causa jus dicere. *L. fin. C. Unde vi.* Et hac ratione si quis rem suam, vel illam, in qua aliquod jus habebat, ab alio detentam vi eripiat, amittit dominium, si res erat propria spoliantis, vel jus, quod in ipsa habebat: vel si nullum jus habebat, eam restituere debet cum fructibus perceptis, & insuper ipsius rei aestimationem vim passo solvere debet. *L.* 7. *C. Unde vi. L.* 10. *tit.* 10. *p.* 7. *l.* 1. *tit.* 13. *lib.* 4. *R. C.* Etiam competit restitutio contra Judicem in competentem: nam cum jurisdictione careat pro privato habetur: imò est contra Judicem competentem, qui extrajudicialitèr, & absque causae cognitione aliquem sua possessione spoliavit. *C.* 7. *b. t. Ne inde injuriarum nascatur occasio, unde jura nascuntur. L.* 6. *C. Unde vi.* Nam excedendo sui officij fines, & limites, ut privata persona censetur. *L.* 20. *ff. de Jurisdict.* quid ergo mirum, quod etiam adversus ipsum hoc detur remedium. Idem est, etiamsi judicialitèr processisset, vitium tamen substantiale in sententia commiserit. *C.* 1. *de Sent. & re judic.* secus est, si vitium tantum sit accidentale. Sed in dubio, dum contrarium non probetur pro judice praesumitur.

102 Non tamen competit hoc interdictum liberis contra parentes, libertis contra patronos; quia atrocitatem facino-

ris

ris in se habet. *L.* 1. §. 43. *ff. de Vi*, *&* *vi armat.* sed ejus loco datur actio infactum, quia nullam inducit infamiam, sicut inducit interdictum: nec Vassallo contra Dominum directum: potest tamen adversus eum agere, ut ipsi possessionem restituat: Nec competit hoc interdictum, contra Dominum, cujus familia, & servi aliquem spoliarunt: nisi scivisset, illum servum, v. g. officio præpositum, esse malum, aut suspectum: Tunc enim Dominus ex quasi delicto tenetur, quia aliquomodo reus est culpæ, malorum hominum opera utendo. §. *fin. Inst. de Obligat. quæ ex quasi delict.* nec datur contra hæredes spoliatoris, quia actio pœnalis, ut est interdictum unde vi non transit in hæredes. §. 1. *Inst. de Perpet. & tempor. action.* si aliquid autem ad hæredem pervenit, datur actio in factum contra ipsum. *L.* 26. *ff. de Dol. mal.* & contra hæredem hæredis. *L.* 17. *ff. Quod metus caus.* Nec competit contra successorem particularem spoliatoris, v. g. contra donatarium, vel emptorem rei spoliatæ: nam hoc interdictum est personale. *L.* 7. *ff. de Vi*, *& vi armat.* nisi spoliator non sit solvendo. *Glos. in d. l.* 7. V. *Non possum.* Sed Jure Canonico corrigitur Jus Civile in hac parte; quippè est in electione spoliati spoliatorem pro interesse convenire, vel possessorem scientèr rem ablatam detinentem, ut ipsam restituat, quia spoliatori in vitium succedere censetur. *C.* 18. *h. t. Solorz. de Jur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 97. ubi addit; hodie hanc decisionem in utroque foro esse servandam, sive hoc remedium vocetur interdictum unde vi, sive vocetur condictio ex C. 18. *h. t.* Contra tertium possessorem bonæ fidei competit remedium ex *C. Redintegranda* 3. 3. *q.* 1. ibi: *Redintegranda sunt omnia spoliatis, vel ejectis Episcopis præsentialitèr ordinatione Pontificum, & in eo loco unde abscesserant funditus revocanda, quacumque conditione temporis, aut captivitate, aut dolo, aut violentia majorum, aut per quascumque injustas causas, res Ecclesiæ, vel proprias, aut substantias suas perdidisse noscuntur ante accussationem, aut regularem ad Synodum vocationem eorum.* Et ita tenent *Glos. in C.* 18. *h. t.* V. *Non subvenitur*, *& alij*; alijs similitèr negantibus. In Nostra Hispania plenior facultas spoliato conceditur in *L.* 30. *tit.* 2. *p.* 3. Nam potest intentare actionem contra possessorem, vel contra spoliantem, aut mandantem, vel recipientem scientèr ab spoliante; imò potest spoliatus agere contra alienantem in potentiorem, vel in hominem alterius fori, ne ab eo peteretur, ad æstimationem rei: quod si nolit agere contra rei detentorem potest petere interesse ab eo, qui rem alienavit. Hoc interdictum solum potest intentari intra annum, non quidem continuum, sed utilem, non computato tempore, in quo spoliatus non potuit agere. *L.* 1. *ff. de Vi*, *& vi armat.* Si spoliatio opponatur per modum exceptionis, perpetuo durat hoc interdictum: siquidem quæ sunt temporalia ad agendum, ad excipiendum sunt perpetua. *L.* 5. §. *fin. ff. de Dol. excep.* Etiam durat ultra annum hoc interdictum ad recuperandum id, quod ad spoliatorem pervenit. *L.* 1. *ff. de Vi*, *& vi armat.*

103 Spoliatus, sive actor sit, sive reus, si probet, se possedisse immobilia, vel quasi possedisse incorporalia, ut jura: & se à possessione, vel quasi possessione talium rerum dejectum esse, ante omnia est restituendus. *C.* 1. 3. *q.* 1. *c.* 5. *c.* 6. *c.* 15. *h. t.* quin spoliator audiatur, antequam restituat: etiamsi velit incontinenti dominium probare. *C.* 5. *h. t. L.* 5. *tit.* 10. *p.* 3. ibi: *Debe ser ante entregado de todo quanto le despojaren, ò le forzaren, è despues responder à la demanda.* *L. fin. tit.* 10. *p.* 7. *l.* 5. *l.* 6. *tit.* 13. *lib.* 4. *R. C.* Ubi statuitur quod talis spoliatio sit casus Curiæ, ac proinde pertinet in prima instantia ad Regias Cancellarias. Et quidem hoc ita decernitur, ut spoliator in se patiatur Legem, quam ipse in spoliatum tulit, cum spoliando quin ipsum audiret. *L.* 1. *ff. Quod quisq. jur.* Hæc igitur restitutio non impeditur reconventione super proprietate rei. *C. fin. de Ordine cognit.* neque exceptione compensationis. *L. fin.* §. *fin. C. de Compensat.* neque appellatione, attento Jure Civili. *L. un. C. Si de moment. posses.* De Jure tamen Canonico appellatio admittitur. *C.* 10. *h. t.* ibi: *Mandamus, quatenùs si ita est, mulieri virum restitui faciatis, quæ post appellationem ipsius acta sunt in irritum revocantes, postmodum super matrimonio causam audiatis.* Idem est de jure Hispano ex *L.* 9. *tit.* 7. *lib.* 5. *R. C. Gonz. in C.* 1. *de Caus. posses. n.* 7. *Gom. in L.* 45. *Taur. n. fin.* Nec itidem impeditur restitutio criminis oppositione: nam si agenti interdicto unde vi opponatur crimen, prius de spolio, quam de crimine cognoscitur. *C.* 6. *h. t.* nisi illud arguat spoliatum possessionis incapacem: v. g. si agenti pro recuperanda possessione beneficij opponatur, quod non sit Clericus: Tunc enim prius de Clericatu, quam de

resti-

restitutione cognoscendum est, vel etiamsi objiciatur crimen habens annexam excommunicationem, quæ actorem redderet inhabilem ad agendum: Nam tunc prius est absolvendus. Vel denique, si objiciatur crimen actorem privans ipso facto proprietate, & titulo: ut si opponatur ingressus simoniacus in beneficium: quippè tunc non posset spoliatus restitui, cum ei obstaret defectus proprietatis notorius. Aliquando tamen auditur spolians circa dominium, vel proprietatem rei, antequam fiat restitutio. Scilicèt. 1. Si dominij exceptione opposita ante restitutionem spoliatus expressè, vel tacitè consentiat, non repellendo spoliatorem: nam cum in favorem spoliati sit hoc beneficium concessum, potest utique illi renuntiare. *C. 1. h. t.* 2. Quando ex restitutione sequeretur animæ periculum: ut si objiciatur impedimentum dirimens marito repetenti uxorem, quam ab eo ex se propria authoritate separavit, & matrimonij possessione spoliavit: Nam tunc prius est cognoscendum de impedimento, quam restituatur, ob peccati periculum, quod posset sequi, si ipsi uxor non sua traderetur. *C. 13. h. t.* 3. Si ex actis judicij, vel confessione spoliati nullum jus competat spoliato, & spoliatori competat. 4. Quando damnum irreparabile ex restitutione timetur: v. g. Si uxor restituatur viro sævienti, vel tyranno possessio ablata, vel reus, qui ad Sacrum Asylum à carcere, vel è manibus Ministrorum fugerat, carceri, vel Ministris Sæcularibus restitueretur cum mortis periculo. 5. Si spoliator, concludit, spoliantem non posse possidere: v.g. Si jus decimandi à Laico illius incapace sit ab Ecclesiastico ablatum. *Arg. C. 7. de Præscript.* 6. Si quis cum copia judicis careat, rem notoriè suam propria authoritate occupavit; vel si Dominus spoliatus in continenti expellat spoliatorem, iterumque rem suam sibi accipiat; in quo non debet excedere modum justæ defensionis. 7. Si pro spoliatore stet juris præsumptio contra spoliatum: v.g. Si quis petat, sibi restitui decimas alienæ Parochiæ. *Arg. C. 31. de Decim. C. 18. de Præscript.* Nam tunc non aliter restituitur, quam si probet evidentèr, se justè, & legitimè illas possidere: Siquidem contra ipsum est præsumptio. *C. fin. b. t. in 6.* Quando Jus Commune resistit spoliato, vel est magna præsumptio contra eum, & spoliatori jus assistit, non est restituendus spoliatus, nisi prius titulum ostendat, vel saltem præsumptionem tituli habeat in longa, & pacifica possessione fundatam. *C. fin. b. t. in 6.* Hinc si Parochus spolietur decimandi jure in sua Parochia, ante omnia est restituendus, quia habet in jure intentionem fundatam: imò si spolietur jure decimandi in aliena Parochia, quod jus longo tempore possedit, etiam restituendus est. *Arg. C. 3. de Caus. possess. & propriet.* nec restituitur spoliatus, si ipsi opponatur notorius defectus proprietatis: v.g. Si spoliato beneficio opponatur, quod illud obtinuerit à non habente potestatem instituendi; vel quod sit Laicus, & incapax beneficij, vel quod sit hæreticus, ac proindè beneficio privatus: Nam tunc restitutio induceret vitiosum ingressum in beneficium, scilicèt sine collatione, vel Canonica Institutione contra Text. *in C. 1. de Reg. jur. in 6.* vel etiam si beneficio renuntiavit ante spoliationem. *C. 2. h. t.* Si tamen post spoliationem renuntiavit, etiam juramento adhibito, & etiam in favorem alterius, debet regularitèr spoliatus restitui: nam renuntiatio, & juramentum non præsumuntur sponte facta. Quod si renuntiatio sponte facta probaretur non debet spoliatus restitui. *C. 2. h. t. juncto Rubro.* Quod si adversus Clericum spoliatum beneficio non sit præsumptio vitiosi ingressus, est utique restituendus, etsi non justificet titulum suæ institutionis. *C. 5. h. t.* quia etiam sine Canonica Institutione per triennium præscribitur ejus proprietas. 8. Si litè spolij pendente, alius tertius petat rem tanquam suam, est audiendus ante restitutionem, cum respectu illius cesset spoliationis odium, eum ipse non spoliasset. *C. 17. de Sentent. & re judicat. L. 63. ff. de Re judicat.* 9. Si cadaver sit ablatum, & sepultum, ne illius sequatur vexatio, si exhumetur, & postea iterum sepeliatur, & postea iterum fortè exhumari contingat: ante restitutionem exceptiones admittuntur. *C. 6. de Sepultur.* Nam posset accidere, quod exhumaretur spoliato tradendum. Et si hic in petitorio succumberet, iterum esset exhumandum ut victori traderetur.

104 Spoliator, & etiam tertius, qui mala fide rem detinet, à momento, quo scit, rem alienam esse: vel etiamsi bona fide incepisset possidere rem, si postea incidat in malam fidem per litis contestationem plenè restituere debent non solum rem ipsam, sed etiam fructus naturales, tàm pendentes, quàm perceptos, imò, & consumptos, & eos qui percipi potuissent ab ipso spoliato. C. 5. 34. q. 2. c. 11. b. t. L. 1. §. 31. & 33. ff. de Vi, & vi armat. L. 23.

L. 23. §. 1. *ff. de Adquir. rer. dom. L. 22. C. de Rei vindic. L. 40. tit. 28. p. 3.* ibi: *Tenudo es de tornar la heredad con todos los frutos, que ende llevò, è aun con los que ende pudiera llevar el señor de la heredad. Molin. de Just. & jure. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 23. ex n.148. & com.DD.* ex quorum Textuum generalitate deducitur, quod spoliator debet restituere fructus, quos spoliatus propria industria percipere potuisset, non solum quando ejus industria modo communi, sed etiamsi modo singulari consideretur: imò, & quos ipse spoliator percipere potuisset: sed tantum industria communi. *L. 5. C. de Rei vindicat.* nam & hos spoliatus percipere potuisset: secus vero eos, quos industria singulari percipere potuit spoliator: nam quoad hos fructus Textus non respiciunt potentiam spoliatoris, sed spoliati. Sic octo sententijs relatis concludit *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 23. n. 114.* Et quidem in foro interno tantum tenetur spoliator restituere fructus, quos spoliatus verisimilitèr esset percepturus: Nam hoc modo satisfacit justitiæ commutativæ: siquidem spoliatus habet idem, ac si sua re non esset spoliatus: in foro tamen externo tenetur spoliator restituere fructus, quos spoliatus potuisset percipere, licet non esset percepturus: ad hoc namque obligat justitia legalis hanc pœnam in odium spolij imponens. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 23. n. 118.* Præterea, spoliator tenetur resarcire omnia damna inde spoliato orta, v. g. si aliquid de re, vel fructibus perijt, etiam sine spoliatoris culpa. *C. 11. h. t. L. 1. §. 34. ff. de Vi, & vi armat.* Etiam tenetur malæ fidei possessor restituere fructus perceptos inhoneste: v. g. ex locatione domus facta lenonibus, vel meretricibus. *L. 27. §. 1. ff. de Petit. hæred.* secus percipiendos. *L. 33. ff. de Rei vindic.* ibi: *Fructus non modo percepti, sed & qui percipi honestè potuerunt æstimandi sunt.* Item restituere debet expensas, non solum quas Dominus in re sua recuperanda facere debuit, sed etiam & voluptarias: v. g. picturas, quas spoliator fecit in re erepta. Nam sibi debet imputare, quod tales sumptus in re aliena fecerit: sed potest subtrahere expensas necessarias, quas Dominus facturus esset, ne alios Dominus locupletetur cum jactura alterius: potest itidem expensas utiles deducere, etiam pro foro externo, si separari à re possunt, non vero si nequeant separari: nam tales expensæ, meliorationes, & redditus, & fructus earum spoliato adquiruntur. *L. 39. ff. de Petition. hæred. L. 5. C. de Rei vindicat.* ibi: *Nullam habeant repetitionem, nisi necessarios sumptus fecerint, sin autem utiles, licentia eis permittitur sine læsione prioris status rei eos auferre.* Quod si primo mala fide possedisset, & postea bona fides superveniat, tenetur sic possidens restituere fructus correspondentes tempori malæ fidei, & percipiet eos, qui tempori bonæ fidei correspondeant: nam ut ait *J.C. in L. 76. ff. de Rei vindic. Quæ de tota re vindicanda dicta sunt, eadem & de parte intelligenda sunt. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 23. n. 156.* Non tamen tenetur spoliator restituere fructus merè industriales, nec civiles, quales sunt usuræ ex pecunia provenientes, nisi spoliatus probasset, se potuisse percipere tales fructus industriales, vel civiles ex negotiatione, censu, vel usura provenientes. Possessor tamen bonæ fidei non tenetur restituere fructus merè industriales, etiam detecto possessionis vitio, nec consumptos, etiamsi naturales, vel mixti sint. *L. 22. C. de Rei vindicat.* ibi: *Certum est, malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare; bonæ fidei verò extantes: post autem litis contestationem universos. L. 40. ff. de Adquirend. rer. domin.* etiamsi factus sit ditior ob generalitatem Textuum dicentium, bonæ fidei possessorem adquirere fructus consumptos, & solum teneri restituere extantes: quod etiam praxis Tribunalium confirmat: & meritò, ut sic lites minuantur, & conscientiæ anxietates vitentur. Et hanc sententiam tenent *Garc. de Expens. cap. 23. n. 40. Bald. & alij* contra *Bartol. & plures cum Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 23. n. 77.* tenetur tamen bonæ fide possessor restituere cum re fructus naturales, & mixtos pendentes; siquidem pars fundi videntur *L. 44. ff. de Rei vindicat.* & perceptos adhuc extantes. *L. 22. C. de Rei vindicat.* Bonæ fidei possessor potest deducere, non solum impensas necessarias in re factas, sed etiam utiles, & voluptarias, quæ sine detrimento rei possint separari, quando scilicèt, Dominus eas approbavit, vel illas facturus esset, vel si propter eas plus pretij consecutus est, vel si Dominus sit dives, & absque suæ rei alienatione facile refundere valeat. *L. 38. ff. de Rei vindication.*

105 In causis matrimonialibus potest fieri spolium, non solum ab alio tertio, qui alienam uxorem rapit, sed etiam ab ipsis conjugibus, quando scilicèt unus ab alio recedit propria authoritate: vel etiam si postquam recessit, pœniteat, & nolit à conjuge recipi, vel si expulsa sit mulier,

lier à marito, & posteà revocata ad ipsum non vult redire. Cum enim in his casibus conjux conjugem privet jure ipsi ex matrimonio competente; *arg. L. 6. §. 1. ff. de Adquir. poss.* nil mirum, quod restitutio locum habeat. Quod si tantum sponsalia præcesserunt, non datur restitutio adversus sponsam propria authoritate recedentem: quia non dabatur possessio, etiamsi mulier esset in domum viri traducta. C. 14. *b. t.* si matrimonium ratum præcesit, & mulier recedat propria authoritate, si opponat impedimentum dirimens notorium, imò & occultum, si tamen certum sit, & in continenti offerat probationes, audienda est, & si probat impedimentum; absolvitur à matrimonij vinculo: si vero impedimentum allegatum sit dubium, imo & si certum sit, recedens tamen non habeat paratas probationes in continenti, restitui debet spoliatus, quoad cohabitationem, & alia obsequia conjugalia, in quorum quasi possessione erat; *arg. C. 13. b. t.* non verò restituetur quoad torum. *C. 8. c. 10. c. 13. b. t. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 112. n. 8.* quod si præcesit plena possessio per matrimonium consumatum, mulier recedens à viro etiam per censuras est cogenda à Judice Ecclesiastico, ut ad suum virum redeat, etiam quoad torum, nisi justam causam alleget: v. g. sævitiam viri: quia tunc non tenetur ad ipsum redire, nec restituitur, nisi vir ipse sufficientem cautionem præstiterit: vel si magna sit viri sævitia in loco tuto collocatur mulier, donec causa discutiatur. *C. 8. b. t.* Si mulier alleget adulterium à viro commissum, & hoc sit notorium, non restituitur viro, nisi etiam ipsa adulterium commisisset. *C. 4. de Divort. C. 6. de Adulter.* Nam adulterium adulterio compensatur. Si tamen adulterium non sit notorium, etiamsi uxor offerat probationes in continenti; non auditur, donec plene, etiam quoad torum restituatur, cum in hoc casu cesset periculum accedendi ad alienam, ob quod restitutio quoad torum, & copulam denegatur in *C. 13. b. t. Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 12. n. 22.* Si mulier alleget votum perpetuæ continentiæ mutuo consensu editum, & multo magis, si maritus fuit Religionem professus, vel in Sacris constitutus, & petat restitutionem, solum quoad cohabitationem, & alia obsequia conjugalia restituetur: quia per votum non se privarunt hoc jure: non tamen restituetur quoad torum, seu copulam ob peccatum, quod posset timeri. *C. 13. b. t. Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 12. n. 22.* si alleget periculum corporis, vel animæ; quia illam inducit ad hæresim; vel prostitutionem, non restituitur, donec periculum cesset; *arg. C. 8. b. t.* Si alleget impedimentum dirimens notorium, non restituitur: quia tunc matrimonium, quantumvis consummatum, dissolvitur quoad vinculum, vel potius nullum esse declaratur: si vero impedimentum est occultum, & uxor habeat probationes in continenti paratas, restituetur quoad cohabitationem, & alia obsequia, non verò quoad torum, sed prius probationes recipiuntur ad vitandum peccati periculum. *C. 13. b. t.* si non habeat probationes paratas, cum præsumptio stet pro matrimonio, etiam quoad torum restituetur spoliatus. Quod si mulier certa sit de impedimento, debet potius excommunicationis sententiam humilitèr sustinere, quam per carnale commercium peccatum committere mortale. *C. 13. b. t. c. 44. de Sentent. excommunic.* si ex levibus conjecturis dubitet, illis depositis ex consilio Ordinarij, vel Confessarij, reddet, & petet debitum, si ex gravibus fundamentis dubitet, reddet, sed non petet debitum. *C. 44. de Sentent. excommun.* quod si post factam sufficientem diligentiam adhuc dubium perseveret, & impedimentum sit juris humani, tunc probabiliter, non solum reddere, sed & petere potest. *Soto de Just. & jur. lib. 4. q. 5. art. ult. in fin.*

106 Quando reus convenitur, potest exceptionem spolij opponere: quod si civilitèr conventus opponat exceptionem spoliationis ab actore factæ, restituendus utique est. Si ab alio tertio spoliatio facta sit, Judex non restituet reum, sed in causa principali procedet, etiamsi res ablata per spolium apud actorem sit. *C. 1. b. t. in 6.* quod si reus sit criminalitèr conventus, & crimen non sit notorium, potest spoliationem opponere à quocumque illa facta sit, si omnibus bonis, vel majori illorum parte spoliatus sit, & illi conceduntur 15. dies ad probandam spoliationem, & si eam probat, restituitur. *C. 1. b. t. in 6.* Si verò crimen sit notorium, cum in eo nulla detur defensio, nequit reus tali crimine accusatus spoliationis exceptionem opponere. *C. 1. b. t. in 6.* Spoliatio rerum privatarum agenti super rebus Ecclesiasticis, vel è converso, non obstat. *C. 1. §. fin. b. t. in 6.* Si verò Ecclesia approbando spolium, res nomine suo ereptas possideat, tenetur interdicto unde vi. *Gonz. in C. 1. b. t. n. 2.*

T I T. XIV.

De Dolo, & contumacia.

107 NON loquimur in præsenti de dolo bono, qui est *quædam laudabilis solertia, qua quis utitur ad fraudes, vel injurias repellendas, vel contra latrones publicos, vel etiam contra hostes. L. 1. §. 2. ff. de Dolo mal. l. 2. tit. 16. p. 7.* & cuilibet talis dolus ad jus suum tuendum permittitur. *L. 19. §. 3. ff. de Negot. gestis*: præcipuè in bello justo, & dicitur *Hispanè*: *Ardid, ò estratagema.* De hoc dolo, & solertia debet intelligi, quod communitèr dicitur, scilicèt, quod in contractibus licet contrahentibus se mutuo decipere. *L. 16. §. 4. ff. de Minor.* Agimus ergo in præsenti de dolo malo, *qui est calliditas, fallacia, vel machinatio ad circumveniendum, fallendum, vel decipiendum alterum adhibita, cum aliud simulatur, aliudque agitur. L. 1. §. 1. ff. de Dol. mal.* & ut explicat *Glos. ibid.* calliditas committitur tacendo, vel dissimulando, fallacia mentiendo: machinatio fit artè verborum. *L. 1. tit. 16. p. 7.* Et licet in præsenti Rubrica agatur de dolo, ut conjunctò cum contumacia: quia variæ quæstiones in jure agitantur circa dolum, de eo in latiori significatione aliquantulum dicemus. Dolus ergo provenit ex alterius malitia: in quo differt ab *errore*, & *ignorantia*, quæ quidem naturalitèr contingunt: item dolus committitur ex intentione decipiendi, in quo à *culpa* differt, quæ apertè, & sine tali animo committitur. Dolus dividitur in *verum*, & *præsumptum*. *Verus* dicitur, quando hanc fallaciam scientèr adhibitam esse constat ex propria confessione, vel ex alijs indubitatis indicijs. *L. 6. C. de Dol. mal. Præsumptus* dicitur, quando hujus fallaciæ urgentia indicia, sed non manifesta apparent: ab hoc excusat justa causa, secus à dolo vero. *L. 2. C. Si minor se major*: adversus illum restituitur minor, non autem adversus dolum verum. *L. 9. §. 2. ff. de Minor.* iste potest in futurum remitti: secus dolus verus. *L. 27. §. 3. ff. de Pactis.* Verus sufficit ad condemnandum reum: secus præsumptus, prout regularitèr contingit. *Menoch. de Præsumpt. lib. 5. præs. 30.*

108 Dolus item alius est *antecedens*, alius *incidens*, seu *comitans*. *Antecedens* est ille, qui dat causam contractui, itaque ad contrahendum movet, ut illo deficiente, non fieret contractus. *Incidens*, *seu comitans* est qui in contractum incidit, ita ut dolum passus adhuc illo deficiente esset contracturus. Dolus ergo antecedens, seu dans causam contractui, sive bonæ fidei, sive stricti juris, si versetur circa substantiam rei, v. g. si quis hoc dolo inductus emat vitrum pro gemma, vel aurichalcum pro auro, vel quid simile, reddit contractum nullum, quia talis dolus inducit errorem tollentem consensum, qui est de essentia contractus. *L. 15. ff. de Jurisd. L. 9. C. de Juris, & fact. ignor.* Et tunc nullum aliud remedium est necessarium, quam quod declaretur nullitas talis contractus, qui dolo fuit inductus: aliud est si dolus versetur circa qualitatem, vel circunstantiam accidentalem contractus, quia cum non tollat consensum circa contractus substantiam, valet utique contractus Jure Naturali, imò, & mero jure positivo; vel ut solet dici; valet summo jure, saltem quando contractus est stricti juris. *§. 1. Inst. de Exception. L. 5. C. de Inutilib. stipulat. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 18. n. 18.* similitèr valet contractus bonæ fidei, quando dolus commissus est ab alio, quam à contrahente: v. g. à proxeneta. *L. 2. C. de Proxenet. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 352. n. 7.* quia adest consensus substantialis, & contrahens nullam injuriam fecit decepto: Iste tamen habet actionem de dolo adversus tertium deceptorem, non tamen ad rescindendum contractum: Si verò à contrahente sit commissus dolus causam dans bonæ fidei contractui, etiamsi non versetur circa contractus substantiam, irritum esse contractum tenent *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 259. n. 6. & D. 352. Pichardo in §. 28. Inst. de Action. q. 9. & alij.* Sed cum talis contractus Jure Naturali valeat, & debeamus concordare jus positivum cum naturali, quando clarè de discordia non constat. *Text. in C. 29. de Elect. in 6.* ibi: *Cum expediat concordare jura juribus*: Indè dicendum est, quod talis contractus, etiam valet jure positivo, quamvis rescindibilis sit. Et probatur *ex L. 5. C. de Rescind. vendit.* ubi venditio, quæ est bonæ fidei contractus, si dolo sit facta, jubetur rescindi: Unde clarè infertur, validam esse, cum nequeat rescindi venditio, quæ invalida est. Et quamvis in *L. 7. ff. de Dolo. L. 1. C. de Rescind. vendit. L. 3. §. 3. ff. Pro Socio*, hujusmodi contractus irriti dicantur, non debet intelligi de omnimoda nullitate, sed tantum de irritatione quoad effectum. Ita tenent *Lugo de Just. &*

& jure, *D*. 22. *n*. 70. *Lacr. lib*. 3. *p*. 2. *n*. 624. *& alij*. Et quidem tales contractus sive stricti juris, sive bonæ fidei sint, quamvis summo jure valeant, attamen claudicant ex parte decepti: quippè in hujus electione est, vel stare contractui si vult, & tunc decipiens necessario stabit contractui, quin possit ab eo resilire: sicut in sponsalibus, si sponsa fornicari contingat, non potest ipsa à sponsalibus resilire, licet possit sponsus. Quod si deceptus nolit stare contractui potest contra illum agere, vel opponendo exceptionem doli mali, si contractus non sit perfectus per traditionem, & ipse conveniatur a decipiente; vel etiam intentando actionem doli, si jam contractus per traditionem sit perfectus, ut talis contractus rescindatur.

109 Dolus comitans, vel incidens in contractum, quando scilicèt deceptus, adhuc sepolito dolo, esset contracturus, ut si in majori pretio fuit deceptus, non reddit contractum nullum nec Jure Naturali, nec etiam positivo; nec illum rescindibilem facit, sive contractus stricti juris, sive bonæ fidei sit: habet tamen deceptus actionem de dolo, ut ipsi solvatur, quantum illius interest, dolum non esse adhibitum: etiamsi deceptio non sit ultra dimidium justi pretij, imò in conscientia, etiam ante sententiam debet decipiens pretium, in quo contrahens fuit deceptus ipsi restituere. *L*. 13. §. 1. *& 4. ff. de Action. empt. & vendit. Molin. de Just. & jur. tr*. 2. *D*. 352. *n*. 10. *&* 11.

110 Actio Prætoria de dolo, quæ datur ad rescindendum contractum, cui dolus causam dedit cum sit famosa, & condemnatum ex dolo infamem reddat, est tantum in subsidium, solumque decepto competit ex causa cognita. *L*. 1. §. 1. *ff. de Dol. mal*. & quando non datur alia actio, qua deceptus consequatur rem, vel interesse: ac proindè quando deceptus alia actione consequi potest rem, vel interesse, non conceditur actio de dolo. *L*. 1. §. 4. *ff. de Dol. malo*, *l*. 3. *tit*. 16. *p*. 7. Et quidem hæc actio utili tantum anno dabatur, sed hodie per biennium continuum contra dolosum competit: quod biennium numeratur à die commissi doli: post biennium tamen extinguitur, etiam intra biennium cœpta: nec datur, quando summa est modica, v. g. duorum maraperinorum auri, sed tunc datur actio infactum, vel alia *L*. 9. §. *fin. ff. de Dol. mal. l*. 4. *tit*. 16. *p*. 7. nec datur liberis adversus parentes, nec libertis adversus patronos, nec plebejo contra constitutum in dignitate, quia est famosa, sed ejus loco instituitur actio infactum, omissa doli mentione. *L*. 11. *ff. de Dol. mal. l*. 4. *tit*. 16. *p*. 7. Nec contra prædictos potest opponi doli exceptio ob eandem rationem: nec item datur contra eum, qui per meram dissimulationem sine alio facto induxit aliquem ad contrahendum. *L*. 1. §. 1. *ff. de Dol. mal. Et ibid. Glos*. V. *Deservitans*: nisi ex justitia teneatur monere: Tunc quippè ex tali dissimulatione, utpotè dolosa tenetur. Hæc actio est personalis, quia ex delicto, scilicèt ex dolo nascitur, solumque contra decipientem competit, non verò contra ejus hæredes. *Arg. L*. 1. *ff. de Privat. delict*. nisi in quantum ad eos pervenit ratione doli, vel quo minus perveniret dolo factum est. *L*. 17. *l*. 26. *l*. 28. *ff. de Dol. mal. l*. 3. *tit*. 16. *p*. 7. & tunc est perpetua, id est, solum 30. annis finitur, ut notat *Glos. in L*. 28. *ff. de Dol. mal*. V. *Perpetuo*. Est etiam merè rei persecutoria ex parte actoris, quia solum datur, ut restituatur res dolo obtenta, vel si non possit, ejus æstimatio, & interesse, & damnum, ac proindè hæredibus decepti competit. Est item arbitraria, quia restitutio fit judicis arbitrio, & absolvitur reus si restituat, sin minus condemnatur in id, quod actor sua interesse in litem juraverit. *L*. 6. *tit*. 16. *p*. 7. Et quia in hac Lege satis dilucide natura hujus actionis explicatur, illam referam ad litteram. *Fasta dos años, desde el dia, que alguno oviesse recebido engaño, puede demandar enmienda del en juicio. E si en este tiempo non lo demandasse, dende en adelante non lo puede facer en manera de engaño, como quier que, fasta treinta años, él, ò sus herederos pueden demandar à los engañadores, que le pechen, ò que le enderezen la perdida, ò el menoscabo, que probare, que recibio por tal razon, como esta, è el judgador debe mandar facer la enmienda del engaño despues que fuera averiguado en esta manera, faciendo el apreciamiento aquel que lo recibiò, è tassandolo èl segun su alvedrio: è debel facer despues jurar, que tanto menoscabo perdiò por razon de aquel engaño: è despues que assi fuere fecho, debele facer enmienda sin alongamiento ninguno, segun la quantia que assi jurare, faciendole demàs pechar las costas, è las missiones que fizo en siguiendo el pleyto.*

111 Licet per dolum deceptus de rigore juris esset obligatus ad solvendum, quia tamen æquitas naturalis non patitur, quod fraus, & dolus decipientibus prosint, cum

tum juta deceptis; non decipientibus subveniant, potest deceptus se defendere doli exceptione, quæ quidem perpetua est. §. 9. *Inst. de Exception. L.* 5. §. *fin. ff. de Doli exception.* ubi rationem assignat. ibi: *Cum actor quidem in sua potestate habeat, quando utatur suo jure, is autem, cum quo agitur non habeat in potestate, quando conveniatur.* Competitque hæredibus, imo, & fidejussoribus decepti: quia censetur talis exceptio rei cohærens. *L.* 7. §. 1. *ff. de Except. præscript. & præjud.* Et datur semper, ac æquitate defensionis actio potest infringi. *L.* 12. *ff. de Dol. mal. except.* sive dolus committatur in contractious, vel testamentis, vel Legibus. *L.* 29. *l.* 30. *ff. de Legib.* sive dolus in initio inveniatur, sive postea superveniat. Competitque contra omnes, qui aliquid exigunt contra naturalem æquitatem; & non solum contra hæredes decipientis, sed etiam contra particulares successores illius: Siquidem ex causa lucrativa, v. g. donationis ad ipsos aliquid pervenit: Nam cum ipsi pretium pro re non dedissent, rectè opponitur exceptio: secus est de successore ex causa onerosa, v. g. ex emptione. *L.* 4. §. 27. & 31. *ff. de Dol. mal. except.* Nam cum emptor pretium pro re dedisset, sine culpa puniretur si ob venditoris dolum pretium datum amitteret, cum cetrum sit, quod pœna suos debeat renete Authores. *L.* 22. *C. de Pœnis.* Etiam competit hæc exceptio contra pupillum, Minorem, vel prodigum, qui iteratò exigunt pecuniam mutuo acceptam sine Tutoris, vel Curatoris authoritate ex qua facti sunt locupletiores. *L.* 4. §. 4. *l.* 16. *ff. de Dol mal. except.* similiter datur contra patrem, & Dominum, si filius, vel servus, dolum committunt in peculio ipsis commisso, non verò competit ex dolo ab ipsis in re non peculiati commisso. *L.* 4. §. 17. *ff. de Dol. mal. except.* potest hæc exceptio etiam opponi contra procuratorem in rem suam datum, si ex dolo aliquid fecit: si verò sit procurator rei alienæ, & dolum in ipso negorio commisit, vel habet administrationem omnium bonorum, hæc exceptio contra ejus Dominum opponitur: alitèr Domino non nocebit dolus procuratoris. *L.* 4. §. 17. *ff. de Doli mal. except.*

112 Cum quilibet sua natura bonus præsumatur, & delicta non præsumantur, nisi probentur. *L.* 51. *ff. Pro socio* hinc est, quod dolus non præsumitur, nisi probetur: Sed cum in animo lateat, & clarè probati nequeat, ex indicijs, & conjecturis probati oportet. *C. fin. de Renuntiat. in* 6. quæ quidem conjecturæ graves debent esse, ut concludenter probent dolum, & ipsæ debent plenè probari. Hujusmodi conjecturæ, & indicia ex varijs capitibus, & circunstantijs sumuntur, scilicèt ex qualitate contrahentium, si sint suspecti, vel prohibiti contrahere. *L.* 10. §. 3. *ff. Quæ in fraud.* ex qualitate actus, ut si quis sine debitis solemnitatibus, vel contra statutum contrahat, vel cum Minore, sine Curatore, vel si rem alienam in propriam utilitatem vertat. *L.* 17. §. 4. *ff. de Instit. act. L.* 44. *ff. Mandat.* ex modo, & circunstantijs, quibus fit actus; ut si quis clam faciat, vel noctè, quod palam, & interdiu fieri solet. *Arg. C.* 3. *de Clandest. desponsat.* vel si declinat viam consuetam, vel per anfractus accedit ad negotium. *L.* 7. *C. de Navicular. lib.* 11. nisi ex rationabili causa hoc fiat. *Arg. L.* 77. §. 31. *ff. de Legat.* 2. si non edit totum instrumentum, si loquitur obscure, vel adjungit mendacium. *L.* 8. *l.* 9. *ff. de Dolo malò.* Etiam sumitur conjectura ad dolum ex nimia, & insolita agentis cautela. *L.* 7. *ff. de Condit. Instit.* ex læsione enormi ultra dimidium justæ æstimationis. *L.* 5. *C. de Dolo*, vel ex verisimili præsumptione, ut si quis mutuet ei, qui malè pecuniam consumpturus est. *L.* 12. §. 11. *ff. Mandat.* vel si fiat contra personam odiosam agenti, vel aliquid fiat contempta protestatione agenti facta, ne illud faceret. *L.* 10. §. 3. *ff. Quæ in fraudem. L.* 17. *C. de Rei vindicat.* Ex his, & similibus conjecturis dolus præsumitur; & probatur. Et per consequentes contraria indicia, & conjecturæ dolum excludunt: v. g. si agens sit vir bonæ famæ, si nullum commodum ex tali actione speret, si ex obediquria superioris, vel ex officio operetur, si actus sit à jure permissus, si palàm fiat, si agens laboret ignorantia, si actus fiat contra personam sanguine conjunctam, vel amicam agentis: imò quæcumque causa, etiam injusta, & turpis à dolo excusat, si eam allegans probet, se ea motum esse, credendo non delinquere. *Menoch. de Præsumpt. lib.* 5. *præs.* 3. *Mascard. de Probation. concl.* 532. *& alij.* His quidem intellectis, ad ritulum accedendo, de contumacia dolosa disseramus.

113 *Contumacia* igitur, quæ sic *à tumore*, id est *Superbia, vel contemnendo,* dicitur, in præsenti est inobedientia à legitimè vocato ad judicium commissa erga judicem in his, quæ ad judicem pertinent. *C.* 3. *e.* 6. *h. t. L.* 53. *ff. de Re judicat. L.* 8. *tit.* 16. *p.* 7. Contumacia regula-

gulatitèr committitur illis modis, quos exprimit. *Glos. in C. 2. h. t.* his Versibus.

Non veniens, non restituens, citiusque recedens,
Nil dicens, pignusque tenens, jurareque nolens,
Obscureque loquens: Isti sunt jure rebelles.

Committitur ergo, quando reus non comparet, quando facit, quod ad eum non perveniat citatio: quando comparuit, sed recedit infecto negotio: quando actor non edit actionem in judicio, vel ea edita, & lite contestata non prosequitur: quando reus non respondet libello, vel positionibus actoris, vel respondet obscurè: quando litigantes non parent judici præcipienti præstare juramentum calumniæ,& quando non obediunt executioni sententiæ. Quadruplex communitèr distinguitur contumacia. 1. Est *notoria*: quando scilicèr, quis in faciem citatus impudentèr respondet, se nolle comparere. 2. *Vera* quando quis legitimè citatus, & citationis gnarus dicit, se iturum, vel omninò tacet, sed neutro casu comparet. 3. *Præsumpta* quando citationem legitimè factam non constat innotuisse citato, sed præsumitur, donec probet contrarium. 4. *Ficta* quando quis dolosè facit, ne ipsi innotescat citatio: & tunc jus fingit, citatum esse, ipsique citationem innotuisse. *Arg. L. 157. §. 1. ff. de Regul. jur.* ibi: *Semper, qui dolo facit, quominus haberet, pro eo habendus est, ac si haberet.* Inter contumaciam veram, & fictam datur hæc notabilis differentia, quod contumax fictè, potest appellare, vel restitutionem in integrum petere. *C. 18. de Sentent. & re judic.* secus verè contumax. *L. 1. C. Quorum appellat. non recip.* sed de Stylo Rotæ etiam verè contumax ad appellationem admittitur. Ad procedendum contra contumacem debet præcedere petitio partis, nec Judex potest ex officio contra ipsum procedere. *L. 68. ff. de Judic.* quia Judex non impartitur suum officium in causis civilibus privatorum, nisi imploretur. *Arg. L. 4. §. 8. ff. de Damno infect.* ad constituendam contumaciam regularitèr requiritur trina citatio, formalitèr, vel æquivalentèr talis, seu una peremproria. *C. fin. §. In alijs. Ut lite non contest. L. 53. §. 1. ff. de Re judicat.* ibi: *Contumax est, qui tribus Edictis propositis, vel uno pro tribus, quod vulgò peremptorium appellatur, litteris evocatus præsentiam sui facere contemnit.* Quod habet locum, nisi justa causa à contumacia excuset; ut notoria Judicis incompetentia, tempus feriatum, locus non tutus, prohibitio proprij Magistratus, rusticitas, vel captivitas citati, ætas ipsius minor, Advocati carentia, citatio ad superius tribunal, vis fluminis, aut tempestas, bellum, occupatio causæ gravioris, absentia Reipublicæ causa, vel quid simile. *L. 53. l. 54. ff. de Re judicat. L. 2. ff. Si quis cautionib. in judic. L. 2. §. 1. ff. Si quis in jus vocat.*

114 Contumacia varijs medijs in jure coercetur: nam si actor absit contumacitèr post libellum oblatum: tunc jam potest reus ipsum cogere ad litem prosequendam. *C. 3. h. t.* quod si legitime citatus non compareat in termino citatorio (licet peremptorius non sit) ad litem contestandam, & prosequendam, quamvis de Jure Civili plures dilationes, & annus integer detur ad comparendum ante litem contestatam: de Jure tamen Canonico, Judex potest recipere testes rei *arg. C. 1. de Dilation.* & si rite ejus causa fuerit probata, ad sententiam definitivam procedet, vel si de causa non liquear, reum ab instancia absolvet. *C. 3. h. t.* Si tamen reus veniat ad terminum præfixum à Judice ad instantiam actoris, & ipse actor non compareat, condemnatur in expensas factas ob hanc causam à reo in litem & viaticum. *L. 79. ff. de Judic.* quod si iterum petat, reum citari, non àliter auditur, quam si prius caveat, quod comparebit in termino præfixo, quia cum semèl fuisset malus non comparendo, non creditur illi, sine cautione sufficienti, nec debet innocens ob ejus malitiam pati *C. 1. h. t. in 6.* nisi justum impedimentum probaverit, vel reus non veniat; nam tunc unius contumacia cum contumacia alterius compensatur. Si reus personalitèr citatus, vel per edictum ad valvas publicas, vel suam domum affixum non compareat in termino peremptorio, lite nondum contestata, mittitur actor, si hoc petat, in possessionem bonorum rei ex primo Decreto, hoc est, tantum custodiæ causa. Et si intra annum compareat recuperat possessionem, & refusis prius expensis factis ab actore, & data cautione pignoratitia, fidejussoria, vel saltem juratoria de *judicio sisti* admittitur ad defensionem: si vero in contumacia per annum perseverat, actor post lapsum unius anni, si actione reali egerat, verus possessor rei petitæ efficitur; si actione personali egerat, mittitur in possessionem veram, ex secundo Decreto, aliquorum bonorum, quæ ad debitum solvendum sufficiant, &

non

non auditur ampliùs super possessione, sed solùm super proprietate: ad sententiam tamen definitivam non proceditur. *C.* 5. §. *fin. Ut lite non contestat.* si reus post litem contestatam sit contumax: quia peremptoriè citatus non comparuit, si causa est ritè probata fertur sententia definitiva. Si de causa non liquet, mittitur actor in possessionem veram: & reo absenti quæstio super proprietate reservatur. *C.* 4. *h. t.* vel si vult actor, potest in causa principali procedere, & producere testes, instrumenta, & alias probationes, ut feratur sententia definitiva, juxta merita causæ. *C.* 4. *h. t. L.* 73. *ff. de Judic.* in nostra Hispania ex *L.* 2. *tit.* 11. *lib.* 4. *R.C.* est in electione actoris, vel prosequi causam, usque ad definitivam, etiamsi lis non sit contestata, vel petere missionem in possessionem rei: & si actor contra minorem agat, etiam electa via probationis, potest, ea omissa intentare missionem. *L. fin. tit.* 11. *lib.* 4. *R. C. Paz in Prax. tom.* 1. *p.* 2. *n.* 10. & 14.

115 Judex etiam poterit aliquando alijs remedijs adversus contumacem uti, scilicèt, sequestrando bona. *C.* 2. *h. t.* vel capiendo pignora. *L.* 1. §. 3. *ff. de Inspic. ventr.* vel mulctas imponendo. *L.* 8. *tit.* 16. *p.* 7. vel alia pœna arbitraria puniendo: sed non potest arbitrium extendi ad causæ amissionem, vel confiscationem omnium bonorum, etiamsi delictum sit extraordinariè grave. *L.* 2. §. 1. *ff. Si quis in jus vocatus.* Etiam potest Judex procedere incarcerando, vel capiendo, vel aliter invitum trahendo ad judicium. *L.* 8. *C. Quomod. & quand.* vel etiam, si aliud remedium non sit, excommunicando. *C.* 3. *Ut lite non contest. C.* 1. *de Judic.* Contumax tamen debet citari ad se defendendum, antequam mulcta, excommunicatio, vel alia pœna in ipsum feratur. *C.* 1. *de Caus. possess. & propriet.*

TIT. XV.

De eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandæ.

116 CUM magnum Reipublicæ damnum affetat duratio litium. *C.* 5. *de Dol. & contum.* non est ferendus reus, qui contumacitèr litem procrastinat; & cum post citationem peremptoriam pro confesso habeatur, si non compareat. *L.* 11. §. 4. *ff. de Interrogat. in jur.* ideò introductum est *primum Decretum*, quod est prima sententia interlocutoria Judicis habentis, saltem mixtum imperium. *L.* 4. *ff. de Jurisdict.* qua actor mittitur custodiæ causa tantum, in bona rei contumacis, & absentis. *Gonz. in C.* 3. *Ut lite non contest. n.* 12. & quidem hoc modo contumacis protervia justè punitur: nam cuilibet satis lugubre est, videre bona majorum suorum possideri ab alio. *L.* 22. *C. de Administr. Tutor.* & reus tædio talis missionis affectus contumaciam deponet, & in judicio comparebit. *C. fin.* §. *fin. Ut lite non contest.* Et hac ratione ab aliquibus hæc missio dicitur *tædialis.* Missus igitur in possessionem ex primo Decreto, licet non adquirat possessionem, nec illius commoda habeat. *L.* 3. §. *fin. ff. de Adquir. possess. C.* 9. *de Dolo, & contumac. L.* 6. *tit.* 8. *p.* 3. *L.* 1. *tit.* 11. *lib.* 4. *R. C.* habet tamen custodiam rei, seu *tenutam*, quam *pignus Prætorium* dicimus. Hinc si actione personali agit, debet colligere fructus, eosque custodire, & si perituri sunt, vendere, & pretium servare, vel si consumpsit; illud in sortem principalem computare: quod si in illa tenuta, vel quasi possessione turbetur, licet non possit intentare interdictum *uti possidetis*: quia non verè possidet. *L.* 3. §. 8. *ff. Uti possidetis*, potest tamen intentare interdictum: *Ne vis fiat. L.* 1. §. 2. *ff. Ne vis fiat ei, qui in possessionem missus erit*, ibi: *Est enim generale hoc Edictum: pertinet enim ad omnes, qui in possessionem à Prætore missi sunt: convenit enim Prætori omnes, quos ipse in possessionem misit, tueri: sed sive rei servandæ causa, sive legatorum, aut ventris nomine in possessionem missi fuerint habent ex hoc Edicto in factum actionem, sive doli, sive aliter prohibuerint.* Et sic missus in illa re prætertur alijs creditoribus nullam hypothecam habentibus. Quod si plures missi sunt ejusdem tituli eodem jure concurrunt. Etiamsi missus agat actione reali, pendente lite, tantum habet rei custodiam, seu detentationem, quæ aliquando possessio dicitur. *L.* 8. *C. Quomod. & quand. C.* 11. *in fin. de Offic. Ordinar. C. fin.* §. *fin. Ut lite non contest.* Et notat *Glos. ibid.* V. *Possessionem*; non tamen habet veram possessionem, ut satis ex *C.* 1. & *tot. Rubric. h. t.* deducitur, & ex *C. fin.* §. *fin. Ut lite non contestat. Glos. ibid.* V. *Possessionem*, potestque se defendere Edicto: Ne vis fiat. *L.* 1. §. 2. *ff. Ne vis fiat ei*; sed non habet pignus Prætorium,

sunt, quia illam rem, ut suam vendicat, in qua pignus consistere nequit. *L. 45. ff. de Reg. jur.* ibi: *Neque pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei suæ consistere potest.* Missum igitur in possessionem rei ex primo Decreto, sive agat actione personali, sive reali non esse verum possessorem, sed tantum custodem, qui in possessione est, clarè constat ex Textibus citatis, & contra alios probant. *Gonz. in C. 3. Ut lite non contestat. ex n. 13. & alij.* Aliquando tamen missus in rei possessionem ex primo Decreto veram adquirit possessionem quando, scilicèt, hoc habetur ex consuetudine, vel ex speciali statuto: vel si nimia sit rei contumacia, & contemptus. *L. 7. §. fin. ff. Quibus ex causis.* Vel quando lite jam contestata actor semiplenè suam intentionem probavit. *C. 4. in fin. de Dol. & contum.*

117 Hæc missio in possessionem, non solum decerni potest in reum absentem jam citatum. *C. fin. h. t.* sed etiamsi ante citationem se absentet, nullo Procuratore relicto; *arg. L. 4. C. de Restit. Militar.* sed tunc ad eum defendendum admittitur consanguineus, vel amicus rei, præstita cautione de rato: vel à Judice constituitur Curator illius bonis. *L. 15. ff. Ex quib. caus. majores junct. Glos.* In nostra Hispania, quando proceditur per viam hujus missionis, quæ dicitur: *Via de Assentamiento*: non est necessaria peremptoria citatio; sed sufficit ea citatio, qua reus citatus fuit in causa principali, ut libello actoris responderet: ac proindè debet fieri in personam rei: nec requiritur reum citari ad hoc, ut actor accipiat rei possessionem elapso termino primi Decreti. *L. 1. tit. 11. lib. 4. R. C. Paz in Prax. tom. 1. p. 2. & tom. 2. p. 2.* Si actor actione reali egerit, præviam summariam causæ cognitionem Judex instituere debet circa contumaciam, citationem, bona rei, & actionem actoris, & juramento calumniæ præcedente, ab actore præstando, Judex mittet actorem in possessionem rei, de qua est controversia. *C. 3. e. fin. §. fin. Ut lite non contestat.* Si verò actione personali egit, potest Judex per censuram, vel sequestrationem reum cogere, quod si malis, potest Judex, sed non tenetur, cum actor nullum jus habeat in re petita, actorem mittere in possessionem bonorum rei pro modo debiti. Et quidem 1. in possessionem mobilium; quod si reus mobilia non habeat, vel non sufficiant, mittetur actor in possessionem immobilium, & his deficientibus, vel non ... tiones rei mitt... *non contest.* Et hoc ... ... actori satisfit, ut sit cum minori rei ... judicio: sed si res certa debeatur, potius in rei debitæ, quam in aliarum rerum possessionem mittendus est actor. In omnia igitur bona rei potest fieri missio, & similitèr in jura, in patronatum, scilicèt, emphyteusim, usumfructum, & alia hujusmodi, dum natura actionis, vel rei, super qua reus est conventus non excludar talem immissionem. Et hac ratione in causa Matrimoniali non admittitur talis missio, ne detur occasio copulæ illicitæ: sed tunc per censuras compellendus est contumax. *C. 3. Ut lite non contest.* & si in contumacia persistat, ad definitivam proceditur. *C. fin. §. Porrò. Ut lite non contestat.* Nec item fit immissio in possessionem contra possessorem beneficij, si contumax ipse sit, quando agitur judicio petitorio super proprietate beneficij, vel dignitatis Ecclesiasticæ; sed tunc per censuras reus compelletur, vel si istæ non sufficiant, procedendum est ad definitivam. *C. un. h. t. in 6.* ne vitiosus in beneficium ingressus fiat sine Institutione Canonica contra Text. in *C. 1. de Reg. jur. in 6.* Et hoc contingeret, si immisso actore in beneficij possessionem ex primo Decreto, reo in contumacia persistente, actor post annum efficeretur verus possessor, fortè sine jure, & titulo ad beneficium. Nec est facienda immissio, quando instituitur possessorium adipiscendæ, secus si instituatur possessorium recuperandæ possessionis: nam tunc restituendus est actor petens immissionem in beneficij possessionem, nisi obstet notorius proprietatis defectus. *C. 5. e. 7. de Restitut. spoliat.* quando verò agitur de proprietate Ecclesiæ, cum supponatur titulus legitimus, & nullus sit timor ingressus vitiosi, potest decerni missio in possessionem Ecclesiæ. *C. 1. h. t.* nec in causis criminalibus fit immissio, sed solum annotantur bona, quando causæ graviores sunt: nec item in civilibus, in quibus actor nihil petit, sed potius vult se liberare: ut quando minor adversus aditam hæreditatem petit restitui: siquidem in hoc, & alijs similibus casibus natura actionis missionem excludit.

118 Elapso anno ab interpositione primi Decreti: actor, incusata de novo rei contumacia, petit sibi in solutum adjudicari bona detenta: Judex reum citat, qui si præstat cautionem de *judicio sisti*, pignoribus, vel fidejussoribus datis, &

... tactas ... sed ... ditur. *L.* 15. *C.* ... detentationem cum ... bus percep... *C.* 1. *c.* 2. *b. t. C. fin.* §. *fin. Ut lite non contestat. L.* 6. *tit.* 8. *p.* 3. Annus ad interponendum secundum Decretum debet computari à die executæ missionis; *arg. C. fin.* §. *fin. Ut lite non contest.* nisi fortè reus fuit in culpa, ut executio retardaretur: nam tunc computandus est à die primi Decreti, ne reus de sua malitia commodum reportet. *C.* 9. *de Dolo, & contum.* Si reus post trinam, vel post unam peremptoriam citationem, non compareat, vel juri parere recuset, pro præsente habetur; *arg. C.* 1. *b. t. C. fin.* §. *fin. Ut lite non contest.* Et Judex cognito sufficienter actoris jure pronuntiabit secundam interlocutoriam sententiam (quæ dicitur *secundum Decretum*) per quam missum in possessionem ex primo Decreto verum possessorem constituit: non verò Dominum. *L. 6. tit.* 8. *p.* 3. *C. fin.* §. *In alijs. Ut lite non contestat.* potest tamen vocari Dominus æquivalentèr, vel inchoativè ex Text. sic intelligendo in *L.* 15. §. 16. *ff. de Damn. infect.* vel potest juxta alios intelligi de dominio bonitario, non autem de dominio Quiritario. Consequentèr ergo ad veram possessionem, in qua actor constituitur, consequitur commoda possessionis, facit fructus suos. *L.* 7. §. *fin. ff. Quibus ex caus. in possess. L.* 6. *tit.* 8. *p.* 3. Et tantum de proprietate renetur respondere. *C. fin.* §. *fin. Ut lite non contest. L.* 6. *tit.* 8. *p.* 3. *l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 4. *R. C.* Si vi spolietur restituitur ante omnia interdicto *unde vi.* Et cum post secundum Decretum interpositum actor efficiatur possessor, relevatur ab onere probandi: & in hoc tanquam reus habetur: E contra verò reus contumax tanquam si actor esset, probare tenetur, quod intendit. Quod si creditor malit, sibi solvi debitum, quam rem possidere, Judex bona debitoris vendere jubet in publica subhastatione, *Hispanè: al pregon. L.* 7. §. 1. *ff. Quibus ex causis in possessionem. L.* 1. *tit.* 11. *lib.* 4. *R. C.* vel si emptor non invenitur ipsi creditori, si sufficientèr debitum probaverit, in solutum res adjudicatur. *L.* 3. §. 3. *C. de Jur. domin. impetr.* quod si debitor non sit Dominus, sed tantum possessor rei, in quam creditor immittitur, ipse creditor tempore legitimo rem præscribet: quia licet habeat scientiam rei alienæ: cum justè possideat, quia Authore Prætore possidet. *L.* 11. *ff. de Adquir. possess.* bonam tamen fidem habet, quia hæc in scientia justa possessionis consistit, juxta *Pichard. & alios.*

119 Hoc secundum Decretum debet interponi, ut missus in custodiam rei ex primo Decreto adquirat rei possessionem: tum, quando agitur actione personali, ut omnes facilè concedunt: tum etiam, quando actione reali agitur, ut ex generalitate Textuum in *C. fin.* §. *fin. Ut lite non contest. C.* 1. *b. t.* colligunt *Gonz. in C.* 3. *Ut lite non contest. n.* 32. *& alij*: & confirmat praxis Tribunalium, licet *Abb. Menoch. Pichard. & alij* censeant, non esse necessarium hoc Decretum, quando missus ex primo Decreto habet actionem realem. In nostra Hispania, cum hæc immissio fiat à Lege, non requiritur secundum Decretum. *L.* 1. *tit.* 11. *lib.* 4. *R. C. Paz in Praxi, tom.* 1. *p.* 2. *n.* 29. Si verò reus habuit legitimum impedimentum, v. g. morbum; quod probetur per duos testes, vel per Medici testimonium, quo impeditus non potuit intra annum comparere, nec cautionem præstare: vel si per ipsum non stetit, quod cautio, quam ipse obtulit, non esset recepta. *C.* 2. *b. t.* vel quando rationabiliter, & legitimè contra processum Judicis appellavit, vel aliud legitimum impedimentum adsit: tunc possessio, præstita cautione *judicio sisti*, ipsi restitui debet. Idem est, quoties constat, reum non fuisse contumacem. *C.* 3. *b. t.* Si actor missus in possessionem rei ob adversarij potentiam non potuit eam realitèr apprehendere, ne ex sua culpa commodum reus reportet, fingitur, actorem realitèr apprehendisse rem ex primo, vel secundo Decreto, habebitque commoda possessionis. *C.* 9. *de Dolo, & contum.* proindeque rem præscribet. Quod si reus conventus actione reali dicat, se non esse Dominum rei, super qua convenitur, habeat tamen jus aliquod in tali re; quia sit vassallus, emphyteuta, vel usufructuarius: si conveniatur super illo jure, debet super eo respondere per se. Quod si contumax sit, actor mittetur in quasi possessionem illius juris. *L.* 6. *tit.* 8. *p.* 3. Si verò super re, vel proprietate conveniatur debet Dominum rei nominare, & Judex illi terminum assignabit, ut Dominum faciat comparere: quod si non compareat, Judex Dominum citabit, & si adhuc renuat, facta negotij cognitione summaria, & præstito juramento calumniæ ab actore, Judex ipsum actorem in possessionem veram rei mittet. Idem dicendum est, quando reus conventus, est merus detentor rei, super qua convenitur. *L.* 2. *C. Ubi in rem actio. C. fin.* §. *fin. Ut lite non*

non contest. Postquam autem jam actor missus est in veram possessionem rei ex secundo Decreto; si reus compareat, tantum potest super proprietate quaestionem movere. *C. fin.* §. *fin. Ut lite non contest.* & si lapsi sint decem anni inter praesentes, & viginti inter absentes, quin compareat, nec de dominio, & proprietate quaestionem faciet: nec super hoc audietur. *Greg. Lop. in L.* 6. *tit.* 8. *p.* 3. V. *Demandar el Señorio.*

120 Modum, & praxim procedendi hac via in Nostra Hispania ex ipso accipite fonte in *L.* 1. *tit.* 11. *lib.* 4. *R. C.* ibi: *Los rebeldes, que no quieren venir ante el Judgador à los emplazamientos, que le son puestos, no deben de ser de mejor condicion, que los que vinieren à parecer ante ellos, y por esto tenemos por bien, y mandamos, que si el demandado fuere emplazado en persona por el emplazamiento, y no viniere al plazo, ò si viniere, y se fuere sin mandado del Juzgador, que dende en adelante, que el Judgador vaya por el pleyto adelante à recebir testigos del demandador, ò otras pruebas, que huviere, para probar su intencion, assi como si el pleyto fuesse contestado, y dàr sentencia definitiva en èl fin otro emplazamiento. Pero si el demandador quisiere, y pidiere, que se haga assentamiento, y no quisiere ir por el pleyto adelante à dàr pruebas en èl, que el Judgador sea tenudo à lo hacer: y el assentamiento, que se haga en esta manera, que si la demanda fuere Real, que el demandador sea puesto en la tenencia de la demanda (y sea tenudo el demandado de venir à purgar la rebeldia hasta dos meses, del dia que fuere puesto, y hecho el assentamiento, o lo embargare el demandado, que no se haga) y si fuere demanda personal, que sea puesto el demandador en tenencia de tantos bienes muebles del demandado, si le fueren hallados hasta en quantia de la demanda; y si bienes muebles no le hallaren, que sea hecho el assentamiento en bienes raizes, y sea tenudo el demandado de purgar la rebeldia hasta un mes del dia que el assentamiento fuere hecho, ò lo embargare el demandado, que se no haga como dicho es: y si no viniere à purgar la rebeldia à los dichos plazos, que denae en adelante el que assi fuere assentado, que sea verdadero posseedor, y no sea tenudo de responder al demandado sobre la cosa, que assi tiene, salvo sobre la propriedad. Pero si el demandador fuere assentado en bienes de su contendor por demanda personal, seyendo passado el mes del assentamiento, quisiere mas, que le sea pagada la quantia de su demanda, que no tener la possession, que entonce, que sean vendidos por mandado del Judgador, y de lo que valieren, que sea entregado el demandador de la quantia, que puso en su demanda, y de las costas: y si mas valiere, que sea entregado en lo demàs, que valiere el demandado, y si menos valiere, que lo que menguare, que sea tenudo el demandado de lo pagar, y el Judgador que lo haga assi cumplir luego.* Et licet hic satis explicetur modus procedendi in Nostra Hispania contra contumaces: si ampliorem explicationem vultis, videte *Acevcd. ibid. Paz in Prax. tom.* 1. *p.* 2. *& tom.* 2. *p.* 2.

TIT. XVI.
Ut lite pendente nihil innovetur.

121 Litis pendentia olim à litis contestatione incipiebat. *C.* 30. *de V. S. L.* 15. *ff. Rem ratam haber.* Hodie tamen inducitur tam in realibus, quàm in personalibus actionibus ex quo citatio valida à competente judice legitimè facta ad citatum pervenit, vel per ipsum stetit, quominùs perveniret. *Cl.* 2. *h. t.* ne ex sua malitia commodum citatus reportet. *C.* 9. *de Dol. & contum. Auth. Litigiosa, C. de Litigiosis*, ibi: *Litigiosa res est, de cujus dominio causa movetur inter possessorem, & petitorem judiciaria conventione, vel precibus Principi oblatis, & judici insinuatis, & per eum futuro reo cognitis.* Nec sufficit sola citationis emanatio, prout ad prorogationem jurisdictionis delegatae sufficit. *C.* 20. *de Offic. deleg.* & requiritur, quod in citatione exprimantur ea, ex quibus citatus instruatur, & cognoscat qua de re futura sit controversia. *Cl.* 2. *h. t.* Lis ergo pendere dicitur post citationem reo legitimè factam usque ad sententiam definitivam. *C.* 1. *h. t.* Imò etiam post sententiam, si ab ea appelletur. *C.* 7. *de Appellat. in* 6. Lite igitur pendente nihil est innovandum, nec quoad proprietatem rei, nec quoad possessionem, nec quoad usum alicujus juris. *C.* 2. *h. t. L.* 8. *tit.* 2. *p.* 4. Sed omnia debent in eo statu, quo erant, cum lis moveretur, permanere. *C. fin.* 11. *q.* 1. *C.* 69. *de Appellat. C.* 1. *&* 2. *h. t. L.* 1. *C. Ut lite pendent.* Imò ex ipsa Rubrica nostri tituli constat, quae cum orationem perfectam contineat, jus facit. *L.* 8. *tit.* 2. *p.* 4. Et hoc ideò stabilitum est, ne ex alterius facto alterius fiat durior, vel deterior conditio. *L.* 74. *ff. de Reg. jur.* ibi: *Non debet*

alteri per alterum iniqua conditio inferri. Hinc res, aut actio litigiosa alienari non potest, & si alienetur, quocumque contractu transferente dominium, retrottahitur, vel si non porest, alia ejusdem valoris in ejus locum subrogatur: quæ quidem ut subrogata sapit naturam ejus, cui subrogatur: ac proindè nequit alienari, donec lis finiatur. *C. fin.* 11. *q.* 1. *C.* 3. *c.* 4. *h. t.* nec potest ad longum tempus locari. *C.* 4. *h. t.* quia est species alienationis. *Gl.* 1. *in fin. de Rebus Eccles. non alien. junct. Glos.* nec beneficium potest renuntiari. *Gonz. in C.* 4. *h. t. n.* 11.

122 Nec in matrimonio consummato est innovandum à Judice, pendente lite, in quà agitur de adulterio, vel impedimento dirimente, donec lis per sententiam finiatur. *C.* 2. *h. t.* quia cum præsumptio stet pro matrimonio, conjuges in ejus quieta possessione conservandi sunt. *C.* 8. *de Restit. spoliat.* At verò conjux, qui certus est de impedimento dirimente, nec exigere, nec reddere debitum potest; quinimò potius debet excommunicationem sustinere, si ad hoc compellatur: cum nequeat accedere ad alienam, qualis tunc esset uxor, vel è contra, sine peccato mortali. *C.* 13. *de Restitut. spoliator.* Si alter conjugum sit paratus in continenti consanguinitatem probare, separatur habitatio ob incestus periculum. *C.* 13. *de Restitut. spoliator.* Si verò aliquis pendente lite super matrimonio, aliud cum alia contrahat, separandus est à secunda: nam hæc possessio est vitiosa, & contra Ecclesiæ prohibitionem. *C.* 10. *de Re judicat.* Similitèr, cum non præsumatur, Principem velle rescriptum concedere in præjudicium legitimi possessoris. *Arg. C.* 3. *de Decimis* rescriptum à Principe, etiam motu proprio dimanans, lite pendente in præjudicium possessoris litigantis, si litis non faciat mentionem, est nullum, & subreptitium. *C.* 1. *h. t.* Illa verò rescripta, quibus non jus partis immutatur; sed Judices invitantur ad litem finiendam, rectè conceduntur, & admittuntur. *Gonz. in C. fin. h. t. n.* 10. Imò si lite pendente aliquod privilegium sit impetratum a parte, non secundum illud, sed secundum jura existentia tempore litis controversia debet terminari: nisi privilegium de lite mentionem faciat. *C. fin. h. t.* Deindè si ex duobus litigantibus ad idem beneficium electis, præsentatis, vel postulatis, alter decedat, renuntiet, vel à prosecutione causæ excludatur, si lite cum altero pendente fiat alia electio, erit nulla. *C.* 1. *h. t. in* 6. etiamsi postea constet, quod superstiti nullum jus ex electione competebat. *Arg. C.* 18. *de Reg. jur. in* 6. ibi: *Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit.* nisi constet notoriè nulli ex eis jus competere: sed solum in fraudem novæ electionis talem litem motam fuisse. Præterea, si beneficiatus, contra quem super beneficio litigatur, cedat, vel decedat, si alius fuerit electus, lite adhuc cum superstite pendente, non valet electio: Siquidem adhuc beneficium est litigiosum. Si verò aliqui, quorum interest, velint ad defensionem litis admitti, admittentur in eo statu, in quo erat causa. *C.* 2. *h. t. in* 6. At verò res litigiosa potest alienari de utriusque litigantis consensu, vel etiam ab alio tertio, cui adjudicata est cum collirigante: quia respectu illius non est litigiosa. *Menoch. de Præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 97. *n.* 45. vel si alienetur ex causa necessitatis, ut pro debiti solutione, pro impensis funeris, pro alimentis, vel alia justa causa, v. g. dotis, donationis propter nuptias, vel transactionis, aut per ultimam voluntatem: quia in his casibus cessat præsumptio, quod talis alienatio fiat ad molestandum adversarium. Denique res libere alienatur quoties litis pendentia cessat.

123 Litis pendentia cessat per sententiam definitivam, quæ transijt in rem judicatam. *Arg. C.* 13. *de Sentent. & re judicat.* & per interlocutoriam definitivæ æquivalentem, v. g. quando Judex se pronuntiat incompetentem: & per instantiam peremptam lapsu temporis, & per mortem utriusque litigantis, & per ipsorum litigantium transactionem: & per voluntariam cessionem actoris expressam, vel tacitam, quando, scilicèt facit actus litis pendentiæ contrarios. Si in alienatione rei litigiosæ emptor, & venditor sciebant, rem esse litigiosam, contractus non tenet, & emptor pretium amittet, venditor etiam tantùndem de suo dabit, & utraque quantitas fisco applicatur: Quod si venditor, ut præsumitur, solus sciebat, emptor ignorans pretium à venditore recuperat, & tertiam partem æstimationis rei: duæ autem reliquæ fisco applicantur. *L. fin.* §. 1. *C. de Litigios.* Si tamen solus emptor sciebat, quod vix continget, restituet rem, & insuper perdit pretium, quod quidem fisco applicatur. *L. fin. C. de Litigios.* Eodem modo puniuntur donator, & donatarius, quando scienter, vel ignorantèr rem litigiosam alienant.

TIT.

TIT. XVII.

De sequestratione possessionum, & fructuum.

124 *Sequestrum, vel sequestratio, Hispanè*: Fieldad. L. 1. *tit.* 9. *p.* 3. & *Embargo, tit.* 12. *lib.* 4. *R. C.* est depositi species, sicque aptè describitur. *Est rei litigiosæ, vel ejus fructuum apud tertium, qui sequester dicitur, facta depositio. L.* 110. *ff. de V. S.* ibi: *Sequester dicitur apud quem plures eandem rem, de qua controversia est deposuerunt; dictus ab eo, quod occurrenti aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur, Hispanè*: dicitur *Fiel*: quia ejus fidem Judex, & partes sequuntur. *L.* 1. *tit.* 9. *p.* 3. si partium consensu fiat prædicta depositio, sequestratio *voluntaria*, vel *conventionalis* dicitur: si authoritate judicis, sive ex officio, sive ad instantiam partis procedentis, dicitur *necessaria*, vel *judicialis*, à deposito differt præcipuè in eo, quod sequestratio est de re litigiosa; depositum verò etiam de re non litigiosa: deindè res deposita ad libitum potest repeti. §. 3. *Inst. Quib. mod. re contrahit. obligat.* Sequestrata verò non nisi authoritate judicis repeti valet. *L.* 5. §. 2. *ff. de Deposit.* Depositum potest ab uno fieri; sequestrum non possunt facere, nisi plures. *L.* 6. *ff. Deposit.* Affinis sequestrationi est *Arrestatio*, seu *Arrestum*: quod est detentio, vel personæ, vel rei alicujus ex causa securitatis facta: Et quidem fit, vel utriusque partis consensu, vel (ut sæpius accidit) authoritate judicis, vel ex officio, vel ad partis instantiam procedentis: Differt à sequestratione; quia sequestratio supponit rem actualitèr litigiosam, secus arrestatio: deindè, quia arrestum est detentio personæ, vel rei, & sequestratio tantum circa rem versatur. Præterea sequestratio est depositi species: arrestatio sæpè manuum injectionem in invitum significat.

125 Sequestratio igitur *voluntaria*, seu *conventionalis*, sicut, quilibet alius contractus pro arbitrio partium fit: nam quilibet est suæ rei moderator, & arbitror. *L.* 21. *C. Mandat.* & res debet juxta placitum sequestrantis custodiri, & restitui. *L.* 1. *tit.* 9. *p.* 3. *Necessaria* vero regularitèr est prohibita. *C.* 1. *h. t. L. un. C. de Probibit. sequestr. pecun.* ubi nomine pecuniæ veniunt cætera bona, quæ in nostro patrimonio sunt. *L.* 222. *ff. de V. S.* ut notat *Accurs. in d. L. un.* siquidem judicium non debet inchoari ab executione. *L.* 1. *C. de Execut. rei judicat.* nec possessor, durante lite, commodo suæ possessionis privandus est. *C.* 1. *Ut lite pendent.* potest tamen fieri sequestratio, si timeatur, ne partes ad arma veniant ob possessionem dubiam. *Arg. L.* 13. §. 3. *ff. de Usufruct. & quemadm.* vel ne reus dissiper fructus, vel rem litigiosam dilapider, dum pendet lis, etiam post appellationem. *C.* 3. *h. t.* Et ideò uxor potest petere dotis sequestrationem, si videat, maritum vergere ad inopiam. *C.* 7. *de Donation. inter. L.* 1. *tit.* 9. *p.* 3. idem est, si reus, a quo petitur res mobilis sit de fuga suspectus, qui non habeat immobilia, & incipiat inopia laborare, vel si debitor sit forensis brevi in aliam jurisdictionem transiturus, vel si reus sit contumax, & non possit habere locum immissio in bona, vel in possessionem propter periculum peccati, vel scandali, vel intrusionis vitiosæ. Sic sequestratur uxor, quando alitèr non potest caveri, nec periculo occurri propter sævitiam viri. Et beneficium sequestratur cum fructibus, quando reus contumax est, & actor suum jus nondum ostendit: ne detur ingressus vitiosus in beneficium. Denique ex alia quacumque justa causa potest Judex sequestrationem decernere: sed debet præcedere summaria saltem cognitio de jure eam petentis, citatio partis, in cujus præjudicium petitur. *L.* 47. *ff. de Re judicat.* nisi sit de fuga suspecta, vel sit periculum in mora. Et etiam juramentum calumniæ est præstandum à sequestrationem petente: Denique debet adesse aliqua suspicio contra debitorem: v. g. ne fugiat cum re, vel eam dilapidet: nam cum sequestratio regularitèr prohibeatur; debet adesse aliqua justa causa, ut fiat: circa prædictos, & alios casus vid. *L.* 1. *tit.* 9. *p.* 3.

126 Sequester potest esse unus, vel plures, distincti tamen à litigatoribus, debentque esse fideles, nulloque modo suspecti. *L.* 1. *tit.* 9. *p.* 3. Judex potest esse sequester. *Arg. L.* 7. §. *fin. ff. Qui satisdari cogant.* hoc tamen non expedit, cum sequester ex contractu, vel quasi contractu obligetur. *L.* 9. §. 3. *ff. de Dolo mal.* Nullus tamen potest invitus cogi ad acceptandum sequestrum, sed semel acceptatum solum authoritate judicis potest recusari ex causa justa inimicitiæ, vel affinitatis cum aliqua ex partibus. *Arg. L.* 5. *C. de O. & A.* Sequester regularitèr non possi-

possidet rem sequestratam, nisi expressè id actum sit inter litigatores. *L.* 17. §. 1. *ff. Deposit.* sicut depositarius, qui non possidet, sed custodit rem depositam, eamque tenetur diligentèr custodire, fructus colligere, & servare: vel si perituri sint, citatis partibus, vel si non sint præsentes, cum licentia judicis, vendere, & pretium cum re, finita lite, restituere. *L.* 1. *tit.* 9. *p.* 3. *L. fin. tit.* 8. *p.* 3. deductis tamen damnis, & sumptibus in rem sequestratam necessario, vel utilitèr impensis. *C.*2. *de Dolo, & contum. Cl. un. h. t.* ad hocque habet actionem sequestrariam contrariam adversus victorem, ejusque hæredes, ne ipsi suum officium sit damnosum. *L.* 5. *ff. Deposit.* Similitèr victori, ejusque hæredibus competit actio sequestraria directa, contra sequestrem, ut finita lite, vel sequestro, restituat rem cum omnibus suis commodis. *L.* 1. §. 24. *L.* 5. *ff. Deposit.* Sequester voluntarius, & necessarius alicujus castri habentis jus patronatus: & etiam sequester Prælaturæ habentis annexum jus præsentandi, vel eligendi, cum sit administrator rei sequestratæ, quoad temporalia, & spiritualia, sicut Pastor talis Ecclesiæ potest conferre, eligere, & præsentare dummodo talium jurium incapax non sit. *Gonz. ad Reg.* 8. *Cancel. Glos.* 23. *n.* 17. *Garc. de Benefic. p.* 5. *cap.* 6. *ex n.* 1. contra alios variè sentientes.

127 Quæcumque res in controversiam, & custodiam cadens potest sequestrari: sive res sit mobilis, sive immobilis, sive corporalis, sive incorporalis, sive spiritualis, sive profana. *L.*7. §. *fin. ff. Qui satisdar. C.* 15. *de Judic. C.* 8. *e.* 13. *de Restit. spoliator. Cl. un. h. t.* Etiam persona libera potest sequestrari, ut mulier, si timeat de sævitia viri. *C.* 8. *e.* 13. *de Restit. spoliat.* similitèr sequestratur puella, si post matrimonium promissum exceptionem metus objiciat. *C.* 14. *de Sponsal.* Etiam beneficium sequestrari solet. *Cl. un. h. t.* ubi dicitur, quod si super beneficio contra ipsius possessorem, qui triennio non possedit, in petitorio, vel possessorio, una definitiva fertur in Curia Romana, etiamsi nulla fore dicatur, ipsius beneficij sequestratio per loci ordinarium, non per Judicem litis, fieri debet apud personam idoneam, quam impediens, vel sequestratos fructus occupans excommunicatus est, & si est de litigatoribus cadit à jure suo. Aliqui cum *Angelo* tenent, cadaver sequestrari posse: sed contrarium omninò tenendum est. Ex *Ecclesiastic.* 7. *v.* 37. ibi; *Mortuo ne probibeas gratiam.* *C.* 28. 13. *q.* 2. *L.* 6. *C. de Septilch. violat. L.* 13. *tit.* 9. *p.* 7. ibi: *Muerto yaciendo algun ome maguer fuesse debdor de otro, non lo deben reStar, nin embargar, que no sea soterrado, nin le deben facer deshonrá en otra manera ninguna, que pueda ser. E si alguno contra esto ficiere por razon de debda, ó queriendolo deshonrar, faria muy gran tuerto à Dios, è à los omes, è à sus herederos, è seria tenudo de facer enmienda à bien vista del Judgador. Et Greg. Lop. ibid.* notat, quod non debet sequestrari cadaver, nec ipso judice jubente, & etiamsi debitum sit liquidum, sive non: sive habeatur per sententiam, vel instrumentum guarentigium, sive debitum ex contractu, sive ex delicto procedat.

128 Varijs modis cessat, & finitur sequestrum: lite enim finita per sententiam, quæ transijt in rem judicatam, & non est per appellationem suspensa, finitur sequestrum, & res debet victori restitui. Idem est, si præstetur sufficiens cautio à parte, cujus res est sequestrata. *L. fin. C. de Ordin. cognit.* vel si exiStat conditio, sub qua facta fuit sequestratio, vel etiam veniente die, in quem res litigiosa est tradita sequestri. *L.* 2. *tit.* 9. *p.* 3. vel interveniente authoritate judicis, si velit sequester ex justa causa, & non alitèr permittitur, deponere officium. *L.* 5. §. *fin. ff. Deposit.* si sequestratio in contumacem loco missionis sit decreta, & ipse contumax compareat, & refusis expensis caveat de *judicio sisti.* Finitur sequestrum, sicut finitur missio in cujus locum subrogatum fuit. *C.* 1. *h. t.* Denique morte sequestris finitur sequestrum, tam cum fides, & industria personæ sit electa non transit ad hæredes. *Arg.* §. 10. *Inst. de Mandat.* Deinde si pars sequestrum passa aliundè non habeat, unde se possit sustentare, nec litis expensas solvere ex re sequestrata sunt ei tribuenda alimenta, & sumptus ad litem, quia non exiguam præsumptionem pro se habet ex possessione.

TIT. XVIII.

De Confessis.

129 NON agitur in præsenti de Confessione Sacramentali, quæ cum non homini, sed Deo fiat, ad nullum omninò usum humanum, nec actum judicialem deservit, nec adhuc in vim confessionis extrajudicialis. *C.* 2. *de Offic. Ordin.* ibi: *Quia non ut Judex sed, sed ut*

tur Deus; adeò; ut etsi ipse Sacerdos confessionem revelet, nec ad torturam rei, nec ad aliam probationem deserviat. Nec itidem deservit schedula, in qua quis sua scripsit peccata: quia talis schedula sigillum Sacramentale, vel saltem naturale, arctissimum inducit: & hoc modo magis consulitur reverentiæ Sacramenti. *Lug. de Pœnit. D.*23.*n.*49. Si verò ipse reus Sacerdoti suum delictum manifestet extra confessionem: sub protestatione tamen, quod illud dicat tanquam si sub sigillo confessionis esset manifestatum; tunc posset in aliquo casu Sacerdos de tali crimine deponere, cum non sit in confessione Sacramentali manifestatum. *Gomez Variar.* 3. *cap.* 13. *n.* 9. Er dicemus in *Tit. de Pœnit. & remiss.* agimus ergo in præsenti de confessione forum externum concernente, sicque communitèr describitur. *Est asseveratio ejus, quod ab adversario intenditur in judicio, vel extra judicium facta. L.* 1. *tit.* 13. *p.* 3. ibi: *Conocencia es respuesta de otorgamiento, que face la una parte à la otra en juicio.* Confessio variè dividitur: nam alia *vera, & expressa*, alia *tacita* dicitur. *Vera, seu expressa est, quæ fit verbis, vel signis confitentis voluntatem palam declarantibus. Tacita est, quæ ex aliquo facto deducitur, vel à Lege fingitur.* Sic pro confesso habetur, qui in judicio contumax est, quia non respondet, vel non respondet rectè. *C. fin. h. t. in* 6. *L.* 1. *l.* 2. *tit.* 7. *lib.* 4. *R. C.* vel qui post litem contestatam à judicio fugit. *C.* 4. *de Præsumpt.* ibi: *Confitetur enim de omnibus quisquis se subterfugere judicium dilationibus putat.* Deindè, confessio alia est *simplex*, alia *qualificata*. *Simplex est, quando quis simplicitèr, & de plano adversarij intentionem confitetur. Qualificata est, quando per qualitatem adjectam restringit confitens adversarij intentionem, quam fatetur.* V. g. si fateatur, occidisse Titium, sed addat, id causa defensionis fecisse. Prætereà, confessio præcipuè dividitur in *extrajudicialem, & judicialem. Extrajudicialis est, quæ non fit in judicio, vel etiamsi in judicio fiat, non fit coram Judice competente. C.* 4. *de Judic. vel si coram arbitratore fiat. Judicialis est, quæ fit in jure, vel judicio coram Judice competente. L. un. C. h. t.*

130 Quando Judex interrogat reum de crimine, non legitimè: quia non est diffamatus, nec sunt indicia ad semiplenam probationem, & hoc constat reo, vel saltem dubitat, non tenetur reus respondere: sed debet Judex reo ostendere probationem, vel indicia, quæ in actis contra eum repetiuntur; nec sufficit, si verbo tenus hoc ei dicat: nam reus non tenetur Judici in hoc credere. Etiam nomina testium contra ipsum deponentium sunt illi ostendenda, ut contra *Salced. & Gutierr.* tenent *Hevia in Cur. Philip. p.* 3. §. 1. *n.*4. *&* 5. *& alij.* Quod si reo constet, Judicem legitimè interrogare, tenetur utique respondere, & fateri delictum, cum Reipublicæ intersit, ne delicta maneant impunità. *L.* 51. §. 2. *ff. ad Leg. Aquil.* Sic *D. Thom.* 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. *in corp.* ibi: *Respondeo dicendum, quod quicumque facit contra debitum justitiæ, mortalitèr peccat: pertinet autem ad debitum justitiæ, quod aliquis obediat suo Superiori in his, ad quæ jus prælationis se extendit. Judex autem Superior est respectu ejus, qui judicatur: & ideò ex debito tenetur accusatus Judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit. Et ideò, si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur; vel si eam mendacitèr negaverit, mortalitèr peccat. Si verò Judex hoc exquirat, quod non potest secundum ordinem Juris, non tenetur ei accusatus respondere. Sed potest vel per appellationem, vel aliter licitè subterfugere: mendacium tamen dicere non licet.* Reus de uno crimine accusatus non potest interrogari de alio crimine, de quo non præcessit, vel semiplena probatio, vel indicium, vel infamia. *Hevia in Cur. Philip. p.*3. §.13. *n.* 6. nec regularitèr potest Judex reum de socijs interrogare; nec illius confessio ipsis nocet. *C.* 1. *h. t. l.* 16. *ff. de Quæstion.* tum quia confessus, ut infamis, vel criminosus à testimonio repellitur: tum quia ad solatium, vel ob excusandum aliquomodo proprium delictum, vel ob spem veniæ creditur, alios complices nominare: potest tamen Judex reum de socijs interrogare in criminibus, quæ in magnum Reipublicæ damnum cedunt, ut sunt crimina læsæ Majestatis, hæresis, falsæ monetæ, latrocinij, assasinij, sacrilegij, & similia, & in illis, quæ sine socio non committuntur, ut stuprum, adulterium, sodomia, & in delictis occultis, & difficilis probationis, vel quando socij sunt diffamati, vel si consuetudo concedat interrogandi facultatem. *Menochius de Arbitr. cas.* 474. *ex n.* 18. Et hæc consuetudo in plerisque Regionibus viget. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 7. *Barbos. ibid. n.* 3. Judex autem, etiam casu, quo possit interrogare, non debet hoc facere, certa persona assignata, vel nominata, v. g. interrogando de Titio; quia hoc potius esset suggerere, quam inquirere,

tere, sed debet in genere interrogare; nisi aliqua persona sit diffamata, vel jam reus confessus fuisset, se socios habuisse. Nam tunc potest Judex facere, ut eos nominet, ut contra eos procedat, non solum ad inquirendum, sed etiam ad eos citandos, & capiendos. *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 13. n. 8.* Et reus debet jurare denuntiationem focij, & in tortura ipsam confirmare. *L. 21. §. 2. ff. de Testib.* & postea extra torturam eam ratificare: non tamen creditur reus, si varius sit, vel si sit inimicus capitalis denuntiati. *C. 32. de Simon.* vel etiamsi præter illud crimen sit aliundè inhabilis ad testificandum.

131 Ut confessio judicialis effectum habeat, debet in se continere, quæ comprehenduntur in Versibus sequentibus: quos affert *Glos. in C. fin. h. t.* & approbat *L. 4. tit. 13. p. 3.*

1 2 3 4 5 6
Major, sponte, sciens, contra se, ubi jus sit, & hostis
7 8 9 10
Certum, lisque, favor, jus, nec natura repugnet.

Debet igitur fieri 1. à majore 25. annis. *L. 1. tit. 13. p. 3.* Confessio infantis, etiam accedente Tutore, est nulla; *arg. L. 4. ff. de in Jus vocand. Anton. Perez in Cod. h. t. n. 12.* facta ab impubere sine Tutore, non valet, facta verò cum Tutore valet: sed læso succurritur per restitutionem in integrum. *L. 6. §. 5. ff. h. t. l. 1. tit. 13. p. 3.* Si sit pubes, & habet Curatorem, non valet confessio sine Curatore facta. Si Curatorem non habet, dandus est ei Curator ad litem; alioquin confessio minoris est nulla, & sic servatur in nostra Hispania. *Paz in Prax. tom. 1. p. 5. cap. 4. n. 5. Gom. Var. 3. cap. 1. n. 64.* & tenetur talis minor respondere veritatem, sicut si esset major: si tamen læsus sit, restituitur. *L. 6. §. 5. ff. h. t. l. 1. tit. 13. p. 3. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 17. n. 5.* Si pubes Curatore careat confessio extrajudicialis ipsi nocet, sed potest restitui. Si verò Curatorem habeat, confessio sine illius authoritate non valet. Si verò ipse Curator interveniat, valet confessio, sed potest minor, si læsus fuerit, restitui. *L. 6. §. 4. & 5. ff. h. t. Perez in Cod. h. t. n. 12.* 2. Confessio debet fieri sponte, & libere, nec metu extorqueri. *C. 1. 15. q. 6.* nec fraude, vel spe immunitatis promissæ à Judice: nec debet fieri in carcere, quando reus est injustè incarceratus: & si tunc fiat, non probat, sicuti nec facta in tormentis, nisi extra tormentorum conspectum alia die ratificetur, & aliundè constet de corpore delicti.

L. 2. C. de Custod. reor. l. 5. tit. 13. p. 3. Paz in Prax. tom. 1. p. 5. cap. 3. §. 12. n. 23. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 13. n. 14. & 15. Menoch. de Arbitr. cas. 269. Gom. Var. 3. cap. 12. n. 6. Si verò confessio fiat in tortura, quin sufficientia præcesserint indicia, adeò est nulla, ut non confirmetur, etiamsi extra locum tormentorum ratificetur pluries, etiam quando indicia supervenerunt, antequam confessus fuisset positus in libertate: imò etiamsi confessus ratificet confessionem cum juramento ad bancum juris, seu locum publicum Tribunalis: adhuc non præjudicat confitenti. *Menoch. de Arbitrar. q. 84. ex n. 10.* 3. debet confessio ex certa scientia procedere: nam si procedat ex errore inculpabili, præcipuè si error sit facti, & probetur, potest ante sententiam revocari. *C. fin. h. t. l. 5. tit. 13. p. 3.* Idem est, si fiat, non ex proposito, sed calore iracundiæ, vel alia causa falsa. Si error sit crassus, & juris clari, vel facti recentis proprij, quæ non præsumuntur ignorari, nocet utique confitenti confessio, nec ei eam revocare licet.

132 4. requiritur, quod quis contra se ipsum confiteatur, ut confessio probet. *L. 11. §. 1. ff. de Interrogat.* ibi: *Fides ei contra se habebitur. L. 4. tit. 13. p. 3.* 5. debet confessio fieri *ubi jus est. L. fin. ff. de Interrogat. in jur. faciend. l. 4. tit. 13. p. 3.* id est, coram Judice competente: non tamen est necessarium, quod Judex sedeat pro Tribunali: nam potest in sua domo confessiones recipere, etiamsi non sit in loco judicij, præcipuè in nostra Hispania ex *L. 5. tit. 21. lib. 4. R. C. Et ibid. Aceved. n. 28.* quidquid alij disputent, & sentiant. Et tàm in civilibus, quàm in criminalibus valet confessio in libello, vel in petitionibus, vel in positionibus, & etiam sine juramento facta. *Gom. Var. 3. cap. 12. n. 4. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 13. n. 10.* similiter valet confessio, si fiat coram arbitro: quia arbitria ad similitudinem judiciorum sunt redacta. *L. 13 ff. de Recept. qui arbitr.* secus est, si fiat coram arbitratore. Facta verò coram Judice incompetente nulla est. *C. 4. de Judic.* habebit tamen vim extrajudicialis, quæ non plenè probat: imò si confitens potuit, & voluit jurisdictionem Judicis prorogare, etiam ut judicialis valebit talis confessio. *Anton. Perez in Cod. h. t. n. 6.* Et quidem hujusmodi confessio coram Judice incompetente facta, est in criminalibus sufficiens indicium ad torturam. *Aceved. in L. 1. tit. 7. lib. 4. R. C. n. 31. Gom. Var. 3. cap. 13. n. 8.* 6. debet fieri con-

confessio præsente adversario, seu hoste, vel ejus Procuratore habente speciali ad hunc effectum mandatum. *L. 6. §. 3. ff. h. t. l. 4. tit. 13. p. 3.* Et tunc propriè est *confessio*, quasi sit *simul fassio.* Sat tamen est, fieri coram Judice, vel si referatur in protocollum, vel in acta, vel aliam scripturam, & posteà adversario communicetur: & ita in praxi servatur. *Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 17. n. 5.* Confessio etiam præsente parte facta, si non acceptetur à parte expressè, minimè nocet. *Anton. Perez in Cod. h. t. n. 15. Barbos. in C. fin. h. t. n. fin.* non tamen requiri acceptationem expressam, tenet *Greg. Lop. in L. 2. tit. 13. p. 3. V. Cà por ella.* 7. debet confessio esse de re certa quoad substantiam, & quantitatem. *L. 6. ff. h. t. l. 4. tit. 13. p. 3.* Nam confessio de re incerta non præjudicat confitenti: v. g. si dicat, se alteri debere pecuniam, vel fundum; sed non assignet aliquam quantitatem, nec talem fundum: debet tamen Judex ipsum confitentem compellere, ut quantitatem, vel fundum declaret. *L. 6. tit. 13. p. 3.* 8. debet confessio in judicio fieri, quod nomine litis intelligitur. Nam si extra judicium fiat, non erit probatio plena, quamvis præsumptionem faciet. *L. fin. ff. de Interrog. l. 4. l. fin. tit. 13. p. 3.* Si tamen in judicio, vel processu nullo fiat confessio vera coram Judice competente durat in alio judicio valido. *Aceved. in L. 1. tit. 7. lib. 4. R. C. n. 28.* 9. non debet fieri in favorem confitentis; *arg. L. 6. C. de Probation.* si enim pro se contra adversarium fieret, nihil contra adversarium probaret, nisi aliundè idipsum, quod est confessus probaretur. *L. 4. tit. 13. p. 3.* alias ille esset testis in propria causa: quod omnino prohibetur. *L. 10. C. de Testib.* 10. debet confessio talis esse, ut non repugnet naturæ, nec juri. *L. 13. ff. de Interrog. in jur. faciend.* siquidem debet esse verisimilis. Sic non valeret confessio, qua quis declararet aliquem ipso ætate majorem esse suum filium: vel ipsum cum sit Christianus, esse servum alicujus Judæi: Nam prima confessio naturæ, secunda juri repugnat. *L. 6. tit. 13. p. 3.* prædicta debent concurrere, ut confessio sit undequaque plenà, & probationem legitimam inducat. Quod clarè habetur in *L. 4. tit. 13. p. 3.* ibi: *Muchas cosas ha menester que aya en si la conciencia, que fuere fecha en juicio, para tener daño à aquel que la face, è prò a su contendor, è son estas: Que sea de edad cumplida el que la face, assi como de suso mostramos: è que la faga de su grado, è non por premia, è à sabiendas, è non por yerro, è que la faga contra si. Cà si el conociesse cosa, que fuesse à su prò, non ternia daño à su contendor, si lo non probasse. E otrosi, que sea dicha en cierto sobre cosa, ò quantia, ò fecho. E la conocencia que ficiere, non sea contra natura, nin contra la Leyes deste nuestro Libro. E sobre todo, que sea fecha en juicio, estando su contendor, ò su personero delante. E todas estas cosas decimos, que debe aver la conocencia, que ha de ser valedera; è si alguna dellas fallecieße, non ternia daño a la parte que la fizo.*

133 Interrogatus in judicio debet clarè, & certo respondere: quod si fortè dubitet, & terminum petat ad se certificandum, ei debet à Judice concedi, nisi hoc ex Advocati suggestione faciat ad differendam litem. Nam tunc non debet illi terminus concedi, ne illi aliquam cavillationem Advocatus suggerat ad veritatem obscurandam. Et hac ratione non debet Advocatus adesse, dum Judex reum interrogat. Et in criminalibus non potest rei confessionem suscipere Tabellio, sed ipse Judex coram Tabellione eam suscipere debet, Tabellioque eam in scriptis, & actis ad litteram apponet, & scribet. *L. 3. tit. 13. p. 3. l. 2. tit. 7. lib. 4. R. C. Paz in Prax. tom. 1. p. 5. §. 4. ex n. 1.* debet etiam Judex reum in secreto examinare. *L. 3. tit. 30. p. 7.* & reus ad faciendam confessionem debet præstare juramentum de veritate dicenda. *L. 4. tit. 29. p. 7. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 13. n. 1.* Litigantes tenentur respondere positionibus ab adversario positis, & quidem per verba clara, scilicet: *nego*, vel *confiteor*; non per verba *credo*, vel *non credo. L. 2. tit. 7. lib. 4. R. C.* Et etiam positionibus negativis, quæ non aliundè, quam ex confessione adversarij probari possunt, potest quidem ipse cogi respondere, si æquitas hoc, juxta Judicis arbitrium exigat. *C. 1. h. t. in 6.* & confessio tunc facta, utpotè judicialis probat plenè *Barbos. in C. fin. h. t. n. 9.* Et licet reus attento Jure Communi non teneatur actori instrumenta propria edere, ne arma contra se ipsum ministrare videatur. *C. 1. de Probation.* tenetur tamen positionibus respondere: Et disparitas est: quia actor potuit sibi abinitio prævidere, quærendo instrumenta ad suam intentionem contra reum probandam; sed non potuit venire paritùs respectu confessionis, qua reus positionibus respondet, cum illa non sit in sua potestate: ideòque sibi imputare debet, quod

non paravit idonea instrumenta ad suæ intentionis probationem. Nam jura non dormientibus, sed vigilantibus subveniunt. C. 5. *de Præscript.* sed jam hodie, saltem ex consuetudine, indistinctè ab actore, & reo instrumenta eduntur. *Gonz. in C.* 1. *de Probat.Pareja, & alij.* Præterea. Confessio judicialis est probatio. *C.* 15. *de Restitut. spoliat. L.* 8. *l. fin. tit.* 14. *p.* 3. *L.* 2. *tit.* 21. *lib.* 4. *R. C. Et ibid. Acevod. n.* 21. quamvis alij dicant, quod non est probatio, sed relevatio probationis quam deberet facere pars adversa: Et quidem adeò efficax est, ut alias probationes per testes, & instrumenta superet. *Arg. L. un. C. h. t.* vel saltem æquet. *L.* 2. *tit.* 13. *p.* 3. ideoque dicitur, quod post confessionem delinquentis nullæ sunt judicis partes, nisi ad condemnandum. *L.*16. *C. de Pœnis*, admittiturque contra præsumptionem juris, & de jure, licet aliæ probationes excludantur. Imò, & admittitur post conclusionem in causa. *C.* 10. *de Fide Instrument.* & per ipsam retractatur res judicata: Etiam admittitur confessio lapsis decem diebus datis in via executiva ad probandas exceptiones, licet alia probatio non admittatur. *L.* 2. *tit.* 21. *lib.* 4. *R. C. Et ibid. Acevedo*, & cum hujusmodi confessio notorietatem inducat. *C.* 7. *de Cobabit. Cleric.* appellationem consequentèr tollit. *C.* 13. *c.* 14. *de Appellat. L.* 2. *C. Quorum appellat. non recip.* Post confessionem in causa criminali factam, cum tunc confessus non pro judicato, sed pro convicto habeatur, pronuntianda est, & ferenda sententia definitiva. *C.*2. *h. t. L.*5. *ff. de Custod. reor. l.* 2. *tit.* 13. *p.* 3. nec confessio executioni mandatur, nisi subsequatur judicis sententia: siquidem ob maximum periculum vitæ, & pœnæ incertitudinem expedit, sententiam ferri, ne fortè rei tædio vitæ, vel tormentorum metu, vel errore, vel dementia, magis quam conscientia delicti confiteantur: ideoque prius debet de corpore delicti constare, id est, debet constare, vel per ocularem inspectionem, vel per aliam probationem legitimam, verè esse commissum delictum, v. g. homicidium, vel furtum, quod quidem reus fatetur: Nam etiam si reus fateatur, se occidisse Titium, si Titius ipse vivat, non tenet talis confessio. *L.* 23. §. *fin. ff. ad Leg. Aquil. L.* 5. *tit.* 13. *p.* 3. *Paz in Prax. tom.* 1. *p.* 5. *cap.*3. §.4. *n.*20. In civilibus autem si confessio fiat post litis contestationem, etiam requiritur sententia. *L.* 3. *l.* 5. *ff. h. t. C.* 10. *de Transactionib. L.* 2. *tit.* 13. *p.* 3. ibi: *E por ende el Judgador, ante quien es fecha la conoscencia, debe dar luego juicio afinado por ella, si sobre aquella cosa, que conoscieron, fué comenzado pleyto por demanda, è por respuesta.* Siquidem judicium semel cœptum sententia terminandum est, & Judex debet pronuntiare de quo cognovit. *L.* 74. *ff. de Judic.* Si verò quis ante litis contestationem fateatur debitum, non est necessaria sententia, sed sufficit judicis præceptum de solvendo. *L.* 21. *ff. de Judic. l. un. C. h. t. l.* 2. *tit.* 13. *p.* 3. *l.* 7. *tit.* 3. *p.* 3. Et en facili negotio solutum nodum, in quo componendo dimicant DD. sibique opponunt *signa, pares Aquilas, & pila minantia pilis.*

134 Qui tantum incidentèr confitetur crimen in judicio non punitur pœna ordinaria. *C.* 1. *de Exception.* nisi Judex novo processu instituto inquirat in criminosum. Quod si tunc probetur delictum potest Judex pœnam ordinariam infligere. *C.* 2. *h. t. Gonz. ibid. n.* 4. vel si illud crimen, quod reus confitetur contingat principale negotium, ut in *C.*2. *h. t. Et Glos. ibid.* V. *Confessus.* Confessio qualificata, si qualitati adjectæ obstet juris præsumptio, potest admitti quoad substantiam,& rejici,quoad qualitatem, nisi à parte eam allegante probetur: v. g. si quis fatetur, se dixisse verba contumeliosa, sed sine animo injuriandi, vel fateatur, se Titium occidisse, sed addat, causa defensionis hoc fecisse: quia in his casibus præsumitur animus injuriandi, & occidendi. *L.* 1. *C. ad Leg. Cornel. de Sicar.* confessio admittitur quatenùs probat injuriam, & homicidium, non verò, quoad exceptionem adjectam, nisi à parte probetur. At verò Judex in casu homicidij sic confessi non infliget pœnam ordinariam mortis: Siquidem ad ipsam imponendam manifestissima requiritur probatio, & ipsa luce meridiana clarior. *L. fin. C. de Probation.* sed aliam mitiorem pœnam decernet. *Menoch. de Arbitr. cas.* 93. *n. fin. Gom. Hevia, & alij com.* si reus negavit homicidium, & postea sit de illo convictus, adhuc potest allegare, & probare, hoc fecisse ad sui defensionem: Et ideò debet respondere in confessione: se non fecisse homicidium, sed dato, & non concesso, illud commisisse, hoc in sui defensionem fecisse. Et hic modus respondendi in praxi servatur. *Hevia in Cur. Philip. p.* 3. §. 13. *n.* 12. Quod si non obstet juris præsumptio, & qualitas sit negotio conjuncta: ut si confiteatur, se promisisse sub conditione, tota debet acceptari, vel repudiari tota: quia illa conditio censetur pars negotij prin-

principalis: Si verò qualitas sit separata, v. g. si quis fateatur debitum, sed dicat pact in esse adjectum de non petendo, acceptatur confessio tantum, quoad debitum, & rejicitur quoad qualitatem pacti, nisi ipse confitens pactum probet. *Perez in C. h. t. n.* 15. Recusans respondere positionibus adversarij in criminalibus non habetur pro confesso: quia ut quis in criminalibus condemnetur clariores probationes requiruntur. *L. fin. C. de Probation.* in civilibus tamen si post litem contestatam aliquis jussus respondere recuset, habetur utique pro confesso, quoad ea, quæ in positionibus continentur. *C. fin. h. t. in 6. l. 1. l. 2. tit. 7. lib. 4. R. C.* nisi rationabilem causam se excusandi habeat: v. g. si positio esset incerta, dubia, obscura, calumniosa, impossibilis, vel si contineret crimen rei omninò occultum, vel quæstionem juris: in his nempè casibus non tenetur reus respondere. Et quidem ut recusans respondere habeatur pro confesso requiritur sententia judicis declaratoria. *Glos. in C. fin. h. t. in 6.* attamen adversus hanc præsumptionem admittitur probatio, quia licet sit juris præsumptio, non tamen est de jure.

135 Confessio extrajudicialis in criminalibus contra ipsum confitentem, si non sit calore iracundiæ facta, sed verisimilis sit, & certa, quæ contineat locum, & tempus delicti, & sit probata legitimè in judicio per duos testes, indicium facit ad torturam, etiamsi talis confessio fiat à minore, & etiam absente parte. *Arg. L. fin. tit. 13. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. Gom. Var. 3. cap. 13. n.* 8. nunquam tamen facit probationem plenam, etiamsi jurata, & geminata sit. *Barbos. in C. fin. h. t. n.* 10. quod si contra tertium fiat, nec tale indicium, sed aliquam præsumptionem ad purgationem Canonicam facit. Si verò in civilibus confessio extrajudicialis tendat ad liberandum à debito, v. g. si quis dicat: fateor te mihi non teneri: si acceptetur ab adversario, cum fiat ab eo, qui potest remittere debitum, si quod est, ejus liberationem inducit. *L. 40. ff. de Pactis*, si ad obligandum confitentem tendat plenè probat, si adjiciatur causa, ex qua debetur: & tunc dicitur *confessio discreta*: debet tamen fieri coram adversario, & per duos testes probari. *C. 14. de Fide Instrum. L. 13. C. de Non numer. pecun.* ubi concludit: *Nimis enim indignum esse judicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere. Perez in C. h. t.* *n.* 18. *Hevia in Cur. Philip. p.* 1. *§.* 17. *n.* 6. Si tamen non expressa causa debiti, etiam coram adversario confessio fiat: vel etiam ipsa expressa absente tamen adversario fiat, regulariter tantum semiplenè probat. Si tamen sit jurata, vel post intervallum repetita, & geminata, vel in scriptis recepta; vel in favorem causæ piæ facta, vel acceptata ab alio nomine illius, cujus interest, etiam sine ejus mandato, dum tamen postea ab ipso ratificetur plenè probat. *Gutier. de Jur. Confirm. Gom. 2. Var. cap. 11. n. 6. Hevia in Cur. Phil. p. 1. §. 17. n. 6. Barbos. in C. fin. h. t. n.* 10. Præterea plenè probat talis confessio, etiam absente adversario facta, si ipsi unius testis testimonium, vel alia præsumptio, vel indicium adjungatur. Quippè in civilibus ex duabus semiplenis probationibus plena probatio resultat. *Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 17. n.* 6. Si non expressa causa, & absente adversario fiat, nihil probat. *L. fin. tit. 13. p.* 3. Aliquando hæc confessio pro majori deliberatione confitentis magis probat juxta *Mascard. & alios.* Confessio in testamento non revocato facta in præjudicium tertij non probat. *Arg. L. 6. C. de Testament.* adeò ut matri testanti, filium suum esse illegitimum, non sit credendum; nec propterea debeat ab hæreditate talis filius excludi. At verò in præjudicium ipsius testatoris probat, etiam contra hæredes, sive tendat ad liberationem alterius, sive ad exonerandam conscientiam defuncti. Imò si dicat, se alteri debere centum, quæ certè ei non debet: hæc confessio licet non valeat in ratione debiti, valebit in vim legati, si creditor capax legati sit. *L. 88. §. 10. ff. de Legat. 2. Gom. Var. 1. cap. 12. n.* 81. Si verò non sit legati capiendi capax talis legatarius, nullo modo valebit confessio, utpotè facta in Legis fraudem. Quod si testator revocet testamentum, etiam revocata confessio censetur, nisi à parte sit acceptata, vel a Notario pro ea: nam tunc cum jam in naturam contractus transierit non potest revocari.

136 Potest quis non solum per se, sed etiam aliquando per procuratorem confiteri: ut tamen possit procurator facere confessionem pro Domino, ita ut confessio illi præjudicet, non sufficit, quod habeat generale mandatum, sed debet habere mandatum speciale ad confessionem, vel generale cum libera, quod speciali æquivalet. *C. fin. h. t. L. 20. ff. de Interrog. injur. L. 1. tit. 13. p. 3. l. 2. tit. 7. lib. 4. R. C.* Et hac ratione Æconomus cum ple-

nam administrationem à jure habeat, sua confessione præjudicat Ecclesiæ. *C. fin. h. t.* idem est dicendum de Syndicis; qui à Civitatibus constituuntur. *Acevedo in L. 2. tit. 7. lib. 4. R. C. n.* 20. & similitèr dicendum est de Tutoribus, & Curatoribus. *Perez in C. h. t. n.* 12. Quod si Procurator, Æconomus, Tutor, Curator, vel Syndicus Civitatis extra officij necessitatem aliquid asserant, talis confessio nec Dominis, nec Minoribus, nec Civitati, nec Ecclesiæ; sed tantum Procuratori, Æconomo; Tutori, Curatori; vel Syndico præjudicat. *L. 6. §. 4. ff. h. t. junct. Gothofr. ibid.* siquidem alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri. *L. 74. ff. de Reg. jur. L. 9. §. 4. ff. de Interrogat. injur.* Prælatus ex officio, & necessitate confitendo, secus si voluntarie hoc faciat, præjudicat Ecclesiæ. *Arg. C. 1. de In integr. restitut.* Ecclesia tamen læsa potest restitui. *C. fin. de In integr. restit. in 6.* Alij dicunt; quod Prælatus præjudicat Ecclesiæ in confessione rei, quam ipse per se facere potest, secus in alijs. *Sic Gonz. in C. fin. h. t. n. fin.* Successor universalis cum in omnia jura defuncti succedat, potest confessionem defuncti revocare, quando, & ipse defunctus si viveret, revocare posset. Siquidem aliquando licet confitenti suam revocare confessionem. Et quidem in continenti post ipsam confessionem potest reus eam revocare, etiamsi nullum probet errorem, sufficit enim si illum alleget. In continenti intelligitur facta revocatio, quæ fit antequam reus à Judice recedat. *Arg. C. 7. de Testib. cogend. Et ibid. Glos. V. in continenti.* Etiam ex intervallo potest reus, ante sententiam tamen, revocare confessionem in judicio factam à Procuratore, vel Syndico, vel alijs hujusmodi, probando, quod res non ita se habeat, sicut ex confessione constat, cum error in facto alieno probabilis habeatur, *L. fin. in fin. ff. Pro suo.* Post sententiam tamen non potest revocare talem confessionem. *C. fin. h. t. L. 1. tit. 13. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* Imò, & confessionem propriam potest quis ante litis contestationem revocare, probando, rem alitèr se habere: post litis tamen contestationem potest adhuc revocari confessio, etiamsi jurata sit; est tamen necessarium probare errorem, vel causas probabiles erroris: v. g. debet pars probare, se inductam ad confessionem fuisse dolo, aut metu alterius, vel negotium esse intrincatum, & perplexum, vel factum esse valdè antiquum, vel quid simile. *C. fin. h. t. L. 7. C. de Juris, & fact. ignor. L. 5. tit. 13. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* qui addit, confessionem erroneam, etiam sæpius repetitam non nocere. Hæc tamen revocatio debet ante sententiam fieri. Nocet tamen confessio, si quis falsum sponte confiteatur: v. g. si dicat, se alteri debere, vel alterum sibi non debere: Nam tunc confitens, vel illam quantitatem donare, vel debitum remittere censetur. Deindè, nocet confessio, si quis erret in proprio facto, vel si error facti procederet ex culpa lata versutiæ; vel si erret in jure: in his enim casibus non revocatur confessio: nam tales errores tolerabiles non sunt. *L. 9. ff. de Jur. & fact. ignor.*

TIT. XIX.

De Probationibus.

137 PRobatio juxta *Acturstam in Rubr. C. h. t. Est rei dubiæ per argumenta ostensio.* Et sic dicitur à *probè* adverbio. *Probè enim agit, qui probat, quod intendit. L. 1. tit. 14. p. 3.* ibi: *Prueba es averiguamiento, que se face en juicio en razon de alguna cosa, que es dudosa.* Siquidem quæ manifesta sunt non probantur. *C. 9. de Accusation.* tantum enim probantur ea facta, quæ sub lite, & controversia sunt, & quidem cujuscumque generis sint, sive criminalia, sive civilia, sive sacra, sive profana. Non tamen probatur id, quod in jure consistit: nam Judex censetur illud scire, ac proindè sufficit, illud allegare, nisi forte illud jus sit Municipale, vel consuetudinarium: Nam cum hoc aliquomodo pertineat ad factum, debet ab illud allegante, probari, quia Judex illud ignorare potest. *C. 1. de Constitution. in 6. L. 7. tit. 14. p. 3.* Probatio multiplex est: alia enim est *artificialis, inartificialis* alia. Artificialis est quæ arte, & industria probantis per argumenta ex ipsis rei visceribus deducta, conficitur: Talis est, quæ per præsumptiones fit. *Inartificialis* est, quæ extrinsecus assumitur à testibus, instrumentis, confessione, & alijs hujusmodi. Alia est *judicialis, extrajudicialis* alia. *Judicialis* est quæ fit post litis contestationem, & quidem in judicio hæc solum admittitur. *Extrajudicialis* est quæ ante litis contestationem, vel extra judicium fit. Sed præcipua probationis divisio est *in plenam, & non plenam.* Sive hæc semiplena, sive major, sive minor semiplena sit; nam in has rursus *non plena* subdivi-

dividitur. *Plena* etenim est, *quæ plenam fidem facit Judici, ut sententiam ferri possit.* Et quidem fit, vel per instrumentum publicum, & authenticum; vel per depositionem duorum testium omni exceptione majorum, vel per confessionem judicialem ipsius rei, vel per evidentiam facti. *C.* 15. *de Restitut. spoliator. L.* 8. *tit.* 14. *p.* 3. vel per præsumptiones vehementes, vel per juramentum à patre delatum: *L.* 8. *tit.* 14. *p.* 3. licet aliqui scrupulosè loquantur de confessione rei; & de facti evidentiâ, seu Judicis inspectione. Sed cum tales probationum species in Lege Regia admittantur, nobis sufficit; ut eas à Doctorum impugnationibus defendamus.

138 Probatio non plena aliquandò *semiplena*; aliquandò *major*, aliquandò *minor* semiplenâ est: & ideo à semiplena, ut aliarum mensura incipiendum est. *Semiplena* igitur probatio est, quæ aliquam, non tamen plenam fidem Judici facit, ita ut non sufficiat ad sententiam ferendam. Efficitur talis probatio per depositionem unius testis omni exceptione majoris; vel per depositionem plurium singularium, vel etiam duorum concordantium; sed non omni exceptione majorum, vel per scripturam privatam; vel per juramentum suppletorium; vel per præsumptionem verisimilem, vel per famam, vel per comparationem litterarum, vel per alia hujusmodi. Hinc infertur, quod probatio *major* semiplenâ est illa; quæ majorem habet firmitatem, quam semiplena; ut depositio personæ valdè excellentis, quando ejus testimonium solum invenitur, & è contra probatio *minor* semiplenâ est, quæ minorem firmitatem, quam semiplena habet: ut aliqua levis præsumptio.

139 Si ergo probatio major semiplenâ aliquo adminiculo juvetur: v.g. si depositioni personæ valdè excellentis, & veracis accedat depositio alterius fidei non adeò integræ, ut possit dici omni exceptione major, facit probationem plenam, ita ut quod uni testi deest, suppleatur per id, quod alteri superest, & ex dicto utriusque una plena probatio conficitur: quinimò aliquando probatio plusquam semiplena sufficit ad sententiam ferendam in civilibus non arduis, nec magni præjudicij. Semiplena probatio, si alia semiplenâ juvetur, probationem facit plenam, si utraque ad eundem finem tendat, etiamsi diversi generis sint. Sicque fidem plenam faciunt in civilibus levioribus præsumptiones cum fama publica, vel unus testis cum juramento suppletorio, *C.* 13. *h. t. c.* 27. *de Testib.* secus est in civilibus valdè arduis, in matrimonialibus, & in criminalibus, in quibus ob maximum præjudicium, quod potest resultare, clariores probationes desiderantur. *L. fin. C. h. t.* Deinde, semiplena probatio dat locum juramento suppletorio: *C.* 2. *h. t.* & aliquando ab onere probandi liberat: imò aliquando sufficit ad sententiam ferendam, ut si impedimentum matrimonium irritans ab uno teste declaretur ante contractum matrimonium: Nam tunc sufficit illa declaratio ad matrimonium impediendum. *C.* 12. *de Sponsal.* & in alijs similibus casibus, ubi favor animarum; & ratio vitandi peccatum versatur. Probatio minor, quam semiplena interdum sufficit ad apprehensionem suspecti; vel ut illi indicatur juramentum purgationis. *C.* 5. *c.* 8. *de Purgat. Canonic.* & alijs adminiculis adjuncta aliquando plenam, aliquando semiplenam, aliquando plusquam semiplenam probationem pro diversitate circumstantiarum, faciet; *arg. L.* 4. *C. h. t.* Semper tamen debet attendi, quod non fiat, nec admittatur in judicio probatio rei, quæ ad negotium principale judicij non spectet. *L.* 22. *C. h. t. l.* 7. *tit.* 14. *p.* 3. Et quidem probatio debet esse clara, & certa, ita ut instructus Judex de litigantium intentione certam, juxta ipsam probationem, seu secundum allegata, & probata, ut communiter dicitur, possit ferre sententiam. *C.* 8. *h. t.* probatio etenim Judici fieri debet; siquidem hic debet de causa judicare; non tamen parti: huic enim frustra fieret: nam semper eam negaret. *L.* 12. *ff. h. t. Et ibid. Glos.* V. *Judici. L.* 7. *tit.* 14. *p.* 3. nec vellet intelligere, etiam rem evidentem; ut bene ageret. Probatio regulariter fit post litem contestatam. *C.* 1. *& per tot. Ut lite non contest.* estque facienda juxta formam libelli; & citata parte adversa ad ejus receptionem: nec admittitur probatio post publicatas attestationes, seu testimonia; & conclusionem in causa: quia tunc jam censetur probationibus renuntiatum. *C.* 6. *h. t.* debetque concludi intra terminum à jure præscriptum. Et à Judice debent probationes excipi scripto, medio Notario, seu Tabellione, vel coram ipso Judice, & duobus adjunctis, qui locum Notarij, seu Tabellionis subeunt, ejusque vices supplent, fiet probatio; & testium depositio. Et sic practicatur in his Insulis: nam Prætores Indorum, *Hispanè*: *Alcaldes Majores*, cum duobus adjunctis formant processum, cæteraque judicialia faciunt.

Et

Et tanquam si coram Notario, vel Tabellione fierent, habent fidem publicam in judicio. Quod si processus non fiat coram Notario, vel coram Judice, & adjunctis, etiamsi in summario sit, non facit fidem in judicio. *C.* 11. *h. t.* Qui semel suam intentionem plenè probavit, non tenetur talem probationem juramento etiam obligato à Judice, vel statuto à consuetudine, quæ potius est corruptela, confirmare. *C.* 2. *h. t.* quia cum jam sit plenè probatum, non est necessarium juramentum, quod quidem solum in probationis defectum, & ad ejus supplementum deferri solet: ac proinde, cum superfluum sit, non debet permitti: nec qui certus est, amplius debet certiorari. *C.* 31. *de Reg. jur. in 6.* Et eadem ratione ille, contra quem plene probatum est, utpotè quod jam non tantum suspectus, sed & convictus est non admittitur ad purgationem canonicam per juramentum. *C.* 12. *h. t.* per testes tamen potest suam innocentiam probare. *C.* 35. *de Testib.*

140 Onus probandi in quacumque causa, sive civili, sive criminali, sive spirituali, sive profana incumbit actori affirmanti, non verò reo neganti. *L.* 21. *ff. h. t.* quod si actor non probet, etiamsi reus nihil præstiterit, nullamque probationem fecerit, nec defensionem pro se attulerit, reus absolvitur. *L.* 4. *C. de Edend. C. fin. §. Sanè, de Jur. jur. L.* 1. *tit.* 14. *p.* 3. ibi: *E naturalmente pertenece la prueba al demandador, quando la otra parte negare la demanda, o la cosa, ò el fecho sobre la pregunta que le face. Cà si non lo probasse, deben dar por quito al demandado de aquella cosa, que non fuè probada contra èl, è non es tenuda la parte de probar lo que niega, porque non lo podria facer; bien assi como la cosa, que non se puede mostrar, nin probar segun natura.* Hinc Judici ex officio procedenti, & inquirenti, cum tunc loco accusatoris sit, incumbit onus probandi contentum in inquisitione: siquidem semper tenetur quis suæ intentionis fundamentum probare. Quod si præsumptio stet pro actore relevatur hic ab onere probandi, & transfert in reum hujusmodi onus, etiam quando reus negat. *C. un. Ut Ecclesiast. Benef. L. fin. ff. Quod metus caus.* Similitèr si actor est persona privilegiata, ut pupillus, minor, mulier, miles, vel rusticus in reum onus probandi transfertur, ut in casibus. *L.* 25. *§.* 1. *ff. h. t. l.* 13. *§. fin. ff. de Publician.* Aliquando etiam reus renunciando suo juri ultro subit onus probandi. *L.* 14. *ff. h. t.* quod si nec ipse, nec actor probaverit, absolvitur ipse reus ab instantia judicij: non tamen amittit causam, nisi ad hoc se obligaverit. Quando verò reus actori opponit exceptionem affirmativam. V. g. si dicat, se solvisse, debet illam probare. Siquidem quoad talem exceptionem habetur, ut actor. *L.* 1. *ff. de Exceptionib.* quod si actori opponat exceptionem negativam: v. g. non accepisse pecuniam, actori incumbit probare, se pecuniam tradidisse. *L.* 3. *C. de Non numerat pecun.* Huc potest reduci, quando Judex ex justa causa reo defert juramentum: nam tunc tenetur reus tale juramentum, quod loco probationis succedit, præstare. *L.* 38. *ff. de Jur. jur.* in judicijs duplicibus, in quibus uterque litigans est actor, & reus, uterque probare debet. Talia sunt judicia familiæ herciscundæ, communi dividundo, & finium regundorum. *C.* 3. *b. t. L.* 13. *l.* 14. *ff. de Judic.* Et qui melius probaverit, vincet; quod si uterque æquè probet, absolvendus erit possessor, cum promptiora sint jura ad absolvendum, quam condemnandum. *C.* 3. *h. t. L.* 40. *tit.* 16. *p.* 3. Is verò, qui ad judicium provocavit, vicem actoris sustinet, ut sic facilius ordinetur processus: si non constet, quis provocavit; forte dirimitur, quisnam actor habeatur. *L.* 13. *l.* 14. *ff. de Judic.* Quando in interdicto restituendæ possessionis uterque contendit insolidùm eandem rem possidere, cum uterque actor, & reus sit, uterque debet probare possessionem, & titulum, si ad illum probandum se offerant, ut constet pro quo sit pronuntiandum, vel quis possessionem habeat antiquiorem. *C.* 9. *h. t.* in dubio tamen hæc regula servanda est, quod ille, qui semel fuit Dominus alicujus rei, vel illam possedit, vel habuit in pignore, vel in deposito, præsumitur semper Dominum esse, vel possessorem, vel depositarium, donec contrarium probetur. *L.* 16. *C. h. t. l.* 10. *tit.* 14. *p.* 3.

141 Regularitèr reus ab onere probandi eximitur, quia negativa, in qua ipse fundatur, probari non valet. Sed quia hoc aliquando fallere solet, pro perfecta ejus intelligentia triplex negativa distinguenda est. 1. est *negativa juris*: quando scilicèt negatur, aliquid posse de jure fieri. 2. est *negativa qualitatis*, quando scilicèt negatur, aliquam qualitatem alteri inesse. 3. denique est *negativa facti*, quando scilicèt, aliquod factum negatur. Qui ergo negat, quod de jure cuilibet permittitur, nisi specialitèr prohibeatur: v. g. aliquem posse esse Judicem, Advocatum,

vel

vel testem, tenetur suam intentionem probare, cum pro adversario stet præsumptio: Nam licita, & permissa censentur, quæ non probantur prohibita *L.* 28. §. 2. *ff. Ex quibus cauf. major.* & præcipue, quia ipsa negativa benè potest à negante probari, cum ad affirmativam reducatur: scilicet, dari Legem talia prohibentem. Quando verò quis negat, quod de jure prohibitum est: v. g. si quis neget, aliquem hominem licitè occidi: tunc affirmans hoc licitum esse, illud probare tenetur, non vero id negans, cum præsumptio pro negante contra affirmantem militet. *Arg. L.* 3. *tit.* 13. *p.* 3. Qui tamen negat aliquam qualitatem, quæ omnibus naturalitèr inest, v.g. aliquem esse compotem mentis, vel legitimum, cum pro illo stet præsumptio illius qualitatis, ipse negans probare tenetur illi eam qualitatem deesse: cumquilibet præsumatur talis, qualis natura esse debet. Hinc, qui negat hæreditatem, vel legatum alteri relictum deberi, quia negat, testatorem esse mentis compotem, cum fecit testamentum, hoc probare tenetur, quia pro alio stat præsumptio, & alias de hæc negativa ad affirmativam reducitur: scilicet, testatorem fuisse amentem, vel furiosum, dum testamentum condidit: quod si hoc non probet, valebit utique testamentum, & hæreditas, vel legatum debebitur, etiamsi altera pars nihil probet. *L.* 5. *C. de Codicil. l.* 2. *tit.* 14. *p.* 3. Si vero quis neget, qualitatem, quæ non inest omnibus naturalitèr, sed accidentalitèr aliquibus accedit. v. g. si quis neget, alium esse nobilem, vel Doctorem, vel Hispanum, vel quid simile, & agatur de aliquo removendo à dignitate ob illius qualitatis defectum, neganti incumbit probatio, quia pro alio stat possessio dignitatis, in qua in dubio debet sustineri, ac consequentèr pro eo stat illius qualitatis præsumptio: sed independentèr à possessione regulariter, non neganti, sed affirmanti, se habere talem qualitatem incumbit probatio, quia non præsumitur, talem qualitatem, utpotè quæ accidentalis est, adesse. Et hoc in praxi quotidiè videmus in his qui ad Dignitates, Præbendas, Collegia, Ordines Militares, aliasque Communitates exigentes in admittendis nobilitatem, puritatem sanguinis, vel gradum Doctoris, eliguntur, qui quidem non alitèr admittuntur, quam probatione talium qualitatum præcedente. *Arg. l.* 7. *C. de Profess. & Medic. lib.* 10. Etiam is qui ut petitur, si neget, se esse servum, & in possessione libertatis eximitur ab onere probandi, & adversarius tenetur, illum esse servum probare; quod si ille, cum in servituris possessione sit, ad libertatem proclamet, si Dominus probat possessionem non violentam, nec dolosam, tenetur servus probare libertatem, vel possessionem esse dolosam, vel violentam. *Arg. l.* 14. *l.* 20. *ff. b. t. l.* 5. *tit.* 14. *p.* 3. Similitèr, si Minor petat à Curatela liberari, asserens, se majorem esse, & hoc neget Curator, ipse minor tenetur probare esse majorem: quod si Curator intendat à Curatela liberari, quia dicat, suum clientem majorem esse, ipse Curator hanc majoritatem probare tenetur. Quod si minor velit, contractum ab ipso factum infirmare: quia dicit, se esse minorem, tenetur minoritatem probare: Et sic de alijs: Et ratio est: nam in his, & similibus casibus non attenditur quis affirmet, vel neget ex cortice verborum, sed quod quilibet probet suæ intentionis fundamentum.

142 Tota jam ergo difficultas reducitur ad negativam facti, quæ per naturam dicitur improbabilis: Sed hoc non ita indistinctè accipiendum est, ut sit verum semper, & ubique. Nam triplex communitèr negativa facti distinguitur. Alia enim est *negativa facti, pura, simplex, & indefinita*: quæ scilicèt, nullam loci, temporis, vel alterius circunstantiæ determinationem habet: v.g. si quis dicat: non contraxi: non occidi: & hæc quidem probari nequit. *L.* 23. *C. b. t.* ibi: *Cum per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit. L. t. l.* 2. *tit.* 14. *p.* 3. quia nullius entis nullæ sunt qualitates, ex quibus probatio possit desumi. Alia dicitur *negativa prægnans*, quæ scilicèt affirmativam in se continet: v.g. si quis dicat, se non sponte renuntiasse beneficio: & hæc potest, & debet probari à negante: quia saltem indirectè affirmat vim sibi illatam fuisse. *C.* 5. *de Renuntiat. L.* 8. *ff. b. t.* Alia denique est negativa, quæ *coarcta* dicitur, quia ad certum locum, tempus, vel aliam circunstantiam coarctatur, & restringitur. V.g. si quis dicat, se non occidisse Titium tali die, vel tali loco: Et hæc quidem à negante probanda est: Siquidem ad affirmativam reducitur probando se tali die in alio loco valdè distante fuisse, ita ut non posset in illo tempore esse in loco, ubi commissum fuit homicidium: v. g. si die quo dicitur aliquem homicidium Commisisse Granatæ probet se Salmanticæ fuisse: vel si hora, qua commissum crimen in foro dicitur, probet se fuisse in Ecclesia.

C,

C. 35. *de Testib. l.* 14. *C. de Contrahend. stipulat. Arg. l.* 117. *tit.* 18. *p.* 3. *l.* 32. *tit.* 11. *p.* 5. & *Hispanè* dicitur *Coartada. Aceved. in l.* 4. *tit.* 17. *lib.* 8. *R. C. n.* 39.

143 Licet actor, qui ut voluntariè provocans ad judicium debet instructus accedere, consequentèr teneatur edere reo sua instrumenta: at vero reus, qui invitus trahitur ad judicium; ad quod non ad lædendum, sed tantum ad se defendendum accedit, non tenetur sua instrumenta actori edere *L.* 73. *ff. de Rei vindicat. C.* 1. *h. t.* ibi: *Nulli dicendum est: ea quæ contra te sunt apud temet ipsum debes documenta requirere, in mediumque proferre.* Aliquando tamen potest etiam reus cogi sua instrumenta edere, scilicèt. 1. Si actor habet jam fundatam suam intentionem, quia jam probavit contractum, v. g. celebratum esse cum ipso, sed dubitatur de conditionibus, vel circunstantijs illius. *L.* 48. *l.* 52. *ff. de Action. empt.* 2. si instrumenta sint utrique litiganti communia: sive hæc communio proveniat ratione proprietatis, ut est instrumentum defuncti respectu hæredum; sive ratione actus, ut est instrumentum venditionis, respectu emptoris, & venditoris; sive ratione officij publici, ut sunt acta judicialia, libri censuales, & alia hujusmodi, quæ ad utilitatem publicam scribuntur. Tunc enim tenetur reus hæc instrumenta edere *L.* 10. *ff. de Edendo, l.* 7. *C. Eod. l.* 5. *ff. Famil. hercifcund. C.* 12. *h. t.* 3. si fiscus in causa Civili agat, ob ejus privilegium eduntur instrumenta rei. *L.* 2. §. 1. *ff. de Jur. Fisci*, quod privilegium ad Ecclesias, aliaque loca pia extendunt *Abb. Dec.* & *Felin.* non tamen extenditur ad casum, quo fiscus in causa Criminali agat. 4. Usurarij compelluntur, etiam sub censuris, edere libros rationum, ut actur ex eis possit illorum, usuras probare. *Cl. un.* §. *Cæterum, de Usur.* 5. si actor probat, amisisse sua instrumenta incendio, naufragio, vel ruina, vel alio simili casu; aut illa in longinquo habere: tunc enim reus cogitur actori succurrere sua instrumenta edendo. *L.* 6. §. 9. *ff. de Edend.* 6. quando actor indiget instrumentis rei ad probandam suam replicationem contra reum: quia jam intelligitur, habere fundatam intentionem, & solum indiget rei instrumentis ad probandam illam quasi exceptionem contra exceptionem rei. 7. Reus tenetur actori edere instrumenta si ea produxit in judicio: tunc enim actor potest petere, quod sibi edantur, ut possit deliberare an agere, vel cedere velit. *L.* 1. §. 3. *ff. de Edend.* Sed hodie, saltem in Nostra Hispania, in praxi habetur, quod reus teneatur sua instrumenta edere actori, sicut actor sua instrumenta edit reo, ut sic major æqualitas inter utrumque litigantem servetur, & non coangustetur probationum facultas. *L.* 21. *in fin. C. de Heret.* sic *Pareja, Larrea, Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 14. & *alij.* Et hac ratione non licet pactum, ne quidem juramento firmatum, quo quis obligatur certo tantum genere probationum uti: quia contra bonos mores est occultare Veritatem, quam aperiri oportet. *C.* 1. *de Crimin. falsi.* & contra publicam utilitatem legitimos modos probandi coarctare. *L.* 21. *in fin. C. de Haretic.* Et hinc, quando causa ad alium judicem devolvitur, processus cum suis probationibus ad ipsum remittitur. *C. fin. h. t. C.* 11. *de Testib.* & fidem faciunt inter eosdem litigantes apud illum judicem: quod si forte acta judicialia amittantur, omnia in illis contenta probari possunt per duos testes, qui deponant, se ea vidisse, & legisse; imò, & aliquando per partium confessionem probantur. Nunc ergo dicere oportet, quomodo in aliquibus casibus in particulari probatio fiat.

144 Si igitur de alicujus ætate controversia moveatur, quia ad aliquod officium, vel dignitatem, certam ætatem requirentem sit electus: debet illius ætas probari ex Libro baptismali Parochorum, vel ex testimonio parentum ipsius, vel etiam obstetricum, & aliorum, qui interfuerunt nativitati, vel baptismo, vel denique si aliæ desint probationes, potest probari ex indicijs, vel conjecturis ex corporis habitu desumptis. Sic *Mascard. Menoch.* & *alij.* Si filiatio probanda sit, ex parte Matris certo probari potest. *L.* 5. *ff. de in Jus vocand.* ex parte verò Patris solum per verisimiles conjecturas probari valet. Et quidem quis præsumitur alterius filius, si natus sit ex ejus uxore cum ipso cohabitante, cum aliunde ipse potens sit generare. *L.* 6. *ff. de His, qui sui.* etiamsi uxor alibi habitaverit, si maritus ad eam accedebat; & non tanto tempore abfuit, ut non posset illum filium habere. *L.* 9. *Tit.* 14. *p.* 3. imò etsi eo tempore uxor adulterium cum alio commisisset, & etiamsi filius similis sit adultero; quippè hæc similitudo potest provenire ex imaginatione fœminæ tempore conceptionis: Nam semper ac potest, præsumitur filius legitimus in favorem matrimonij: pro quo benignior interpretatio facienda: Siquidem dubia in meliorem partem interpre-

pretari debent. C. 2. *de Reg. jur. Menoch. de Arbitr. cas.* 89. *n.* 20. ac proinde talis filius non potest debita privari hæreditate, etiamsi Mater asserat, talem filium illegitimum esse. Tunc namque Matri non creditur, quia præterquamquod est testis singularis, de propria turpitudine deponit. *L.* 9. *tit.* 14. *p.* 3. nec contra talis filij legitimitatem admittitur probatio: Nam ipsum legitimum esse, est præsumptio juris & de jure. *Gonz. in* C. 10. *h. t. n.* 10. Similitèr natus ex concubina præsumitur filius eam in domo habentis. Alijs etiam modis probatur filiatio quoniam si quis ab alio nominatus est filius non ex errore, vel blandiendi causâ, sed serio, & in actu, quo ipsi soli conveniat talis nuncupatio v.g. in judicio, vel in publico instrumento, & ut talis educatus, & tractatus sit, pro filio habendus est, donec contrarium probetur, nec juri sic adquisito obstabit contrarium juramentum parentis. C. 10. *h. t. Quia dignum est, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistuere. L.* 13. *C. de Non numerat. pecun.* Etiam ex communi fama probatur filiatio, præcipuè, si fama sit vicinorum, & domesticorum, qui talitèr nominatum communitèr esse, & ut filium habitum deponant: Tunc enim plenè probatur filiatio, imò, & fama sola sine alijs adminiculis plenè probat filiationem juxta *Menoch. & alios.* Semiplenè tantum famam solam probare, tenendum est *ex L.* 3. §. 2. *ff. de Testib.* ubi *famâ solum rei fidem confirmat.* Et ibidem notat *Gothofred.* tenentque *Gonz. in* C. 10. *h. t. n.* 14. *& alij.* Latè de modo filiationem probandi agit *Menoch. de Arbitr. cas.* 89. *Barbos. in* C. 10. *h. t.*

145 Limites Diœcesum, & aliorum locorum, de quibus frequentissimè lites, & controversiæ insurgunt probantur per libros, & scripturas antiquas, per monumenta vetera. *L.* 11. *ff. Finium regundor.* scilicèt, per historias, & chronica, si illis à nostris majoribus fides adhibita sit, per mapas Geographicas authenticas, per inscriptiones, epiraphia, arma insculpta, & præcipuè per lapides terminales. *Hispanè. Mojones.* Etiam fit probatio per testes, etiam domesticos, & præcipuè per rusticos, & vicinos, qui sæpè eos terminos adeunt. *L.* 1. §. 1. *ff. de Fluminib. arg. l.* 79. §. 1. *ff. de legat.* 3. si deponant, se a majoribus audivisse id, quod deponunt circa limites. Etiam probantur per famam publicam, vel per præsumptiones, vel per quæcumque alia adminicula, si alias sit difficilis probatio C. 13. *h. t. Et ibid. Barbos. & Gonz. L.* 29. *tit.* 16. *p.* 3. in quo probandi genere plurimum defertur judicis arbitrio, cujus erit æstimare, quænam scriptura sit ut antiqua habenda, vel non: & quænam fides historijs, & alijs adminiculis, vel instrumentis adhibenda sit hic, & nunc. *Arg.* C. 4. §. 1. *de Offic. Delegat.* Judex igitur prædictis probationibus factis debet limites disterminare, & constituere justa vetera monumenta, & veterem formam, aut si hoc fieri nequeat propter obscuritatem, & confusionem terminorum, potest adjudicatione dirimere controversiam. *L.* 2. §. 1. *ff. Finium regundor.* Imò, ut veterem auferat obscuritatem, potest per aliam regionem fines, & limites dirigere, ita, ut quod uni ex prædio alterius adjicitur ipse alteri pecunia recompenset. *L.* 2. §. 1. *l.* 3. *ff. Finium regundor.* Et debet limites certos, & si fieri potest, immutabiles assignare, ut flumen, montem, lapidem, arborem, vel columnam: ut sic litibus in posterum occurratur. Hinc *Ovid. lib.* 2. *Fastor.* loquendo de Deo Termino ait: *Tu Populos, urbesque, & regna ingentia finis: Omnis erit sine te litigiosus ager.* Et quidem olim terminum movens fisco in quinquaginta aureos ex Lege Agraria condemnabatur: personæ illustriores ad tempus relegabantur, servi vero plectebantur morte. *L.* 2. *l.* 3. *ff. de Termin. moto, L. fin. tit.* 14. *p.* 7. sed hodie pœna arbitraria est.

146 Sæpè judices recurrunt ad inspectionem ocularem. *Hispanè. Vista de ojos.* Et quidem aliquando clam, & per se ipsos ad se informandum, vel etiam publicè, & tanquam Judices ad decidendum: aliquando hanc inspectionem decernunt per alios faciendam. Et tunc fieri debet per peritos illius rei, de qua agitur sic debet hæc inspectio committi Architectis cum agitur de damno infecto, & quis petit à vicino caveri damnum, quod ex ruina suarum ædium timetur, per agrimensores fit hæc inspectio, quando de limitibus agrorum agitur. C. 9. *de Præscript. L.* 7. *ff. de Offic. Præsid. l.* 13. *tit.* 14. *p.* 3. per Medicos, & Chirurgos, dum inquiritur de gravitate infirmitatis, vel vulneris, si dubitetur, an aliquis sit occisus ex vulnere vel non, per obstetrices fœminæ inspiciuntur, & aliquando etiam per Medicos, quando dubitatur de mulieris potentia, vel utrum sit virgo, vel an gravida inveniatur. Et sic de similibus. Nam unicuique in sua arte perito credendum est in materia suam artem concernente. *Arg.* C. 4.

h. t. l. 12. ff. de Stat. homin. l. 6. C. de Re militari, l. 8. tit. 14. p. 3. l. 7. tit. 8. p. 5. duo tamen sunt adhibendi, qui juramento dicent, quod verum judicent, & quid in illo puncto sentiant juxta suæ artis principia, & propriæ conscientiæ dictamen, & sic fidem facient. *Arg. C. 23. de Testib.* Quod si in loco, in quo fit probatio unus tantum ejus facultatis peritus inveniatur, ejus assertioni standum est, nisi causa sit valdè ardua: Nam tunc ex loco viciniori alius debet accersiri. *Barb. in C. 4. h. t. n. 8. Gom. 2. Var. cap 9. in fin.* Si vero ille peritus, vel interpres fuit assumptus de voluntate partium, & hoc constat ex confessione illarum, vel alia probatione, tunc ejus declarationi statur. *L. Theopompus, 14. ff. de Dote præleg.* Debet tamen præcedere aliqua causæ cognitio an talis inspectio expediat, & quinam assignandi sint; & tunc debet Judex per se, vel per delegatum simul cum Tabellione, qui omnia necessaria, & conducentia in scripturam rediget, talem inspectionem peragere. *L. 8. §. 1. ff. Finium regund.* ad quam sunt citandi litigantes, & omnes, quorum interest. *L. 47. ff. de Re judic.* & testes ab utraque parte producuntur. Hæc probatio omnium validissima, aliasque vincere communitèr dicitur à DD. *Ex L. 8. §. 1. ff. Finium regund. C. 4. 27. q. 1.* Quod quidem verum est quando per eam obtinetur evidentia facti: tunc enim certè pro veritate habetur, & admittitur, quando aliæ probationes à Lege excludunrur: etiam post publicatas attestationes, & ipsam conclusionem in causa, imò, & post rem judicatam: Nec sententia contra eam lata in rem judicatam transit. *Mascard. de Probat. Proœm. q. 8. & alij.* Hinc est, quod quando aliqua quæstio insurgit circa alicujus mulieris virginitatem ad inspectionem deveniendum est. *Ex C. 4. 27. q. 1.* & si maritus juret cognovisse uxorem, ipsa autem contrarium juret, tunc possunt assignari ad superabundantiam septem mulieres, ut fuerunt assignatæ in casu *Text. in C. 4. h. t.* vel saltem sunt assignandæ duæ, vel tres, quæ necessario requiruntur, ut earum depositio circa inspectionem fidem faciat. *C. 23. de Testib.* & si tales mulieres, honestæ, & artis peritæ ex corporis aspectu talem uxorem virginem esse deponant ipsis contra virum credendum est. *C. 4. h. t.* Cum enim uxoris probatio sit plenior consequens est, ut prævaleat probationi mariti. *C. 9. h. t. l. 21. §. fin. ff. de Testib.* nisi illarum mulierum testimonium reprobatum fuerit per alias mulieres æque honestas, & artis peritas: quæ quidem talem uxorem post investigationem, & aspectum signorum virginitatis, non esse virginem declarent. *Quia sæpè manus fallitur, & oculus obstetricum. C. 14. h. t. l. 8. tit. 14 p. 3.*

147 Inter alios modos aliquid probandi frequenter reperitur probatio per famam. *L. 8. tit. 14. p. 3.* fama enim, quæ sic à *fando* dicitur est duplex: alia *de homine* estque *illæsæ dignitatis status Legibus, ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro auctoritate Legum, aut minuitur, aut consumitur. L. 5. §. 1. ff. de Extraordinar. cognit.* Sed de hac non agimus in præsenti, sed de fama *inter homines*, quæ est secunda divisionis pars. Et est communis opinio voce manifestata, soletque vox populi dici, vel pica rei gestæ, ut à *Baldo* nuncupatur dicitur *publica*, quando jus, vel factum redditur per ipsam notorium, seu transit ad notitiam majoris partis communitatis quæ consistat in duabus ejus partibus; nam per duas partes Civitatis, vel Populi tota Civitas, vel Populus repræsentatur. *L. 3. l. 4. ff. Quod cujusque univers. nom.* Sed licet tunc certo sit fama publicum quando vel ad duas partes, vel ad majorem partem communitatis factum devenit, non tamen hoc necessario requiritur, sed minus sufficit, ut aliquid fama publicum dicatur: quod quidem judicandum est respectivè, tum ad communitatem, tum ad personas, quæ sciunt, & creduntur, vel tacituræ, vel levitèr de hoc locuturæ, adeò ut aliqui putent, non esse fama publicum quod sciunt 30. viri graves, & taciturni. *Molin. Lug. & alij* dicunt, quod si communitas constet octo personis, factum esse fama notorium si 4. sciunt. Si 20. constet, quando 7. si 100. quando 15. si 1000. quando 20. vel 30. qui sint ex diversis domibus, sciant. Item erit publicum, quando una platea vicina id sciat. Nam tunc est impossibile moralitèr, quod celetur. Etiam censetur diffamatus in regno qui est infamatus in Curia, vel alio illustri loco, ex quo fama per totum regnum facilè vagetur. *Sic ex Molin. Lug. & alijs, Lacr. lib. 3. p. 2. n. 1219.* Sanè fama apprimè depingitur à Virgilio, & Ovidio; sed à quonam elegantius non est facile definire. Sic enim ille *lib. 4. Æneid. Fama malum, quo non aliud velocius ullum mobilitate viget, viresque adquirit eundo. Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumæ, tot vigiles oculi, subter, (mirabile dictu) tot linguæ, totidem ora sonant,*

nant, *tot subrigit aures*: *tàm ficti pravique tenax*, *quàm nuntia veri.* Sic etiam *Ovid. lib.* 12. *Metam.* ejus arcem describit: *Noctè, dieque patet, tota est ex ære sonanti, tota fremit, vocesque refert, iteratque quod audit*: *nulla quies intus, nullaque silentiâ parte*: *atria turba tenet*: *veniunt leve vulgus euntque. Mistaque cum veris passim commenta vagantur millia rumorum*; *confusaque verba volatant*: *è quibus hi vacuas implent sermonibus aures*: *hi narrata ferunt aliò*: *mensuraque ficti, crescit*, & *auditis aliquid novus adjicit Autor. Illic credulitas, illic temerarius error, vanaque lætitia est, consternatique timores, seditioque recens, dubioque autore susurri. Ipsa quid in cœlo rerum, pelagoque geratur*, & *tellure videt*: *totumque inquirit in Orbem.* Et licet sæpè, quin, & etiam à Poetis citatis, confundatur fama cum rumore, tamen in consideratione juridica differt ab eo: quia fama habet authorem certum, estque communis proclamatio, & crescit eundo. At verò rumor est proclamatio particularis, facileque deficit, nec habet authorem certum: ac proindè solum inducit suspicionem, & præsumptionem levem. At verò fama, si oriatur à personis fidedignis, & gravibus; (nam orta à levibus, & suspectis non attenditur. C. 24. *de Accusation.*) potest in judicio allegari, & ab allegante probari debet, vel per privilegia, & instrumenta antiqua, si plura sint, & in eandem rem conveniant, vel per litteras fidedignorum, vel per scripturas authenticas, vel per duos saltem testes juratos bonæ famæ, (non mulierculas, nec homines viles) qui deponant concorditèr, se rem ita esse audivisse à potioribus de communitate: debent insuper testes suæ scientiæ rationem reddere aliquos nominando, à quibus audierunt, & à quibus fama originem duxit. *Arg. C.* 27. *de Test b. C.* 24. *de Accusat.* fama igitur in civilibus facit plenam probationem, quando res est modici præjudicij, vel quando agitur de peccato vitando, ut in matrimonio contrahendo, in quo timetur impedimentum dirimens. *Arg. C.* 12. *de Sponsalib.* vel quando factum est occultum, & difficilis probationis. Sic si est fama communis aliquem in longinquis Regionibus decessisse, & abfuit ultra decem annos, sufficit, si hæres hoc probet, ut ejus hæreditatem assequatur. Si verò fama sit decessisse à modico tempore, ut quinquennio, vel minori spatio, & terra non sit valdè distans, tunc debet mors illius plenè probari per duos testes, qui deponant, se illum mortuum, vel sepeliri vidisse. *L.*14.*tit.*14. *p.* 3. Etiam per testimonium Parochi illum sepelientis probatur illius mors; quia pro testimonio Notarij habetur. At verò in causis valdè arduis tantum facit fama probationem semiplena minorem: In alijs verò regularitèr semiplenam facit probationem, cui si alia semiplena adjungatur, plenè probat. *C.* 27. *de Testib. L.* 3. §. 2. *ff. Eod.* In criminalibus autem, etiam legitimè probata, cum in his causis ob earum gravitatem, & præjudicium liquidissimæ probationes requirantur. *L. fin. C. b. t.* nec semiplenè probat, nec ad torturam sufficit: Sed tantum ut ad inquisitionem specialem diffamati procedatur. *C.* 19. *t.* 24. *de Accusat.* vel ad purgationem Canonicam indicendam. *C.* 5. 2. *q.* 4. & etiam ad incarcerationem personæ de fuga suspectæ.

TIT. XX.

De Testibus, & attestationibus.

148 Præcipua, & frequentior probationis species est *attestatio*, seu *testium depositio*: Hæc enim validior, & major, quam ea, quæ fit per instrumenta dicitur a *Menoch. de Arbitr. cas.* 526. Testes solent adhiberi in instrumento, vel in judicio, vel in testamento, & sic dicuntur *instrumentales*, *judiciales*, & *testamentarij*. Nunc de judicialibus tantùm agendum est: *Testis ergo judicialis est persona idonea, quæ legitimè vocata testimonium dicit in judicio de aliqua re controversa.* Testes enim ex *C.* 1. *b. t. debent esse idonei*, id est non prohibiti testari. *Fideles* id est, fidedigni, & *jejuni.* Sed hoc solum exhonestate ob reverentiam juramenti. *Glos. in C.* 1. *b. t.* Et quidem omnes, qui specialitèr non prohibentur possunt esse testes. *L.* 1. §. 1. *ff. b. t. L.* 8. *tit.* 16. *p.* 3. Et certè de jure naturæ quilibet rationis capax potest utique esse testis: nam hoc tantum de jure naturæ requiritur, ac proindè de jure naturæ inhabiles sunt ad testificandum infantes, furiosi, ebrij, mente capti, & alij hujusmodi. At verò de jure positivo ultra usum rationis debent testes habere contenta in his versibus, quos affert *Glos. in C.* 2. *b. t.* V. *Vil: sitni.*

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama
Et fortuna, fides: In testibus ista requires.

Qui igitur habet has qualitates, & nulla exceptione potest excludi est profectò *idoneus*, & *omni exceptione major.* Licet *Mascard.* dicat, quod testis omni exceptione major est majoris authoritatis, quam idoneus. His qualitatibus deficientibus, vel aliqua ex eis testis non erit idoneus.

149 Aliqui absolutè repelluntur à testimonio dicendo, aliqui tantum in hac vel illa causa, contra hanc, vel illam personam: atque hinc primi absolutè inhabiles, secundi verò tantum secundum quid inidonei reputantur. Ex quatuor quidem capitibus potest quis absolutè à testificando repelli. 1. Ex defectu ætatis, & sic excluduntur impuberes: Siquidem nullus adhuc in causa civili potest esse testis, nisi habeat quatuordecim annos completos. *C.* 3. §. *Lege* 4. *q.* 3. *l.* 3. §. 5. *ff. h. t. l.* 9. *tit.* 16. *p.* 3. Sed facti puberes de visis in impubertate testificantur, quod si testimonium impuberis adhuc in impubertate existentis suscipiatur, magnam facit præsumptionem, si impubes sit sagax, & discretus. *L.* 9. *tit.* 16. *p.* 3. Et jam ex consuetudine impuberes examinantur in causis criminalibus, licet non deserviat eorum testimonium ad torturam. In crimine autem læsæ Majestatis etiam impuberes in testes recipiuntur. *L.* 10. *ff. de Quæstionib. l.* 13. *tit.* 16. *p.* 3. ibi: *Cá en tal fecho como este, todo ome debe ser testigo, que sentido aya, solamente que enemigo mortal non sea de aquel contra quien lo traen.* Et *ibid. Greg. Lop.* 2. Ex defectu status, quod nomine conditionis in vertibus intelligitur, excluduntur servi propriè tales, quandiu sunt in servitute: Nam extra eam possunt testimonium de visis in servitute dicere. *L.* 13. *tit.* 16. *p.* 3. ubi etiam dicitur, quod servo non creditur sine tormentis. In criminibus tamen exceptis etiam in servitute constituti testificari possunt. 3. Ex vitio corporis excluduntur, qui habent corporale impedimentum ad testificandum, ut cæci: quia regularitèr depositio fit de perceptis per visum. *C.* 37. *h. t. l.* 18. *C. Eod.* potest tamen testificari de auditis tempore cæcitatis, & de visis ante cæcitatem. Surdi, & muti etiam excluduntur à testificando, nisi fortè scriptura, vel alijs indubitatis signis possint suum dictamen explicare. *Arg. L.* 65. §. 3. *ff. ad S. C. Trebell.*

150 4. Ex defectu fidei, & famæ excluduntur plures, & quidem 1. infames infamia juris. *C.* 54. *h. t. l.* 3. §. 5. *ff. Eod. l.* 8. *tit.* 16. *p.* 3. nisi infamia sit occulta, quod si infamia sit publica, etiamsi emendati sint per pœnitentiam, nisi per Principem infamia tollatur, repelluntur, adeò ut eorum testimonium ipso jure nullum sit. *L.* 3. §. 5. *ff. h. t.* possunt tamen testificari in criminibus enormibus, & exceptis, ut hæresis, læsæ Majestatis, conjurationis, simoniæ, & hujusmodi. *Gonz. in C.* 54. *h. t. n.* 10. vel si non sint alij testes; sed horum testimonia non sunt integræ fidei, nec ipsis sine tortura creditur. *C.* 7. *in f.* 2. *q.* 1. *l.* 8. *tit.* 16. *p.* 3. ibi: *Ome, que es conocidamente de mala fama: cá este tal non puede ser testigo en ningun pleyto, fueras ende en pleyto de traycion, que quisieren facer, ò fuere yà fecha contra el Rey, ò contra el Reyno: pero estonce non debe ser cabido su testimonio à menos de tormentarle primeramente.* Infames infamia facti de Jure Canonico absolutè repelluntur. *C.* 9. 3. *q.* 5. de Jure tamen Civili in causis criminalibus, etiam civilitèr intentatis, & in civilibus arduis tantum. Et emendati admittuntur saltem in civilibus, si emendatio probetur per triennalem laudabilem vitam. Nec eorum testimonium est nullum, sed debent repelli à parte, vel à Judice, Sic *Farinac. & alij ex l.* 3. §. 5. *ff. h. t.* Et idem videtur esse de Jure Regio Hispano, ut colligitur *ex L.* 8. *tit.* 16. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop.* V. *De mala fama. Acced. in L.* 7. *tit.* 9. *lib.* 3. *R. C. n.* 4. Personæ valdè viles ut lictores, Carnifices, & alij hujusmodi, quia infamibus annumerantur, à testimonio ferendo repelluntur. *Barbos. in C.* 2. *h. t.* 2. Etiam perjurus repellitur, etiam postquam emendatus est. *C.* 54. *h. t.* quia non potest erga homines esse fidelis, qui Deo extitit infidus. *C.* 24. 2. *q.* 7. Neq in causis criminalibus etiam exceptis aliquid probat nisi in crimine hæresis ob fidei favorem. 3. A testimonio dicendo excluduntur, qui corrumpuntur pecunia. *L.* 8. *tit.* 16. *p.* 3. vel qui pecunia conducuntur pro dicendo testimonio, *C.* 1. *h. t.* quia munera excæcant prudentes, ne veritatem intelligant. *Deut.* 16. *v.* 19. debent tamen rejici, vel à parte, vel à Judice: & insuper pecuniam, si quam pro verò testimonio dicendo, ad quod ex justitia tenentur, acceperunt, debent restituere: secus si pro falso testimonio eam accepissent, quia licet gravitèr peccassent, tamen dominium illius adquisierunt. Sumptus verò itineris, & lucrum testibus cessans, ob testimonium dicendum jute quidem petuntur, & præstantur. *L.* 11. *C. h. t.* quia nemo tenetur proprijs stipendijs militare: personæ valdè pauperes, nisi honestæ sint ob corruptionis suspicionem repelluntur. *L.* 8. *tit.* 16. *p.* 3.

Et

Et ibid. Greg. Lop. V. Muy pobre, è vil.

151 5. Etiam à testimonio dicendo excluduntur excommunicatione majori ligati, quia inter infames reputantur, & cum alijs communicate non possunt. *C. 8. de Sentent. excom. in 6.* Si est vitandus, debet à Judice, etiam parte nihil opponente, repelli: si est toleratus, & publicè sit nota excommunicatio, potest repelli, sed Judex non tenetur illum repellere, nisi pars adversa petat, quia si non opponat excommunicationem, censetur suo juri renuntiare. In crimine hæresis, etiam excommunicati admittuntur ob fidei favorem. *C. 5. de Heret. in 6. Dian. in Sum. V. Inquisitores, n. 204.* quod si excommunicatus vitandus de facto in judicio, nemine repellente, testimonium dixit valet ejus depositio, quod si pars, contra quam declaravit, repugnet, non valet ejus testimonium. *Suar. de Cens. D.16. sect.6. n.5. & alij. 6.* repelluntur à dicendo testimonio, qui est de crimine gravi infamiam irrogante accusatus, & qui incarceratus, vel denuntiatus est de tali crimine, & ille, contra quem fit inquisitio ex officio Judicis, utpotè, quod ad ipsam debet præcedere infamia. Hi enim non admittuntur ad testificandum in alia causa criminali, in qua testes debent esse omni exceptione majores. *L.10. tit. 16. p. 3.* quia dum pendet accusatio illorum existimatio censetur gravata. *C. 56. h. t.* Idem est, si jam condemnatus appellavit, dum appellatio pendet. Accusatus admittitur ad testificandum Jure Canonico attento in causa civili, non tamen admittitur incarceratus: at vero de Jure Civili in quacumque causa admittitur accusatus, non tamen ut testis omni exceptione major. In criminibus verò exceptis omni jure admittitur accusatus de crimine. Etiam repellitur criminosus, cui scilicet, crimen objicitur, & in judicio probatur, etiamsi nec convictus, nec confessus, nec condemnatus sit, dum in crimine perseverat: quia non est credendum contra alios illis, qui criminibus implicantur. *C. 9. 3. q. 5. c.13. q. 11. c. 54. h. t.* Si tamen sit emendatus, & crimini non sit infamia juris annexa admittitur talis criminosus in causa civili, & criminali civilitèr intentata. *C. 54. h. t.* Quod si pars adversa crimen sciens, illud non opponat, valet testimonium criminosi in quacumque causa, quia pars renuntiare suo juri censetur, Judex tamen potest, & debet ex officio talem testem repellere. Etiam valet testimonium criminosi in causis summarijs, & ad probandam rei innocentiam. Vel si non sint alij testes, sed non faciet plenam probationem. Hæc enim de Jure Canonico proceduntnam de Jure Civili criminosus non repellitur à testificando in causa civili, nisi ratione criminis contraxerit infamiam, vel quia est condemnatus in judicio, vel quia, ipso jure crimini est annexa. *L.3. §.5. ff. h. t.*

152 Alij testes sunt secundum quid inhabiles, quatenus in causis determinatis testificari prohibentur. Sic 1. fœmina olim de Jure Canonico in nulla causa civili, seu criminali, præcipuè Clericorum admittebatur. *C. 17. 33. q. 5.* postea in civilibus causis, & matrimonialibus admittebatur. *C. 2. 35. q. 6.* secus in criminalibus criminalitèr intentatis. *C. 22. c. 23. h. t.* nisi fortè aliter veritas assequi non posset, ut in *C. 3. h. t.* ideo enim fœminæ excludebantur, quia varium, & mutabile testimonium sæpè fœmina producit. *C. 10. de V. S.* admittuntur tamen in criminibus exceptis, si desint viri, vel si Judex ex officio ad inquisitionem criminis procedat. *C. 3. h. t. Et ibid. Gonz. n. 4. & Glos. in C. 10. de V. S. V. Non fœmina.* De Jure tamen Civili fœmina potest esse testis, etiam in causa criminali criminalitèr intentata. *L. 20. §. 6. ff. Qui Testament. facer.* In nostra Hispania omissis Legibus antiquis fori Judicum, Regij, & styli, hodie mulier bonæ famæ (secus meretrix) potest esse testis in quacumque causa, sive civili, sive criminali. *L. 17. tit. 16. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. Gom. 3. Variar. cap. 12. n. 13.* Sed omni jure excluditur à testificando in Testamento. *L. 20. §. 6. ff. Qui Testam. fac. L. 1. tit. 1. p. 6.* etiamsi partes consentiant. *L. 55. ff. de Legat. 1.* sed etiam quando fœminæ ad testimonium ferendum admittuntur, si testimonijs virorum opponantur, hæc cæteris paribus testimonijs fœminarum præferuntur: nisi viri pro actore, fœminæ verò pro reo testificentur. 2. Minor 20. annis excluditur à testificando in causa criminali: nam testis in tali causa 20. annos, & quidem completos debet habere. *L. 20. ff. h. t. l. 9. tit. 16. p. 3.* Admittitur tamen in civilibus minor viginti annis, nisi sint causæ valdè arduæ, quæ criminalibus æquiparantur. Si tamen minoris testimonium in causa criminali suscipiatur, magnam præsumptionem facit. *L. 9. tit. 16. p. 3.* quinimo, ut jam diximus, etiam impuberes, quando testium copia deest examinantur. In criminibus tamen exceptis utique admit-

tun-

tantur hujusmodi minores. 3. Nullus potest in causa propria, ex qua vel emolumentum speret, vel damnum timeat testificari. *L.* 10. *ff. h. t. l.* 10. *C. Eod. l.* 18. *tit.* 16. *p.* 3. propter affectionem, quam quisque ad suam causam habere præsumitur. Amor enim proprius adeò visceribus nostris inhæret, ut nec trabem in oculo nostro videamus cum festucam in oculo fratris nostri clarè conspicimus: ut Summa Veritas in Evangelio notavit: Quod nec ipsos Gentiles latuit, ut ab Horat. *lib.* 1. *satyr.* 3. audiemus: *Stultus, & improbus hic amor est, dignusque notari; cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis; cur in amicorum vitijs tàm cernis acutum, quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?* Et hac ratione excluditur. 1. hæres in illo testamento, in quo fit hæres: Legatarius tamen benè potest esse testis in testamento, in quo ipsi legatum relinquitur. *L.* 20. *ff. Qui Testament. fac.* vel quia legatarius non est universalis successor, ut hæres, qui cum defuncto eadem persona civiliter censetur; vel potius: quia in testamento principalitèr agitur de commodo hæredis: commodum autem legatarij minus principalitèr, & quasi in obliquo attingitur; & ea, quæ inconsequentiam veniunt, non curantur. 2. excluditur, qui habet consimilem causam ei, in qua testis adhibetur. *C.* 20. *h. t.* sicut Judex in tali casu a judicando repellitur. *C.* 18. *de Judic.* 3. Quando aliqua causa alicujus Universitatis, Civitatis, Monasterij, Collegij, vel alterius Communitatis spectat ad particulare commodum singulorum, ipsi, qui sunt de corpore Communitatis, non possunt in ea causa, ut testes deponere: v. g. si agatur de pascuis, vel nemoribus ad Communitatem pertinentibus, in quibus singuli de Communitate jus pascendi, & ligna cædendi habent. Si verò causa spectet ad commodum universale Communitatis, & si aliquod modicum commodum in singulos resultet, ut si agatur de causa concernente ad Prætoria Theatra, stadia, vel alia hujusmodi, vel si agatur de legato relicto pro reparatione Ecclesiæ, vel pro ædificijs publicis extruendis, vel exigendis muris Civitatis. Tunc enim benè possunt esse testes, qui sunt membra talis Communitatis, siquidem non censetur in causa propria testificari; nam aliud est jus Universitatis, aliud jus singulorum. *L.* 7. §. 1. *ff. Quod cujusq. Univers.* & facilius contemnuntur ea, quæ ad commune, quam ea, quæ ad particulare commodum spectant: ac proinde nil mirum, quod particulares illius Communitatis in tali causa testificari possint, cum aliundè censeantur de illius juribus benè instructi. *C.* 6. *c.* 12. *h. t. l.* 18. *tit.* 16. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop.* nisi Communitas valde parva sit: Et semper arbitrio Judicis relinquitur quanta fides hujusmodi testibus adhibenda sit. Non tamen possunt tales testificari in causa Communitatis in causis criminalibus, in quibus liquidissimæ probationes requiruntur, & nullo capite rejicibiles; nec item in causis civilibus valdè arduis ob illarum arduitatem, & gravitatem. 4. Testis esse non potest actor, seu accusator in causa, quam ipse agit. *C.* 1. 4. *q.* 4. *arg.* C. 10. *de V. S.* nec denuntiator, si judicialiter in causa gravi, & præjudiciali denuntiet, secus est in criminalibus levibus, maximè si sit Officialis ad denuntianda crimina deputatus: si solum evangelicè denuntiet, non tàm ad puniendum, quàm ad emendandum peccatum, cum non censeatur ad causam specialitèr affectus, benè ut testis admittitur. *C.* 4. *h. t.* 5. Judex arbiter, & Assessor in causa, quam judicant, vel judicarunt, vel sunt judicaturi ob affectionis suspicionem, nequidem in secunda instantia admittuntur, ut testes. *C.* 40. *h. t. c.* 10. *de V. S. l.* 19. *tit.* 16. *p.* 3. Quod si eorum testimonium ob inopiam aliorum testium sit necessarium, ipsi à judicando removentur, & alij in eorum locum sufficiuntur. *C.* 40. *h. t.* benè tamen potest Judex, si superior præcipiat, testimonium reddere de rebus, quæ coram ipso in illo negotio contigerunt. *L.* 19. *tit.* 16. *p.* 3. 6. Procurator, Advocatus, Syndicus, Tutor, vel Curator non possunt esse testes in negotio, quod tractant, vel tractarunt, etiam negotio finito. Unde qui fuit Advocatus, vel Procurator in prima instantia, nec deposito officio potest esse testis in secunda instantia pro ipso appellante. *C. fin. h. t. in* 6. *l. fin. ff. eod.* quia censetur affectus ad appellantem, cujus negotium ipse tractavit: potest tamen ob contrariam rationem contra eum testificari in secunda instantia, si à parte adversa producatur. Nec mediator admittitur, ut testis in negotio, in quo fuit mediator; *arg. C.* 1. *h. t. in* 6. nisi partes consentiant, vel si à parte adversa fuerit productus, vel si adhibeatur, non ad probandum, sed ad infirmandum contractum, vel si alij testes desint. Et denique in crimine simoniæ in detestationem criminis admittitur, ut testis contra criminis auctores, si non agatur criminalitèr, sed civilitèr, & emolumentum exindè non

suc-

fuerit assecutus. *C. 1. b. t. in 6.* 7. Socius omnium bonorum, vel etiam pattis tantum non potest esse testis pro socio in causa societatis, in alijs autem causis nullibi prohibetur. *L. 21. tit. 16. p. 3.* 8. Fidejussor nequit testificari contra creditorem debitoris in causa, in qua fidejussit; *arg. L. 5. ff. de Appellat.* 9. Venditor pro emptore, donator pro donatario, cedens pro cessonario nequeunt testificari: quia de evictione renentur, consequenterque in propria causa deponerent. *L. 19. tit. 16. p. 3.* Denique omnes, qui ex testimonio commodum sperant, vel damnum timent à testificando excluduntur. *C. 1. b. t. in 6. L. 18. l. 19. tit. 16. p. 3.*

153 Aliæ præterea sunt personæ, quæ pro certis personis testificari non possunt. Sic 1. Ascendentes, masculi, vel fœminæ in linea paterna, vel materna pro descendentibus in utraque linea, etiamsi filius sit emancipatus, vel naturalis tantum, vel spurius, vel incestuosus, vel adoptivus testificari nequeunt: neque vitricus pro privigno; nec è contra descendentes pro ascendentibus: Nam hi omnes ob naturalem affectionem suspecti habentur. *L. 9. ff. b. t. C. 3. 4. q. 2. l. 14. tit. 16. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* prædicti tamen ad testimonium admittuntur, quando ex eo nullum lucrum sperant, vel si adversarius eos, nihil opponens, admittat, vel quando inter se filij litigant, vel si agatur de ætate, vel statu filiorum. *L. 16. ff. de Probation. l. 14. tit. 16. p. 3.* quia hæc melius, quam alij scire creduntur: quod si filio commodum cum tertij præjudicio sequatur, tantum indicium depositio facit. Etiam possunt parentes testificari in causa matrimoniali suorum filiorum, si dubitatur de consanguinitate desponsatorum, nisi filius, vel filia majorem se in conjugem petat. *C. 22. b. t.* Vel quando filius agit, ut Procurator, nisi commodum ipsi sequatur; nam tunc pater à testimonio excluditur: admittur tamen, quando dubitatur, an filius Religionem sit ingressus animo profitendi. *C. 4. 20. q. 3.* Patrini, qui aliquem tenuerunt in Baptismo, vel Confirmatione, cum nullo jure excludantur, possunt pro suis clientulis testificari. *Greg. Lop. in L. 14. tit. 16. p. 3.* Patet, & filij, qui sunt in ejus potestate, licet pro se adinvicem testificari nequeant, possunt tamen pro alio tertio simul esse testes: v. g. si pater habeat quatuor filios, ipse, & sui filij erunt quinque testes in aliena causa. §. 8. *Inst. de Testam. Quia nihil nocet ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi. L. 16. tit. 16. p. 3.* 2. Ob eandem affectionis suspicionem à testimonio repelluntur conjuges; & sponsi pro se ipsis adinvicem; item concubinarius pro concubina. Consanguinei, & affines usque ad quartum gradum exclusivè pro consanguineis, & affinibus in causis criminalibus, vel civilibus arduis. *L. 4. l. 5. ff. b. t. C. 1. c. 12. 3. q. 5. Quia propinquitatis, & familiaritatis, ac donationis affectio veritatem impedire solet. L. 31. tit. 16. p. 3.* Admittuntur tamen, quando expressè, vel tacitè partes consentiunt, vel quando testis est utriusque partis consanguineus, vel contra consanguineum in uno articulo, in alio pro ipso deponeret. Vel in contractu, & instrumento, in quo testis fuit adhibitus, vel in causa civili modici præjudicij, vel in criminali ad defensionem necessariam rei, & ad ostendendam ejus innocentiam, vel in criminibus exceptis; vel quando veritas aliter non potest haberi, vel si inter consanguineos non esset magna affectio, vel nisi probitas vitæ omnem suspicionem excludat: In his enim casibus prædicti ad testificandum admittuntur. *Menoch. de Arbitr. cas. 104. & alij.* 3. Excluduntur à testimonio domestici pro Dominis, vel Patribus familias: nomine autem domesticorum veniunt illi, quibus imperari potest ratione dominicæ, patriæ, vel gubernativæ potestatis privatæ, ut sunt servi, filij, famuli, vel mercenarij: eorum etenim testimonium nullius momenti est, si pro Dominis, vel Patribus familias feratur. Nam ob affectionis suspicionem timetur perjurium. *C. 24. b. t. l. 3. C. Eod. l. 18. tit. 16. p. 3.* possunt tamen testificari, si desierunt esse domestici, nisi in tali dimissione fraus aliqua præsumatur; vel si adversarius sciens, eos esse domesticos in testimonium consentiat expressè, vel tacitè nihil contra eos opponendo: vel si producantur tantum ad probandum Domini innocentiam, vel si pro Domino contra alium domesticum testificentur: vel si domestici sint utriusque litigantis, vel si res, de qua inquiritur domi facta sit: vel si talium domesticorum probitas omnem excludat suspicionem: vel si testificentur in causa difficilis probationis, vel quando per alios testes nequit veritas sciri. In his enim casibus testimonium possunt ferre, sed non censentur testes omni exceptione majores, & Judicis erit æstimare quanta eis sit adhibenda fides. Familiares, & Commensales, qui in eadem domo simul convivunt, & conversantur, sed non subsunt imperio patrisfamilias pro eo possunt testificari, cum nullo jure prohibeantur, licet, non

non sint omni exceptione majores, nisi probitas vitæ hanc talem qualem excludant affectionis suspicionem. Subditi, & Vassalli possunt pro Dominis testificari, ne facultas probationum nimis coangustetur. Etiam personæ particulares Civitatis, Collegij, Monasterij, vel Universitatis, seu Communitatis possunt testificari de rebus per ipsam Communitatem gestis, v.g. de electione, vel de aliqua determinatione Capitulari, idem facere possunt, quando causa vertitur inter membra ejusdem Universitatis, vel Communitatis: v.g. si Capitulum ageret contra aliquem Capitularem, vel etiam contra Prælatum; tunc enim possunt particulares illiusCommunitatis deponere in ea causa, sive civilis, sive criminalis sit: nam ipsi melius, quam alij censentur hæc omnia scire.

154 Sunt denique aliæ personæ, quæ contra certas personas nequeunt esse testes: Tales sunt. 1. Inimicus verè talis (secus si inimicitia per fraudem dissimuletur, ut à testimonio excludatur.) Hic ergo non potest testificari contra eum, cum quo gerit inimicitiam capitalem, nec etiam in criminibus exceptis. *C.* 7. *c.* 13. *c.* 19. *de Accusation. l.* 13. *tit.* 16. *p.*3. quia ob odium, & malevolentiam falsum dicturus præsumitur. Nisi forte inimicitia sit levis, & causa civilis sit: vel si jam syncere, & non simulate reconciliati sint, vel si testis sit utriusque partis æquè inimicus, vel si deponat contraproducentem ipsum, vel in favorem inimici, vel si non repellatur à parte, contra quam producitur. In his enim casibus inimicus potest esse testis, non tamen erit omni exceptione major. *Arg. l.* 22. *tit.* 16. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop. V. De gran entmistad.* ubi addit: quod inimico capitali non creditur, quantumcumque in infirmitate receperit Sacrum Viaticum, seu Eucharistiam: & meritò, nam quamvis odij flammam extincta videatur, facillimè accenditur: quod eleganter in Junone notat *Virgil. Æneyd.* 1. *Necdum etiam causæ irarum, sævique dolores exciderant animo: manet alta mente repostum judicium Paridis, spretæque injuria formæ.* 2. Socius criminis non potest contra ejus socium testimonium ferre. *C.* 10. *b. t. l.* 11. *C. Eod. l.* 21. *tit.* 16. *p.*3. quia talis criminosus est, vilis, & infamis; ac proindè est periculum falsæ depositionis: admittitur tamen in criminibus exceptis, & in illis, quæ sine socio non committuntur, ut proditio in Rempublicam, adulterium, & alia hujusmodi: item in simonia in hujus criminis detestationem admittitur, quando quidem tantum fuit socius criminis, non vero si fuit particeps muneris, vel pretij. *C.* 10. *b. t. C.* 1. *eod. in* 6. Sed in his casibus adhuc facit exiguam fidem, ut persona vilis, & infamis. 3. Laicus contra Clericum, etiam primæ tonsuræ, vel religiosum non testificatur in causa criminali criminaliter intentata. *C.* 14. *b. t.* tum quia Laici regulariter sunt Clericis infesti. *C.*5. 2.*q.*7. tum quia non decet, ut contra statu Superiorem statu inferior in criminalibus deponat, nisi in criminibus exceptis, & notorijs, vel scandalosis, vel si Clericus jam sit traditus Curiæ Sæculari, vel si alij testes non habeantur, vel si de crimine agatur per modum denuntiationis, aut inquisitionis ad depositionem, vel privationem beneficij. Vel si negotium sit Civile, vel si de crimine civiliter agatur. *C.* 33. *b.* 3. V.g. ut restituantur injuste ablata, vel etiam ad beneficij privationem procedatur. Sed nec in his casibus erit Laicus testis omni exceptione major. 4. Licet Clerici, & Religiosi in causa civili, vel criminali civiliter intentata, præcedente licentia Episcopi, vel Superioris, quæ regulariter non ad valorem, sed ad licitudinem depositionis requiritur, possint contra Laicum, etiam coram Judice Laico testificari, hoc facere nequeunt in causa criminali criminaliter intentata; si de causa sanguinis, seu mortis agatur propter irregularitatis periculum. *C.* 9. 11. *q.* 1. possunt tamen testimonium ferre pro reo defendendo, etiam in causa sanguinis, & coram Judice Ecclesiastico, & in crimine Ecclesiastico etiam cont à Laicum deponere valent. 5. Licet Christianus nullius Principis Lege, vel statuto, vel privilegio possit excludi à testificando in causis civilibus, & criminalibus contra Judæum, vel infidelem: quia hoc in religionis opprobrium cederet. *Cl.* 1. *b. t.* Judæi verò, Pagani, Mauri, & Hæretici ubi non sunt tolerati, imò, & recenter ad fidem conversi, justa aliquos, non possunt contra fidelem Catholicum ferre testimonium, etiamsi Christianus in id consentiat. *C.*21. *b. t. l.* 21. *C. de Haret. l.* 8. *tit.* 16. *p.* 3. quia hi de juris præsumptione sunt de falsitate suspecti, nec fidem merentur, qui fidem abjecerunt. Possunt tamen esse testes in criminibus exceptis. *C.*5. *de Haret. in* 6. *l.* 8. *tit.* 16. *p.* 3. vel si alij testes non inveniantur. Etiam admittuntur in contractibus, instrumentis, & testamentis, ubi sunt permixti cum Catholicis: & etiam contra alios infideles, licet à Catholico

lico producantur. *L.* 8. *tit.* 16. *p.* 3. sed in his casibus debent facere juramentum suo modo, & secundum suos ritus; sed adhuc non integræ fidei reputantur. 6. Non possunt esse testes, etiamsi velint, patentes adversus liberos, nec è contra. *C.* 3. 4. *q.* 3. *l.* 6. *C. h. t.* nec consanguinei intra quartum gradum: nec socer contra generum, nec uxor contra maritum, nec vitricus contra privignum, nec è contra. Nec admittuntur liberti contra patronos. *L.* 10. *tit.* 16. *p.* 3. nec advocati contra suos clientes. *C.* 6. *h. t.* in causa quam tuentur: nec Tutores, vel Curatores contra Minores, nec alij Administratores in negotijs, quæ administrant. *Arg. C. fin. h. t. in* 6. Ratio hujus prohibitionis est specialis conjunctio inter prædictas personas, vel reverentia eis debita, vel affectio, quæ potest timeri, cujus causa aliqua suspicio falsitatis generatur. Possunt tamen esse testes in criminibus exceptis, vel ad innocentis probationem, vel ad impediendum peccatum. *C.* 22. *h. t.* vel si alij testes desint, ne pereat probandi facultas. *Arg. C.* 38. *h. t.* vel si pars adversa consentiat, vel ubi leves probationes sufficiunt. Et quidèm contra eum, à quo producuntur in eadem causa, imo, & in alia quacumque sunt testes omni exceptione majores. *L.* 17. *C. h. t.* contra eum vero, contra quem producuntur non sunt integræ fidei, sed solum faciunt indicium. In Nostra tamen Hispania, licet ascendentes non cogantur testimonium dicere in causa ad descendentes spectante, nec è contra; tamen si voluntatiè velint deponere, admittuntur. *L.* 11. *tit.* 16. *p.* 3. ibi: *Pero si alguno dellos de su grado, è sin premia ninguna quisiesse dàr su testimonio, quando gelo demandasse bien lo podria facer, è valdrà lo que dixere bien asi, como si non oviesse ningun debdo con èl. Et ibid.* notat *Greg. Lop.* V. *De su grado.* Cum sæpè de criminibus exceptis mentio fiat scire oportet, talia esse sequentia. 1. læsæ Majestatis. 2. hæresis. 3. sagarum. 4. proditionis. 5. conjurationis. 6. falsæ monetæ. 7. latrocinij. *Laer. lib.* 4. *n.* 1418.

155 Jam de testibus tractavimus quavis perfunctoriè, nunc de attestationibus agere ipse Rubricæ ordo suadet, quatenùs hæ ad probationem causarum conducunt. Unius ergo testis (etiam omni exceptione majoris, & etiamsi de illius commodo, vel incommodo non agatur) attestatio, seu testimonium regularitèr non sufficit ad plenam fidem faciendam; ac proindè, nec ad sententiam ferendam, *Deut.* 19. *v.* 15. *c.* 8. 33. *q.* 2. *C.* 10. *c.* 23. *c.* 28. *h. t. L.* 9. §. 1. *C. Cod. l.* 32. *tit.* 16. *p.* 3. ibi: *Mas por un testigo decimos, que ningun pleyto non se puede probar, quantoquier, que sea ome bueno, è honrado, como quier que faria gran presuncion al fecho, sobre que testiguasse.* Siquidem unus testis, vel per errorem, vel per malitiam facilè potest deponere falsum: Hinc prodijt commune effatum lippis, & tonsoribus notum; *dictum unius, dictum nullius.* quod intellige ad probationem plenam faciendam. Unius tamen testimonio creditur. 1. Si Supremus Princeps de aliquo facto testificetur. *C.* 28. *h. t. L.* 32. *tit.* 16. *p.* 3. ibi: *Pero si Emperador, ò Rey diesse testimonio sobre alguna cosa, decimos, que abonda para probar todo pleyto. Cà debe ome asmar, que aquel, que es puesto para mantener la tierra en justicia, è en derecho, que non diria en su testimonio si non verdad, nin querria en tal razon ayudar al uno, por estorvar al otro.* Sed si ex illo Principis dicto notabile damnum tertio sequatur in criminalibus, & præcipuè in crimine hæresis, non plenè probat, etiamsi depositio sit de facto proprio. *Sousa lib.* 2. *Aphorism. cap.* 14. *n.* 4. *Cæsar Caren. de Offic. Inquisit. p.* 3. *tit.* 5. §. 13. *Mascard. Deeian. Farinac. & alij Doctores apud citatos.* 2. uni creditur in foro conscieutiæ; v. g. si quis afferat Manilæ esse privilegium comedendi lacticinia in Quadtagesima ipsi creditur, ut licitè lacticinia comedantur. 3. quando causæ sunt leves, vel modici præjudicij. 4. si litigantes conveniant, quod stetur alicujus testimonio, vel declarationi: vel si testator cavit, ut in concernentibus testamentum, vel hæreditatem stetur alicujus declarationi. *L. Theopompus*, 14. *ff. de Dote prælegat.* 5. in causa matrimoniali, quando agitur de impediendo matrimonio ob impedimentum dirimens, quod solum constat ex depositione matris, sponsi, vel sponsæ. *C.* 22. *h. t.* Et idem dicendum est, quando periculum peccati adest: nam hoc vitari debet etiam ob unius depositionem, etiamsi talis deponat de propria turpitudine. *C.* 12. *de Sponsalib.* 6. quando agitur de unius favore, sine alterius præjudicio: v. g. si dubitetur, an quis habeat ætatem ad aliquem actum requisitam; an sit Clericus, an sit baptizatus, an moribundus petierit confessionem, an Ecclesia sit consecrata; vel alia hujusmodi: Nam in his casibus unius depositioni creditur; ut constat ex *C.* 110. *de Consec. D.* 4. *arg. C.* 7. 26. *q.* 6. *c.* 14. *de Simon. Corvin. Aphor. lib.* 3. *tit.* 27. & sum.

com. DD. 7. si unus tantum interpres linguæ extraneæ, & peregrinæ inveniatur. *L.* 1. §. *fin. ff. de V. O.* ipsi creditur. Idem est si unus tantum peritus rei, de qua est declarandum inveniatur: v. g. si solum sit unus Chirurgus, qui ferat judicium de vulnere: nisi causa sit valdè ardua, ut supra diximus *Barbos. in cap.* 4. *de Probat. n.* 8. *Gom.* 2. *Variar. cap.* 9. *n. fin.* 8. si Officialis: v.g. Tabellio testetur de instrumento à se confecto, appatitor de citatione facta, & alij hujusmodi ipsis creditur. *C.* 19. *de Appellat. Et ibid. Glos. V. Suus nuntius.* Et hodie generalitèr in his, quæ extra judicium fiunt plena fides adhiberur Episcopo, veluti in litteris commendatijs, & alijs ejus sigillo munitis. *C.* 7. *de Probation.* in his enim, & alijs casibus hujusmodi unico testi creditur. *Barbos. in cap.* 4. *h. t. ex n.* 6. ubi plures casus refert, & probat. At vero etiam extra hos casus unus testis omni exceptione major semiplenam probationem facit, & in criminalibus sufficit ad torturam.

156 Ad probationem ergo plenam faciendam regularitèr in omni, & quacumque causa sive, sive criminali etiam capitali, sive temporali, sive Ecclesiastica; seu spirituali, etiam in crimine hæresis requiruntur, & sufficiunt duo testes concordes, idonei, & omni exceptione majores. *Deut.* 17. *v.* 6. *Et* 19. *v.* 15. *Matth.* 18. *v.* 16. *C.* 4. *c.* 23. *h. t. L.* 12. *ff. Eod. l.* 32. *tit.* 16. *p.* 3. erunt etenim testes omni exceptione majores, si nec ratione personæ; nec ratione dicti aliquid possit opponi, quod illorum fidem minuat. *L.* 1. *l.* 40. *tit.* 16. *p.* 3. ibi: *Si son a tales, que por ninguna de las razones que diximos en este titulo pueden ser desechados debe el judgador seguir su testimonio, è dar el juicio por la parte que los traxo.* Ideò enim duo requiruntur, & sufficiunt, quia est difficilè, ut duo in falsitate concordent, quin aliquomodo ipsa falsitas cognoscatur, & elucescat, ut patet in falso testimonio, quod senes contra Susannam dixerunt: quod facilè ex ipsorum depositione patuit. *Dan.* 13. Mirice hoc explicat *D. Thom.* 2. 2. *q.* 70. *art.* 2. *in Cor.* ibi: *Respondeo dicendum quod secundum Philosoph. in* 1. *Ethicorum. Certitudo non est similitèr quærenda in omni materia; in actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia, & exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia, & varabilia. Et ideò sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, & si in paucioribus à veritate deficiat. Est autem probabile, quod magis veritatem contineat dictum multorum, quam unius. Et ideò cum reus sit unus, qui negat; si multi testes asserunt idem cum actore, rationabilitèr institutum est de Jure Divino, & humano, quod dicto testium stetur. Omnis autem multitudo in tribus comprehenditur, scilicet principio, medio, & fine: unde secundum Philosoph. in* 1. *de Cœlo: omne totum in tribus ponimus. Ternarius quidem constituitur asserentium, cum duo testes conveniunt cum actore. Et ideò requiritur binarius testium, vel ad majorem certitudinem, ut sit ternarius, qui est multitudo perfecta in ipsis testibus. Unde, & Eccles.* 4. *dicitur: funiculus triplex difficilè rumpitur. August. autem super illud Joann.* 8. *Duorum hominum testimonium verum est, dicit, quod in hoc est Trinitas secundum mysterium commendata, in qua est perpetua firmitas veritatis.* Et hac ratione, quando testes sunt diversi idiomatis quilibet debet examinari per duos Interpres juratos: nec sufficit, unum Interpretem adhibere, nisi partes consentiant, vel si fortè nullus alius inveniatur in illo loco *Gom.* 2. *Var. cap.* 9. *n. fin. Hevia in Cur. Philip. p.* 1. §. 17. *n.* 26. Ut sic verificetur, quod *in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Deut.* 19. *v.* 15. *Matth.* 18. *v.* 16. nisi aliud necessitas suadeat. Et quamquam testes requisiti debeant esse plenæ, & integræ fidei, omnique exceptione majores; tamen aliquando unius testis inhabilitas per magnam fidem alterius contestis suppletur imò magnus numerus testium minus idoneorum, aliæque conjecturæ, & adminicula supplent fidei illorum defectum. *Gom.* 3. *Var. cap.* 12. *n.* 21. Ita ut pluralitate, & numero testium qualitatis defectus rependatur: quod mutuum auxilium nobis explicat *Alciatus in Emblem.* 160. dum ait: *Lori pedem sublatum humeris fert lumine cassus: & socij hæc oculis munera retribuit: Quo caret alteruter, concors sic præstat uterque: Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.* Sic unicus testis de proprio facto deponens plenè probat, si alia adminicula, & præsumptiones concurrant, secus aliter. *Sousa lib.* 2. *Aphorism. cap.* 14. *n.* 5. *Gonz. in c.* 10. *h. n.* 6. *& alij com.* Si aliquis testis, qui non debuit admitti, admittatur de facto, facit indicium tantum, nisi à parte protestetur, quod non admittatur: Nam tunc nec indicium facit. *Hevia in Cur. Philip. p.* 1. §. 17. *n.* 13. Idem est quoties repellitur, quia examinatus fuit juris ordine non servato; v.g. ante litem con-

contestatam, vel parte non citata. *Gom. 3. Var. cap.* 12. *n.* 20. Quando testes, qui producuntur sunt inhabiles culpa, delicto, vel incapacitate ipsorum, Judex ex officio potest illos repellere, etiamsi pars adversa hoc non petat, quia ipsa suo consensu non potest illos habilitare; *arg. L. 7. ff. de Postulando.* Si verò inhabilitas sit inducta in partis favorem: v. g. quia testis est inimicus, domesticus, vel consanguineus non potest Judex ex officio illos repellere, nisi hoc petat pars: in cujus favorem illa inhabilitas est inducta, quæ proindè potest renuntiare suo juri, & consequentèr habiles, & idonei remanent tales testes. *Gom. 3. Var. cap.* 12. *n.* 22.

157 Licet enim ad probationem duo, vel tres testes sufficiant: aliquando tamen pro actus solemnitate plures requiruntur. Sic in testamento solemni septem, in Codicillis 5. in matrimonio ultra testes requiritur Parochi præsentia. *Trid. sess.* 24. *de Ref. Matr. cap.* 1. in causa impotentiæ 7. adhibentur. *C.* 5. *c.* 7. *de Frigid. & malefic.* ad probandam solutionem, vel liberationem debiti, de quo facta fuit scriptura publica, debet afferri alia scriptura valida, vel debet probari solutio per quinque testes ad hoc vocatos, & rogatos. *L.* 32. *tit.* 16. *p.* 3. ubi alios casus affert. Sed hodie saltem in nostra Hispania sufficit probare talem solutionem per duos testes integræ opinionis, etiamsi publicum instrumentum præcessisset. *L.* 2. *tit.* 21. *lib.* 4. *R. C.* quam sic intelligunt *Aceved. ibid. n.* 19. *Greg. Lop. in L.* 32. *tit.* 16. *p.* 3. In damnatione Clericorum olim plures pro diversitate, & qualitate ipsorum requirebantur. *C.* 2. 2. *q.* 5. ibi: *Præsul non damnabitur nisi cum* 72. *testibus: nec Præsul summus à quoquam judicabitur: quoniam scriptum est, non est Discipulus supra Magistrum. Presbyter autem Cardinalis, nisi cum* 44. *testibus non damnabitur. Diaconus verò Cardinalis Urbis Romæ, nisi cum* 27. *testibus non condemnabitur. Subdiaconus, Acolytus Exorcista, Lector, Ostiarius, non nisi septem testibus condemnabitur.* Et in C. 3. dicitur: *Nullam damnationem Episcoporum unquam esse censemus, nisi ante legitimum numerum Episcoporum (qui sit per* 12. *Episcopos) aut certè probata sententia per* 77. *testes idoneos.* Sed hodie hoc non servatur, licet contra Clericos, quando de eorum fama agitur clariores probationes sint necessariæ. In nostra Hispania generali praxi receptum est, tres saltem testes requiri ad imponendam relaxationis pœnam. in Tribunali S. Inquisitionis: qui debent esse contestes re, tempore, & loco. *Gonz. in C.* 23. *h. t. n.* 6. *in fin.* In his Indiarum Regnis, si causæ graves sint, & ex Indorum testimonio sint definiendæ plures, quam duo testes requiruntur, ob Indorum imbecillitatem, inconstantiam, & mendacitatem: imò ex ordinatione D. Francisci de Toledo Pro-Regis Peruani in illo Regno fuit statutum, quod sex Indis contestibus non major fides adhiberetur, quam uni testi alias idoneo. Et licet non ubique sit admissum, tamen oportet, quod Judices cautè procedant, & maturo, sedulòque perpendant judicio quantum fidei talibus debeat adhiberi, quos facilè ad pejerandum induci notum est. Et quamquam sæpè simplices sicut columbæ, & innocentes, ut oves appareant, si eorum animos introspiceres facilè Sinones, Magistrosque simulandi, & fingendi invenires: cave ergo, & *nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.* Hoc etiam notant, & advertunt Patres Concilij Limens. III, *Solorz. de Jur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *ex n.* 50. *Monteneg. Paroch. Ind. Acost. de Procur. Indor. Salute, & alij.* Et quamvis plures, quam duo, vel tres testes requirere videatur esse contra illud scripturæ, etiam à Christo D. approbatum: *in ore duorum, vel trium stat omne verbum*, facilè respondetur dicendo, quod illud intelligitur *negativè*, quatenùs scilicèt non minus, quàm duo, vel tres sufficiant, non verò *positivè*, quatenùs duo, vel tres præcisè in omni causa sufficiant. Et sic habetur in C. 23. *h. t.* ubi Pontifex concludit: *Quia licet quædam sint causæ, quæ plures, quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quæ unius testimonio, quamvis legitimo terminetur.* Et licet in potestate probantis sit plures præter necessarios absolutè adducere testes: tamen non potest indistinctè quotquot velit producere, imò Judex potest, & debet effrænatam multitudinem testium repellere, & solum usque ad numerum quadragenarium ex qualibet parte admittere. C. 37. *h. t.* in nostra tamen Hispania olim solum poterant 12. testes in quolibet articulo produci. *L.* 32. *tit.* 16. *p.* 3. Sed hodié poterit quælibet pars in quolibet articulo 30. producere testes non plures. *L.* 7. *tit.* 6. *lib.* 4. *R. C.* quod si pars aliquos testes præsentet: v. g. decem, & dicat nolle plures producere, adhuc potest pœnitere, & alios producere, dum tamen non sint publicatæ attestationes, nec terminus ad producendum testes elapsus. *L.* 34. *tit.* 16. *p.* 3. Nunc ad testium examen deveniamus.

158 Teſtis debet in quocumque articulo, ſuper quo examinatur, quando ſæpiùs, & ſigillatim examinatur, ante depoſitionem juramentum præſtare. *C.* 17. *h. t. l.* 19. *C. eod. l.* 23. *tit.* 16. *p.* 3. quod quidem juramentum eſt de veritate dicenda, de depoſitione neutri parti revelanda, & de eo, quod non ſit ad teſtificandum inductus odio, commodo, vel amicitia. *C.* 5. *h. t. l.* 24. *tit.* 16. *p.* 3. Sed hodie, licet teſti injungatur ſecretum circa ejus depoſitionem uſque ad publicationem, tamen non eſt in uſu, quod hoc jurent. *Greg. Lop. in L.* 24. *tit.* 16. *p.* 3. Juramentum ergo coram Judice præſtandum eſt, vel coram delegato ab ipſo, ut Tabellione, cui in civilibus ſolet committi examen teſtium. *Cl. un. de Offic. Jud. deleg. L.* 31. *tit.* 16. *p.* 3. in criminalibus tamen Judex per ſe ipſum teſtes examinabit, ut ejus authoritate ad veritatem dicendam terreantur: niſi fortè multitudo negotiorum, vel alia neceſsitas dictet eorum examen alij delegare; *arg. C.* 2. *de Judic. in* 6. *L.* 15. *ff. de Jur. jur.* in ipſo tamen proceſſu debet conſtare de commiſsione ad tale examen, aliàs proceſſus erit nullus. *Paz in Prax. p.* 1. *tom.* 1. *temp.* 8. *n.* 101. Et quidem hoc juramentum adeò eſt de ſubſtantia depoſitionis, ut ſi non præſtetur, non probet depoſitio, nec fides contra alios faciat. *L.* 19. *h. t. C.* 39. *eod. L.* 23. *tit.* 16. *p.* 3. licet aliorum depoſitiones adjuvet. *Gonz. in C.* 3. *h. t. n.* 2. *Et C.* 51. *n.* 6. *Paz in Prax. tom.* 1. *p.* 1. *temp.* 8. *n.* 104. qui benè notat *n.* 107. hoc juramentum fieri non poſſe per Procuratorem, cum omninò perſonale ſit. Debet inſuper hoc juramentum præſtari coram utraque parte, niſi fortè aliqua vocata contumacitèr abſit. *C.* 2. *h. t. L.* 23. *tit.* 16. *p.* 3. & in loco judicij, niſi teſtes ſint perſonæ illuſtres, vel impeditæ; nam tunc ſuæ domi jurant, & deponunt. *L.* 15. *ff. de Jur. jurand. C.* 8. *h. t.* vel ſi extra Judicis ſint juriſdictionem: quippè tunc mittit litteras requiſitorias, ut vel à ſuo Judice teſtes mittantur, vel examinentur, & atteſtationes ſigillo munitas ad ipſum requirentem tranſmittat. Quod ſi cauſa ſit criminalis, ex qua poſsit ſequi pœna mortis, mutilationis, vel exilij, tunc debent remitti teſtes, ut à Judice cauſæ examinentur: & idem eſt de cauſa civili valde gravi. *L.* 27. *tit.* 16. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop.* Olim teſtes tactis, vel propoſitis Evangelijs jurabant. *C.* 20. 3. *q.* 9. Hodie Laici, facta digitis cruce, Sacerdotes manu dextra pectore tacto, Equites Ordinum Militatium poſita manu in cruce ſui habitus jurant: quia nulli teſti, etiam Clerico, vel Religioſo non jurato habetur fides, in præiudicium tertij, nequidem in cauſa ſummaria. *C.* 17. *c.* 29. *c.* 39. *c.* 51. *h. t. l.* 18. *C. eod.* Et licet aliqui dicant, ſufficere juramentum poſt depoſitionem teſtium, verius tamen eſt, ipſum præcedere debere, ut magis, & certius à falſitate dicenda terreantur. Et ſic tenet praxis, quæ ut optima Legum Interpres ſervanda eſt. *C.* 8. *de Conſuet.* Et in noſtra Hiſpania hoc expreſſe jubetur in *L.* 23. *tit.* 16. *p.* 3. ibi: *Recebir debe el Judgador la jura de los teſtigos, ante que aya ſu teſtimonio.* Nec per ſtatutum, aut conſuetudinem poteſt generalitèr tolli hoc juramentum; quia falſitati, & calumnijs viam aperiret, anſamque præberet: remitti tamen poteſt expreſſo, non tamen tacito, conſenſu partium, in quarum favorem eſt inductum. *C.* 39. *h. t.* niſi in cauſa criminali, vel civili valde gravi, vel in matrimoniali, vel etiam beneficiali: quia in his favor publicus attenditur, cui nequit partium conſenſu renuntiari. *L.* 38. *ff. de Pactis. C.* 12. *de Foro compet.*

159 Teſtes regularitèr producuntur poſt litis conteſtationem. *L.* 2. *tit.* 16. *p.* 3. quin & ante eam in aliquibus caſibus, qui afferuntur in *L.* 2. *& ſeqq. tit.* 16. *p.* 3. & de quibus aliquid diximus in *tit. Ut lit. non conteſtat.* Et quidem debent produci poſt duos libellos ex unaquaque parte oblatos, in quibus actiones, rationes, fundamenta juris uniuſcujuſque, & exceptiones allegantur. Tunc enim datur à Judice litigantibus dilatio probatoria: quo tempore actor, & reus ſuo ordine Judici ſcriptum offerunt, in quo continentur articuli, ſuper quibus examinandi ſunt teſtes, & non de alijs impertinentibus, *Hiſpanè: Interrogatorio* dicitur. *C.* 29. *h. t. L.* 9. *tit.* 6. *lib.* 4. *R. C. Paz in Prax. Hevia, & alij:* de his interrogantur teſtes à partibus producti: quod ſi teſtis rogetur de re, quam ſub ſigillo Sacramentali ſcit, nullo caſu poteſt illam revelare, niſi de expreſſa pœnitentis licentia: imò poteſt abſolutè reſpondere: ſe nihil ſcire, cum tantum ut Dei Miniſter, non tamen ut homo ſciat. *C.* 2. *de Offic. Ordinar. D. Thom.* 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *ad* 2. Si rogetur de eo, quod ſub ſecreto naturali ſcit: v. g. quia aliquem in delicto apprehendit, quod juratus promiſit, non revelaturum, adhuc tenetur Judici revelare. *C.* 18. *c.* 45. *h. t.* quia illa promiſsio etiam jurata non præjudicat juri, quod Judex ante talem promiſsionem

habe-

habebat ad ipsum int…
ac proindè obligationi, …
pondendum habebat: q…
antecedentèr scienti aliqui…
committatur, & ab ipso secr…
missum, etsi Judex sub j…
rerroget, quinimò etiamsi re… …fet
infamia, non potest testis illud … …re.
Similitèr, qui per injuriam aliq… …cit;
v. g. hominem cogendo ad manifestandum secretum, vel litteras alienas aperiendo; non potest illud Judici revelare, nisi fortè ex occultatione grave damnum alicui sequatur. Audiamus *D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.* ibi: *De illis, quæ homini sunt commissa in secretò per confessionem nullo modo debet testimonium ferre, quia hujusmodi non scit, ut homo, sed tanquam Dei Minister, & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto. Circa ea verò, quæ aliter homini sub secretò committuntur, distinguendum est: quandoque enim sunt talia, quæ statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur, puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet: quandoque verò sunt talia, quæ quis prodere non tenetur, unde potest obligari ex hoc quod sibi sub secretò committuntur, & tunc nullo modo tenetur ea prodere etiam ex præcepto Superioris: quia servare fidem est de Jure Naturali: nihil autem potest præcipi homini contra id, quod est de Jure Naturali.*

160 Pars aliquid intendens probare ipsa debet pro se testes producere. *L. 1. tit. 16. p. 3.* Si enim aliquis ultrò, & irrequisitus se Judici offert, cum nimiam affectionem pro illo litigante, pro quo vult deponere ostendat, suspectus habetur. *Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 8. n. 17.* nisi forte deponere velit pro tuenda innocentia, vel pro peccato vitando. *Aceved. in l. 4. tit. 17. lib. 8. R. C. n. 9.* Profectò testes producens debet solvere sumptus à testibus in itinere factos pro veniendo, stando, & redeundo, & insuper lucrum quod ex suis officijs, & laboribus intermittitur. *C. 11. §. Proferendo, de Rescript. in 6. l. 11. l. 16. C. h. t. l. 26. tit. 16. p. 3.* ne testibus suum officium sit damnosum, præcipuè cum non teneantur proprijs stipendijs pro alio militare, nec ejus negotium facere. Et licet victus tales sumptus refundere teneatur victori, sæpè excusatur ex eo, quod habuerit justam litigandi …m. *C. 5. de Dolo, & contum.* Et His… …o pronuntiatur in fine sententiæ: …*nacion de costas.* Et quamvis testis …ut precibus inductus ad testifican… …dhuc idoneus est. Nam testis non pr…cibus, sed pretio corrumpitur: imò potest pars testem instruere circa ea, quæ dicturus est in memoriam casuum, vel factum afferendo, ut facilius veritatem declarare possit. *L. 8. tit. 6. lib. 4. R. C.* & regularitèr solum tres productiones testium admittuntur, sive super novis, sive super antiquis articulis producantur. *C. 15. c. 36. c. 55. h. t.* quod ita restrictum est, ne lites diutius protrahantur cum Judicis, & partium incommodo: nisi forte partes renuntiaverint ulteriori productioni post primam, vel secundam: nam tunc nova productio non admittitur, nisi in casu appellationis. Tunc namque finita prima instantia, ejus acta rescinduntur. Vel etiam casu, quo pars novos testes adducat, quos probet tempore renuntiationis ignorasse: tunc enim utique admittuntur cum renuntiatio non possit ad ignorata extendi; *arg. L. 15. ff. de Jurisdict.* quia nihil tam contrarium est consensui, quàm error. Quarta testium productio *Hispanè: quarto plazo*, non admittitur, nisi pars contraria ob cujus favorem hæc productio excluditur, suo juri expressè, vel tacitè renuntiet, vel nisi accedat solemnitas Legalis, scilicèt, quod pars quartam productionem petens juret, quod nec per se, nec per alios suppresserit, aut occultaverit, nec suas, nec adversarij attestationes, nec exploraverit testium depositiones, & quod malitiosè non petit hanc quartam productionem. *C. 15. c. 36. c. 55. h. t.* quam si Judex neget, poterit pars appellare. In causis verò criminalibus ad ostendendam rei innocentiam testes producuntur, etiam post publicatas attestationes. *L. 1. §. 27. ff. de Quæstionib.* vel quando Judex facit inquisitionem ex officio. Quinta tamen productio, ne quidem cum solemnitate Legali unquam admittitur. In nostra Hispania omnes productiones sub una dilatione decernuntur, & admittitur à Judice, dummodò dilatio in causa tractanda citra montes non excedat terminum 80. dierum, & ultra montes terminum 120. dietum. *L. 1. tit. 6. lib. 4. R. C.* ibi: *Que si fuere en las Ciudades, y Villas, de aquende los Puertos sea termino de 80. dias; y si allende los Puertos sea termino 120. dias, para probar, y haver*

pro-

probado, y para presentar la probanza, y que esto sea por todos plazos, y termin peremptorio; con apercibimiento, qu sea dado otro termino, ni este les gado, ni ge lo puedan prorogar, n Otrosi mandamos, que en caso, quiera de las partes dixere, que tiene gos allende la Mar, sea dado termino seis meses, haciendo la solemnidad, y juramento, y dando la informacion, y nombrando los testigos, y depositando las expensas, segun, y por la forma que dispone el Derecho, y que no se pueda dàr, ni dè otro mas termino, ni dilacion por quarto plazo, ni por quinta dilacion, ni restitucion, ni en otra manera. Pro Indijs autem sic habetur *in L. 12. tit. 3. lib. 9. R. Indiar. En los pleytos que passaren en la Casa de Contratacion, si se huvieren de hacer probanzas en las Indias, sea el termino ultramarino de año y medio para la Nueva España, dos años para el Perù, y tres para las Philipinas.*

161 Ad testium receptionem est citandus adversarius. *C. 2. h. t. L. 19. C. eod.* Siquidem de ejus interesse agitur. *L. 47. ff. de Re judicat.* Et aliter attestationes factæ nullæ sunt. *C. 2. h. t. Et ibid. Gonz.* nisi agatur de peccato vitando, ut in *C. 12. de Sponsalib.* vel si in crimine hæresis testes recipiantur. Nam tunc partis citationem supplent duæ personæ honestæ, religiosæ, & discretæ, quæ simul cum Notario ad examinationem testium adhibentur. *C. 11. §. Verùm, de Heretic. in 6.* nomine enim personarum religiosarum veniunt quæcumque personæ graves, & prudentes, quæ licet non habitu, virtutibus tamen religiosæ sint. *Dian. in Sum. V. Inquisitores, n. 218.* Nec item requiritur citatio partis adversæ, quando ipsa huic juri renuntiat, vel si sit periculum in mora, vel quandocumque non requiritur litis contestatio: nec in crimine Sodomiæ ob ejus immanitatem citationem partis requiri tenet *Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 8. n. 55.* Et quidem ad hanc receptionem sufficit simplex citatio, nec requiritur quod à Judice, ut peremptoria cum comminatione procedendi ad ulteriora intimetur: quo facto partes citatæ admittuntur, ut videant testes recipi, & jurare non verò, ut eorum testimonia audiant, cum testes secreto sint examinandi. *C. 52. h. t. l. 14. C. eod.* si pars citata ob contumaciam non compareat, testes recipiuntur ea absente, & valent testimonia tanquam si præsens esset. *C. 2. h. t.* Sed si habeat legitimum impedimentum, & de testium receptio, ab- nulla ipso jure. *C. 2. h. t.* quod si Judici non constet, lis receptio rescindetur le- imento probato; *arg. C. 18.* *re judicat.* Navicularius po- re naufragium, vel vim illatam ab us, vel alium casum fortuitum p s ipsius navis coram Judice pro- is loci, etiamsi adversarius non ci- : & plenam fidem facit illa probatio non solum contra adversarium, seu Dominum navis, sed etiam contra omnes, ad quos pertinent merces, quæ in navi asportabantur, & in naufragio perierunt. Talis tamen probatio est intra annum exhibenda coram Judice competente. *L. 2. C. de Naufragijs, lib. 11.* Idem dicendum est de Agatone, *Hispanè: Harriero*, de alijsque iter facientibus. *Gom. 3. Var. cap. 12. n. 21. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 17. n. 8.*

162 Testes debent secreto examinari, non plures simul, sed sigillatim, & seorsim. *C. 52. h. t. l. 26. tit. 16. p. 3.* adeo ut non valeant attestationes, nisi seorsim fiant. *Gloss. in C. 37. h. t. V. Procures.* Si enim plures simul examinarentur non facile potest veritas sciri, quia unus alterum instruere, & alter alterius dictum, vel timore, vel respectu confirmaret. Notarius tamen, seu Tabellio depositioni illorum ad esse debet: qui distinctè ipsorum declarationes scribet in processu; imò & ipsa verba formalia. *C. 37. c. 52. h. t.* & post depositionem factam ipsis legitur sua depositio: cui aliquid addere, vel detrahere possunt, vel in ipsa absolutè ratificantur, postea que subscribunt, vel si scribere nesciant, hoc ipsum notatur. *L. 26. tit. 16. p. 3.* Illud summe cavendum est, quod testes examinati ratificentur: ac proinde, si postquam in summario deposuerunt, postea morte præventi, vel alio casu nequeant ratificari, nec ad torturam sufficiunt. *Larrea Decis. Granat. decis. 98.* quando ratificantur ipsis legitur antecedens eorum depositio, nisi in Tribunali Inquisitionis, ubi solum repetitur interrogatio, quin præcedat lectio. Et quamvis hanc praxim aliqui expositam æquivocationi censeant, testis in secunda declaratione potest, & expedit, protestari ad cautelam, quod si alter dixerit in prima depositione ad illam se refert, in qua promptiorem, & vividiorem facti, vel casus habebat speciem. *Simanc. de Catholic. Instit. tit. 64. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 15. n. 5.* in his causis quæ fidem concernunt, si testis deposuit in prima decla-

claratione innocentiam rei, & in ratificatione dixit, esse hæreticum, statur ratificationi: si in prima declaratione dixit reum hæreticum esse, & in ratificatione dicat esse innocentem, primæ depositioni statur. Nam semper statur dicto, quod in fidei cedit favorem. C. 8. §. *Licet de Hæret. in 6. Dian. in Sum.* V. *Inquisitores*, *ex n.* 220. Extra hunc casum, quando testis in suis declarationibus discordat, primæ declarationi statur, non verò secundæ, etiam in articulo mortis factæ, licet si juramentum accedat prioris declarationis fidem minuat: Item primæ declarationi statur quando testis dicit in prima declaratione falsum dixisse: quia corruptus fuit: tunc enim in tertij præjudicium ipsi non creditur; attamen in utroque casu creditur testi in præjudicium hæredum, ut ad interesse possint propter illud falsum testimonium ipsi condemnari: & etiam in præjudicium corrumpentis testem, ut contra talem corrumpentem, etiam ad torturam procedatur. Si verò testis in ratificatione post auditam ejus declarationem dicat, se illud non declarasse: neque Notarius, neque ipse testis punitur, cum nesciatur, quis dicat veritatem, vel quis sit delinquens. Similitèr quando testis in suæ declarationis confirmationem asserat, Petrum fuisse præsentem, & illud factum vidisse, & postcà Petrus de illo rogatus, neque præsentem fuisse nec factum vidisse respondeat, cum ignoretur, quisnam falsum dicat neuter punitur. Statur tamen testis depositioni, nam potuit Petrus præsens fuisse, & non advertisse factum, quia fortè ad alia erat distractus, & magis affirmanti, quam neganti credendum est. Quando verò Testis, & Notarius discordant in criminalibus testi creditur, nisi fortè suo dicto subscripserit. Nam tunc, & in civilibus potiùs Notario, seu Tabellioni, quam testi creditur. Etiam testis varius in substantia negotij principalis potest, ut falsus puniri, nisi fortè in secunda declaratione protestetur, se velle illam cum prima conformare. Latè de hoc *Acevedo in L. 2. tit. 8. lib. 4. R. C. ex n. 41. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 5. ex n. 5.*

163 Prætereà testes debent viva voce, non in scriptis deponere, nisi sint muti, vel personæ illustres, vel ita consuetudo induxerit, alitèr eorum attestationes non probant. *Arg.* C. 3. 5. *q.* 2. C. 8. *de Cohabitat. Cleric. l.* 3. §. 3. *ff. h. t.* ibi: *Non probabat, nec testes producebat, sed testimonijs uti volebat, quibus apud me locus non est; nam ipsos interrogare soleo. L. 31. tit.* 16. *p.* 3. Quod profectò fieri debet, ut ex voce, gestu, pallore, titubatione, timore, alijsque circunstantijs, quas omnes Judex accuratè observabit, veritatem, vel falsitatem apprehendat, & conjectetur: quæ omnia arbitrio ipsius judicis definientur. *L. 26. tit. 16. p. 3.* ibi: *E desque el testigo comenzare à decir, debe el Judgador escucharle mansamente, è callar fasta que aya acabado catandole todavia en la cara.* Siquidem verè *difficile est crimen non prodere vultu.* Depositio igitur debet esse conformis articulis. Si testis deponat de aliquo articulo, de quo non interrogatur non facit fidem. *Arg. C. 29. h. t. l. 31. in f. tit. 16. p. 3.* Hinc testis productus super certo articulo aliquid extra illum articulum diceret, non valeret. *Greg. Lop. in l. 31. tit. 16. p. 3.* V. *Aquel pleyto.* Debet itidem depositio esse clara, non dubia, v. g. *Opinor: mihi videtur: ni fallor, &c.* nisi negotium sit obscurum, difficile, vel antiquum. Et præcipuè debet depositio esse concludens, hoc est, quod testis dicat, se illud, quod deponit, scire, & causam sufficientem suæ scientiæ reddat. *C. 37. h. t.* maximè, si de hoc rogetur, & à parte petatur: aliter testificatio est nullius momenti, ac proinde nec indicium facit. *L. 4. C. h. t.* si verò non rogetur de causa, seu ratione suæ declarationis, valet ejus attestatio, sed postquam à præsentia Judicis exijt, non est amplius interrogandus, nisi causa sit criminalis, vel civilis, valdè gravis. Nam tunc de causa suæ scientiæ est interrogandus; quod si nesciat eam reddere, vel respondere nolit, non valet attestatio. *L. 26. tit. 16. p. 3.* Depositio concludens intelligetur, si testis dicat, se vidisse Titium à Cajo occisum fuisse, vel se legisse instrumentum contractus; vel se vidisse talem consuetudinem observatam; vel si dicat, aliquid esse de publica voce, & fama: & simul nominet eos, à quibus illud factum audivit: vel si dicat, se audijsse, talem injuriam verbalem à Titio Cajo irrogatam: vel si dicat audivisse, Cajum proferentem talia verba contumeliosa, vel blasphema, vel hæreticalia: & tunc de proprio auditu deponit. *C. 37. h. t.* ibi: *Eos diligentèr examinare procures, & de singulis circunstantijs prudentèr inquirens de causis, videlicet, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, & certitudine, cuncta plenè conscribas. L. 28. tit. 16. p. 3.* sic Dido: *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa: nunc quibus Auroræ venisset filius armis: nunc quales Diomedis equi: nunc quantus Achilles.* Si testis

tis dicat, se aliquid audijsse à viris fidedignis regularitèr non probat. Facit tamen præsumptionem contra adversarium. *L. 28. tit. 16. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. V. Oida*: quia non de scientia sua, ut deberet, sed de aliena deponit: nisi hoc modo declaret ad rei defensionem, vel in factis antiquis. *L.28. ff. de Probation. l.29. tit. 16. p. 3.* vel tempore pestis, vel in his, quæ sunt probationis difficilis, vel in causa denuntiationis, vel si aliqua adjungantur adminicula, vel quando est probanda consanguinitas ad dissolvendum matrimonium jam contractum, si concurrant requisita à Pontifice *in C. 47. b. t.* Deindè si testis deponat de aliquo facto, quod nocte contigit, si non addat, quod Luna, vel lux tunc aderat, præsumitur suspectus de falso. *Acevedo in l. 4. tit.17. lib.8. R.C. n.* 40. Testes tamen de auditu, quando admittuntur, ut in casibus prædictis, debent deponere, se illud factum audivisse à pluribus, duos saltem nominando, in quibus testes conveniant, nec sufficit, si unus dicat a duobus, alius ab alijs duobus audivisse. *Menoch. de Arbitr. cas.* 475. *ex n.* 12. Qui verò tantum de credulitate deponit, nec ait, scire, sed credere id, de quo interrogatur, regularitèr non probat. *L. 29. tit. 16. p.* 3. nisi alia adsint adminicula, quæ ex varijs fontibus desumi solent: Hinc si Medicus, obstetrix, Chirurgus, vel alij artis periti ad declarandum vocentur super his, quæ ad eorum facultatem pertinent, benè de credulitate deponunt, quia non possunt de majori certitudine depónere: ac proindè ipsis creditur. *L. 23. tit. 16. p.* 3. vel si quis hoc modo deponat contra producentem, vel pro innocentia rei, si addant prædicti rationem, & causam suæ credulitatis, vel si aliæ probationes desint. *Hevia in Curia Philip. p. 1. §. 17. n. 21. Greg. Lop. Paz, & alij.*

164 Judex quando testes examinat exquirere debet circa personas testium, cujus ætatis, patriæ, & conditionis sint? An sint habiles ad testificandum? An amici, vel inimici, vel consanguinei partium? An sint subornati, vel corrupti, vel pretio conducti, vel an aliquod in causa interesse prætendant? *C. 37. b. t. l. 8. tit.16. p. 3. l. 3. ff. b. t. Hispanè* dicitur, *si le tocan las generales de la Ley.* Et ante omnia sunt interrogandi testes an cognoscant partes litigantes? Et an causæ, & litigij notitiam habeant? Item interrogandi sunt arbitrio Judicis pro qualitate personarum de tempore, loco, die, & hora, de socijs, si qui fuerunt facto præsentes: Et si testis vilis sit, vel suspectus ob variationem sui dicti, potest Judex interrogare, an tempus, quo factum contigit, esset nubilum, vel serenum, vel de vestitu, quo delinquens erat indutus, ut ex modo respondendi facilius exquiratur veritas, vel falsitas. *L. 28. tit. 16. p. 3.* si Judex de aliquibus articulis dolo, vel alia causa non examinavit testes, ad instantiam partis de novo super articulis omissis sunt examinandi etiam post publicatas attestationes. *C. 48. b. t. L. 30 tit. 16. p. 3.*

165 Testes ut probationem plenam faciant, debent esse concordes, seu contestes: quod si non conveniant perfectè in facto, de quo deponunt *singulares* dicuntur, quæ singularitas pro diversitate in modo discordandi variè distinguitur. Si enim testes de uno actu non iterabili, vel non iterato contraria deponunt dicuntur *singulares singularitate adversativa.* Et hi, & si mille sint nihil probant: quia ex contrarietate suspicatur falsitas. *C. 9. de Probation. C. 32. b. t.* & alter alterius fidem elidit, adeò, ut melius esset unicum testem habere. *L. 28. tit. 16.* ibi: *Otrosi decimos, que deben ser preguntados del tiempo, en que fuè fecho aquello sobre que testiguan, assi como del año, è del mes, è del dia, è del logar en que lo ficieron. Cà si se desacordassen los testigos diciendo el uno que fuera fecho en un logar, è el otro en otra parte, non valdria su testimonio. E por esta razon desechò Daniel Propheta à los testigos, que aduxeron ante èl contra Susana, porque desacordaron en el logar endiciendo su testimonio: Daniel.* 13. Qui de diversis actibus, sed ad eundem finem tendentibus, & se adjuvantibus, deponunt dicuntur *singulares singularitate cumulativa*, v. g. si unus dicat se vidisse unum actum jurisdictionis ab aliquo exercitum, alius autem de alio deponat: & hi in civilibus aliquando semiplenè probant, & dant locum juramento suppletorio: aliquando etiam plenè probant, quia licet varient in circunstantijs concordant respectu finis. *Arg. L. 16. C. de Pœnis.* Et præcipuè in illis delictis, & casibus, in quibus Leges solum exigunt testes singulares ad plenam probationem, ut in Nostra Hispania ubi ad plenam sodomiæ probationem testes singulares sufficiunt. *L. 2. tit. 21. lib. 8. R.C.* illi verò testes, qui de factis non contrarijs, sed diversis non tamen se juvantibus deponunt, dicuntur, *singulares singularitate diversificativa*: Ut si unus dicat excommunicationem inflictam fuisse ante, al-

ter post appellationem: Hi quidem non plenè probant. *C. 16. b. t.* quia omnes ut unus testis reputantur: plus tamen quam semiplenè probant, ita ut ad inquisitionem, vel torturam eorum depositio sufficiat. *Gom. 3. Variar. cap. 12. n. 12. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 17. n. 24.*

166 Frequentèr solet accidere, quod testes actoris, & rei sint in suis depositionibus contrarij, & quidem si sint æquales numero, qualitate, fide, & alijs circunstantijs fides habetur deponentibus pro reo, quia ejus causa favorabilis est. *G. 3. de Probation. L. 40. tit. 16. p. 3.* nisi actor causam favorabilem agat; puta matrimonij, libertatis, Ecclesiæ, dotis, vel pauperum: Nam tunc ob favorem causæ contra reum in causa pari pronuntiatur. *C. fin. de Sentent. & re judic. L. 38. ff. de Re judic.* Quod si partis ejusdem testes discordent, tunc debet Judex ita eorum declarationes interpretari, ut in quantum possit, contrarietas, & nota perjutij vitetur. *C. 16. b. t.* licet instrumenta contraria producta à parte non valeant; quia cum pars potuisset illorum contrarietatem videre, sibi debet imputare, quare ea produxerit. *L. 41. tit. 16. p. 3.* Quod si testium declarationes adeò contrariæ sint, ut non possint ad concordiam reduci, Judex fidem præstabit his, qui probabilius, vel verisimilius veritatem declarant, etiamsi numero sint pauciores. *L. 40. tit. 16. p. 3.* Quod si testes pares sint in qualitate, & fide, pluribus numero creditur, illis verò qui sunt melioris famæ, & opinionis, etiamsi pauciores numero sint plus creditur, quam illis, qui hac qualitate sunt destituti: Similitèr plus creditur, etiam in disparitate numeri, dignioribus ratione status, quam minus dignis. *C. 32. b. t. L. 21. §. fin. ff. eod. L. 40. tit. 16. p. 3.* Sic Cardinales Clericis, Clerici Laicis prævalent: præcipuè si Episcopus testimonium ferat. Similitèr testimonium Religiosorum præfertur testimonio Laicorum. Item præferuntur viri fœminis, Nobiles Rusticis, divites pauperibus, senes junioribus, non domestici, nec familiares domesticis, & familiaribus, periti in arte imperitis, Notarij publici, & Tabelliones personis particularibus, & privatis. Et sic de alijs discurrendum est. *Greg. Lop. in d. l. 40. tit. 16. p. 3. Menoch. de Arbitr. cas. 526. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 17. n. 27.* Deindè major fides habetur deponentibus secundum præsumptionem juris, quam contrarium asserentibus. *Arg. L. 41. tit. 16. p. 3.* Denique magis creditur duobus affirmantibus, quam mille negantibus, nisi fortè qui negant deponant de negativa affirmativæ æquivalente, ut jam diximus. Testis sibi contrarius nihil probat. *C. 54. de Appellat.* quando verò unum dictum est judiciale aliud extrajudiciale, judiciale utpotè magis deliberatum solum attenditur. Si utrumque judiciale est si in continenti, hoc est antè recessum à præsentia Judicis testis suum dictum revocet cum prius censeatur errasse statur secundæ depositioni. *C. 7. de Testibus cogend.* Si verò ex intervallo revocat in eadem, vel diversa instantia, vel in summario, & ordinario, & quidem alleget, & probet causam sui erroris, & aliundè testis non sit suspectæ fidei secundæ depositioni creditur. *Arg. C. 3. de Confes.* Si verò non auferat causam probabilem sui erroris, prætetquamquòd perjurium videtur incurrisse, & subornatus præsumitur ac proindè primæ depositioni statur. *C. 9. b. t. C. 10. de Probation.* Etiamsi secunda sit facta in articulo mortis, sicut jam supra diximus, ne tertio præjudicium causet. Sed valdè suspecta fit prior depositio, ita ut ille testis non censeatur omni exceptione major. Secundæ tamen depositioni creditur, si prima depositio non fuit jurata; vel si facta fuit in judicio invalido, & secunda fuit jurata, & in judicio valido facta: *Arg. C. 29. b. t.* vel si prior extra torturam, secunda in tortura facta fuit: Nam hæc fidem depositionis auget: vel si secunda magis verisimilis est ex conjecturis, & præsumptionibus. *Arg. C. 14. de Præsumption. C. 37. b. t.* Denique tanquam regula generalis in hac materia debet haberi: quod Judex juxta circunstantias delictorum, vel contractuum, & personarum testium, nec non temporis, loci, & ipsius declarationis debet arbitrari quanta fides hic, & nunc testibus adhibenda est. *Paz in Prax. tom. 1. p. 5. cap. 3. §. 2. n. fin.*

167 Finito testium examine partes citantur ad videndum testimonia publicare: quæ citatio non potest à Judice omitti, ne parti inferat præjudicium. Publicatio etenim attestationum est de præcepto, non tamen de substantia processus: hinc si non petatur à parte, ac propterea à Judice omittatur, vel etiamsi petatur, sed à Judice negetur, nec pars appellet, ut potest appellare, à denegatione, subsistit sententia. *Menoch. de Arbitrar. lib. 1. q. 33. ex n. 1.* Judex igitur examine finito dat partibus copiam attestationum, & nominum testium, nisi in causa hæresis, ubi non publicantur nomina accusantium, ne

denuntiantium, nec testium. *Simanc. de Catholic. Instit. tit.62. n.9.* Et quidem in nostra Hispania hæc publicatio attestationum, est de substantia processus ac proinde ejus omissio præcipuè instante parte reddit processum nullum *ut ex L. 1. tit. 8. lib.4. R. C. deducit Paz in prax. tom.1. p.1. temp.8. n. 136.* quæ quidem publicatione facta Judex præfigit terminum, intra quem partes super attestationibus disputent: & qui testes produxit, libellum offert, in quo intendit, & dicit, sufficientèr probatum esse ab eo illud, quod erat probandum: qui libellus *Hispanè* dicitur: *Escrito de bien probado*, alter e contra offert libellum objectionum. *Hispanè: Escrito de tachas*, contra examen, dicta, imo, & personas testium, quo intendit, & dicit, nihil contra ipsum in probatione concludi, vel quia testes non reddunt rationem suarum depositionum, vel quia sibi ipsis sunt contrarij, vel quia sunt singulares, vel quia vacillant, & variant in suis dictis, vel quia deponunt obscurè, & confusè, vel quia in scriptis, & non viva voce declarant, vel quia omnes sub eadem verborum forma deponunt, vel quia solum de credulitate, vel de auditu alieno, vel inverisimilia, vel falsum in aliquo articulo declarant, vel quia sunt examinati à Judice incompetente, vel non secreto, sed omnes simul, vel quia sunt recepti adversario non citato, vel ante litis contestationem sine necessitate, vel post didicita testificata, vel quia sunt admissi ad quartam productionem sine solemnitate legali, vel post dilationes concessas ad probandum, *Hispanè: Passado el termino probatorio*, vel post renuntiationem à partibus factam, vel postquam in causa conclusum est. Et licet de jure non possit excipi post publicationem contra personas testium. *C.31. b. t.* quia jam pars videtur eos approbasse; potest tamen contra eos excipere, si prius post publicationem innotescat causa suspicionis: v. g. infamia, consanguinitas, amicitia, vel quid simile, vel si testis sit absolutè inhabilis, ut excommunicatus, vel si ut hodie fit in aliquibus Regnis ante examen pars sub protestatione sibi reservavit exceptiones contra personas testium. *C. 31. b. t.* ac proindè tunc potest quis contra eorum personas opponere omnes exceptiones, quæ illos à testificando excludunt; v. g. quod sint domestici, vel inimici. In nostra Hispania omnes exceptiones sunt opponenda contra testes intra sex dies à publicatione testium, & ejus intimatione enumerandos, & ad probationem harum objectionum Judex assignat terminum, qui quidem non potest excedere medietatem termini dati ad probationem in causa principali, nec contra hujus temporis lapsum ulla datur restitutio. *L.1. tit.8. lib.4. R. C.* Qui vero tales repulsas objicit contra personas testium dicendo, esse falsos, infames, criminosos, vel quid simile, debet protestari, & jurare, se illas non objicere animo injuriandi, sed tantum se defendendi, ut sic facilius à facienda injuria, & ejus pœna liberetur, si non probet tales exceptiones. *Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp.9. n.22.*

108 Post publicatas attestationes, licet instrumenta admittantur, quia nullum periculum subornationis datur: non tamen admittuntur testes super novis articulis, hoc est, qui non sint propositi, quod si articuli non sint omninò novi, sed dependentes ab antiquis, si post publicationem emergant, & pars velit eos probare, testes admittuntur, & debent consequentèr jurare, quando de eis deponunt. Similitèr possunt testes recipi post publicationem super articulis indirectè contrarijs prioribus articulis. *C. 35. b. t.* Hinc restat dicendum, quod post publicationem attestationum nequeunt vel alij, vel ijdem testes produci, quando verificatur, quod debeant deponere super antiquis articulis, hoc est, qui propositi fuerunt in libello, vel super omnino novis, ut dictum est, vel super articulis directè contrarijs prioribus articulis. *C. 17. c. 25. b. t.* sive hoc fit in prima, sive in secunda instantia. *Cl.2. b. t. l. 34. in fin. l. 35. tit. 16. p. 3.* Et meritò quidem, ut sic subornationis periculo obvietur: quia partes ex publicatione sciunt, priores testes non deposuisse secundum suam intentionem: deinde quia partes per publicationem renuntiasse probationibus censentur, ac proindè non debent contra factum proprium de novo probationem reassumere admittuntur tamen etiam post publicationem in causa criminali, siquidem in ea etiam post conclusionem in causa possunt novi testes produci maximè pro rei innocentia declaranda. Etiam in causa matrimoniali admittuntur testes post publicationem, ut animarum periculum vitetur, quando scilicèt agitur de impedimento matrimonij dirimente. *C. 26. c. 44. b. t. L.18. §. 9. ff. de Quæstionib.* Idem est, si primi testes sunt recepti à Judice incompetente, vel ante litis contestationem, vel si non fuerunt sufficientèr examinati. *C.48. c.53 b. t.* Vel si priores attestationes sunt amissæ, vel si pars adversa expressè,

vel

vel tacitè in talem receptionem consentiat, non se opponendo tali novæ productioni: vel si altera pars non consentit in publicationem, quæ proindè est nulla, vel si testes obscurè deposuerunt. *L.30. tit.16. p.3.* Vel si concedatur restitutio in integrum, vel si Judex ex officio ad meliorem sui informationem velit repetere attestationes, vel si in judicio summario sunt publicatæ attestationes, possunt adhuc in plenario, in quo meliores probationes exiguntur, super eisdem articulis, vel ijdem, vel alij testes produci. *C. 38. c.48. c.53. h. t.* In his, & in alijs causis, quæ in rem judicatam non transeunt, possunt testes post publicationem produci. In causa appellationis potest pars producere super eisdem articulis testes, quos in prima instantia non potuit habere, vel de quibus oblitus fuit, si jure, se non ex malitia, nec dolo eos producere. *L.39. tit.16. p.3.* quæ lex est valdè singularis, ut notant *Greg. Lop. ibid.* V. *Maguer. Roder. Suar. alleg.5. n.5.* ac proinde jus singulare constituit pro nostra Hispania. Nunc videamus quam vim in judicio habeant attestationes, seu depositiones testium postquam publicatæ sunt.

169 Attestationes coram incompetente Judice receptæ, utpotè nullæ nullam fidem faciunt; *arg. C.4. de Judic.* debent ergo recipi à Judice competente, & quidem sic receptæ, & publicatæ in eadem causa, & inter easdem personas, vel illis succedentes, etiam coram alio Judice, fidem faciunt. *C.11. h. t.* quod quidem intellige, dum attestationes legitimæ sint. Nam si illegitimæ fuerunt, vel quia testes erant inhabiles, aut sine citatione partis examinati, vel quia talia testimonia per sententiam definitivam fuerunt reprobata, nullam fidem faciunt in alio judicio: si vero reus receptis attestationibus fuit absolutus ab instantia judicij tales attestationes in eodem, vel etiam in alio judicio productæ fidem faciunt. At vero in diversa causa, & ad finem diversum non faciunt fidem attestationes, quantumvis legitimè in judicio receptæ faciunt tamen præsumptionem. Sic se habent attestationes receptæ in judicio Ecclesiastico respectu Sæcularis, vel è contra quia Judex Ecclesiasticus ad pœnam Canonicam, Sæcularis, ad pœnam Legalem infligendam agit. Idem est in attestationibus in judicio Civili receptæ respectu judicij Criminalis, nisi fortè probationes factæ in judicio Civili sint omninò liquidæ, indubitatæ, & clarissimæ quales requiruntur in judicio Criminali. *L. fin. C. de Probation.* Similiter non probant attestationes, etiam inter easdem personas, si in priori judicio non fuerunt publicatæ, siquidem ante publicationem fides publica eis non tribuitur, nec rei veritas adhuc satis detegitur. Nisi fortè Judex posterior priori subrogatus sit, eique successerit, vel sit Judex in causa appellationis, nam in utroque casu Judex posterior idem, ac prior censetur. Cum ex eisdem actis, & attestationibus judicare debeat. *L.76. ff. de Judic.* Etiam fidem faciunt coram alio Judice attestationes non publicatæ, si testes sint mortui, vel valdè distantes, ita ut non possint iterum produci, vel si sint valetudinarij; & senes, vel alij ante litis contestationem ad perpetuam rei memoriam recepti, & præcipuè, si pars de cujus præjudicio agitur consentiat in publicationem à Judice posteriori faciendam. *Gonz. in C. 11. h. t.* At vero inter diversas personas non faciunt plenam fidem attestationes receptæ, & publicatæ in judicio. Nam solemne est quod res inter alios facta, alijs non præjudicat. *C.6. §. Porrò, de Fid. instrumentor.* Aliqualem tamen fidem, & præsumptionem faciunt, quod si ab arbitro receptæ, & publicatæ sint, & testes mortui sint, æquitate suadente, receptum est, ut tales attestationes probent coram Judice Ordinario, ne copia probationum pereat. Si vero testes vivant, in optione adversarij est stare illis attestationibus, vel novam earum productionem petere.

170 Ut fides attestationibus, vel tollatur, vel saltem minuatur testes reprobantur à partibus: nullus tamen potest reprobare testes, quos ipse produxit. Siquidem eos producendo, illos approbavit, licet inhabiles sint, ac proindè eos contra se admittere tenetur. *C.17. h. t. L. 31. tit.16. p.3. l.17. C. h. t. Nam quod semel placuit, amplius displicere non potest. C. 21. de Reg. jur. in 6.* nisi de novo causa eos reprobandi emergat, aut saltem ejus notitia, vel si producens videat, quod testes sibi ipsis contradicunt, aut quod pro adversario deponant. *L.1 C.h. t. l.31. tit.16. p.3.* quia non censetur producens approbare quæ testes dicturi sunt, cùm id non sciat. Aliud est in eo, qui instrumentum produxit: talis namque cum prævidere debuisset, an pro se, vel contra se faceret, non potest illud amplius reprobare. Hinc est quod testium reprobatio fit ab ea parte in cujus præjudicium cedit depositio, & quidem reprobantur ex capitibus supra assignatis, quæ quidem 1. concernunt testium personas,

nas, illorumque inhabilitatem, vel absolutam, vel respectivam; 2. ipsorum examen, 3. declarata ab ipsis. Judex tamen debet admittere testes reprobatorios testium in negotio principali productorum, quod si rursus pars altera testes reprobatorios velit reprobare, probationes contra illos utique admittet Judex, ita tamen ut ultra non liceat partibus ad reprobationem testium aspirare: proindeque nulla pars potest reprobare testes reprobatorios testium, qui sunt producti in negotio principali. Ne si producendi quartos contra tertios, & sic deinceps partibus licentia tribuatur, negotium diutius protelari contingat. C.49. *h. t.* L.37. *tit.*16. *p.*3. Exceptio vero, quæ contra testes opponitur regulariter non impedit illorum receptionem, sed Judex potest in finem litis eam quæstionem reservare: quia fortè sine eorum depositionibus poterit ferre sententiam. Impedit tamen receptionem testium si defectus notorius, vel incontinenti probandus contra testem objiciatur. C.7. *h. t.* vel quod sit excommunicatus. C.1. *de Exception. in 6.* vel si inimicitia capitalis opponatur, quia hac prius judicanda est. *Menoch. de Arbitr. cas.*239. *ex n.*7. *& alij.*

171 Nunc denique restat aliquid de pœna falsi testis dicere. Igitur testis falsum deponens, si causa sit criminalis, in qua pœna mortis, vel alia corporalis erat reo imponenda, eadem pœna ipse testis punitur, etiamsi ejus dictum non sortiatur effectum. *L.* 4. *tit.* 17. *lib.* 8. *R. C.* Et idem est de teste falso in causa adulterij. *Gom. in L. fin. Taur. n.* 9. in alijs casibus pœna arbitraria imponitur. At vero in nostra Hispania quinta pars dentium testi falso extrahitur. *L.* 3. *tit. De las falsedades, lib.* 4. *Fori*, quæ Lex debet servari juxta cujuslibet Provinciæ consuetudinem. Jam vero vix est in usu, ac proinde falsus testis in interesse parti condemnabitur, & in pœnam ignominiæ publicæ, & triremium per decem annos. *L. fin. tit.*17. *lib.*8. *R. C.* Si vero causa esset criminalis, falsus testis Catamidiatur, seu ignominiosè circumfertur per calles, & plateas, *Hispanè: Sacar a la verguenza.* Et in perpetuum ad triremes mittitur. Falsitas testium probatur per alios testes, qui numero sint plures: & quidem si agatur directè de falsitate hoc modo procedendum est quoad probationem, & pœnas. Nam si solum incidenter de falsitate agatur, ut scilicet testes, ut falsi civiliter repellantur, non multum curatur de punienda eorum falsitate: præcipue, quia pars contraria regulariter proreftatur, se non opponere falsitatem animo injuriandi, nec eum accusandi, sed tantum se defendendi. *Aceved. in L.*4. *tit.*17. *lib.*8. *R. C. & alij.* De testibus latè agunt *Anton. Gom. Paz in Prax. tom.*1. *p.* 1. *temp.* 8. *Menoch. de Arbitr. in pluribus casibus. Hevia in Cur. Philip. p.* 1. §. 17. *Et p.* 3. §. 15. *Tot. tit.* 16. *p.* 3. *tit.* 6. *lib.* 4. *R. C. Et ibid. Greg. Lop. & Aceved. Barbos. & Gonz. in hoc tit.*

TIT. XXI.

De Testibus cogendis, vel non.

172 CUM Reipublicæ intersit, ne veritas in judicio occultetur, & ne pro defectu testium pereat justitia. *C. fin. h. t.* nec delicta impunita maneant: ideo quando aliqui non privilegiati sine rationabili causa testimonium ferre recusant, monendi sunt à Judice: & si hoc non sufficiat, cogendi sunt testimonium dicere. Et quidem de Jure Civili coguntur, vel per captionem pignorum, vel mulcta pecuniaria inflicta. *L. un. ff. Si quis jus dicent. L.* 35. *tit.* 16. *p.*3. *Et ibid. Greg. Lop.* V. *Prendar. L.* 6. *tit.* 6. *lib.* 4. *R. C.* in Jure vero Canonico Laici per censuram Ecclesiasticam coguntur. *C.* 1. *c.* 5. *h. t.* Clerici vero per suspensionem officij, & beneficij, & per excommunicationem; quod si contumax sit, eorum contumacia depositione punitur. *C.* 2. *h. t.* quod quidem locum habet, etiamsi jurassent non testificari: tale enim juramentum non obligat, nec indiget relaxatione. *C.* 4. *h. t. c.* 18. *c.* 45. *de Testib.* quia non testificari est contra bonum publicum, & contra præceptum Superioris, qui testimonium dicere jubet: ac proindè juramentum non tenet: siquidem non debet esse vinculum iniquitatis. *C.*18. *de Jur. jur.* Et testis obedire tenetur Superiori, seu Judici. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *in corp.* ibi: *Si requiritur testimonium alicujus subditi, auctoritate Superioris, cui in his, quæ ad justitiam pertinent obedire tenetur, non est dubium, quin teneatur testimonium ferre in his, in quibus secundum ordinem juris testimonium ab eo exigitur.* Et ideo ille, qui veritatem occultat falsus, dicitur in *C.* 1. *de Crimin. falsi*, ibi: *Uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia & ille prodere non vult, & iste nocere desiderat.* Testimoniorum equidem usus valdè necessarius est, ac ideò valdè frequens. *L.* 1. *ff. de Testib.* & propterea etiam inviti

ti testes dicere testimonium tenentur, ut notat *Gom.* 3. *Var. cap.* 12. *n.* 24. ex quo infert, quod si pars offensa forte in secreto, & occulto recepit injuriam, vel offensam, & nolit deponere coram Judice, vel timore, vel etiam causa sui honoris, quisnam eam offenderit, potest compelli à Judice hoc declarare, ut ex sua depositione possit Judex contra delinquentem procedere. *L.* 13. *C. de Offic. Præsid.*

173 Quilibet ergo non privilegiatus potest compelli testimonium dicere, nisi ostendat causam sufficientem, qua non obligetur: sic contra accidit in privilegiato, vel in eo, quem Jus Commune à testificando eximit: siquidem hi non possunt compelli, etiamsi nullam aliam causam, quam privilegium, vel Jus Commune allegent, nisi ipsis probetur, quod veritas non aliter potest sciri, quam per eorum testimonium, ac proinde quod hoc est necessarium. Varij profectò sunt, qui ad testificandum nequeunt compelli. Tales sunt parentes, vel alij ascendentes contra liberos, & descendentes: nec item descendentes contra ascendentes. *C.* 3. 4. *q.* 3. *L.* 6. *C. de Testib.* sive causa criminalis, sive civilis sit: quod quidem statutum est ob pietatem paternam erga liberos, & ob reverentiam liberorum erga parentes: Hic reducuntur socer, & socrus, gener, & nurus, vitricus, & privignus, qui nec volentes ad testificandum admittuntur de Jure Communi. Nec etiam obligantur testificari agnati, cognati, & affines usque ad quartum gradum. *C.* 3. §. *Item Lege*, 4. *q.* 3. *l.* 4. *ff. de Testib. l.* 11. *tit.* 16. *p.* 3. quia durum esset, ut quis cogeretur contra suum sanguinem deponere. Hi omnes, si spontè velint testificari contra prædictos admittuntur saltem de Jure Hispano. *L.* 11. *tit.* 16. *p.* 3. *l. fin. tit.* 30. *p.* 7. Et quamvis contrarium teneat *Anton. Gom.* 3. *Var. cap.* 12. *n.* 24. loquitur de Jure Communi: nam nostrum Jus Regium non potest esse clariùs: imò & prædicti coguntur testificari in criminibus exceptis, ut læsæ Majestatis, & hæresis, si alij desint. Nec item coguntur testimonium dicere uxor adversus maritum, vel è contrà. *L.* 4. *ff. de Testib.* nec sponsus contra parentes sponsæ, nec liberti contra patronos. *L.* 10. *tit.* 16. *p.* 3. Sed si veritas aliter sciri non possit, nisi per horum depositionem, ne defectu testium pereat justitia, cessat prædictorum exemptio. *C.* 5. *h. t. Aceved. in L.* 6. *tit.* 6. *lib.* 4. *R. C. n.* 7. Et licet absolutè ad testificandum possit cogi senes etiam majores 70. annis, infirmi, pauperes, & impediti, non tamen possunt cogi Judicem personaliter adire. *C.* 8. *de Testib. L.* 8. *ff. eod. l.* 35. *tit.* 16. *p.* 3. eadem exemptione gaudent mulieres. *C.* 2. *de Judic. in* 6. Milites, qui sunt in expeditione Militari, absentes Reipublicæ causa, vel etiam causa devotionis, Episcopi, Magnates, & aliæ personæ Illustres, & egregiæ. *L.* 15. *ff. de Jur. jur.* quod aliqui ad Doctores, & Licenciatos extendunt ob *L.* 6. *C. de Professorib.* sed non servatur. Prædicti ergo non ad Judicem pro testimonio dicendo, sed ipse Judex ad eos debet accedere pro testimonio suscipiendo: quod si hoc non deceat, debet mittere Tabellionem, vel alium delegatum ad testimonia recipienda. *L.* 35. *tit.* 16. *p.* 3.

174 Clericus nequit cogi à Judice Laico testimonium dicere. *C.* 38. 2. *q.* 6. quia non habet in eum jurisdictionem: quod si ejus testimonium sit necessarium; Judex Sæcularis mittit litteras requisitorias ad Episcopum, vel Judicem Ecclesiasticum, ut Clerico licentiam testificandi concedat, sine qua non possunt Clerici coram Laico licitè testimonium ferre, quamvis si de facto deponat, erit valida depositio Clerici. Idem fere est de Religioso, attamen à suis Judicibus possunt, & aliquando debent cogi Clerici, & Religiosi testimonium dicere. *C.* 2. *h. t.* si vero agatur de causa Ecclesiæ, in qua Clericus beneficium obinet, cum talis Ecclesia instar illius mater habeatur, non cogetur Clericus, volens tamen ad testimonium admittetur: nisi alij testes desint, nam tunc testificari compelletur. Nec potest cogi Clericus testimonium ferre contra reum in causa sanguinis: imo & testimonium dicere etiam spontè prohibitum est. *C.* 30. 23. *q.* 8. alias irregularitatem incurret. Si verò Laicus cogatur à Judice testimonium ferre in causa criminali, ex quo mors alicujus secuta fuit, probabiliter non incurrit irregularitatem, ut colligitur ex *C.* 19. §. *Ad ultimum, de Homicid.* ubi Scholaris, qui Judici Sæculari dedit inter signia furis, non est irregularis, licet fur occidatur. Nec videtur carere lenitate christiana, qui à Judice coactus dat testimonium: secus esset, si voluntariè testificaretur, etiam prævia potestatione: quia hæc solum suffragatur propriam causam defendenti. *C.* 2. *de Homicid. in* 6. Et hanc sententiam tenet *Gonz. in C. fin. h. t. n.* 10. *& alij.*

175 Quando testis interrogatur de delicto occulto, vel quod scit sub secreto sibi commisso, vel quando ipsi testi potest gra-

grave damnum ex declaratione sequi, non tenetur ipse etiam juratus de illo deponere, nisi ex occultatione magnum damnum sequeretur, ut supra diximus. Quod si sciat, aliquod factum, de quo, ut de delicto interrogatur, non continere culpam, potest illud occultare: v. g. si de homicidio facto à Tirio interrogetur, cum sciat, esse commissum casu, vel errore, vel causa propriæ defensionis, tunc non tenetur illud declarare, cum Judicis interrogatio supponat culpam, quæ certè in facto non datur. In his igitur casibus, si testis à Judice testimonium dicere cogatur potest subterfugio verborum, & aliqua amphibologia Judicem eludere. Quando privilegiati sunt adhibiti testes in aliquo contractu, vel testamento; si posteà super illo lis moveatur, non possunt excusari à testimonio dicendo in judicio prætextu sui privilegij, quia jam ei renuntiasse censentur. *Glos. in L.* 8. *ff. de Testib.* V. *Non licet.* Et licet tempore mediæ Jurisprudentiæ solum in criminibus testes deponere cogerentur, ut ex varijs Textibus notat *Gonz. in C. fin. b. t. n.* 5. hodie tamen de Jure Civili potest quis cogi testificari in causa civili, vel criminali. *L.* 16. *C. de Testib.* imò & de Jure Canonico in utraque causa deponere cogitur testis, quando ejus testimonium ob probationum inopiam est necessarium, ut de varijs criminibus constat in *C.* 4. *c.* 8. *c.* 9. *c. fin. b. t.* Et quamvis in *C.* 10. *b. t.* dicat Pontifex, quod testes cogantur *testimonium perbibere, præterquam super criminalibus*: non probat, quod absolute non possint compelli in re criminali deponere: sed tantum voluit Pontifex, quod in illa causa civili, quam ibi delegavit, non cogerentur testes deponere super criminibus, quæ in ipsam causam delegatam inciderent. Et ita tenendum est cum *Hostiens. Guazin. & Gonz. in C. fin. b. t. n.* 8. contra *Barbos. in C.* 10. *b. t. & alios.*

TIT. XXII.

De Fide instrumentorum.

176 **I***Nstrumentum* ab *instruo* originem ducit, & latè sumptum significat omne illud, quo quis ad operandum utitur: sic dicimus arma esse bellorum instrumenta. Sic ligones instrumenta Agricultoris, sic penicillos instrumenta Pictoris dicimus. Aliquando sumitur pro apparatu, vel ornamento fundi, vel tabernæ: sic dicitur fundus instructus in *L.* 1. *ff. de Instruct. & instrum. legat.* sed in præsenti *instrumentum sumitur pro scriptura facta ad probationem alicujus rei, vel facti*: quia tali Scriptura instruitur Judex ad causæ definitionem. Et est species, & quidem non ultima probationis, quæ quidem dicitur vox mortua ad distinctionem depositionis testium, quæ per vivam vocem ipsorum fit. Sic Rex N. *Alfonsus in Proœm. tit.* 18. *p.* 3. Instrumentum ergo propriè, & in hoc sensu acceptum est duplex: aliud est *publicum*, aliud *privatum*. *Publicum* est illud, *quod authoritate publica, manu scilicet Notarij, seu Tabellionis factum*, ac firmatum est. *C.* 2. *b. t. L.* 1. *tit.* 18. *p.* 3. ibi: *Ay otra Escritura, que llaman Instrumento publico, que es fecho por mano de Escrivano publico, ò de Concejo.* Instrumentum *privatum* est illud, quod à persona privata, vel sine debitis solemnitatibus confectum est. Publicum rursus est duplex: aliud dicitur *protocollum*, aliud *transumptum*. *Protocollum*, quod etiam *imbreviatura* appellatur est quædam succincta brevis, & summaria rei gestæ annotatio memoriæ causa facta, ex qua posteà in formam solemnem redigitur instrumentum. *Transumptum*, quod simpliciter venit nomine instrumenti publici, est *instrumentum authenticum originale*, in quo res gesta plenè exponitur, conficiturque cum debita solemnitate, & ex Protocollo desumitur. Quod si ex aliqua causa hoc transcribatur, *exemplum*, seu *copia* dicitur, & aliquando *exemplar* appellatur; licet exemplar propriè sit Scriptura matrix. Et expedit duas, vel tres copias ex originali extrahere, ut si una amittatur, vel vetustate corrumpatur, maneat altera. Similitèr, quando timetur, quod instrumentum vetustate pereat, debet renovari; *arg. C.* 4. *de Confirm. util.* ne veritas occultetur, & copia probationis subtrahatur. Protocollum in nostra Hispania est Scriptura matrix, quæ à partibus fit coram Tabellione, & ab ipso asservatur in suo officio: dicitur *Protocollum*, quasi primum membrum, teste Nebrisensi. Etiam dicitur *Registrum*, seu *Regestum*. Et *Protocollum* sumitur pro volumine, in quo instrumenta Notariorum, & similia registrantur, & ex quo Scripturæ describuntur. Sic dictum à verbo Græco, quod primum glutinum, seu collam, qua libri conglutinabantur significat.

177 Instrumentum ergo publicum legitimè confectum se solo plenè probat tam pro ipsum producente, quàm contra ipsum in his, quæ continet, & de quibus dis-

ñitivè loquitur. *C.* 2. *h. t. L.* 15. *C.* Non verò probat circa ea, quæ ennunciè, vel tantum incidentèr referuntur, in actis antiquis. Instrumentum verò io non præjudicat: solum etenim prædicat illis, inter quos factum est, & iis successoribus universalibus, & particularibus: secus alijs. *Apostillæ*, *additiones*, in initio, fine, vel margine positæ: item Cancellationes, interlineationes, & rasuræ, si non generalitèr, sed sigillatim de ipsis singulis in fine instrumenti fiat mentio, notaque apponatur specialis à Tabellione, eandem fidem faciunt. Protocollum etiam plene probat. *C.* 11. *de Probation.* etiam antequam extractum sit instrumentum originale, & etiamsi Tabellio non ostendisset partibus Protocollum, vel etiamsi Tabellio ante confectionem instrumenti decedat: quia non Protocollum ab instrumento, sed instrumentum à Protocollo, quod est ejus matrix vim probandi habet, ac consequentèr, si Protocollum instrumento adversetur, statur Protocollo potius, quam instrumento: *arg. L.* 9. *tit.* 19. *p.* 3. Copia, vel exemplum propria authoritate extractum ex instrumento publico, cum manu Tabellionis careat, qui est testis publicus, & cui fides publica debetur, nihil probat. *C.* 1. *h. t. Ei ibid. Barbos. & Gonz. L.* 18. *C. de Probation.* præterea, quia possunt inveniri in originali Cancellationes, vel rasuræ, quæ ipsum vitiosum reddant, & non apparent in copia, vel exemplo. Si verò ab eodem Tabellione, qui fecit instrumentum sit transcriptum exemplum, etiam sine Judicis authoritate, fidem facit, ut tamen à diverso Tabellione transcribatur, requiritur Judicis authoritas, & quod fiat ad instantiam partis, citatis eis, quorum interest, & debet cum originali concordare: quod si discordet, originali statur, seu Protocollo. *L.* 9. *tit.* 9. *p.* 3. *Hevia in Cur. Philip. p.* 1. §. 17. *n.* 31. prædictis tamen solemnitatibus adhibitis exemplum plenam fidem facit sicut originale. *C. fin. h. t.* sine illis tamen facit magnam præsumptionem, si à Tabellione sit extractum instrumentum publicum sæpe habet clausulam, quam *guarentigiam* dicimus, per quam quis se obligat, ut adversarius contra ipsum agat ad executionem tanquam si esset in jure confessus, vel à Judice competente legitimè condemnatus per sententiam, quæ in rem judicatam transiisset. Hæc clausula *guarentigia* à quodam verbo Tusco, quod significat firmitatem, & robur addere. Quando igitur instrumentum talem clausulam continet, habet paratam executionem: seu statim potest fieri executio pro re in instrumento contenta: quod in toto Orbe servari tenent DD. sed in nostra Hispania, etiamsi hac clausula careat instrumentum publicum, adhuc habet paratam executionem. *L.* 2. *l.* 5. *tit.* 21. *lib.* 4. *R. C.* Tutius tamen est, talem clausulam addere, & sic fit frequentèr. Quoad modum conficiendi instrumentum publicum in nostra Hispania hæc debent servari. Tabellio enim, qui instrumentum venditionis; v. g. conficit, debet illud integrè, & extensé de verbo ad verbum in Protocollo, seu registro, quod in suo officio habet, scribere, posteà partibus, & testibus legit, & si consentiant in instrumentum, debent subscribere, vel alij eorum nomine, si scribere nesciant, & hoc ibidem debet notari à Tabellione: quod si aliquid est additum, correctum, vel cancellatum debet ante Tabellionis subscriptionem ab ipso sigillatim notati. Nec possunt Tabelliones instrumentum publicum conficere, nisi prius integrè in Protocollo sit scriptum. Insuper instrumentum ex Protocollo extractum unicè, & præcisé debet continere, quod est in Protocollo scriptum: nec plus, nec minus, exceptis subscriptionibus partium, & testium: aliter factum nullum est, & Tabellio privatur officio, inhabilis ad aliud redditur, & parti solvere interesse tenetur. *L.* 13. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.*

178 Instrumentum igitur publicum, ideo tale est, & dicitur, quoniam conficitur à persona publica, quæ quidem à Supremo Principe, non tamen ab alio, nisi ex privilegio, ad publicam fidem faciendam constituta est. *L.* 1. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.* Et hæc quidem in Tribunalibus Ecclesiasticis dicitur *Notarius*, in Sæcularibus *Tabellio*, seu *Scriba*. *Hispanè*: *Escrivano*, in Superioribus Audientijs, & Senatibus dicitur *Secretarius*. Si assistat in Cancellarijs Regijs dicitur: *Hispanè*, *Escrivano*, *ò Secretario de Camara*. Si in Curia Regia: *Secretario del Consejo*: quod si immediatè Regi assistat dicitur: *Secretario de su Magestad*. Si Pro-Regi: *Secretario de Govierno*. Dicitur *Tabellio*, quia *tabellis* scribit: *Notarius*, quia *notis* excipit, & affigit res gestas: *Secretarius*, quia *secretum* exactè debet servare. *L.* 4. *tit.* 19. *p.* 3. Tabellio debet esse Laicus: nullus enim Clericus præcipue in Sacris constitutus hoc officium assumere valet. *C.* 8. *Ne Clerici, vel Monach.* Imò in nostra Hispania, si Clericus sit Tabel-

bellio non potest tali officio uti in rebus temporalibus, nec inter Laicos: quod si forte aliquod de his rebus instrumentum faciat erit nullum. *L.* 20. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.* Notarius tamen bene potest esse Clericus, cum ad res Ecclesiasticas constituatur: sed minimè potest excedere limites suæ potestatis, nec officium exercere in negotijs non contentis in sua concessione; *arg. L.* 5. *ff. Mandat.* Et præcipuè in nostra Hispania, ob *L.* 19. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.* ubi scriptura facta à Notario Ecclesiastico de rebus ad Laicos, vel jurisdictionem Regiam pertinentibus est nulla: quinimò Notarius, & Laici, qui contra hanc Legem aliqua faciant instrumenta, amittunt medietatem suorum bonorum, & à Regno ejiciuntur, ad arbitrium Regis. Tabellio, ut suo muneri, ut debet in justitia, & conscientia, satisfaciat, debet scire, quæ ad suum pertinent officium. Et hac ratione in nostra Hispania antequam ipsis officium conferatur, in Supremo Regio Senatu examinantur. *L.* 4. *tit.* 19. *p.* 3. *l.* 1. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.* Et insuper, ut ad examen admittantur, debent exhibere informationem de vita, & moribus facta à Judicibus Oppidi, in quo degunt. *L.* 3. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.* debentque habere 25. ætatis annos completos. *L.* 30. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.* debentque jurare fidelitatem servaturos in libris sui officij custodiendis, & in sui officij usu. *L.* 24. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.* Præterea, ut Tabellio ritè conficiat instrumentum, debet omni impedimento, & inhabilitate ad illud conficiendum carere: ac proindè, si sit excommunicatus vitandus, & faceret instrumentum, hoc esset nullum: si tamen à tolerato fieret, valeret, sed posset per exceptionem infirmari. Nec debet instrumentum facere nisi rogatus à partibus, v.g. in testamento à defuncto, in contractibus à contrahentibus. *L.* 9. *tit.* 19. *p.* 3. si irrequisitus faciat, suspectus habetur: Instrumenta etenim adeò strictè sunt examinanda, & interpretanda, juxta suos terminos, ut si Tabellio aliquid in instrumento ponit non rogatus, sed propria authoritate, vel si non interfuit alicui articulo ex contentis in instrumento: quoad illam partem non habet Tabellio fidem publicam: ac proindè non probat instrumentum. Denique, si factum, de quo restatur aliquam causæ cognitionem requirat, interponi debet judicialis authoritas. Nec potest Tabellio conficere instrumentum, nisi de rebus, quas ipse vidit, vel audivit, vel quibus interfuit. De his ergo instrumentum faciet, nisi aliundè à Lege prohibeatur.

179 Tabelliones in multiplici sunt differentia: alij enim sunt *Regij*, alij [illegible]*merarij*, alij *Capitulorum*, & alij [illegible]. Vide *L.* 1. *tit.* 19. *p.* 3. *l.* 1. *& seqq.* [illegible] 25. *lib.* 4. *R. C.* Et quidem in locis [illegible] quibus in nostra Hispania certus numerus Tabellionum est designatus: qui dicuntur *Escribanos del Numero*: solum qui sunt de tali numero, & non alij quantumvis publici Tabelliones sint, possunt suis officijs uti, & conficere instrumenta super contractibus celebratis inter partes, obligationibus, & testamentis. Ubi talis numerus non est, possunt hæc instrumenta à quolibet Tabellione publico confici: & idem est, in locis, ubi resident Cancellariæ Regiæ, & in alijs casibus contentis in *L.* 1. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C. & alibi.* Notarius igitur, seu Tabellio publicus, non solum intra territorium ipsum constituentis potest facere instrumenta publica, quæ etiam alibi, ut talia habeantur pro subditis, sed etiam pro extraneis, & peregrinis, si ab eis rogetur: quin etiam constituentis territorium potest ea conficere, ut intra territorium constituentis valeant: quia confectio instrumenti non est actus jurisdictionis, sed muneris: non tamen potest instrumenta facere extra territorium pro subditis Principis illius territorij, quia respectu illorum censetur persona privata; *arg. L.* 3. *ff. de Offic. Præsid.* ac deindè esset ultra, vel contra constituentis intentionem. Instrumentum ergo, quod est formatum juxta Leges Regni, in quo conficitur, etiam in alio quocumque Regno probat ex com. DD. consensu, dummodo in loco, in quo præsentatur, probetur duobus testibus, esse confectum ab eo, qui saltem fama publica erat Tabellio, vel tali utebatur officio. *L.* 15. *tit.* 18. *p.* 3. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 9. At verò ut instrumentum in nostra Hispania factum fidem in his Indiarum Regnis faciat, vel è contrà; ultra signum Tabellionis, qui instrumentum confecit, debent insuper tres Tabelliones fidem in ipso instrumento facere, illum esse Tabellionem, & tale officium exercere, & illo signo uti, & posteà ipsi subscribunt: non tamen apponunt signum sui officij.

180 Instrumentum debet confici juxta normam descriptam *à Hierem. cap.* 32. *v.* 44. ibi: *Agri ementur pecunia, & scribentur in libro, & imprimetur signum, & testis adhibebitur.* In Nostra igitur Hispania Instrumentum debet scribi in charta sigillata. *Hispanè*: *Papel Sellado*, debet enim

enim habere Regium Sigillum: & sanè, quod sit confectum pro illo anno, vel si alterius anni sigillum sit, debet pro eo anno esse habilitatum, ut solet in Indijs fieri. *L. 46. tit. 25. lib. 4. R. C.* quæ solemnitas adeò necessaria est, ut in Foro Sæculari nullus admittatur libellus, qui non sit in charta sigillata scriptus. In Foro tamen Ecclesiastico talis chartæ nullus est usus. Etiam in instrumentis contractuum hæc solemnitas pro forma substantiali valoris illorum requiritur. *L. 44. tit. 25. lib. 4. R. C. Porque nuestra voluntad es*, ait Rex Noster, *añadir esta nueva solemnidad del Sello por forma sustancial, para que sin ella no puedan tener perfeccion, ni valor alguno.* Quatuor enim sunt sigilla, quæ instrumentis pro illorum varietate, & diversitate personarum contrahentium debent adhiberi, primum dicitur: *Majus*, & reliqua, *secundum, tertium, & quartum.* In quorum limbo scriptum est: *Filipo V. Rey de las Españas: para el año de mil setecientos y treinta y seis*: prout disponitur in *L. 45. tit. 25. lib. 4. R. C.* ubi, & in Legibus sequentibus dicitur, quænam sigilla singulis Instrumentis correspondeant in Nostra Hispania. Sed quia pro Indijs aliud in hac parte statutum est, & hac regula nos uti debemus in his Regnis, conveniens duxi Legem servandam præsentem lectoribus facere. Sic enim habetur in *L. 18 tit. 23. lib. 8. R. Ind. Que aya quatro Sellos diferentes, primero, segundo, tercero, y quarto. En el Sello primero se han de escribir todos los despachos de gracia. y mercedes, que se hicieren en las Provincias de las Indias por nuestros Virreyes, Presidentes, Audiencias, Tribunales de Quentas, Governadores, y Capitanes Generales, Corregidores, y otros qualesquier Ministros de Justicia, Guerra, y Hacienda; y que si los tales despachos tuvieren mas que un pliego, todas las otras hojas se escriban en el papel del Sello tercero. El Sello segundo ha de ser para el primer pliego de todos los Instrumentos de Escrituras, Testamentos, y Contratos, de qualquier genero, y forma que sean, y que se huvieren de otorgar legitimamente ante Escribanos; y las demas hojas en los Protocolos, y Registros han de ser selladas con el Sello tercero. El Sello tercero ha de servir para todo lo judicial, y que se actuare, y fuere de justicia ante nuestros Virreyes, Chancillerias, Audiencias, Tribunales, y los demas Juezes, y Justicias de las Indias. Y lo compulsado, que se diere, de qualquier cosa, que sea, no ha de llevar mas que el primer pliego sellado con el Sello segundo, y lo demas en papel comun. En el Sello quarto se han de escribir los despachos de Oficio, y de pobres de solemnidad, y de los Indios, publicos, ò particulares (si estos lo reduxeren a papel) y aun en tal caso, si faltaren los Sellos en que sea sellado, no sea causa de nulidad, por quanto nuestra intencion, y voluntad siempre ha sido, y es, aliviarlos de qualquiera carga, y gravamen. Y assimismo es nuestra voluntad, que los instrumentos, ò despachos, que contra lo contenido en esta nuestra Ley se otorgaren, no hagan fé, ni se puedan presentar en juicio, ni fuera de el, ni dàr titulo a las partes, porque desde luego los anulamos, è irritamos so las penas, y prohibiciones referidas: y hemos acordado poner precio fixo en la forma siguiente. El Sello primero, que va en pliego entero, veinte y quatro reales. El Sello segundo, que va assimismo en pliego entero, seis reales. El Sello tercero, que va en medio pliego, un real. El Sello quarto, que tambien va en medio pliego, un quartillo.* Alia plura ad hanc materiam spectantia continentur, quæ ibidem, & in *L. 45. & seq. tit. 25. lib. 4. R. C.* possunt videri.

181 In instrumento equidem integra vocabula ponenda sunt, non per abbreviaturas, quia facilè aliquid addi, vel detrahi potest. Debent etiam exprimi annus a Christi Nativitate, mensis, & dies, non per numeros, sed per litteras. Item debet exprimi locus, in quo instrumentum, & contractus fiunt: v. g. Civitas, quin, & aliqui addunt in quo Pago, vel domo. Olim verò instrumentum sine die, & Consule confectum vires obtinebat: secus hodie. Negotium itidem clarè, & distinctè cum suis circumstantijs, conditionibus, ampliationibus, vel limitationibus narrandum est, v. g. Petrus Diaz vendidit domum, quæ est in foro centum argenteis Bungo Sinenti Mercatori, qui partim mercibus, partim pecunia pretium solvere promisit. Non autem statim numeranda pecunia, sed cum Navis ex Acapulco venerit. Etiam debent apponi nomina testium, coram quibus negotium, vel contractus celebratur. Et hi quidem debent saltem duo esse: non tamen debent subscribere, nisi in casibus in jure expressis, ut in Testamentis. Denique Tabellio debet subscribere suum nomen, & cognomen. Et quamvis instrumentum possit ab alio scribi. *Arg. C. 6. V. Instrumentum, h. t.* non tamen potest ab alio loco Tabellionis subscribi, quippè munus personale est, quod nequit alij delegari, cum personæ industria sit electa, ut fidem scriptis præstet. Et ita communi praxi ser-

vatur, etiam in Nostra Hispania, licet in *L.* 13. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.* jubeatur, quod ipse Tabellio scribat. Et ita notat *Acevedo ibid. n.* 5. simul tamen cum subscriptione, & rubrica signum sui officij debet apponere: v. g. Crucem calamo depictam. Et sanè officij signum ipsis à Rege assignatur, ut sic facilius Tabellio valeat cognosci, & comparatio fieri cum alijs scripturis ejusdem. Et propterea in Hispania tale signum est de substantia instrumenti. *L.* 54. *tit.* 18. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lopez.* V. *Su signo.* Et deducitur ex *L.* 12. *l.* 13. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C. Hevia in Curia Philip. p.* 1. §. 17. *n.* 31. facto igitur instrumento sic Tabelliones subscribunt, & signant.

Hago mi Signo ✠ En Testimonio de Verdad.

Juan Perez.

Escribano Publico.

In Supremis Senatibus, & Cancellarijs sunt varij Tabelliones pro necessitate Tribunalium designati, & dicuntur *Escribanos de Camara*, qui debent in Tribunalibus assistere, ut testimonium, & fidem præstent de sententijs, Decretis, & alijs Senatorum dispositionibus, & ibi quidem fidem dant, & subscribunt hoc modo: Ante mi. *Juan Lopez.* Debentque recipere libellos, & petitiones litigantium, non tamen quando jam sedent Senatores in Tribunali. Et ibidem petitiones præsentant, & legunt prædicti Tabelliones, scribuntque sententias manu propria, præsertim in rebus arduis. Et in scripturis debent apponere quidquid a partibus pro suo stipendio, *Hispanè*: *Por sus derechos*, acceperunt. De quibus latè agitur in *tit.* 20. *lib.* 2. *R. C.* Et in *L.* 23. dicitur: *Mandamos, que cada, y quando que los Escribanos de nuestro Consejo, y Audiencia, y los otros Consejos, y Juzgados de nuestra Corte, contenidos en las Ordenanzas de Medina, á quien no se ha dado Arancèl, huvieren de aver derechos de vista de los processos, que ante ellos passaren, que no lleven mas por hoja; y tira de processado de un maravedi, y dos por la hoja, y tira de lo junto, y apretado, como está proveìdo por la dicha Ordenanza, la qual declarando, mandamos, que hoja, y tira se entiende ser, que por cada hoja de medio pliego de papel, escrita de ambas partes, se cuenten quatro tiras, con que en cada plana de la tal hoja aya treinta y tres renglones, y en cada renglon diez partes. Y que à este respeto puedan llevar lo contenido en la dicha Ordenanza de cada parte, como se ha interpretado hasta aqui: lo qual mandamos, que assi guarden sin embargo de qualesquier Cedulas, y tassaciones, y tabla, y costumbre, que hasta aqui aya avido, y que esto se entienda en los processos, y probanzas, que se hicieren, y passaren en nuestro Consejo, y Audiencias, y Juzgados, y en los Consejos de Inquisicion, è Indias, y Ordenes. Pero en quanto à los processos, que à ellos vienen en grado de apelacion de otros Juzgados, mandamos, que tengan treinta y cinco renglones, y quince partes en cada plana de medio pliego, y que à este respeto lleven sus derechos de vista los dichos Escribanos, si menos partes, y renglones tuvieren.* Sunt præterea, & alij Tabelliones, qui ad receptionem testium, & alias commissiones in Cancellarijs deputantur, & dicuntur *Receptores*, de quibus in *tit.* 22. *lib.* 2. *R. C. Et in tit.* 27. *lib.* 2. *R. Ind.*

182 In foro autem Ecclesiastico Notarij nullo Signo utuntur. Nec in Nostra Hispania est in usu, apponi sigillum proprium Notarij, quod fortè alibi est in usu. Quæ omnia habentur in *L.* 54. *l.* 114. *tit.* 18. *p.* 3. *l.* 7. *tit.* 19. *p.* 3. Et quamvis in *L.* 54. præter Tabellionem, qui conficit instrumentum duo alij Tabelliones tanquam testes requirantur, hoc jam non servatur, nisi in Civitate Hispalensi, ut notat *Greg. Lopez ibid.* forma prædicta faciendi instrumenta non potest à partibus renuntiari cum ob favorem publicum inducta sit. *L.* 38. *ff. de Pactis. Hevia in Cur. Philip. p.* 1. §. 17. *n.* 30. facto jam primo instrumento publico potest idem Tabellio, etiam parte contraria non citata, & sine judicis authoritate, sed tantum propria dare parti aliud, & aliud transumptum, quando nempè ex tali repetitione instrumentorum nullum damnum alij sequi valet. Si verò ex repetitione instrumentorum posset alicui damnum sequi: quia in instrumento se obligavit ad aliquid dandum, vel faciendum, ita ut ex repetitione instrumenti bis posset idem debitum, vel factum exigi: tunc quidem non potest

Ta-

Tabellio date transumptum, nisi parte contraria citata, & de Judicis authoritate, ne forte illud desitum bi petatur. *L.* 10. *tit.* 19. *p.* 3. *l.* 6. *l.* 17. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.* ibi: *Mandamos, que despues que el Escribano diere una vez la tal Escritura signada à la parte à quien pertenciere, que no se la dè otra vez, aunque alegue causa, ò razon para ello, salvo por mandamiento de la Justicia llamada la parte, sopena de perdimiento del oficio, y de pagar el interesse, ò daño, que por dar la tal Escritura otra vez se recrecier.* Idem potest facere Tabellio successor in officio, cui libri, & protocolla tradita sunt. *L.* 24. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.* Et ne Tabelliones in exigendis immoderatis stipendijs excedant, statutum est, ut in processu notent (& subscribant) quidquid à partibus recipiunt. *L.* 6. *l.* 35. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.* sunt præterea in nostra Hispania, & Indijs plures Chartæ, Tituli, & Provisiones Regiæ, quæ Regio debent muniri sigillo, & prius debent registrari, & transferri de verbo ad verbum in Regesto, vel Registro à Præfecto Registri, *Hispanè*: *Registrador*, vel ejus delegato. *L.* 1. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. C.* *Y que el dicho Registrador, ò su Lugar-teniente, ponga enteramente su nombre en la Carta que registrare, y asimesmo en el Registro que en su poder tuviere :::: Y mandamos, que el que tuviere el Sello, no selle la tal Carta, y Provision, fasta que de palabra à palabra sea assentado en el Registro, so pena de perder el oficio.* Postquam vero in Registro Charta, vel Provisio transcripta est Regium sigillum apponitur à Cancellario majori, vel ejus delegato. *L.* 5. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. C.* ubi additur: *Y el Chanciller no selle Provision alguna de letra processada, ni de mala letra; y si la traxeren al Sello, que la rasguen luego, pues esto conviene à su oficio, y que selle sobre papel; y para esto sea la cera colorada, y bien adovada de guisa, que no se pueda quitar el Sello.* Et hinc dicitur Cance[illegible] cus, ad quem hujusmodi litteræ [illegible] ndæ feruntur, si legitimæ, & justæ [illegible] vel etiam Cancellandæ, & rump[illegible] aliquem patiantur defectum. *L.* [illegible] *tit.* 20. *p.* 3. Quænam Chartæ sigillari [illegible], & quid pro singularum sigillatione [illegible]ndum sit, habetur in *L.* 10. *l.* 11. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. C.* Et hoc pretium triplicatur in Indijs. *L. fin. tit.* 21. *lib.* 2. *R. Indiar.* Olim quidem Cancellarij Sacri Palatij Quæstores dicebantur, cum aliquali tamen differentia, ut notat *Greg. Lop. in L.* 4. *tit.* 9. *p.* 2, *& facit L. un. ff. de Offic. Quæst.* Tempore autem Imperatorum Theodosij, Arcadij, & Honotij nomen Cancellarij fuit introductum. Ipse quidem erat Officialis Judicum à secretis, qui edicta conscribebat in loco Consistorio proximo, qui certis reticulis, seu Cancellis claudebatur, unde juxta aliquos nomen Cancellarij originem sumpsit juxta illud Poetæ. *Voluttanus erat præcelso nomine quidam, Urbis Patricio, toti dilectus, & Urbi, atque à Cancellis prisco de more Minister.* Facit *L.* 2. *tit.* 8. *lib.* 2. *Ord. Reg.* ibi: *Ordenamos, que el nuestro Chanciller, que en qualquiera Casa que estuviere, è fuere con los nuestros Sellos, haga una red de madera, con una puerta, que se pueda cerrar, y entre quien quisiere fasta la red.* Et licet olim Cancellarius à Tabellione, seu Scriba non multum distaret, processu tamen temporis hoc officium magnæ fuit æstimationis, ut pàret in Galliæ Regno, ubi Cancellarius primus Coronæ Minister in concernentibus justitiam, & omnium Senatuum Caput dicitur, Regium sigillum servat, & olim magnus Referendarius appellabatur. *Diction. de Trevoux. V. Chancelier.* In nostra item Hispania magnæ dignitatis fuit, ut patet ex *L.* 1. *tit.* 8. *lib.* 2. *Ord. Reg.* *El oficio de Chanciller es de gran fidelidad, y verdad, y por èl se rige, y govierna la nuestra Justicia del nuestro Señorio.* Ejus namque officium pro nostra Hispania luculenter describitur à nostro Sapientissimo Rege Ildephonso, *in L.* 4. *tit.* 9. *p.* 2. ibi: *Chanceler es el segundo Oficial de Casa del Rey, de aquellos que tienen oficio de poridad. Cà bien asi como el Capellan es medianero entre Dios, y el Rey espiritualmente en fecho de su anima. Otrosi lo es el Chanceler entre èl, è los homes, quanto en las cosas temporales. E esto es, porque todas las cosas, que èl ha de librar por Cartas, de qual manera quier que sean, han de ser con su sabiduria, è èl las debe vèr ante que las sellen, por guardar que non sean dadas contra Derecho, por manera que el Rey non resciba ende daño, nin verguenza. E si fallasse que alguna, y havia que non fuesse asi fecha, debela romper, ò desatar con la peñola, à que dicen en Latin Cancellare, è de esta palabra tomò nome Chancelleria.* *L.* 6. *tit.* 20. *p.* 3. Cancellare ergo scripturam est quando lineis transversis, & decusatis in modum Crucis S. Andreæ Cancellos. *Hispanè*: *Celosias* repræsentantibus, instrumentum, seu scriptura deletur, ita ut jam non habeat vim, nec eff[illegible] caciam in judicio, & Hispanè etiam [illegible] tur: *Cancelar la Escritura.* Si vero [illegible] tantum verbum deletur, in [illegible]

ciali dicitur: *Testado.* Et sic quidam Poeta de quodam Cancellario loquens ait: *Hic est, qui Regni Leges cancellat iniquas, &* *mandata pij Principi aqua facit.* Sic ergo sigillum Regium a Cancellario, vel ejus delegato apponitur.

Registrado.

L.S.

Por el Gran Chancillèr.

Don Andrès Gomez.

Don Andrès Gomez.

In aliquibus Ecclesijs Scholasticus, seu Scholæ Magister Cancellarius vocatur. *L. 7. tit. 6. p. 1.* Et reddit rationem: *Porque de su oficio es de fazer las cosas, que pertenescen al Cabildo en aquellas Eglesias, donde es assi llamado.* In Academijs Cancellarius dicitur, qui habet potestatem conferendi gradus litterarios, & expediendi omnia ad eos spectantia, Titulosque graduum sigillat, aliasque provisiones ad universitatem pertinentes. Sic enim Scholasticus Salmantinus, qui etiam est Universitatis Cancellarius, ex facultate, quam à Papa, & à Rege habet, confert gradus Licentiatus, Magisterij, & Doctoratus in omnibus scientijs. *Mendo de Jure Academico, lib. 1. q. 6. n. 170.*

In Romana quidem Curia ipse Summus Pontifex est Ecclesiæ Cancellarius Supremus, Cardinalis verò, qui Cancellariæ præest, nunc Vice-Cancellarius dicitur, licet aliquando Cancellatius (quo jure, dissident Authores) fuerit appellatus. Et sanè jam à tempore S. Damasi hoc officium in usu erat: Divus namque Hieronymus ejus Secretarius, & Vice-Cancellarius fuit. Postea Præses fuit vocatus, & subse duodecim Officiales habebat, qui Scrinarij appellabantur. De his Scrinarijs fit mentio in *C. 13. de Præscription.* & notat *Glossa*, quod Tabelliones appellantur Scrinarij. Nunc quidem Cardinalis Vice-Cancellarius habitat in Palatio, quod Cancellariæ nuncupatur, ubi ipsa Cancellaria, tanquam per speciem magni Tribunalis statutis diebus habetur, aliæque functiones peraguntur, ibique disputationes publicas sustinent, qui Rotæ Auditorio, vel Advocatorum Consistorialium Collegio cooptandi sunt. Vice-Cancellarius, mortuo Papa, à sigillo nomen Papæ defuncti aufert: nequid eo tempore ...ri valeat. *Diction. de Trev. V. Bulle.* ...us namque Vice-Cancellarij munus & per ejus manus transeunt & graviora Sedis Apostolicæ negotia, qualia sunt acta Consistorialia, litteræque, & Decreta Apostolicarum provisionum super Colationibus Dignitatis Cardinalitiæ, & super provisionibus Ecclesiarum Patriarchalium, & Cathedralium, Abbatiarumque Consistorialium, & super reservationibus pensionum, quæ motu proprio per Papam super eisdem Ecclesijs, vel Monasterijs fiunt. Item litteræ super provisionibus aliorum beneficiorum: necnon super Apostolicis dispensationibus, alijsque gratijs, & concessionibus, quæ fiunt extra Consistorium per organum Datarij. Ibidem ergo omnes litteræ, & Bullæ super prædictis efformantur, adeò, ut data proportione Cancellarius Episcopi universalis possit appellari: nam sicut in singulis Diœcesibus quilibet Episcopus Notarium, seu Cancellarium majorem habet, qui acta Synodalia, & judicialia, ac etiam Pontificalia conscribit, & Authenticat: sic omnes litteræ Apostolicæ, quæ sub plumbo fiunt, non verò quæ in modum Brevis sub annulo Piscatoris conficiuntur, in Cancellaria, & per organum Vice-Cancellarij expediuntur. In quo munere plures Officiales occupantur, quorum aliqui majores dicuntur, annexam Prælaturam habentes, quales sunt Abbreviatores de parco majori. Alij minores appellantur. Et inter omnes primum locum obtinet Cancellariæ Regens. Abbreviatores sic dicuntur à Summarijs supplicationum, quæ conficiunt. Abbreviatores de parco majori duodecim sunt, qui cum Prælati sint habitum violaceum portant. Abbreviatores de parco minori sunt viginti, & duo. Sunt prætereà Solicitatores, seu Jannizeri, Plumbatores, Registratores, & alij plures Officiales etiam laici, & uxorati, qui in expeditione Bullarum occupantur. *Cardin. de Luca, lib. 15. p. 2. disc. 10. Calderon de Excellent. Romæ, p. 2. lib. 5. cap. 2. Diction. de Trev.* Regens, & duodecim Abbreviatores de parco majori regulariter solent esse Referendarij sig-

signaturarum Justitiæ, & gratiæ. Ad Referendarios siquidem, *Hispanè*: *Relatores*, lites, & causas utriusque signaturæ coram Sanctissimo referre spectat. Inter quos duodecim antiquiores votantes appellantur, quippè ipsi soli votum habent, & solum in votorum paritate votum dat Cardinalis Præfectus signaturæ Justitiæ. In signatura autem Gratiæ, quæ semper habetur coram Papa, nullus habet votum: nam gratiæ solum à Principe pendent, licet sæpe ipse Cardinalium, & Referendariorum opinionem exquirat. Est præterea in Curia Romana aliud Tribunal, quod *Dataria* appellatur, & qui ei præest Datarius, non à verbo dare; quia non ipse, sed Papa dat beneficia: sed à verbo *datare*, sic nuncupatur. Si dignitate fulget Cardinalitia *Protodatarius* dicitur, & plures subse Officiales habet, ex quibus duo primi, seu majores, unus *Subdatarius*, alter *per obitum* appellatur. Subdatarius ex ordine Advocatorum, vel Patronorum in materia beneficiorum peritus assumitur. Alter ex ordine Procuratorum Datariæ assumi solet. Datarius quidem confert per se, quin Pontificem certiorare debeat, omnia beneficia Ecclesiastica, quæ non excedunt valorem viginti quatuor ducatuum de Camera: in reliquis beneficijs Papam monet, ut provideat, eique merita supplicantium refert. Beneficia tamen consistorialia nullatenus ad ipsum spectant. Signatis igitur supplicationibus manu Papæ Datarius datam adjicit, quam aliquando melius informatus potest, ac solet negare. Data posita transeunt supplicationes per Revisores, qui easdem supplicationes quantumvis signatas, & datatas impleri[?] que corrigunt, ac reformant, posteà ad Registratorem, seu Magistrum Registrorum feruntur, qui eas recognoscit, & distribuit Registratoribus interioribus, qui eas fideliter registrant, & transcribunt in libris, seu registris Ordinatis, quæ in tempora in Apostolico Archivo reponuntur. Et in supplicationis dorso quandam *R* majusculam apponunt. Per hunc registrationis actum sequi dicitur omnimoda gratiæ perfectio, adeo ut tunc jus quæsitum gratiato dicatur, non autem prius, cum potius in via, quam in termino gratia esse censeatur: & denique in Cancellaria Bullæ expediuntur. Subdatarius curam habet de omnibus supplicationibus matrimonialibus, & beneficialibus, exceptis beneficijs, quæ per obitum vacant, quippè quæ ad substitutum Datarij, qui *per obitum* dicitur, spectant. Officialis, qui parvæ datæ nuncupatur, ponit datam minorem, quam postea extendit Officialis, qui datæ majoris dicitur. Pontifex enim supplicationem ei præsentatam hoc modo signat: *Fiat ut petitur J.* si Innocentius, v.g. appellatur ipse Pontifex, adjecta, scilicet prima sui nominis littera. Data ponitur à Subdatario (nam ex quo Cardinales hoc habent officium non datant per se, sed per substitutum) die, quo gratia conceditur hoc modo: *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, die prima Martij, Anni millesimi septingentesimi trigesimiseptimi.* De quibus latius *Cardinalis de Luca lib.15. p.2. discurs.9. Calder. de Excellent. Romæ, p.2. lib.5. cap.1. Diction. de Trev. Moreri, & allj.* Litteræ quidem Apostolicæ, vel in forma Brevis, vel in forma Bullæ expediuntur. Breve etenim Apostolicum sunt litteræ Pontificiæ, vel in papyro, vel in membrams pergamenis subtilibus, & candidis charactere Latino, ac nitido descriptæ, & à tergo cera rubea chordulis lineis inclusa illitæ, annuloque Piscatoris signatæ, ac manu Secretarij Brevium subscriptæ Breve dicuntur, quia gratia concessa brevitèr, & succinte sine præfationibus conscribitur. Bulla dicuntur litteræ Apostolicæ, quæ per Cancellariam expediuntur sub sigillo plumbeo pendente ex chordulis conscriptæ in membranis pergamenis magis nigris, & rudibus, atque antiquo charactere Gottico. Si Bulla expeditur in materia gratiæ, sigillum plumbeum ex chorda serica rubri, & crocei coloris pendet. Si in materia justitiæ, vel contentiosa ex chorda cannabis sigillum pendet. Bulla quidem sic nuncupatur ab ipso sigillo plumbeo: hoc quidem ex una parte habet imagines Sancti Petri, & Sancti Pauli; & ex alia nomen Pontificis regnantis, & annum Pontificatus. Aliquando hujusmodi litteræ *Diploma* appellantur: quod quidem Epistolam sonat à Verbo Græco, quod conduplicare, & involvere significat: quippe tales litteræ involvuntur, & conduplicantur.

183 Instrumentum privatum est, quod non a persona publica, qua tali, sed à personis privatis, vel sine prædictis solemnitaribus est confectum. Hujusmodi instrumentum aliud est *Authenticum*; *non authenticum* aliud. *Authenticum*, quod, teste Nebrisensi, sic dicitur, quasi *authoritatem habens*, est illud, quod aliunde, quam à Notario, seu Tabellione habet vim plenè probandi, & cum plenam fidem faciat, quoad effectum, publicum potest appellari. Et sic plerumque authenticum pro publico, &

& e contra publicum pro authentico accipi solet: in re tamen distinguuntur, nam licet omnis scriptura publica sit authentica, non tamen omnis scriptura authentica est publica. Authentica ergo censentur. 1. Acta judiciaria, testamenta, Codicilli, emancipatio, insinuatio donationis, & aliæ scripturæ, quæ authoritate Judicis publicantur. Quæ quidem omnia si debito modo confecta sint plenam fidem faciunt in omnibus instantijs, coram eodem Judice, vel subrogato, vel successore; *arg. C. 11. de Testibus*. Etiam non secuta sententia, & non solum inter personas, inter quas actum est, sed etiam respectu aliarum. 2. Etiam pro authenticis habentur scripturæ privatæ munitæ sigillo publico, & authentico alicujus Principis, Episcopi, Universitatis, Collegij, vel alicujus personæ in Dignitate Constitutæ, quæ tempore, quo producuntur, habeant sigillum, & sint subscriptæ ab apponente illud: & insuper debet notati, quod sigillum sit appositum in confirmationem scripturæ. Et licet quando scriptura pertinet ad officium sigillantis non sit necesse apponete testes, extra hunc tamen casum, duo saltem testes sunt adhibendi, qui saltem sint inscripti, quamvis tutius erit, quod subscribant. Scriptura ergo sic confecta plenam fidem facit in præjudicium sigilantis, non tamen in illius favorem, nisi sit Princeps supremus. *C. 2. h. t. arg. L. 1. l. 114. tit. 18. p. 3.* Tabelliones Capituli Civitatum, vel Villarum fidem plenam faciunt in rebus ad Capitulum pertinentibus, ut ex *L. 1. tit. 26. lib. 4. R. C.* deducit *Hevia in Curia Philip. p. 1. §. 17. n. 28.* Et idem dicendum venit de Secretarijs Capituli Ecclesiastici, vel Universitatum, vel Collegiorum. Si scriptura sit munita sigillo alicujus privati, & ipse tale sigillum, ut suum recognoscat, plene probabit in ipsius præjudicium, etiam sine ejus, vel testium subscriptione: nam sigillum loco subscriptionis succedit: non tamen probat contra tertium, multoque minus in favorem sigillantis, cum ipse non sit testis idoneus in sua causa. *L. 10. ff. de Testib. L. 10. C. eod.* Nec contra alium per suum solum testimonium probare possit. *L. 1. tit. 18. p. 3.* 3. Etiam ut authenticæ habentur scripturæ privatæ à duobus, vel tribus testibus subscriptæ. Si enim testes subscriptionem, ut suam recognoscant, plenam fidem faciunt. *L. 11. C. Qui potiores. L. 114. tit. 18. p. 3.* Et hypotheca in tali scriptura constituta præfertur constitutæ in Chirographo simplici sine testibus, etiamsi hæc prior sit tempore, nisi Chirographum præsentans probet, suam hypothecam fuisse prius constitutam. Si vero testes subscriptionem nequeant recognoscere; vel quia mortui sunt, vel in remotis versantur, illa scriptura omnino ut privata habebitur, & in præjudicium tertij non probabit. In nostra quidem Hispania ob favorem chartæ sigillatæ sic decernitur in *L. fin. tit. 25. lib. 4. R. C. Ordeno, y mando, que los contratos, y obligaciones, que se escrivieren en dichos Escritos privados, sellados con el Sello que les corresponde, segun la calidad, y cantidad, que queda dicho en las Escrituras publicas, tengan [illegible] todos los [illegible]tos personales, y quirogra[illegible]os, que esten [illegible] en papel comun sin sello, grad[illegible] [illegible] de las Escrituras publicas, y [illegible]gar entre si mismos conforme a su a[illegible], sin que por esto sea visto dar a las dichas Cedulas, y Escritos privados mas fuerza, fee, ni authoridad de la que por Derecho tienen, y deben tener.*

184 4. Authenticæ sunt scripturæ deductæ ex Archivo publico, erecto authoritate habentis potestatem Legislativam, ut Principis Reipublicæ, vel Episcopi, ut in eo serventur instrumenta publica, facta tamen attestatione ab Archivario, seu Commentariensi, vel Cancellario, sub cujus custodia est Archivum: quod talis scriptura inter authenticas servata esset. Tales etenim scripturæ vim publici instrumenti habent ratione loci, & personæ publicæ, cui est commissum Archivum ab habente potestatem constituendi instrumenta publica: ac proinde plenam fidem faciunt. *Authent. Ad hæc. C. h. t.* Scriptura verò Archivi Monasterij, Civitatis, vel personæ illustris, si producatur à subdito contra subditum, vel à subdito contra Dominum fidem utique facit. Si autem à Domino, Collegio, vel Communitate contra subditum producatur fidem facit in factis antiquis excedentibus hominum memoriam. Si à Domino contra extraneum producatur, non plenè probat. Quippè Civitas, vel Communitas respectu extranei, censetur persona privata; aliquam tamen præsumptionem facit. 5. Libri Officialium publicorum, quales sunt Libri Parochorum, gabellarum, & alij hujusmodi scripti ab Officiali ad hoc deputato, plenè probant, etiam contra tertium; quin etiam in scribentis favorem in his, quæ ad suum officium pertinent, saltem interposito juramento. Nam hujusmodi Officiales etiam sunt deputati ad scribenda ea, quæ ipsos concernunt. Et sanè sola Parochi attestatio de facto ad ejus officium

cium

cium pertinente, plenè probat. Libri Monasteriorum, Ecclesiarum, Collegiorum, & aliarum Communitatum, continentes ipsarum jura, & privilegia, contra Ecclesiam, Collegium, vel Communitatem plenè probant, etiam probatione indirecta, v. g. si ibi scribantur prædia censualia, & non inveniatur scriptum prædium Sempronianum, tale prædium non censuale creditur, donec à communitate probetur, esse omissam talis prædij annotationem ex errore, vel oblivione. Pro Ecclesia vero, Communitate, vel Collegio, cum sint scripturæ privatæ, non faciunt plenam fidem, bene tamen aliquam præsumptionem, cum tales Administratores regulariter bona fide procedant. 6. Matriculæ, & Libri Censuales, ubi est notata bonorum cujuscumque subditi æstimatio, ut exactiones imponantur, si authoritate Principis, vel Magistratus conscripti sunt, plenè profectò probant, res in eis contentas esse publicas oneribus subjectas. *L. 10. ff. de Probation.* Etiamsi alias ex privilegio exemptæ essent: nam creditur, Dominos earum privilegio renuntiasse, cum voluntatiè res ibi describi permiserint. Si verò non possint privilegio renuntiare, neutiquam privilegio renunriatum censetur, proindeque privilegio statur. *C. 12. de Foro competent.* Etiam probant in favorem tertij, non vero in ejus præjudicium. V.g. si quis consensit, seu permisit, quod suum prædium ibi, ut censuale describeretur, & hoc sanè probatur, eo tempore eum fuisse in ejus possessione, ac per consequens hæc quasi propria confessio deserviet adversario, ut probet, illud prædium fuisse illius, qui illud describere in Libro Censuali fecit. Sed cùm res inter alios acta alijs non præjudicet, si ille non intervenit, nec consensit in talis prædij descriptionem, nihil absdubiò contra ipsum probabit descriptio; *arg. L. 7. C. de Donation.* facit pro nostra Hispania. *L. 24. tit. 14. lib. 6. R. C.* ibi: *Ordenamos, que todos los pecheros contenidos en los padrones de las monedas, y pedidos, que Nos mandaremos repartir en estos nuestros Reynos, y señorios, que pechen, y paguen sus Cañamas de lo que por los dichos padrones pareciere que les cabe.* Equites autem, *Hispanè*: *Cavalleros*, & Nobiles, *Hispanè*: *Hidalgo*, à certis contributionibus exempti sunt. *L. 10. tit. 2. lib. 6. R. C.* alijsque gaudent privilegijs, quibus nequeunt renuntiare. *L. fin. tit. 2. lib 6. R. C.* Circa cujus nominis ethymologiam ait *L. 2. tit. 21. p. 2. E por esto sobre todas las cosas cataron, que fuessen omes de buen linage, porque se guardassen de facer cosa, porque podiessen caer en verguenza. E porque estos fueron escogidos de buenos logares, è con algo, que quiere tanto decir en lenguage de España, como bien, por esso los llamaron Fijos-Dalgo, que muestra tanto, como fijos de bien. E en algunos otros logares los llamaron Gentiles. Gregorius* tamen *Lopez* ait, quod hidalgo dicitur ab Italico, quia Itali erant immunes à tributis. Et in nostra Hispania Cantabri ex suis privilegijs jure nobilitatis gaudent. *Acevedo in Rubr. tit. 2. lib. 6. R. C. ex n. 106.* qui *n. 147.* ait, Nobilem, *Hispanè*: *Hidalgo*, etiam vocari *Infanzon.*

185 Instrumentum privatum, *non authenticum*, quod simplex appellatur, est, quod est factum à persona privata, & caret adminiculis, quibus authenticum munitur. Et quidem privatum erit, etiamsi factum sit à Tabellione, dum tamen in ejus confectione, non se habeat, ut Tabellio, nec signo utatur. *Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 17. n. 31.* Hujus quidem instrumenti plures species enumerantur. 1. Siquidem talis natura sunt Libri privati rationum, *Hispanè*: *Libros de Caxa*, in quibus datum, & acceptum, & aliæ conventiones annotantur à Mercatoribus. Item Libri Censuales Dominorum, Registra, & Inventaria privata Tutorum, Curatorum, & Administratorum: & rationes à patrefamilias conscriptæ, in quibus annotatur datum, & acceptum, debitum, & solutum, & quod alij ipsi debent. Hæc certè pro scribente non probant. *L. 6. l. 7. C. de Probation.* quia nulli in sua causa creditur: aliàs quilibet facile posset sibi probationem confingere, scribendo nempè in suo Libro debitorem, quem vellet. *L. fin. tit. 18. p. 3.* ibi: *Caseria cosa sin razon, è contra Derecho de aver home poderio de facer à otros sus deudores por su Escritura, quando èl quisiesse.* Nisi forte prædicta instrumenta alijs adminiculis juventur: v. g. quod articuli sint connexi. Tunc enim, si adversarius pro se aliquem articulum talis instrumenti approbavit, etiam approbare censetur alium articulum contra se: non tamen censetur approbare cæteros articulos non connexos. *Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 17. n. 38.* At verò attenta æquitate naturali, & communi consuetudine Libri Mercatorum probat semiplenè pro ipsis, si Mercator sit integræ opinionis, & propria manu debitum scripsit, vel subscripsit, adjectis causa debiti, die, & anno: & si non solùm datum, sed etiam acceptum scriptum est. Et quidem in nostra Hispania,

pania, & in Indijs in Senatu Mercatorum Regia authoritate stabilito, *Hispanè*: *Consulado*, summariè, simpliciter, & de plano, & sine strepitu judicij, solaque veritate inspecta, & æquitate attenta proceditur. A Consulum sententia appellatur ad Prætorem Civitatis, *Hispanè*: *Corregidor*, qui duobus Mercatoribus associatus, etiam de plano cognoscit de causa, & si primam sententiam confirmat, absque alio recursu executioni mandatur: si tamen revocet, appellatur ad ipsum, qui alijs duobus Mercatoribus associatus iterùm de causa cognoscit, & ab ejus sententia non datur appellatio supplicatio, nec alius recursus ad Cancellariam; vel etiam Supremum Senatum, sed omninò executioni mandatur talis sententia. *L.1. tit.13. lib.3. R.C. l.29. tit.46. lib.9. R. Ind.* Sed in Indijs in causa appellationis non cognoscit Prætor, sed ejus loco quotannis Limæ, & Mexici designatur à Pro-Rege quidam Regius Senator, ut cum Mercatoribus de his causis cognoscat. *L.37. l.38. tit.46. lib.9. R. Ind.* Et ut notat *Azevedo in Rubr. tit. 13. lib. 3. R. C. n. 12.* Scripturis privatis Mercatorum, & litteris cambij creditur: & confessio extrajudicialis, parte, etiam absente, facta in Curia Mercatorum, ubi æquitas servatur, & ea attenta, proceditur, plenè probat, & obligat: nec multum de apicibus juris curandum est, & ibidem alios citat. Contra scribentem utique plenè probant hujusmodi libri, tanquam ipsius deliberata confessio. Quod si inveniatur aliqua scheda à libro separata, cum non censeatur adeo deliberata ac si esset consuta in libro, vel codice rationum, tantum semiplenè, etiam contra scribentem probat: nisi alijs adminiculis juvetur: nam se habet, ut confessio extrajudicialis non repetita. Pro tertio, aut contra tertium regulariter non probant tales libri, nisi ille sit socius in negatione, ad cujus rationem de consensu sociorum talis liber est factus: quippè tunc, etiam probat pro socio, & contra illum immò, & pro ipso scribente, saltem accedente juramento ipsius: tunc namque plenè probat. Et ad hoc tacitè videntur se socij obligasse, alias nullus vellet in se suscipere onus libri faciendi. Et hoc in praxi servatur, præcipuè, cum in foro Mercatorum ex bono, & æquo procedatur, ut dictum est.

186 Inter instrumenta privata, etiam litteræ missivæ, seu Epistolæ, *Hispanè*: *Cartas*, numerantur: quæ quidem si à scribente, vel ejus hærede sint recognitæ, plenè probant contra ipsum, & contra ejus hæredem, mortuo eo, qui eas scripsit. Etiam pro tertio, ad quem missæ sunt; & etiam si scriptæ sint sine testibus, nec die, nec anno. *L. 34. §. 1. ff. de Pignorib. Et ibid. Gothofred.* Et etiam sine loco, & sine subscriptione, si probetur, ex oblivione esse omissam: alias non esset Epistola absoluta, & perfecta. Nec obstat si absque cognomine scribatur, si ita ferat consuetudo. Et etiamsi ad librum rationum se referat Epistola, quæ summam certam continet: v. g. centum aureorum, & hæc summa non sit in libro scripta, adhuc obligat ad talem summam tradendam. Secus est, si summam incertam contineat: v. g. si quis in Epistola dicat: fateor, me tibi debere, quod in libro rationum scriptum est: nam tunc censetur confessio conditionata, scilicèt, si quid in libro rationum scriptum est, consequenterque, si nihil scriptum sit, non censetur illud fateri. Charta vacua, quæ sola scribentis constat subscriptione. *Hispanè*: *Firma en blanco*, nisi scribens postea legerit scriptum, ratumque habuerit, contra ipsum parum, vel nihil probat. Cum enim ignoret, quod scriptum est, non potest in illud consentire. *L.10. C. de Donation.* Quod si Titius Cajo scribens ipsum moneat de aliqua summa, quam ipse Titio debet, & Cajus post lectam Epistolam non contradicat, cum possit, sed taceat, censetur Epistola à Cajo acceptata, ac proindè probat pro Titio scribente; *arg. L.16. ff. ad Senatus Conf. Macedon. Cl.1. de Procurat.* ibi: *Instrumento, vel litteris, quibus te aliquis in causis suis procuratorem constituens pro debito modo, cavi simpliciter (nulla facta protestatione) à te scienter receptis, non posses posteà recusare defensionem illius: immò cogi poteris ipsum defendere in omnibus causis, & negotijs, ad qua prædicta instrumenta, seu litteræ se extendunt: cum per hac ad omnia tutum præstitisse videaris assensum.* Litteræ cambij, si hoc materia patiatur, & loquantur dispositivè, non tantum probationem, sed & obligationem inducunt. Etsi à parte acceptentur; vim instrumenti, sententiæ, & rei judicatæ habent. Cautiones parti à parte datæ, etiam sunt scripturæ privatæ. Quæ sanè cautiones variæ sunt. 1. Enim est *Chirographum*, quo nempè quis fatetur, negotium, quodcumque illud sit, factum esse. 2. *Syngrapha*, qua scilicèt, contrahentes testantur, conventionem aliquam, vel contractum inijsse. 3. *Apocha*, sive *Quitantia*, qua creditor fatetur, debitum sibi à debitore esse solutum, & datur à creditore debitori. His-

Hispanè dicitur: *Alvalà, carta de pago, y finiquito*. 4. *Antapocha*, qua videlicèt, debitor fatetur, se solvisse censum debitum, & datur à debitore creditori, ut hic probet, talem pecuniam pro censu, vel pensione annua esse solutam, & sic impediatur præscriptio, quam debitor, vel ejus hæres vellet objicere. Scriptura ergo privata omninò simplex, quæcumque ex prædictis sit, regulariter neque pro tertio, neque contra illum probat: quia se habet ut unius testimonium extrajudicium. Neque pro ipso scribente probat. *L.5. l.6. l. 7. C. de Probat.* quippè nullus in propria causa testis idoneus est, *L.10. ff. de Testib.* Et talis scriptura tantum, ut testimonium scribentis consideratur: alias in ejus esset arbitrio, quemlibet sibi debitorem facere, & ut talem obligare, quod proculdubio valdè perniciosum foret. *L.7. C. de Probat.* facit tamen aliquam præsumptionem. At vero si eam producat adversarius, cum hoc ipso, eam approbare censeatur, saltem quoad articulos connexos, consequenter pro ipso scribente probat. *Auth. Ad hæc. C. h. t.* vel si partes consentiant, quod talis scriptura fidem plenam faciat, quia cum de earum favore, & jure agatur, ei utrique renuntiare valent. Vel si a parte sit recepta, & recognita, vel si scribens probet, duobus testibus, etiam ibidem non inscriptis, verum esse, quod in tali scriptura continetur. Vel si res sit parvi momenti, vel si scriptura sit jurata, vel aliis adminiculis adjuvetur: scilicèt, quod scribens sit bonæ famæ, & fidelis, & quod scriptura verisimilia contineat.

187 Si scriptura simplex causam debiti exprimat, & sit à scribente recognita, hoc est, quod suam esse fateatur, etiamsi careat sigillo, vel subscriptione testium, majorem vim habet, quam confessio extrajudicialis, cum majori deliberatione scribamus, quam loquamur: plenèque contra ipsum scribentem probat. *C. 14. h. t. L.13. C. de Non numerat. pecun.* Et sanè in nostra Hispania talis scriptura, quantumvis simplex, hoc ipso, quod à parte recognoscatur, fateaturque, verum esse, quod in ea continetur, habet paratam executionem, non minus ac si esset instrumentum publicum. *L.119. tit.18. p. 3.* ibi: *Si la Parte, contra quien aducen tal carta como esta la otorgare, debe valer bien asi, como si fuesse fecha por mano del Escribano publico.* Quod locum habet, etiamsi careat ipsius recognoscentis subscriptione. Debet tamen hæc recognitio fieri coram Judice competente, vel coram Tabellione, vel alio Ministro, si ipsis hoc à Judice committatur. *L.5. l.6. tit. 25. lib. 4. R. C. Et ibidem Acevedo.* Quod si ob rei contumaciam illa scritura, *Hispanè: Conocimiento*, pro recognita habeatur. *Paz in Praxi, & Hevia in Cur. Philip. p.2. §. 6. n. 3.* dicunt, non habere paratam executionem; sed contrarium quotidiè practicari dicit *Aceved. in L. 5. tit. 21. lib. 4. R. C.* Etiam habet paratam executionem scriptura recognita in judicio à Minori, si curatore careat: si vero curatorem habeat, recognitio sine eo facta est nulla. *L. 22. tit. 11. lib.5. R. C. Hevia in Cur. Philip. p.2. §. 6. n.5.* Scriptura in causa mutui, vel dotis, in qua mutuatarius, vel maritus fatentur, accepisse mutuum, vel dotem, cum sæpè hoc faciant, vel spe mutuum accipiendi, vel ob affectionem erga sponsam, nihil contra scribentem probat: quia si intra biennium à die scripturæ exceptionem pecuniæ, vel dotis non numeratæ opponant, mutuans, & dotem constituens tenentur numerationem pecuniæ, vel dotis probare. *L.9. tit.1. p.5.* ubi additur, quod mutuatarius non potest hanc exceptionem de pecunia non numerata opponere, quando expressè ei renuntiavit, & de hoc in ipsa scriptura constat, & sic communiter servatur. Deinde, si creditor in quocumque debito ante factam sibi solutionem, scripsit apocham de recepto debito, potest intra triginta dies opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, seu solutionis non factæ. *L.14. §.2. C. de Non numer. pecun.* ac proinde adversario incumbit probare, solutionem esse factam, sicut in scriptura continetur.

188 Quod si scribens non recognoscat scripturam, ut suam, sed eam neget, nihil contra ipsum probat, donec ab adversario ab eo scriptam esse, probetur, vel per testes, qui in ipsa scriptura subscripserunt, vel per alios, qui deponant, ab eo fuisse scriptam: vel si nulli testes subscripserunt, vel non interfuerunt tempore factæ scripturæ, potest probari, eam scripturam esse debitoris, eam nempè comparando cum alia ejusdem scriptura, quæ certè illius sit, vel quia authentica est, vel ab ipso recognita: quin & potest debitor à Judice cogi, ut coram ipso scribat, & si scriptura instrumenti valdè similis sit litteræ scripturæ, ita ut credatur utraque ejusdem manus faciet plenam probationem. Si verò utraque littera non sit clarissimè similis, semiplenam, vel etiam semiplena minorem probationem faciet, prout Judex, qui in hac re cautus debet

eſſe, arbitretur. In noſtra tamen Hiſpania, licet poſsit aliquando hæc litterarum comparatio ſemiplenam probationem facere, nunquam facit probationem plenam. *L.* 119. *tit.* 18. *p.* 3. *Et notat ibid. Greg. Lop.* V. *Non debe ſer creido.* Quod ſi inſtrumentum producens velit ſtare juramento adverſarij, huic juramentum defertur, & tenetur jurare, an ſua ſit illa ſcriptura, vel non? *L.* 119. *tit.* 18. *p.* 3. Deindè, ſi ſcribens in ſcriptura non exprimat cauſam debiti, & ſi ſubſcriptionem, ut ſuam recognoſcat, ſi ex legitima cauſa neget debitum, non facit fidem ſcriptura contra ipſum ſcribentem, niſi aliundè ab adverſario probetur debitum. C. 4. *h. t.* quia nulla obligatio ſine cauſa naſcitur. §. *fin. Inſt. de Obligat.* ac proinde debuit exprimi in ſcriptura, ut hæc efficax eſſet. *L.* 119. *tit.* 18. *p.* 3. *Et ibid. Gregor. Lop.* V. *Con razon,* niſi fortè promiſsio in ſcriptura contenta facta ſit cauſæ piæ. C. *fin. de Succeſ. ab inteſt.* vel pauperibus, vel in ultima voluntate: quippè tunc valet ſaltem, ut legatum. *L.* 88. §. 10. *ff. de Legat.* 2. vel ſi ſit geminata, vel jurata, vel conditionalis: quia conditio loco cauſæ ſuccedit. Vel ſi ſit ad liberandum debitorem. *L.* 40. *ff. de Pactis*: quippè jura ſunt ad liberandum, quam ad obligandum promptiora. Nec obſtat, quod pactum nudum obligationem non pariat, cum hic non agatur de obligatione inducenda, ſed de ea probanda. Prætérquamquòd, ut alibi diximus, de Jure Canonico, & præcipuè de Jure Hiſpano, pactum nudum obligationem producit. C. 1. *de Pactis. L.* 2. *tit.* 16. *lib.* 5. *R. C. Aceved. Pichard. & alij.*

189. His pro inſtrumentorum cognitione prælibatis, ad ipſorum præſentationem accedamus. Inſtrumenta ergo ſunt producenda à litigantibus poſt litem conteſtatam uſque ad concluſionem in cauſa, etiam poſt publicatas atteſtationes, licet aliud de teſtibus dictum ſit. Nam hic ceſſat periculum ſubornationis, quod in teſtibus timetur. C. 9. *h. t.* facta tamen concluſione regulariter excluditur omnis probatio. *Gloſ. in* C. 36. *de Teſtib.* V. *Liquere.* Actor abſdubiò tenetur ſuum inſtrumentum reo edere, non tamen è contrà. C. 1. *de Probation.* niſi in caſibus ibi allatis. Sed jam generali conſuetudine, præcipuè in noſtra Hiſpania receptum eſt, ut ſicut actor reo, ita reus actori ſua itidem edat inſtrumenta. Quod ſi Judex non faciat inſtrumentum commune, parti hoc petenti, edere, poteſt pars appellare. C. 1. *h. t.* quinimò, & tertius, qui aliquod inſtrumentum habet conducens ad alterius litem, poteſt à Judice compelli, illud exhibere; *arg. L.* 2. *C. de Edend.* ut ſic veritas facilius habeatur, & jus ſuum unicuique tribuatur. Sicut hac ratione poteſt quis compelli dicere teſtimonium, de re, quam ſcit. C. 1. *& per tot. de Teſtib. cogend.* Et quamvis Judici totum inſtrumentum edendum ſit, ut cognoſcat, an ſit authenticum, & an probet, vel non intentionem partis. C. 7. *de Privileg. in* 6. parti tamen ſufficit edi Capitulum, de quo eſt quæſtio. C. 5. *h. t.* Et de eo dari copia. *L.* 1. §. 1. *ff. de Edend.* non tamen ſunt edenda alia Capitula, niſi cum eo ſint connexa, ne fortè ex illis nova adverſarius ſuſcitet litigia: ſicut legatario non integrè editur teſtamentum, ſed tantum pars ad ipſum pertinens. *L.* 113. *tit.* 18. *p.* 3. Et licet inſtrumentum privatum debeat à parte recognoſci, ut probet, non tamen publicum: quippè ad hoc ſufficit publica Tabellionis authoritas. Si actor, qui debitum petit, amiſit caſu fortuito inſtrumentum, in quo fundatur ejus intentio, poteſt utique debitum probare, vel per teſtes, qui de negotio coram ſe geſto deponant: & tunc plenè probatur intentio actoris, cum duorum teſtimonium plenam fidem faciat. C. 23. *de Teſtib. L.* 12. *ff. eod.* vel etiam poteſt fieri probatio per teſtes, qui deponant, inſtrumentum legiſſe, & ſine vitio eſſe: & actor debet jurare, eſſe amiſſum tale inſtrumentum. *L.* 1. *C. h. t.* Si verò actor proprio facto inſtrumentum amiſit, quia debitori Chirographum reddidit, vel cancellavit ſpe futuræ ſolutionis, id ipſum probare debet: cum in his caſibus pro debitore ſtet liberationis præſumptio. *L.* 24. *ff. de Probation.* Quod ſi adverſarij facto inſtrumentum ſit amiſſum, quia ipſe illud laceravit, ne ſuus dolus ipſi proſit, ſufficit, quod actor juret valorem inſtrumenti, & in eo contenta, perindè, ac ſi debitum eſſet plenè probatum, conſequenterque adverſarius illud ſolvere tenetur. *L.* 20. *C. de Probation.* Eccleſia tamen admittitur, ſi probare velit falſitatem inſtrumenti per Prælatum, vel Procuratorem ſuum lacerati: quia ipſi non debet Prælati, vel Procuratoris culpa nocere. C. 76. *de Reg. jur. in* 6. Et cum actoris interſit inſtrumentum edi, ſiquidem in eo fundat ſuam intentionem, ejus profectò ſumptibus productio facienda eſt. *L.* 4. §. *fin. ff. de Edend.* ac proindè ipſe ſolvere debet, quidquid impendatur in copia authentica, & legitima extrahenda, vel in mittendis perſonis, quæ ipſum ex Judicis

au-

authoritate videant, quando instrumentum est in aliquo Archivo, ex quo non facile possit extrahi.

190 Instrumentum, postquam in judicio productum est, & ejus est facta copia parti contrariæ, ex varijs Capitibus potest impugnari: scilicet, vel quia non sit confectum a Tabellione, vel quia confectum est tanquam a Tabellione ab eo, qui non poterat esse Tabellio: v.g. quia erat servus; vel quia est factum à Tabellione excommunicato, vel non examinato. Nam si aliquis, qui non sit Tabellio; vel non sit examinatus, aliquod faciat instrumentum, ut falsus in nostra Hispania punitur, dimidia pars suorum bonorum fisco applicatur, & instrumentum nihil probat. *L.1. l.2. tit.25. lib.4. R.C.* Etiam instrumentum impugnatur, si factum est super negotio Legibus prohibito, vel sine debitis, & substantialibus solemnitatibus: vel quia non ostenditur, seu producitur originale, sed tantum copia, vel exemplum. *C.1. h.t.* vel quia est falsum, vel de falsitate suspectum. Potestque varijs modis impugnari. 1. enim per testes instrumentum impugnatur, per ipsos quidem probando ejus falsitatem. *C.10. h.t.* si enim sunt adscripti præcisè testes necessarij ad instrumenti confectionem, si unus tantum neget, se interfuisse illius confectioni, vel dicat, factum non esse scriptum, sicut verè in re accidit, vitiatur penitus instrumentum ex defectu solemnitatis substantialis, nisi per alios testes, vel conscriptos, vel extraneos ille testis mendacij, & falsitatis convincatur. Si verò testes inscripti dicant, se interfuisse instrumenti confectioni, sed non recordari, quid factum sit inter partes, cum non impugnent contenta in instrumento, hoc utique sustinetur. Si plures, quam necessarij sint adscripti, & pro eo deponant, quot ad illud necessarij sunt, prævalent contra alios, etiam plures, impugnantes: nisi probent, quod die, quo instrumentum factum fuit, testes abfuerint, qui pro eo deponunt: tunc enim cum ex parte falsum probetur, totum redditur suspectum. Quod si instrumentum impugnetur per testes extraneos, seu non inscriptos, & testes instrumentarij constanter pro eo deponant: his adhibetur fides, nisi contrarij numero, dignitate, vel probatione excedant. Si verò instrumentarij deponere non possint, quia mortui, vel valdè distantes sunt, prævalet contra instrumentum duorum testium omni exceptione majorum probatio. *L.14. C. de Contrab. stipulat.* Siquidem testium probatio potius in veritate, quam instrumenti probatio fundatur: Hæc etenim præcipuè sistit in præsumptione, cum testium probatio omni jure plena sit, è contra verò probatio instrumenti, cum sit unius tantum testis depositio, solum est plena, non ex se, sed ex indulgentia Principis. *L.3. tit.19. p.3.* Nam contra Jus Gentium fuit Jure Civili inductum, ut fides adhibeatur pelli animalis mortui, ut notat *Greg. Lop. ibid. cum alijs.* Quod si pro instrumento unus testis inveniatur, tres testes sunt necessarij ad illud reprobandum: si pro ipso duo sunt testes, quatuor contra illud requiruntur; *arg. C.10. h.t.* Et sic cum com. tenent *Paz in Prax. tom.1. p.1. temp.8. ex n.5. Hevia in Cur. Philip. p.1. §.17. n.35.* Si tamen instrumentum impugnetur ex eo, quod non inveniatur in Protocollo, seu registro, in quo debebat esse. *L.9. tit.19. p.3. l.12. l.13. tit.25. lib.4. R.C.* dicendum est, quod de Jure Civili fidem non faciet; at verò in nostra Hispania non solum, quando constet, Protocollum incendio, vel alio casu fuisse consumptum, sed etiam, quando ex culpa Tabellionis non fuit redactum instrumentum in Protocollum, si cætera requisita habeat, facit plenam fidem: si verò constet in Protocollum esse redactum, vel de hoc dubitetur, torquetur Tabellio ad veritatem investigandam, & si non appareat de amissione, habetur instrumentum suspectum: imò & nullum est. *L.13. tit.25. lib.4. R.C.* Quod si jam mortuus esset Tabellio, & instrumentum esset antiquum, ipsi staretur. *Greg. Lop. in l.9. tit.19. p.3. V. Un libro.* Proximum falso est instrumentum simulatum, quando scilicet de utriusque partis consensu simulatur, vel res, vel contractus, vel persona. Et certè, si res vel contractus simulentur; v.g. quod fundus ponatur pro domo, vel emptio, & venditio pro locatione, & conductione, instrumentum rejicitur. Siquidem magis debet attendi, quod actum est inter partes, quam quod simulatè scriptum est. *L.2. l.3. C. Plus valere quod agit.* Si verò persona simuletur, quod Titius ponatur pro Sejo, actus valet, sed jus, & obligatio adquiritur non personæ fictæ, sed veræ, ob Leges, & rationem præcedentes.

191 2. Instrumentum impugnatur, ex eo, quod contraria, & incompatibilia inter se contineat, vel ex eo, quod duo instrumenta ab eodem producta contraria sint, vel directè, vel indirectè, licet unum sit publicum, & aliud privatum. Nam hoc est quasi quædam confessio complectens repugnantia, & tunc nulla ei, vel eis ha-

betur fides. *C.* 13. *b. t. L.* 14. *C. eod.* ibi: *Scriptura diversa fidem sibi invicem derogantes ab una, eademque persona prolata nihil firmitatis habere poterunt. L.* 111. *tit.* 18. *p.* 3. Si vero à reo sit productum instrumentum contrarium instrumento actoris, nullum rejicitur: sed reus, nisi causa actoris sit favorabilis, absolvitur ab instantia Judicis, tanquam actore non probante. *C.* 3. *de Probation.* quia in dubio favorabiliores sunt partes rei. *C.* 11. *de Reg. jur. in* 6. Si aliquod ex instrumentis sit dignius, vel verisimilius illi statur. *L.* 14. *C. de Contrah. vel commit. stipulat. Greg. Lop. in l.* 111. *tit.* 18. *p.* 3. V. *Ninguna dellas.* 3. Impugnatur instrumentum ratione sigilli, si hoc sit enormitèr fractum, seu sculptura, & imago ita delecta, ut non possit cognosci cujus sit, neque litteræ legi, vel si figura non conveniat sigillanti; v.g. Si cum Episcopum deberet repræsentare, Regem repræsentet; vel si per testes possit probari, esse furtivum, vel adulterinum. *C.* 5. *de Probation.* ubi per testes fuit probatum, quod cuidam instrumento alienationis fuit appositum sigillum Monasterij cum sine consensu Conventus fuisset illa alienatio facta: ac proindè tam instrumentum, quàm sigillum erat suppositum. Etiam impugnatur sigillum, si per novam ceram sit agglutinatum Chartæ vetustæ. *C.* 6. *b.t.* Si sigillum est ignotum non creditur instrumento in præjudicium tertij. *C.* 7. *b.t.* creditur tamen si in nullius præjudicium cedat. Sic credimus peregrinum esse Clericum per suas litteras formatas, quamvis sigillum non agnoscamus: In nostra Hispania, si instrumentum etiam à Tabellione confectum careat signo sui officij, non valet: nam vis habendi fidem publicam consistit in signo, tanquam in charactere Regio. *Hevia in Cur. Philip. p.* 1. §. 17. *n.* 31. idem est, si Charta, in qua est scriptum instrumentum, non sit sigillata sig llo Regio, vel etiamsi sigillata sit, non tamen est sigillata sigillo correspondente illi anno, & naturæ instrumenti juxta formam præscriptam pro Regnis Hispaniæ in *L.* 45. *juncta L.* 44. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.* & pro Indijs in *L.* 18. *tit.* 23. *lib.* 8. *R. Ind.* Sed non ex eo quod instrumentum sit nullum, statim pronuntiandum est nullum, quod in eo continetur: v. g. contractus, vel obligatio: sed solum ex nullitate instrumenti sequitur, quod ipsum instrumentum non habeat vim probandi, quod in eo continetur, sed non tollit, quod ille contractus, obligatio, vel factum in instrumento contentum probari possit aliundè per testes, vel per confessionem partis, vel alio modo. *L.* 1. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C.* ibi: *Que las tales Escrituras no hagan fé, ni prueba; aunque bien permitimos, que se puedan probar por otro genero de probanza. Acevedo in L.* 13. *tit.* 25. *lib.* 4. *R. C. Hevia in Cur. Philip.* §. 17. *n.* 33.

192 4. Impugnatur instrumentum: quia suspectum falsitatis redditur ex Cancellatione, rasura, littura, vel scriptura superlineari, vel ex correctione, si inveniatur in loco substantiali, & suspecto: talis est ille, ex quo rei veritas maximè dependet, ut si correctio, rasura, vel mutatio inveniatur in nominibus eorum, qui scripturam, contractum, obligationem, vel negotium fecerunt, vel in tempore dilationis, vel in quantitate debiti, vel obligationis, vel in die, mense, vel anno, quo fit obligatio, vel in loco ad solutionem destinato, vel in nominibus judicis, Tabellionis, vel testium, vel in alijs hujusmodi. *C.* 6. *b. t. C.* 7. *de Religios. domib. L.* 111. *tit.* 18. *p.* 3. Aliud est si rasura, correctio, vel mutatio facta sit ab ipso Tabellione: quippè tunc non redditur instrumentum falsitatis suspectum: debet tamen ipse Tabellio in fine instrumenti ante subscriptionem de omnibus correctis, mutatis, vel deletis sigillatim attestari, ita ut ad litteram referat omnia, & singula verba cancellata, mutata, correcta, vel deleta, *Hispanè*: *Testado*: hoc modo — *Pedro — testado — no vale — Manila entre renglones*, *vale.* Etiam valet instrumentum, in quo aliqua correctio invenitur, si ex antecedentibus, vel ex consequentibus, vel ex alia scriptura authentica constare possit, legendum esse, ut est correctum. Si instrumentum sit apud adversarium, ab eo præsumitur vitiatum, ac proindè innocenti non præjudicat in illis rebus, quæ legi possunt in instrumento: Et sanè instrumentum quod in aliqua parte substantiali est correctum, etiamsi tespectu illius suspectum sit, non tamen est suspectum respectu aliorum Capitulorum, quæ ibidem continentur, & non sunt cum correcto connexa: *L.* 42. *C. de Transactionib.* Nam, ut ibid. notat *Gothofr. utile per inutile non vitiatur. C.* 37. *de Reg. jur. in* 6. *Greg. Lop. in L.* 111. *tit.* 18. *p.* 3. V. *Ninguna dellas. Hevia in Cur. Philip. p.* 1. §. 17. *n.* 34. Si verò in loco non substantiali, sine quo scilicèt subsistit res, quæ in instrumento continetur, sit rasura, vel correctio, non vitiatur instrumentum. *C.* 3. *C.* 11. *b. t.* ubi dicitur, *quod Rescriptum Apostolicum non est vitiosum pro eo, quod in hac dictio-*

dictione: *Spoliarunt*, *hac figura* O. *deerat*. *L.* 111. *tit.* 18. *p.* 3. Si verò allegetur ab adversario, illud instrumentum non esse factum à Tabellione in eo subscribente, ex eo, quod littera non sit similis aliis ejusdem Tabellionis scriptis, cum ex hoc capite scriptura reddatur suspecta. *L.* 111. *tit.* 18. *p.* 3. Si Tabellio vivit, interrogatur, an illa scriptura sit ab illo facta, vel non? Et ejus dicto statur, sive neget, sive fateatur, esse suam: quod si Tabellio sit mortuus, vel valdè distans, jurat pars falsitatem allegans, se illam non allegare malitiosè, & pars, quæ instrumentum produxit, jurat, quod non faciet quo scripturæ veritas occultetur, & tunc Judex cum duobus peritis in arte scribendi examinabit, comparabitque litteras utriusque instrumenti, & etiamsi tales periti dicant, litteram esse omninò dissimilem alterius instrumenti litteræ, adhuc est in Judicis arbitrio recipere, vel repellere scripturam: siquidem hæc comparatio est species probationis valdè fallax. *L.* 118. *tit.* 18. *p.* 3. ac proindè similitudo litterarum aliquando plenam, aliquando semiplenam probationem pro circunstantiis faciet. Et similitèr discurrendum est de dissimilitudine contra instrumentum. *Greg. Lop. in L.* 118. *tit.* 18. *p.* 3. V. *Acabada*. Si vero Tabellio fateatur, se fecisse instrumentum, & ipse sit bonæ famæ, & instrumentum sit conforme protocollo, ipsi creditur; etiamsi hoc negent testes instrumentarij. Si verò Tabellio non sit bonæ famæ, creditur testibus instrumentariis si conformitèr contra Tabellionem deponant. *L.* 115. *tit.* 18. *p.* 3. *Hevia in Curia Philip. p.* 1. §. 17. *n.* 33. 5. Impugnatur instrumentum, si contineat inverisimilia, si charta sit antiqua, & scriptura recens, si in eo non servetur communis stylus similium instrumentorum: Si diverso atramento aliqua sint conscripta, si error non levis reperiatur in instrumento. Si aliquid sit additum, vel correctum ab alio, quam Tabellione, sine hujus attestatione, si aliqua pars instrumenti sit consumpta in loco suspecto, vel si est subpunctatum, scissum, vel ruptum, nisi producens probet, id casu, vel vi contigisse. Etiam est suspectum, si testium subscriptiones, ita in litterarum forma, & figura sint conformes, ut ab una manu videantur confectæ. *L.* 111. *tit.* 18. *p.* 3. Etiam redditur suspectum si producatur à persona, quæ aliquando alia instrumenta falsa produxit. Semel namque malus semper præsumitur malus in eodem genere mali, ut est commune DD. effatum ex *C.* 8. *de Reg. jur in* 6. idem est, si aliqua folia sunt addita. vel de novo consuta etiam à Tabellione, instrumento, vel protocollo. *C.* 6. *b. t.* In his enim, & in similibus casibus, erit prudentis Judicis arbitrari, quanta fides his causis debeatur. Quod si in aliqua parte probetur falsum instrumentum non ex hoc censendum est falsum quoad capitula inconnexa, sed tantum quoad connexa. *C.* 17. 3. *q.* 9. nisi falsitas circa locum versetur; quia dicatur esse factum Mexici, cum verè factum sit Manilæ: Tunc enim totum falsum censetur, cum hæc falsitas totam fidem instrumento adimere videatur. Si Tabellio ob falsitatem in suo officio commissam fuit condemnatus, licet sustineantur instrumenta ante condemnationem facta. *Arg. L.* 3. *ff. de Offic. Prætor.* post condemnationem tamen facta, sunt ipso jure nulla. *Arg. C.* 4. *de Hæretic.* ubi dicitur, quod damnato Authore damnantur ejus scripturæ, Libri, & opera. Et etiam comprobatur *ex C.*8 *de Reg.jur.in* 6.

De instrumentis, & qualitèr fiant in singulis contractibus, & aliis actibus, & negotiis latè agitur in *tit.* 18. *p.* 3. Et de Tabellionibus agitur *in tit* 19. *p* 3. *Et in tit.* 25. *lib.* 4. *R. C. Et ibid. Greg. Lopez, Acevedo, & alij Doctores in h. n. tit.*

TIT. XXIII.

De Præsumptionibus.

193 PRæsumptio sic dicitur à *præ*, & *sumptio*, quasi *ante sumptio*, quia aliquid sumitur pro verò, antequam legitimè probetur. Hæc quidem est alia probationis species præter dictas. *L.* 8. *tit.* 14. *p.* 3. ibi: *E aun ay otra natura de probar, à que llaman presumpcion, que quiere tanto decir, como gran sospecha, que vale tanto en algunas cosas, como averiguamiento de prueba.* Et sic potest describi: *Præsumptio est ex aliquo antecedenti ad aliquid sibi connexum verisimilis deductio, sive illatio. Greg. Lop. in L.* 8. *tit.* 14. *p.* 3. *vel est probabilis conjectura ex certò signo proveniens, quæ alio non adducto pro veritate habetur*: vel *est cognitio ex circunstantiis resultans*: quæ omnes definitiones in idem recidunt. Et hinc obiter notabis, quod præsumptio, de qua in præsenti longè distat à præsumptione, quæ etiam *præsidentia* dicitur, & est nimia suarum virium confidentia, qua fit, ut quis aggrediatur, vel paratus sit aggredi aliquid, quod est su-

supra ipsius vires. Hæc enim dicit, & supponit vitium, & defectum in intellectu, & voluntate: Siquidem est contra Legem, quam omnis lux naturalis docet: Nec enim Rex molitur bellum contra alium Regem, si ei desint vires, ut ei tesistat. Nec quis turrim ædificare incipit, si sumptibus ad perficiendum careat, ne ab hominibus irrideatur: & dicant, quia hic homo cœpit ædificare; & non potuit consummare, ut exemplis Christi utamur. Et *Lucanus* id ipsum hortatur. *Metiri sua regna decet, viresque fateri*. Et *Horatius* admonet: *Nec desilies imitator in arctum, unde pedem referre pudor vetet, aut operis Lex.* Et hinc deducitur, præsumptionem in hoc sensu esse peccatum. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 130. *art.* 1. *in Cor.* Et *art.* 2. ait: *Sed contra est, quod Philos. dicit in* 2. & 4. *Et hic quod magnanimo opponitur per excessum Chaunos, id est, furiosus, vel ventosus, quem nos dicimus præsumptuosum*, quod optimè explicat 2. 2. *q.* 21. *art.* 1. *in Cor.* ibi: *Respondeo dicendum, quod præsumptio videtur importare quandam immoderantiam spei. Spei autem objectum est bonum arduum possibile. Possibile autem est aliquid homini duplicitèr: Uno modo per propriam virtutem: alio modo, non nisi per virtutem Divinam. Circa utramque autem spem per immoderantiam potest esse præsumptio. Nam circa spem per quam aliquis de propria virtute confidit, attenditur præsumptio ex hoc, quod aliquis tendit in aliquod bonum, ut sibi possibile, quod suam facultatem excedit; secundum quod dicitur Judit. 6. præsumentes de se humilias. Et talis præsumptio opponitur virtuti magnanimitatis, quæ medium tenet in hujusmodi spe. Circa spem autem, qua aliquis inhæret Divinæ potentiæ potest per immoderantiam esse præsumptio in hoc, quod aliquis tendit in aliquod bonum, ut possibile per virtutem, & misericordiam Divinam quod possibile non est. Sicut cum aliquis sperat, se veniam obtinere sine pœnitentia, vel gloriam sine meritis: Hæc autem præsumptio est propriè species peccati in Spiritum Sanctum: quia scilicèt per hujusmodi præsumptionem tollitur, vel contemnitur adjutorium Spiritus Sancti, per quod homo revocatur a peccato.* Hæc sufficiant pro vocum æquivocatione tollenda, & pro explicanda verborum proprietate. Jam ergo à diverticulo non injucundo in viam rursus navim dirigamus.

194 Præsumptio etenim de qua loquimur non in confidentia, sed in conjectura fundatur. Sed ne in errorem facilè incidamus, oportet discernere varios actus, quibus gradatim ascendimus; primus enim consistit in dubitando: Et tunc solum animus hæret in medio suspensus in neutram partem inclinando. 2. Consistit in suspicando: & tunc in alteram partem animus inclinat, sed non absolutè assentitur. 3. Consistit in opinando, & tunc animus alteri parti assentitur, & habet judicium determinatum, infirmum tamen, & vacillans habens conjunctam formidinem de opposito. 4. In judicando firmitèr, & sine timore: cum scilicèt ita intellectus assentitur, ut non formidet de opposito. 5. In ferenda sententia, quæ est interni judicij exterior patefactio. Hinc præsumptio ad opinionem, & judicium pro qualitate firmitatis reducitur: Hæc etenim dicit judicium, vel opinionem rei dubiæ, quæ licet hic, & nunc credatur esse, verè tamen potest esse, & non esse. *L.* 8. *tit.* 14. *p.* 3. Et in hoc præcipuè differt præsumptio à *fictione juris*: Nam fictio juris est de re certò non existente, quæ tamen supponitur tanquam existens ad aliquos juris effectus: Sic patet, & filius, testator, & hæres fictione juris pro eadem persona habentur, cum verè diversæ sint. Sic Religiosus fingitur mortuus, cum verè vivat, & contra juris fictionem nunquam admittitur probatio. Præsumptio etiam distinguitur ab *opinione*: Nam opinio, prout communitèr accipitur, fundatur in ratione, vel authoritate Doctorum, præsumptio tamen ex indicijs originem ducit: *Indicium ergo est notabile signum alicujus rei, de qua dubitatur, ad cognoscendam veritatem inserviens.* Et hoc est duplex, aliud *remotum*, quod scilicèt, minus idoneum est ad rem ostendendam, quia frequentèr fallere potest. Aliud *proximum*, quod scilicèt magis verisimile est, & aptum ad rem, de qua inquiritur demonstrandam. Et quidem pro indiciorum vi crescit, vel decrescit vis præsumptionis: ac propterea quadrupliciter possunt indicia distingui. 1. sunt *levia*, quæ vix suspicionem gignunt. 2. *gravia*, quæ reddunt factum valdè credibile. 3. *graviora*, quæ reddunt factum ferè, seu quasi moralitèr certum: quæ etiam *vehementia* vocantur, & ita probant, ut non planè convincant, valdè tamen ad plenam probationem accedant, quasi luna cum ultra sui dimidium ad lucem integram aspirat: vel quando ita ad probationem plenam accedunt, ut sola confessio rei deesse videatur. Ut ait *L.* 1. §. 1. *ff. de Quæstionib.* 4. *gravissima*, seu *maxima*, sive *vehementissima*, *quæ undequaque convincunt, & plenam faciunt probationem.*

Præ-

195 Præsumptio est duplex alia est *juris*, alia est *hominis*. *Præsumptio juris* est, *quam ipsa Lex elicit in aliquo casu aliquibus suppositis circumstantiis*. Quæ rursus aliquando est *præsumptio juris tantum*, *quando scilicet*, *jus aliquid præsumit*, *& habet pro verò*, *donec vel probatione*, *vel fortiori præsumptione elidatur*: *sed nihil Lex statuit pro sententia*, *vel pœna*. Et hæc profectò eum pro quo stat liberat ab onere probandi. *Arg. C. 2. c. 4. de Probat. l. 10. tit. 14. p. 3.* & secundum eam saltem in civilibus profertur sententia. *C. 2. de Restitut. spoliator. in 6.* debet tamen allegari à parte: Hujus exempla aliqua sunt in hoc Titulo, & plura in alijs: accipe aliqua. 1. præsumptio juris est, quod usum rationis habeat, qui septimum annum implevit. *C. un. de Desponsat. impuber. in 6.* 2. præsumitur in jure, quod potentiam generandi habeat masculus, qui 14. annum, fœmina, quæ 12. implevit. *C. 6. c. 10. de Desponsat. impub.* 3. baptizatus præsumitur, qui inter Christianos natus, & educatus est. *C. fin. de Presbyt. non baptizat.* 4. ex chirographo cancellato præsumitur, debitorem solvisse. *L. 24. ff. de Probation.* & alia hujusmodi: Aliquando tamen est *præsumptio juris*, *& de jure*, *quando scilicèt Lex aliquid ita præsumit*, *ut ex ipsa præsumptione jus aliquod firmum statuat*, *vel talem sententiam*, *vel talem pœnam decernat*. Ac proindè regulariter probationem in contrarium excludit. *L. 23. C. ad S. C. Vellejan. C. 4. Qui matrimon. accus.* ideoque à DD. dicitur *necessaria*, & *violentissima*. Nec est necesse quod allegetur à parte. Sic jus præsumit consensum liberum mulieris, quæ coacta viro nupserat, si per annum cum dimidio ipsi cohabitavit. *C. 21. de Sponsalib.* sic præsumit, sponsum in matrimonium absolutè consensisse, si desponsatam sub conditione, cognovit. *C. 6. de Condit. apposit.* Sic præsumit matrimonium de præsenti, si sponsus cognovit sponsam. *C. 30. de Sponsal.* Hodie tamen hæc præsumptio cessat per *Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1.* Sic præsumitur relapsus, qui post abjurationem hæresis, de qua fuerat convictus, vel posteà convincitur, hæreticos acceptat, allociat, visitat, &c. *C. 8. §. Ille, de Hæret. in 6.* Sic etiam jus præsumit, mulierem accepisse pecuniam, ut pro alio intercederet, si ita scriptum sit in instrumento publico: ac proindè privatur beneficio S.C. Vellejani. *L. 23. C. ad S.C. Vellejan.* alia itidem exempla passim in jure reperies.

196 Cum ergo præsumptio juris, & de jure habeatur pro veritate, ille, contra quem stat, habetur ut convictus, & confessus, ac proindè nec appellare potest. *Arg. L. 2. C. Quorum appellation.* nec admittitur juramentum ejus, contra quem stat: siquidem quando causa est certa, sicuti est, ubi datur præsumptio juris, & de jure non defertur à Judice juramentum. Et regulariter hac præsumptione stante non est locus probationi in contrarium. *L. 23. C. ad S. C. Vellejan. C. 4. Qui matrimon. accusar. C. 30. de Sponsal.* contra eam tamen admittitur. 1. Confessio judicialis facta ab eo pro quo stat præsumptio, & etiam extrajudicialis, quando plenè probat, secus aliter. Sic pro re judicata stat præsumptio juris, & de jure, & tamen si ille, pro quo est sententia, seu res judicata, rem aliter esse, ac in sententia continetur, fateatur, eliditur præsumptio per talem confessionem: nam hæc est veritatis testimonium, & præsumptio non est ipsa veritas, licet pro veritate habeatur. 2. Eliditur præsumptio per evidentiam facti contrarij; Nam præsumptio est velut umbra veritatis, evidentia, velut lux, & sicut ad conspectum lucis evanescit umbra: Sic adveniente evidentia, cessat præsumptio. Evidentia enim est omnium probationum perfectissima, ideò ad eam in congressu Græcorum recurrebat Ajax: *Denique*, *quid verbis opus est*? *Spectemur agendo. Arma viri fortis medios mittantur in hostes*: *Inde jubete peti*, *& referentem ornate relatis*. 3. Admittitur contra talem præsumptionem probatio per testes. Et quidem si directè contra eam probandum est, plures, quam duo, vel tres requiruntur. 4. Probatio per instrumentum publicum. Hoc namque facit liquidam, & evidentem rem. 5. Probatio indirecta, quando scilicèt, quis intendit probare non dari talem præsumptionem, nec qualitates ad illam requisitas. 6. Si semel contra ipsam aliqua probatio admittatur, parte non opponente, quia cum videatur juri suo renuntiare, cessat præsumptio. De quibus latè *Menoch. & Mascard.*

197 Præsumptio hominis est conjectura ab homine formata ex varijs indicijs, & facti circumstantijs, nullis tamen jure expressa. Si ex levibus indicijs assumatur, dicitur *levis*, seu potius *temeraria suspicio*. Sic Pharisæi temerè dicebant de Christo Domino: hic si esset Propheta sciret utique qualis esset mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Similiter temerarium est ex deformitate corporis animæ deformitatem inferre ex illo Tiraquel. & aliorum

rum principio: *Species corporis simulacrum est mentis figuraque probitatis.* Et sic de alijs levibus indicijs discurrendum est. *Lacroix lib. 3. p. 2. ex n.* 1181. hujusmodi equidem suspicio nihil probat. *C.9. 6.q.1.* ibi: *Omnis suspicio potius repellenda est, quam approbanda, vel recipienda. C. 2. de Purg. vulgar. C.44. de Sentent. excom. L.8. tit. 14. p. 3.* ibi: *Pero en todo pleyto non debe ser cabido solamente prueba de señales, è de sospecha :::: porque las sospechas muchas vegadas non aciertan con la verdad. D.Thom. 2. 2. q. 60. art. 3. in Corp.* ibi: *Est autem triplex gradus suspicionis, primus quidem gradus est, ut homo ex levibus indicijs de bonitate alicujus dubitare incipiat, & hoc est veniale, & leve peccatum. Secundus gradus est, cum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indicijs, & hoc si sit de aliquo gravi est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi, ubi Gloss. sup. illud. 1. ad Cor. 4. Nolite ante tempus judicare subdit: Etsi ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus: judicia tamen, id est, definitivas, firmasque sententias continere debemus. Tertius gradus est, cum aliquis Judex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum, & hoc directè ad injustitiam pertinet: unde est peccatum mortale.* Quod si præsumptio oriatur ex indicijs verisimilibus frequentèr cum eo, quod præsumitur conjunctis, dicitur *probabilis, & discreta*: v. g. Si quis judicet non esse pudicam illam, quæ sæpè sola cum juvenibus præsertim in loco obscuro conversatur. Et hæc quidem præsumptio semiplenè probat: ac proindè illi, contra quem stat indicitur in Foro Canonico purgatio. *C.4. de Purgat. Canon.* ibi: *Si ex verisimilibus suspicionibus fuerit propulsatus, Canonice se purget.* In Sæculari proceditur ad torturam. *L. 18. §. 1. ff. de Quæstionib.* Et si tali præsumptioni juramentum accedat plena completur probatio. *C.13.h.t.* Idem est si fama publica, vel unus testis accedat. *Gonz. in C. 12. h. t.* Si verò præsumptio ex gravissimis indicijs oriatur, quæ vehementèr cogunt ad moralem credulitatem, dicitur *violenta, & vehemens*: Talis erit, si quis præsumat adulteram eam, quæ undecimo mense post mortem mariti peperit: vel si solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto jacentem videat, & præsumat eorum commixtionem. Hæc quidem præsumptio plenè probat, & in civilibus sufficit ad sententiam definitivam, sicut Salomon ex violenta præsumptione amoris erga infantem veram ejus matrem declaravit. *C. 2. h. t. L. 8. tit. 14. p. 3.* Et habetur casus in *lib. 3. Reg. cap. 3. ex n. 16.* ubi audita mulierum contentione dixit Salomon: *Afferte mihi gladium; cumque attulissent gladium coram Rege: dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri: Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus ad Regem: (commota sunt quippè viscera ejus super filio suo) Obsecrò Domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur. Respondit Rex, & ait: Date huic infantem vivum, & non occidatur: hæc est enim mater ejus.* In caussis quidem criminalibus, quæ sunt occultæ, & difficilis probationis hæc violenta, vehemens, vel vehementissima præsumptio sive juris, sive hominis non solum sufficit ad pœnam arbitrariam, & extraordinariam, sed etiam ad ordinariam pœnam infligendam. *C. 12. h. t. C. 11. de Simon. C. 1. de Homicid. in 6. L. 34. C. ad Leg. Jul. de Adulter.* alias incestus, adulteria, & alia hujusmodi crimina vix possent puniri pœna ordinaria cum gravi Reipublicæ damno: Nam talia crimina, cum sæpè in abscondito committantur difficillimè probari possent, ac per consequens inutilitèr esset certa pœna ad illorum punitionem statuta. Ita *Abbas, Menoch. Gonzal. in C. 14. h. t. n. 7. & alij,* contra *Anton. Gom. 3. Var. cap. 12. n. 25. & alios*, qui dicunt, in tali casu reum esse absolvendum. Nec obstat text. in *C. 1. 2. q. 1.* ibi: *Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut convictum, aut spontè confessum.* Nec text. *in C. 14. h. t.* ibi: *Propter solam suspicionem, quamvis vehementem, nolumus illum, tàm gravi crimine* (hæresis) *condemnare.* Nec text. *in L. 5. ff. de Pœnis, l. fin. C. de Probation.* ubi in criminalibus requiruntur probationes liquidissimæ, & luce Meridiana clariores: Hi enim, & alij Textus similes non obstant: quia quando contra aliquem stant præsumptiones vehementissimæ, & violentæ, ipse pro convicto habetur, & contra ipsum habetur probatio luce Meridiana clarior respectu illius delicti, quod vix aliter posset puniri, ob ejus naturam. At verò ubi gravius est delictum vehementius præsumptiones sunt necessariæ; *arg. C. 3. de Elect. in 6.* ibi: *Ubi periculum majus intenditur ibi proculdubio est plenius consulendum.* Quando vero agitur de pœna capitali non sufficit ad condemnationem præsumptio, etiam violentissima: nam semper est compatibilis cum falsitate: quod

fal-

talrem in noſtra Hiſpania ſervandum eit. *L. 7. tit. 31. p. 7.* ibi: *Non ſe deben los Juzgadores rebatar à dar pena a ninguno, por ſoſpechas, nin por ſeñales, nin por preſumpciones. L. 26. ti . p. 7.* ibi: *La perſona del ome es la m noble coſa del Mundo; è por ende decimos, que todo Juzgador que oviere à conocer de tal pleyto, ſobre que pudieſſe venir muerte, ò perdimiento de miembro, que debe poner Guarda muy afincadamente, que las pruebas que recibiere ſobre tal pleyto, que ſean leales, e verdaderas, è ſin ninguna ſoſpecha; è que los dichos, è las palabras que dixeren firmando, ſean ciertas, è claras, como la luz, de manera, que non pueda ſobre ellas venir dubda ninguna. E ſi las pruebas, que fueſſen dadas contra el acuſado, non dixeſſen, e teſtiguaſſen claramente el yerro ſobre que fuè fecha la acuſacion, è el acuſado fueſſe ome de buena fama, debelo el Juzgador quitar por ſententia. E ſi por ventura fueſſe ome mal enfemado; è otroſi por las pruebas fallaſſe algunas preſumpciones contra èl, bien lo puede eſtonce atormentar, de manera que pueda ſaber la verdad dèl. Et ibid. Gregor, Lop.* qui ait: *Quod ex indicijs indubitatis debet fieri tortura acerrima. Cevall. Com. q. 337. Acev ed. in l. 1. tit. 19. lib. 5. R. C. n. 6. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 15. n. 18.*

198 Quamvis ſemper ad arbitrium Judicis ſit recurrendum, ut declaret quænam præſumptiones, ſeu indicia, hic & nunc ſint levia, vel gravia, violenta, ſeu vehementiſsima: quod pro varietate perſonarum, temporum, locorum, aliarumque circunſtantiarum definiet: tamen ex ſequentibus regulis, quas afferunt jura, & DD. aliæ pro caſibus particularibus emergentibus poſſunt inferri, ita tamen ut conſideretur, quod quæ non proſunt ſingula, cuncta juvant. Sic ergo ſi ſolus cum ſola, nudus cum nuda in eodem lecto jacens inveniatur, copula præſumitur. *C. 12. h. t.* niſi ſint conſanguinei, præcipuè pater, & filia, frater, & ſoror. Si maſculi, etiam extranei nudi reperiantur in eodem lecto non eſt violenta præſumptio commixtionis Sodomiticæ, præcipue in noſtra Hiſpania, ubi hoc peccatum abominabile eſt: niſi fortè alia indicia hoc ſuadeant. *Molin. de Juſt. & jur. tr. 4. D. 15. n. 14.* Copula profecto præſumitur, ſi aliquis juvenis occultus inveniatur in domo, in qua eſt pulchra mulier, vel ſi vir habeat ſoluta femoralia, & mulier recuſet oſtium clauſum aperire. *Lacroix lib. 4. n. 1439.* contra eum, qui faſſus eſt pecuniam accepiſſe, & hoc conſtat ex ſcriptura, ſi intra biennium exceptionem non numeratæ pecuniæ, non opponat præſumitur eam numeraſſe. Qui judicium declinat nocens præſumitur, innocens tamen, qui ſe judicio offert. *C. 4. h. t.* Hinc fuga ante inquiſitionem, vel accuſationem facit præſumptionem non levem commiſsi delicti: videtur enim ex conſcientia criminis naſci poſt accuſationem tamen aliqualem generat ſuſpitionem, quæ alijs adminiculis accedentibus ſufficit ad torturam; *arg. C. 4. h. t. Et ibid. Gonz. n. 3.* Si verò quis effracto carcere, in quo injuſtè detinebatur, fugiat, nihil ipſi talis fuga nocet: Si tamen juſtè detinebatur, gravem ſaltem præſumptionem inducit talis fuga; & in noſtra Hiſpania reus pro confeſſo habetur. *L. 7. tit. 26. lib. 8. R. C.* ibi: *Todo hombre que huyere de la cadena, vaya por hechor de lo que le fuere acuſado. L. 39. Styli. Et ibid. Paz ex n. 8.* non tamen habetur pro delicti perpetratore, qui quamvis fugiſſet à carcere poſteà redijt, multoque minùs qui à carcere fugit, ut ſe Judici Superior ſiſtat: imò ipſe reus admittitur à Superioribus judicibus, & datur proviſio in forma contra Judices inferiores, ut non procedant contra reum, nec contra ejus bona. Et ſic quotidiè practicatur juxta *Didac. Perez, & Acev ed. in l. 7. tit. 26. lib 8. R. C.* Non tamen ex quacumque fuga confeſsio delicti inducitur; ſed ſolum, quando omnes incarcerati, vel major pars eorum conſpirantes fregerunt carcerem, & fugerunt. *L. 13. tit. 29. p. 7. Et ibid. Gregor. Lop.* V. *Acordandoſe. Acev ed. ubi ſup. n. 3.* Item qui ex duobus illatis alterum negat, reliquum affirmare præſumitur. *C. 5. h. t.* Item vicinus præſumitur ſcire, quæ acciderunt in vicinia, *C. 7. h. t.* & ibidem ſunt communitèr nota, & à fortiori ſcire creditur, quod in loco remoto ſcitur. *C. 8. h. t.* Nullus itidem donare præſumitur quippè nullus præſumitur ſuum jactare. *L. 25. ff. de Probat.* nec inter perſonas valdè conjunctas præſumitur inceſtus: nec delictum carnis præſumitur de ſene, qui in juventute continuit, maximè ſi eſt litteratus. *C. 15 h. t.* Deindè res nunc præſumitur eſſe, ſicut olim erat, niſi probetur mutata: ſic termini confinium cenſentur nunc eſſe ubi olim erant. *L. 11. ff. Finium regund.* etiam ſtatus rei pro tempore præterito in iis, quæ temporis curſu non mutantur, præſumitur pro futuro. *C. 9. h. t.* Et qui olim poſſedit aliquam rem nunc ipſam ex eodem titulo poſſidere creditur. *C. 17. de Reſtitut. ſpoliator.* Item qui ſemel fuit dominus ali-

cujus rei, ejus dominus præsumitur, donec contrarium probetur, & illud, quod habuit in suis bonis pater, vel avus in bonis filij, vel nepotis esse censetur. *L.* 10. *tit.*14. *p.*3. Et dispositio testatoris semel facta non censetur mutata. *L.* 22. *ff. de Probat.* & legatum relictum in institutione censetur in substitutione repetitum. *L.*74.*ff.de Legat.*1.filius legitimus in patria potestate esse censetur. *L.* 8. *ff. de Probat.* Et generalitèr ex præteritis regularitèr præsumitur ad futura. *C.*9. *b. t.* Et conversatio in adolescentia facit præsumptionem in senectute. *C.*3. *b. t.* Et hac ratione, qui de aliquo delicto accusatur facit informationem de vita, & moribus ad compurgandam suspicionem, si quæ contra ipsum insurgit ex processu, & accusatione. *L.* 3. §.12.*ff. de Re militar. L.* 26. *tit.*1. *p.* 7. *Et ibid. Greg. Lop.* V. *de Buena fama. Hevia in Cur. Philip. p.* 3. §.15. *n.* 19. Etiam qui semel est malus, semper præsumitur malus. *C.*8. *de Reg. jur. in* 6. intellige tamen cum com. DD. in eodem genere mali. Et qui Leges præteritas contempsit, & futuras contempturus creditur. *C* 9. *b. t.* Et generalitèr, semel bonus semper præsumitur bonus, nisi malus probetur. *C.* 3. *b.t.* dum talis præsumptio in tertij præjudicium non cedat; & si aliæ conjecturæ non præponderent in contrarium. Qui tamen agit male odit lucem, juxta veritatem Evangelicam. Ignorantia alicujus facti præsumitur, quando scientia non probatur. *C.* 47. *de Reg. jur. in* 6.

199 Similitèr qualitas, quæ alicui naturalitèr inest, semper adesse præsumitur. Non tamen præsumitur qualitas, quæ accidentalitèr inest, sic non præsumitur, aliquem esse doctum, nobilem, Doctorem, vel Clericum. Et hinc quamvis non præsumatur quis nobilis, præsumitur sanguinem purum, & sine macula habere. Et generalitèr in homine præsumitur id, quod suæ conditioni connaturale est: sic præsumitur in juvenibus facilitas, & ignorantia; *arg L.*1. *ff. ad S. C. Macedon.* in fœminis timiditas, imbecillitas, & loquacitas. *L.*2. §.2. *ff. ad S. C. Vellejan. C.* 10. *de V. S.* in senibus prudentia præsumitur. *L.*5. *ff. de Jur. immun.* observa tamen pro varietate ætatum varias præsumptiones ex *Horat. in Art. Poetic. Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores, mobilibusque decor naturis dandus, & annis. Reddere, qui voces jam scit puer, & pede certo signat humum, gestit paribus colludere, & iram colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas. Imberbis juvenis tandem custode remoto gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi, cereus in vitium flecti, monitoribus asper, utilium tardus provisor, prodigus æris, sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix. Conversis studiis ætas, animusque virilis quærit opes, & amicitias: inservit honori, commisisse cavet, quod mox mutare laboret. Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti, vel quod res omnes timidè, gelideque ministrat, dilator, spe longus, iners, avidusque futuri, difficilis, querulus, laudator temporis acti se puero, censor, castigatorque minorum.* Deinde quilibet præsumitur liber, nisi probetur servus: quod & in prædijs locum habet. *L.*9. *l* 10. *C. de Servitut.* Præterea quilibet præsumitur idoneus ad aliquem actum exercendum, si post inquisitionem vitium non appareat. *C. fin. b. t.* Parentes, & liberi, & conjuges vicissim se amare, præsumuntur, *L.*7. §. *ff. de Rebus eorum. Et ibid. Gothofr. L* 4.*tit.*27. *p.* 4. ibi: *Amistad de natura es la que ha el padre, ò la madre con sus fijos, è el marido à su muger.* Et expressit Poeta dum ait: *Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.* Et hinc in dubio ex tali amore potest inferri paternitas, & filiatio, ut Salomon probavit. 3. *Reg. cap.*3. *c.*2. *b.t. L.*8. *tit.*14. *p.*3. Item quando in eodem naufragio simul duo perierunt, præsumitur, quod senex perijt ante juvenem, impubes ante matrem, mater ante puberem, uxor ante maritum, infirmior ante fortiorem. *L.* 22. *l.*23. *ff. de Reb. dubijs.* Nec ullus post centum annos vivere præsumitur. Nec delictum præsumitur, nisi probetur. *L.* 51. *ff. pro socio.* Hinc si in carcere inveniatur cadaver alicujus rei non confessi, nec legitimè convicti, morte naturali præsumitur mortuus, ac proindè non est privandus Ecclesiastica sepultura: quod si inveniatur laqueo suspensus, aut alia adsint signa mortis violentæ, censetur à se ipso, vel à Dæmone occisus. *Lacr. lib.* 4. *n.* 1477. Quando ex duobus digladiatoribus unus occubuit, præsumitur fuisse aggressor. Et servus delinquens sine consensu Domini deliquisse censetur; *arg. L.*2. *ff. de Noxal. action.* In possidente, nisi jus possessioni illius resistat, bona fides præsumitur, nisi alius sit antiquior possessor, vel aliter probetur mala fides. *L.*30. *C. de Eviction.* In dubio præsumitur pro Principe, & pro Judice. *L. fin. C. de Offic. Civil. jud. C.* 7. *de Probat.* Electus ad aliquod munus, vel officium dignus præsumitur. *C.* 14.11. *q.*3. Doctor doctus censetur. *L. unic. C. de Professor.*

feſſor. qui in Urb. Artifex peritus in ſua arte creditur. *L.6. C. de Re Militar.* & Officialis, & in arte peritus præſumitur rectè ſuis officijs fungi. Quando dubitatur, an in judicio ritè proceſſum ſit, præſumitur pro juſtitia proceſſus. Si dubitetur an aliquid metu, vel ſponte factum ſit, non metu, ſed ſponte factum præſumitur; *arg. L.2. C.de His quæ vi.* Denique in quocumque caſu dubio ad præſumptionem faciendam debemus præ oculis habere, quod nos docet. *Text. in C. 2. de Reg. jur.* ibi: *Ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant in meliorem partem interpretemur.* Et hac ratione, ſi Clericus amplectatur mulierem, vel etiam eam deoſculetur, potius ex amore honeſto, quam ex animo fornicario hoc procedere credendum tenent. *Maſcard. & Lacr. lib.4. n.1439.* Sed hoc plurimum ex circunſtantijs pendet. Deindè, quando quis facit, quod ſibi prodeſt, & alteri nocet, præſumitur uti jure ſuo, ac proindè non creditur animo injuriandi, vel nocendi hoc facere: nec calumnia præſumitur in eo, qui ex neceſſitate officij accuſat, vel denuntiat. *L.2. C.de His, qui accuſar.* Hoc tamen locum habet tantum in actibus indifferentibus, vel etiam in illis, qui licet ſpeciem mali getant, poſſunt hic, & nunc in meliorem partem interpretari, non vero in illis, qui ſecundum ſe mali ſunt, ut dicitur in dicto *C. 2. de Reg. jur.* ibi: *Quod enim ſcriptum eſt: ex fructibus eorum cognoſcetis eos, de manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt bono animo fieri, ut ſtuprum, blaſphemiæ, ebrietates, & ſimilia, de quibus nobis permittitur judicare*: ac propterea quando de delicto conſtat, hoc eſſe dolo commiſſum præſumitur; *C. 1. h. t.* ibi: *Sicut noxius eſt, qui mittit lanceas, & ſagitas in mortem, ita vir, qui fraudulenter nocet amico ſuo, & cum fuerit deprehenſus dicit: ludens feci. Et ibid. DD.* alias delicta frequenter manerent impunita. Si vero probaretur, quod caſu, errore, vel violentia illud accidit, & præter agentis intentionem, poſſet profectò excuſari. Nam voluntas, eſt quæ diſtinguit delicta. *L.20. C. ad L. Jul. de Adult. C. 10. 32. q. 5.* ibi: *Sicut enim peccatum ſine voluntate opus non facit, &c.* quinimò in aliquibus delictis ipſe affectus, & conatus ad delictum, etiamſi hoc non ſit opere conſummatum, punitur, tanquam ſi opus eſſet perfectum. Quod quidem hodie ſolum habet locum in delictis attrocioribus, & quidem quando delinquens pervenit ad actus valdè proximos ad ipſum delictum, & ejus perfectionem, ſeu conſummationem, ita ut per delinquentem non ſtet, quominùs perficiatur. Ita in noſtra Hiſpania punitur conatus ad ſodomiam, etiamſi hæc non conſummetur. *L.1, tit.21.lib.8.R. C.* Similitèr puniuntur affectus ad proditionem, ſi in factum, vel dictum prorupit. Conatus ad homicidium per venenum, ſi hoc fuit paratum, vel ſaltem propinatum; conatus ad homicidium ex inſidijs committendum, ſi ſaltem ad vulnus grave pervenit. *L.2. tit.23.lib.8.R.C.* ſed licet Judex in his caſibus poſſit imponere pœnam ordinariam, imò & aliquando teneatur: tamen ſæpè multum pendet ab ejus arbitrio mitigare pœnam. *L. 2. tit. 31. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. & Acevɛd. in L. 2. tit.23. lib. 8. R. C. Gonz. in C. 1. h.t.ex n.7.* Hucuſque retuli varia præſumptionum exempla, quæ à jure, & DD. communitèr afferuntur, licet plura ex his in in idem, ſub diverſis tantum vocibus, recidant, ſed ex hoc ipſo major claritas ad diverſos caſus habetur, & ideò ea omittere nolui. Quod ſi duæ præſumptiones contrariæ concurrant, tunc etiamſi alia juris ſit, & alia hominis, validior, & fortior prævalet. *C. 3. Qui filij legit. L. 7. ff. de in Integrum reſtit.* Quippe una præſumptio alia præſumptione eliditur: *Sic ars eluditur arte.* Et omnes præſumptiones, adveniente veritate evaneſcunt. Ut vero ſciatur, quænam fortior, vel validior ſit, & quænam per conſequens ſubſiſtat hic, & nunc, quando aliquod dubium circa hoc inſurgit: hæ regulæ quaſi reflexæ debent attendi. 1. cæteris paribus fortior habetur præſumptio, quæ ſtat pro actus valore. *L. 12. ff. de Reb. dub.* 2. benignior debet rigidiori prævalere. *L.56. ff. de Reg. jur. C.49. eod. in 6.* 3. ſpecialior generali derogare cenſetur. *C. 34. de Reg. jur. in 6.* 4. juri conformior prævalet illi, per quam jus aliquomodo corrigitur; *arg. C.29. de Elect. in 6.* 5. præſumptio juris cæteris paribus hominis præſumptione eſt validior; *arg. C. 1. de Conſtitut.* 6. honeſtior, & delictum excludens prævalet contra eam, ex qua delictum infertur; *arg. L. 51. ff. Pro ſocio.* 7. quæ pro reo eſt favorabilior cenſetur, quam ea, quæ eſt pro actore. *L.125. ff. de Reg. jur.* 8. illa, per quam animæ magis conſulitur, magis debet attendi, *arg. C. 12. de Sponſ.* Denique in quocumque dubio debet præferri præſumptio, quæ eſt veriſimilior ei, quæ talis non eſt: & quod plerumque fieri conſuevit. *C. 45. de Reg. jur. in 6.* Alia plura ſunt in hac materia, de quibus latiſſimè *Menoch. de Præſumptionib. & alij.*

TIT. XXIV.
De Jure jurando.

200 ALIA species probationis est juramentum, quod ideo expediendarum litium maximum remedium nuncupatur. *L. 1. ff. h. t.* Et dicitur *jus jurandum*, à *jure* quidem: quippè quod juramento promittitur ita firmum, & stabile esse debet, ac si esset jure stabilitum. Vel etiam, quia quod divino testimonio firmatur, quasi jure suo pro vero habendum sit. *Suar. de Relig. de juram. lib. 1. cap. 1.* Etiam *Sacramentum* nuncupatur. *C. 1. 2. q. 4. vel 5. C. 1. de Ferijs. Auth. Sacramenta puberum. C. Si advers. vendit.* quia attestatio sacra est. Sicque definitur: *invocatio Divini Numinis in testem.* Siquidem jurare est Deum assumere in testem, juxta *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. in corp. L. 1. tit. 11. p. 3.* ibi: *Jura es averiguamiento, que se faze nombrando a Dios, ò alguna otra cosa santa, sobre lo que alguno afirma que es assi, ò lo niega.* Et quidem in foro interno verè jurat, qui haber animum invocandi Deum in testem, etiamsi hæc, vel illa verba exprimat: *quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. C. 6. de V. S.* quinimo etiamsi nullum verbum proferat. In foro tamen externo attendendus est communis usus verborum, ut secundum illum cognoscatur, an voluisset jurare, vel non. Similiter, si ex circunstantijs censeatur jurare, quamvis verba sint ambigua pro juramento habentur, & è contra. Si verba, quæ aliquomodò juramenta apparent sunt dubia, non debent pro juramentis haberi, si ex circunstantijs sine intentione jurandi proferri constet. Et sanè potest Deus dupliciter in testem invocari. 1. *explicitè.* Sic: *Deum in testem invoco*: *Juro per Deum. Matth. 5. C. 7. 22. q. 1. C. 26. h. t. l. 1. tit. 11. p. 3.* Hæ formulæ: *Deus novit*: *Deus testautitur suo tempore*: *Coram Deo loquor*: *Deus videt meam conscientiam*: non censentur invocativè, sed tantum narrativè proferri, ac proindè regularitèr non sunt juramenta, nisi aliud de intentione proferentis ex circunstantijs constet. 2. Deus implicitè invocatur in testem, quando per aliquas creaturas juramus. *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 6. in corp.* ibi: *Dicendum, quod duplex est juramentum; unum quidem, quod fit per simplicem contestationem, in quantum, scilicet, testimonium Dei invocatur, & hoc juramentum innititur Divinæ Veritati, sicut & fides, fides autem est per se quidem, & principaliter de Deo, qui est ipsa Veritas: secundariò autem de creaturis, in quibus Veritas Dei relucet. Similiter juramentum principaliter refertur ad ipsum Deum, cujus testimonium invocatur: secundariò autem assumuntur ad juramentum aliquæ creaturæ, non secundum se, sed in quantum in eis Divina Veritas manifestatur. Sic juramus per Evangelium, id est, per Deum, cujus Veritas in Evangelio manifestatur, & per Santos, qui hanc Veritatem crediderunt, & observaverunt.* Sic etiam juramus per *B. Virg. Mariam*: per Crucem: per Fidem Catholicam: per Aram consecratam, per Altare, & alia hujusmodi. *C. 11. c. 12. 22. q. 1. l. 1. tit. 11. p. 3.* Hæ verò formulæ: *Sicut sum Christianus*: *Sicut sum Sacerdos, vel Religiosus*: *Sicut credo in Deum*: *per Deum*: *vivit Deus, quod es intolerabilis*: *vivit Deus, quod si non attendissem. Par Dios, Juro a San. Juro à tal. Voto à tal. Por esta, que me la aveis de pagar. Maldita sea la blanca, que yo tengo. Ruin sea yo. Que me corten las orejas. Que mal rayo me parta.* Et alia hujusmodi jam ex communi usu non habentur, ut juramenta. Si quis jurer per suam conscientiam, animam, vel vitam, cum in ipsis Majestas Dei specialitèr resplendeat, verè jurare censetur. Sed alij non tanto rigore judicant. Similitèr hæc verba: *Voto a Dios*: *Voto à Christo*: *Yo os prometo à Dios*: licet pro juramentis habeantur, ab alis non tanto rigore sumuntur. Hæ formulæ: *Verè*: *certè*: *in veritate*: *fide boni viri, vel Christiani, vel Sacerdotis*: *per fidem meam*: & aliæ hujusmodi non sunt juramenta, quia tantum significant, illum loqui ex dictamine conscientiæ. De his omnibus latè *Suar. de Juram. lib. 2. cap. 5. & 13. Sanch. in Decal. lib. 3. cap. 2. Machado in Sum. lib. 2 p. 3. tr. 8. Lacr. lib. 3. p. 1. ex n. 256.* Demum notare oportet, quod olim tempore Legis Veteris sic jurabatur: *Vivit Dominus*: *vivit anima mea. Hierem. cap. 4. c. 7. 22. q. 1.* In primitiva Ecclesia: *Testis est mihi Deus*: *coram Deo*: *scit Christus. C. 14. 22. q. 1.* Hodie tamen sic juratur: *Sic me Deus adjuvet, & ista Evangelia. C. 4. h. t.* & notat *Corvin. lib. 3. Aphorism. tit. 31.*

201 Juramentum, si debitè fiat, non solum non est malum, ut contra Albanenses, Pelagianos, & alios Hæreticos est de fide certum, ut probat *Suar. de Juram. lib. 1. cap. 2.* sed etiam est actus religionis licitus, & laudabilis. *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2. in corp.* ibi: *Sic ergo in proposito dicendum est, quod juramentum secundum se*

est

est licitum, & honestum: quod patet ex origine, & fine: ex origine quidem, quia juramentum est introductum ex fide, qua homines credunt, Deum habere infallibilem veritatem, & universalem omnium cognitionem, & provisionem. Ex fine autem, quia juramentum inducitur ad justificandum homines, & ad finiendum controversias, ut dicitur ad Heb. 6. Sed juramentum cedit in malum alicui ex eo, quod malè utitur eo, id est, sine necessitate, & cautela debita. Et in *art. 4. in corp.* ait: *In hoc ipso, quod homo per Deum jurat, profitetur Deum potiorem, utpote cujus veritas est indefectibilis, & cognitio universalis, & sic Deo aliquomodò reverentiam exhibet. Undè & Apostolus dicit ad Hebr. 6. Quod homines per majorem se jurant. Et Hieron. dicit super Matth. Quod qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat. Philosoph. etiam dicit in 1. Metaph. Quod juramentum est honorabilissimum Exhibere autem reverentiam Deo pertinet ad Religionem, sive latriam: unde manifestum est, quod juramentum est actus religionis, sive latriæ.* Latiùs prosequitur *Suar. lib. 1. de Juram. cap. 4.* quod probatur ex percelebri Text. in *C.26.h.t.* ibi: *Et si Christus praeceperit secundum Evangelicam veritatem, sit sermo vester: est, est, non, non: ut affirmatio, vel negatio, sicut procedit ex ore, ita procedat ex corde: quia tamen hominum excrescente malitia, simplici assertioni, vel negationi vix creditur, ideircò prudentèr adjunxit: quod amplius est, à malo est: à malo quidem, non tam culpæ, quam pœnæ: nec exhibentium, sed exigentium juramentum: nam incredulitas hujusmodi magis est pœna, quam culpa: unde non dixit, malum: sed dixit, à malo. Licet enim juramentum prohibuisse Dominus videatur, nusquam tamen per Creatorem, sed per creaturam jurare prohibuit: ne per hujusmodi juramentum transferretur ad creaturam honorificentia Creatoris. Quare cum in Evangelio præmisisset: Dico vobis nolite jurare omninò: statim subjunxit, neque per Cœlum, quia Thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum ipsius est, neque per Hierosolymam, quia Civitas est Regis magni, neque per caput tuum, quia non potest unum capillum facere album, aut nigrum. Et quamvis non sit per creaturam jurandum, si tamen juretur per creaturam, servandum est quidem, dummodò sit licitum, quod juratur: quia teste veritate, qui jurat in Cœlo, jurat in Throno Dei, & in eo, qui sedet super eum. Jacobus quoque non simplicitèr prohibet juramentum, sed voluntatem jurandi, cum ait: Ante omnia fratres mei nolite jurare: quoniam ad juramentum non debet quemquam spontanea voluntas, sed necessitas trahere importuna: & tunc potest sine culpa jurare, dummodò illos tres Comites habeat juramentum, de quibus Propheta ait: & jurabunt, vivit Dominus in veritate, & judicio, & justitia. Quod autem Jacobus subdit: neque per Cœlum, neque per terram, neque per quodcumque aliud juramentum: jurare vetat per quamlibet creaturam, quodcumque sit illud, alioquin non dixisset Apostolus: Homines per majorem suum jurant, & omnis controversiæ eorum ad confirmationem finis est juramentum. In quo patentèr ostendit per quem sit jurandum, cum ait: Homines per majorem suum jurant: id est, per Deum: & cur sit jurandum, ut videlicet omnis controversiæ finis sit juramentum. Angelus quoque, quem vidit in Apocalypsi Joannes stantem super mare, & super terram, levavit manum suam ad Cœlum, & juravit per viventem in sæcula sæculorum. Christus etiam plus legitur dixisse in Evangelio, quam est, est, non, non: cum sæpissimè dixerit: Amen dico vobis: quod ipse secundum Lucam exponens, cum præmisisset: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua: consequentèr adjunxit: in veritate dico vobis, quia multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israel. Apostolus quoque jurabat eum dicens: Testis est mihi Deus:: Si enim per se malum esset jurare, profectò Dominus non jurasset, cum tamen in Veteri Testamento legatur quia juravit Dominus, & non pœnitebit eum. Et rursus: Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum: imo & præcepit in Veteri Testamento: redde Deo juramenta tua.*

202 Præterea honestas, & licitudo juramenti praxi omnium Tribunalium comprobatur. Siquidem testes non aliter recipiuntur in judicio, quam jurati. Litigantes etiam juramentum calumniæ præstant. Deindè, qui in Magistratus, Episcopos, Doctores, Advocatos, Magistros Militum, Provinciarum Gubernatores, Regnorum Pro-Reges, Duces Navium, Castrorum Custodes. *Hispanè: Alcaydes, ò Castellanos.* Et ferè omnes, qui ad aliquod munus publicum, eliguntur juramentum præstant servandi Leges, statuta, fidelitatem, obedientiam, & suo munere, & officio fidelitèr attendi: quod juramentum aliquando dicitur *homagium, Hispanè: Pleyto omenage.* Et hoc quidem fit a nobilibus, & Vasallis in rebus feudalibus, & à Custodibus Castrorum, & Ducibus Navium bellicarum. Et qui homagium præstat, ponit manus suas inter manus Regis, vel Do-

Domini feudi, seu delegati ab ipsis, & in nostra Hispaniâ sub hac forma illud præstat: *Doy mi fè, y palabra, haciendo, como bago, pleyto, è omenage, como Cavallero, y Hidalgo, segun el fuero de España, de cumplir, &c.* Et tale homagium esse juramentum, videtur probari ex *L. 26. tit. 11. p. 3.* & tenent *Suar. lib. 1. de Juram. cap. 13. ex n. 24. Solorz. de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 2. cap. 23. ex n. 21. Diction. de Trev. V. Hommage*, ubi ait: *Hommage en termes de Jurisprudence est un serment de fidelitè, qui doit faire tout Vasall, qui possede un fief, au Seigneur dominant.* Licet contrarium teneant *Greg. Lop. in d. L. 26. Covar. Avend. & alij. Homagium ligium* majorem obligationem, & adstrictionem supponit in eo, qui illud præstat, quam *homagium non ligium*, seu *francum*. Et hinc qui illud præstat, dicitur *homo ligius*, ut in *Cl. 2. de Sent. & re judicat.* quasi ligatus, non solum ratione feudi, sed etiam ratione personæ. Nam Domino est obligatus contra quemcumque (Rege excepto) tàm intra, quàm extra territorium. Et saltem in foro fori homagium, ut juramentum habetur. Sanè, quando Princeps obtestatur suam fidelitatem, & honorem, *Hispanè: Empeñar la palabra Real*, in foro fori habetur pro promissione jurata, licet verè juramentum non sit: ac proindè saltem hoc modo homagium non solum ligium, sed etiam francum pro juramento habendum est. Deindè, juramenti honestas potest comprobari omnium Nationum exemplo. Quippè apud omnes in usu habitum est, ut fortissimum vinculum ad exquirendam veritatem, & ad firmandam obligationem. Gentiles enim in testem veritatis id quod Numen, vel Deum esse credebant, invocabant. Sic *Latinus apud Virgil. lib. 12. Æneid. Suspiciens Cœlum tenditque ad sydera dextram: Hac eadem, Ænea, terram, mare, sydera juro: Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem, vimque Deum infernam, & diri sacraria Ditis. Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit.* Sic etiam *Phœbus Phaetonti juravit apud Ovid. lib. 2. Metam. Quoque minus dubites, quod vis pete munus, & illud me tribuente, feres: promissis testis adesto, Dijs juranda palus, oculis incognita nostris.* Judæi etiam jurant, non tamen per Christum, nec per Crucem, sed per Deum, & illa, quæ in Veteri Testamento proponuntur. *L. 20. tit. 11. p. 3.* Mauri per suum falsum Prophetam jurant. *L. 21. tit. 11. p. 3.* Hæretici jurant per illa mysteria, quæ credunt. Et Pagani per sua Numina, alias non censerentur prædicti religione juramenti ligati. Nec tamen est illicitum ab eis juramentum exigere quando necessitas hoc suadet, quando scilicèt testes in judicio producuntur. *C. 16. 22. q. 1.* ibi: *Alia erga quæstio est, utrum non peccet, qui per falsos Deos sibi jurari facit: quia ille qui ei jurat, jurat per Deos falsos, quos colit. Cui quæstioni possunt illa testimonia suffragari, quæ ipse commemorasti de Laban, & Abimelech. Si tamen Abimelech per Deos suos juravit, sicut Laban per Deum Nachor. D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 4. ad 4.* ibi: *Dicendum, quod licet malo uti propter bonum, sicut & Deus utitur: non tamen licet aliquem ad malum inducere. Unde licet ejus, qui per falsos Deos jurare paratus est, juramentum recipere; non tamen licet eum inducere ad hoc, quod per falsos Deos juret.* Latè *Suar. de Juram. lib. 3. cap. 13.* Profectò jure naturæ omnibus usum rationis habentibus jurare permittitur: jure tamen positivo Sacerdotes ex levi causa non sunt cogendi juramentum præstare. *C. 4. 2. q. 5.* derogat enim Sacerdotis dignitati de ejus veritate facile dubitare. Impuberes etiam cum vix arduitatem juramenti, & reverentiam Deo debitam percipiant, non facile ad juramentum sunt admittendi. *C. 14. c. 15. 22. q. 5.* Et quamvis à perjuris, qui tales sunt notorietate facti sit exigendum juramentum, quod oneris est, scilicèt, calumniæ, malitiæ, & fidelitatis, tamen juramentum, quod contra tertium est, ut purgationis, suppletorium, vel à testibus fieri solitum, non permittitur ipsis, ut sic perjurijs occurratur; *arg. C. 8. de Reg. jur. in 6.* Et quamvis in *C. 1. de Testib.* non admittantur ad jurandum, nisi jejuni, solum hoc de honestate non de præcepto intelligitur: vel etiam intelligitur de jejunio à crapula, & ebrietate.

203 Quadruplex juramentum solet distingui. 1. *Assertorium.* 2. *Promissorium.* 3. *Execratorium.* 4. *Comminatorium. Assertorium est illud, quo asseritur, seu affirmatur rei præteritæ, vel præsentis veritas.* Et hoc juramentum faciunt testes, qui in judicio producuntur. Et tunc *judiciale* dicitur. Quod si extra judicium ad asseverandam veritatem fiat, *Extrajudiciale* vocatur. *Promissorium* est illud, quo aliquid possibile, & honestum in futurum promittitur. *Execratorium* est cum quis sibi aliquod malum execratur à Deo infligendum, si non est verùm, quod affirmat, vel promittit, vel si illud non faciat. *Comminatorium* est cum quis sub juramento comminatur alteri; v. g. *per Deum, ego te cædam.* Facit *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1.* ad

3. Juramentum igitur debet comites habere veritatem, judicium, & justitiam, ut constat ex *Hierem.4. v.2.* ibi: *Et jurabis, vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia. C.26. h. t. D.Thom. 2.2. q.89. art.3. in Corp.* ibi: *Juramentum non est bonum nisi ei, qui bene utitur juramento: ad bonum autem usum juramenti duo requiruntur, primo quidem, quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa, & discretè juret, & quantum ad hoc requiritur judicium, scilicet discretionis, ex parte jurantis. Secundo, quantum ad id, quod per juramentum confirmatur, ut scilicèt, neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum: & quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat, quod verum est, & justitia, per quam confirmat, quod licitum est. Judicio autem caret juramentum incautum: veritate autem juramentum mendax: justitia autem juramentum iniquum, sivè illicitum.* Latè *Suar. de Juram. lib.1. cap.3.* Et licet juramentum coram Deo obligans possit interius in intellectu, & voluntate jurantis consummari, tamen respectu hominum debet esse aliquomodo externum. Et hoc quidem potest fieri. 1. Verbis tantum quæ scilicèt significent, Deum in testem asserri: v.g. *Deum testem invoco*, vel *Deum testor*, etiam si non adjiciatur verbum: *juro*, imo si quis dicat, *juro, me hoc facturum*, nullo alio verbo addito, non est juramentum, cum Deus non invocetur in testem. Nec jurat qui dicit: *Juro per omne, quod possum jurare.* Si quis dicat: *Deus est testis, Deus est veritas, vivit Deus: coram Deo, Deus scit, quia non mentior: sicut Deus est veritas: sicut Christus est Filius Virginis: sicut Christus est in Eucharistia*, vel alia hujusmodi verba proferat, licet hæc potius ut juramenta sonent, cum adhuc sint dubia, quo animo proferantur debet ex adjunctis declarari. 2. Fit juramentum signis tantum, quando scilicèt, statutum est, quod posito aliquo signo externo, juramentum factum censeatur: sic mutus si in aliquo negotio, vel in judicio testis sit, juramentum nutibus præstat. Similitèr, qui subscribit Epistolam, vel Chirographum, in quo juramentum continetur, juramento obligatur apud Deum, & homines, ut ait *Suar. de Juram. lib.2. cap 31. num.4.* 3. Verbis, & signis simul juramentum fit: quando scilicèt juramentum aliqua solemnitate præstatur. Nam tunc aliqua res sacra tangitur, dum verba proferuntur: sic testis Laicus, quando in judicio jurat, digitis pollice, & indice manus dextræ format crucem: Sacerdos manu dextra ad pectus admota jurat in verbo Sacerdotis. Eques Ordinis Militaris manum dextram in cruce habitus sui ordinis apponit: qui gradus litterarios in Academijs suscipiunt, jurant tactis Evangelijs. *C.33. D.63. L.19. tit.11. p.3.* Quod etiam usu omnium Nationum firmatum est: sic apud *Virg. lib.12. Æneid.* juravit Latinus: *Tango aras, mediosque ignes, & Numina testor.* Et in *L.20. tit.11. p.3.* ponitur forma jurandi judæorum, ibi: *Deben poner las manos sobre la Tora, con que hacen la oracion.* Thora quidem, sive Thorat nomen Hebræum est, quod Legem significat, quo nomine quinque Moysis libri significantur. Et in *L.21. tit.11. p.3.* ponitur forma jurandi Maurorum, ibi: *E alzar la mano contra Mediodia, a que llaman ellos alquibla.* Et licet olim in nostra Hispania juramenta valdè solemnia fieri solerent in urbibus Abulæ, & Legionis ad reliquias SS. Vincentij, Agathæ, & Isidori, hoc jam omnino prohibitum, nec in usu est. *L. fin. tit.7. lib.4. R. C.*

204 His ergo pro materiæ dilucidatione explicatis propius ad tituli medullam accedendo, nunc de juramento assertorio, prout decisioni litium deservit agemus, posteà aliquid de juramento promissorio dicturi. Juramentum igitur assertorium quatenus litium decissorium est dividitur in *voluntarium, necessarium, & judiciale. L.2. tit.11. p.3.* ibi: *Departese la jura en tres maneras: Cà, ò es jura de voluntad, ò de premia, ò de juicio. Voluntarium, quod etiam conventionale, & extrajudiciale* appellatur, *est quod ex libera partium conventione ab una alteri extrajuditium defertur, ut si pars illa juramentum præstiterit ipsi stetur, & lis finiatur. L. 17. l.28. ff. h. t. L.2. tit.11. p.3.* Facto ergo juramento lis finitur perindè ac si transactio, vel judicis sententia intervenisset. *L.2. ff. h.t. L.2. tit.11. p.3.* Et jam non amplius quæritur de debito, sed solum an juramentum præstitum sit: adeò, ut nec detecto posteà perjurio, de rigore juris retractetur juramentum. *L.1. C. de Rebus credit.* nisi in causa legati. *L. fin. C. de Rebus credit. L.25. tit.11. p.3.* vel si aliter conventum sit; *arg. L.23. ff. de Reg. jur.* Tale quippè juramentum ex conventione partium Legem accipere videtur: ac proindè apparente perjurio, censetur retractatum juramentum: quinimò attenta æquitate quoties de falsitate juramenti constet, hoc nullam vim debet habere. At verò quoties de hoc non liqueat juranti, rem sibi de-

deberi, res præstanda est, licet non debeatur. *L.14. tit.11.p.3.* Et quamvis sic pejerans apud Deum puniatur, nulla tamen in jure ipsi pœna imponitur. *L.2.C. de Rebus credit.* *L.26. tit.11.p.3.* Et juxta illam venit intelligenda. *L.2. tit.17. lib.8. R.C.* ut in d. *L.26. V. Otra pena, notat Greg. Lop.* Adeo firmum est hoc juramentum voluntarium, ut fortius sit aliquomodo, quam sententia judicis. *L.2. ff. h.t.* ibi: *Jus jurandum speciem transactionis continet, majoremque habet autoritatem quam res judicata.* Siquidem tale juramentum à parte delatum, juxta plures tollit naturalem obligationem, secus sententia. Unde liberatus ex juramento, si solvat, repetit per conditionem indebiti, cum liberatus per sententiam non repetat: deinde minor restituitur adversus sententiam, non vero adversus juramentum. *L.16. tit.11. p.3.* tamen in *L.15. tit.11.p.3.* referuntur casus, in quibus majorem vim habet sententia, quam juramentum. Nam licet juramentum revocetur, si nova in contrarium instrumenta reperiantur, secus sententia. Alias differentias ibi videbis. Etiam in jure comparatur hoc juramentum pacto, solutioni, & acceptilationi. Et meritò: nam liti finem imponit, non minus ac si debitum omninò solutum, & extinctum sit. *L.1. ff. h.t. l.12. tit.11.p.3.* ibi: *Los Sabios antiguos dixeron, è aun acuerdase con ellos el Apostol San Pablo, que a las vegadas la jura es acabamiento, è fin de las contiendas, que nacen entre los omes.* Locus Apostoli habetur *ad Hebr. 6. v.16.* ibi: *Homines enim per majorem sui jurant: & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum.*

205 Decisâ jam lite per juramentum, res de qua erat controversia traditur ei, qui suam esse juravit, ejusque dominium adquirit, ac proinde si ab ejus possessione cadat, habet rei vindicationem contra detentorem: nisi ille qui rem habet, sit ejus Dominus: siquidem ipsi non nocet juramentum ab alio delatum. *L.10. ff. h.t. l.13. tit.11. p.3.* Si verò reus juravit, rem quam possidebat, non esse eam petentis, licet defendatur, quandiu possidet rem contra deferentem juramentum: si tamen amittat possessionem, non potest eam à possessore repetere vi juramenti, etiamsi ipse qui juramentum detulit rem possideat. *L.13. tit.11. p.3.* Si vero actor juravit, vel paratus erat jurare, & ab adversario est remissum juramentum, ipse actor, & ejus hæredes habent actionem in factum contra reum deferentem, ejusque hæredes, ut actori præstetur, quod sibi deberi juravit. *L.9. §.1. ff. h.t.* quod si reus juravit, vel paratus erat jurare, & ab actore est remissum juramentum, ipsi reo, & ejus successoribus, etiam particularibus competit exceptio jurationis, contra actorem deferentem, ejusque successores, qua actionem ipsorum elidit, & petit à debito absolvi. *L.7. l.8. l.9. §.1. ff. h.t.* ibi: *Jure jurando dato, vel remissio, reus quidem adquirit exceptionem sibi, alijsque: actor vero actionem adquirit: in qua hoc solum quæritur, an juraverit dari sibi oportere: vel cum jurare paratus esset, jus jurandum ei remissum sit.* *L.8. l.17. tit.11. p.3.*

206 Hoc juramentum præstari debet, alio deferente; nam ultroneum ut suspectum nihil probat, nec aliter præstandum est, quam eo modo, quo est delatum. *L.3. ff. h.t.* dummodo non sit revocatum à deferente: nam tunc perindè est, ac si non fuisset delatum: cum enim tota vis juramenti à concessione partis adversæ dependeat, potest utique pars adversa juramentum semel delatum, etiam à parte acceptatum revocare, quousque ille, cui delatum est in effectu illud præstiterit. *L.11. C. de Reb. credit. L.8. tit.11. p.3.* ibi: *La parte que combidare con la jura à la otras se puede arrepentir, si quisiere, ante que la faga su contendor, à quien combidò con ella. E desque una vez se arrepintiere, non gela puede despues dàr.* Potestque hujusmodi juramentum in quacumque controversia præstari. *L.3. §.1. ff. h.t.* in causa tamen matrimoniali potest præstari, quando agitur de matrimonio contrahendo; *arg. C.2. de Sponsal.* vel de conservando contracto, in quo nullum dirimens impedimentum invenitur: secus est, si de matrimonio legitimè contracto agatur ad ejus dissolutionem; *arg. C. fin. de Transaction.* Siquidem hoc non potest voluntate partium dissolvi, cum jam indissolubile sit. At verò consensu partium potest matrimonium contrahi, & invalidè contractum ex defectu consensus potest utique consolidari. *C.21. de Sponsalib.* idem dicendum est de professione religiosa, quæ se habet ut matrimonium spirituale; *arg. C.2. de Translat. Episcop.* in causa itidem criminali non solum potest actor reo juramentum deferre, sed & reus actori ob generalitatem. Text. in *L.3. §.1. ff. h.t.* ibi: *Quacumque autem actione quis conveniatur, si juraverit proficiet ei jus jurandum.* Alij tamen aliter sentiunt. Si tamen contra reum ad-

sint

sint urgentia indicia reus ipse torquetur, nec actori defertur juramentum, nisi actor sit bonæ famæ, & non procedatur ad pœnam sanguinis. *L.* 10. *tit.* 11. *p.* 3. Et quidem juramentum reo delatum ipsi prodest contra accusatorem tantum, non vero contra alias personas, multoque minus contra Judicem cum res inter alios acta alijs nocere non debeat.

207 Cum hoc juramentum ex conventione partium deferatur, ipsum potest deferre omnis ille, qui potest pacisci; *arg. L.* 17. *ff. h. t.* sive actor sit, sive reus. *L.* 28. *ff. eod.* ac proinde possunt illud deferre Prælatus in rebus suæ Ecclesiæ, Tutor, & Curator in rebus suorum minorum. *L.* 17. *ff. h. t.* Procurator habens speciale mandatum; nec sufficit generale ad litem, nisi sit *cum libera*, vel si sit Procurator in rem suam. *L.* 4. *tit.* 11. *p.* 3. Item servus, & filius familias, si liberam peculij administrationem habeant, in illius rebus possunt deferre juramentum. Item minor, si Curatore careat, imo juxta *Perez, & alios,* etiam quando Curatorem habet; sed tunc probabilius non potest à minori juramentum deferri: quia hæc delatio tendit ad alienationem, ac proindè minor Curatorem habens, cum non possit alienare, non potest deferre: & adeo nulla est delatio, ut restitutionem non indigeat. *L.* 3. *C. de in Integr. restitution.* Si vero cum authoritate Curatoris deferat, si læsus est, potest restitui. *Greg. Lop. in L.* 3. *tit.* 11. *p.* 3. Pupillus cum Tutoris authoritate potest juramentum deferre, secus aliter. *L.* 17. §. 1. *ff. h. t.* illud iridem deferri potest omnibus illis, qui ex conventione obligari valent sine distinctione sexus, vel ætatis. *L.* 26. *ff. h. t.* Non tamen potest deferri furiosis, nec mente captis, nec pupillo sine Tutoris authoritate. *L.* 32. *ff. h. t.* nec filio in re patris, nec servo in re Domini, nec alijs in re, cujus liberam administrationem non habent. *L.* 20. *& seqq. ff. h. t.* Profectò juramentum delatum solum habet vim contra eum, qui detulit, vel in ejus locum succedentem, non tamen contra tertium, *quia non debet alij nocere, quod inter alios actum est. L.* 9. §. *fin. l.* 10. *ff. h. t.* At vero juramentum Tutoris, servi, vel filij familias prodest pupillo, Domino, & patri, siquidem eorum nomine præstitum fuisset. Et si unus ex pluribus reis debendi, vel ex reis credendi, juret, vel deferat juramentum prodest, vel nocet cæteris socijs. Similitèr juramentum rei prodest fidejussori, & juramentum fidejussoris prodest reo, si juret, se solvisse: quod si juret, se non fidejussisse sibi prodest, non tamen principali. *L.* 17. *tit.* 11. *p.* 3. Quod si alicui extraneo sit delatum juramentum in causa ad tertium pertinente, si ille juret, prodest tertio juramentum, quia se habet ille qui jurat, ut tertij negotiorum gestor: quod præcipuè habet locum in defensore judiciali. *L. fin.* §. 2. *ff. h. t.* Demum, quilibet, cui hoc juramentum defertur, potest suo arbitrio illud recusare omninò: siquidem conventionale, & voluntarium est, vel potest, si velit, illud præstare, vel si malit illud referre: id est illud suo adversario offerre, & petere, quod ipse juret: Nam æquitas naturalis dictat, quod quis patiatur Legem, quam ipse tulit. *C.* 6. *de Constitution.* Et ille, cui est relatum potest illud similitèr recusare, cum ex utraque parte liberum, & voluntarium sit. *L.* 2. *ff. h. t.* Qui tamen semel illud suscepit, tenetur jurare: quod si recuset pro confesso habetur. *Arg. L.* 5. *C. de Oblig. & action.* Et ideò dicitur in *L.* 17. *ff. h. t. Jus jurandum, quod ex conventione extra judicium defertur referri non potest.* Id est, cum effectu, ita ut deferens sibi relatum debeat præstare.

208 Juramentum *necessarium*, quod etiam ad litium decisionem deservit est *illud, quod* Judex Ordinarius, vel Delegatus. *L.* 1. *l.* 31. *ff. h. t.* quin, & arbiter *arg. l.* 1. *ff. de Recept. qui arbitr.* ob inopiam plenæ probationis, causa cognita uni ex litigantibus ad instantiam partis, vel ex officio deferr, quando ita æquum esse judicaverit: imò sæpè aliquomodo illud deferre tenetur, ut exactè impleat suum ministerium. *L.* 3. *C. de Rebus creditis. C. fin.* §. *Sanè, h. t. l.* 2. *tit.* 11. *p.* 3. præcipuè in casibus, in quibus periculum animæ, seu peccati subest. Hoc igitur juramentum duplex est: Aliud *suppletorium,* cujus scilicèt adminiculo actor complet probationem, quando tantum semiplenè probaverat. Aliud *purgatorium,* quo, scilicèt, reus suspicionibus, quibus oneratus est, se purgat, & suam innocentiam ostendit. Et sanè regularitèr in quacumque causa potest Judex hoc juramentum, quod est de genere permissorum, deferre. *L.* 3. §. 1. *ff. h. t.* nisi in causis, in quibus probationes manifestæ, & liquidissimæ, & luce clariores ab ipsa Lege requiruntur: quia ex eo quod tales exigat probationes, probationis supplementum creditur excludere: Sic in causa criminali criminalitèr intentata, licet reo possit indici purgatio per juramentum. *C. fin.* §. *Sanè, h. t.*

h. t. non tamen potest actor, qui semiplenè probavit supplementum ex juramento emendicare; sed tunc ad rei torturam procedetur: quippè in tali causa probationes, luce meridiana clariores, requiruntur. *L. fin. C. de Probat.* debetque reus esse confessus, vel convictus. *L. 16. C. de Pœnis.* Nec potest deferre juramentum in causis matrimonialibus, quando agitur de dissolvendo matrimonio legitimè contracto. Hæc namque causa valdè ardua est. Si vero agatur de eò contrahendo, vel conservando contracto potest petenti, post semiplenam probationem, juramentum deferri, si non suspectus, sed integræ famæ sit. *C. 34. h. t. Et ibid. Barbos.* idem dicendum est de matrimonio spirituali, scilicèt, de professione religiosa. *Arg. C. 2. de Translat. Episcop.* In causa vero famosa, v. g. furti, vel injuriarum, in qua condemnatus fit infamis non actori ad supplementum, sed reo ad purgationem potest deferri juramentum. *C. fin. §. Sanè, h. t. L. 6. §. 4. ff. de His, qui notant. infam.* Nec deferendum est in causa civili valdè ardua, quippè quæ criminali æquiparatur. In causa autem criminali civilitèr intentata, ex qua solum venit pœna pecuniaria parti applicanda, bènè potest deferri: Quando est applicanda fisco deferri posse negat *Menochius*, sed *Julius Clarus* permittit. Denique deferendum est, quando vix aliquid deest ad probationem: Nam semper tale juramentum facit saltem indicium, quo probatio compleri possit. De quibus vid. *Menoch. de Arbitr. cas. 464.*

209 In Judicis igitur arbitrio est, præcedente tamen causæ cognitione. *L. 3. C. de Rebus credit.* hoc juramentum deferre, vel nulli, vel actori, vel reo; dummodo personæ integræ fidei deferatur, & quæ veram rei scientiam habeat per sensum corporeum adquisitam; quia testi æquiparatur, ac proindè si tantum de credulitate, non verò de scientia, & certa notitia juret, ei non creditur. Sic contra varios variè sentientes tenent *Menoch. de Arbitr. cas. 190. Vallens. in Præs. §. 5. n. 11. & alij.* Quod clarè constat ex *C. fin. §. Sanè, h. t.* ibi: *Sanè si actor omninò in probatione defecerit, reus debet, & si nihil præstiterit, obtinere. Præsumptione verò faciente pro illo, reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam juramentum: nisi Judex (inspectis personarum, & causæ circunstantijs) illud actori videat deferendum. L. 2. tit. 11. p. 3.* Hinc est, quod si actor, qui ad judicium debet instructus accedere, nihil probat, reus, & si nihil probet absolvitur, nec est necesse ei juramentum deferre. Si actor plenè probavit, & si reus semiplenè contrarium probaverit, nulli defertur juramentum, utpotè non necessarium. *Arg. C. 2. de Probat.* sed tunc sententia pro actore fertur. Quid enim supplendum est, si completa est probatio? Si verò probationes sunt componibiles, ut quia actor plenè probavit, se mutuum Cajo dedisse, & Cajus semiplenè probaverit, mutuum reddidisse, reo defertur juramentum, quia probatio non stat contra exceptionem, nec ipsam elidit. Si uterque plenè probavit contraria, & incomponibilia, Judex, vel reum absolvet, vel illi deferet juramentum: quia ejus conditio favorabilior est. *C. fin. h. t. L. 125. ff. de Reg. jur.* nisi majorem probabilitatem veritatis ex actore speret. Idem dicendum est, quando ab utroque est allata semiplena probatio. Si pro actore stet præsumptio, reo, quia favorabilior ejus conditio est. *L. 125. ff. de Reg. jur.* defertur juramentum purgatorium: nec actori potest suppletorium deferri: quia hoc ut semiplena probatio non potest cum præsumptione plenam probationem facere. Secus est, si actor semiplenè probavit, nihil reo præstante; nam tunc juramentum deferendum est actori, ut probationem compleat. Ut enim juramentum deferatur debet adesse probatio semiplena, quæ per contrariam probationem non sit diminuta, nec debilitata: alias juramentum, quod est tantum semiplena probatio non faceret cum ea plenam probationem.

210 Hoc equidem juramentum debet peti ante conclusionem in causa, post publicatas tamen attestationes: Tunc enim constat parti, an tantum semiplenè probatum sit: Post conclusionem tamen in causa non defertur ad instantiam partis; quia jam probationibus renuntiasse censetur, & consequentèr juri petendi juramentum. At verò Judex, cùm ex officio pro veritate eruenda debeat laborare, potest, etiam post conclusionem in causa, illud deferre *L. 21. ff. de Interrogat. in jur.* ibi: *Ubicumque Judicem æquitas moverit, æque oportere fieri interrogationem, dubium non est. Et ibid. Gothofr.* Is, cui hoc juramentum defertur, non potest illud recusare, vel adversario referre, sed omninò illud præstare tenetur. *C. fin. h. t. Et ibid. Barb. & Ganz. L. 12. §. 1. C. de Rebus credit.* Et hac ratione necessarium dicitur. *L. 2. tit. 11. p. 3.* Nec Judex ipse post

illud

illud delatum remittere valet. *L.* 3. *C. de Reb. credit.* nisi detulerit personæ deferri prohibitæ. *L.* 14. *ff. de Re judic.* Ex justa tamen causa, arbitrio Judicis æstimanda, potest etiam juramentum necessarium à parte recusari. *C. fin. h. t. l.* 2. *tit.* 11. *p.* 3. Qui verò sine justa causa illud recusat, à causa cadit, & contra eum pronuntiat Judex: quia præsumitur solum ex metu perjurij recusatum. *L.* 2. *tit.* 11. *p.* 3. post juramentum ergo præstitum, cum per ipsum sit completa probatio, Judex fert sententiam pro eo, qui juravit: Adversarius tamen potest, à tali sententia appellare: imò si nova instrumenta reperiantur ab actore, vel reo (secus dicendum est de testibus ob subornationis periculum) idem Judex potest suam sententiam rescindere, & retractare. *L.* 31. *ff. h. t. l.* 15. *l.* 25. *tit.* 11. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lopez*: quippè tunc jam cessat inopia probationum, ob quam juramentum fuit delatum. Et in hoc differt juramentum necessarium à voluntario, & judiciali: quia cum hæc à consensu partium proveniant, habent rationem conventionis, & transactionis, & non retractatur sententia prætextu novæ probationis inventæ. *L.* 25. *tit.* 11. *p.* 3. Et quod semel placuit amplius displicere non potest. *C.* 21. *c.* 33. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 5. *C. de O. & A.* præcipuè accedente juramenti religione. *Arg. C.* 28. *h. t.*

211 Juramentum *judiciale*, quod est ultima species decidendi controversias, est quod pars parti defert in judicio, & Judice approbante, & ideò dicitur judiciale. Daturque ea lege, ut jurans absque ulteriori processu obtineat victoriam, & Judex cogit eum, cui defertur vel jurare, vel juramentum referre alteri parti, vel solvere. *L.* 34. §. 6. *ff. h. t.* quin possit recusare omnino juramentum, sed illud acceptare, vel referre tenetur. *L.* 2. *tit.* 11. *p.* 3. in quo præcipuè differt a voluntario. Et non solum actor reo, sed etiam reus actori potest hoc juramentum deferre. *L.* 12. *C. de Rebus credit. L.* 3. *tit.* 11. *p.* 3. Et quidem in omni causa judiciali deferri valet hoc juramentum. *L.* 3. §. 1. *ff. h. t.* & similitèr potest referri, nisi referatur in facto alieno respectu deferentis: Nam tunc non potest ipsi referri, ne periculo perjurij objiciatur. *L.* 11. §. 2. *ff. de Action. rer. amot.* alias causas jam supra excepimus. Hoc juramentum etiam potest deferre Procurator, si habeat speciale mandatum, vel generale *cum libera potestate*, vel si datus sit in rem suam: secus est extra hoc casus. *L.* 4. *tit.* 11. *p.* 3. Non tamen potest hoc juramentum deferre, nec illud acceptare, si deferatur, minor 25. annis, nec prodigus, nec fatuus, nec servus, nec filius familias, nisi de mandato, & licentia eorum, sub quorum potestate constituti sunt: quod si alitèr factum sit, sententia lata in eorum præjudicium non valet: Nec patri nocet, si filius super peculio patris deferat alteri juramentum, nisi habeat liberam peculij administrationem tam in judicio, quam extra. *L.* 3. *tit.* 11. *p.* 3. sed si alicui ex prædictis defertur, valet quod jurat ad commodum suum, vel patris, vel Domini. *L.* 3. *l.* 7. *tit.* 11. *p.* 3. Et generalitèr, actorem etiamsi omni præsumptione in sui favorem sit destitutus, posse juramentum reo deferre; & hunc teneri illud præstare vel referre, vel solvere, tenet *Jason ex L.* 38. *ff. h. t. cum alijs.* Dicendum tamen est, quod solum quando actor habeat pro se præsumptionem non levem, potest deferre juramentum reo, & Judex eum cogere præstare juramentum, vel referre, vel solvere. *C. fin.* §. *Sanè, h. t.* ubi nec Judici permittitur reo juramentum deferre, quando non adest saltem præsumptio contra illum, ac per consequens, nec juramentum ab actore delatum, utporè sufficienti causa destitutum, potest approbare. Siquidem actore non probante, reus, & si nihil præstiterit, absolvendus est: ac proindè, & si non juraverit. *L.* 4. *C. de Edendo. C. fin.* §. *Sanè, h. t.* Et si reus jurare teneretur, etiam actore nihil probante, vel nulla præsumptione in sui favorem instructo, hoc novo onere gravaretur: nec ipsi esset securum actori juramentum referre: nam si hic injustè litem movit, nec pejerare timebit spe victoriæ inductus.

212 Hoc quidem juramentum postquam delatum est, & ab altero acceptatum non potest à deferente revocari: Nam *quod semel placuit, amplius displicere non potest. C.* 21. *c.* 33. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 5. *C. de O. & A.* At verò si nondum sit à parte contraria acceptatum, potest ipse deferens juramentum libere illud revocare. *L.* 8. *tit.* 11. *p.* 3. Ille autem, cui hujusmodi juramentum delatum est cogitur alternativè vel jurare, vel deferenti referre. *C. fin. h. t.* Is verò cui relatum est, jurare cogitur. *L.* 34. §. 7. *ff. h. t.* Non tamen potest iterum referre: nec enim debet recusare Legem quam ipse tulit. *L.* 2. *l.* 8. *tit.* 11. *p.* 3. Si verò is, cui delatum est, illud simplicitèr sine legitima causa recusset, si est actor à judicio repellitur, si est reus habetur pro confesso, & ut talis ad satis-

satisfaciendum actori condemnatur. *L.* 34. §. *fin. ff. h. t.* *L.* 8. *tit.* 11. *p.* 3. nisi illum, cui defertur, justa causa excuset, cur, non debeat jurare: Scilicèt, si deferenti, vel ob incompetentiam fori, vel alia de causa actio non competat. *L.* 35. §. *fin. ff. h. t.* vel si deferens antea detulit, & revocavit. *L.* 11. *C. de Rebus credit.* Nec enim is, qui semel revocavit potest iterum juramentum deferre. *L.* 8. *tit.* 11. *p.* 3. Vel si is, cui defertur, habet suam intentionem plenè probatam: Siquidem solum datur locus juramento, alijs legitimis probationibus deficientibus. *C.* 2. *de Probat.* *L.* 5. *tit.* 11. *p.* 3. Vel si alicui super facto ipsi ignoto deferatur. *L.* 4. *ff. de in litem jurand.* Vel si deferens nolit de calumnia jurare ad petitionem adversarij. *L.* 34. §. 4. *ff. h. t.* Vel si Judici videatur, aliquem, cui delatum est juramentum, non cogere ut juret. *C. fin.* §. *Sanè*, *h. t.* Qui tamen semel recusavit jurare non admittitur postèà ad jurandum sine partis consensu. *L.* 8. *tit.* 11. *p.* 3. Præstito igitur à parte juramento, resultat ex eo actio, & exceptio, ipsiusque præstatio habetur pro probatione. *L.* 5. §. 2. *ff. h. t.* Et tandem sequitur sententia condemnatoria, vel absolutoria, quæ conformis erit juramento. *L.* 34. §. *fin. ff. h. t.* quæ adeò firma est, ut non retractetur, etiamsi postea aliqua instrumenta reperiantur. *L.* 25. *tit.* 11. *p.* 3. nisi hoc specialitèr à Lege, vel partibus excipiatur: nec à tali sententia appellatur. *L.* 12. §. 3. *C. de Rebus credit.* Et licet attento juris rigore non retractetur sententia; etiam detecto perjurio. *L.* 1. *C. de Rebus credit.* attamen æquitate attenta potest utique perjurio detecto sententia revocari.

213 Ultra prædictas species juramenti assertorij datur alia, quæ dicitur *juramentum in litem, & est illud, quo lis, seu res, de qua in judicio agitur, æstimatur.* *L.* 1. *ff. de in litem jurand.* Et ideò solet appellari æstimatorium litis, & solum Judicis authoritate interveniente potest deferri. *L.* 5. *tit.* 11. *p.* 3. Hoc quidem juramentum triplex est scilicèt *vera æstimationis, seu veritatis, juramentum affectionis, & juramentum super interesse singulari, seu extra rem.* Juramentum ergo in litem potest deferri actori, qui Dominus litis sit, & eam suo nomine sit contestatus. *L.* 7. *ff. de in litem jur.* & ejus hæredi, si Dominus litis est mortuus, quando jam erat paratus ad juramentum præstandum: Nam tunc hæres loco defuncti jurare censetur: imò hæres potest jurare, quotiescumque de negotio est sufficientèr instructus. Etiam defertur Tutori, Curatori, & Procuratori, si habeat speciale ad hoc mandatum. In rebus pupilli, minoris, & ejus cujus mandatum habent, quia licet prædicti non sint Domini litis loco Dominorum habentur. *L.* 27. *ff. de Administrat. tutor.* Etiam minori defertur, nam Dominus litis est: non tamen pupillo, etiamsi Dominus litis sit: quia minor licet requirat in lite Curatoris assistentiam, tamen litem suo nomine contestari videtur: pupillus verò non alitèr agit, nec convenitur in lite, quam Tutore auctore, ita ut non tàm ipse, quàm Tutor litem contestari videatur. Matri tamen pro filio non defertur, quia non est Domina litis. *L.* 4. *ff. de in litem jur.* *L.* 7. *tit.* 11. *p.* 3. *Juramentum igitur veritatis* defertur à Judice, & etiam a reo actori Domino litis, quando reus jam rem nequit restituere ad cognoscendum verum valorem intrinsecum rei amissæ per vim, vel dolum alterius. *C. fin. de His, quæ vi.* Independentèr ab extrinseca affectione, lucro, damno, & interesse, quod actor potuisset habere, vel quo caret. Actor etenim coram Judice designat res sibi ablatas, & pretium illarum: tunc Judex eas taxat, vel juxta pretium assignatum, vel illud moderando: tunc jurat actor, quod non minus perdiderit, & reus condemnatur illud solvere, nisi ostendat, rem minus valuisse, & tunc Judex debet minuere summam juratam: quod si reus credat Judicis taxationem iniquam esse, ab ea appellat: Sed ultra taxationem non jurat. Et quidem hoc juramentum defertur in omnibus omninò actionibus, sive proveniunt ex delicto, vel ex contractu. Et etiam, si contractus sit stricti juris, vel bonæ fidei. *L.* 5. *ff. de in litem jurand.* ut tamen deferatur requiritur. 1. Quod aliundè non possit constare, quanti æstimanda sit res: Nam solum ad hoc præstatur, ac proindè si aliundè de verò valore rei constet, cum juramentum non sit necessarium consequentèr præstandum non est. *L.* 5. §. *fin. ff. de in litem jur.* *L.* 5. *tit.* 11. *p.* 3. 2. Requiritur, quod res non possit præstari, nec restitui ex culpa saltem levi debitoris. 3. Quod fiat æstimatio relatè ad tempus, non obligationis contractæ, sed solutionis faciendæ: Sed si mora intercessit, à tempore moræ fit computatio. *Arg.* *L.* 31. *ff. de Rebus credit.*

214 *Juramentum affectionis* est, quod defertur ad cognoscendam rei æstimationem, non secundum communem valorem,

sed

sed secundum privatam affectionem, & utilitatem Domini: actor enim coram Judice rem sibi ablatam designat, & sub juramento dicit pretium, quo rem æstimat secundum suam affectionem,& Judex reum condemnat in summam juratam. Quod si exorbitans sit, Judex eam moderari valet. *L.* 4. §. 2. *ff. de in litem jur.* v.g. si quis habeat librum, instrumentum Musicum, vel Mathematicum, equum, avem, vel quid simile, quod tantum duobus argenteis, secundum intrinsecum valorem æstimatur, sed Dominus illud viginti argenteis æstimat, quia ea res sibi valdè utilis, vel necessaria, vel jucunda est. In nostra tamen Hispania prius debet Judex taxare rem, quam præstetur juramentum, licet de Jure Communi utrumque admittatur. Nec potest res taxari ultra duplum interesse communis, & juramento sic facto, & declarato Judex proferr sententiam secundum æstimationem, & declarationem jurantis. *L.* 5. *tit.* 11. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lopez.* Et sanè cum hoc juramentum in pœnam doli, & contumaciæ deferatur, solus Judex, qui habet potestatem puniendi, illud deferre valet: quod si Judex non deferat, erit nullum juramentum, si forrè præstetur. *L.* 4. §. 1. *ff. de in litem jur.* Et quidem ex officio illud tenetur præstare; quando res post contumaciam debitoris in restituendo, amplius non extat, quod si post talem contumaciam res adhuc extet; in arbitrio Judicis est, vel juramentum deferre actori, vel rem manu militari à reo eripere. *L.* 4. *l.* 5. *ff. de in litem jur.* solumque defertur in actionibus in rem. *L.* 5. *ff. de in lit. jur.* & in actionibus ad exhibendum, de dolo, quod metus causa, interdicto quod vi, aut clam, & in actionibus bonæ fidei directis, non tamen in contrarijs. *L.* 5. *ff. Deposit.* In his namque non agitur de dolo, sed tantum de indemnitate actionem intentantis. Nec habet locum in actionibus stricti juris. *L.* 5. *ff. de in litem jur.* Hoc itidem juramentum defertur contra eum, qui rem restituere condemnatus ob dolum, vel non restituit, vel non exhibet, vel dolo fecit, quominùs restituere possit: si verò lata culpa fecit, ut rem ampliùs non possit restituere, cum hæc dolo æquipareretur, potest contra ipsum deferri. *L.* 2. *C. de in litem jur.* Neque *L.* 4. §. *fin. Et L.* 5. §. 3. *ff. de in litem jurand.* contrarium probant: nam culpa, de qua ibi, intelligitur de levi. Etiam defertur hoc juramentum contra defuncti hæredem, etsi hic dolum non commisisset, si lis cum defuncto jam erat contestata: quia tunc est prosecutio actionis jam cum defuncto cœptæ: secus est, si lis nondum erat cum defuncto contestata. Nam tunc nequit hæredi nocere dolus defuncti ante actionem cœptam. Et à fortiori non habet locum hoc juramentum contra tertium possessorem, si ipse dolo careat in destructione, vel amissione rei: quia cum finis hujus juramenti sit dolum, & contumaciam rei punire, quoties hæc ratio cessat, cessat & juramentum, & tantum æstimatur verum rei interesse, non tamen interesse affectionis. *L.* 2. *ff. de in litem jurand.* Denique *juramentum super interesse singulari, seu extra rem* defertur à Judice, vel eo præsente, à reo ad cognoscendum, non valorem intrinsecum rei, nec specialem affectionem erga illam, quia non agitur de hoc, sed ad cognoscendum damnum Domino secutum ex ablatione rei, vel ex alia injusta detentione. V. g. Titius, qui habebat depositam pecuniam apud Sejum passus est grave damnum, ex eo quod tempore debito sua pecunia non sit restituta a Sejo, siquidem ob ejus defectum majus pretium præstitit pro re, quam emit, quam præstaret, si suo tempore esset pecunia restituta: hoc ergo damnum à Sejo petit. *L.* 3. *ff. de in lit. jurand.* Judex taxat interesse, & Titius jurat tanti valere: & non antea jurat, saltem de Jure Hispano. *L.* 5. *tit.* 11. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop.* V. *Poner*, ubi notat, quod de Jure Communi potest fieri taxatio, vel ante, vel post juramentum.

215 Ad juramentum promissorium, quo scilicèt, promissio in futurum firmatur, gradum faciamus. Hoc igitur juramentum parit obligationem personalem Religionis, quæ solum jurantem afficit: sicut enim nemo jurat, nisi suo consensu, ita nemo sine suo consensu juramento obligatur: ac deindè quatenùs promissorium est, producit obligationem justitiæ, saltem quando promissio est à promissario acceptata: ac proindè successores in aliqua Communitate, Civitate, vel Collegio, si fortè talis Communitas aliquod juramentum, ut potest, præstitit. *C.* 25. *de Prabend.* non tenentur ex vi juramenti a suis antecessoribus facti, illud, quod juratum est, adimplere: tenentur tamen obligatione justitiæ, vel fidelitatis ex vi promissionis, vel contractus, quæ ad successores, & hæredes, etiam nulla ipsorum facta mentione transit, & descendit. *L.* 13. *C. de Contrah. stipulat.* Et hac ratione hæredes, Reges, Episcopi, Canonici, Decurio-

riones, Doctores, Collegæ, & cæteri particulares Communitatum, Civitatum, Universitatum, & Collegiorum tenentur antecessorem juramenta servare, non quidem quatenùs sunt juramenta, sed quatenùs sunt pacta licita, & valida in vi consuetudinis justæ, Legis, vel alio simili modo, ut ait *Suar. de Juram. lib. 2. cap.31. n. 13.* Et minor pars Communitatis juramentum à majori parte factum servare tenetur: imò & ad jurandum potest cogi, quia tenetur se majori parti conformare, ac sequi ejus suffragia, & conventionem. *D.Thom.2.2.q.98.art.2.ad 4.*ibi: *Dicendum, quod quia juramentum est actio personalis, ille, qui de novo fit civis alicujusCivitatis non obligatur quasi juramento ad servanda illa, quæ Civitas se servaturam juravit. Tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, ut sicut fit socius bonorum Civitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Canonicus verò, qui jurat, se servaturum statuta edita in aliquo Collegio, non tenetur ex juramento ad servandum futura, nisi intenderit se obligare ad omnia statuta præterita, & futura: tenetur tamen ea servare ex ipsa vi statutorum, quæ habent coactivam virtutem.* Latius *Suar. de Juram. lib.2. cap. 31. ex n. 9.* Si verò juramentum non servatur à majori parte Civitatis, vel Communitatis non videntur alij teneri, nec pro tali casu censentur se voluisse obligare. *Sà. V. Juramentum, n. 25.* Ille equidem, qui jurat statuta Civitatis, Universitatis, vel Collegij, Confraternitatis, vel alterius Communitatis solum tenetur, etiam vi juramenti ea servare eo modo, quo ipsa statuta obligant, ita, ut si statuta solum ad pœnam obligent, solum ad pœnam obliget juramentum: si statuta ad culpam gravem, vel levem obligent, ad eandem obliget juramentum. *Cl. 1. de V. S.* Nam hoc interpretatur juxta naturam actus, cui accedit. *L. fin. C. de Non numer. pecun. Et ibid. Gotbofr. C. 25. h. t.* Et hoc solum modo obligantur Doctores, & Academici, quando aliquid ipsis injungitur à Rectore sub pœna *præstiti juramenti. Mendo de Jure Academico, lib. 2. q. 13. ex n. 110. Sanch. in Decal. lib. 3. cap. 14. n.2.* At verò ille, qui juravit aliquid facere, & in quo est radicata personalis obligatio juramenti, vi illius tenetur hæredibus, & successoribus ejus, cui juratum est. *C. 14. h. t. l. 9. ff. de Probation. Suar. de Juram. lib. 2. cap. 31. n. 14.* Hinc, qui obedientiam, vel fidelitatem juravit alicui in officio, vel dignitate constituto, non solum sub nomine appellativo dignitatis, vel officij, sed expresso nomine personæ tenetur fidelitatem, & obedientiam præstare omnibus successoribus in dignitate, vel officio, etiamsi antecessor vivat, si resignavit, vel à dignitate, vel officio fuit remotus. *C. 34. in fin. de Elect.* siquidem juramentum potius fit ratione dignitatis, quæ nunquam moritur, quam personæ: ac proindè ad succedentes in eam transit. *C. 5. de Rescript. in 6.* Nec est necesse juramentum apud successorem renovare: de novo tamen sæpè præstatur ob majorem firmitatem, securitatem, & solemnitatem. Etiam per Procuratorem potest quis facere juramentum, & per ipsum obligari, sicut potest per se jurare, & obligari. *C.68. de Reg. jur. in 6.* ibi: *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* Sicut potest quis per Procuratorem matrimonium contrahere. *C. fin. de Procurat. in 6.* At verò ut Procurator possit nomine alterius juramentum præstare debet esse instructus speciali mandato, nec enim sufficit generale mandatum. *C. 4. D. 100. C.3. de Juram. calumn. in 6.* Imò & aliquando, nec speciale mandatum sufficit: quando scilicèt jus exigit, quod in persona propria fiat, quale est juramentum, quod testes præstant in judicio de dicenda veritate. *Suar. de Juram. lib. 2. cap. 31. ex n. 3.*

216 Juramentum, quantumvis absolutum appareat, quoad corticem verborum, regulariter in se inbibit has conditiones. 1. si res in eodem statu permanserit. *C. 14. 22. q. 2. l. 38. ff. de Solution.* hoc est, nisi talis mutatio fiat, ut non sit verisimile, jurantem se obligare pro tali casu voluisse. Nec enim tenetur quis juramento; quando notabilis mutatio rei contingit. *L. 38. ff. de Solution.* ibi: *Cum quis sibi, aut Titio dari stipulatus est, magis esse ait, ut ita demum rectè Titio solvi dicendum sit, si in eodem statu maneat, quo fuit, cum stipulatio interponeretur.* Sic sponsalia etiam jurata non tenent, si fornicetur sponsa, vel notabilitèr deformis efficiatur. *C. 25. h. t.* vel si qui ea juravit velit ingredi Religionem: nam solum promissa, & jurata censentur sub hac tacita conditione. *C.2. c.7. de Convers. conjugat.* 2. conditio in juramento implicita est, *si alter servet fidem.* fides enim non debetur frangenti fidem. *C. 3. c. 29. §. 1. h. t. l.21. C. de Pactis, l.28. tit. 11. p.3.* ibi: *Sin todo esto decimos, aunque qualquier que ponga pleyto con otro por jura, que si aquel con quien lo puso lo quebrantare primero, que es escusado de no caer en perjuro, maguer*

non

non la guarde. Cà non es derecho que sea guardado pleyto, nin jura aquel que primeramente lo quebrantò. Hoc quippe videtur ad propriam defensionem pertinere, quasi vim vi repellendo, ut quidam Poeta considerabat: *Judice me, fraus est concessa repellere fraudem, armaque in armatos sumere jura sinunt.* 3. conditio inclusa est: si Superiori, vel tertio non sequatur aliquod præjudicium, seu salvo illorum jure, vel nisi Superiori dispenset. *C.* 19. *h. t. arg. C.* 5. *de Voto, & vot. L.* 27. *tit.* 11. *p.* 3. 4. si is, cui juratum est non remittat juramentum. *C.* 2. *de Sponsal. L.* 27. *tit.* 11. *p.* 3. quia quilibet potest pro suo arbitrio, & sine causa suo juri renuntiare. *L.* 29. *C. de Pactis.* Denique, & præcipuè semper in juramento sub intelligitur: *Si potuero* non solum potentia facti, cum impossibilium nulla sit obligatio. *L.* 185. *ff. de Reg. jur. C.* 6. *eod. in* 6. *l.* 27. *tit.* 11. *p.* 3. sed etiam potentia juris, seu morali, hoc est, quod licitè, & de jure fieri possit. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 98. *art.* 2. *ad* 1. ibi: *Ille, qui jurat, se facturum aliquid illicitum jurando incurrit perjurium propter defectum justitiæ: sed si non impleat, quod juravit in hoc perjurium non incurrit, quia hoc non erat tale quid, quod sub juramento cadere posset.* Et merito quidem: nam non est obligatorium juramentum contra bonos mores præstitum. *C.* 58. *de Reg. jur. in* 6. Sic igitur impossibile censetur, quod Jure Naturali, Divino, Canonico, vel etiam Civili est prohibitum, vel si quomodocumque vergat in salutis æternæ dispendium. *C.* 28. *h. t. L.* 27. *tit.* 11. *p.* 3. Sicque nullius roboris est juramentum de homicidio faciendo, vel juramentum cedens in dedecus Principis, vel Patriæ, & præcipuè in detrimentum animæ. *C.* 5. 22. *q.* 4. *L.* 11. *tit.* 11. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop.* vel si cedat in præjudicium boni publici: ut si invitet ad liberius delinquendum, v. g. si promittatur impunitas criminibus. *C.* 35. *de Sentent. excom. L.* 51. §. *fin. ff. ad Leg. Aquil.* vel si maritus uxori juravit, quod non sit illam accusaturus de adulterio, vel alio crimine. *C.* 25. §. *Illud, h. t.* vel si Religiosus jurat, se non permansurum in Monasterio suæ professionis. *C.* 13. *h. t.* vel si filius juret, se non exhibere reverentiam, vel subsidia vitæ necessaria parentibus in necessitate constitutis. *C.* 12. §. *Illi, h. t.* vel si juret Prælatus, se non repetiturum res suæ Ecclesiæ injustè ablatas. *C.* 2. *h. t.* Si vero Prælatus proprijs rebus spoliatus metu jurasset, eas non repetiturum, juramentum servare tenetur. *C.* 8. *h. t.* Nec valet juramentum, quo Vassallus jurat fidelitatem, & obedientiam sui Principis hosti. *C.* 22. *h. t.* quia, utpotè illicitum non obligat: & debet suo Principi obedientiam, & fidelitatem servare. Sic cum aliquis jurat, se facturum voluntatem alterius, intelligenda est debita conditio: si scilicet, id, quod ei mandatur, licitum sit, & honestum, & portabile, sive moderatum: In his, & similibus casibus juramentum factum non valet, ac consequenter non obligat, quippè juramentum, quod est inductum, ut sit vinculum religionis firmissimum, non debet ex hominum malitia vinculum fieri iniquitatis. *C.* 18. *h. t. L.* 27. *tit.* 11. *p.* 3. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 98. *art.* 2. Latè *Suar. de Juram. lib.* 2. *cap.* 34.

217 Similiter juramentum Principis de conservanda moneta, quam scit in legitimo pondere defectum habere, utpotè illicitum non est servandum. Si verò cum juravit nesciebat, monetam esse fallam, vel vitiatam servare debet juramentum eo modo, quo possit, scilicet, substituendo aliam monetam legitimam, vel aliud æquivalens. *C.* 18. *h. t.* Similiter juramentum Regis de non repetendis bonis, & juribus ad coronam pertinentibus non valet: nec item valet alienatio, etiam jurata talium bonorum, cum cedat in detrimentum, & diminutionem Regni. Et idem est de Prælato Ecclesiastico dicendum, si alienet, etiam cum juramento de non repetendo, bona suæ Ecclesiæ. *C.* 33. *h. t. L.* 28. *tit.* 11. *p.* 3. Item juramentum Patronis factum de pensione antiqua augenda non obligat. *C.* 11. *h. t.* quia licet Patronus, quando aliquam Ecclesiam ædificat, reservare possit aliquam pensionem sibi solvendam cum consensu Episcopi. *C.* 23. *de Jure Patron.* posteà tamen nihil exigere potest ab Ecclesia, nec augere pensionem. *C.* 7. *de Censib.* Præterea juramentum, quo Prælatus juravit servare aliqua quæ cedunt in præjudicium Prælaturæ, aut dignitatis non obligat. *C.* 27. *h. t.* Nec item obligat juramentum de re aliqua sub secreto sibi commissa non revelanda, si legitimè à Judice interrogetur, quando in testem producitur: Nam in juramento intelligitur Jus Superioris exceptum. *C.* 19. *h. t.* Nec valet juramentum factum à conjugibus de non petendo sibi ad invicem, nec reddendo debito, si non amore pietatis, & continentiæ sed potius ex odio, aut vindicta oriatur. *C.* 24. *h. t.* Si verò juramentum est impeditivum majoris boni, & tamen in favorem tertij factum

tum sit, v. g. Juramentum dandi centum aureos alicui diviti, cum absolutè possit sine peccato servari servandum est, etiamsi per accidens majus bonum impediatur. *C. 28. h. t. C. 2. eod. in 6.* Si vero tale juramentum ad honorem, & cultum Dei factum sit, cum sit species voti, quod est de meliori bono non obligat: ac proindè post juramentum de matrimonio contrahendo, potest quis religionem ingredi, vel castitatem servare. *Arg. C. 2. c. 7. de Convers. conjugat.* Nam ut dicitur in *C. 3. h. t. Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat. D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2.* An verò idem sit, quoad commutationem de juramento homini facto dissentiunt DD. Dicendum tamen est, quod juramentum promissorium cadens in promissionem factam homini, si potest honestè impleri, obligat omninò ad sui observationem, nec potest in melius mutari cum nocumento creditoris, & ipso invito, nisi in his, quæ ad statum perfectionis pertinent: siquidem promissio homini facta obligat in conscientia, ita ut sit contra justitiam, vel fidelitatem illam non implere, si impleri valeat. Nec potest quis excusari in conscientia ab observatione obligationis contractæ prætextu commutandi rem promissam in opus magis pium: ac proindè, qui promisit dare centum aureos alicui diviti, non potest illam promissionem juratam non adimplere prætextu dandi illos aureos in eleemosynam, licet hoc opus secundum se spectatum fortasse esset melius, & gratius Deo quam illa liberalis donatio. Et sic de alijs. *Ita Suar. de Juram. lib. 2. cap. 12.* ubi plura affert, & objectionibus contrarijs satisfacit. Et cum hac limitatione potest intelligi. *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2.* licet ibi paulò generalius loquatur. Et hoc similitèr modo est intelligenda generalis locutio, *Text. in C. 3. h. t.*

218 Juramentum etenim quod non vergit in dispendium salutis æternæ, nec in tertij præjudicium omninò servandum est. *C. 28. h. t. C. 2. eod. in 6. L. 5. ff. h. t. D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. in Corp.* ibi: *Respondeo dicendum, quod obligatio refertur ad aliquid, quod est faciendum, vel dimittendum: unde non videtur respicere juramentum assertorium, quod est de præsenti, vel præterito ::: Sicut autem juramentum, quod est de præterito, vel præsenti debet habere veritatem, ita etiam, & juramentum de his, quæ sunt fienda à nobis in futurum. Et ideò utrumque juramentum habet quandam obligationem, diversimodè tamen: quia in juramento quod est de præterito, vel præsenti obligatio est non respectu rei, quæ jam fuit, vel est, sed respectu ipsius actus jurandi, ut scilicèt juret id quod jam verum est, vel fuit. Sed in juramento, quod præstatur de his, quæ sunt fienda à nobis obligatio cadit, è contra super rem, quam aliquis juramento firmavit: tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id, quod juravit: alioquin deest veritas juramento ::: Si verò sit quidem possibile fieri, sed fieri non debeat, vel quia est per se malum, vel quia est boni impeditivum, tunc juramento deest justitia: & ideò juramentum non est servandum in eo casu, quo est peccatum, vel boni impeditivum.* Juramenti equidem religio apud omnium hominum sectas obligat. *L. 5. §. 1. ff. h. t.* ibi: *Divus Pius jure jurando quod propria superstitione juratum est, standum rescripsit.* Et notat *ibidem Gothofr.* Nec enim aliud vinculum ita efficax inter homines invenitur ad eos adstringendos, ut fidem promissam servent: adeò, ut, & ipsi Dij Gentilitatis hoc vinculo ligari crederentur, ut ponderat Poeta loquendo de Phœbo, qui sic Phaetonti respondit: *Utinam promissa liceret, non dare! Confiteor, solum hoc tibi, nate negarem.* Et posteà: *Ne dubita, dabitur (stygias juravimus undas) quodcumque optaris.* Hinc est, quod valet, & obligat juramentum sine sufficienti causa utilitatis, vel necessitatis factum: sufficit enim, ut oriatur obligatio, quod possit sine peccato adimpleri à jurante, adeò ut etiamsi metu, injuria, dolo, vel errore versante circa qualitatem sit extortum adhuc validum sit; & consequentèr servandum. *C. 1. c. 6. c. 8. c. 15. h. t.* Siquidem juramentum adhuc metu dolo, vel injuria extortum est simplicitèr voluntarium, quamvis sit involuntarium secundum quid; ac proindè est verum juramentum, & consequentèr producit obligationem, quæ naturalitèr ex juramento valido oritur, nec metus, nec injuria, nec dolus faciunt quod aliquid substantiale desit juramento ad ejus valorem, nisi fortè dolus, vel error versetur circa substantiam rei juratæ: Nam tunc non tenet tale juramentum eo quod talis dolus, vel error consensum tollat, sine quo nequit juramentum subsistere. *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3:* ibi: *In juramento, quod quis coactus facit duplex est obligatio: una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur: alia autem est obliga-*

tio,

tio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit. Et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ: quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare: potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel Prælato denuntiare, non obstante, quod contrarium juravit: quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum: esset enim contra justitiam publicam: Romani autem Pontifices ab hujusmodi juramentis homines absolverunt, non quasi decernentes hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi hujusmodi obligationes ex justa causa relaxantes. Latissime *Suar. de Juram. lib. 2. cap. 9. cap. 10. cap. 11.* Hac ergo ratione valet juramentum, quo filia, accepta dote, jurat, quod non petet alia bona paterna. *C. 2. de Pact. in 6.* Similitèr valet juramentum, quo mulier jurat, se non revocaturam alienationem rei dotalis. *C. 28. h. t. C. 2. eod. in 6.* Idem est de juramento, quo quis juravit solvere usuras mutuanti. *C. 6. h. t.* Hoc enim juramentum servandum est: quia licet ex parte recipientis usuras turpe sit, non tamen ex parte jurantis: quippè eas solvere non est illicitum nec eas solvens cooperatur recipientis peccato, quia mutuum poterat absque usuris mutuans præstare, & qui mutuum petit, ex justa causa, & necessitate illud recipiendi excusatur. Sed cum usuræ fuerint solutæ, creditores, qui eas receperunt, ad eas restituendas sunt Ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, compellendi, debitorque illas solvens potest repetere. *C. 6. h. t.* Nam cum tantum ex parte creditoris detur turpitudo, locus est repetitioni ex parte debitoris. *L. 1. §. fin. ff. de Condit. ob turp. caus.*

219 Ex hucusque dictis quasi manu ducimur ad illam percelebrem quæstionem varijs Doctorum placitis, quasi ventis oppositis undique agitatam: an scilicèt juramentum confirmet contractum, Jure Positivo invalidum, cui accedit? In sensu quippè quæstionis non est confirmare contractum illum firmare, vel roborare quomodocunque: Nam hoc absdubio quodlibet juramentum facit, dum facit, illum contractum servare vi, & obligatione religionis ex juramento orta: Tunc igitur juramentum in sensu controversiæ contractum confirmat; quando contractus ex se nullam producit actionem, & accedente juramento, non solum producit obligationem religionis, quæ est juramenti propria, & quam producit omne juramentum validum; sed insuper talis contractus producit obligationem justitiæ, qua contrahens obligatur adimplere promissa. Uno verbo: an contractus, qui erat quasi mortuus, accedente juramento ita reviviscat quoad effectum, ut producat obligationem propriam contractus, ultra obligationem religionis, quam ex se producit juramentum? Pro cujus intelligentia, quadruplicitèr potest considerari juramentum accedens contractui. 1. Respectu contractus, vel actus Jure Naturali invalidi: vel qui talis sit, ut sit illicitus, vel turpis, etiam Jure Civili, quia contra bonum commune est, vel quia cedat in tertij præjudicium: Et tunc juramentum nullius roboris est, utpotè de re illicita, ac proinde non obligat, quia non debet esse vinculum iniquitatis. *C. 18. h. t.* 2. Consideratur respectu contractus invalidi, vel saltem irritabilis de jure naturæ, ita tamen, ut non sit illicitus, nec cedat in præjudicium tertij. Et tunc valet juramentum, sed solum producit obligationem religionis erga Deum, ac proindè non confirmat contractum, nec parit obligationem civilem justitiæ in judicio. Benè enim stat, juramentum obligare, & non obligare pactum, vel contractum, cui adjicitur, ut patet in promissione solvendi usuras, quæ ex se non obligat promittentem; & juramentum tali promissioni accedens ipsum promittentem ad eas solvendas obligat. *C. 6. h. t.* Hanc nempè vim tribuit juramentum, manente pacto sine vi. 3. Consideratur respectu contractus omninò validi tàm Jurè Naturali, quàm Civili. Et tunc juramentum non confirmat contractum; quia independentèr à juramento habet contractus totam firmitatem civilem; quam potest habere, & obligationem justitiæ producit, quid ergo illi addet juramentum? Addit tamen ipsi contractui novam obligationem religionis juramenti propriam, distinctam, & independentem à contractus obligatione: & eo fine adjicitur, ut si contrahens nolit timore justitiæ, saltem timore perjurij adigatur, ut promissa adimpleat. 4. Consideratur juramentum respectu contractus, qui de Jure Positivo, sive Civili, sive Regio, sive Canonico est invalidus, & neque ex parte jurantis, nec illius, cui juratur, talis pactio turpitudinem contineat: nec in præjudicium boni publici, aut in damnum tertij cedat, licet sit in præjudicium jurantis, quia juri in sui favorem principalitèr introducto absdubio renuntiare valet, quamvis secundario tale jus bonum publicum respiciat: quia hoc omnibus Legibus est commune: Tunc enim jura-

juramentum confirmat contractum: hoc est, ex tali juramento, non solum nascitur obligatio Religionis propria juramenti validi, sed insuper obligatio justitiæ, qua potest agi in judicio, perinde ac si contractus esset omnino Jure Positivo validus: quam quidem independenter à juramento nullo modo produceret contractus, & eam præcisè producit per accessionem juramenti, quæ semel producta ita contractui adhæret, ut etiam si posteà relaxetur juramentum, maneat obligatio justitiæ, quæ quidem ad hæredes transit, sicut alia jura, & onera defuncti. Et relaxatio solum deserviet ad hoc, ut sine sacrilegio possit quis agere contra id, quod juraverat, tanquam si nullum præcessisset juramentum; non tamen deservit, ut possit quis contra jus alterius agere. Talis autem relaxatio solum posset à Pontifice fieri, & quidem tantum ex causa gravissima. Contractus ergo sic juramento instructus obligationem justitiæ producit, non quidem vi juramenti. Nam hoc ex se solum obligationem Religionis, non verò justitiæ producere valet: provenit igitur obligatio justitiæ ex dispositione Legum Latorum, qui in reverentiam juramenti concedunt contractui firmitatem, & obligationem, qua ex se caret, & solum per appositionem juramenti adquirit. Et licet valor, & firmitas contractus à juramento, modo explicato, inducatur, non tamen pendet ejus conservatio à juramento, imò durat obligatio, & firmitas contractus, etiamsi juramenti obligatio posteà cesset. Hanc sententiam de confirmatione contractuum defendunt *Glos. in cap. 2. de Pactis in 6. V. Servari. Covar. ibid. p. 2. §. 1. n. 17. Suar. de Juram. lib. 2. cap. 28. & 29. Sanch. in Decal. lib. 3. cap. 12. n. 5. & 11. Gonz. in C. 28. h. t. n. 11. & alij*, contra *Jason. Anton. de Butrio, & alios*, ita ut *Alciat. in C. 28. h. t.* dicat non constare, quænam istarum opinionum sit communior. Probatur tamen nostra concl. ex *Auth. Sacramenta puberum. C. Si adversus vendit.* ibi: *Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabilitèr custodiatur.* Et per hanc Legem est correcta. *L. 5. C. de Legib.* ut ibid. vult Perez: vel illa intelligitur de contractibus, qui cedunt in tertij præjudicium. *C. 28. h. t.* ibi: *Nos autem frat. tuæ talitèr respondemus: quod etsi mulierum consensus in talibus non videatur obligatorius secundum legitimas sanctiones, ne tali tamen prætextu viam contingat perjurijs aperiri, mulieres ipsæ servare debent hujusmodi juramenta* (de non revocanda alienatione rerum dotalium) *sine vi, & dolo spontè præstita, cum in alterius præjudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ.* Et ex ipsa exceptione à Pontifice apposita, *scilicet; sine vi, & dolo spontè præstita*: infertur, quod non solum intendit Pontifex, quod valeat juramentum quatenùs inducit obligationem Religionis, sed etiam ipse contractus quatenùs debeat actionem civilem justitiæ producere: quia juramentum per se valeret, quamvis contractus esset, metu extortus, produceretque obligationem Religionis. *C. 8. c. 15. h. t. l. fin. tit. 11. p. 3.* ergo de alia obligatione inducenda loquitur Pontifex, dum excipit, quod nec vi, nec dolo sit extortum juramentum: & hæc non est alia, quam obligatio justitiæ. Idem confirmatur ex *C. 2. h. t. in 6. C. 2. de Pactis in 6.* Et saltem de Jure nostro Hispano ita tenendum est. *L. 16. tit. 11. p. 3.* ibi: *En algunas razones ha la jura mayor poderio, que el juicio: è esto seria, como si alguno, que fuesse mayor de catorce años, è menor de veinte y cinco ficiesse alguna postura, ò pleyto, è jurasse, que non vernia contra ella, por razon que era de menor edad. Cà despues non la podria desatar, maguer mostrasse, que era fecha à daño, ò à menoscabo de sì.* Et expressiùs hoc deciditur in *L. 12. tit. 1. lib. 4. R. C.* ibi: *Y assimismo, nuestra voluntad no fuè de quitar el juramento en los contratos, que para su validacion se requeria.* Juramento ergo confirmantur contractus, qui alias de Jure Civili sunt invalidi: ut contractus à minori sine Curatoris authoritate celebratus. *Auth. Sacramenta puberum. C. Si advers. vendit.* alienatio fundi dotalis, in quam consensit mulier. *C. 28. h. t. C. 2. eod. in 6.* pactum à filia patri factum, quòd dote contenta nullum prætendet ad bona paterna recursum. *C. 2. de Pact. in 6.* donatio excedens 500. solidos sine insinuatione facta. Donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum: mutuatio filio familias facta cum ipsius renuntiatione S. C. Macedon. fidejussio mulieris, quæ S. C. Vellejano renuntiavit: promissio certum hæredem instituendi, & non revocandi testamentum: pactum de non utendo exceptione non numeratæ pecuniæ: promissio de solvenda pœna adjecta sponsalibus contra resilientem, & alia plura, quæ latè examinantur à *Gutierr. de Juram. confirm.* à *P. Oñate, & alijs.*

220 Cum ergo juramentum tantam obtineat firmitatem, omninò servari oportet,

tet, nisi fortè ejus vinculum dissolvatur ab habente legitimam potestatem. *D. Thom. 2.2.q.89.art.9.in corp.* ibi: *Necessitas dispensationis, tàm in lege, quam in voto est propter hoc quod id, quod in se, vel universaliter consideratum est utile, & honestum, & secundum aliquem particularem eventum potest esse inhonestum, & nocivum, quod non potest cadere, nec sub lege, nec suo voto: quod autem aliquid sit inhonestum, vel nocivum repugnat his, quæ debent attendi in juramento: nam si sit inhonestum repugnat justitiæ; si sit nocivum repugnat judicio. Et ideò pari ratione etiam in juramento dispensari potest.* Et quidem juramentum Deo factum solum potest relaxari ab eo, qui in votis valet dispensare: juramentum tamen homini præstitum, quod non continet turpitudinem ex parte recipientis, nec enorme damnum, nec vi est extortum, solum potest à Romano Pontifice relaxari, si ille, cui juratum est, sit invitus, siquidem ipsi est jus adquisitum, quod certè sine injuria illi nequit auferri, nisi ob causam gravissimam, ob bonum publicum, & commune, & solum à Supremo in spiritualibus Principe. *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad* 3. Vel etiam aliquando ab Ordinario, si causa gravissima urgeat, & periculum sit in mora. *Suar. de Juram. lib. 2. cap.* 41. Si vero ex parte recipientis contineat juramentum turpitudinem, quia v.g. sit extortum per dolum, aut metum injustè incussum: vel si non potest servari sine enormi læsione, & gravissimo jurantis damno: quamvis tale juramentum ex se validum sit. *C.* 8. *e.*15. *h. t. l. fin. tit.* 11. *p.* 3. Tamen potest Episcopus, & alij quasi Episcopalem jurisdictionem habentes illud relaxare. *C.* 2. *de His, quæ vi. C.* 8. *h. t. C.* 2. *eod. in* 6. quia cum nullum jus per tale juramentum sit adquisitum tertio solum ob reverentiam Dei servatur, ac proindè Prælatus vices illius gerens relaxare potest tale juramentum. Et possunt similitèr prædicti in casu dubio declarare, an tale juramentum obliget. Vel qui juravit potest petere, ut cogatur remittere juramentum, qui illud turpitèr extorsit. Deindè, *in L.* 8. *tit.*7. *lib.* 8. *R.C.* statuitur, ut qui perdiderit in ludo etiam ex permissis, pecunia credita, non teneatur illam solvere: ibi: *Y si jugaren los dichos juegos à credito, ò fiado, mandamos à las nuestras Justicias, que no condenen, ni executen en tales personas, ni en sus bienes, ni de sus fiadores, lo que assi debieren de los dichos juegos à credito, ò fiado: y por la presente damos por ningunas qualesquier obligaciones, escrituras, ò promessas, que las tales personas* (quæcumque sint, & cujuslibet status, & conditionis) *cerca de ello hicieren.* Et quidem licet victus non teneatur victori solvere, quod ad creditum amisit, si tamen sciens, se non teneri, liberè, & voluntariè solvat, ille qui in ludo victor fuit potest pecuniam recipere, donec ab eo, qui solvit repetatur, & ita in praxi receptum esse testantur *Salmanticenses tract.* 14. *cap.* 4. *n.* 63. si verò ille, qui amisit juravit solvere. *Sanch. de Matrim. lib.* 1. *D.* 32. *n.* 25. sustinuit, quod non poterat ab Episcopo relaxationem juramenti obtinere: neque juramento satisfaciebat momentanea solutione, & posteà pecunias repetendo. Sed in *lib.* 3. *Decal. cap.* 21. *n.* 10. ait: satis probabilitèr dici posse, tale juramentum posse ab Episcopo relaxari, & illud impleri momentanea solutione: quod absolute tenent *Navarr. Gutierr. Acevcd. & alij apud Sanchez de Matrim. lib.* 1. *D.* 32. *n.* 24. Si verò quis per metum cogatur jurare ingredi Religionem, vel matrimonium contrahere: non est necessaria relaxatio: nam tale juramentum non valet; *arg. C.* 14. *de Sponsal. l. fin. tit.* 11. *p.*3.

221 Quando ad Episcopum pertinet relaxatio juramenti, si hæc petatur pro foro conscientiæ tantum, tunc relaxat Episcopus jurantis, qui quidem solus in foro interno habet jurisdictionem in eum. *Suar. de Juram. lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 10. Si pro foro externo petatur relaxatio juramenti in ordine ad effectum agendi, vel petendi recisionem juramenti, etiam ad Episcopum jurantis spectat, cum de vinculo conscientiæ agatur, quo jurans agere impeditur, nec est necesse citare eum, cui juratum est: quia non est grave præjudicium, quod ipsi sequitur. Si verò agatur de relaxando juramento ad effectum tollendi obligationem dandi, vel solvendi: quia agatur ad rescindendum contractum per dolum, vel metum injustè initum, petens, ut actor debet sequi forum illius, cui juratum est, quia ipse est reus. *C.* 8. *de Foro compet.* Siquidem tunc necesse est, citare adversarium ob grave damnum, & præjudicium, requiriturque causæ cognitio: ac proindè relaxatio debet fieri ab Episcopo ejus, cui juratum est, nisi hic se submittat, & proroget jurisdictionem Episcopi illius, qui juravit. Quod si contractus juratus sit initus extra Diœcesim Episcopi jurantis, & illius, cui juratum est, cum contrahentes sortiantur forum in loco contractus. *C. fin. de Foro compet.* Epis-

copus illius Diœcesis juramentum relaxabit, si ita expedire videat. Deindè, non solum prædicti valent juramenta relaxare, sed & ille, cui juramentum factum est: imò & præcipuè ipse hoc potest facere: adeò ut pro suo arbitrio sine aliqua causa illud valeat relaxare: quod secus est in alijs. Quippè etiamsi Pontifex relaxet, causa justa indiget, quia cum juramentum de Jure Divino, obliget juxta illud. *Matth.* 5. *v.* 33. *Reddes Domino juramenta tua*, profectò est necessaria causa justa ad dispensandum, nec aliter obligatio censetur à Deo remissa. Causæ autem justæ ad illum relaxandum sunt hæ: si ratione materiæ detur in eo turpitudo. *C.* 1. *h. t.* Si majus bonum occurrat faciendum. *C.* 3. *h. t.* Si dolo, aut metu sit extortum juramentum. *C.* 8. *&* 15. *h. t.* Si temere, & inconsideratè sit juratum. *C.* 24. *h. t.* & ut tollatur peccati periculum, & aliorum offensio: aliæque hujusmodi causæ.

222 Princeps, vel Magistratus Sæcularis non potest directè relaxare juramentum, quatenùs relaxatio dicit dispensationem, seu absolutionem, quæ directè tendit ad tollendum vinculum propter dubium ortum, an liceat, vel non liceat, juramentum observare, vel propter alias rationes pertinentes ad remissionem, quæ fit ex parte Dei potius, quam ex parte hominis creditoris. Hoc namque pertinet ad spiritualem potestatem. *C.* 18. *h. t. C.* 13. *de Judic.* ubi juramentum absdubiò ad judicium Ecclesiæ dicitur pertinere: & merito: nam juramentum est vinculum spirituale: Et in hoc sensu debent intelligi. *Covarr. Hostiens. Abb. & alij*, potest tamen Princeps, vel Magistratus Sæcularis relaxare indirectè juramenta, si relaxatio sumatur per modum condonationis factæ ex parte hominis, cui facta est promissio jurata: Nam tunc certè ille creditor, etiam sine causa, sed pro suo arbitrio potest juranti remittere promissionem juratam. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. *ad* 2. ibi: *Homo potest alteri promittere aliquid sub juramento dupliciter: uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipsius: puta, si sub juramento promittat, se serviturum ei, vel pecuniam daturum: & à tali promissione potest absolvere ille, cui promissio facta est: intelligitur enim jam ei solvisse promissum, quando facit de eo secundum ejus utilitatem.* Sic ergo potest Princeps, vel Magistratus Sæcularis bono publico exigente relaxare juramenta inter Laicos sibi Subditos, & in re temporali ad suum forum spectante, remittendo, scilicèt juramentum loco illius, qui debet, & non vult remittere juramentum per injuriam extortum, seu faciendo condonationem debiti eminentiori modo, quam fieri potest per privatam personam, ad quam pertinet condonare. *Suar. de Juram. lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 16. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 149. *n.* 12. *& alij*, quinimò potest Supremus Princeps Sæcularis aliquem contractum ita infirmare, sic bono publico exigente, ut neque per juramentum confirmetur: Et bene quidem, nam juramentum non ex se, sed ex dispositione Legislatoris habet confirmare contractus invalidos: inde consequens est, quod deficiente Legislatoris voluntate, cesset, & confirmatio contractus; *arg. C.* 60. *de Appellat.* Et quod magis est, potest Princeps ita infirmare contractum, ut juramentum ipsi accedens nequidem obligationem religionis producat, reddendo scilicèt subditum inhabilem ad acceptandum talem contractum: sine qua acceptatione juramentum promissorium, vel non obligat, vel intelligitur condonatum, & remissum. *Suar. de Juram. lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 16. quod præcipuè in nostra Hispania tenendum est, & ita habetur, in *L.* 11. *tit.* 1. *lib.* 4. *R. C.* ibi: *Defendemos, que ningun Lego, Christiano, Judio, ni Moro, no haga obligacion en que se someta à la Jurisdiccion Ecclesiastica, ni haga juramento por la tal obligacion, junta, ni apartadamente, so las penas contenidas en las dichas Leyes, y que la obligacion no vala, ni haga fè, ni prueba: y mandamos à todas, y qualesquier Justicias, que no la executen, ni hagan pagar: y defendemos, que Escrivano alguno no la reciba, ni signe la tal obligacion, ni juramento, siquiera se haga junta, ò apartadamente; so pena, que el Escrivano que la signare, pierda el oficio, y dende en adelante su Escritura no haga fè, ni prueba, y pierda la mitad de sus bienes, y de esto sea un tercio para quien lo acusare, y los dos tercios para la nuestra Camara.* Et posteà in *L.* 12. *tit.* 1. *lib.* 4. *R. C.* ait Rex: *A los que nos querellaron :::: que generalmente la dicha Ley era contra la libertad, y Jurisdiccion Ecclesiastica, y que por ella se quitaba à los Jueces Eclesiasticos el conocimiento de cosas, que de Derecho, y costumbre les pertenecia; y que nos suplicaban, que mandassemos revocar la dicha Ley. A esto respondemos, que la dicha Ley es justa, y se pudo bien hacer de Derecho, y no es contra la libertad Eclesiastica, ni por la dicha Ley se defiende* (id est prohibetur) *el juramento al Clerigo siendo uno de los*

. . . . *con-*

contrayentes, aunque el otro contrayente sea Lego.

223 Juramento opponitur *perjurium*, quod definitur esse mendacium juramento firmatum: Nam cum finis juramenti sit confirmatio dicti humani, cum huic confirmationi opponatur falsitas, præcipuè à falsitate specificatur perversitas juramenti, quæ perjurium dicitur: quod quidem peccatum est contra religionem: quippè ad irreverentiam Dei pertinet, quod aliquis eum testem invocet falsitatis: quia per hoc dat itelligere, quod Deus veritatem non cognoscat, vel quod falsitatem testificari velit: Et hinc perjurium manifestè est peccatum religioni contrarium, cujus est Deo reverentiam exhibere: & cum hoc pertineat ad contemptum Dei est peccatum grave: adeo ut defectus veritatis, etiam quando quis jocosè perjurat, etiamsi in re minima consistat est peccatum grave: cum major irreverentia tunc fiat. *D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 1. 2. & 3.* Idem dicendum est de juramento promissorio: quia si deest adimplendi voluntas, etiam in re minima est peccatum grave: ac proinde si quis jurat facere rem, quam judicat impossibilem, graviter peccat, quia jurat sine animo implendi, & veritas deest: siquidem in juramento promissorio duplex veritas datur: una de præsenti, quatenus jurans debet animum habere rem promissam adimplendi: altera de futuro, quatenus suo tempore rem promissam adimplebit: & cum nulla detur differentia inter promissorium, & assertorium quoad primam veritatem, hinc est, quod pejerans defectu illius peccat gravitèr, etiamsi materia sit parva, vel etiamsi dubitet an facturus sit, necnè: & etiamsi materia licita, vel illicita sit. Ex defectu tamen secundæ veritatis potest quis peccare tantum venialitèr: v. g. Si quis juravit non bibere vinum, & modicum bibat, tantum venialitèr peccat. Imò si rem modicam sub juramento promisit, tantum venialitèr peccat ob materiæ parvitatem, si juramentum non adimpleat: quamvis alij teneant, semper esse peccatum grave non adimplere promissionem juratam; licet ea in se sit parva, si tota omittatur. V. g. si nummus sit promissus sub juramento pro eleemosyna. Vid. *Suar. de Jurament. lib. 3. cap. 16.* juramentum de re gravitèr mala facienda est peccatum grave: si juret quis facere rem venialitèr malam peccatum veniale committet. Item si juret non facturum rem, quæ est ex consilio, vel ex charitate, vel ex misericordia, vel non docturum artem utilem. *Alloza in Sum. V. Juramentum, sect. 1.* Hinc, si materia jurata sit gravis, erit grave peccatum ex se non adimplere: è contra si sit levis, non adimplere erit veniale tantum: quia ille qui sic jurat, & non implet, nihil agit contra id, quod habet in mente: sed tantum contra fidelitatem: peccatum autem contra fidelitatem est leve ex parvitate materiæ. *Lacr. lib. 3. p. 1. n. 305. Lug. & alij.* Qui male juravit non tenetur adimplere juramentum. *C. 5. 22. q. 4.* ibi: *In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: quod incautè vovisti, ne facias: impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur. D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 1.* ibi: *Si quis juret, se facturum aliquod peccatum, & peccavit jurando, & peccat juramentum servando.* Perjurium quidem olim gravitèr puniebatur. *C. 18. 6. q. 1.* ibi: *Quicumque sciens pejeraverit: quadraginta dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos pœniteat.* Hoc pro foro interno erat statutum: pro foro tamen externo Laici perjuri excommunicantur: Clerici non excommunicantur, sed deponuntur ab ordine suscepto. *Can. 24. Apostol.* & infamiam incurrunt, ac proinde de beneficijs Ecclesiasticis privantur. *C. 11. h. t. Et ibid. Gonz. ex n. 6.* in nostra Hispania qui perjurium committunt, puniuntur pœna falsi, & tenentur parti ad id quod causa perjurij perdidit. *L. 26. tit. 11. p. 3.* & infames fiunt, ac proindè ab omni Ordine Equestri, Collegijs, & Officijs S. Inquisitionis excluduntur. *L. 10. tit. 1. lib. 1. R. C.* pœna falsi est, quod testi falsum deponenti extrahatur quinta pars dentium: sed hodie ejus loco ad triremes damnatur in decennium, vel perpetuum pro qualitate causæ, & ad publicam ignominiam, & irrisionem in publicum exhibentur. *L. fin. tit. 17. lib. 8. R. C.* Et aliquando in criminalibus testis falsus pœna talionis punitur. *L. 26. tit. 11. p. 3.* etiam pœna capitali. *L. 83. Taur. L. 4. tit. 17. lib. 8. R. C.* unde obiter inferes, perjurium commissum à Laico posse à Judice Ecclesiastico, & Sæculari puniri, quia est delictum mixti fori. *Gonz. in C. 11. h. t. n. 7. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 2. n. 3. Greg. Lop. Acevad. & alij.* Cum perjurium ex se malum, & peccatum sit, nemini licet alterius perjurio cooperari, petendo juramentum ab eo, quem scit pejeraturum: attamen si hoc ex necessitate proprij juris tuendi, vel ratione officij fiat, ut in actore, & in Judice contingit, hoc licitum est: sicut etiam licet à Gentili,

qui

qui per falsos Deos est juraturus, juramentum petere: siquidem tales suo jure utuntur, & alteri ex suæ malitia peccabunt. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 98. *art.* 4. *Sanch. in Decal. lib.* 3. *cap.* 8. perjurus tamen non indiget in confessione explicare, an per Deum, vel Sanctos jurasset, quia malitia est ejusdem speciei, cum semper jurans intendat, Deum in testem adducere.

224 Ad materiæ complementum adjungam propositiones damnatas, ut eas tanquam conscientiarum scopulos vitare valeant, qui Theologiæ Moralis navigant mare. *Innoc. XI. die* 2. *Mart. An.* 1679. damnavit sequentes. 24. *Vocare Deum in testem mendacij levis non est tanta irreverentia, propterquam velit, aut possit damnare hominem.* 25. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* 26. *Si quis, vel solus, vel coram alijs, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est perjurus.* 27. *Causa justa utendi his amphibologijs est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* 28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis, à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum.* Ab Innocent. etenim justè est damnatus usus restrictionis purè mentalis: quia verba significant non secundum usum præcisè proferentis, sed secundum usum communem: quia cederet in præjudicium totius humani commercij, nec esset hæresis, nec blasphemia, quæ hoc modo non facilè excusaretur, ac proindè, nulla esset Lex, quæ non eluderetur. Tamen quando justa causa adest, adhuc licitum est uti restrictione, dum non sit purè mentalis: purè etenim mentalis est, quando tota oratio omnibus circunstantijs spectatis, prout exterius profertur absolutè est falsa, in mente tamen aliquid sub intelligitur, per quod fieret vera: sed hoc nullo signo externo manifestatur, nec humano modo potest ab alio intelligi. Non purè mentalis est si per circunstantias, vel signum aliquod exterius consignificetur id, quod habetur in mente. Hæc enim locutio cum restrictione non purè mentali non est mendax, nec falsa, siquidem ab audiente sagaci, & discreto potest percipi illius sensus; qui quidem sumendus est non solum ex nudis verbis, sed ex alijs adjunctis, inspectis loco, tempore, tono, risu, non obligatione respondendi, & non jure interrogandi, munere, officio, & alijs. Sic Christus D. apud *Joann.* 7. *v.* 8. dixit: *Ego non ascendo ad diem festum istum*, intelligendo, more solicito, vel in publico. Siquidem postea ascendit. Et *Marc.* 13. *v.* 32. dixit: *De die illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque filius*, intelligendo, ad revelandum. Confessarius equidem, qui interrogatur de pœnitentis culpa respondet rectè, se nescire; quia nescit, ut homo, & nescit ad revelandum. *C.* 2. *de Offic. Ordin.* Sic Jacob dixit, esse primogenitum. *Genes.* 29. *v.* 19. intelligendo non de nativitate, sed de jure, quod quidem, primogenituram emendo, adquisierat. *C.* 22. 22. *q.* 2. Abraham dixit, Pharaoni, Saram esse Sororem suam. *Genes.* 20. sumendo large nomen Sororis pro filia fratris. *C.* 22. 22. *q.* 2. Sic qui per jocum, vel ironiam aliquid falsum dicit non mentitur. *C.* 18. 22. *q.* 2. Deinde quilibet justè occultat suum secretum verbis ambiguis, illudque licitè defendit ab importunis examinatoribus. *C.* 2. *D.* 43. ibi: *Quod si ingesserit se, & provocaverit nos dicere, quæ cum minus rectè agentem non oportet audire, prudentèr eum debemus eludere.* Latè *Suar. de Juram. lib.* 3. *cap.* 9. *cap.* 10. *cap.* 11. facit *D. Thom.* 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 3. *Gutierr. Hurtad. & alij*, explicantes prædictas propositiones damnatas. In summa, quando restrictio purè mentalis est, ea non possumus uti: quia ut ait *Greg. in C.* 11. 22. *q.* 5. *Humanæ aures verba nostra talia judicant qualia foris sonant.* Secus est de verbis ex se ambiguis, quæ aliquo signo externo quasi determinantur ad aliquid significandum, ita ut restrictio non sit purè mentalis; ut deducitur ex *L.* 3. *ff. de Reb. dub.* ibi: *In ambiguo sermone non utrumque dicimus, sed id duntaxat, quod volumus: itaque qui aliud dicit quam vult, neque id dicit quod vox significat, quia non vult, neque id, quod vult quia id non loquitur.* Sic Deucalion intellexit ex adjunctis circunstantijs de projectione lapidum post tergum ad generis humani reparationem illud Themis oraculum: *Ossaque post tergum magna jactate parentis*, quod sic est in-

Interpretatus: *Magna parens terra est*: *lapides in corpore terra ossa reor dici*: *jacere hos post terga jubemur*.

225 Juramentum *comminatorium*: v. g. *per Deum ego te cadam*: reducitur ad promissorium addita solum illa comminatione. *Execratorium*, *seu imprecatorium* ad assertorium reducitur, & ultra contestatorium, in quo solum Deus ut testis invocatur addit execrationem, qua Deus ut Judex, & vindex invocatur. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 1. *ad* 3. *& art.* 6. *in Corp.* ibi: *Duplex est juramentum*, *unum quidem, quod fit per simplicem contestationem, in quantum scilicet testimonium Dei invocatur* :::: *alius modus jurandi est per execrationem. Et in hoc juramento inducitur creatura aliqua, in qua Judicium Divinum exerceatur. Et sic solet homo jurare per caput suum*, *aut per filium suum*, *aut per aliquam rem*, *quam diligit sicut*, *& Apostolus juravit*, 2. *ad Cor.* 1. *dicens*: *Ego testem Deum invoco in animam meam. Quod autem Joseph per salutem Pharaonis juravit utroque modo intelligi potest*: *vel per modum execrationis*, *quasi salutem Pharaonis obligaverit Deo*. *vel per modum contestationis*, *quasi contestando veritatem Divinæ Justitiæ ad cujus executionem Principes terræ constituuntur*. Ex juramento transitum ad *adjurationem* faciemus: siquidem ab eo non longè distat. Et quidem non est agendum de adjuratione, quatenus dicit vehementiam, & firmitatem in juramento præstando, nec quatenus significat inducere ad jurandum, seu aliquid sub juramento postulare, ut affert *Greg. Nyssen. in Cantic.* circa illa verba, *C.* 2. *&* 5. *Adjuro vos filiæ Hierusalem*: sed quatenus est *obtestatio*, *seu imprecatio per sacram invocationem*. Et in hoc sensu idem est adjurare, ac creaturam aliquam Divini nominis, aut alterius cujuspiam sacræ rei interpositione impellere ad aliquid agendum, vel omittendum, quod *Græce exorcizare*, *Hispanè Conjurar* dicitur, teste Nebrissensi. In qua adjuratione tres interveniunt personæ, ut benè notat Eximius Suarez, scilicet adjurans, adjurata, & ea, per quam adjuratur: ut patet ex verbis Principis Sacerdotum ad Cristum D. *Matth.* 26. *Adjuro te per Deum vivum*, *ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei*. Hæc profectò adjuratio potest fieri respectu superioris, eum rogando, & respectu inferioris, ei imperando. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 90. *art.* 1. *in corp.* ibi: *Sicut autem homo se ipsum ordinare potest ad aliquid agendum, ita etiam & alios: Superiores quidem deprecando, inferiores autem imperando*; *cum ergo utraque ordinatio per aliquod Divinum confirmatur est adjuratio*. Etiam Dœmones adjurare possumus, juxta illud *Marc. ult. In nomine meo Dæmonia ejicient*. Duplex tamen adjurandi modus est. *Unus quidem per modum deprecationis*, *vel inductionis ob reverentiam alicujus sacri*: *alius per modum compulsionis*: *primo autem modo non licet dæmones adjurare*: *quia ille modus adjurandi videtur ad quamdam benevolentiam*, *vel amicitiam pertinere*, *qua non licet ad dæmones uti*. *Secundo autem adjurationis modo*, *qui est per compulsionem*, *licet nobis ad aliquod uti*, *& ad aliquid non licet*: *Dæmones enim in cursu hujus vitæ nobis adversarij constituuntur: non autem eorum actus nostræ dispositioni subduntur, sed dispositioni Divinæ, & Sanctorum Angelorum: quia ut August. dicit in* 3. *de Trinit. Spiritus desertor regitur per spiritum justum. Possumus ergo dæmones adjurando per virtutem Divini nominis*, *tanquam inimicos repellere*, *ne nobis noceant spiritualiter*, *vel corporaliter secundum potestatem Divinam datam à Christo*, *secundum illud Luc.* 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi serpentes*, *& scorpiones*, *& supra omnem virtutem inimici*, *& nihil vobis nocebit*. *Non tamen licitum est*, *eos adjurare ad aliquid ab eis addiscendum*, *vel etiam ad aliquid per eos obtinendum*: *quia hoc pertineret ad aliquam societatem cum ipsis habendam*: *nisi fortè ex speciali instinctu*, *vel revelatione Divina aliqui sancti ad aliquos effectus dæmonum operatione utantur*. *Sicut legitur de Beato Jacobo*; *quod per dæmones fecit Hermogenem ad se adduci*. Etiam irrationales creaturæ possunt adjurari: nam Simon, & Judas leguntur adjurasse dracones, & eis præcepisse, ut in desertum locum discederent. *Nam operatio irrationalis creaturæ*, *non solum ipsi attribuitur*, *sed principaliter Deo*, *cujus dispositione omnia moventur*: *pertinet etiam ad diabolum*, *qui permissione Divina aliquibus irrationalibus creaturis utitur ad nocendum hominibus*. *Sic ergo adjuratio*, *qua quis utitur ad irrationalem creaturam*, *potest intelligi dupliciter*. *Uno modo*, *ut adjuratio referatur ad ipsam irrationalem creaturam secundum se*, *& sic vanum esset irrationalem creaturam adjurare*. *Alio modo*, *ut referatur ad eum*, *a quo irrationalis creatura agitur*, *& movetur*, *& sic dupliciter adjuratur irrationalis creatura*: *uno quidem modo per modum deprecationis ad Deum directæ*, *quod pertinet ad eos*, *qui Divina invocatione miracula faciunt*. *Alio modo per modum compulsionis*, *quæ refertur ad diabolum*, *qui in nocu-*

nocumentum nostrum utitur irrationalibus creaturis. Et talis est modus adjurandi in Ecclesiæ exorcismis: per quos dæmonum potestas excluditur ab irrationalibus creaturis: adjurare autem dæmones ab eis auxilium implorando non licet. Sic *Doctor Angelicus 2. 2. q. 90. art. 3. in corp.* Et sic possunt adjurari dœmones, qui corpora energumenorum possident, vel etiam quando nos tentant, vel quando excitant tempestates, nubes, & ventos. Sic etiam locustæ, & alia animalia fructibus terræ nocentia adjurantur. Sic etiam adjurantur Manes, Lemures, & Spectra, quæ in aliquibus locis inveniuntur, & habitatores inquietant, & Hispanè dicuntur *Duendes, ò Trasgos.* Latè de adjuratione *Suar. lib. 4. tom. 2. de Relig. in tract. de Juram. Torrebl. de Jur. spirit. & Martin del Rio Disquisition. Magic. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 42.*

TIT. XXV.

De Exceptionibus.

226 EXcipere aliquando significat colligere, absumere, capere, pœnam pati, & alia, de quibus Grammatici. Aliquando, & quidem frequentèr significat extrahere aliquem, vel aliquid, vel eximere à regula generali, & communi, vel ab universali Lege, seu præcepto: & in hoc sensu dicitur, quod *nulla regula est sine exceptione.* Et communitèr hac significatione utuntur Authores: Et in jure dicitur: *Quod exceptio debet esse de regula. L. 4. §. fin. ff. de Penu legat.* Et quod *exceptio firmat regulam in contrarium. L. 20. §. 6. ff. Qui testament.* Et *quod ubi exceptio non reperitur non est recedendum à regula. L. 3. §. fin. ff. de Prævaricat. Barbos. in Axiomat. jur. axiom. 55.* In præsenti tamen, & apud Jurisperitos sumitur pro eo, quod est excludere, vel repellere: ac proindè exceptio est exclusio actionis: qua scilicet reus actionem, vel intentionem actoris penitùs elidit, vel saltem retardat. *L. 2. ff. h. t. & com. DD.* Et in hoc sensu etiam appellatur præscriptio, & comprehendit omnem defensionem rei adversus actorem: Exceptiones etenim sunt velut arma reorum. Exceptio siquidem est velut clypeus, quo reus in bello forensi se defendit ab actionibus, quibus tanquam telis, & gladijs ab actore impetitur, faciuntque suo modo, quod de Danais narrat *Virgilius. Clypeosque ad tela sinistris, protecti objiciunt.* Et hac ratione quoad substantiam exceptio est Juris Naturalis; quippè quæ in naturali æquitate fundatur, & ad justam defensionem, quæ adeò unicuique naturalis est, deservit. *L. 12. ff. de Dol. mal. except.* Et hac etiam ratione, nequit omninò tolli Jure Civili; *arg. L. 8. ff. de Reg. jur.* sed quia ad Principem spectat in dubijs declarare, quando defensio sit legitima, ac per consequens determinare, quando admittenda, vel excludenda sit, hac ratione potest dici exceptio esse Juris Civilis, & hoc modo potest tolli, & moderari ab ipso. *C. 13. de Offic. Deleg. l. 36. c. de Decurion. lib. 10. l. 1. tit. 21. lib. 4. R. C. Pichardo in Rubric. h. t. Instit. ex n. 17.* Opposita à reo exceptione competit actori contra ipsam *replicatio*, quæ est, quasi exceptio exceptionis, siquidem intendit, exceptionem excludere, & elidere. *L. 10. C. h. t.* Et hac replicatione opposita ex parte actoris reo competit *duplicatio* ad excludendam replicationem: & contra duplicationem rursus actori dabatur *triplicatio*: quæ in diversis libellis suo ordine proponuntur, & ad acta rediguntur, ut de causæ justitia possit liquere. In nostra tamen Hispania ultra duplicationem non admittuntur aliæ exceptiones, nec audiuntur litigantes, ne in infinitum procedatur: debetque fieri replicatio ex parte actoris intra sex dies numerandos à responsione rei: & posteà duplicatio ex parte rei debet fieri intra sex dies à die replicationis factæ. *L. 2. tit. 5. lib. 4. R. C. l. 9. tit. 6. lib. 4. R. C.* ibi: *Mandamos, que por evitar dilacion en los pleytos, que con cada dos escritos, que las Partes presentaren, sea avido el pleyto por concluso, aunque las Partes no concluyan: assi para Sentencia interlocutoria, ò recibir à prueba, ò para definitiva.*

227 Multiplicitèr solet exceptio dividi: Alia siquidem est *facti*, alia *juris*. Exceptio facti, seu intentionis est illa, per quam actoris intentio excluditur. Et hæc potius nomine generico dici solet *defensio*, quam exceptio: daturque contra actorem, quando ei nulla competit actio, & cum reus ipso jure non teneatur non indiget exceptione: v. g. si aliquis petat ex empto, vel ex mutuo aliquid, cum neque emptionem, nec mutuum celebraverit. Et hac ratione diversum in jure consideratur, aliquem liberari ipso jure, & liberari ope exceptionis: hoc est, quod non aliter quis liberetur, quam exceptione opposita. *L. 17. §. 1. & 2. ff. de Pactis.*

Sed

Sed licet hoc ita sit, saltem latè dicitur exceptio. Alia est *exceptio juris, seu actionis*, qua scilicèt actio actoris elidiur: v.g. Si Titius metu vendidit equum Cajo, si hic ex empto ad traditionem agat, ejus actio excluditur opposita metus exceptione. Rursus exceptio alia est *nominata*, quæ scilicèt, nomen specificum habet, ut juris jurandi, vel rei judicatæ. Alia est *innominata*, quæ cum nomine proprio careat: *Exceptio infactum* nuncupatur. *L.* 14. *ff. h. t.* sed etiam si quis exceptionem nominatam habeat, non est necesse; quod ejus nomen in libello exprimat, sufficit enim, quod factum clarè proponatur, ex quo exceptio resultat. *Hevia in Cur. Philip. p.* 1. §. 15. *n.* 6. Deinde exceptio dividitur in *personalem*, *realem*, & *mixtam*. *Personalis* est quæ personæ cohæret, cujus quidem intuitu competit, neque ad hæredes, nec fidejussores transit. *L.* 7. *ff. b. t.* Talis est, quam Clericus habet ex *C. Oduardus*, 3. *de Solution.* ut non teneatur ultra id, quod facere potest. *Realis* est, quæ cohæret rei, vel causæ, ipsamque sequitur, transitque ad hæredes, successores, & fidejussores. *L.* 6. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t. l.* 11. *C. eod.* Tales sunt exceptio rei judicatæ, doli, metus, & similes. *Mixtæ* sunt, quæ non solum intuitu personæ dantur, sed etiam materiæ intuitu; ac fidejussoribus eorum, quibus dantur, etiam competunt: quippè ipsum debitum principale auferre videntur, sine quo fidejussio tanquam accessoria consistere nequit. *L.* 18. *ff. de Fidejussorib.* Tales sunt exceptio restitutionis in integrum, quæ minoribus viginti annis competit: Exceptio S. C. Macedoniani, qua filius mutuum sine consensu patris accipiens defenditur: Exceptio S. C. Vellejani, qua defenditur mulier, quæ fidejussit.

228 Denique, & præcipuè exceptiones in *dilatorias*, & *peremptorias* dividuntur. *Dilatoriæ* etiam *temporales* dicuntur, (quia ad tempus actionem differunt) & etiam *emergentes*; & olim *translationes* appellabantur: Hujusmodi ergo *exceptiones sunt quæ tantum differunt ad tempus actionem, sed eam non tollunt, neque elidunt*. *L.* 3. *ff. h. t. l.* 9. *tit.* 3. *p.* 3. ibi: *Poniendo defensiones ante si, que son de tal natura, que aluengan el pleyto, é non lo rematan.* Inter has quidem exceptiones aliæ respiciunt totam causam, ut exceptio inepti, vel obscuri libelli, vel exceptio, malè agis, quia ante diem agis, vel quia dies conventus nondum advenit, vel quia non est purificata conditio. *L.* 9 *tit.* 3. *p.* 3. *Hevia in Cur. Philip. p.* 1. §. 13. *Paz in Praxi tom.* 1. *p.* 1. *temp.* 5. *ex n.* 12. vel plus petitionis, vel ne causæ continentia dividatur. Aliæ respiciunt judicem, quatenùs excipitur, quod sit incompetens, vel quod sit ab alio præventus, & lis pendeat coram alio, vel quod sit suspectus, imperitus juris, vel quid simile. Aliæ respiciunt tempus, & locum judicis: quatenùs excipitur, quod tempus sit feriatum, vel quod sit nimis breve, quod locus non sit tutus, aut honestus. *L.* 9. *tit.* 3. *p.* 3. Aliæ actorem, & ejus procuratorem respiciunt, quatenùs excipitur, quod pupillus sine Tutore, minor sine Curatore, filius sine consensu patris, uxor sine licentia mariti, Procurator sine ullo mandato, vel sine sufficienti compareterit in judicio. *L.* 9. *tit.* 3. *p.* 3. vel quod actor est excommunicatus. *C.* 12. *b. t.* Aliæ ipsum reum respiciunt, quatenùs ipse excipiat, quod sit spoliatus, & per consequens non tenetur respondere antequam restituatur. *Peremptoriæ, seu perpetuæ sunt quæ jus actoris perimunt, & tollunt, & semper obstant agentibus.* *L.* 3. *ff. h. t. l. fin. tit.* 3. *p.* 3. ibi: *A estas defensiones llaman en latin peremptorias; que quiere tanto decir, como amparamiento, que remata el pleyto.* Ex his aliæ ostendunt, actionem nunquam fuisse ortam, ut si quis excipiat, non emptum, non legatum, non donatum esse, quando alter ex empto, legato, vel donato agit. Aliæ intendunt, actionem, quæ competebat, extinctam esse, ac propterea dicuntur *litis finitæ*: Tales sunt exceptio rei judicatæ, præscriptionis, solutionis, compromissi, pacti de non petendo, transactiones, & aliæ similes: Aliæ supponunt, jus adversario competere, sed illud, quia inefficax per exceptionem elidi. Tales sunt exceptiones metus, doli mali, erroris, & aliæ hujusmodi. *L.* 3. *ff. h. t.* Est insuper tertium genus exceptionum, quæ *anomalæ* dicuntur seu *mixtæ*, quia non imitantur aliarum naturam, possuntque opponi ante, & post litem contestatam. *Paz in Praxi, tom.* 1. *p.* 1. *temp.* 5. *n.* 83.

229 In judicijs non solum ille, qui potest agere potest etiam excipere. *L.* 156. §. 1. *ff. de Reg. jur.* Sed etiam cui non conceditur actio conceditur exceptio, ut patet in excommunicato, qui cum non possit in judicio agere, excipere valet. *C.* 5. *b. t.* ibi: *Satis videtur absurdum, si actore impugnante, reo defensionis copia denegetur.* Et hac ratione excommunicato conceditur appellare, etiamsi ob causam, à qua appellat, sit excommunicatus. *C.* 1. *de Rescript.*

cript. in 6. Et etiamsi in prima instantia fuisset actor: & potest appellationem prosequi. *C. 11. b. t.* & impetrare rescriptum, & Judices, qui de appellationis causa cognoscant. *C. 10. b. t.* Et valet quidem rescriptum, etiamsi impettans non fecerit excommunicationis mentionem. *C. fin b. t.* quia exceptio, appellatio, & alia dicta pertinent ad defensionem excommunicati. Siquidem his medijs removet reus actoris actionem, vel gravamen Judicis, quod omnibus Jure Naturali permittitur. *Arg. L. 3. ff. de Just. & jur. Cl. fin. de Sent. & re judicat.* Reus ergo, qui contra actorem, ut eum ab agendo repellat de excommunicatione excipit, debet ipsius excommunicationis speciem, & excommunicatoris nomen exprimere,& eam intra octo dies probare: alias Judex procedet in causa, & illum in expensis condemnabit: quod si iterum objiciatur, & probetur eadem, vel alia excommunicatio, actor repellitur: Sed quæ acta sunt valebunt: Ultra duas tamen vices non opponitur hæc exceptio, nisi ex causa. Si opponitur post rem judicatam, licet sententia lata maneat valida, quia non debet utile per inutile vitiari. *C. 37. de Reg. jur. in 6.* tamen impeditur executio. *C. 1. b. t. in 6.* quia cum excommunicatus non possit actiones intentare, & executio sententiæ sit quædam actionis species, quæ oritur ex judicato: ideò excommunicationis exceptio impedit, ne Judex exequatur sententiam à se latam in favorem actoris excommunicati. Nec in hac exceptione admittitur compensatio. Si v. g. reus excommunicatus excommunicatione majori opponat actori simili excommunicatione ligato hanc exceptionem, non potest actor replicare contra reum, quod debeat repelli ejus exceptio, quia excommunicatione majori est ligatus. *C. 2. b. t.* Nam favorabilior est rei conditio quam actoris. *L. 125. ff. de Reg. jur.* Et meritò: nam actor impugnat, reus tantum se defendit. Judex quidem regularitèr non æstimat rei exceptionem, nisi ab eo opponatur: quippè reus tacendo, & non opponendo exceptionem censetur suo juri renuntiasse. *Arg. L. 29. C. de Pactis.* Debet tamen Judex ex officio repellere actorem excommunicatum vitandum. *C. 1. b. t. in 6.* quia ad officium Judicis attinet vitare peccata. *C. 13. de Judic.* & exquirere, an actor sit habilis, vel inhabilis, ne judicium elusorium evadat. *L. 7. ff. de Postuland.* ac proindè debet in judicando perpendere exceptiones, quæ ipso jure actionem elidunt, si ex actis notoriæ sint, ut exceptiones solutionis, vel præscriptionis, & alias hujusmodi. At verò exceptiones, quæ non ipso jure, sed ope exceptionis actionem excludunt, debent à parte opponi, nec Judex eas supplet, cum potius ad factum, quam ad jus pertineant. *Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 15. n. 6.*

230 Exceptiones igitur dilatoriæ, quæ impediunt litis ingressum, & dicuntur *fori declinatoriæ*, v. g. quæ objiciuntur contra Judicem, ut quia incompetens, vel suspectus habetur, debent opponi ante litis contestationem. *C. 20. de Sent. & re judic. L. fin. C. b. t. l. 9. tit. 3. p. 3. l. 1. tit. 5. lib. 4. R. C.* Eas nempè in principio non opponens, sed coram Judice comparens, & respondens censetur in Judicem consentire, & juri excipiendi renuntiare. *L. 52. ff. de Judicijs. Et ibid. Gothofr.* Et quidem, quæ personam Judicis respiciunt, & ejus jurisdictionem declinant, debent ante omnes alias, etiam dilatorias proponi. *C. 61. de Appellation. L. 16. C. de Judic. Et ibid. Gothofr. L. fin. C. b. t. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 13. n. 7. Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 5. ex n. 21.* Quando ergo opponitur exceptio declinatoria fori Judex debet de ea summariè cognoscere, & super ea pronuntiare, & declarare, se esse Judicem, vel non esse: alias processus tanquam factus à Judice ignorante, & incerto de sua jurisdictione esset nullus. *Arg. L. 3. ff. de Eo, qui pro Tutor. Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 5. ex n. 36. Greg. Lop. in l. fin. tit. 3. p. 3.* quod si Judex, se Judicem pronuntiat, ab hac sententia, licet interlocutoria, potest appellari: quia gravamen affert irreparabile. *L. 3. tit. 18. lib. 4. R. C.* quamvis à sententia, qua Senatores Regij Cancellariæ, vel Audientiæ Regiæ se Judices pronuntiant, non detur appellatio ob magnam integritatem, quæ in talibus judicibus præsumitur, nec creditur, velle cognitionem causarum emendicare, cùm jure proprio plenissimam habeant potestatem judicandi. *L. 4. tit. 5. lib. 4. R. C. Et ibid. Acevedo.* In aliquibus tamen casibus prædictæ exceptiones admittuntur, etiam post litem contestatam. 1. Si de novo post litem oriatur exceptio v. g. causa recusationis. 2. Si antiqua de novo in notitiam rei pervenit: si hoc ipsum juramento testetur. *C. 4. b. t.* 3. Si etiamsi non fuisset ignorata, non tamen poterat probari. *Arg. C. 4. de Elect. in 6.* 4. Si statim post litem contestatam opponatur; quæ enim in continenti fiunt, in esse censentur. *L. 40. ff. de Reb. credit.*

5. Si

5. Si quis ex errore compareat coram Judice non suo alias jurisdictionem habente: Quippè tunc in quacumque parte litis potest opponi hæc exceptio: nam errantis nullus est consensus ad jurisdictionem prorogandam. *L. 15. ff. de Jurisdict.* 6. Si reus protestetur in libello, quod salvas sibi esse velit alias exceptiones: ideoque communitèr apponitur hæc clausula in principio libelli responsorij. *Pedro Perez, vecino de Mantila, con protestacion que ante todas cosas hago, que por Auto, ò Autos, que ante V. haga de no atribuirle mas jurisdicion de la que en tal caso por Derecho le competa, y essa no declinable: parezco, y digo: Sic Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 5. n. 30. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 13. n. 9. & alij.* Aliæ sunt etiam exceptiones dilatoriæ quæ post litis contestationem opponi valent, & etiam post lapsum termini peremptorij à Judice statuti. Sic possunt opponi. 1. Exceptio excommunicationis majoris: siquidem, ut ea magis timeatur, in quacumque parte judicij admittitur, etiamsi reus eam malitiosè distulerit, quamvis tunc in expensis condemnatur. *C. 12. h. t.* 2. Exceptio competentiæ, si talis sit incompetentia, ut non possit Judicis jurisdictio a parte prorogari: qualis est Judicis Laici incompetentia respectu Clerici. *C. 25. de Offic. deleg.* Et hæc exceptio, etiam in ipsa executione opponi potest. 3. Exceptio, quæ retro nullum processum reddit, qualis est exceptio falsi Procuratoris; quæ nullum, vel insufficiens habet mandatum. *L. 24. C. de Procurator. C. 4. eod.* vel falsi Tutoris. 4. Exceptiones, quæ habent gravamen successivum, ut exceptio loci non tuti, feriarum, termini angusti, & aliæ hujusmodi. Cæteræ verò exceptiones dilatoriæ, præter dictas, ante litis contestationem opponuntur ad ingressum litis impediendum. *C. 20. de Sentent. & re judic. l. fin. C. h. t.*

231 Ex peremptorijs exceptionibus etiam aliquæ ante litis contestationem sunt opponendæ, licet regularitèr post litem contestatam tales exceptiones opponantur. Ante litis ergo contestationem opponuntur illæ exceptiones, quæ litis ingressum impediunt: ut exceptio rei judicatæ, transactionis, & juris jurandi. *C. 1. de Litis contest. in 6.* quia lis finita amplius inchoari non debet. Item exceptio solutionis, vel præscriptionis, vel quando veritas est notoria, ita ut constet evidentèr, actorem calumniari: quia reus non debet frustra, & inique fatigari. Aliæ exceptiones peremptoriæ post litis contestationem opponuntur. *L. 9. C. h. t.* Illæ scilicèt, quæ actionem adversarij elidunt: Siquidem actio non potest excludi, nisi proponatur in judicio; quod quidem per contestationem constituitur. Et cum prædictæ exceptiones, propriè tales censeantur, hinc ut regula generalis habetur, quod exceptiones peremptoriæ post litis contestationem debent opponi. *Greg. Lop. Acevedo, Gutier. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 15. n. 2. & alij.* Aliæ denique etiam post sententiam opponuntur: Tales sunt. 1. quæ sententiam dicunt nullam: quoniam de nullitate semper potest Judex cognoscere, & de novo ferre sententiam cum non censeatur functus suo officio, cum nullitèr egisset. *Arg. C. 52. de Reg. jur. in 6.* 2. quæ sententiam rescindunt, ut exceptio restitutionis, & aliæ similes. *L. 36. ff. de Minor.* 3. quæ illius executionem impediunt; ut exceptio non numeratæ pecuniæ, S. C. Vellejani. Macedoniani, & aliæ hujusmodi: Nec intelligitur à reo eis renuntiari, si ante sententiam non opponantur: Nam cum tantum executionem illius respiciant, sufficit, tunc opponi. Olim de Jure Hispano exceptiones debebant proponi, & probari intra tempus à Judice assignatum. *L. 8. l. 9. tit. 3. p. 3.* & ferè idem erat de Jure Communi. *C. 4. h. t.* Hodie tamen in Nostra Hispania exceptiones dilatoriæ debent proponi, & probari intra novem dies enumerandos à die ultimo citationis, & illis elapsis lis habetur pro contestata. *L. 1. tit. 5. lib. 4. R. C.* & intrà viginti dies à litis contestatione opponendæ sunt, & probandæ exceptiones peremptoriæ, nec reus postea illas opponens auditur, nisi juret, illo termino elapso, ad ejus notitiam exceptionem pervenisse, & se illam non opponere malitiosè: Quod si in hoc termino reus non probet exceptiones, statim condemnatur in expensis litis retardatæ; contra quam sententiam nullus recursus datur. Quod si exceptiones sint frivolæ à Judice repelluntur. *L. 1. tit. 5. lib. 4. R. C.* Et cum Jure Canonico nullum certum tempus sit præfixum ad has exceptiones opponendas, debet in nostra Hispania hic terminus servari, etiam in Tribunalibus Ecclesiasticis; *arg. C. 1. de Nov. oper. nuntiat. Gonz. in C. 4. h. t. n. 9.* quamvis contrarium teneat *Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 13. n. 6.* Post publicatas verò attestationes non potest quis in illa instantia novam allegare exceptionem, quando hæc est probanda per testes: potest tamen probari per confessionem partis, & per scrip-

turam publicam. *L. 5. tit. 5. lib. 4. R. C.* Minores quidem, Ecclesiæ, Universitates, & alij, qui privilegio restitutionis gaudent ad proponendas novas exceptiones solum possunt restitutionem petere ante conclusionem ad definitivam, & tantum semel conceditur; & in eadem sententia alia restitutio negatur. *L. 5. tit. 5. lib. 4. R. C.* Et quidem quando Minores, & alij privilegiati post publicatas attestationes restitutionem petunt, certa pœna est a Judice assignanda, quam ipsi solvant, si non probent exceptionem. *L. fin. tit. 5. lib. 4. R. C.*

232 Licet actor non possit plures simul actiones intentare. *L. 43. §. 1. ff. de Reg. jur.* reus tamen, cujus conditio est favorabilior, bene potest plures exceptiones, vel simul, vel successive opponere. *C. 20. de Reg. jur. in 6. L. 5. l. 8. ff. h. t.* etiamsi contrariæ sint, dumtamen tales alternativè opponantur: v. g. Si reus excipiat, se non fecisse homicidium, vel fecisse ad sui defensionem. Nec exceptionem opponens contra intentionem adversarij censetur eam fateri, cum exceptio objiciatur à reo ad eam elidendam. *Gloss. in C. 1. de Testibus in 6. V. Assecuti.* Et actus agentium non debet operari ultra agentium intentionem. *L. 19 ff. de Rebus credit.* Similiter de replicationibus dicendum est. *L. 10. C. h. t.* Reus ergo exceptiones opponens eas probare debet, & in hoc, & non in alijs, dicitur, quod reus excipiendo fit actor. *L. 19. ff. de Probation.* Quod si plures opponens exceptiones in unius probatione deficiat, ad aliam transire, & ob eam obtinere potest, si eam probet plenè, & perfectè in sua specifica forma, alias non elidet actionem, nec intentionem actoris. Quod si in exceptionis probatione deficiat, si actor intentionem suam non probet, adhuc ipse actor, non obtinebit ex defectu probationis rei, imò reus absolvetur: quia actore non probante, reus & si nihil præstiterit, nec probaverit, absolvendus est. *L. 4. C. de Edend. C. fin. §. Sanè, de Jur. jurand.* Quod si reus probet exceptionem dilatoriam à Judicij observatione, vel instantia absolvitur: si probet peremptoriam, definitivè absolvitur ab instituta actione, ex qua quidem sententia oritur exceptio rei judicatæ, quæ semper actorem removet. At verò, ut rei judicatæ exceptio utilitèr opponatur, debet esse eadem res, quæ petitur, ex eadem causa, & inter easdem personas. Et sanè in foro Sæculari debet admitti exceptio rei judicatæ in foro Ecclesiastico: quia per sententiam est parti jus adquisitum; & si Sæcularis recuset eam admittere, ab Ordinario per censuras cogitur: & è contra exceptio rei judicatæ in foro Sæculari admittitur in Ecclesiastico; quod si hic eam admittere renuat, per suum Superiorem Ecclesiasticum cogitur admittere, nisi animæ periculum inducat. *C. fin. h. t. in 6.* Si aliquod ex his requisitis desit, reus potest iterum conveniri: v. g. Si quis fuit absolutus ab adversarij petitione: quia jam non possidebat rem, & post sententiam rem possidere incipiat: quippè cessante causa sententiæ absolutoriæ iterum contra eum potest agi. *C. 13. h. t.*

233 Exceptiones, quæ in prima instantia sunt omissæ, si tempus eas opponendi elapsum sit (secus aliter. *L. 4. C. de Tempor. appellat.*) non possunt opponi in secunda instantia. *L. 13. C. de Procurator. Et ibid. Gothofr.* quia omittens exceptiones dilatorias contra personas Judicis procuratoris, vel actoris, eas censetur approbasse: si verò respiciant non personam sed defectum, aut insufficientiam mandati in procuratore, semper durant. *L. 24. C. de Procurator.* Profectò, qui habet plura beneficia etiam compatibilia non potest proprio nomine contra alium de pluralitate beneficiorum excipere. *C. 3. h. t.* quia non debet, quod in se approbat in alijs reprobare: nec debet defectum alij objicere, qui simili defectu laborat *arg. C. fin. de Adulter.* Nam ut ait *Juven. Satyr. 2. Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus*: poterit tamen hanc pluralitatis exceptionem objicere, si nomine, & in Ecclesiæ utilitatem opponat; si alij non adsint, qui hoc faciant: nam personæ delictum non debet Ecclesiæ nocere. *C. 76. de Reg. jur. in 6.* Præterea si in testem opponatur exceptio criminis, licet ipse illud confiteatur, vel de eo sit convictus, & quamvis negotium principale attingat, non potest puniri testis eo præcisé, quod contra ipsum sit probata exceptio: quia accusatio contra eum non intervenit, & crimen per modum exceptionis objectum non opponitur testi, ut eo puniatur, sed ut ei non credatur, vel ut non admittatur ad testificandum, ac consequentèr sufficit, si ejus testimonium non attendatur. *C. 1. h. t.* Nec exceptio debet operari ultra agentis intentionem. *L. 19. ff. de Reb. credit.* nec extra sphæram suæ activitatis: nam limitata causa limitatum producit effectum. *L. 16. ff. de Adquir. rer. domin.*

Quo

Quo ordine sit cognoscendum, & pronunciandum in exceptionibus in judicio oppositis diximus in *Tit. de Ordine cognitionum.*

TIT. XXVI.

De Præscriptionibus.

234 PRæscribere, aliquando præcipere; vel imponere, vel constituere significat. *C. 1. D. 86.* aliquando significat limites; vel terminos assignare. *C. 2. de Concess. prabend. L. 28. §. 8. ff. de Liberat. legat.* aliquando finem ponere: & in hoc sensu dicitur actio præscripta, quasi finita. Aliquando idem ac excipere valet. *L. fin. ff. de Suspect. Tutor. Et ibid. Gothofr.* Sed præcipue sumitur præscriptio pro exceptione peremptoria, & sic sumitur *in tit. ff. de Exception. & præscription.* Sed in præsenti sumitur pro quodammodo dominium adquirendi: & sic potest definiri: *Præscriptio est jus adquirendi dominij, vel quasi dominij, vel alterius juris per continuationem possessionis, vel quasi possessionis tempore a jure definito.* Et quidem latius patet, quam Usucapio, quæ sic definitur in *L. 3. ff. de Usucap. Est adjectio dominij per continuationem possessionis temporis a Lege definiti.* Præscriptio enim ad res incorporales extenditur, quas non comprehendit Usucapio. Sic servitutes; sepulchrum, monumentum, loca publica, aliaque jura Usucapi non possunt: & tamen servitutes, jus inferendi mortuum in sepulchrum, vel monumentum, jus piscandi in loco publico, aliaque hujusmodi possunt præscribi, ita ut sic præscribens possit se defendere adversus impedientem tale jus. *L. 14. ff. de Servit. l. 6. C. de Religios. l. 7 C. de Divers. & tempocal.* Usucapio tamen est modus civilis adquirendi dominium *princ. inst. de Usucapion.* Qui enim usucapit rem, quasi *usu capit* illius dominium. Usucapio etenim Jure Civili fuit introducta, & Jure Canonico approbata, ob bonum scilicet publicum, ne passim longo tempore incerta essent rerum dominia. *L. 1. ff. de Usucap.* & ut sic facilius lites expediantur, & terminentur, vigilantia dominorum excitetur, & eorum negligentia puniatur. Nam jura non dormientibus, sed vigilantibus semper subveniunt. *C. 5. h. t. l. 1. tit. 29. p. 3.* Et ideo tenet *Greg. Lop. in l. 1. tit. 29. p. 3.* non posse à privato præscriptioni, utpotè in favorem publicum introductæ renunciari. Alij cum *Gutier.* tenent contrarium ex eo, quod præscriptio principaliter in favorem, & commodum privatorum sit introducta. Et profectò ex prædictis rationibus infertur, quod usucapio, seu præscriptio licita est. Et lex civilis transferens dominium alterius in usucapientem justa quidem est: cum Respublica ob dominium altum, quod in subditorum bona habet, possit, sic exigente bono publico, & communi utilitate dominium illorum pristinis dominis auferre, etiam ipsis non consentientibus, & in alios transferre, & non solum pro foro externo, sed etiam ita ut talia bona adquirens securus sit in conscientia, & etiamsi antiqui Domini nulla interveniat negligentia. *Gloss. in C. 5. h. t. V. Noverit. Greg. Lop. in l. 12. tit. 29 p. 3. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 61. n. 6. Less. de Just. lib. 2. cap. 6. ex n. 50.* adeò, ut si post completum præscriptionis tempus, qui præscripsit, cognoverit, rem fuisse alienam, non teneatur eam restituere, quia per præscriptionem, seu usucapionem est absolutè factus Dominus, rei modo legitimo ad transferendum dominium inducto, non minus ac si rem justo pretio emisset à suo Domino. *L. 12. tit. 29. p. 3.* ibi: *E por ende decimos, que si aquella sazon, que ganaron possession de las cosas, ovieren buena fee en averlas maguer ante que las apoderassen, ò despues la oviessen mala, cuidando, que aquellos de quien las ovieron, non eran verdaderos señores, non les empece à ellos, nin à sus herederos. Junct. Gregor. Lop. ibid.* V. *E la oviessen mala. Gloss. in C. 5. h. t.* V. *Noverit. Molin. Less. & alij* contra *Adrian. Medin. & alios.* Hinc est, quod si per errorem qui rem præscripserat, illam restituit, potest illam tanquam propriam vindicare, & antiquus Dominus eam, tanquam alienam restituere debet: sicut vendens rem suam, accepto pretio justo teneretur restituere.

235 Præscriptio siquidem transfert dominium plenum, & non solum utile, in rebus mobilibus, ut est commune, sed etiam in immobilibus ut contra *Gloss. in L. Traditionib. C. de Pactis, Bathol. Bald. & alios* tenent *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 61. n. 11. Covar. & alij.* Et probatur *ex c. 16. 16. q. 4. l. 1. tit. 29. p. 3. L. 3. ff. de Usucap.* ubi absolutè dicitur quod præscriptione, seu usucapione adquiritur dominium: ac proindè directum, quod principale est. *L. 1. §. 1. ff. si ager vectigal.* nec alias in totum tollerentur lites. Hinc est, quod qui dominium adquirere possunt, valeant, & præscribere. Tales etenim sunt

pa-

paterfamilias quoad bona cujuscunque generis sint, filius familias quoad bona castrensia, quasi castrensia, & adventitia. *L.4. §.1. ff. de Usucapion.* pupillus, etiam sine Tutore: nam ejus authoritate non indiget ad adquirendum. *L. 11. ff. de Adquir. rer. dom.* Infans tamen cum usu rationis careat ad usucapiendum non per se, sed solum authoritate Tutoris usucapit. *L.32. §.2. ff. de Adquir. vel amit. possess. l.2. tit.29. p.3.* E contra vero præscribere non possunt, qui nequeunt dominium adquirere: quales sunt furiosi: sed si ante furorem possidere cœperunt, cum in furore non desinant possidere, etiam tunc usucapiunt. *L.4. §. 3. ff. de Usucap. h. 2. tit.29. p.3.* nec servi usucapiunt. *L. 3. tit. 29. p.3.* nec qui rem non suo, sed alieno nomine possident. *L.4. tit.15. lib. 4. R. C.* ibi: *Si alguno tuvo, ò posseyò alguna heredad, ò otra cosa à empeños, ò en encomienda, ò arrendada, ò alogada, ò forzada, no se pueda defender por tiempo, que estos à tales no son tenedores por si, mas por aquellos de quien la cosa tienen.* Nec Clerici possunt præscribere suorum beneficiorum bona. *C.11. 16. q.4.* Idem etiam est, si unus ex cohæredibus solus rem possideat, quantumvis longo tempore non potest eam præscribere contra alios cohæredes, nec socius rem communem contra alios socios. *L.5 tit.15. lib.4. R. C.* Etiam consequens est quod non præscribatur regulariter contra eas personas, quæ nequeunt alienare, ut sunt pupillus, filius familias, prodigus, captivus, uxor respectu fundi dotalis, & alij hujusmodi. *L.8. tit.29. p.3.* quia in præscribente mala fides præsumitur. *L.11. tit. 29. p.3.* nisi hæc præsumptio purgetur per bonam fidem accipientis, quia tunc licet non ordinario, extraordinario tamen triginta, vel quadraginta annorum tempore poterit res præscribi: vel si præscriptio sit inchoata antequam talia bona præscribi prohibeantur, vel si possessor ea habeat ab aliquo tertio. Nam tunc tempore ordinario ea præscribet.

Requisita ad præscriptionem his versibus continentur:

1. Sit res apta. 2. Fides bona. 3. Sit titulus quoque justus.
4. Possideas juste. 5. Completo tempore Legis.

236 1. Ergo requiritur, quod res præscribenda sit apta præscribi, id est, quæ in hominum dominium, vel quasi dominium cadere possit. *L.3. ff. de Usucap. l. 1. tit. 29. p. 3.* ex cujus defectu non usucapiuntur res Sacræ, ut Templa, Calices, Ornamenta Sacra, & alia hujusmodi. *L.6. tit. 29. p. 3.* nec res religiosæ, ut sepulchra, & cæmenteria, quamvis hodie hæc sacra sint, nec item res sanctæ, quæ scilicèt aliqua speciali sanctione muniuntur adversus hominum violentiam ut muri, & portæ Civitatis: nec in alia significatione res sanctæ accipiuntur quoad præsens institutum. *§.10. Instit. de Rer. divis.* Nec publicæ res, ut via publica, fons, pons, theatrum, forum, & alia hujusmodi. *L.9. ff. de Usucap. l. 7. tit. 29. p. 3. Aceved. in l.1. tit.15. lib.4. R. C. n.64.* Nec liber homo, *§.1. Inst. de Usucap. l.6. l. 24. tit. 29. p.3.* neque ea, quæ sunt meræ facultatis, id est, quæ tantum ab alterius arbitrio citra conventionem, vel obligationem pendent. *L. 2. ff. de Via public. & itin.* sivè per actum positivum illud concessum sit, v. g. si quis ab aliquo Mercatore consuevit merces emere, sivè per omissionem actus illud concessum videatur, v. g. si quis cum posset altius ædificare non ædificavit: in neutro ex his casibus adquiritur jus per præscriptionem, ac propterea alter non potest cogi merces ab illo Mercatore emere: cum nullo jure obligetur, nec alter potest prohiberi ædes altius tollere, cum nullo jure sit ab eo ablata hæc facultas. Nec enim decet, quod beneficium indebitum conversatur contra intentionem illud facientis. Prætereà Jure Positivo prohibentur præscribi. 1. Limites Parochiarum, & Diœcesum, dum certi sunt, secus est, si sint dubij. *C.5. c.6. 16. q.4. C.4. de Parochijs*, ne termini Parochiarum, vel Diœcesum confundantur. Idem est dicendum de limitibus ducatuum, vel comitatuum. *Molin. de Justic. & jur. tr.2. D.79. n.7.* Terra vero, in qua est limes, præscribi potest. *C. 9. h. t.* imò, & jus decimandi in aliena Parochia, si fiat salvis de cætero limitibus. 2. Nequeunt præscribi quæ ad supremam Principis potestatem spectant. *L. 6. C. de Præscription. 30. vel 40. an.* nec tributa, quæ in Majestatis recognitionem tribuuntur, nec immunitas, seu libertas ab illorum solutione. *Aceved. in L.1. tit.15. lib.4. R. C. n. 51.* quia nec Princeps potest alienare supremam potestatem, & illi annexa; nec alter potest ea possidere. *C.23. de Jur. jurand. Molin. de Just. & jur. tr.2. D.74. ex n. 2.* nec possunt præscribi merum Imperium, nec alia jura Regia. *L.6. tit. 29. p. 3.* Quod hodie de suprema jurisdictione propria Regis intelligendum est. *L. 1. tit. 15. lib.4. R. C.* Et notat *Greg. Lop. in d. l.6.* licet aliter sentiat *Aceved.* idem est de suprema jurisdictio-

dictione Papæ, quæ nullo tempore præscribitur. *Aceved. in l. 1. tit. 15. lib. 4. R. C. n. 39.* Et de gabellis, quæ *Hispanè* dicuntur: *Alcavalas*, decernitur in *L. 2. tit. 15. lib. 4. R. C. l. 1. tit. 18. lib. 9. R. C.* quod nullus sine expresso privilegio sit immunis ab eis solvendis, etiamsi præscriptione immemoriali sit munitus. Latiorem disputationem de his rebus Regnicolis, & practicis relinquo. Nec possunt usucapi res furtivæ, aut vi possessæ, non quidem solum à fure: nam hic ratione malæ fidei excluderetur, sed nec à tertio bonæ fidei possessore, etiamsi per centum manus transisset ad ipsum. *§. 2. Inst. de Usucap.* furtivarum etenim rerum Lex 12. Tabularum, & Lex Atilia: vi possessarum usucapionem Lex Julia, & Plautia inhibent, donec per reversionem in Domini potestatem hoc vitium ipsis ob furtum, & vim inhærens purgatum sit. Furtum siquidem, & vi possessio est vitium reale afficiens rem in quocunque sit possessore. *L. 4. tit. 29. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. l. 5. tit. 15. lib. 4. R. C.* Hoc tamen intelligitur de præscriptione tempore ordinario complenda: at vero si bona fide res furtiva à tertio possideatur spatio 30. vel 40. annorum benè præscribitur. *L. 1. §. Ad hæc. C. de Annal. except. L. 21. tit. 29. p. 3. Pichard. in §. Furtivæ, Inst. de Usucap. n. 10.* nec servus fugitivus potest usucapi: nam ipsa fuga furtum committit. *L. 1. C. de Serv. fugitiv.* partus ancillæ, vel animalis furtivi, si apud furem est conceptus furtivus est, nec potest usucapi: si est conceptus, & natus apud bonæ fidei possessorem potest ab ipso usucapi *pro suo*. Si vero ipse ante conceptionem sciat, ancillam non esse vendentis, nequit usucapere partum: nec quando post conceptionem, ante nativitatem tamen cognovit, rem esse furtivam. *L. 48. §. 5. ff. de Furt. l. 5. tit. 29. p. 3.* Latè *Amaya*, Collegij Majoris Conchensis egregius alumnus, *lib. 3. Observat.* ubi plures textus Juris Civilis, qui sibi ipsis apparent contrarij, ad concordiam reducit. Nec res pupillorum, quamdiu ipsi in tutela sunt, præscribuntur. *L. 3. §. Quæ, C. de Præscript. 30. vel 40. ann. & ibid. Gothofr.*

237 2. requiritur bona fides. *Hæc enim est ignorantia rei alienæ*: ille ergo, qui rem, quam possidet, credit, suam esse, vel saltem non esse alienam, bona fide dicitur possidere. Vel etiam potest universalius bona fides definiri: *Scientia justæ possessionis*. Nam etiam si quis sciat, rem esse alienam, vel non esse illius, qui illam tradidit, si tamen credat, se justè possidere, habet profectò bonam fidem. *L. 28. ff. de Noxalib. action.* ibi: *Usu quoque me capturum, quamvis sciens alienum possideam. C. fin. §. In alijs, ut lite non cont. stat.* Ubi missus in possessionem causa rei servandæ ipsam præscribit, quia licet sciat, alienam esse, tamen justè possidet: quia Authore Prætore possidet. *L. 11. ff. de Adquir. possess.* similitèr Episcopus locum à se ad fidem conversum præscribit triennio: nam licet sciat alienum esse, non habet malam fidem, quia jus ipsi suffragatur. *C. 1. h. t.* Et quidem bona fides necessariò omninò requiritur ad usucapionem, non solum in principio ipsius usucapionis, ut olim de Jure Civili sufficiebat. *§. 12. Inst. de Usucap.* & juxta quod loquuntur Text. in *C. 15. 16. q. 4. l. 12. l. 21. l. 23. tit. 29. p. 3.* Et ibid. notat *Greg. Lop.* sed insuper in decursu usucapionis usque ad ejus complementum, etiamsi sit præscriptio temporis immemorialis. *C. 5. c. fin. h. t.* ibi: *Quoniam omne, quod non est ex fide peccatum est: Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tàm Canonica, quàm Civilis. Cum generalitèr sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari: unde oportet, ut qui præscribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.* Et sic universalitèr dicitur in *C. 2. de Reg. jur. in 6. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. L. 9. tit. 29. p. 3.* etiamsi possidens credat, rem, quæ erat Titij, esse Sempronij, adversus neutrum præscribit; *arg. L. 5. §. 5. ff. Quod vi, aut clam*: quia adhuc contra conscientiam agit, & peccat detinendo rem alienam. *Molin. de Justit. & jur. tr. 2. D. 63. n. 12.* Et hæc Lex, ut prohibitiva peccari, non solum in jure Canonico, sed etiam Civili, est servanda, quia in hoc casu Jus Canonicum, cujus finis est consulere animarum saluti. *C. 6. de Major. & obed. C. 2. de Const. in 6.* potest Jus Civile corrigere. *C. fin. h. t. & com. DD.* Et non solum in usucapione rerum, sed etiam in præscriptione actionum, & jurium requiritur bona fides, ac proindè sine ea non potest quis præscribere servitutem, jus piscandi, venandi, eligendi, præsentandi, aliaque hujusmodi: ut ex nostri juris generalitate deducunt *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 66. n. 7. Greg. Lop. in l. 22. tit. 29. p. 3. V. Poder. Et in l. 27. tit. 29. p. 3. V. Mala fé. Covarr. in Reg. possessor. p. 2. §. 11. Less. de Just. lib. 2. cap. 6. ex n. 19. Gonz. in C. 5. h. t. n. fin. contra aliquos apud ipsos.* Et in hoc quidem differt

præs-

præscriptio à consuetudine: nam consuetudo, etiam mala fide potest induci: quippè quæ est Lex non scripta tacito consensu Populi comprobata, & jus in Populo constituens: & si quid commodi affert non est præcisè respectu habentium malam fidem, sed illud commodum omnibus cedit: secus esset in præscriptione, in qua quis ex proprio delicto, & mala fide commodum reportaret. Si possidens rem habeat malam fidem respectu unius partis, & respectu alterius bonam habeat fidem, hanc præscribet: secus illam. Idem est, si habeat bonam fidem respectu usufructus, & malam respectu proprietatis, vel respectu aliorum jurium. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 63. n. 13. & 14.*

238 Qui in principio dubitat, an res sit aliena non potest incipere præscriptionem. *L. 48. ff. de Adquir. rer. domin.* nec aliter potest rem, quam antea non habuit, sibi vindicare, quam si determinatè judicet, eam legitimo titulo ad se pertinere. Et cum tunc non sit sua conditio melior, quam alterius, iniquè sibi rem usurpat: cum vero jam possidet, melior est ejus, quam contrarij conditio ob ipsam possessionem. *C. 65. de Reg. jur. in 6.* Et ideò, si superveniat dubium, moralem diligentiam adhibere debet, ut sciat, an res sit aliena: quod si non appareat, nec constet, alienam esse, tutus est in conscientia, & præscriptionem continuabit, quia adhuc est in bona fide. *C. fin. h. t. C. 5. 34. q. 1.* ibi: *Sicut in jure prædiorum tamdiù quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum: cum verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibebitur, tunc justè injustus vocabitur.* Si verò dubium sit practicum, hoc est, quod possidens dubitet, an hic, & nunc licitum sit retinere rem, tunc interrumpitur usucapio. *L. 32. §. 1. ff. de Usucap.* quia cum tali dubio non stat bona fides: nam quod non est ex fide peccatum est, id est, quod non fit cum determinato judicio conscientiæ, quod hic, & nunc dictet, saltem per judicium reflexum, aliquid esse licitum, peccatum est, & qui cum tali dubio retinet rem, peccat, quia se exponit periculo peccandi, retinendo rem alienam. *Less. de Justit. lib. 2. cap. 6. n. 13. Lacr. lib. 1. n. 77.* similitèr non præscribit, qui ex ignorantia vincibili, & affectata rem possidet: nam cum ipsa includat peccatum, bonam fidem excludit. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 64. n. 2.* ignorantia facti alieni justa proculdubio est, ac proindè usucapionem non impedit, secus ignorantia facti proprij, quæ quidem intolerabilis est. *L. fin. ff. Pro suo. L. 14. tit. 29. p. 3.* ibi: *Teniendo ome alguna cosa mueble por suya, cuidando que la avia comprado, ò que le fuera dada, ò que la avia por otra derecha razon, si despues sopiesse, que non era assi, maguer fuesse tenedor della tres años, non la podria ganar por esse tiempo. Mas si por aventura oviesse mandado à su Mayordomo, ò à su Personero, ò à algun otro su ome, que le comprasse alguna cosa, ò que gela aduxesse por alguna otra derecha razon, assi como por cambio, ò por donadio, ò por otra cosa semejante, è aquel à quien lo mandasse non lo ficiesse assi: mas lo oviesse por otra razon, que non fuesse derecha, diciendole, que la bavia comprado, si tal cosa como esta tuviesse tres años podrla, y à ganar por tiempo, porque bavia buena fé en tomandola, maguer, y errasse: Ca pues que el yerro aviene por derecha razon, non le debe empecer. Et ibid. Greg. Lop.* Hic enim apponitur exemplum erroris facti quatenùs usucapiens credebat, adesse titulum, cum verè non adesset. Et quidem si error erat facti proprij, injustus censetur, secus si sit error facti alieni. Si verò error juris interveniret, quatenùs verè titulus adesset, sed tamen esset nullus, & validus crederetur: v. g. si quis à Religioso filio familias, vel servo aliquid ex donatione acciperet ignorans, ipsos non posse donare: tunc enim si error sit juris clari, & liquidi, etiamsi talis error, seu ignorantia omni careret culpa, non sufficeret ad rei præscriptionem. *L. 31. ff. de Usucap.* ibi: *Nunquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest. L. 4. ff. de Jur. & fact. ignor.* ibi: *Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse: facti vero ignorantia prodesse constat.* Et sanè nec Minoribus, Militibus, rusticis, nec mulieribus prodest. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 64. n. fin.* Nam licet in prædictis toleretur juris ignorantia est solum ut non patiantur damnum, non vero ut lucrum ex ea captent. *L. 8. ff. de Jur. & fact. ignor.* ibi: *Error facti ne maribus quidem in damnis, vel compendijs obest, juris autem error nec fœminis in compendijs prodest.* Et ut notat *Gothofred. ibid.* juris error ubi de damno evitando agitur non nocet, ubi de lucro captando nocet etiam fœminæ: Error facti in neutro casu nocet. Nec sufficit ad præscriptionem bona fides Theologica, hoc est bona conscientia, sed requiritur bona fides civilis, id est, quæ careat vitio præscriptionem ex dispositione juris prohiben-

benè: ut in præsenti prohibet præscriptionem cum error juris: attamen ipsum jus concedit etiam cum hac ignorantia juris præscriptionem 30. vel 40. annorum, quod non solum in Jure Civili, sed & in Canonico servandum est; *arg. C. 4. de Emption. & vendit.* At verò ignorantia juris non liquidi, sed undique controversi benè stat cum bona fide, & ad usucapionem deservit. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 64. n. 13. Less. de Just. lib. 2. cap. 6. ex n. 14. & alij*: quinimo licet juris error non sufficiat ad præscribendam rem, circa quam error versatur, sufficit tamen ad præscribendos fructus ex tali re perceptos; *arg. L. 25. §. 6. ff. de Petit. hæred.* Nam error circa fructus videtur esse error facti, potius, quam juris; quatenus possessor credit, eos ex re sua percipere. *Less. de Justit. & jur. lib. 2. cap. 6. n. 15. Navarr. Covarr. & alij.*

239 Si Titius: v. g. incœpit bona fide possidere rem, ejus tempus prodest ad continuandam usucapionem successori universali ipsius, hoc est ejus hæredi, qui in universum jus defuncti succedit. Item prodest singulari ejus successori, v. g. emptori, donatario, vel legatario, nisi mala fides ipsis superveniat. §. 12. *Instit. de Usucap.* quia antecessores in usucapione tradunt rem suis successoribus cum omni jure, quod ipsi habebant: ac proindè illud tempus, quo testator, vel venditor, vel donator rem possederunt, debet computari, & continuari ad complendum tempus ad usucapionem requisitum. *L. 16. tit. 29. p. 3. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 65. n. 3.* Profectò hæres immediatus, qui una persona cum defuncto censetur, non potest usucapere pro hærede rem à defuncto mala fide possessam. §. 12. *Inst. de Usucap. L. fin. C. Commun. de Usucap. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 65. num. 4.* etiamsi bona fide acceperit, & possederit. *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 6. num. 42.* poterit tamen eam alio titulo, ut legati, donati, vel empti usucapere, dumtamen ipse bonam fidem habeat, etiamsi à malæ fidei possessore accepisset. *L. 5. ff. de Diversi. tempor. præscript.* ubi dicitur, quod vitium auctoris non nocet donatario, nec legatario. *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 6. n. 44.* Hæres tamen mediatus, scilicèt hæres hæredis defuncti, qui mala fide possedit, dumtamen ipse hæres mediatus, & ille cui immediatè succedit, habeant bonam fidem, potest rem usucapere, saltem à tempore suæ possessionis. Nam licet jus fingat in immediato successore malam fidem defuncti inveniri, illa mala fides ficta non fingitur in alio successore, nedum fictio fictionis, sicut umbra umbræ non datur. *Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 65. n. 7. Less. de Just. lib. 2. cap. 6. n. 43.* Successor tamen particularis, ut emptor, legatarius, vel donatarius, cum non repræsentet suum Authorem, non succedit in ejus vitia, ac proinde nec in ejus malam fidem: Unde si ipse successor bonam fidem habeat, præscribere valet, quamvis venditor, donator, vel testator malam fidem habuissent: non tamen utitur accessione temporis sui antecessoris, seu auctoris, sed a propria possessione incipit usucapere. §. 12. *Inst. de Usucap. Covar. Molin. & Less.* Nec mala fides antecessorum in Universitate, Civitate, Collegio, vel alia Communitate nocet suis successoribus ad præscribenda jura, vel bona ab ipsis bona fide possessa: quippè mala fides est quid facti. *L. 48. §. 1. ff. de Adquir. rer. domin.* & non debet transire ad successores particulares, qui talem rem ignorant esse alienam. Qui enim in alterius locum succedunt justam ignorantiæ causam habere censentur. *L. 42. ff. de Reg. jur.* ita *Vazq. Menchac. lib. 2. Controv. cap. 71. n. 5. Balb. de Præscript. p. 3. q. 17. n. 3. & alij* contra *Fachin. lib. 8. Controv. cap. 25. & alios.* Si Prælato notoriè constet, rem alienam ab Ecclesia, vel Monasterio possideri, debet, ut bonus administrator eam restituere; *arg. C. 12. in fin. D. 54.* ibi: *Nihil perire credimus Ecclesiasticis utilitatibus, si quæ sunt aliena, reddantur.* Si tamen ipse solus sciat, rem esse alienam, & hoc posset probare, quando bona Prælati, & Capituli non sunt communia tenetur Capitulum monere: secus si non posset probare; *arg. C. 2. 6. q. 2.* quia Capitulum non tenetur, ei in sui præjudicium credere: sed Capitulum, siquidem bonam fidem habeat, præscribere valet. Si verò bona sint communia, cum præscriptio sit odiosa, mala fides Prælati præscriptioni nocet. Et quamvis in *L. 13. tit. 29. p. 3.* dicatur, quod Dominus habens malam fidem potest usucapere rem à servo bona fide possessam ex causa peculij, hoc non habet locum de jure hodierno, ut notat *Gregor. Lop. ibid.* V. Maguer *supiesse.*

240 Cum in jure præsumatur ignorantia, ubi non probatur scientia. *L. 21. ff. de Probation. C. 47. de Reg. jur. in 6.* & bona fides in ignorantia consistat, qua quis ignorat, rem esse alienam, & consequenter judicat esse suam, inde est, quod bona fides præsumatur: ac proindè malam fi-

fidem objiciens eam probare debet. *L. 10. tit. 29. p. 3. ibi; Entenderse ny à que avria buena fè en tenerla, fasta que se provasse lo contrario.* Et quidem mala fides solet ex conjecturis probari, v. g. Si quis emit rem non servatis juris solemnitatibus, vel à lusore, prodigo, filio familias, vel si ex fama, vel ex relatione scivit, esse alienam: vel si non curavit videre mandatum Procuratoris vendentis: vel si insolitis cautelis contraxit, vel absente Domino; vel si posideat sine titulo, vel cum titulo improbato, vel si post possessionem adeptam, titulum habere procuravit, vel si sprera denuntiatione, ne emeret, adhuc emit. De quibus, & alijs conjecturis latius *Menoch. de Arbitr. cas. 225. Mascard. & alij.* Et præcipuè, si usucapiens habeat in sua potestate instrumenta, vel scripturas probantes, illam rem esse alienam; mala fides abdubio præsumitur, cum de quolibet credatur habere notitiam tenoris suorum instrumentorum. In Nostra Hispania jus exequendi, quod oritur ex instrumento publico præscribitur, & extinguitur, si decennio creditor illud non intentet. *L. 63. Taur. L. 6. tit. 15. lib. 4. R. C.* Et sanè debitor, etiamsi malam fidem habeat, præscribit hoc jus, vel ut communiter dicitur, viam executivam, quia cum jus exequendi sit qualitas à jure inducta, potest ab ipso jure tolli, ut hæc qualitas transcursu decennij tollitur: Siquidem adhuc eo jure ablato, manet creditori actio adversus debitorem, quam potest intentare in via, quæ ordinaria dicitur: quæ quidem non aliter, quam cum bona fide ex parte debitoris præscribitur. *Greg. Lop. in L. 22. tit. 29. p. 3. V. Treinta años.* Et bene notat, quod hæc præscriptio juris exequendi, seu executivi procedit contra Ecclesiam, quæ peteret executionem virtute instrumenti.

241 3. Requisitum est *Titulus*, qui sic dicitur quia *tuetur*, seu *defendit* dominium, vel quasi dominium, possessionem, vel quasi possessionem, vel aliud quodcunque jus, poteistque sic describi: *Titulus est illa causa, quæ ex se est habilis, & apta ad transferendum dominium, vel aliud quodcunque jus.* Et cum justæ possessionis sit fundamentum. *L. 6. C. de Adquir. & retinend. possess.* Omnino ad præscriptionem requiritur. *L. 27. ff. de Usucap. C. 17. h. t. L. 9. tit 29. p. 3.* ibi: *E que la aya por alguna derecha razon: assi como por compra, o por donacion, ò por cambio, ò por otra razon semejante destas.* Titulus est quadruplex: nam alius est *verus* ille, scilicet, qui nullum includit errorem, v. g. Si quis emat rem ab eo, qui verè est ejus Dominus, habet verum titulum ex empto: sed hic ad præscriptionem non deservit, cum statim dominium transferat, quin aliquis temporis cursus requiratur. Alius est *putativus*, *seu existimatus*, quando scilicèt verè non adest titulus, creditur tamen adesse: v. g. si hæres tanquam legatam tradat alicui rem, quæ verè non est legata: & hic ad usucapionem sufficit. *L. 48. ff. de Usucapion* nisi in eo error facti proprij intervenerit: Hic namque, ut diximus, non toleratur in jure. §. 11. *Inst. de Usucapion* Alius est *coloratus, seu apparens*, qui scilicet, verus apparet, cum talis non sit ob occultum vitium: v. g. si quis emat rem à non Domino, quem Dominum esse credit: vel etiamsi à Domino emat, qui tamen potestate rem alienandi careat. Hic tamen sufficit ad usucapionem, sed non requiritur, cum etiam sufficiat titulus putativus. Alius est *præsumptus*; qui scilicèt à jure præsumitur, cum fortè non interveneri, nec possit in specie à parte allegari: v. g. si Titius longo tempore possedit rem, ejus Dominus creditur. Hic tamen titulus non sufficit ad præscriptionem ordinariam. *L. 27. ff. de Usucapion.* In præscriptione tamen longissimi temporis, vel centenaria, vel immemoriali antiquitas possessionis pro titulo habetur. *C. 15. V. Præscriptionum, 16. q. 4.* nisi contra possidentem stet malæ fidei præsumptio, vel ita jus ei possessioni resistat, ut adversario assistat, v. g. si extraneus Clericus in aliena Parochia velit decimas præscribere: nam cum jus assistat Parocho contra extraneum, est necessarium allegare, & probare titulum, vel saltem possessionem immemorialem. Et quidem licet illi, qui tempore immemoriali rem possedit, adeò longa possessio pro titulo præsumpto deserviat: si tamen simul cum possessione titulum habeat vitiosum, id est, talem, qui non sit ex se aptus, nec sufficiens ad transferendum dominium, ut titulus depositi, commodati, vel precarij, nulla omninò est talis præscriptio, quantumvis immemorialis: quia vitium tituli præsumptioni bonæ fidei obstat, cum veritati vitij in titulo patentis, cedat præsumptio legitimitatis ejusdem.

242 Titulus ergo ad præscriptionem requisitus talis debet esse, ut si Dominus ex eo titulo rem traderet, transferret profectò dominium, & quia tradens non est Dominus solum jus præscribendi transfertur. Talis enim titulus dicitur *justus*, & legi-

legitimus, quia est à jure ad præscriptionem, seu usucapionem requisitus. Ille verò titulus, qui in verò Domino positus, non esset sufficiens ad transferendum dominium, nec erit sufficiens ad jus usucapiendi transferendum, si à non Domino procedat: Hinc commodatarius, conductor, colonus, inquilinus, depositarius, creditor pignoraririus, usufructuarius, qui rem habet precario, & alij hujusmodi non præscribunt rem commodatam, conductam, depositam, pignoratam, vel precario habitam. *L. 4. tit. 15. lib. 4. R. C.* Quia hi tituli ex se non sunt apti ad transferendum dominium, quamquam à verò Domino originem ducant. Usucapit tamen ille, qui rem accipit, ex titulis sequentibus, scilicèt. *Pro emptore* usucapit, qui rem à non Domino, vel à Domino, qui alienare non poterat, emit. *Pro soluto* usucapit, qui rem indebitam, quasi debitam ab alio accipit, non expresso titulo debendi. *Pro hærede* præscribit hæres non solum extraneus, sed etiam suus, qui inter res hæreditarias accipit aliquam rem, quæ non erat defuncti. *Pro donato* usucapit, qui accipit rem ex donatione, quæ jure potest intercedere: Nam si filius à patre aliquid acciperet, non posset pro donato usucapere: quia hæc donatio non sustinetur in jure. *Pro derelicto* præscribit, qui occupat rem à non Domino derelictam. *Pro suo* etiam potest quis usucapere, non quatenùs hic titulus est generalis alios comprehendens, sed prout est specialis: v. g. Si quis tanquam thesaurum apprehendat rem causa securitatis defossam, eam pro suo præscribit. Et similitèr dicendum est de titulis pro dote, pro legato, pro socio, pro judicato, pro transacto, permutationis, & alijs hujusmodi, qui latè, & diffusè in Pandectis inveniuntur. *L. 9. l. 15. tit. 29. p. 3.* Hi enim tituli, si à verò Domino procederent, transferrent dominium, ac proindè à non Domino procedendo transferunt jus præscribendi. *L. 9. tit. 29. p. 3.* ibi: *Por tiempo queriendo ganar algun ome cosa mueble, ha menester primeramente, que aya buena fè, en tenerla, è que la aya por alguna derecha razon, assi como por compra, ò por donadio, ò por cambio, ò por otra razon semejante de estas.* Et etiam ad jurium præscriptionem justus pro jurium qualitate titulus requiritur: ac propretereà omnes servitutes, quæ justo titulo sunt munitæ: quis aliquisià Domino putarivo fundi eas obtinuit, tempore ordinario præscribuntur. *L. fin. in fin. C. de Præscript. long. tempor.* Et sanè usufructus non alitèr tempore ordinario potest præscribi, quam si adsit justus titulus ob magnum præjudicium, quod talis præscriptio affert. At verò servitutes reales continuæ, quæ scilicèt actum continuum habent, ut aquæductus, sine titulo præscribuntur tempore ordinario: attamen scientia, & patientia Domini loco tituli habentur: quæ quidem patientia, & scientia juncta cum bona fide præscribentis ad præscriptionem utrique sufficiunt. *L. 10. ff. Si servit. vindicet*, ibi: *Non est necesse docere de jure, quo aqua constituta est, veluti ex legato, vel alio modo, sed utilem habet actionem, ut ostendat per annos fortè tot usum se, non vi, non clam, non precariò possedisse.* Servitutes tamen discontinuæ, quæ scilicèt requirunt factum hominis pro quolibet actu, ut iter, actus, & via titulo quidem indigent, ut tempore ordinario præscribantur, sine titulo tamen tempore immemoriali præscribuntur. *L. 1. l. 2. ff. de Aqua pluv. arcend.*

243 4. Requisitum est *possessio*: sine hac enim præscriptio non potest procedere. *C. 3. de Reg. jur. in 6. C. 17. h. t. L. 25. ff. de Usucapion.* Sive talis possessio verè talis sit, qualis est respectu rerum corporalium: sive quasi possessio sit, qualis est respectu jurium, & rerum incorporalium, & quidem talis possessio debet ita haberi à præscribente, ut sibi, & suo nomine possideat: non verò nomine alterius: Siquidem is possidere dicitur, cujus nomine possidetur. *C. 17. h. t.* ac proindè ipsi præscribitur. *L. 9. tit. 29. p. 3.* ibi: *E aun ha menester, que sea tenedor della por si mismo, ò por otri, que la tenga en su nombre continuadamente tres años à lo menos.* Sic præscribunt servus Domino, filius patri, Tutor pupillo, & Curator minori. Et hac itidem ratione conductor, colonus, depositarius, commodatarius, creditor pignoratitius, & similes præscribere sibi non possunt rem locatam, depositam, commodatam, pignoratam, vel simili modo habitam, cum non proprio, sed alieno nomine possideant. *L. 9. l. 22. tit. 29. p. 3.* Et sanè possessio ad præscribendum debet esse civilis, hoc est, detentio rei cum opinione dominij. *Arg. L. 55. ff. de O. & A.* Et hæc sine naturali sufficit: secus naturalis sine civili. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 62. n. 1.* Possessio merè civilis, & sine naturali tunc habetur, quando solo animo rei nostræ, etiam absentes, insistimus: Civilis tamen, & naturalis simul aptissima quidem, licet non necessaria, ad usucapionem est. *Less. de Just. lib. 2. cap. 6.*

cap. 6. n. 5. Possessio quidem ad usucapionem requisita debet esse continuata, vel in uno eodemque usucapiente, vel in ipso, & alio, vel alijs successoribus. Si enim interrumpatur, non deservit ad usucapionem. Et hinc cum præscriptio à possessione oriatur, tantum quis præscribit, quantum possidet, & non amplius. Unde emphyteuta, & ususfructuarius non præscribunt dominium fundi, quia illum non possident civilitèr: possunt tamen contra proprietarium præscribere dominium utile, & jus fruendi, quia hoc modo suo nomine civilitèr possident. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 62. n. 4.* Similitèr Prælatus inferior solum præscribit contra Episcopum illa jura, quæ exercuit, & quasi possedit: etiamsi habuisset intentionem præscribendi universa Episcopi jura: nec talis possessio extenditur de jure ad jus, nec de casu ad casum. *C. 15. c. 18. h. t.* adeo tamen, ut si talis Prælatus solus exercuit talia jura, vel jurisdictionem, ea præscribit privative; & Episcopus nequit amplius ea exercere. Si tamen ipse, & Episcopus simul exercuerunt talia jura, vel jurisdictionem, præscriptio erit cumulativa, ac proinde uterque poterit illis juribus, vel jurisdictione uti. *L. fin. C. de Jurisdict. C. 17. de Haret. in 6.*

244 Qui tamen est incapax aliquid possidendi, est per consequens incapax illud præscribendi. *L. 25. ff. de Usucap. C. 3. de Reg. jur. in 6.* Sic Laici nequeunt præscribere spiritualia, ut jus eligendi, conferendi Beneficia Ecclesiastica, cognoscendi causas Ecclesiasticas, vel Clericorum, nec jus decimandi, & alia hujusmodi: quia sunt incapaces talia possidendi sine Pontificis privilegio. *C. 7. h. t.* præscribere tamen possunt libertatem, seu exemptionem solvendi decimas: siquidem talem libertatem possidere valent. Nec Religiosi professi possunt sibi præscribere: quia ob votum paupertatis sunt incapaces adquirendi dominium. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 62. n. fin.* Nec matrimonium præscribitur, ita ut intelligatur longa possessione, seu cohabitatione putativorum conjugum contractum. Nec item præscribitur contra illud, ita ut longa separatione legitimorum conjugum distractum censeatur: siquidem solum contrahentium consensu legitimo ab Ecclesia approbato contrahi potest: & semel contractum indissolubile redditur: nec jam amplius est in contrahentium potestate ejus vinculum dissolvere. Similitèr nec professio religiosa præscribitur, ita ut longa habitus possessione quis Religiosus constituatur: nec contra eam præscribitur, ita ut quis verus Religiosus desinat esse per diuturnam habitus depositionem, & non observationem status, & vitæ religiosæ. Siquidem professio solum consensu profitentis à Religione acceptato emittitur, & solum Pontificis dispensatione dissolvitur. Nec item potest præscribi exercitium ordinis sacri, quia sine ordinatione Laicus est incapax aliquem actum ordinis exercendi, nec exemptio ab obedientia legitimo Superiori debita, potest à subditis præscribi, quamdiù pro subditis se gerunt. *C. 12. h. t.* quia non habent possessionem exemptionis, & immunitatis. Prælatus vero inferior, v. g. Abbas, vel Archidiaconus potest contra Episcopum aliqua jura præscribere: de quibus sic habetur in *C. 18. h. t.* ibi: *Quia prædictus Abbas ostendit, Monasterium suum super institutionibus, & ordinationibus Plebani, & Clericorum, baptismo, & pœnitentia in levioribus culpis, sepultura, decimarum perceptione, ac Divinis Officijs celebrandis, tàm in plebe, quàm in capellis prædictis in excommunicando, atque interdicendo, & etiam absolvendo legitima præscriptione munitum: Abbatem ipsum ab impetitione tua super jam dictis articulis duximus absolvendum, super illis tibi perpetuum silentium imponendo; super alijs omnibus, quæ ad Jus Episcopale spectare noscuntur, juxta tenorem arbitrij eundem Abbatem quoad plebem, & capellas prædictas sententialiter condemnantes.* Uti igitur præscribens probet, suam possessionem esse continuatam, sufficit, si probet ejus initium, medium, & finem. Nam ex his in reliquis temporibus præsumitur possessio: imo si probet olim possedisse, & nunc possidere; medio, inter utrumque, tempore possedisse præsumitur. Denique si probet, se antiquitus possedisse, præsumitur adhuc de præsenti possidere; *arg. C. 17. de Restit. spoliator. l. 11. ff. Finium regund. l. 10. tit. 14. p. 3.*

245 5. requisitum est *tempus*. Hoc enim necessario ad præscriptionem requiritur: & currit, non de momento ad momentum, sed de die in diem, & ad complendam præscriptionem sufficit, quod sit ultimus dies inceptus. *L. 6. l. 7. ff. de Usucap.* ibi: *Ideoque, qui hora sexta diei Kal. Januarij possidere cœpit, hora sexta noctis pridiè Kalendas Januarias implet usucapionem.* Tempus in quaprublici differentia consideratur. 1. est tempus *breve*, quod scilicèt minus decennio est. 2. est *longum*, quod inter præsentes decem annos, inter absen-

tes

tes viginti includit. 3. eſt *longiſsimum*, quod ſcilicèt 30. vel 40. annos continet. 4. eſt *immemoriale*, cujus quidem initij memoria non extat. Quodlibet equidem ex prædictis temporibus poteſt in varijs ſucceſſoribus univerſalibus, ſeu particularibus continuari, donec integrè compleatur, dum non interrumpatur poſſeſſio, nec mala fides ſuperveniat. *L. 14. ff. de Uſucap. l. 16. tit. 29. p. 3.* ubi additur, quod ſi præſcribens aliquam rem, eam alteri det in pignus, poteſt perficere uſucapionem, computando illud tempus, quo res apud creditorem fuit. Pro varietate igitur rerum, quæ præſcribuntur, diverſum tempus ad præſcriptionem requiritur. Res etenim mobiles, quæ ſcilicet de loco in locum moveri poſſunt, ut pecunia, animalia, veſtis, oleum, vinum, fructus, & alia hujuſmodi olim anno præſcribebantur. Sed ex Conſtit. Juſtiniani, ne Domini rebus ſuis maturius defraudentur, triennio præſcribuntur, bona fide, & titulo accedentibus. *Pr. Inſt. de Uſucap. l. 9. tit. 29. p. 3.* Res immobiles, quæ ſcilicèt, moveri non poſſunt, ut prædium, domus, & alia hujuſmodi, olim biennio in Italico ſolo, ſed poſteà ex Juſtiniani Conſtitutione, ſi talia bona eſſent privatorum, qui privilegium non habent, cum titulo præſcribuntur inter præſentes decem annis: quia faciliùs poſſunt res ſuas apud alium exiſtentes agnoſcere, inter abſentes viginti annis præſcribuntur. *Pr. Inſt. de Uſucap. L. fin. C. de Præſcript. long. tempor. l. 18. tit. 29. p. 3.* ſi aliquis eſt partim præſens, partim abſens, tempus abſentiæ duplicatur. *L. 11. C. de Præſcrit. long. tempor. L. 20. tit. 29. p. 3.* ibi: *Aſsi, que ſi la tuvo cinco años, eſtando amos preſentes, è diez deſpues, que alguno dellos fueſſe à otra parte, que la pueda ganar por eſte tiempo.* Præſentes nunc intelligimus, qui in eadem Provincia habitant; abſentes verò, qui in diverſis Provincijs exiſtunt. *L. fin. C. de Præſcript. long. temp. l. 18. l. 19. tit. 29. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* ubi dicit, quod illi, qui ſunt ſub uno Præſide, intelliguntur, eſſe in una Provincia, ſecus aliter. Si ſervus cum bona fide, Domino præſente, decennio, & eo abſente, vicennio ſe pro libero gerat, libertatem præſcribit. *L. 23. tit. 29. p. 3.* At verò ſine titulo res privatorum mobiles, & immobiles inter præſentes, vel inter abſentes triginta annis præſcribuntur; *arg. L. 3. l. 4. C. de Præſcript. 30. vel 40. ann. L. 21. tit. 29. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. Molin. de Juſt. & jur. tr. 2. D. 68. n. fin.* ubi ait: quod res mobiles ſine titulo præſcribuntur 30. annis, tàm adverſus privatos, quàm adverſus Eccleſiam, etiam Romanam.

246 Eccleſia contra privatum præſcribit non aliter, ac alius privatus, decennio inter præſentes, & vicennio inter abſentes: quia ad hoc nullo ipſa gaudet privilegio, cum de lucro captando agat. Nec bona patrimonialia, & privata Clericorum ullo gaudent, quoad hoc, privilegio, ac proindè, ſicut bona Laicorum præſcribuntur. Similitèr uſusfructus, cujus proprietas ad Eccleſiam pertinet, tempore ordinario præſcribitur. Idem eſt de Jure Patronatus: idemque de emphyteuſi, vel feudo, quando Eccleſia eſt conſcia de poſſeſsione. Si verò neſciat, illa jura ab alio poſsideri, requiritur præſcriptio 40. annorum, & ſi feudus, & emphyteuſis ad Romanam Eccleſiam pertinent, centenaria requiritur præſcriptio. *Molin. de Juſt. & jur. tr. 2. D. 70. & 72. Barboſ. in C. 8. & 13. h. t.* Et quidem licet de jure antiquo in *C. 1. c. 2. c. 4. c. 8. 16. q. 4.* ad præſcribenda bona Eccleſiæ, quæcumque eſſent, ſufficerent 30. anni: Hodie tamen res mobiles Eccleſiæ triennio præſcribuntur cum titulo, & ſine eo, 30. annis, etiamſi ſint bona Romanæ Eccleſiæ: bona tamen immobilia, in quibus Eccleſia habet verum dominium; item jura, cenſus, ſervitutes, & actiones ad Eccleſiam pertinentes, imò ipſe fundus dotalis Eccleſiæ præſcribuntur à quolibet privato, etiam Laico ſaltem cum titulo quadraginta annis. *C. 4. c. 6. h. t. Auth. Quas actiones. C. de Sacroſanct. Eccleſ. l. 26. tit. 29. p. 3.* quin & idem tempus requiritur, etiamſi una Eccleſia contra aliam præſcribat. *C. 6. c. 8. h. t.* quia Eccleſia præſcribens non eſt privilegiata, nec jus ipſi favet ad captandum lucrum, ſed tantum, ut vitet damnum. Et eadem præſcriptio extenditur ad Monaſteria, Hoſpitalia, & alia loca religioſa; & ad legata, & cauſas pias. *Gloſ. in C. 4. h. t. V. Quadragenaria. Molin. de Juſt. & jur. tr. 2. D. 72. n. 3.* item ad legata pauperibus in genere relicta; & alia hujuſmodi. Idem ac de bonis dicendum eſt de actionibus, & alijs juribus Eccleſijs, & locis pijs competentibus: ac proindè contra Eccleſias, & pia loca ſolum 40. annis præſcribuntur. *Auth. Quas actiones. C. de Sacroſ. Eccleſ.* ſi aliqua res, vel jus ad Eccleſiam, & privatum ſimul ſpectet, ſiquidem res indiviſibilis ſit, privatus gaudebit privilegio Eccleſiæ; ac proindè præſcriptionis quadragenariæ; *arg. L. 10. ff. Quemadmod. ſervit. amit.* ſi poteſt dividi, diverſa, &

bre-

brevior præscriptio erit contra privatum, quam contra Ecclesiam; *arg. L. un. C. Si in commun.* Si res immobilis privati incœpta est ab alio possideri, ita ut dimidium temporis ad præscriptionem requisiti sit elapsum. V. g. quinque anni, & ad Ecclesiam res transeat, per 20. annos perficietur præscriptio, quæ quidem in prima temporis medietate, erit ordinaria: & privilegiata in secunda; *arg. L. 20. tit. 29. p. 3. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 72. n. 5.*

247 Res immobiles Ecclesiæ Romanæ, actiones, servitutes, obligationes, & jura illis adhærentia solum centum annorum tempore præscribuntur. *C. 13. c. 14. c. 17. h. t. Auth. Quas actiones. C. de Sacrosanct. Eccles. L. 26. tit. 29. p. 3.* ibi: *Pero las otras, que perteneciessen à la Eglesia de Roma tan solamente, non las podria ningun ome ganar por menor tiempo de cient años.* Item ex privilegio Leonis X. & Pij IV. contra Ordines Mendicantes, immediatè subjectos Sedi Apostolicæ solum currit centum annorum præscriptio. *Molin. Rodrig. Lacr. lib. 3. p. 2. n. 534.* Bona Ecclesiæ exemptæ, si non sit specialitèr exempta, quadraginta annis præscribuntur. Quod si agatur de tollendo jure exemptionis talis Ecclesiæ, centenaria præscriptio requiritur: quia in hoc casu non tantum fit præjudicium illi Ecclesiæ, ut quando præscribuntur ejus bona, & jura; sed etiam Ecclesiæ Romanæ fit præjudicium: illius quippè interest plures habere exemptos, & sibi immediatè subjectos. *Cl. 2. de Sentent. & re judic.* Beneficium quidem Ecclesiasticum nunquam præscribitur sine titulo colorato, quia deficiente institutione Canonica, saltem existimata, non habetur bona fides, nec aliter possunt Beneficia obtineri, quam collatione, seu institutione Canonica. *C. 1. de Reg. jur. in 6.* Et quidem hodie ex Regula 3. Cancellariæ, si quis, habilis quidem ad beneficium obtinendum, bona fide, & cum titulo colorato pacificè possederit beneficium per triennium, quod quidem ipse sit ingressus absque reali simonia, neque sit intrusus in beneficium Apostolicæ dispositioni reservatum; non poterit super eo ampliùs molestari: & est tutus non solum in foro externo ad vitandas lites, sed etiam in foro conscientiæ ad tollendos scrupulos. Deindè, hæc regula de Triennali juvat Clericum Sæcularem, si beneficium Regulare, & Regularem, si beneficium Sæculare possideat. Hac item regula gaudent commendæ perpetuæ, officia Ecclesiastica, Hospitalia data in titulum, beneficia etiam Juris Patronatus, & etiam reservata extra casum vacationis per obitum in Curia: Manualia tamen beneficia hac regula non gaudent. Fructus tamen beneficij cum sint res mobiles triennio præscribuntur. Latè *Sanch. lib. 2. Consil. cap. 1. ex dub. 20. Lacr. lib. 4. ex n. 689.*

248 Res immobiles Civitatum præscribuntur centum annis. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 74. n. 4. Covar. & alij. Ex L. 24. C. de Sacrosf. Eccles.* contra alios, qui tenent 30. annis præscribi. *Ex Auth. Quas actiones. C. de Sacrosf. Eccles.* quia hæc constitutio non loquitur de Civitatibus, sed tantum de Ecclesijs. Sed in nostra Hispania res Civitatum, quæ non pertinent ad usum publicum, 40. annis præscribuntur. *L. 7. tit. 29. p. 3.* Etiam servitutes, & jura, ut notat *Greg. Lop. ibid.* V. *De 40. años*, ubi addit, quod si Civitas in illa re solum quasi dominium habeat; quia illam usucapiebat, potest ab alio, qui postea illam habeat, tempore ordinario præscribi. Bona patrimonialia Principis, cum nihil in contrarium disponat jus, tempore iridem ordinario præscribuntur. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 74. n. fin. Covar. & alij:* quæ tamen ad coronam spectant, & non repugnat, à privatis adquiri, ut saltus, prædia urbana, vel rustica centum annis præscribuntur; *arg. L. 24. C. de Sacrosanct. Eccles.* ubi Civitatibus non obest nisi centenaria præscriptio. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 74. n. 4. Covar. & alij.* Si ad Fiscum pertineant, & illi jam sint incorporata: quia sententia lata est, & in effectu fiscus ea usurpavit, 40. annis præscribuntur. *L. 4. C. de Praescript. 30. vel 40. ann.* si tamen bona adhuc non sint fisco incorporata per sententiam, ita ut ea de facto fiscus obtineat, etiamsi culpa ab aliquo sit commissa, cui ipso jure est imposita pœna confiscationis ob aliquod crimen: tunc contra fiscum sæcularem defenditur quis quinquennio: v. g. si ob non solutum vectigal aliquid incidat in commissum: si quinquennio non petat fiscus, expirat jus ad petendum. *L. 2. C. de Vectig. & commiss.* contra fiscum Ecclesiasticum, si sit Ecclesiæ Romanæ, centum annis; si alterius non habentis privilegium, 40. annis præscribitur. Bona hæreticorum, & apostatarum debita fisco sæculari quinquennio præscribebantur. Contra fiscum tamen Ecclesiasticum nullo tempore ab hæreticis, vel ejus successoribus præscribuntur: nisi successores ignorent, quod sint bona hæreticorum, quia fortè tales hæretici, dum viverent, putabantur catholici, & posteà hæreticos fuisse appareat. Tunc enim pos-

sunt

sunt successores talia bona, etiam immobilia, 40. annis præscribere. *C. fin. b. t. in 6.* Et licet in nostra Hispania bona hæreticorum fisco Regio addicantur. *Ex C. 13. §. 1. de Heretic.* Tamen non aliter, quam si fisco Ecclesiastico addicerentur, præscribuntur. *Anton. Gom. 3. Var. cap. 1. n. 81. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 73. ex n. 4. Carena de Offic. Inquis. q. 15. Guid. n. 2. f. 503.* Quod si bona nondum incorporata non spectent ad fiscum ob aliquod crimen, sed alia ratione, v.g. quia morte decedentis sine hæredibus sunt vacantia, si nondum sunt denuntiata fisco, præscribuntur, sicut cætera privatorum bona, triennio scilicet, si mobilia sunt, & decennio, vel vicennio, si sint immobilia. Et si deest titulus, 30. annis præscribuntur. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 73.* Quod si denuntiata sint, & per quadriennium continuum ea non petat fiscus, jus ad ipsa vacantia amittit. *L. 1. C. de Quadrien. Et ibid. Gothofr.*

249 Vassallus contra Dominium potest dominium directum præscribere, si Domino possessionem intervertat, negando ei feudum, quando ab eo exigatur, & asserens liberum, & allodiale esse illud prædium, vel territorium. Et quidem 30. anni sufficiunt, ut feuda extinguantur, & fiant allodialia, quatenus dominium directum cum utili consolidetur. Item 30. anni sufficiunt, ut feuda fiant libera, & allodialia, si extraneus, ut talia bona fide possideat: deinde, ut feuda jam constituta de uno Vassallo ad alium transeant. Et denique 30. anni sufficiunt, ut res liberæ, & allodiales in feudales transeant, si Dominus illas tanquam feudales possederit. Majoratus, primogenituræ, & aliæ res, quæ alienari prohibentur, ut fundus dotalis, & fideicommissum possunt induci, & constitui in esse talium, justa *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 75. n. 9.* cum titulo tempore ordinario: sine eo 30. annis, ita ut bona, quæ sua natura non essent tali vinculo affecta, eo esse affecta probentur per temporis prædicti transcursum. Alij tamen adhuc requirunt 40. annos cum titulo, & sine eo tempus immemoriale. At verò ut bona alienari prohibita, vel affecta aliquo vinculo, ut bona majoratus, præscribantur, tempus immemoriale requiritur. *Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 79. n. 9. Covarr. & alij* contra *Lug. & alios.* Si verò talia bona præscribi cœperunt tempore, quo libera erant, licet postea tali vinculo afficiantur, adhuc præscribuntur eodem tempore, ac si talem rationem prohibitionis non essent sortita. *L. 16. ff. de Fund. dotal. Molina de Just. tr. 2. D. 79. n. 9.* In nostra Hispania tempus immemoriale requiritur, si titulus non adsit, ad probandum, aliqua bona esse affecta vinculo majoratus, debetque probari per testes bonæ famæ, quod per tempus immemoriale talia bona semper fuerunt possessa à primogenitis, exclusis cæteris fratribus. *L. 41. Taur. l. 1. tit. 7. lib. 5. R. C.* Talis enim præscriptio habet vim tituli legitimi, & concessionis: ac proinde facultas à Principe ad translationem, & alienationem concessa præsumitur. *L. 3. §. 4. ff de Aqua quotid.* nec minori tempore præscribitur. *L. fin §. fin. C. Commun. de Legat.* quia cum possidens majoratum non possit illius transferre dominium, talis titulus non est sufficiens ad transferendum jus usucapiendi. *Gomez in L. 40. Taur. n. 90.* contra *alios.*

250 Servitutes personales cum bona fide, & titulo præscribuntur 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes. *L. fin. C. de Præscript. long. temp. Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 70. n. 4.* Servitutes reales, quæ à prædio quidem serviente debentur prædio dominanti, sive urbanum sit, ut ædificium, sive rusticum, ut fundus, & sive servitus sit affirmativa, qua scilicet Dominus prædij dominantis aliquid in alieno prædio potest facere, ut iter, actus, viam: sive servitus sit negativa, vi cujus Dominus prædij servientis aliquid omittere tenetur, ut servitus altius non tollendi, & Dominus prædij dominantis potest aliquid positivè prohibere: Hæ quidem servitutes præscribuntur 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes. *L. fin. C. de Præscript. long. temp. Molina de just. & jur. tr. 2. D. 70. n. 5.* Possessio servitutis affirmativæ incipit à die, quo quis ea uti cœpit: v.g. tignum immittendo, vel aquam ducendo: possessio verò servitutis negativæ incipit ex die, quo præscribens prohibet altius tollere: v. g. & aequiescit Dominus rei. Tunc enim incipit possidere ille, qui prohibuit. Servitus continua, ut tigni immittendi, aquæductus, vel stillicidij, etiam sine titulo præscribitur 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes: quia scientia, & patientia Domini loco tituli habetur. *L. 1. C. de Servitut. l. 15. tit. 31. p. 3.* ibi: *E esto ficiesse à buena fé, cuidando que havia derecho de lo facer, è non por fuerza, nin por ruego. Et ibid. Greg. Lop. V. E non lo contradiciendo. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 70. num. 7.* Servitus verò discontinua, ut eundi per alie-

alienum fundum, vel agendi currum, licet cum titulo præscribatur 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes: at vero sine eo, cum non facilè possit adverti ejus usus, sicut potest adverti in continua, tempore tantum immemoriali præscribitur; *arg. L. 14. ff. de Servitut. l. 15. tit. 31. p. 3. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 70. n. 7.* Sicut enim servitutes per usum adquiruntur, & constituuntur, ita per non usum etiam amittuntur constitutæ. Et quidem servitutes reales per non usum amittuntur 10. an. inter præsentes, & 20. inter absentes. *L. 13. C. de Servitut.* ad rusticus autem amittendas nullus actus prædij servientis, quo suam præscribat libertatem, necessarius est, sed sufficit, quod ille, cui hujusmodi servitutes debentur, eis non utatur: Nam hoc præcisè eas amittit: nec item requiritur bona fides ex parte præscribentis. *Greg. Lop. in l. 16. tit. 31. p. 3.* ad amittendas tamen urbanas servitutes requiritur, quod Dominus prædij servientis positive incipiat bona fide suam præscribere libertatem: v. g. obstruendo foramen pro tigno immittendo paratum. *L. 6. ff. de Servitut. Urban. l. 16. tit. 31. p. 3. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 66. n. 8. & D. 70. n. 9. Less. de Just. lib. 2. cap. 9.* & latius *Gomez.* In nostra Hispania servitus urbana amittitur per non usum 10. annorum inter præsentes, & 20. inter absentes: servitus rustica habens causam continuam, amittitur per non usum tempore immemoriali, discontinuæ verò per non usum 20. annorum amittuntur, sive inter præsentes, sive inter absentes. *L. 16. tit. 31. p. 3. Et ibid. Greg. Lopez.*

251 Censibus, obligationibus, & præstationibus annis præscribit debitor contra privatum 30. annis, contra Ecclesiam 40. annis: Et quidem non solum præstationibus, & censibus futuris, qui suo tempore præstandi sunt, sed etiam præteritis præscribit, seu illis obligationibus, seu præstationibus, quæ jam cessarunt ex generalitate. *Text. in L. 3. l. 4. C. de Præscript. 30. vel 40. annor. C. 4. t. 6. h. t.* Nam cum 30. annis præscribatur jus præstationis annuæ, 30. annis debet finiri; *arg. L. 35. ff. de Reg. jur.* quia res eodem modo, quo adquiritur, dissolvitur: ac proinde si Colonus, vel Emphyteuta bona fide de se pro immuni à tali præstatione gerens, cesset à solutione census, vel pensionis, ex eo tempore in possessione immunitatis consideratur, ac proinde incipit præscribere immunitatem à tali onere. *Durand. in Specul. tit. de Emphyt. §. 1. n. 52. Menchaca Controv. cap. 55. & alij contra Mynsing. Layman, & alios*, qui distinctum jus inter obligationes futuras, & præteritas versari tenent. Actio & jus ad exigendum aliquid tanquam debitum: v. g. censum, vel pensionem præscribuntur eo tempore, quo res, quibus talia jura accedunt, præscriberentur: nam illatum naturam sequuntur. Et præscribens incipit tale jus possidere, ex tempore, quo tale jus exigit ab alio, & hic sine contradictione reddit: at verò ad præscribendam immunitatem ab obligationibus, & actionibus est necesse distinguere inter varias actiones, & tempora. Nam olim, actiones civiles erant perpetuæ, nulloque actoris silentio amittebantur *pr. Inst. de Perpet. & tempor. act.* Sed hodie actionibus realibus præscribitur, hoc est, tales actiones extinguuntur cum titulo decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes; *arg. pr. Inst. de Usucap. L un. C. de Usucap. transform.* Actiones verò personales, & obligationes civiles, quæ ex contractu, vel quasi contractu oriuntur 30. annis extinguuntur, seu ipsis adversus creditores præscribitur. *L. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. an.* Sed qui hanc immunitatem ab actione intendit præscribere, debet se negare alteri obligatum, vel se ut immunem gerere: nam si se obligatum agnoscat, illi non prodest non esse factam exactionem à creditore: quia hoc est actus meræ facultatis, in quo non habet locum præscriptio; *arg. L. 15. tit. 31. p. 3.* Legatis autem, & fideicommissis præscribitur contra legatarium, & fideicommissarium 30. annis. *L. 3. §. fin. C. Commun. de Legat.* Quoad actionem hypothecariam dicendum est, quod si debitor, vel ejus hæres possideat hypothecam, vel pignus quadraginta annis à die, quo solvendum erat debitum, præscribunt contra creditorem actionem hypothecariam, si alius tertius possidet cum titulo decem annis inter præsentes, vel viginti inter absentes: vel 30. annis sine titulo, eam præscribit contra creditorem, & jus hypothecæ finitur. *L. 7. C. de Præscript. 30. vel 40. an. l. 27. tit. 29. p. 3.* At verò si res mobilis, quam Titius præscripsit triennio fuisset à Domino in pignus tradita, licet quoad dominium sit præscripta triennio contra Dominum, jus tamen hypothecæ non extinguitur, nec præscribitur contra creditorem, nisi tempore supradicto. *L. 7. C. de Pignor. l. 17. tit. 29. p. 3.* Querela inofficiosi testamenti finitur quinque annis ab adita hæreditate. *L. 34. C. de Inofficios. testam.*

teſtam. Actio redhibitoria, qua quis repetit pretium, quando error dedit cauſam contractui, ſex menſibus elapſis finitur, qui incipiunt currere à die, quo emptor rei vitium ſcivit. Actio quanti minoris, qua emptor repetit partem pretij, quam non dediſſet, ſi vitium rei cognoviſſet, uno anno finitur, nec amplius poteſt venditor moleſtari. *L. 1. ff. de Ædilitio edict.* Rationes Reipublicæ ſubſcriptæ, & expunctæ non poſſunt retractari adverſus eum qui adminiſtraverit 20. annis elapſis; vel 10. adverſus illius hæredem. *L. 13. §. 1. ff. de Diverſ. tempor.* conditio Curialium, & adcriptitiorum non præſcribitur. Nam cjus authoritas æterna eſſe jubetur. *L. 5. C. de Præſcript. 30. vel 40. an. l. 23. C. de Agricol. lib. 11.* Hucuſque diximus quod de Jure Communi ex communi ſenſu Doctorum in præſcriptione diverſarum actionum ſervatur. Jam ergo ad noſtrum jus Hiſpanum tranſire oportet, cujus diſpoſitiones ad litteram referam. Et ſanè in *L. 6. tit. 15. lib 4. R. C.* ſic habetur: *El derecho de executar por obligacion perſonal, ſe preſcriva por diez años, y la accion perſonal, y la Executoria dada ſobre ella, ſe preſcriva por 20. años, y no menos: pero donde en obligacion ay hypoteca, ò donde la obligacion es mixta, perſonal, y real, la deuda ſe preſcriva por treinta años, y no menos, lo qual ſe guarde ſin embargo de la Ley del Rey Don Alonſo nueſtro progenitor, que puſo, que la accion perſonal ſe preſcriviesſe por diez años.* Et hac Lege revocantur. *L. 22. l. 27. tit. 29. part. 3.* Deindè in *L. 9. tit. 15. lib. 4. R. C.* dicitur: *Mandamos, que los que ovieren vivido con qualeſquier perſonas de eſtos nueſtros Reynos, ſean obligados à pedir lo que pretendieren, que ſe les quedare debiendo del ſalario, y acoſtamiento que tuvieren de ſus Señores, ò otro qualeſquier ſervicio que les ayan hecho dentro de tres años deſpues que fueren deſpedidos de los tales Señores; y que paſſados aquellos, no lo puedan mas pedir: excepto ſi moſtraren haverlo pedido dentro de los dichos tres años à los dichos Señores, y ellos no ſe lo ayan pagado, ni ſatisfecho. Y eſto miſmo mandamos, que ſe entienda, y eſtienda à los Boticarios, y Joyeros, y otros Oficiales mecanicos, y à los Eſpecieros, Confiteros, y otras perſonas que tienen Tiendas de coſas de comer: los quales, paſſados tres años, no puedan pedir lo que huvieren dado de ſus Tiendas, ni las hechuras que ovieren hecho.* Debet tamen ſupponi, quod Domini, alijque debitores habeant bonam fidem ad præſcribendum; aliter non poſſunt hac Lege excuſari à debito ſolvendo. *Aceved. ibid. n. 40. Molina de Juſt. & jur. tr. 2. D. 67. ex n. 2.* In aliquibus Hiſpaniæ locis viget Lex fori, quæ habetur in *L. 3. tit. 15. lib. 4. R. C.* ibi: *En los Fueros de algunas Ciudades ſe contiene, que el que tuviere, ò poſſeyere Caſa, ò Viña, ò heredad, por año, y dia, en paz, y en faz de aquel que ſe la demanda, entrando, y ſaliendo el demandador en la Villa, no ſea tenudo à reſponder por ella: y es duda, ſi en la dicha preſcripcion de año, y dia es meneſter titulo, y buena fé: Nos tirando eſta duda, mandamos, que el que tuviere la coſa año, y dia, no ſe eſcuſe de reſponder por ella en la poſſeſsion, ſalvo ſi tuviere la coſa año, y dia con titulo, y buena fé. Et ibid. Aceved. Molin. de Juſt. & jur. tr. 2. D. 69. n. 4.*

252 Obligationes ex delicto deſcendentes, & actiones criminales inde ortæ 20. annis, etiam quoad pœnam, quam imponunt, finiuntur. *L. 12. C. ad Leg. Cornel. de Falſ.* Nec requiritur bona fides, aut ignorantia pœnæ ſtabilitæ delicto, quia in foro conſcientiæ non debetur ante ſententiam. *Molina de Juſt. & jur. tr. 2. D. 66. n. 3.* Hoc enim termino elapſo, nec reus accuſari, nec Judex contra eum inquirere valet, etiamſi crimen ſit notorium, & confeſſatum, niſi ſit valdè enorme, quod nunquam præſcribitur, ut parricidium. *L. fin. ff. ad Leg. Pompej. de Parricid.* vel ſtuprum mari, vel fœminæ per vim illatum. *L. 29. §. fin. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* vel apoſtaſia. *L. 4. C. de Apoſtat.* vel delictum partus ſuppoſiti. *L. 19. §. 1. ff. ad Leg. Cornel. de Falſ.* vel crimen læſæ Majeſtatis, hæreſis, falſæ monetæ, aſſaſinij, abortus, ſimoniæ, & alia hujuſmodi. Terminus viginti annorum currit à die commiſsi criminis, vel à die ultimi actus, ſi habeat tractum ſucceſsivum. At verò actio adulterij, ſtupri, inceſtus, & lenocinij quinquennio extinguitur quoad pœnas legales. *L. 29. §. 6. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Secus quoad pœnas ſpirituales: nam etiam elapſo quinquennio poteſt conjux innocens petere divortium contra adulterum. Eodem tempore finitur actio de peculatu. *L. 7. ff. ad Leg. Jul. peculat.* Actio tamen doli durat, & finitur biennio. *L. fin. C. de Dolo malo.* Actio injuriarum anno finitur. *L. 5. C. de Injurijs.*

253 Cæteras omnes præſcriptiones excedit præſcriptio immemorialis, illa ſcilicèt, cujus initij memoria non extat, in quocumque tempore hoc ſtet: Hæc

enim præ cæteris est privilegiata, adeò ut illam allegans non egeat titulum allegare, quia hic ex diuturnitate temporis præsumitur: nec ipsa intelligitur exclusa in Lege, vel privilegio, licet generalitèr præscriptio excludatur: sed est necessarium, quod prohibeatur specialitèr. *Arg. C. 81. de Reg. jur. in 6.* Et si præscribens est capax possessionis rei præscriptæ, talis præscriptio habet locum privilegij Principis. *L. 3. §. 4. ff. de Aqua quotid. C. 6. D. 65. C. 26. de V. S. juncta Glos. ibid.* V. *Non extat.* Et possunt hac præscriptione adquiri ea quæ alias non possunt præscribi, dum præscribens sit capax ea possidendi. Sic in Nostra Hispania possunt præscribi tempore immemoriali, & non minori spatio contra Regem, Civitates, Villæ, Oppida, jurisdictio civilis, & criminalis, merum, & mixtum imperium, (excepto Supremo Regis imperio) aliaque jura ipsis annexa. *L. 1. tit. 15. lib. 4. R. C.* Etiamsi non detur scientia, & patientia ex parte Regis: nec minus spatium esset necessarium, etiamsi scientia, & patientia Regis daretur. Ut ibid. notat *Acevedo.* Mineræ, seu Fodinæ, Salinæ, & Tertiæ, licet sint de juribus Regalibus, tamen pertinent ad Regium patrimonium, & sic tempore immemoriali præscribuntur. Similitèr præscribuntur Tabelliones instituendi facultas, vectigalium inductio, illegitimorum legitimandorum potestas, & alia hujusmodi, ut constat ex *L. 2. tit. 13. lib. 6. R. C. l. 1. tit. 21. l. 16. l. 17. tit. 27. lib. 9. R. C. Aceved. in l. 1. tit. 15. lib. 4. R. C. alios citans.* Si adsit titulus potest jurisdictiò 40. annis præscribi. *Aceved. in l. 1. tit. 15. lib. 4. R. C. n. 3.* Modus enim probandi possessionem immemorialem specificè affertur in *L. 1. tit. 7. lib. 5. R. C.*

254 Præscriptio, quæ ab initio benè cœpit: quia omnia habebat requisita ad præscribendum necessaria, solet ex post facto impediri. Nam aliquando interrumpitur: aliquando dormit: aliquando, etiam postquam est perfecta, rescinditur. *Interrumpitur* quidem, quando ita cessat, ut si postea rursus ea res præscribatur, non continuetur præscriptio cum antecedenti, nec antecedentis tempus computetur quoad præscribendum cum sequenti. *C. 8. h. t. L. 29. tit. 29. p. 3.* Et duplex potest esse interruptio, *naturalis*, scilicet, & *civilis.* *Naturalitèr* quidem interrumpitur, si aliquod requisitum deficiat, postquam præscriptio inchoata est, v. g. si desit bona fides in præscribente: vel si possessio amittatur. *L. 5. ff. de Usucap. l. 29. tit. 29. p. 3. l. 7. tit. 15. lib. 4. R. C.* quod intelligitur de possessione civili: nam defectus possessionis naturalis non obest continuationi usucapionis, seu præscriptionis, ut benè notat *Greg. Lop.* in dicta *L. 29. Civilitèr* interrumpitur præscriptio, quando extinguitur per aliquem actum juridicum, ut fit per sententiam judicialem, quæ quidem directè tendat contra præscriptionem: nam si alios articulos concernat, præscriptioni non nocet. Per citationem tamen, vel etiam per litis contestationem non verè interrumpitur; sed solum sub conditione, si præscribens succumbat: quod si absolvatur, præscriptio censetur continuata, ac si per litis contestationem non fuisset interrupta. *Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 78. n. 14.* In Nostra Hispania per citationem judicialem interrumpitur præscriptio: ita ut postea secuta sententia contra præscribentem, censeatur præscriptio à tempore citationis interrupta. *L. 29. tit. 29. p. 3.* Imò hodie quæcunque citatio, vel reconventio, vel denuntiatio, etiam extrajudicialis, si præscribentem in mala fide constituat, sufficit ad interrumpendam præscriptionem, siquidem hæc in omnibus, & singulis momentis bonam fidem requirit. *C. fin. h. t. Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 78. n. 17. Greg Lop. in l. 29. tit. 29. p. 3.* V. *Le ficiesse emplazar.* Sententia excommunicationis, quæ in Cœna Domini quotannis promulgatur contra occupantes bona ad R. Ecclesiam pertinentia tantum fertur in malæ fidei, non in bonæ fidei possessores, ac proindè non interrumpit præscriptionem, quæ bona fide contra illius bona est inchoata. *Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 78. n. 18. Covar. & alij contra Felin. & alios.* *Dormit* præscriptio, cum suspenditur, postquam legitimè est inchoata, adveniente scilicèt aliquo impedimento, quo sublato continuatur. Siquidem tempus non currit impedito, seu non valenti agere. *L. 1. C. de Annal. except.* sic dormit præscriptio contra Ecclesiam, quando hæc caret immediato Prælato, etiamsi alios, mediatos tamen, habeat. *C. 4. h. t. C. 1. C. fin. Ne Sedevacant.* vel si Prælatus est impeditus, & non potest agere, quia est captivus, excommunicatus, vel suspensus. Etiam tempore belli dormit. Idem est de tempore hostilitatis, vel pestis, vel similis impedimenti. *C. 10. h. t. Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 78. n. 7. & 9.* Sic etiam dormit contra pupillum tempore pupillaris ætatis. *L. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* adversus mulierem, quoad fundum dotalem, v-

ven-

veniente marito dormit similitèr præscriptio: idem est adversus filium, quoad adventitia bona, rempore, quo est in patria potestate. *Auth. Nisi tricennale. C. de Bonis matern. l.* 8. *tit.* 29. *p.* 3. quia neque maritus, neque pater habentur legitimi Administratores prædictorum bonorum: sicut habentur Curator, & Prælatus, sed sunt jure proprio ususfructuarij fundi dotalis, & bonorum adventitiorum, & consequenter non adscribuntur uxori, nec filio, quæ ipsi agunt, sicut adscribuntur acta ab administratore illi, pro quo administrat. Et ideò præscriptio currit contra minorem puberem, & Ecclesiam administratoribus instructos, & non currit contra uxorem, & filium. Denique post completam præscriptionem, hæc potest *rescindi* per restitutionem in integrum. Et quidem. 1. à Minoribus intra quadriennium integrum ab anno 25. completo. *L. un. C. Si adversus usucap.* 2. ab Ecclesijs, & alijs locis pijs intra quadriennium à die, quo potuerunt petere restitutionem. *Arg. C.* 1. *C.* 2. *de Restit. in integr. in* 6. 3. à Civitatibus, & Oppidis intra quadriennium à die notitiæ læsionis. *L.* 7. *tit.* 29. *p.* 3. 4. à Majoribus ex justa causa. *L.* 1. §. *fin. ff. Ex quib. cauf. major.* Ipsi equidem intra quadriennium, à tempore, quo impedimentum cessavit, possunt restitutionem petere: v.g. Si abfuerunt causa Reipublicæ, vel boni communis, vel si fuerunt in bello, vel in perigrinatione, vel in Universitate causa studiorum: vel si fuerunt ab hostibus, vel latronibus capti, vel aliter justè impediti. *L.* 28. *tit.* 29. *p.* 3. Quando igitur venit in Domini notitiam, quod sua res ab alio præscribitur, debet contra præscriptionem, & præscribentem reclamare: quod si præscribens haberi non potest, quia absens est, vel incidit in furorem, vel mortuus est, infante hærede relicto, qui non habet Tutorem: vel si fortè præscribens est persona in magna dignitate constituta, vel valdè potens, contra quam non audet Dominus litigare: debet hoc denuntiare coram Judice, vel hoc deficiente, coram Episcopo loci, vel in ejus defectu ad domum præscribentis coram vicinis denuntiabit, seu protestationem faciet. Et sic interrumpetur præscriptio. *L. fin. tit.* 29. *p.* 3. Hanc difficilem materiam in Universitate Salmantina explicui tempore, quod ibidem extraordinarium dicitur.

TIT. XXVII.

De Sententia, & re judicata.

255 **S***Ententia*, sic à *sentiendo* dicta, *est Judicis pronuntiatio super re à litigantibus in judicio proposita, qua vel reum absolvit, vel condemnat, vel declarat incurrisse pœnam à Lege statutam.* Et ab his effectibus *absolutoria*, *condemnatoria*, vel *declaratoria* indigitatur. *L.* 1. *l.* 2. *tit.* 22. *p.* 3. Triplicitèr potest considerari sententia: alia quæ est *præceptum*, alia *definitiva*, *interlocutoria* alia. *Præceptum* est quod à Judice imponitur debitori confitenti debitum, ut illud solvat. Si verò Judex, parte inaudita, jubeat ipsi aliquid solvere, vel si Judex comminetur, quod si intra tale tempus aliquid non solvatur, debeat solvi duplicatum, non habet vim sententiæ, nec præcepti. *L.* 22. *tit.* 22. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop. V. Amenaza. Sententia definitiva est, quæ definit, & terminat litem quoad eam instantiam. C.* 2. *h. t. L.* 2. *tit.* 22. *p.* 3. Et hæc proprijssimè sententiæ sibi vendicat nomen; ac proindè si in aliquo statuto fiat sententiæ mentio, in dubio de definitiva intelligitur: quia etsi interlocutoria propriè sententia sit ex *L.* 39. *ff. de Minor. l.* 2. *tit.* 22. *p.* 3. tamen definitiva est omnium nobilior, & principalior species: & semel ac proferatur definitiva, non potest ab eodem Judice revocari. *L.* 2. *tit.* 22. *p.* 3. quia quoad eam causam functus est Judex officio suo, ita ut desinat esse Judex. *L.* 55. *ff. de Re judicat.* Et quidem non de facili est etiam ab alio Judice revocanda, sed potius debet confirmari à Judice Superiore, si ab ea appelletur, nisi fortè injusta sit. Sed in dubio potius pro ea, quam contra eam præsumendum est, donec de ejus injustitia constet. Nec Pontifex censetur velle revocare per Rescriptum, etiam motu proprio expeditum, sententiam prius ab eo latam, nisi illius faciat mentionem. Et beneficij collatio per tale Rescriptum facta est invalida ex *C.* 12. *h. t.* Sententia tandem *interlocutoria est, quæ quasi inter loquendo dicitur inter principium, & finem causæ, non quidem super principali quæstione, & controversia, sed solum super aliquo articulo incidenti pronuntiat*: v.g. de libello emendando, de admittendo, vel repellendo procuratore, de ejus mandato valido, vel invalido, sufficienti, vel insufficienti declarando, de testibus, instrumentis, vel

privilegijs repellendis, vel non: de dilatione concedenda, vel neganda: uno verbo omne Judicis præceptum pendente lite dicitur sententia interlocutoria. *L. 2. tit. 22. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. V. de Otras semejantes.* Aliquando tamen post hujusmodi sententiam alia non spectatur; & tunc definitivæ æquivalet. Talis est sententia, qua reus absolvitur ab instantia judicij, seu à judicij observatione: vel qua parti defertur juramentum, vel quando Judex, se competentem, vel incompetentem pronuntiat: vel si pronuntiet, appellationem esse desertam, vel si admittat, vel rejiciat exceptionem peremptoriam, & aliæ hujusmodi. Sententia igitur interlocutoria ad distinctionem definitivæ potest ab eodem Judice, contrario imperio, ante definitivam, revocari. *L. 14. ff. de Re judicat. C. 60. de Appellat. l. 2. tit. 22. p. 3.* nisi forte habeat vim definitivæ, vel si est à Superiore confirmata, vel si ab ea est appellatum, & ejus appellatio est admissa, vel si lata est de utriusque partis consensu, vel si est executioni mandata: in his enim casibus non potest sententia interlocutoria ab eodem Judice revocari. Sententia definitiva, quando legitimè lata est, varios effectus producit. Nam si pro actore feratur, ei, & illius hæredibus competit actio in factum, quæ est personalis perpetua, & rei persecutoria, etiam contra rei hæredes, ut reus actori præstet id, in quod est condemnatus; *arg. L. 8. C. de R... credit. l. 19. tit. 22. p. 3.* quæ quidem 30. annis durat. Si verò reus absolvatur, ei competit exceptio rei judicatæ contra actorem, & ejus hæredes. *L. 14. ff. de Exception. rei judicat. l. 19. tit. 22. p. 3.* ne super illa re amplius in judicio vexetur. Aliquando etiam ex sententia definitiva resultat reo condemnato infamia; ut in judicijs, & delictis publicis: v. g. adulterio, beneficio, & alijs: & in quatuor privatis judicijs, & delictis, scilicèt in furto, rapina, dolo, & injuria, & in aliquibus contractibus. §. 2. *Inst. de Pœna temere litis*, ibi: *Ex quibusdam judicijs damnati ignominiosi fiunt: veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo: item tutelæ, mandati, depositi, directis, non contrarijs actionibus. Item pro socio, quæ ab utraque parte directa est.*

256 Ut tamen sententia legitima sit, sequentes debet habere conditiones. 1. Debet esse libello conformis. *C. 24. in fin. de Accusation. Cl. 2. de V. S.* Quæ quidem conformitas in sequentibus debet consistere. 1. In re, quæ petitur, ut si petatur domus, Judex non pronuntiet de equo; vel si proprietas petatur, non pronuntiet de possessione. Imò si res, quæ petitur potest in specie præstari, in specie præstari debet Judex decernere, nec suo muneri satisfaciet, si jubeat æstimationem præstare. *L. fin. C. de Fideicom. libert. l. 16. tit. 22. p. 3.* 2. Debet stare conformitas sententiæ, & libelli in causa petendi; v. g. si res ex donatione petatur, non debet ex alia causa adjudicari. 3. In actione: nam Judex secundum actionem in libello propositam, non autem secundum aliam pinguiorem pronuntiare debet: etiamsi actor secundum eam petere potuisset. Sed si æquitas, vel necessitas suadeat potest Judex in aliquibus casibus, præcipuè quoad circunstantias, recedere à libello. Imò in nostra Hispania, etiamsi actor petat rem, allegando certam causam, & actionem, etiamsi illa actio non habeat locum, nec res, ex illa causa debeatur, si tamen probetur aliundè rem deberi: jubebit Judex eam restituere. Nam undecumque veritas constet, sufficit ad sententiam ferendam, quamvis aliquæ desint solemnitates. *L. 3. tit. 22. p. 3.* Et expressius habetur in *L. 10. tit. 17. lib. 4. R. C.* 2. Sententia debet esse certa. §. 32. *Inst. de Action.* ibi: *Curare debet Judex, ut omninò quantum possibile ei sit certæ pecuniæ, vel rei sententiam ferat, etiamsi de incerta quantitate apud eum actum est. L. 3. tit. 22. p. 3.* Siquidem per sententiam incertam, lis non extinguitur: nisi forte actio in libello proposita solum incertam sententiam postulet: v. g. si petatur hæreditas, vel si feratur sententia non assignata quantitate, sed Judex se referat ad processum, ubi constare potest de certa quantitate petita: tunc utique valet sententia. *L. 16. tit. 22. p. 3.* Item si reum condemnet ad fructus, & expensas solvendas: nam sufficit, quod in executione sententiæ taxentur, & specificentur. 3. Sententia debet esse purè non subconditione proprietali, lata. *L. 1. §. 5. ff. quando appelland.* Quippè cum de purificatione conditionis dubitetur non imponit finem controversiæ: v. g. si Judex pronuntiaret: *Condemno Titium ad triremes, si delictum ipsi imputatum est ab ipso commissum*: nam de hoc est quæstio. Si fortè sub conditione sit lata potest condemnatus appellare: si non appellet, transit in rem judicatam. *L. 14. tit. 22. p. 3.* Et quidem condemnare, vel absolvere reum debet Judex per suam sententiam. *C. 3. de Accusat. L. 1. ff de Re judicat. l. 2. tit. 22. p. 3.* ibi: *Sentencia de-*

m-

nitiva, que quiere tanto decir, como juicio acabado, que dà en la demanda principal fin, quitando, ò condemnando al demandado. Nec interest per quæ verba proferatur, sive sit per verba formalia: *absolvo, vel condemno*; sivè per æquivalentia: *declaro, teneri, vel non teneri solvere.* In nostra Hispania sic solet proferri: *Vistos los Autos, y meritos de la causa, &c. fallamos, que debemos condenar, y condenamos à Juan Sanchez à que pague à Pedro Fernandez los cien pesos, &c. ò que debemos absolver, y absolvemos à Juan Sanchez de la demanda de cien pesos, &c. assi lo sentenciamos; determinamos, y mandamos definitivamente juzgando, con parecer de Assessor.* Et Judex, & Assessor subscribunt. In causis, in quibus reus absolvitur ab instantia judicij, seu ab observatione instantiæ, sic fertur sententia: *Fallamos, que debemos absolver, y absolvemos al dicho Juan Sanchez, reo demandado en este pleyto de la instancia de este juicio, reservando, como reservamos, su derecho à salvo al dicho Pedro Fernandez, para que pueda pedir, y demandar al dicho Juan Sanchez, donde, quando, y como le convenga.* Alias sententias definitivas, & interlocutorias invenies apud *Paz in Praxi: apud Villadiego, & alios.* Nec est necesse, imò nec expedit causam sententiæ exprimere: quia communiter pro Judice præsumitur. *C.16. h. t.* Exprimi autem debet in causa appellationis, quando prima sententia revocatur. *C. 18. h. t.* Item in causis criminalibus, præsertim excommunicationis, vel quando ab instantia judicij absolvitur reus ob ineptum libellum, vel quando ab instantia absolvitur, & per patronos causæ stetit, quominus potuisset causa definiri, vel quando Judex recedit à Jure Communi, vel à consuetudine recepta. In his, & similibus casibus solet causa sententiæ exprimi. *Durand. in Specul. tit. de Sentent.* §. 5. 4. Sententia debet esse juri conformis. Si enim contra jus, vel Legem claram, & expressam, vel contra consuetudinem, vel statutum proferatur, est ipso jure nulla. *C. 8. h. t. L. 5. C. de Legib. C.64. de Reg. jur. in 6. L. 1. l.12. tit.22. p.3.* Sententia tamen lata contra jus litigatoris, & merita causæ, si non sit notoriè injusta, nec error contrarius juri in ea exprimatur, valida est. *C.9. & 13. h. t. L. 32. ff. de Re judicat.* quia in dubio pro Judice præsumitur. *C.7. de Probation.* Et nisi condemnatus appellet transit in rem judicatam. Sed hæc præsumptio cessat, si error juri claro, & indubitato contrarius exprimatur: v. g. si Judex pronuntiet, pupillum posse testari, quia minor 14. annis testari valet: vel si sententia sit notoriè injusta; nam tunc etiam invalida est. *C. 9. h. t.* ibi: *Nec ei debet stari, si iniquitatem contineat manifestam.* Sententia lata contra minorem, sine curatore etiam nulla est. *L. 1. tit. 25. p.3.* Quod si sententia feratur contra privilegium, valida est. *C. 21. h. t.* quia si privilegium non fuit exhibitum, nec debuit, nec potuit Judex secundum illud judicare: si fuit exhibitum censetur reprobatum à Judice.

257 Deindè sententia debet ferri cum causæ cognitione, & juris ordine servato. *L.4. C.de Sentent. & interloc. C.24. h. t. L.12. tit. 22. p.* 3. Et sanè quæ de Jure Naturali requiruntur, ut citatio partis, ut se defendat, etiam R. Pontifex servare debet. *C. 19. h. t. C. 1. de Caus. possess. L. 12. tit. 22. p. 3.* quæ verò Jure Positivo sunt introducta, ut litis contestatio, libelli oblatio, vel quod sententia in scriptis feratur, & alia hujusmodi non debent necessariò à Pontifice, vel Principe Supremo servari, quia ipsi sunt supra omne Jus Positivum, nec ipsi dependent à jure, sed jus dependet ab ipsis. *C. 4. de Concess. præbend.* Ad sententiam audiendam debent litigantes citari, & quidem expressè ad audiendam sententiam, vel trina citatione, vel una peremptoria. *Cl. fin. h. t. L. 5. tit. 22. p. 3. l. 7. l. 8. l. 9. C. Quomod. & quand. jud.* Sententia tamen contra reum, etiam absentem lata, si ipse post contumaciam nolit comparere, valida est. *L. 5. tit. 22. p. 3.* Si ex justa causa non potuit comparere, & hoc judici constet, non debet sententiam proferre, quod si proferat erit nulla. Si Judex causam ignoret, sententia valet, sed retractatur, si causam justam non comparendi litigans, qui abfuit, probet coram ipso judice. *C. 18. h. t.* Si notoriè constet, reo nullam defensionem competere, valet sententia contra eum absentem, & non citatum prolata. *arg. C. 21. de Jur. jur. C. 12. h. t. L. 9. tit. 22. p. 3.* Præterea sententia debet scribi, ut non possit occultari partibus ejus tenor. *C. fin. h. t. in 6. L. 2. l. 3. C. de Sent. ex brevicul. l. 5. tit. 22. p. 3.* & ne possit à Judice corrigi, postquam prolata est: & præcipuè, ut de ea in posterum, & semper constet. Non tamen scribitur, si causa est levis, vel notoria; *arg. C. 21. de Jur. jur.* vel si ita ferat consuetudo: nec interlocutoria debet necessariò in scriptis proferri. *L. 2. t. 22. p. 3.* Quando igitur res de qua controvertitur est parvi momen-

menti, non convenit, quod sententia in scriptis proferatur, ut sic pauperum expensis obvietur. Et ita pro nostra Hispania est stabilitum in *L. 6. tit. 22. part. 3. E esto seria quando la demanda fuesse de quantia de diez maravedis ayuso: è sobre cosa que non valiesse mas de esta quantia, mayormente quando tal contienda, como esta, acaeciesse entre omes pobres, è viles. Et Greg. Lop. ibid. notat.* V. *Diez maravedis*, quos intelligo aureos Castellanos. Sed hodie ex *L. 24. tit. 9. lib. 3. R. C.* hæc summa debet esse mille marapetinorum, & corrigitur. *L. 19. ejusd. tit.* In Indijs non debet fieri processus nisi summa controversiæ excedat pretium viginti argenteorum. *Hispanè: Vainte pesos*, *L. 1. tit. 10. lib. 5. R. Ind.* Insuper ut Judicibus debita exhibeatur authoritas, & ut innuatur, sententiam sedato, & deliberato animo esse ferendam, debet Judex ad eam in causa ordinaria (secus in summaria. *Cl. 2. de V. S.*) ferendam, pro Tribunali sedere: nec debet eam, stando, vel de ambulando, pronuntiare. *L. 5. l. 12. tit. 22. p. 3.* alias nullius momenti erit sententia. *C. fin. b. t. in 6.* item ex scripto, quod *periculum*, seu *breviculum* dicitur *in Tit. C. de Sentent. ex pericul. vel brevicul. recitand.* debet proferri; & quidem ore Judicis. *C. fin. b. t. in 6. l. 5. tit. 22. p. 3.* alias nullius momenti erit, nec erit necesse ab ea appellare. Episcopi verò, & alij Judices illustres possunt suas sententias per alios publicare. *C. fin. b. t. in 6. l. 5. tit. 22. p. 3.* in nostra Hispania Judices Ordinarij Sæculares, *Hispanè: Corregidores, ò Alcaldes*, cum consilio alicujus Advocati, qui est Assessor in causa, proferr in scriptis sententiam, & uterque subscribit, de quo fidem facit Tabellio, & ipse posteà partibus eam notam facit. Et tunc respondent, vel in illam se consentire, vel ab ea appellare; vel nullam esse dicunt. Et idem debita proportione in alijs Tribunalibus servatur. Debet prætereà proferri non in loco inhonesto, sed in loco publico, & honesto. *L. 12. tit. 22. p. 3.* Et quidem si Judex est Ordinarius in loco, in quo Tribunal habet, pronuntiat sententiam, alias nullius momenti est. *L. 11. ff. de Just. & jur. l. 12. tit. 22. p. 3.* nisi de plano procedatur, vel partes litigantes consentiant, vel causa pertineat ad jurisdictionem voluntariam, vel si Judex sit Episcopus, qui per se, vel per alium in quolibet loco non exempto suæ Diœcesis potest sententiam ferre. *C. 7. de Offic. ordin. in 6.* Delegatus tamen ad unam, vel alteram causam, cum certam sedem non habeat potest aliquem locum honestum eligere, sicut, & arbiter: si delegatus sit ad universitatem causarum, quia Ordinario æquiparatur: jus dicit in loco delegantis. *L. 59. ff. de Judic.* Deindè non est pronuntianda sententia in die feriato. *C. 1. de Ferijs*, *L. fin. C. eod.* nec de nocte, sed de die. *C. 24. de Offic. delegat. L. 5. tit. 22. p. 3.* quia tenebræ aptæ sunt ad fraudes; & qui male agit, odit lucem juxta veritatem Evangelicam, nisi necessitas, vel consuetudo aliud exigant. Et debet proferri eo die, & hora, ad quam partes citatæ sunt, alias non valet. *L. 5. §. 1. ff. Quod vi, aut clam.* Et licet de Jure Civili sententia feratur in procuratorem, si ipse litem suscepit. *L. 1. C. de Sentent. & interlocut.* & sic regulariter contingat: nam sententia fertur contra eum, qui litem est contestatus, jure tamen Canonico contra Dominum potest pronuntiari. *C. 9. de Probation.* & alias sæpè.

258 Judex in pronuntianda sententia non debet procedere voluntaria præcipitatione, quæ noverca justitiæ dicitur, sed matura discretione, quæ mater virtutum nuncupatur. *Cl. 2. b. t. Nil vindicet odium, nec favor usurpet, timor exulet, præmium, aut expectatio præmij justitiam non evertat, sed stateram gestet in manibus, lances appendat æquolibramine, Deum in omnibus præ oculis habeat. C. 1. b. t. in 6.* Et ut ait Eleutherius Papa: *Judicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discurrere. C. 11. 30. q. 5.* omnes circunstantias perpendere debet, ut omnibus simul inspectis ad rei veritatem perveniat. Quippè ut benè ponderat Horatius: *Intererit multum Davusnè loquatur, aut heros: Maturusnè senex, an adhuc florente juventa fervidus, an Matrona potens, an sedula nutrix, Mercatornè vagus, cultornè virentis agelli: Colchus, an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis.* Et quia sæpè fit in jure mentio de circunstantijs, conveniens duxi semel hoc radicitus explicare. *Circunstantiæ sunt accidentia individualia humanorum actuum. D. Thom. 1. 2. q. 7. art. 1.* qui posteà in *corp.* ait: *Inde est, quod nomen circunstantiæ ab his, quæ in loco sunt derivatur ad actus humanos: dicitur autem in localibus aliquid circunstare, quod est quidem extrinsecum à re, tamen attingit ipsam, vel appropinquat ei secundum locum. Et ideò quæcumque conditiones sunt extra substantiam actus, & tamen attingunt aliquomodo actum humanum circunstantia dicuntur: quod autem est extra subs-*

substantiam rei ad rem ipsam pertinens accidens ejus dicitur: unde circunstantiæ actuum humanorum accidentia eorum dicendâ sunt. Et posteà *art.* 3. eas enumerans ait: *Tullius in sua Rhetoricâ assignat septem circunstantias, quæ hoc versu continentur. Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando: considerandum est enim in actibus, quis fecit: quibus auxilijs, vel instrumentis fecerit: quid fecerit, ubi fecerit, cur fecerit, quomodo fecerit, & quando fecerit. Sed Aristot. in 3. Ethicor. addit aliam scilicèt, circa quid, quæ à Tullio comprehenditur sub quid. Et ratio hujus annumerationis sic accipi potest. Nam circunstantia dicitur quasi extra substantiam actus existens, ita tamen, ut aliquomodo attingit ipsum, contingit autem hoc fieri tripliciter. Uno modo in quantum attingit ipsum actum: alio modo, in quantum attingit causam actus: tertio modo, in quantum attingit effectum. Ipsum actum attingit, vel per modum mensuræ, sicut tempus, & locus: vel per modum, qualitatis actus, sicut modus agendi: ex parte autem effectus, ut cum consideratur quid aliquis fecerit: ex parte verò causæ actus quantum ad causam finalem accipitur propter quid: ex parte autem causæ materialis, sive objecti accipitur circa quid: ex parte verò agentis principalis accipitur quis egerit: ex parte verò causæ agentis instrumentalis accipitur, quibus auxilijs.* Juxta hanc doctrinam Angelice ab Angelico traditam tanquam aureo filo in singulis materijs discurrere potes.

259 Sententia à Judice lata, aliquando non transit in rem judicatam, quia condemnatus appellat ab illa. De quo in sequenti titulo. Aliquando tamen transit in rem judicatam: quando scilicèt illa condemnatus ipsi acquiescit, vel expressè, vel tacitè, non appellando tempore opportuno. *C.* 15. *h. t.* Vel quando appellatio non admittitur, vel declaratur deserta. Tanta equidem est rei judicatæ authoritas, ut pro veritate habeatur. *L.* 207. *ff. de Reg. jur. l.* 19. *tit.* 22. *p.* 3. Nec retractatur ratione erroris calculi, qui provenit à partibus. Sed si in sententia sit manifestus error calculi, non valet sententia in quantitate, in qua est error: in alijs tamen sententia tenet. *L.* 19. *tit.* 22. *p.* 3. Cum igitur præsumptio pro authoritate rei judicatæ sit juris, & de jure probationem in contrarium, etiam per instrumenta novitèr reperta excludit. *C.* 21. *h. t. l.* 56. *ff. de Re judicat.* in negotio tamen publico nova instrumenta admittuntur. *L.* 35. *ff. de Re judicat.* Sic rescinditur sententia contra Regem, vel ejus Procuratorem lata infra triennium, imo si probetur, quod sententia fuit lata contra Regem dolo Procuratoris ejus semper potest rescindi. *L.* 19. *tit.* 22. *p.* 3. secus est in causis privatorum, nisi in instrumento novitèr reperto constet de alia sententia contraria prius lata, quæ transierit in rem judicatam. Nam secunda illi opposita est invalida, proindeque nulla gaudet authoritate. *L.* 13. *tit.* 22. *p.* 3. Etiam retractatur sententia lata. 1. si pars victrix declaret, se non habuisse jus in causa, in qua victrix evasit. 2. favore ultimæ voluntatis admittitur Testamentum contra priorem sententiam, à qua non est appellatum intra decendium: sicut transactio, & Testamentum retractantur per Testamentum noviter repertum. *L.* 3. §. 1. *ff. de Transact. l. fin. C. de Rebus credit.* 3. si producantur instrumenta à minori; *arg. L.*36. *ff. de Minor.* vel ab Ecclesia; *arg. C.* 1. *de in Integr. restit.* secus est, si à majoribus etiam ex justa causa producantur. *L.* 4. *C. de re judicat.* 4. si quis probet, se non potuisse instrumenta, quæ nunc producit, antea producere, quia ea perdiderat, vel quia non potuit ea consequi ab habente illa. 5. si sententia lata fuit propter juramentum partis, retractatur, si posteà inveniatur instrumentum, in quo contrarium constet. *L.* 19. *tit.* 22. *p.* 3. Adeo igitur magna est vis, & authoritas rei judicatæ, ut dici soleat communitèr, quod facit ens, de non ente, de nigro album, de albo nigrum, ex indebito debitum, & jus ex non jure. *C.* 13. *h. t. l.* 19. *tit.* 22. *p.* 3. ibi: *Afinado juicio, que dà el Judgador entre las partes derechamente, de que non se alce ninguna dellas, fasta el tiempo que dicè en el Titulo de las alzadas, hà maravillosamente gran fuerza, que dende adelante son tenudos los contendores, è sus herederos de estàr por èl.* Quam quidem vim tribuit Respublica rei judicatæ ob bonum publicum, & ut finis litibus imponatur; adeo, ut si postquam res transit in rem judicatam debitor, in cujus favorem lata est sententia, ex novis instrumentis cognoscat, se debitorem esse, probabilitèr sit tutus in conscientia; ut ex fundamentis dictis, & alijs textibus tenent *Joan. Andr. Hostiens. Gonz. in C.* 7. *h. t. n.* 5. & 6. & *alij.* Sed verius est, quod in conscientia tenetur debitum solvere, quoties agnoscat, se verè illud debere. Authoritas namque rei judicatæ licet debitorem per sententiam absolutum reddat securum in foro externo, non tamen in interno: nam ...

ibus

fundetur in præsumptione: & ipse debitor clarè cognoscat veritatem debiti, huic veritati debet illa præsumptio cedere: quod non obscurè comprobatur. *Ex C.2. de Purgat. vulgar. l. 2. ff. de Condict. sine caus. l. 60. ff. de Condict. indebit.* Et tenent expressè *Gotbofr. in d. l. 60. Soto de Just. & jur. lib.3. q.4. art.5. & alij.*

260 Judex de quacumque causa cognoscat, postquam sententiam definitivam tulit, functus est officio suo. *L. 55. ff. de Re judicat.* ac proindè nec ipse, nec ejus in officio successor, possunt sententiam latam revocare, nec in melius corrigere quoad negotium principale, nec etiam quoad accessoria, etiamsi non sit appellatum ab ea intra decennium: nec prætextu erroris, modo iste sententiam non invalidet: & quamvis eam esse iniquam manifestè cognoscant, dum tamen valida sit. *L. 2. l. 3. tit.22. p.3.* ibi: *Pues que una vez lo ovieren bien, ò mal juzgado, non lo puede toller, nin mudar aquel Juez, que lo juzgò, si non fuere el Rey, ò el Adelantado Mayor de su Corte.* Quod si nulla sit, potest ipse Judex eam revocare: quia nullitèr agens non censetur fungi suo officio. *L. 4. C. de Accusation.* Potest tamen Judex eodem die suam sententiam declarare, vel supplere: v. g. imponendo restitutionem fructuum, si hoc omisit. *L.42. ff. de Re judicat.* potest verò interlocutoriam revocare, nisi in casibus expressè probitis. Dies autem, quo potest supplere, vel declarare definitivam, debet intelligi de die judiciali, non verò de naturali 24. horarum. *L. 3. tit. 22. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* sententia à Principe lata, si non processit de plenitudine potestatis, nec per modum dispensationis in Lege, vim Legis habet, & secundum eam debent judicare inferiores Judices. *C. 19. b. t. l. fin. C. de Legib.* sententia tamen ab inferiori Judice lata, nec respectu aliorum Judicum Legem facit. *L. fin. C. de Legib. l. 12. tit. 22. p. 3.* Nec jus facit, nisi respectu litigantium, & successorum utriusque in re, de qua lata fuit sententia. *L. 19. tit. 22. p. 3.* alijs verò regularitèr nec prodest, nec nocet. *L. 63. ff. de Re judicat. C. 25. b. t. l. 20. tit. 22. p. 3.* etiamsi eadem causa sit, vel par ratio, vel jus simile: nam aliæ personæ alias, & alias defensiones possunt habere; *arg. L. 14. l. 22. ff. de Exception. rei judicat.* Nec alteri per alterum iniqua debet inferri conditio. *L. 74. ff. de Reg. jur. C. 22. eod. in 6.* nisi fortè jus tertij à jure litigantis pendeat. Sic sententia declarans, oppignorantem non esse Dominum rei, quam oppignoravit, etiam facit pignoris jus in illo, qui eam pignore accepit, evanescere. *L. 31. ff. de Pignor. & hypoth.* vel si causa sit individua, vel connexa cum causa decisa. Sic sententia lata pro socio prædij communis super servitute debita prædio alijs socijs prodest. *L. 4. §. 3. ff. Si servit. vindicet.* vel si aliorum interfuit sententia lata. Si citati legitime, noluerunt comparere: secus si non fuerint citati, indici tamen potest illis purgatio Canonica. Vel si ille, cui principalitèr actio competebat, patiatur, sequentem agere. Vel si ille, qui causam ab alio habet, patiatur, eum agere nulla facta protestatione: v. g. si creditor super fundo sibi oppignorato patiatur, debitorem, à quo causam habet, agere: quia tunc videtur in sententiam consentire: ac proindè illi sententia nocet. *C. 25. b. t.* in his igitur casibus sententia pro uno lata contra alium alijs prodest, & nocet. *L. 20. l. 21. tit.22. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* ubi plures casus referuntur cum Textibus concordantibus.

261 Sententia, quæ est ipso jure nulla, non transit in rem judicatam, etiamsi ab ea non appellent litigantes. *L. 2. C. Quand. provocar. non est necess.* siquidem, quod nullum est, nullum producit effectum. *C. 8. de Jur. Patronat.* Talis est sententia lata à Judice carente jurisdictione. *L. 12. l. 15. tit. 22. p. 3.* vel si lata sit contra jus, & Leges. *L. 12. tit. 22. p. 3.* vel contra Procuratorem carentem mandato, vel lata ex probationibus reprobatis: v. g. per duellum, ferrum candens, aquam frigidam, vel ferventem. *C. 2. de Purgat. vulgar.* vel si sit contra confessionem ab adversario factam, etiam post decendium à sententia. Nec in causa matrimoniali transit sententia in rem judicatam. Nam matrimonium non ex sententia Judicis, sed ex mutuo consensu contrahentium valorem accipit: nec semel validè contractum rescindi potest sententia Judicis, cum omninò indissolubile sit. *C. 7. c. 10. c. 11. b. t. l. 13. tit. 22. p. 3.* Nec in rem judicatam transit sententia lata ex juramento necessario, quod à Judice parti delatum est, altera quidem parte invita, in defectum probationum. Nam si posteà falsitas juramenti probetur, retractatur. *L. 31. ff. de Jur. jur. l. 13. tit. 22. p. 3.* secus est, si sententia ex juramento judiciali feratur; quia cùm hoc ex utriusque partis consensu procedat, habet vim transactionis, quæ non retractatur, etiamsi novum instrumentum reperiatur. *L. 19. C. de Transact. l. 31.*

ff.

ff. de Jur. jur. Idem est, si sententia lata sit ob falsa instrumenta, vel testes, vel aliam quamcunque falsitatem: vel si probetur, Judicem pecunia, aut dono fuisse corruptum: Tunc quidem potest usque ad viginti annos sententia retractari: oportet tamen probare; quod Judex pronuntiaverit ob tales falsas probationes: *L. 13. tit. 22. p. 3.* Nec lata ex præsumptionibus nisi sint juris, & de jure habet omnimodam firmitatem. *Arg. L. 34. C. ad Leg. Jul. de Adulter.* Idem dic de lata ex consilio, vel dictamine alicujus artificis: Nam si peritiores posteà contrarium judicent, retractatur. Nec sententia censuræ excommunicationis, suspensionis, & interdicti: quia excommunicatus etiam post decendium concessum ad appellandum, potest petere absolutionem, imò, & conqueri de injusta excommunicatione, non per appellationem: sed per simplicem querellam. *C. 36. de Offic. delegat. C. 48. de Sentent. excom.* Sententia quidem in causa beneficiali, licet transeat in rem judicatam in præjudicium beneficiati contradicentis sententiæ latæ. *Arg. C. 32. de Electione.* non transit in rem judicatam in præjudicium Ecclesiæ, ob hujus favorem: nec item si periculum immineat peccati, ut imminet intruso. *Arg. C. 7. h. t.* & contra victorem potest à quocumque opponi de nullitate tituli, vel à Judice ex officio inquiri. *C. 46. in f. de Appellation.* Nec in causis criminalibus capitalibus potest exequi sententia, quandocunque apparuerit, etiam privata Judicis scientia, innocentia rei per evidentiam facti. Et ipse Judex potest, etiam inconsulto Principe, revocare talem sententiam. *L. 1. §. 27. ff. de Quæstion. L. 4. tit. 30. p. 7. Et ibid. Greg. Lop. V. Debelo quitar. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 15. n. 9.* quamvis securius est Principem consulere. *Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 568.* Ille contra quem tres sententiæ definitivæ conformes in quacunque causa, etiam criminali, dum non sit capitalis, imò, & interlocutoriæ super eodem articulo sunt latæ, & si de earum nullitate velit agere, non auditur prius quam executio fiat: hac tamen facta de nullitate agere valet, ut sic calumnijs, & moratorijs litigantium occurratur. *Cl. 1. h. t.* nisi sit sententia in causa capitali: Nam cum hæc semel executioni mandata irreparabile damnum afferat, prius de ejus nullitate, quam de ejus executione agendum est. Etiam suspenditur executio trium sententiarum conformium, si nullitas sit notoria, vel si victor patiatur, quod victus nullitatem probet: vel si tertius pro suo interesse se opponat, & de nullitate agat.

262 Postquam sententia in rem judicatam transijt, proceditur ad executionem, quæ est ultimum sententiæ complementum. Et quidem quando reus est absolutus, non est necessaria specialis sententiæ executio. Nam cum ipse rem in sua potestate habeat, non est quid executioni mandetur, præter id quod ipse amplius non molestetur in rei petitione; & fortè quod actor condemnetur in expensas. Quando verò reus damnatur, tunc profectò est necessaria executio sententiæ: non tamen est facienda ab ipso victore: imò si propria authoritate eam exequatur, actione furti, & vi bonorum raptorum tenetur. *L. 6. §. 2. ff. de Re judicat.* Nec item potest exequi à Judicibus compromissarijs, nec ab arbitris juris: quia solum dantur ad cognoscendum, & pronuntiandum. Debet ergo fieri executio à Judice Ordinario. *L. 15. ff. de Re judicat. L. 4. tit. 21. lib. 4. R. C. Hevia in Cur. Philip. p. 2. §. 12. n. 4.* Quod si debitor sit de fuga suspectus, & non adest Judex, potest apprehendi ab ipso creditore; sed intra 24. horas debet illum Judici præsentare. *L. 10. tit. 15. p. 5. l. 2. tit. 13. lib. 8. R. C.* Judex enim Ordinarius, qui sententiam tulit, ipse eam exequi debet: quia jurisdictio sine aliqua coercitione inutilis esset. *L. fin. §. un. ff. de Offic. ejus.* Et quidem eam exequitur, etiamsi pars damnata appellasset, si tamen appellationem deseruit: quin etiam ipse de desertione cognoscit. *Hevia in Cur. Philip. p. 2. §. 12. n. 3.* Si à sententia in prima instantia lata appelletur, & hæc sententia sit revocata à Judice appellationis, vel etiam expressè confirmata, ipse Judex appellationis eam exequitur: quia ad ipsum per appellationem devolvitur jurisdictio: Si verò Judex appellationis tacitè tantum sententiam confirmet: v. g. pronuntiando, appellationem desertam, ipse Judex *à quo* eam exequitur. Quippè apud eum manet jurisdictio perinde, ac si appellatum non esset. *L. fin. §. 4. C. de Tempor. appellat.* Solet etiam aliquando executio sententiæ alijs committi ab ipso Judice Ordinario, & talis dicitur *Executor.* Et quidem *si merus* est, quia sola causæ jam decisæ executio sine aliqua cognitione committitur, nullas potest exceptiones admittere, quæ impediant sententiæ executionem: sed eam in effectu exequi debet: etiamsi privata scientia sciret, sententiam esse injus-

tam. C. 28. §. *Quia de Offic. deleg.* nisi causa sit capitalis. Nam tunc non tenetur eam exequi, cum occidere innocentem sit intrinsecè malum: vel etiamsi nulliter sit lata in causa civili, quia cum tunc non transeat in rem judicatam, non est exequenda. *L. 4. §. 6. ff. de Re judicat.* vel si sciat, esse formalitèr, & non tantum materialitèr injustam: quia scilicèt Judex dolo, vel imperitia malè judicavit. Vel non secundum allegata, & probata: Nam cum tunc cesset præsumptio pro justitia sententiæ Executor eam exequendo cooperaretur tali injustitiæ. Extra hos quidem casus merus Executor debet sententiam ad litteram exequi, quin de exceptionibus, si quæ à parte opponantur, cognoscat: alias sui muneris limites excederet, & falcem in messem immitteret alienam. *L. 6. l. 8. C. de Execut. rei judicat.* Aliter vero discurrendum est de Executore mixto, cui scilicèt, non solum executio, sed etiam cognitio de executione facienda committitur. Hic etenim potest cognoscere, & pronuntiare de exceptionibus executionem impedientibus, vel retardantibus. Si exceptiones merita causæ concernant, & sententiam directè impugnant de eis mixtus executor cognoscit: Si frivolæ sunt, eas repellit, si justæ in executione supersedet, & eas examini Superioris remittit. *L. 75. ff. de Judic.* Executio ergo in causis criminalibus, saltem capitalibus, postquam sententia transijt in rem judicatam, non est differenda. In Nostra Hispania tres dies indulgentur reo, ut se ad mortem Christiane disponat. Nam postquam subscripta est à Judice, reo à Tabellione intimatur, & statim reducitur ad quoddam cubiculum, quod capella dicitur, quia habet altare in quo Missa pro Incarceratis celebratur: & ex tunc nunquam ei copia confessarij deest. Et secundo die Eucharistiam suscipit per modum Viatici, & die sequenti furca suspenditur, vel aliter morte punitur. *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 17. ex n. 13. L. 9. tit. 1. lib. 1. R. C.* In actione tamen reali, quam primum debet reus tradere rem ipsam, de qua est controversia, & in ea quidem si extat, est facienda executio. *L. 4. §. 3. ff. de Re judicat.* Nec satisfacit debitor, si pignora det, etiam majoris pretij. *C. 6. b. t.* quia aliud pro alio invito creditore nequit solvi. Idem est in actione personali, si condemnetur reus rem v. g. emptam tradere, vel si ex maleficio condemnetur, vel si pecuniam paratam habeat, vel si periculum est in mora: In his enim casibus, quam primum debet fieri executio. *L. 31. ff. de Re judicat.* In alijs debitis, & actionibus personalibus quadrimestre ad solvendum conceditur. *C. 15. b. t. C. 26. de Offic. delegat.*

263 Modus procedendi in executione, seu in via, quam ab executione, *executivam* dicimus, sic, præcipuè in Nostra Hispania, ordinatur. Postquam sententia transijt in rem judicatam, petitur executio. Idem est quando instrumentum publicum præsentatur, quod habeat paratam executionem, præcipuè si guarentigium est. Idem etiam evenit, quando scriptura privata à parte recognita est. Virtute ergo vel sententiæ, vel instrumenti, creditor per se, vel per Procuratorem petit coram Judice executionem talis sententiæ, vel instrumenti. Tunc quidem Judex instrumentis inspectis, absque citatione partis adversæ interponit mandatum de exequendo, *Hispanè*: *Mandamiento de execucion, y apremio*: quo, scilicèt, executionem, juris ordine servato, fieri jubet in personam, & bona debitoris. *Hispanè*: *Embargo de persona, y bienes.* Et hoc mandatum traditur cuidam Nuntio, *Hispanè*: *Alguacil, ò Ministro*: Hic enim vi istius mandati simul cum Tabellione capit bona debitoris usque ad quantitatem debitam, *Hispanè*: *Trabar execucion.* Et quidem primo capere debet mobilia: quod si nulla mobilia sint, vel insufficientia, progreditur ad immobilia, & denique ad jura, & actiones. Et hæc bona annotantur, & sequestrantur, seu deponuntur apud bonum virum. *Hispanè*: *Hacer inventario, & sequestro.* Quinimò, & debitor carceri mancipatur, si non dat fidejussorem evictionis, *Hispanè*: *De saneamiento*, qui fide jubet, seu cavet, bona esse debitoris, & forè sufficientia ad solutionem tempore addictionis. Posteà verò illa bona publicè à præcone proclamantur, mobilia quidem, tertio quoque die, nono verò immobilia, ita ut in publicatione mobilium decem, in immobilium publicatione triginta dies percurrant. Communitèr tamen debitor præconijs renuntiat, ita tamen, ut ipsorum tempus in ejus utilitatem cedat. Nec est necesse, reum citare ad præconia, sed ipsis datis solum citatur ad sententiam addictionis, *Hispanè*: *De trance, y remate*: qua citatione facta tres dies debitori conceduntur, intra, quos se possit executioni opponere: quod si se opponat, alij decem dies ipsi indulgentur. *Hispanè*: *Se le encargan los diez dias de la Ley.* Intra quos exceptiones,

nes, si quas habet, & opponere, & probare renetur. Et quidem debet opponere, vel solutionem debiti, vel aliam legitimam exceptionem. Si enim frivolam, vel non legitimam opponat, repelliitur. Et in hoc etiam spatio se debet opponere, & comparere tertius, ut dicitur, oppositor; Si scilicèt aliquis prætendat, se in bonis debitoris præferendum esse creditori in cujus favorem fit executio: quia bona publicata, esse sua dicat, vel si melius jus ad ipsa habere intendat. Sic frequentèr solet se opponere uxor debitoris allegans, se potiori jure esse pro sua dote in illis bonis præferendam alijs creditoribus. Comparente igitur aliquo tertio oppositore, suspenditur judicium executivum, & ordinarium incipit discuti inter oppositorem, creditorem, & debitorem, quod quidem usque ad sententiam definitivam progreditur. Quo peracto, & finito, vel si nullus fuit tertius, qui se opponeret, progreditur judicium executivum, & decem diebus elapsis Judex profert sententiam definitivam, qua quidem, si est in rei favorem, decernit Judex, quod reo pignora, & bona deposita reddantur: imò, & expensa restituuntur, in quas tanquam temerarius litigator debet condemnari creditor: ac per consequens omninò absolutus manet à judicio executivo. Si verò in creditoris favorem sit ferenda sententia, jubet Judex, quod in executione ulterius procedatur, & bona in publica subhastatione vendantur majori licitatori, addicenda. *Hispanè*: *Se saquen al pregon en publica almoneda, y se rematen, y den al mejor ponedor.* Ut ex eorum pretio satisfiat creditori: Hic tamen debet prius cautionem præstare de eo, quod pecuniam cum duplo restituet, si sententia addictionis revocetur à Judice appellationis. Sed nunquam hæc poena cum tanto rigore ad praxim redacta est, fortè quia casus non evenit, ut notat *Acevedo*. Hæc enim cautio dicitur: *La fianza de la Ley de Toledo* *L. 2. tit. 21. lib. 4. R. C.* Prædicta tamen addictionis sententia, facta prædicta cautione, executioni omninò est mandanda, nulla obstante appellatione: Nam si hæc interponatur tantum effectum devolutivum, non verò habet effectum suspensivum. Et quidem executio fit pro debito principali obtinendo, & insuper pro salarijs, seu expensis, & sportulis, seu decima parte debiti, quæ aliquando juxta locorum varias consuetudines, solvitur Ministro executori: sed hoc non ubique servatur.

264 In oppignoratione bonorum prius à mobilibus, quam ab alijs debet exequens incipere. Res etenim mobiles prius sunt oppignorandæ, & distrahendæ, vel etiam creditori juxta debiti quantitatem adjudicandæ: Si res mobiles non sufficiant, ad immobiles venitur, & tandem, alijs deficientibus, ad jura, chirographa, & actiones. *L. 15. §. 2. ff. de Re judicat.* Hoc enim ordine distrahuntur, seu venduntur: quod si emptor non inveniatur, ipsi creditori pro debiti solutione adjudicantur. *L. 15. §. 2. ff. de Re judicat.* Sunt tamen aliqua bona, quæ à jure sunt ab executione exempta. Talia sunt vestes, lectus, & alia, quæ ad usum quotidianum debitori deserviunt. Item Libri Scholasticorum, & advocatorum, arma, & equi, quibus indiget debitor ad suum quotidianum usum, instrumenta agriculturæ, vel alterius cujuslibet artis, quatenùs sunt debitori ad se alendum necessaria. Item servi, qui laborant in fodinis metallorum, & in sacchari opificio in Indijs. Item stipendia Militum, judicum, & Sacerdotum, nisi illud, quod congruæ superfit sustentationi. Naves, quæ à Regnis extraneis asportant merces, & alia necessaria ad usum, & utilitatem Regni. Theatra, domus Capitulares, & alia loca publica: res Sacræ cultui Divino dicatæ. Sacella, sepulchra, jus patronatus, & alia hujusmodi, nisi veniant in cumulo bonorum. Servitutes reales sive rusticæ, sive urbanæ, vel servitus personalis usus: & præcipuè debitoris cadaver. Bona uxoris nequeunt capi, nec sequestrari pro debito mariti, nec bona particularium pro debito Civitatis, vel universitatis, nec bona majoratus pro debito possessoris, redditus tamen illius possunt capi ad satisfaciendum debito: Similitèr pro debito usufructuarij possunt capi redditus usufructus, licet in ipso usufructus jure nequeat fieri executio. Deindè plures sunt personæ, quæ pro debito, non proveniente ex delicto, non possunt incarcerari. Tales sunt Clerici in Sacris, & omnes illi, qui non possunt insolidum conveniri, sed solùm in quantum facere possunt. Ut socius pro debito societatis, ascendentes, pro debitis, quæ descendentibus debent. Nobiles, *Hispanè*: *Hidalgos*. Doctores, vel Licentiati cujuslibet facultatis, & cujuslibet Universitatis approbatæ: Ad vocati in albo advocatorum scripti, etiam si tantùm sint Bacealaurei. Milites, mulieres, illi, qui bona incendio, naufragio, terræmotu, vel aliq casu amiserunt. Agricolæ tem-

tempore messis, & alij hujusmodi. Si tertius pro suo interesse agens executioni se opponat, si tempore legitimo à sententia appellavit, suspenditur executio, donec ejus causa sit decisa. *C. 17. h. t.* quia illi non nocet res inter alios acta. Si non appellavit, quia ignoravit causam agi, & sententiam esse latam, impeditur executio. Si scivit, sententiam esse latam, & non appellavit, neutiquam impeditur executio. Nam sibi debet ille tertius imputare, eo quod cum posset, noluit impedire, ne sententia in authoritatem rei judicatæ transijsset. Denique sententia addictionis lata in via executiva non causat exceptionem rei judicatæ quoad viam ordinariam: ac proindè facta reali executione, & cum effectu, remanet reo executo salva via ordinaria, si nolit ab executione appellare, ut notat *Acevedo in L. 1. tit. 21. lib. 4. R.C. n. fin. Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 21. n. fin.* Quæ omnia habentur in *tit. 21. lib. 4. R.C. Et ibid. Acevedo, Pichardo in Manuduct. ad Prax. p. 2. Hevia in Cur. Philip. p. 2. per tot. Paz in Praxi, tom. 1. p. 4. cap. 1. & seqq.* qui de his latissimè agunt: mihi tamen non licet diutius immorari: quia longa restat via.

265 Audacia, & temeritas litigatorum, qui sine prævia diligentia, nec causæ examine lites movent, debet absdubiò justis pœnis coerceri. V. g. Si litigans intentato petitorio transeat ad possessorium illo suspenso, vel si libellum mutavit, vel liti renuntiavit, & in alijs casibus, qui arbitrio Judicis relinquuntur, censetur temerarius litigator, si nulla causa legitima excusetur: Et coercetur modo pecuniaria pœna, modo juramento calumniæ, modo infamiæ pœna. *Pr. Instit. de Pœna temer. litigant.* regularitèr ergo temerarius litigator damnatur solvere victori expensas litis: non quidem voluntarias, sed necessarias, sive personales, sive processales. Personales censentur illæ, quæ in itinere, & sumptibus testium sunt facta: processales verò, quæ in litis prosecutione fiunt: Scilicèt in Tabellionum, & Advocatorum justis stipendijs solvendis. *L. 8. tit. 22. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. V. En las costas.* Si tamen aliquis ex litigantibus sit Advocatus, & vincat, non sunt ipsi solvendæ expensæ, quas faceret, si alius Advocatus eum defenderet. Siquidem verè eas non fecit. Si pars petat, adversarium in expensas condemnari, vel expressé hoc petendo, vel tacitè, implorando, scilicèt, officium Judicis, ut sibi fiat justitia omni meliori modo, quo possit, tenetur Judex eum in expensas condemnare, alias teneretur eas victori resarcire. *L. 13. §. 6. l. 15. C. de Judic.* Si tamen à parte non petantur, potest quidem Judex ex officio, sed non tenetur, eum in expensas condemnare. *L. 25. §. 8. ff. de ædilit. edict.* Nam ad ejus officium spectat temeritatem litigatorum reprimere: quod si semel definitivè in expensas condemnavit, non potest suam revocare sententiam: gravatus tamen in taxatione appellare potest. Si per sententiam interlocutoriam condemnavit, potest revocare, & corrigere taxationem. *Durand. in Spec. tit. de Expens. §. 6. n. 3.* Post litem tamen finitam non possunt peti expensæ. *L. 3. C. de Fructib. & lit. expens. quia post absolutum, dimissumque judicium nefas est litem alteram consurgere ex litis primæ materia.* In nostra Hispania victus excusatur ab expensarum condemnatione præstando juramentum calumniæ, ex *L. 8. tit. 22. p. 3.* sed hæc Lex praxi ipsa interprete, intelligitur de casu, quo non temerè litigetur, vel si aliundè non constet de litigantis calumnia. *Greg. Lop. ibid. V. La jura.* Expensæ quidem debent à judice taxari. *L. fin. tit. 22. lib. 4. R. C.* sed si litigantes sint pauperes ad expensas litis non tenentur, nec pro eis possunt in carcere detineri. *L. 20. & seq. tit. 12. lib. 1. R. C. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 18. ex n. 9.* si tamen victus non temere, sed ex justa causa litigavit, non est condemnandus in litis expensas; *arg. L. 78. §. 2. ff. de Legat. 2.* Nam causa justa ab expensarum solutione eum liberat; *arg. §. 1. Inst. de Pœna temer. litigant*: v. g. si pro se habeat sententiam saltem unius celebris Doctoris, vel si suam intentionem, vel exceptionem semiplenè probavit. Reus tamen in causa criminali non condemnatur in expensas, quia quolibet modo licet proprium sanguinem defendere. Si causa controversa valdè difficilis sit, & pro utraque parte Juribus, & Doctoribus fulcita, non condemnatur victus in expensas, etiam si in prima, & secunda instantia succumbat. Quippè talis error probabilis censetur, nec potest dici temerarius litigator. *C. 48. de Sentent. excommunicat.* Et per consequens à solvendis expensis excusabitur, qui in prima instantia vicit, licet sit victus in secunda, facta quadam expensarum compensatione.

266 Si pars, contra quam fuit lata sententia, velit probare, eam nullam esse, hoc debet facere coram eodem Judice causæ, in judicio quidem contradictorio

cum

cum adversario. *L.1. C. de Sentent. & interloc. C. 2. de Purgat. vulgar. L.1. tit. 26. p.3. Paz in Praxi, tom.1. p. 1. temp. 12. ex n.5.* quod si Judex pronuntiet, illam sententiam esse validam, non potest litigans amplius agere de hujus novæ sententiæ nullitate, sed debet ab ea appellare. Et tunc à sententia in gradu appellationis lata non datur recursus nec per viam nullitatis, nec per appellationem, ut sic finis litibus imponatur. *L.2. tit.17. lib.4. R.C. Hevia in Cur. Philip. p.1. §.18. n. fin.* De causis ob quas sententia nulla potest dici, & ad nullitatem agi, latè tractatùr in *tit. 26. p.3. & tit. 17. lib.4. R. C.* Et quidem nullitas de Jure Communi potest adversus sententiam opponi perpetuò. *L.1.C. Quand. provocar.* Idem erat olim de jure Hispano. *L.4. tit.26. p.* 3. secus tamen hodie. Nam solum potest nullitas opponi intra sexaginta dies enumerandos à die intimationis sententiæ. *L.2. tit.17. lib.4. R. C.* nisi fortè nullitas proveniat ex omnimoda incompetentia. Hæc namque quocunque tempore potest opponi. Idem est de quacunque nullitate notoria ex actibus constante, ut ex defectu citationis. Nec est necesse à tali sententia appellare: potestque opponi etiam contra tres sententias conformes. *L.3. & seqq. tit.26. p.* 3. nisi tales sententiæ sint latæ in Regijs Cancellarijs. *L. 4. tit.17. lib.4. R. C.* ibi: *Y que asimismo en todos los casos, y negocios, que conforme à las leyes de nuestros Reynos, las Sentencias dadas por los del nuestro Consejo, y Oidores de las nuestras Audiencias, se han de executar, sin embargo de suplicacion: aquello se entienda asimismo, sin embargo de qualquiera nulidad, aunque se diga, y alegue ser de incompetencia, ò de defecto de jurisdicion, ò de que notoriamente consta de los Autos del processo, ò en otra qualquiera manera, que la tal alegation, oposicion, ò otra qualquiera no puede, ni pueda impedir la execucion de las tales Sententias.* Et ibid. *Aseved. Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 2. ex n. 83. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 18. ex n. 13.*

TIT. XXVIII.

De Appellationibus, recusationibus, & relationibus.

267 **A**ppellare in communi Grammaticorum usu idem est, ac vocare. Sic dicitur, quod filius Regis vocatur, vel appellatur Ferdinandus. *Appellare* verò apud Philosophos est aliquem terminum applicare potius ad unum, quam ad alterum ex his cum quibus ponitur. Sic cum dicimus: *Alexander est magnus Philosophus. Ly magnus* applicatur Philosopho. E contra verò quando dicitur: *Alexander Magnus est Philosophus. Ly magnus* Alexandro applicatur. Et sic dicitur, hoc, vel illo modo appellare. In jure quidem aliquando sumitur pro eo quod est *vocare in judicium.* Frequentissime tamen sumitur prout in præsenti, scilicèt pro *provocare.* Et hac ratione communitèr appellatio sic definitur. *Appellatio est ab inferiori ad superiorem Judicem ob gravamen illatum, vel inferendum legitimè facta provocatio. L.17. ff. de Minorib. L. 1. tit. 23. p.* 3. ibi: *Alzada es querella, que alguna de las partes face de juicio, que fuesse dado contra ella, llamando, è recorriendose à enmienda de mayor Juez.* Et quidem oppressis est saluberrimum remedium, non tàm jure, quàm ipsa natura introductum, ut gravamen oppressis illatum, vel inferendum removeatur. *C.15. h. t.* & ut corrigatur iniquitas, vel imperitia judicantium. *L. 1. ff. h.t. l.1. tit.23. p.3.* Et insuper, ut litigans, qui per ignorantiam, vel negligentiam est læsus suum damnum reparet. Ipsa etenim est defensio innocentiæ: adeò, ut *D.Bernard. ad Eugenium*, dicat. *Fateor, grande, & generale Mundo bonum esse appellationes, idque tàm necessarium, quàm solem ipsum mortalibus.* Et Rex noster Alfons. in Procemio. *tit. 23. p.3.* ait: *Onde por esto decimos, que bien assi como los que peligran sobre mar, han muy gran conorte quando fallan alguna cosa en que se traven, ò lugar à que arriben; por cuidar entonces de aquel peligro: Otrosi los que vàn vencidos de sus enemigos, quando llegan à lugar en que asman de ser defendidos de aquellos que los siguen para matarlos: bien otrosi han gran conorte, è gran folgura aquellos contra quien dàn los juicios de que se tienen por agraviados quando fallan alguna carrera, porque cuidan estorcer, ò ampararse de aquellos de quien se agravian.* Hinc licet appellatio quoad solemnitates, & modum sit Juris Civilis, quoad substantiam tamen est Juris Naturalis. *C. 5. de Exception. Pichardo in Manud. ad Prax. p.4. in prælud. n.26.* Appellatio est duplex: alia *extrajudicialis*, *judicialis* alia. *Extrajudicialis* est, qua quis appellat à quocunque privato, qui gravamen infert, vel est paratus inferri, ut in præsentatione, collatione, vel electione. *C.19. c.29. de Electron. C.5. c.46. c.51. h. t.* vel in delatione mune-

neris publici. *L.* 1. §.2. *ff. quando appelland. L.*7. *C. b. t. l.*18. *tit.*23. *p.*3. Hæc appellatio magis, quam appellatio dicitur *provocatio*, *monitio*, *seu requisitio. Hispanè*: *Requesta*, *ò requerimiento.* Etiam extrajudicialiter appellatur à Judice extrajudicialiter procedente: v. g. in possessione danda, vel in tutela deferenda. Sed cum hæc impropriè sit appellatio, in materia odiosa nomine appellationis non comprehenditur, nec invalidat, ut attentata ea, quæ fiunt, ipsa pendente, nisi repugnent ipsi appellationi. *Judicialis* autem est illa, quæ in actibus judicialibus interponitur, in quacunque litis parte. Et hæc est propriè appellatio.

268 Omnis igitur oppressus, seu gravatus per sententiam, etiamsi directè contra ipsum non sit lata, potest à tali sententia, seu gravamine regulariter appellare. *C.*3. *c.*30. 2. *q.*6. *L.*20. *l.*30. *C. b. t. l.*2. *tit.*23. *p.* 3. Et non solum victus, sed etiam victor potest appellare, quando scilicet sententia continet varios articulos, & alius est contra reum, alius contra actorem. Imò, & in eodem articulo, si uterque se gravatum sentiat uterque potest appellare. *C.*7. *b. t. c.*28. *de Testament. l.* 9. *l.* 14. *tit.* 23. *p.*3. Etiam excommunicato licet appellare, cum hoc ad defensionem naturalem tendat: quin imo etiamsi quis jurasset, se non appellaturum à sententia quomodocunque sit lata, nihilominùs appellare potest à sententia notoriè injusta. *C.*20. *b. t.* quia juramentum imbibit conditionem; si juri non sit manifestè, & notoriè contraria. Si tamen injustitia non sit notoria, & causa sit civilis proprium appellantis interesse concernens, non poterit appellare, qui sic juravit, quia promissio licita qualis est hæc. *C.*39. *b. t.* si juramento roboretur debet omninò adimpleri. *C.* 28. *de Jur. jurand.* Et sic facile concordantur text. *in C.* 20. *& 21. b. t.* quorum decissiones contrariæ apparere videntur. Potest etiam accidere, quod aliquis à sua sententia appellet: v. g. si Judex contra Titium sententiam tulit, quia Titius non satis probavit suam intentionem, & posteà ipse Judex Titio succedat in causa, vel in munere, & videat probationem habere sufficientem, potest à sententia, quam ipse tulit appellare. *Gloss. in l.* 1. *ff. de Exception. rei vindit.* Etiam appellat principalis à sententia contra procuratorem non appellantem, lata *L.*4. §.2. *ff. b. t. l.*2. *tit.* 23. *p.*3. Et fidejussor pro eo, pro quo intervenit: maritus etiam appellat à sententia lata contra socerum super dote; creditor, si ipso ignorante, alij adjudicetur pignus; *arg. L.*63. *ff. de Re judicat.* Similiter appellant legatarius pro hærede condemnato, hæres pro cohærede, venditor pro emptore super proprietate victo, Tutor pro pupillo, curator pro minore, procurator pro principali, modo is ratum id posteà habeat. *C.* 14. *de Procurat.* Pater pro filio, & filius pro patre. *C.* 30. 2. *q.* 6. Dominus pro subdito, vel servo suo. *L.*15. *b. t.* Episcopus, vel Abbas pro Clerico, vel Monacho suo: Clerici, & Monachi in causis suarum Ecclesiarum. *L.*2. *& seqq. tit.*23. *p.*3. Et ratio est, quia licet sententia non sit directè contra prædictos, saltem indirectè eis præjudicat: ac proinde illorum interest, vel nomine proprio, vel saltem alieno. Pro eo, qui ad supplicium ducitur, quilibet, etiam extraneus potest appellare. *L.* 29. *C. b. t.* quia omnium interest innocentem defendere. Ita tamen, ut consanguineus possit pro consanguineo, etiam invito, appellare: extraneus tamen licet possit pro condemnato ad mortem, etiam sine mandato appellare, non tamen potest eo invito. *L.*6. *tit.*23. *p.*3.

269 E contra vero appellare nequeunt: in primis, qui expresse in sententiam consensit, vel saltem tacitè, non appellando tempore legitimo. *C.* 20. *de Offic. Deleg.* Nec ille, contra quem tres sententiæ conformes in eadem causa super eodem articulo sunt latæ. *C.* 65. *b. t. L. un. C. Ne liceat in una ead. L.* 25. *tit.* 23. *p.* 3. *l.* 5. *tit.* 17. *lib.* 4. *R. C. Pichard. in Manud. p.* 4. *praecept.* 13. *& alij communiter.* Et sanè licet convictus tantum, vel tantum confessus possit appellare: *Gregor. Lop. in l.* 16. *tit.* 23. *p.* 3. V. *De la Sentencia.* tamen plenè convicto simul, & confesso appellare non permittitur. *L.* 2. *C. Quorum appellat non recip. Anton. Gom.* 3. *Var. cap.*13. *n.*31. Et sic debet intelligi illud: *Non est confessi causa tuenda rei.* Nec item possunt appellare rei notorij alicujus criminis. *C.* 13. *b. t.* nec Latrones publici, nec commoventes seditionem, vel eorum duces, vel principales fautores, nec raptores virginum, nec fallantes monetas, vel Regium Sigillum, nec benefici, nec alevosi, nec proditores, vel alij similes delinquentes, si de his delictis sint convicti legitimè, vel legitimè confessi: Hi etenim non gravantur injustè, ac proindè potest eis denegari appellatio: quin & maximè expedit tales delinquentes statim puniri, ne eorum exemplo Rempublicam corrumpant. *L.* 16. *ff. b. t. l.* 16. *tit.*23. *p.*3.

p. 3. *Pichard. in Manud. p.* 4. *in prelud.* poterit tamen Judex aliquando eos non condemnare, nisi sint convicti, & confessi copulativè. *Pichard. in Manud. p.* 4. *praecep.* 1. *n.* 7. *& alij.* Nec appellare item possunt, qui sunt condemnati ob veram contumaciam, qui scilicèt, tribus Edictis, vel uno peremptorio citati dixerunt, se nolle comparere. *L.* 23. §. *fin. ff. h. t. l.* 9. *tit.* 23. *p.* 3. Indignus siquidem est, ut à Judice audiatur, qui Judicem audire noluit: ac proindè aliquando non auditur, qui sic vocatus noluit comparere, nisi legitimam causam posteà probet. *Pichard. in Manud. p.* 4. *praecept.* 1. *n.* 6. Nec appellare potest, qui legitimè adversarij appellationi in eadem causa, (secus in diversa non connexa *arg. C.* 55. *h. t.*) non detulit. *C.* 23. *c.* 42. *h. t.* ut sic patiatur Legem, quam ipse tulit. *C.* 6. *de Constitut.* Licet condemnatio in secunda instantia unius ex socijs in lite, qui à prima sententia appellavit, non noceat cæteris socijs litis, qui primam sententiam acceptarunt. *Glos. in c.* 24. 2. *q.* 5. V. *Profitetur, arg. C.* 5. *de Adulter.* ne si ille, qui appellavit, fortè in secunda instantia, vel falsis instrumentis convincatur, vel errore, vel metu confessus sit, hoc noceat alijs, qui primam sententiam non impugnarunt, & fortè innocentes sunt: at vero si à sententia condemnatoria in prima instantia contra plures litis correos lata unus solus appellet, cæteri vero, nec expressè, nec tacitè eam approbarunt, & talis appellans obtineat coram Judice appellationis, illius victoria Jure Communi omnibus suffragatur. *C.* 72. *h. t. L.* 10. §. *fin. ff. eod. l.* 5. *tit.* 23. *p.* 3. Et hoc locum habet etiamsi causa non sit individua, quamvis in prima instantia hoc requiratur, ut sententia pro uno lata cæteris prosit. Et in hoc differt causa appellationis à prima instantia. Quippè semel rescissa sententia in secunda instantia necesse est, quod omni vi destituatur, etiam quoad non appellantes. Et non potest eadem sententia pro uno esse vera, & pro altero, qui eodem jure utitur esse falsa: ac proindè hoc ipso, quod in secunda instantia sententia pro uno feratur, prodest cæteris socijs damnatis in eadem causa per primam sententiam. Quod quidem est verum, si eodem Jure Communi omnes utantur; nam si diverso utantur jure, quia alius: v. g. sit minor; si negotium est diversum, vel appellans habeat diversam defensionis causam: Tunc enim cum diversæ sententiæ censeantur, victoria unius alijs non prodest, ut res inter alios acta: Insuper est necessarium, quod alter ex correis, qui non appellavit, non approbaberit sententiam primæ instantiæ expressè, vel tacitè. Si enim eam approbabit nequit illi prodesse sententia in secunda instantia, cum respectu illius prima sententia in authoritatem rei judicatæ transiisset. *Pichard. in Manud. p.* 4. *praecept.* 2.

270 Appellatio varijs modis fieri potest. Profectò non solum verbis, sed etiam facto ipso interponitur: v. g. iter ad Superiorem arripiendo. *C.* 52. *h. t. C.* 7. *de Dolo, & contum.* Appellatio ergo à sententia definitivà solet aliquando incontinenti interponi, Judice adhuc sedente pro Tribunali, viva voce dicendo: appello. *L.* 2. *ff. h. t. l.* 22. *tit.* 23. *p.* 3. ex intervallo interponitur porrigendo libellum in scriptis. *L.* 5. §. *fin. ff. h. t. l.* 22. *tit.* 23. *p.* 3. in quo appellatur, vel per verba expressa: *appello*, vel *provoco*; vel per æquivalentia; v. g. *Superioris judicio me committo. C.* 34. *h. t.* In prædicto igitur libello debet contineri: quis appellet; contra quem, & sententiam a qua. *C.* 31. 2. *q.* 6. Si non exprimatur, quia non est necesse, *Judex, ad quem*, censetur appellatum ad quem de jure debet appellari *L.* 22. *tit.* 23. *p.* 3. Idem à fortiori est, quando quis sic appellat: *Apelo para ante quien con derecho puedo, y debo.* Nec debet appellatio esse incerta, conditionalis, vel alternativa: sufficit tamen, si tempore, quo petuntur Apostoli, vel pars adversa citatur, declaretur Judex, ad quem appellatur. Et in dubio præsumitur, quod ad immediatum appellatur, quando ad plures potest appellari. *Pichard. in Manud. p.* 4. *praecept.* 9. Nomen *Judicis à quo* regulatiter exprimitur, potest tamen omitti, sicut causæ allegatio in specie ad appellandum, quia *Judex à quo*, utpotè suo officio functus non potest de ea cognoscere, ac proindè frustra in specie allegaretur, nisi fortè appelletur in casibus prohibitis, vel à jure, vel ab homine. Nam tunc Judex non tenetur appellationi deferre, nisi justa causa allegetur, cum præsumptio stet contra appellantem. *L.* 1. §. *fin. ff. h. t.* ibi: *Libelli, qui dantur appellatorij ita sunt concipiendi, ut habeant scriptum, & à quo dati sunt, hoc est qui appellet, & adversus quem, & à qua sententia. L.* 22. *tit.* 23. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop.*

271 Appellatio a sententia interlocutoria simplici, id est, quæ vim definitivæ non habet, debet in scriptis fieri, saltem ea, quæ interponitur ad Papam. *C.* 1. *h. t.*

h. t. in 6. Et debet exprimi in specie causa appellandi, quæ legitima sit, & rationabilis, ut sic debitus honor *Judici à quo* deferatur; & si revocet, visa justitia causæ, sententiam interlocutoriam, procedat in causa. *C. 59. h. t. C. 1. h. t. in 6.* Et quidem tantum ex causa in appellatione expressa, non ex alijs de novo probandis, licet notoriè appellanti faveant, est justificanda appellatio. *C. 62. h. t. Cl. 5. eod.* Appellans tamen à sententia definitiva, vel ab interlocutoria vim habente definitivæ, non indiget, ut diximus causam appellandi in specie exprimere; sed si aliquam exprimat potest adhuc coram *Judice ad quem*, non solum causam expressam, sed & alias non expressas prosequi: imò novos testes, novaque instrumenta producere, *non allegata allegare, & non probata probare. C. 10. de Fide instrum. l. 6. §. 1. C. h. t.* Et licet appellatio extrajudicialis, (in qua à futuro gravamine potest appellari) possit per consequens interponi generalitèr ab omni gravamine, quo sibi possit inferri, & causa ad Superiorem devolvatur: at vero appellatio judicialis non valet tanta generalitate interponi; nec item super omni causa, quæ contra appellantem possit aliquando moveri. *C. 2. h. t.* Quippè sic appellans à nullo gravamine appellat, cum nullum, nec alicujus comminatio urgeat secus est si ab aliquo Judice appelletur super omni gravamine, quod in una causa appellanti possit inferri. *C. 18. h. t.* Nam ex eo, quod in uno articulo à Judice, à quo gravetur appellans potest totam causam ad Superiorem per viam appellationis deferre.

272 Quando sententia notoriè est nulla ab ea non appellatur, sed coram ipso Judice, qui illam tulit agitur de ejus nullitate: nec est necesse per appellationem rescindere quod nullum est. *L. 19. ff. h. t.* ut jam diximus. In dubio tamen de nullitate sententiæ solet peti alternativè: quod nulla declaretur, vel corrigatur si est valida. Quando enim sententia valet, sive causa sit criminalis, sive civilis ab ea potest appellari. *C. 5. h. t.* sive etiam magni, sive parvi momenti sit. *C. 11. h. t. l. 20. C. eod.* in Nostra Hispania non conceditur appellatio in causis non excedentibus summam mille marapetinorum; sed in eis summariè, simplicitèr, & de plano, absque libello sola veritate attenta proceditur, exceptis pœnis alicujus Ordinationis. *L. 24. tit. 9. lib. 3. R. C. qua corrigitur l. 19. ejusd. tit.* In causis, quæ non excedunt summam triginta millium marapetinorum potest interponi appellatio ad Capitula Civitatis, seu Decurionum. *L. fin. tit. 18. lib. 4. R. C.* Tamen in Indijs hoc vix est admissum, præcipuè in Civitatibus, ubi sunt Cancellariæ Regiæ. *Solorzan. Polit. Indian. lib. 5. cap. 1. fol. 752.* Etiam in alijs Provincijs non admittitur appellatio, quando causa est parvi momenti, ne lites differantur, & litibus Tribunalia obruantur cum quietis publicæ præjudicio. Olim quidem de Jure Canonico licebat utique à sententia interlocutoria appellare. *C. 1. c. 4. 2. q. 6. c. 10. c. 59. c. 60. h. t.* secus de Jure Civili. *L. 7. C. Quorum appellat. l. 13. tit. 23. p. 3.* Sed hodie ex *Trident. sess. 13. de Reform. cap. 1.* non appellatur ab interlocutoria, nisi vim definitivæ habeat, quia post eam alia non speretur sententia. *L. 39. ff. de Minor.* v. g. si Judex absolvat ab instantia judicij, vel si Judex inferior se competentem pronuntiet (nam à sententia supremi Judicis, qui se competentem pronuntiat, non datur appellatio, nec supplicatio *L. 4. tit. 15. lib. 4. R. C.*) vel si gravamen irreparabile per appellationem contineat, ut sententia de tortura: in his enim casibus utroque jure admittitur appellatio ab interlocutoria: in alijs vero repellitur. *L. 13. tit. 23. p. 3. l. 3. tit. 18. lib. 4. R. C.* ubi alij casus referuntur. Aliquando enim accidere solet, quod in Rescriptis Supremorum Principum causa delegetur cum clausula: *Appellatione remota.* Alij autem Judices inferiores non possunt talem clausulam apponere: nam hoc esset Superioris, ad quem appellatur jurisdictionem restringere. *L. 1. §. fin. ff. A quib. appellan. l. 13. tit. 23. p. 3.* Hæc quidem clausula in fine rescripti posita omnes illius rescripti clausulas, & articulos comprehendit, in medio tamen ad antecedentes tantum refertur. *C. 71. h. t.* Nec per hanc clausulam, quamvis generalis ad totum rescriptum sit, tollitur omnis omninò appellatio, quatenùs ad defensionem pertinet naturalem; *arg. C. 5. de Exception.* Nec solum appellatio frivola, ut aliqui tenent: ne sit otiosa prædicta clausula, siquidem appellatio frivola, & frustratoria, etiam sine prædicta clausula, debet repelli. *C. 53. h. t.* removentur ergo per illam appellationes justæ, illis exceptis, quæ specialitèr à jure conceduntur. *C. 53. h. t.* ibi: *Quælibet provocatio intelligitur removeri, quæ à jure non indulgetur expressè. Sed si appellans fuerit gravatus injustè, gravamen hujusmodi per superiores poterit, emendari.* Justæ igitur causæ ad appellationem conceden-

dendam sunt hæ: si citans ad locum non tutum, non admittat hanc exceptionem. C. 47. b. t. Si Judex deneget restitutionem spoliato. C. 10. *de Restit. spoliator.* Si non faciat, res in libello petitas, declarari. C. 49. b. t. Si Judex recusatus ex justa causa nolit talem exceptionem recipere. C. 36. b. t. & in alijs hujusmodi casibus. Præterea, hæc clausula, *appellatione remota*, non tollit appellationem, quoad effectum devolutivum, sed tantum quoad suspensivum. Et hæc clausula solum afficit sententiam definitivam, non verò interlocutoriam de re incidenti. Et respectu tertij pro suo interesse, nec definitivam tollit. C. 15. *de Offic. Deleg.* nec extenditur ad petitionem restitutionis, nec ad supplicationem. *Greg. Lop. in l.* 13. *tit.* 23. *p.* 3. V. *Tomar alzada. Pichard. in Manud. p.* 4. *prac.* 7.

273 In varijs tamen casibus appellatio omninò repellitur: & quidem 1. in delictis notorijs. C. 5. §. *Præterea.* C. 13. c. 14. b. t. l. 16. tit. 23. p. 3. siquidem appellatio non ad defensionem iniquitatis, sed in præsidium innocentiæ est instituta. C. 61. §. *Porrò, b. t.* 2. à pœna definita à Lege. C. 32. b. t. quia Lex neminem gravat injustè, nisi forte Iudex excedat, vel in pœna, vel in modo; *arg.* C. 43. b. t. Etiam potest appellari à declaratione, quam Judex facit de pœna à jure lata. *Glos. in l.* 244. *ff. de V. S.* 3. à mero executore non valet appellari. C. 43. b. t. nisi modum executionis excedat: v. g. si executionem faciat in re non judicata, vel non servato juris ordine in mobilium, & immobilium distractione, vel si velit interpretari sententiam. Quippe in his casibus gravat, ac proindè potest appellari. C. 15. *de Sentent. & re judicat.* 4. à correctione Superioris Ecclesiastici, vel Regularis, quæ fit juxta Sacros Canones, vel regulam Religionis nequit appellari. C. 3. c. 26. b. t. *Trid. sess.* 13. *de Ref. cap.* 1. nisi in modo superiores excedant. C. 13. *de Officio Ordin.* c. 31. b. t. quia neque Canones, neque regulæ injustè gravant. 5. nec admittitur officialis appellatio: v. g. si Nuntius, vel Tabellio, vel Executor sint condemnati à suo Judice ob officium malè gestum neutiquam valent appellare. L. 3. C. *Quor. appellat. non recip.* Nec item officiales in Syndicatu condemnati, ut sic melius suis utantur officijs. 6. Etiam excluditur appellatio à mandato de residendo in Ecclesia, quam quis obtinet. C. 28. b. t. 7. nec subditus excusatur, quominus teneatur Superiori obedire ob appellationem frivolam, sed potius puniendus est. C. 19. b. t. Appellatio à censura excommunicationis, interdicti, & suspensionis à Divinis, lata post appellationem, licet quoad effectum devolutivum admittatur, ut Superior de justitia censuræ cognoscat, non tamen admittitur quoad effectum suspensivum: ac proindè sententia non suspenditur. C. 37. b. t. C. 20. *in fin. de Sentent. excom. in* 6. quia censura secum trahit executionem sententiæ, statimque animam ligat, ut hoc modo magis timeantur Ecclesiasticæ censuræ, quæ sanè sunt efficaciora Ecclesiæ arma. Suspensio vero, vel interdictum ab ingressu in Civitatem, à perceptione fructuum, à voce activa, & passiva, & ab alijs hujusmodi, certe per appellationem suspenduntur. Censura vero lata à Judice post appellationem ab eo interpositam, nulla est: ac proindè non ligat ex defectu jurisdictionis inferente illam: quippè per appellationem est Judicis suspensa jurisdictio. C. 16. b. t. 8. Quando causa est decisa per juramentum voluntarium non admittitur appellatio: quia habet rationem transactionis, à qua non appellatur. L. 16. C. *de Transaction.* At vero, quando est decisa ex juramento suppletorio, admittitur utique appellatio. L. 31. *ff. de Jure jurand.* 9. Nec appellatur à sententia, qua Judex mandat, testamentum aperiri, vel hæredem institutum mitti in possessionem hæreditatis. Nam modicum gravamen ex hac sententia potest inferri, & aliundè publicè expedit ultimas defunctorum voluntates servari. *L. fin. ff. de Appellat. recip.* 10. Nec admittitur appellatio suspensiva contra electionem, vel confirmationem. Sed electus, non obstante appellatione (quæ præsumitur maliiosa ad retardandam investituram) in possessionem pacificam mittitur. C. 46. b. t. nisi appellans alleget causam rationabilem, v. g. defectum notorium proprietatis: vel qui possit incontinenti probari. 11. In possessorio momentaneo, in quo summariè proceditur, & solum ad interim datur rei detentatio, cum non magnum inferat præjudicium, quinimo hoc facilè reparabile sit per ordinarium possessorium, non admittitur appellatio quoad neutrum effectum. *L. un. C. de Moment. possess. Trid. sess.* 13. *cap.* 1. licet aliud videatur de jure antiquo, in C. 5. c. 12. b. t. ubi appellatio à quocumque gravamine conceditur. At vero in possessorio ordinario, ubi juris ordine servato, pronuntiatur de possessione, appellatio profectò admittitur, & per ipsam suspenditur sententia. C. 10. c. 15.

de Restit. spoliator. Nam magnum commodum, vel præjudicium sequitur ex possessione rei, vel ejus carentia. Fere idem est de Jure Hispano, ut colligitur ex *L. 9. l. 10. tit. 7. lib. 5. R. C. Pichard. in Manud. p. 4. prac.* 12. 12. Nec item admittitur appellatio in causa decimarum. *C. 26. in fin. de Decim.* nisi Parochianus ostendat exemptionem. Nec à nominatione ad munera authoritate publica, sed utilitate privata facta, v.g. ad tutelam. Nam alleganda est excusatio, quod si hæc non admittatur appellandum est. *L. 1. §. 1. ff. Quand appelland.* secus est, si nominatio facta sit authoritate, & utilitate publica: quippè tunc appellare licet à tali nominatione. *L. 2. C. de Decurion.* 13. Quando causæ dilationem non admittunt, ut causæ alimentorum in futurum: nec salaria famulorum appellationem admittunt, saltem suspensivam. *L. fin. ff. de Appellat. recipiend. l. 6. tit. 18. lib. 4. R. C.* 14. Licet ante sententiam possit appellari, neutiquam post eam, in criminibus hæresis. *C. 18. de Hæret. in 6.* falsæ monetæ. *L. 1. C. de Falsf. monet.* læsæ Majestatis. *L. 16. ff. b. t.* & raptus. *L. un. V. Sin autem. C. de Rapt. virgin. l. 16. tit. 23. p. 3.* Denique rejicitur appellatio frivola, vel frustratoria, quæ ex levi causa, vel solum ad protrahendum judicium interponitur. *C. 53. b. t. Pichard. in Manud. p. 4. prac. 14. & alij.*

274 Litigans ergo, qui à Judice inferiori se in sententia lata sentit gravatum absdubiò, potest ad appellationis remedium confugere. *L. 32. C. b. t. C. 3. c. 8. 2. q. 6.* quin ex hoc debeat Judex injuriam sibi fieri existimare. *L. 20. C. b. t.* Et ille Judex inferior, à cujus sententia quis appellat, dicitur: *Judex à quo.* Et quidem coram ipso debet pars appellare. *L. 22. t. 23. p. 3.* alioquin nullum omninò effectum habet appellatio. *Barbos. in C. fin. b. t. n. 17.* Et hoc quidem fit, ut ipsi Judici innotescat appellatio, & non progrediatur in causa. Si à pluribus Judicibus est lata sententia, coram omnibus simul congregatis appellatur: quod si omnium non potest haberi copia, coram majori parte, vel coram illis, vel eo, cujus habetur copia appellatur. *Cl. 1. b. t.* Si nullius copia habetur, coram *Judice ad quem* appellabitur. Si nec istius copia possit haberi, appellatur coram viris honestis, vel Notario, qui testibus adhibitis, de tali appellatione instrumentum conficiet. *C. 29. §. Si quis, 2. q. 6.* Sed sic appellans debet protestari, quod appellasset coram *Judice a quo.* Si ejus habuisset copiam, & postea ipsi est intimanda appellatio, nisi aliunde haberet notitiam. Si ab metum gravem cadentem in virum constantem (secus ob metum levem) non audeat gravatus coram *Judice à quo* appellare, vel ex alio justo impedimento non possit: tunc coram Tabellione, vel viris honestis protestationem faciet de eo quod non audet, vel non potest coram *Judice à quo* appellare, expressâ quidem appellationis causa. Et hæc protestatio intra decendium facta loco appellationis habetur. *C. fin. b. t. L. 22. l. 27. tit. 23. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. Pichardo in Manud. p. 4. prac. 5.* cum igitur appellatio sit ab inferiori ad Superiorem Judicem provocatio, manifestum est, quod à Papa, qui Ecclesiæ Princeps Supremus est, non potest appellari. *C. 15. c. 16. c. 17. 9. q. 3.* nequidem ad Concilium Generale futurum, cum hoc non sit Papa Superius: imò sic appellantes excommunicantur *in cas. 2. Bull. Cœn.* quia ut Pontifex ait *in C. 15. 9. q. 3. Facta subditorum judicantur à nobis, nostra verò judicat Deus.* Et in *C. 17. 9. q. 3. Cuncta per Mundum novit Ecclesia, quod Sacro-Sancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi: neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet Mundi parte appellandum est: ab illa autem nemo appellare permissus.* Nec item licet appellare à Concilio Generali, approbato à Pontifice. *L. 4. C. de Sum. Trinit.* Nec à toto Collegio Cardinalium, nec ab ultima sententia Rotæ appellatur. Similitèr in Judicio Sæculari non appellatur à Principe Supremo, nec ab ejus Tribunalibus Supremis ipsum immediatè repræsentantibus. *L. 1. §. 1. & 2. ff. A quib. appellar. l. 17. tit. 23. p. 3.* ac proinde in nostra Hispania non appellatur à Supremis Consilijs, seu Senatibus Curiæ Regiæ, nec à Regijs Cancellarijs habentibus Regium sigillum. Et idem evenit in Indijs, quamvis Cancellariæ, etiam Audientiæ nuncupentur, sed in re Cancellariæ sunt omnes Indiarum Audientiæ. Sed licet remedium ordinarium appellationis in his casibus non detur, loco ejus succedit remedium extraordinarium supplicationis, qua petitur, allegata læsione, ut Princeps causam iterum videat, & retractet sententiam à se latam. Et solùm post sententiam definitivam admittitur, nisi in certis casibus. *L. 2. C. Ut lite pendent.* Et solum semel permittitur supplicatio. *L. 5. C. de Precib. Imperator. offer. Et ibid. Gothofr. l. 1. & per tot. tit. 19. lib. 4. R.C.* Nec item admittitur appellatio à compromissario, seu arbitratore. *L. 17. tit. 23. p. 3.*

p. 3. secus ab arbitro Juris: nam ab hoc appellatur. *C.* 11. *de Offic. deleg. in* 6. Ab arbitro enim potest appellari: at vero ab arbitratore potest peti reductio ad arbitrium boni viri. *L.* 4. *tit.* 21. *lib.* 4. *R. C. Et ibid. Aceved. & alij com.* Nec ab Episcopo, cujus jurisdictio est prorogata, appellatur. *L.* 8. *C. de Episcop. Auatent.* secus est ab alio Judice. *C.* 14. *de Sentent. & re judic. L.* 23. *ff. h. t.* Ex hucusque dictis clarè constat, quod *Judex ad quem* appellatur debet necessario esse *judice à quo* Superior: licet non semper in dignitate, & officio, saltem respectu causæ appellationis: Nec sufficit, si sit æqualis: nam solus Superior potest inferioris factum corrigere. *C.* 16. *de Majorit. & obed.* ut per appellationem fit: quod adeo verum est, ut non valeat consuetudo appellandi ad minorem, nec ad æqualem Judicem: Hoc sanè esset contra appellationis naturam. *Greg. Lop. in l.* 1. *tit.* 23. *p.* 3. Appellatio igitur est ab inferiori ad Superiorem Judicem necessariò interponenda: & quidem gradatim ad immediatum, nullo omisso, ne videatur ipse contemni. *L.* 18. *tit.* 23. *p.* 3. Sed si defacto appellans saltaret, & ad mediarum appellaret, adversario nihil opponente, probabilitèr valeret appellatio; *arg. C.* 66. *h. t. Et Gloss. ibid.* V. *Post hujusmodi. Innocent. & Hostiens. quos citat Margin.* & sic à *Glossa* interpretatur *Text. in C.* 7. *de Præbend.* ubi ab Archidiacono fuit ad Archiepiscopum Rhemensem appellatum. Vel si mavis dic cum *Glossa in d. C.* 7. V. *Ad Archiepiscopum*, in ea Ecclesia talem consuetudinem vigere. Deinde *in L.* 18. *tit.* 23. *p.* 3. dicitur, quod si quis per errorem omisso medio, appellet ad Judicem majorem, vel æqualem, imo & minorem Judice, ad quem esset appellandum: non verò minorem respectu Judicis, à quo est appellatum: valet appellatio ad hoc, ut ipsa remittatur Judici ad quem, attento jure, erat appellandum, & qui fuit omissus per errorem. *Gregor. Lopez ibid.*

275 Hinc ad gradus, quibus regularitèr in appellatione proceditur, descendendo sic communitèr, & regularitèr appellatur in judicio Ecclesiastico. Ab Archidiacono, & Archipresbytero ad Episcopum, vel ejus Vicarium Generalem, & Sedevacante, ad Capitulum, vel ejus Vicarium. *C.* 3. *§.* 1. *h. t. in* 6. ab Episcopo non Exempto, vel Capitulo, Sedevacante, & à Vicarijs Generalibus utriusque appellatur ad Archiepiscopum. *C.* 11. *de Offic. Ordin. C.* 3. *§.* 8. *h. t. in* 6. Et in hoc differt appellatio à recusatione, siquidem recusatio Vicarij Episcopi coram ipso Episcopo proponitur, & probatur. *C.* 4. *de Offic. delegat. in* 6. cum in alijs recusatio appellationi æquiparetur. *C.* 12. *h. t.* A Vicario Generali Episcopi, quem Officialem, seu Provisorem vocamus, non appellatur ad Episcopum, quia idem utriusque est Tribunal: attamen à Vicarijs Foraneis, vel Commissarijs Episcopi, rectè ad Episcopum appellatur, quia ipsorum non est idem Tribunal. *C.* 4. *de Offic. deleg. in* 6. Et hac ratione in foro Sæculari à Proprætore, *Hispanè*: *Alcalde Mayor, ò Teniente de Corregidor*, non appellatur ad ipsum Prætorem, quia utriusque idem est Tribunal. *Hevia in Cur. Philip. p.* 5. *§.* 1. *n.* 9. *Covarr. Aceved. & alij*, ab Archiepiscopis appellatur de Jure Communi ad Patriarcham, vel Primatem, cui subduntur, à Patriarcha ad Legatum Sedis Apostolicæ, ab hoc ad Papam, & sic gradatim ad immediatos Superiores procedit appellatio: non quidem saltando, sed suo ordine ascendendo. Cum tandem causa ad Papam pervenit, ab Auditore Cameræ examinatur, qui quidem est Judex Ordinarius omnium appellationum, quæ à sententijs extra Curiam latis interponuntur. Si causa sit spiritualis: v. g. beneficij, vel matrimonij pertinet ad signaturam justitiæ, & Auditores Sacræ Rotæ. *Gonzal. in C.* 7. *h. t.* A Tribunalibus S. Inquisitionis ad Papam appellatur. Sed in nostra Hispania ad Supremum Inquisitionis Tribunal appellatur. *Hevia in Cur. Philip. p.* 5. *§.* 1. *n.* 7. *Simanc. de Cathol. Instit. tit.* 36. *Diana in Sum.* V. *Appellatio*, *n.* 12. *Carena, & alij.* In his Indiarum Regnis est peculiare jus quoad appellationis in foro Ecclesiastico statutum. Nam in quacumque causa sive Civili, sive Criminali ab Episcopo suffraganeo necessario appellatur ad Metropolitanum, & non potest appellari ad Papam. Quod si Metropolitanus sit Judex causæ in prima instancia: ab eo appellatur ad Episcopum viciniorem, tanquam ad Papæ delegatum. Quod si hic confirmet primam sententiam: jam nulla alia, nec ad Pontificem admittitur appellatio; sed sententia executioni à primo Judice mandatur: si verò secundus revocet primam sententiam, appellatur ad alium Episcopum viciniorem, respectu Episcopi causæ, & sententia hujus tertij Episcopi omninò executioni mandatur ab Episcopo, qui ultimam sententiam tulit, sive sit confirmatoria, sive revocatoria præce-

dentis: ita, ut quoties duæ sententiæ conformes inveniantur, habeant authoritatem rei judicatæ, & omnino exequantur. Sic *Greg. XIII. in Const. Exposit.* 15. *Maj. ann.* 1573. quam affert *Solorz. de Jur. Ind. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. *Et in Polit. Ind. lib.* 4. *cap.* 9. *f.* 565. Et dicta Bulla jubetur servari, *in L. fin. tit.* 9. *lib.* 1. *R. Ind.* Solet aliquando contingere, quod Episcopi, vel alij Judices Ecclesiastici habent jurisdictionem Sæcularem in causis Sæcularibus, & tunc ab ipsis ad Archiepiscopum de Jure Communi appellatur, nisi fortè de consuetudine, privilegio, aut alio jure speciali ad alium appellandum sit. *C.* 3. §. *Debet*, *b. t. in* 6. In nostra tamen Hispania ab Episcopo habente jurisdictionem temporalem in causis talis jurisdictionis, non ad Archiepiscopum, sed ad Sæcularem Judicem appellatur. L. 8. *tit.* 3. *lib.* 1. *R. C. arg. text. in C.* 6. *c.* 7. *de Foro compet.* In his Regnis Indiarum à sententia Pro-Regum, vel Gubernatorum Provinciarum in causis, etiam gubernativis, juris patronatus, & alijs hujusmodi ad jurisdictionem contentiosam redactis, appellatur ad Regias Cancellarias. Quando verò ipsi cognoscunt, & procedunt, ut Præfecti Militum, *Hispanè*: *Capitanes Generales*, appellatur ad Regium Indiarum Consilium, quod residet Matriti. Latius *Solorz. Polit. Indian. lib.* 5. *cap.* 13. Vid. L. 34. *l.* 35. *l.* 38. *l.* 43. *tit.* 15. *lib.* 2. *R. Ind. l.* 22. *tit.* 12. *lib.* 5. *R. Ind.* in causis Cruciatæ solum ad Commissarium Generalem appellatur. L. 8. *tit.* 10. *lib.* 1. *R. C. l.* 5. *tit.* 20. *lib.* 1. *R. Ind.* in causis Mercatorum appellatur in Hispania ad Prætorem Civitatis. L. 1. *tit.* 13. *lib.* 3. *R. C.* in Indijs ad Senatorem ad hoc designatum. L. 37. *l.* 38. *tit.* 46. *L.* 9.

276 Jure Canonico attento in causa Ecclesiastica, vel Sæculari subjecta temporali Papæ dominio, omissis alijs Judicibus, potest appellari. 1. ad Papam. *C.* 3. *c.* 16. 2. *q.* 6. *c.* 7. §. *un. c.* 31. *b. t.* 2. ad Legatum Papæ in sua Provincia. *C.* 1. *de Offic. Legat.* 3. ad Patriarchas majores in suis Provincijs. *C.* 23. *de Privileg.* 4. si Episcopus est Exemptus, & immediatè Papæ subjectus ad ipsum est appellandum. 5. si in eadem causa concurrant Ordinarius, & delegatus Papæ, ad Papam appellatur, quia jurisdictio delegata, ut dignior trahit ad se jurisdictionem ordinariam: Sic quando Ecclesiasticus, & Sæcularis simul cognoscunt, ad Superiorem Ecclesiasticum appellatur. Similitèr, si duo litigantes appellent in eadem causa ad diversos Judices: v. g. ad Archiepiscopum, & Papam, si Archiepiscopus hoc scit, non potest procedere, quia jurisdictio Superioris inferioris jurisdictionem absorbet; *arg.* L. 54. *ff. de Re judicat.* Si Archiepiscopus hoc ignoret, debet qui ad Papam appellavit, coram Archiepiscopo comparere ad allegandum, se ad Papam appellasse: alias Archiepiscopus contra ipsum procedet. *C.* 7. *b. t.* Si tamen articuli, à quibus appellatur ad diversos Judices, sint diversi, utraque appellatio tenet: quia diversæ sententiæ considerantur. Si Episcopus litiget cum suo subdito eliguntur arbitri: à quibus ad Papam appellatur. Hæc de Jure Canonico procedunt. Jure tamen Civili non licet, omissis inferioribus Judicibus, immediatè ad Imperatorem appellare. L. 21. *ff. b. t.* idem est de Jure Hispano. L. 18. *tit.* 23. *p.* 3. nisi fortè Judex immediatus, & medius palam deneget justitiam, vel si suspectus, vel excommunicatus sit, vel absens, vel captivus, vel alio impedimento ligatus, vel si ita habeat consuetudo. Quin & aliquando omisso etiam primo Judice Ordinario (& idem erit de Judice immediato, casu quo ab Ordinario appelletur) possunt litigantes ad Suprema Tribunalia accedere, ut pupilli, viduæ, studiosi, miserabiles personæ, & alij, de quibus diximus, hoc privilegio gaudere. L. *un. C. Quando Imperator inter pupil. l.* 20. *tit.* 23. *p.* 3. *Hispanè* dicimus: *Casos de Corte.* L. 5. *tit.* 3. *p.* 3. *l.* 9. *tit.* 3. *lib.* 4. *R. C.*

277 A delegato appellatur ad delegantem, vel ejus successorem in officio, non tamen ad Superiorem: quia cum delegans sit Judex Ordinarius in ipso permanet quasi radicata jurisdictio, quam non abdicat à se totam, delegando causam. L. 21. §. 1. *ff. b. t. l.* 20. *tit.* 23. *p.* 3. à subdelegato delegati, qui ita causam subdelegavit, ut nihil jurisdictionis in ea sibi reservavit, non ad ipsum delegatum, siquidem jam caret jurisdictione, sed ad primum delegantem est appellandum. Si verò delegatus, etiam Papæ, subdelegando aliquam sibi reserver jurisdictionem, ad ipsum delegatum à subdelegato appellatur; cùm adhuc delegatus sit Judex in ea causa. *C.* 27. §. *Porrò*, *de Offic. delegat. C.* 7. *c.* 14. *eod. in* 6. nisi delegatus sit mortuus, vel excommunicatus, vel impeditus: nam tunc sit appellatio ad delegantem. *C.* 10. *de Offic. delegat. in* 6. Et licet aliquantulum in hoc videatur discordare Jus Canonicum à Civili, & Hispano veteri in L. 21. *tit.* 23. *p.* 3. tamen Jus Civile

per

per Canonicum suppleri tenet *Greg. Lop. ibid.* V. *Aquel Juez.* si condelegati Titij: v.g. ipsi subdelegarunt causam, à Titio non appellatur ad condelegatos, sed ad primum delegantem, ne si ad ipsos appellaretur partialiter fiat appellatio ad ipsum Judicem, à quo appellatio est interposita. Si Episcopus causam alicui delegat ab eo potest appellari ad Vicarium Generalem; sicut posset ad ipsum Episcopum: nam idem cum ipso Tribunal constituit: nisi constet, Episcopum voluisse, talem causam abdicare à Vicario. Hodie in nostra Hispania omnes appellationes à quibuscumque Judicibus, sive Ordinarijs, sive delegatis, aliquibus casibus exceptis ad Regias Cancellarias interponuntur. *L. 12. tit. 5. lib. 2. R. C. l. 20. tit. 4. lib. 2. R. C.* ibi: *Mandamos, que todas las apelaciones de qualesquier Jueces, assi Ordinarios, como Delegados, vayan à la nuestra Chancilleria, salvo las apelaciones de las Residencias, y de las Cartas Executorias, que del nuestro Consejo emanaren sobre cosas vistas en el nuestro Consejo, y de las pesquisas, y Pesquisidores, que fueren por nuestro mandado, ò de los de nuestro Consejo, que no llevaren poder de determinar.* Præterea evenit aliquando, quod aliquis ita damnetur, ut nullus illi in terra maneat recursus, & ad comprobationem suæ innocentiæ appellet ad Vallem Josaphat, vel ad Tribunal Dei, ad quod, & ipsum Judicem citat: quod si bono zelo fiat, non odio, & vindicta, sed ut innocentia pateat, & ut infamia à familia arceatur, tunc licita est hujusmodi appellatio, & citatio: quod exemplis Scripturæ probatur. Nam *Genes. 16. v. 5. dixit Sara ad Abraham, iniquè agis contra me: judicet Dominus inter me, & te.* Et 1. *Reg. C. 24. v. 16.* loquens David ad Saul dixit: *Sit Dominus Judex, & judicet, inter me, & te: & videat, & judicet causam meam, & eruat me de manu tua.* Et in nostra Hispania Ferdinandus IV. fuit citatus à quibusdam equitibus, quos ad mortem condemnavit, ut intra triginta dies in Dei Tribunali compareret, & in te ad trigesimum diem repente mortuus fuit inventus, & ideò eum vocamus: *El emplazado*, ferè idem accidit cum quibusdam Regijs Senatoribus Cancellariæ Granatensis, qui ad Tribunal Dei fuerunt citati à P. Basilio Avila: ut refert *Pedraza.* Regulariter vero hujusmodi citationes, & appellationes sunt periculosæ in hominibus non probatæ Sanctitatis, quia istos vel amor proprius, vel latens aliqua gloriolæ, vel vindictæ nebula fallere potest. *Cesar Carena de Offic. Inquisit. p. 2. tit. 1. §. 10. Martin. del Rio Disquis. Magic. lib. 4. q. 4. sect. 1. Diana in Suma*, V. *Appellatio*, *num. fin. & alij.*

278 Ut maturiori judicio res definiatur, non tantum semel, sed & iterum licet appellare. A sententia igitur definitiva, sive interlocutoria bis confirmata, potest adhuc appellari, non tamen ultra, ita ut bis appellare in eadem causa liceat: tertiò tamen non admittitur appellatio in eadem causa super eodem gravamine, vel articulo. *C. 65. h. t. l. un. c. Ne liceat in una ead. caus. l. 25. tit. 23. p. 3. l. 5. tit. 17. lib. 4. R. C. Pirhard. in Manud. p. 4. prae.* 13. dummodò sententiæ sint omnino conformes: nam si tertia plus, quam anteriores contineat, vel sint super diversis articulis, tertiò, imò, & sæpius appellatur. *C. 16. 2. q. 6.* attamen respectu ejusdem articuli non admittitur tertia appellatio, ne causæ fiant æternæ, & lites immortales reddantur. Cum jus intendat enixè litibus finem imponi. *C. 5. de Dolo, & contum.* si tamen tertius non fuit litis conscius, potest executionem sententiæ per viam appellationis, vel nullitatis impedire. Quod si sententia pro Titio lata, fuit confirmata in prima appellatione, sed revocata in secunda, potest Titius adhuc tertiam interponere appellationem. Et idem dicendum est de adversario, quousque in uno ex litigantibus tres sententiæ inter se conformes inveniantur. *L. 25. tit. 23. p. 3.* ibi: *Mas si por aventura el Juez de la alzada revocasse los dos juicios primeros, diciendo, que non fueran dados derechamente, estonce bien se puede alzar la parte contra quien revocassen los juicios.* Hodie tamen in nostra Hispania, si à Judice inferiore, qui est intra octo leucas, appelletur ad Regiam Cancellariam in causa, quæ non excedat summam sexmillium marapetinorum, sive confirmetur, sive revocetur prima sententia, non datur appellatio, nec supplicatio. *L. 9. tit. 17. lib. 4. R. C.* si causa sit majoris momenti, etiam post primam sententiam à Cancellaria latam, quæ *Hispanè* dicitur *Sentencia de Vista*, licet ad ipsam Cancellariam supplicare: & hæc secunda sententia dicitur *Hispanè de Revista.* Et sive confirmet, sive revocet primam sententiam; prorsus executioni mandatur. Quando verò duæ sententiæ judicum inferiorum sunt conformes, si hæ confirmentur à Regia Cancellaria, debent statim exequi, quin detur locus supplicationi, seu sententiæ secundæ Cancellariæ, quam dicimus *de*

Re-

Revista. L. 5. *tit.* 17. *lib.* 4. *R. C.* Aliquando tamen, licet raro, accidit, quod post primam supplicationem, seu revisionem, *Hispanè*: *Sententia de Revista*, secunda admittatur supplicatio, quæ ad Regem ipsum interponitur: in causa tamen civili, non vero in criminali. Et quidem debet esse causa magni momenti, & talis, ut fuisset in Regijs Cancellarijs, vel in Consilio Regio incœpta. Quod si talis supplicatio admittatur, Rex ad ejus decisionem, eligit quinque Senatores ex Supremo Consilio, ut ipsi ex eisdem actis, nulla nova exceptione admissa, nec probatione, nullitate, restitutione, vel alio quocumque remedio, causam definiant. Quod si aliquis ex Judicibus assignatis moriatur, superstites possunt causam decidere. Et sic appellans debet intra viginti dies, quos a die intimatæ sententiæ revisionis habet ad hanc supplicationem interponendam, debet, inquam, satisdare de solvendis mille & quingenta duplis, *Hispanè*: *Mil y quinientas doblas, ò la Fianza de la Ley de Segovia*: si sententia revisionis in hac secunda supplicatione confirmetur. Et intra quadraginta dies debet sic appellans coram Rege comparere. Et sententia, quæ tunc fertur, sive confirmet, sive revocet anteriores omninò executioni mandatur. Hæc tamen supplicatio non admittitur in causa criminali, nec in interlocutoria; etiamsi definitivæ vim habeat, nec in possessione majoratus. Quæ omnia patent ex *tot. tit.* 20. *lib.* 4. *R. C.* Quando, & sub quibus conditionibus, & terminis est interponenda, & admittenda secunda supplicatio in his Provincijs Indiarum, late habetur in *tot. tit.* 13. *lib.* 5. *R. Indiar.* & in *L.* 6. dicitur; *Que pagaran mil ducados de pena.* In Hispania vocantur: *Doblas de oro de cabeza. L.* 9. *tit.* 20. *lib.* 4. *R. C.* quia hæc moneta erat capitibus majusculis, & minusculis signata, & qualibet dupla æstimabatur duodecim Regalibus unciam unam cum dimidia argenti habentibus. *Covarr. de Pond. monet. cap.* 6. *n.* 3. Sed *Ayala in Praxi Vallisolet. l.* 1. *cap.* 26. *fol.* 44. ait: *Computada cada dobla a diez y seis reales de plata. Hevia in Cur. Philip.* 5. *p.* §. 5. *n.* 5.

279 Ut lites, & controversiæ aliquibus terminis circumscribantur, certa tempora sunt ad hoc definita, quæ *fatalia* dicuntur, quia eorum lapsus fatum, id est, mortem, appellationi ingerit. Sunt etenim illi termini, vel tempora, quibus elapsis, vel appellatio non conceditur, vel concessa, & interposita extinguitur, & per consequens sententia executioni mandatur, tanquam si nulla appellatio intervenisset. Quatuor equidem sunt ejusmodi tempora. 1. tempus interponendi appellationem. 2. tempus petendi, & concedendi Apostolos. 3. tempus ipsius Judici, ad quem præsentandi. 4. tempus prosequendi, & finiendi appellationem. Et quidem olim in causa proprio nomine agitata intra biduum, in causa aliena, seu procuratorio nomine agitata intra triduum, & non ultra erat appellandum. *C.* 29. 2. *q.* 6. *l.* 5. §. *fin. ff. h. t.* Hodie tamen de Jure Canonico, & Civili (& idem erat de Jure Hispano antiquo) conceduntur decem dies ad interponendam appellationem à sententia Judicis inferioris, sive per se quis agat, sive per Procuratorem, Tutorem, vel Curatorem. *C.* 15. *de Sentent. & re judicat. C.* 36. *de Testib. C.* 8. *h. t. in* 6. *Auth. Hodie. C. h. t. l.* 22. *tit.* 23. *p.* 3. Hodie tamen de Jure Hispano quinque dies ad appellandum conceduntur. *L.* 1. *tit.* 18. *lib.* 4. *R. C.* Et hoc tempus est primum *fatale*; quod quidem est utile à principio, quia non currit ignoranti, nec impedito, nisi verè contumaci. *C.* 29. §. *Si adversus*, 2. *q.* 6. sed in decursu est continuum, ita ut etiam ferias solemnes includat. *L.* 1. *C. de Ferijs*, & currit à momento intimatæ sententiæ, vel ejus notitiæ, & completur in ultimo momento decimi diei. *C.* 15. *de Sentent. & re judicat. C.* 8. *h. t. in* 6. *l.* 23. *tit.* 23. *p.* 3. *Et ibid. Greg. Lop. Gichard. in Manud. p.* 4. *prac.* 10. Et ideo Tabelliones in processu notant diem, & horam intimatæ sententiæ: qua hora ultimi diei elapsa non admittitur ulterius appellatio. Alia tamen juris remedia, si quæ habeat gravatus, benè admittuntur. *C.* 8. *h. t. in* 6. Quando vero gravamen est successivum: v. g. incarceratio, vel citatio ad Judicem non competentem, quamdiù hoc durat, appellari absdubiò potest: nisi Judex super illo gravamine pronuntiasset; nam tunc intra decendium est appellandum; *arg. L.* 32. *ff. de Re judic.* si minor etiam Curatorem habens passus est labi appellationis tempora adversus talem lapsum restituitur. *L.* 1. *tit.* 25. *p.* 3. *Pichard. in Manud. p.* 4. *prac.* 10. Si ergo tempore legitimo interponatur appellatio, inspicitur secundum fatale, ut sciatur, si est deserta, vel non. Hoc secundum fatale est tempus petendi Apostolos, quiquidem in præsenti sic explicantur.

280 *Apostoli* sunt libelli dimissorij, quibus *Judex a quo* dimittit appellantem ad *Judicem ad quem*: & hac ratione Apostoli dicuntur à *verbo Græco*, quod mittere significat-

nificat. Hispanè tales libelli dicuntur *Apostolos*, *ò testimonio de la apelacion*: suntque juxta communem sensum DD. in triplici differentia: nam alij sunt *Reverentiales*; quando scilicèt Judex, qui appellationem non debebat ex rigore juris admittere, illam admittit ob reverentiam *Judicis ad quem*, & appellanti hos concedit Apostolos. *C. 1. h. t. in 6.* Alij dicuntur *Testimoniales*, quando scilicèt *Judex à quo* jubet, quod Tabellio det testimonium de eo, quod Titius fuit ab ipso condemnatus, ut solveret Cajo: v. g. centum argenteos, & quod ab illa sententia appellavit ad Regiam Cancellariam, & petijt Apostolos, & *Judex a quo* detulit appellationi, jussitque eos ipsi dari, ut ad Cancellariam Regiam recurreret, & *Hispanè* dicuntur: *Testimonio relativo de los Autos*. Alij denique sunt *Refutatorij*, quibus scilicèt, Judex testatur, non detulisse appellationi, justa causa non admissionis expressa. *L. 6. ff. de Appellation. recip.* Nam sæpè accidit, quod condemnatus appellet a sententia, & à denegatione appellationis, petitque de hoc sibi testimonium dari. Apostoli ergo petendi sunt ab appellante, & ejus expensis sunt dandi. *Glos. in Cl. 2. h. t.* V. *Oblatos.* Et quidem eos petere debet *sæpiùs, & instantèr*, non tamen geminatis libellis. Quod si Judex cum debita instantia, loco, & tempore congruo requisitus, eos deneget, vel intra triginta dies malitiosé, aut negligentèr tradere prætermittat, processus est nullus, nisi appellationi sit renuntiatum. *C. 4. c. 6. h. t. in 6. L. un. ff. de de Libel. dimis. L. 24. C. h. t.* Et ne Judicis fraude gravetur appellans, quando Judex illos dare recusat, perindè habetur, ac si Judex appellationi detulisset. Idem est, si ad Apostolorum petitionem non respondeat, vel si eos non det intra terminum præfixum ad eos dandos. Et cum per *Judicem à quo* stet, quod appellans non recipiat Apostolos, de hoc protestationem faciet appellans, & ad *Judicem ad quem* contra *Judicem à quo* recurret. *L. 31. C. h. t. Pichard. in Manud. p. 4. prec.* 8. In nostra Hispania ex antiqua consuetudine, Lege confirmata. *L. 2. tit. 6. lib. 1. R. C.* servatur, quod si in Tribunalibus Ecclesiasticis negetur appellatio legitima, sic gravatus recurrit per modum violentiæ ad Regias Cancellarias, & ibi expeditur Provisio Regia, ut Notarius causæ mittat processum, vel ipse compareat ad illum referendum, ut Senatores Regij possint certiores reddi, an Judex Ecclesiasticus vim inferat negando appellationem: quod si ita esse inveniant Senatores, declarant, judicem Ecclesiasticum vim facere in denegatione appellationis; ac proindè debere eam concedere; & sub hac forma decernunt: *Otorgue, y reponga lo becho, y actuado, despues que la apelacion se interpuso, ò pudo interponer. L. 36. tit. 5. lib. 2. R. C. Gonz. in C. 17. de Judic. n. 6.* ubi plures DD. refert. Et ab hac interlocutione Hispanè: *Auto*, non datur appellatio, nec supplicatio. *Hevia in Cur. Philip. p. 5. §. 4. n. 2.* Olim quidem ad petendos, & recipiendos Apostolos, quinque dies concedebantur. *C. 24. 2. q. 6.* Hodie triginta dies conceduntur, qui à die interpositæ appellationis currere incipiunt. *L. 24. C. h. t. c. 6. eod. in 6.* Quod si intra prædictum tempus appellans petere negligat, appellationi renuntiasse censetur: & hæc præsumptio est juris, & de jure. *Cl. 2. h. t.* ac proindè contra eam non admittitur probatio. *Judex à quo*, in cujus favorem hæc termini longitudo concessa est, licet non possit longiorem terminum statuere, potest tamen breviorem assignare ad petendos, & recipiendos Apostolos: quo termino elapso, si appellans illos non petijt, vel oblatos recusavit, appellatio censetur deserta: perindè ac si triginta dies essent elapsi. *Cl. 2. h. t.*

281 *Tertium fatale* ad præsentandum Apostolos *Judici ad quem* conceditur. Hoc quidem tempus diversum pro diversitate judicum, & locorum à Jure Civili statum est. *L. 2. l. fin. C. de Tempor. appellat*, Jure tamen Canonico attento Judex hoc tempus assignat pro suo arbitrio. *C. 4. h. t.* Et idem est de jure Hispano. *L. 23. tit. 23. p. 3.* ubi statuitur, quod si Judex terminum non assignet, infrà duos menses tenetur appellans prosequi appellationem. Sed de jure noviori hic terminus pro varietate judicum, ad quos appellatur diversimodè variatur. *L. 2. l. 5. tit. 18. lib. 4. R. C.* Quod si intra hos terminos non compareat appellans, censetur appellationi renuntiasse, & appellatio pro deserta habetur. Et quidem de appellatione deserta ante ejus introductionem pronuntiat *Judex à quo*. Siquidem adhuc sub ejus jurisdictione causa consideratur, & ad ipsum spectat terminum ad eam introducendam assignare, *C. 27. h. t.* non tamen potest terminum ad appellationem prosequendam decernere, *C. 50. h. t.* quia hoc esset Legem dicere superiori, qualis est *Judex ad quem*: nam jam ad ipsum causa censetur devoluta, & consequentèr ipse pronuntiat de appellatione introducta, sed non continuata.

Quan-

Quando appellatur in Indijs ad supremum Indiarum Consilium debet appellans ibi comparere, prout statuitur in L.30. tit.12. lib.5. R. Ind. *Los que apelaren para el Consejo de Tierra-firme, desde el Cabo de la Vela, y Golfo de Venezuela, hasta el Cabo de la Florida, Santa Marta, Nicaragua, Cabo de Honduras, Higueras, Guatemala, Yucatán, Nueva España, y Rio de las Palmas, y lo à esto adjacente, se han de presentar dentro de ocho meses. De las Provincias del Perù dentro de un año: de las Philipinas, dentro de año y medio, contados estos terminos desde el dia que saliere de cada Provincia la Flota, ò Armada, ò Navio de registro para estos Reynos.* Et in *L.32. ejusd. tit.* jubetur, quod in causis ad supremum Senatum remissis citentur partes ad omnes instantias. Quando appellans comparet coram *Judice ad quem*, & Apostolos, seu testimonium appellationis præsentat, *Judex ad quem* jubet præsentari transumptum authenticum processus, & *Hispanè* dicitur: *Compulsorio*, ò *compulsas*, & citare partem, adversam, ut compareat coram *Judice ad quem*, sed non potest Judex superior inhibere inferiori, ne in causa procedat, quousque ipse videat ex processu, vel transumpto an hujusmodi inhibitionem debeat decernere. *L. 54. l. 55. tit. 5. lib.2. R. C. Hevia in Cur. Philip. p. 5. §. 2. ex n.1.* Postquam litigantes comparuerint coram *Judice ad quem* sequitur *quartum, & ultimum fatale*, quod ad prosequendam, & finiendam appellationem datur. Appellatio ergo sivè judicialis, sivè etiam extrajudicialis est prosequenda, & finienda intra annum. *L. fin. §.4. C. de Tempor. appellat.* vel si justa causa detur intra biennium: quo tempore elapso deserta videtur: si scilicèt appellans, justo impedimento cessante (secus si illud obstet. *C.8. h. t.*) eam non sit prosecutus. *C.5. c.8. h.t. L. fin. C. de Tempor. appellat.* Hoc fatale incipit currere saltem de Jure Canonico statim à die interpositæ appellationis, etiam extrajudicialis, si gravamen jam sit illatum: si tamen erat futurum, incipit tempus currere à die, quo re ipsa illatum est. *Cl. 3. h. t.* Hodie tamen hoc fatale non attenditur in Tribunalibus: tùm ob multitudinem litium, & causarum: tùm quia ferè nunquam deest causa ad terminum prorogandum ob aliquod justum impedimentum. Idem est de jure Hispano. *L.11. tit. 18. lib. 4. R. C.* ac proinde si intra annum nullus omninò actus saltem ad prosequendam appellationem fiat ab appellante, appellatio censetur deserta, nec est necessarium, quod super desertione aliqua proferatur sententia declaratoria; sed *Judex à quo* suam sententiam exequatur sine alia pronuntiatione Judicis ad quem. *Aceved. in l.11. tit. 18. lib. 4. R.C.* alios citans *Hevia in Cur. Philip. p. 5. §.2. n. fin.*

282 Appellatio legitimè interposita duos effectus habet. Nam per illius interpositionem causa ad superiorem devolvitur, illique tribuit jus de ipsa cognoscendi. *C.55. c.59. h. t. C.3. §.3. eod. in 6.* Et hic effectus dicitur *devolutivus*, & præterea suspenditur jurisdictio *Judicis à quo*, ita ut pendente appellatione, omnia in suo statu debeat relinquere, nec suam quidem sententiam exequi valeat. *C. 39. h. t. C.19. de Jur. jurand. L. unic. ff. nihil innovari appellat. interp.* & hic effectus dicitur *suspensivus*. Et licet quoad eam causam suspendatur jurisdictio judicis inferioris, non tamen suspenditur quoad alias, sivè civiles, sivè criminales. *C. 22. c. 24. h. t.* Quippè appellans non eximitur ab ejus jurisdictione, nisi tantum in ea causa. Imò etiam respectu ejus causæ potest *Judex à quo* facere omnia ea, quæ appellationi non obstant. *C.17. h. t.* Si enim ex duobus correis debendi in solidum unus sit Conventus, & condemnatus, & appellet, alter adhuc potest à Judice inferiori conveniri, potestque contra eum Judex procedere. *L.60. ff. Mandat.* quia hoc non præjudicat appellationi, cum res inter alios gesta tertio non prosit, nec noceat. Similitèr potest inhibere litigantibus, ne quidpiam attentent, de eorum attentatis cognoscere, eaque revocare. *C. 17. h. t.* quia hæc omnia non opponuntur appellationi; imò tendunt ad appellationis faciliorem exitum. Hinc *Judex à quo* potest appellantem citare ad revocationem gravaminis audiendam, etsi ipso appellante non comparente in termino præfixo Judex revocat gravamen, cum hoc cessante cesset appellatio, quæ est ejus effectus, potest utique Judex in causa contra ipsum tanquam contumacem procedere. *C.10. h.t. in 6.* Etiam potest taxare expensas, ad quas condemnavit; nam tunc neutiquam innovat, sed solum declarat pronuntiata. Item si ante appellationem aliquem excommunicavit potest, etiam pendente appellatione, & ea non obstante, denuntiare excommunicatum: quia denuntiatione nihil innovat; & beneficij redditibus eum privare valet, cum effectus jam sit ab excommunicatione causatus. *C.53. §. Verum, h. t.* Item si excommunicatus, vel alia censu-

su-

ftura ligatus ab eodem Judice absolutionem petat, potest hic, & debet eum absolvere, etiam adversario repugnante, & appellante, ne absolvat: debet tamen ab eo sufficientem recipere cautionem: quod in præsentia Judicis, ad quem appellatur, vel coram Judice, cui causam delegaverit, juris pareat æquitati. *C.* 25. *h. t.* Ut sic animæ excommunicati consulatur. Nec impeditur appellatio, nec adversario fit præjudicium, cum per cautionem de parendo juri satis ipsi provideatur. Et licet regularitèr hos duos effectus habeat appellatio, scilicet devolutivum, & suspensivum, non tamen semper habet utrumque: Nam aliquando non habet effectum suspensivum: regularitèr tamen habet effectum devolutivum. Sic, quando Episcopus aliquam Censuram Ecclesiasticam infligit absolutè, & post eam inflictam appellat tali censura ligatus, licet causa ad Superiorem devolvatur, & transferatur, censura tamen non suspenditur: cum hæc secum trahat executionem, sicut ictus gladij percussionem affert. *C.* 37. *h. t. C.* 53. §. *Verum eod.* Idem est, si excommunicatio fuit inflicta sub conditione, post conditionis impletionem. *Suar. de Cens. D.* 3. *sect.* 6. *n.* 6. Secus est si censura fuit inflicta sub conditione futura: Tunc enim cum per appellationem suspendatur Judicis jurisdictio, ipsa censura non ligat, sive conditio servetur, sive non quia licet aliæ conditiones, quando adimplentur retrotrahantur ad tempus actus conditionalis: non verò excommunicatio conditionalis: quia hæc non incurritur, nisi præcedat transgresio, vel contumacia: & pendente conditione, potest gravatus ultra decendium appellare: quia dum Judex præcipit aliquid sub c̃ensura semper gravat. Quæ sententia non solum in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo satis secura est, ut tenet *Suar. de Cens. D.* 3. *sect.* 6. *n.* 4 licet contraria securior sit, & ad tollendas lites aptior, ut tenent *Abbas, & alij.*

283 Interposita igitur appellatione, *Judex à quo* illi deferre debet, alias punitur, de Jure quidem Civili, sustinendo litis damnum, & mulcta decem librarum auri, *Nov.* 126. *cap.* 3. Correcta juris antiqui pœna arbitraria in causa criminali, & in civili triginta librarum auri. *L.* 21. *C. h. t.* Jure tamen Canonico deponitur Judex, si appellationi ad Papam non deferat. *C.* 11. §. *Si autem*, 2. *q.* 6. In alijs verò appellationibus punitur pœna arbitrio Superioris ad quem remittitur æstimanda. *Arg. C.* 31. *h. t.* In Nostra Hispania condemnatur *Judex à quo* pœna triginta millium marapetinorum, quæ fisco applicatur. *L.* 13. *tit.* 18. *lib.* 4. *R. C.* Si causa est dubia, saltem ob reverentiam Superioris debet Judex deferre appellationi, si interponatur à sententia definitiva: Si verò ab interlocutoria appelletur, potest, sed non debet deferre: Sed potest in causa progredi, donec à Superiore inhibeatur. *C.* 5. *C.* 7. *h. t.* Et generalitèr in dubio consultius est appellationes concedere, quam negate. *Paz in Praxi tom.* 6. *p.* 1. *in Proœm. n.* 17. non tamen debet deferre appellationi frivolæ, & frustratoriæ, nec illis, quæ à jure, vel in Rescripto prohibitæ sunt, imò eas repellere debet, & in causa progredi. *C.* 15. *C.* 53. *h. t. C.* 5. *eod. in* 6. Postquam ergo *Judex à quo* appellationi detulit, non potest amplius in causa procedere, nec valet processus si fortè fiat, nisi appellationi à parte renuntiatum sit. *C.* 4. *h. t. in* 6. Sed debet Apostolos appellanti tradere, & si petierit acta judicij, vel eorum copiam authenticam, & publicam ipsi tradet, ut ad Judicem appellationis deferantur. *L.* 2. *C. de Edend. l.* 22. *tit.* 23. *p.* 3. ibi: *E pido, que me dedes vuestra Carta para èl, è el traslado de la Sentencia, è de los actos del pleyto, como passaron ante vos.* Insuper *Judex à quo* compellit appellantem, ut intra terminum sibi præfixum, vel prosequatur appellationem, vel coram se juri pareat. Quod si aliquis litigantium illum suspectum habeat, ipsi possunt eligere arbitrum, qui de recusatione cognoscat, vel Judex eos compellit, ut Judicem eligant, cui ipse causam committat. *C.* 27. *h. t.* Appellans quidem, etiam post interpositam appellationem, si res adhuc sit integra, id est, quod appellatio non sit ab adversario acceptata, potest appellationi renuntiare, & ad petitionem ejusdem ad eum, à quo provocavit de jure causa remittetur, contradictione alterius non obstante; est tamen appellans in legitimis expensis adversario condemnandus. *C.* 70. §. *Ille, h. t.* Si tamen appellatio est ab adversario acceptata, cum tunc utrique jam censeatur communis, non potest appellans, alio invito, ab ea recedere. *Pichard. in Manud. p.* 4. *præc.* 6.

284 *Judex ad quem* est appellatum cognoscit per se, vel per alium, an appellatio sit legitimè interposita: non tamen causam examinandam ad *Judicem à quo* remittet, nisi partes consentiant, quia periculum est, ne iterum gravet. *C.* 35. *h. t.* Et hac ratione si *Judex à quo* in locum Judicis

dicis ad quem succedat, non potest per se de causa appellationis, parte adversa repugnante, cognoscere, sed personæ non suspectæ causam debet delegare. Et quidem Judex ad quem, discussa appellationis causa, vel pronuntiat, malè appellatum, & benè judicatum esse in prima instantia: & tunc si à definitiva fuit appellatum, eam confirmat, & exequitur: si fuit appellatum ab interlocutoria, appellantem in expensis condemnat, & remittit causam ad *Judicem à quo*, & appellanti præcipit, *Judici à quo* obedire. *C.38.c.59. b. t. C. 3. §. fin. eod. in 6. L. 27. tit. 23. p.* 3. Vel pronuntiat, benè esse appellatum, ac proindè male esse in prima instantia judicatum: Et tunc de causæ meritis cognoscit, & eam definitive decidit: & etiamsi sit appellatum ab interlocutoria, de negotio principali pronuntiat, nec ad *Judicem à quo* remittet, ne qui in incidenti gravavit, gravet in principali. *L. 27. tit. 23 p.* 3. ibi: *E si entendiere, que se alzò con derecho, mejore el juicio, è juzgue el principal, è non le embie à aquel Alcalde, que juzgò mal. Glos. in C. 59. b. t.* V. *Alioquin. Barbos. ibid. n.* 7. Appellans tamen probare debet coram *Judice ad quem*, se appellasse: & quidem tempore legitimo à sententia, vel gravamine illato, & ex causa rationabili, se appellasse: tali scilicèt, ut si probetur, justam declaret appellationem esse. Et hic libellus, *Hispanè* dicitur: *Escrito de expresion de agravios.* Debet insuper appellationem, & ipsam sententiam, à qua appellavit producere, & ipsa acta, vel eorum copiam, ut ex eorum inspectione constet, an sit omissa citatio, vel sententia lata sine causæ cognitione. *L. 2. C. de Edend. l. 22. tit. 23. p.* 3. Et potest, vel novas probationes, vel ex prioribus actis depromptas producere: adeò, ut solemne sit apud practicos: *In causa appellationis non allegata allegabo, & non probata probabo. L. 4. C. de Tempor. appellat. l. 27. tit. 23. p.* 3. Si litigans appellet à sententia definitiva potest *Judex ad quem* revocare gravamen per interlocutoriam illatum, licet ab ea non appelletur, si talis sit interlocutoria, quæ causæ præjudicet principali, vel processum retro nullum reddat, cum non possit aliter causa principalis, & causa definitiva, à qua appellatur, benè expediri. Non tamen potest Judex revocare interlocutoriam, à qua non est appellatum, si nullum causæ principali afferat præjudicium. *C. fin. b. t. in 6.*

285 Aliquando *Judex à quo*, etiam pendente appellatione, potest suam sententiam exequi, ut in casibus, in quibus de jure est prohibita appellatio. *C. 7. b. t. in 6.* in casibus notoriis. *C. 24. b. t.* & etiam, quando jus concedit paratam executionem, nisi fortè appellans causam justam alleget, ob quam appellatio debeat admitti. Similitèr in appellatione manifeste frivola, nisi Judex ei detulerit. *C. 5. b. t. in 6.* Nec Jure Civili appellatio retardat executionem in possessorio. *L. un. C. Si de moment. possess.* Item appellatione pendente, cum possessor sua possessione non privetur, potest utique eam continuare, & ejusdem commodis frui. *Arg. C. 1. Ut lite pendent.* Et etiam potest Judex contra tertium in eadem causa procedere, si nihil intersit appellantis, hanc innovationem fieri. *L. 60. ff. Mandat. Pichard. in Manud. p. 4. prae.* 16. Regularitèr tamen extra casus permissos nequit *Judex à quo* post sententiam latam intra decendium, etiam non interposita appellatione, multoque magis appellatione jam interposita, & pendente, nequit, inquam, aliquid circa causam innovare, quod si innovet, *attentatum* dicitur, & debet ante omnia revocari *à Judice ad quem. C. 7. b. t. in 6.* & in pristinum statum omnia debent restitui. *C. 54. b. t.* Ut ergo revocetur ante omnia quidquid est innovatum in præjudicium causæ à tempore latæ sententiæ, sufficit, appellantem probare, esse latam sententiam definitivam, vel interlocutoriam vim definitivæ habentem, esse ab ea appellatum, & posteà aliquid innovatum, vel attentatum à Judice, vel à parte appellata: Nec requiritur, esse justificatam appellationem, neque causam appellandi esse veram, & legitimam. Quia statim ac Judex pronuntiat sententiam definitivam, finitur ejus officium, & per appellationem suspenditur ejus jurisdictio, & ad *Judicem ad quem* transfertur: ac per consequens quidquid tunc faciat debet revocari tanquam factum à non habente jurisdictionem. *L. 55. ff. de Re judicat.* Et quidem si à sententia interlocutoria simplici appelletur, requiritur, ut *Judex ad quem*, justificata prius causa appellandi: quippè non aliter ad eum devolvitur jurisdictio *Judicis à quo. C. 7. b. t. in 6.* inhibeat *Judici à quo*, ne in causa procedat. *C. 7. b. t. in 6.* nisi *Judex à quo* appellationi deferendo à se abdicet jurisdictionem, & hæc tam super causa appellationis, quam super causa principali ad Superiorem transferatur: quia tunc non est necessaria inhibitio. *Glos. in C. 7. b. t.*

in

In 6. V. *Nisi Judex.* Judex igitur *ad quem* cum de principali causa cognoscat, ad ipsum per appellationem jurisdictione inferioris devoluta, etiam revocat attentata. *C.* 54. *b. t. l.* 27. *tit.* 23. *p.* 3. tanquam accessoria. *Arg. C.* 42. *de Reg. jur. in* 6. Quæ quidem attentatorum revocatio in quacunque parte judicij usque ad conclusionem in causa, sed non ultra peti potest. *Piehard. in Manud. p.* 4. *prac.* 16. Profectò licet in appellatione judiciali omnia attentata revocentur, quamvis non sint directè contra appellationem. *C.* 7. *b. t. in* 6. Cum jurisdictio *Judicis à quo*, quoad totam causam suspendatur: In extrajudiciali tamen solum revocatur quod est contra appellationem. Nec in hac est necesse, quod appellatio intimetur illi, qui gravat, ut attentata revocentur, secus est in judiciali. Et cum *Judicis ad quem* authoritas, imò, & ipsa Lex contemnatur, & lædatur, per attentata, potest Judex ex officio ea revocare. Si revocatio attentatorum petatur specialitèr, licet lis sit contestata super libello attentatorum: si possunt separari à causa principali, revocari poterunt ante definitivam: si nequeunt separari definitiva expectatur. *L.* 57. §. 1. *ff. de Administr. Tutor. Et ibid. Gotoofr.* Aliquando tamen petitur revocario attentatorum accessoriè, appellationem prosequendo. Hoc attentatorum remedium etiam conceditur spoliato, seu turbato in sua possessione, & quidem ipsi est promptius, & utilius Interdicto *Unde vi.* Siquidem competit pro immobilibus, & mobilibus adversus quemcunque, etiam bonæ fidei possessorem. *C.* 51. *b. t.* Nec contra hoc remedium potest opponi exceptio spolij, nec defectus notorius proprietatis, nec exceptio excommunicationis, quando appellatio est judicialis: secus si extrajudicialis sit: nam quando appellatio est judicialis ad defensionem pertinet: quando verò est extrajudicialis magis naturam provocationis sapit. Nec hoc remedium indiget ordine judiciario. Unde constat, quod pinguius, & utilius est Interdicto *Unde vi*, quod facilè ex utriusque naturæ consideratione patebit. *Vallens. in Præf.* §. 16. *& alij com.* Denique, si *Judex à quo*, vel pars appellata aliquid attentent, vel innovent, ultra attentatorum revocationem ipsi in expensis appellanti condemnantur. Si verò pars appellans aliquid innovet, quod non sit propriæ appellationi contrarium, ut attentatum revocatur. Si innovat contra propriam appellationem beneficio appellationis privatur: quia eam deseruisse, eique renuntiasse censetur: ac proindè sententia *Judicis à quo* transit in rem judicatam. *C.* 5. *b. t. Et Judex ad quem* ad petitionem partis appellatæ sententiam remittit ad *Judicem à quo* ut eam exequatur, tanquam appellatione deserta. Latè de his *Barbos. & Gonz. in Præf. Greg. Lop. & Acevedo in LL. Reg. Hisp. Hevia in Cur. Philip. p.* 5. *Paz in Praxi, tom.* 1. *p.* 6. *Piehardo in Manud. p.* 4. *& alij.*

286 Sicut per appellationem suspenditur *Judicis à quo* jurisdictio, sic etiam Judicis recusati per recusationem jurisdictio suspenditur: & ideò ut appellationi affinis in nostra Rubrica habetur *recusatio*, & in parte secunda nostri Tituli collocatur. *Recusatio enim est declinatio Judicis, vel jurisdictionis ipsius, eo quod ex causa verisimili suspectus sit. C.* 17. *c.* 39. *de Offic. deleg. L.* 16. *C. de Judic.* Quippè ipsa natura dictat inimicorum judicium fugere. Et non admittitur recusatio nisi expressa justa, & probabili causa suspicionis ad recusandum, & quidem in specie debet exprimi, non solum de Jure Canonico, sed etiam de Jure Civili. *C.* 61. *b. t. L.* 9. *ff. de Liberali caus.* Judex à quo in una causa est appellatum, non ex hoc præcisè recusatur ut suspectus, quoad alias, nisi aliunde amor alterius partis, vel odium in appellantem ex alijs indicijs inferatur: Quippè appellare ab illo non est justa offensionis causa, nec illi ex hoc aliqua infertur injuria. *L.* 20. *C. b. t.* Sed licet recusatio sit appellationi vicina, ab ea tamen differt. 1. quia à Judice, in quem quis consentit appellare potest, non tamen potest eum recusare. 2. in eadem causa non licet tertio appellare: & post secundam appellationem adhuc recusationi est locus. 3. à Judice non appellatur, si non gravet: potest tamen, etiam quando non gravat, recusari. Justæ igitur recusationis causæ sunt sequentes: scilicèt, si Judex sit alterius partis consanguineus, vel affinis. *C.*4. *Ut lite non contest.* vel Dominus. *C.* 17. *de Offic. delegat.* vel Socius, seu Collega. *C.* 35. *eod.* vel cliens. *L.* 5. *In pr. ff. de Injur.* vel valdè familiaris. *C.* 25. *de Offic. delegat.* vel inimicus recusantis, quia cum eo rixatus est, vel cum eo litem habuit, vel ipsi minatus est, vel si affectionem specialem habeat erga causam: quia ut privatus similem habet in alio Tribunali. *C.* 18. *de Judicijs.* Vel si ex ea magnum ipse speret emolumentum, vel si in eo negotio fuit Procurator, vel Advocatus, vel si aliæ hujusmodi causæ subsint,

de quarum legitimitate, & veritate non ipse recusatus, ne in causa propria Judex sit; sed arbitri electi à litigantibus cognoscunt intra terminum competentem ipsis præfixum à Judice recusato: & intra quem debent convenire, & causam terminare: quod si discordent, eligunt tertium, & quod duo ex his tribus decreverint circa recusationis causam firmum habetur. Quando Vicarius Generalis Episcopi recusatur, Episcopus ipse, nisi procul absit vel sit suspectus, de causa recusationis cognoscit. *C. 4. de Offic. delegat. in 6.* si ex duobus delegatis cum clausula: *Quod si ambo non possint unus procedat:* unus recusetur, alter de recusatione cognoscit. *C. 4. de Offic. delegat. in 6.* cum recusatur delegatus cognoscit delegans, si præsens est. *Molina de Just. & jur. tr. 5. D. 23. n. 15. & alij communiter.* Arbitri electi nihil de causa principali cognoscunt, sed tantum de causa suspicionis, in qua possunt examinare, compellere, & delinquentes testes punire, & exceptiones admittere. Si causam suspicionis justam, & probatam esse pronuntient, Judex alteri committit causæ principalis cognitionem de consensu recusatoris, vel ad superiorem remittit. *C. 61. h. t.* ut in ea procedat, prout viderit procedendum: Si vel non probatam, vel insufficientem esse pronuntient, Judex recusatus, qui dum recusationis causa pendet, supersedere debet in causæ cognitione, in ea progreditur. *C. 41. §. Tertiò, h. t.* similiter, si constiterit, recusationem esse manifestè frivolam, ea contempta, procedit Judex. Item procedit, si intra terminum arbitris præfixum ipsi non pronuntient de causa suspicionis, ad quod possunt à recusato compelli. *C. 2. h. t. in 6.* Si verò recusatus terminum incompetentem arbitris assignet, litigantes possunt appellare, siquidem in hoc gravantur. Quod si Judex recusatus, dum de recusatione cognoscitur, in causa procedat, quæ circa eam innovaverit, ut attentata, ante omnia, revocantur, ita ut processus nullius sit. *Glos. in C. 16. 2. q. 6. V. Appellent.* Recusatio debet proponi in scriptis libello recusatorio oblato Judici recusato. *L. 16. C. de Judic.* Et quidem intra viginti dies (qui ad deliberandum dantur) post oblatum libellum; ante litis tamen contestationem. *C. 20. de Sentent. & re judic. l. 16. C. de Judic.* imo & ante alias exceptiones dilatorias, ne in Judicem censeatur consentire recusans, si super alijs dilatorijs subeat judicium; nisi protestetur, ut sibi maneat salva hæc exceptio. Vel si post aliam exceptionem oppositam, imo & post litem contestatam causa suspicionis oriatur, vel saltem tunc fiat nota recusanti. *C. 4. de Except.* Princeps Ecclesiasticus, vel Sæcularis non possunt recusari: quia præterquamquòd illorum Majestas omnem excludit suspicionem, a nemine in terris judicantur. Jure Canonico Judex Ordinarius, & Delegatus, etiam Episcopus, recusari possunt. *C. 41. §. Tertiò. C. 61. h. t.* imo & totum Collegium; *arg. C. 10. de Foro compet.* Quando Ordinarius recusatur, potest ejus Vicarius licet nulla sit adversus Vicarium suspicio, in specie, ut suspectus recusari. Item Domino recusato, tota ejus familia, ut suspecta, potest considerari. De Jure Civili delegatus potest recusari, & etiam Ordinarius, sed hic non omninò removetur à cognitione causæ per recusationem, sed ad illius decisionem alius adjungitur. *Auth. Si verò. C. de Judic.*

287 De Jure Hispano potest recusari Judex Ordinarius, vel Delegatus, quin sit necessarium causam recusationis in specie exprimere: potestque in quacumque parte judicij proponi recusatio etiam post subscriptionem sententiæ, dum tamen ante illius intimationem proponatur. Nec Judex recusatus removetur à causæ cognitione, debet tamen in civilibus sibi associare alterum Judicem Ordinarium, si fortè talis in illo loco sit; quod si non sit, associabit quemdam bonum virum, providum, & discretum, & ambo in cognitione causæ procedent. In criminalibus autem sibi associabit duos Decuriones, vel bonos viros. Et associatus non potest recusari, nisi allegata, & probata recusationis causa. Si Judex, & ejus associatus dissentiant, causa remittitur ad Superiorem. Arbiter sanè nequit recusari nisi ob causam ortam post illius electionem, vel saltem tunc notam. Relator, & Tabellio etiam absque causæ expressione recusantur, & illis socius adjungitur, recusantis expensis. Quando recusatur aliquis Senator Regius Cancellariarum debet fieri recusatio in scriptis, jurata quidem, & subscripta à parte: & insuper ab Advocato, præsentaturque Consistorio Regio, *Hispane: Acuerdo*; debetque exprimi causa in specie; & post triginta dies à tempore litis inceptæ interponitur: non tamen admittitur postquam sententia subscripta est, nec in hoc habent restitutionem minores, vel Ecclesiæ. Hæc causa recusationis discutitur à Senatoribus non recusatis: quod si

si injusta declaretur, condemnatur recusans in sex mille marapetinis pro singulis recusatis. Et ab hac sententia non datur appellatio. Quod si causa justa appareat, deponit recusans pœnam pecuniariam, in quam condemnatur, si non probet causam recusationis: quæ quidem pœna est, pro Præside recusato, centum & viginti millium marapetinorum: pro singulis Senatoribus Regijs, *Hispanè*: *Oidores*, sexaginta millium marapetinorum: pro Judicibus Criminalibus, *Hispanè*: *Alcaldes de Corte*, est pœna triginta millium marapetinorum. Et ab hac sententia potest supplicare recusans. Si verò probet justam recusationis causam, abstinere jubetur Judex recusatus ab illius causæ cognitione, & pecunia deposita restituitur recusanti. Quæ omnia late constat *ex tit.16. lib.4. R. C. & tit.10. lib.2. R.C. Et ibid. Aceved. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 7. per tot. Pichard. in Manud. p.1. §.10. Paz, & alij.* Idem pro Indijs statutum est in recusatione Præsidum, & Senatorum. *L. 1. tit. 11. lib. 5. R. Ind.* Et in *L. fin.* dicitur: *En las recusaciones de los Contadores de Quentas de los Tribunales de las Indias se guarde el mismo estylo, que con los Oidores, y Alcaldes de las Audiencias de aquellas Provincias.* In recusatione Quæstorum Regij Ærarij, *Hispanè*: *Officiales Reales*, debet cujusque Provinciæ consuetudo servari. *L.60. tit.4. lib.8. R. Ind.* Prior, & Consules Mercatorum cum causa possunt recusari, & quomodo procedatur. *L. 31. & seqq. tit.46. lib. 9. R. Ind.*

288 Venimus tandem ad tertiam partem Rubricæ, quæ est de *Relationibus*. Sæpè enim accidit, quod Judices inferiores relationem causæ ad Judicem Superiorem remittant: quæquidem relatio fit, vel quia causa est Superiori specialitèr reservata. *C. 59. in fin. b. t.* vel quia talitèr est delegata, ut ea cognita, & instructa remittatur ad Superiorem. *C. 5. de Offic. Legat. C. 56. b. t.* vel quia est necesse Superiorem consulere ob arduitatem negotij, & causæ gravitatem. Et de hac solum relatione est præsens Rubrica. Hæc quidem quamdam cum appellatione affinitatem habet, cum eaque convenit in eo, quod fit ad Superiorem, sicut & appellatio: & ad ipsum causæ cognitio devolvitur, ita ut ampliùs non possit, pendente relatione, cognoscere ipse referens, sed manus ejus, quasi ligatæ manent. *L.22. ff. b.t.* ac per consequens nihil in eo statu debet innovare. *L. 13. C. b. t. C. 5. de Offic. Legat.* nec quidem consentientibus partibus valet Judex causam Principi relatam reassumere, ne Princeps contemni videatur. *C. 4. de Postulat. Prælat. L.35. tit.3. lib.1. R. C.* ibi: *Embien relacion de lo que ha passado, y passa; y entretanto no les compelan à fundar las dichas Capellanias.* Si tantùm promissa, nondum tamen sit facta relatio, potest Judex de consensu partium causam reassumere, & de ea cognoscere. *Glos. in C. 5. de Offic. Legat.* Quando Rex jubet alicui Magistratui, ut statum alicujus causæ sibi referat, non debet Judex in ejus cognitione supersedere, nisi hoc à Rege specialitèr exprimatur. *L. 9. tit. 14. lib. 4. R. C. Gonz. in C. 5. de Offic. Legat. n. 9.* Ab appellatione autem differt relatio, quia hæc ante, illa tamen post sententiam interponitur; nec fit à partibus, ut appellatio, sed à Judice, eaque facta, & admissa, non ipse superior, sed inferior secundum Superioris rescriptum sententiam profert. *L. 1. C. de Relationib.* Jure tamen Civili relationum usus est sublatus. *Auth. Novo Jure. C. de Relation.* Jure quidem Ecclesiastico rarus est, & ejus loco recurritur ad Jurisperitos, & Academias, & dum eorum consilium expectatur, quasi suspensa jurisdictione, nihil expedit innovari; *arg. C. 52. de Elect. Vallens.* de Jure Hispano utique viget relationum usus. *L. 35. tit. 3. lib. 1. R. C.* Et maximè in Indijs, ubi sæpe est necessarium, nostrum Regem consulere ob arduitatem, & novitatem negotiorum. *L. 18. tit. 2. lib. 1. R. Ind. L. 45. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* & alibi sæpè. Debet igitur relatio totius causæ, vel articuli relati, de quo est dubium, plenam instructionem omnibus facti circunstantijs, & utriusque partis allegationibus propositis. *L. 1. C. de Relation.* Si de tota causa dubitetur acta mittuntur, vel eorum copia Authentica, *Hispanè*: *Compulsas*: si de articulo dubitetur, ille solus, non totus processus mittitur. *L. fin. C. de Relationib.* Et ne Judex exprimat falsum, vel taceat verum, debet partibus relationem edere, alias ei non adhibetur fides. *C. 68. b. t.* possuntque partes eam refutare, & appellare, si sit vel falsa, vel insufficiens. *L. 1. l. 2. C. de Relation. L. 15. tit. 23. p. 3.* Copia debet tradi in forma authentica, ita ut non possit immutari. *C. 11. de Probat.* Et ambo litigantes debent in relationem consentire. *L. 2. C. de Relation.* & sat est, si non contradicant, ut consentire ipso silentio videantur; *arg. C. 43. de Reg. jur. in 6.*

TTT.

TIT. XXIX.

De Clericis Peregrinantibus.

289 Clerici peregrinantes (idem ex eadem ratione est dicendum de Laicis) qui scilicèt ad Apostolicam Sedem proficiscuntur, debent esse simul cum suis rebus sub Apostolica protectione securi. *C. un. h. t.* idem est *in. L. 2. tit. 24. p. 1.* Hinc qui capiunt, vel spoliant suis rebus Romipetas, & peregrinantes ad limina Apostolorum, vel ibi morantes, vel redeuntes incurrunt excommunicationem. *C. 23. 24. q. 3.* quæ quidem hodie reservata est in *cas. 9. & 10. Bullæ Cœnæ.* Ille, qui à *Judice à quo* gravatur potest non solum verbo, sed etiam facto ipso appellare: iter, scilicèt, arripiendo ad Sedem Apostolicam. *C. 52. de Appellat.* dum tamen hoc fiat intra decendium, & judici, vel parti intimetur; *arg. C. un. h. t.* Quod si postquam fuit citatus iter arripiat, Judex, hoc non obstante, in causa procedat: & ideò reus debet iter arripere antequam citatione sit præventus. *C. 9. de Appellation.* Sanè arrepto itinere tempore legitimo, suspenditur jurisdictio *Judicis à quo*, ita ut nihil jam possit innovare in causa, & quidquid innovatum fuerit, revocatur, ut attentatum. Etsi quid peregrinanti sit ablatum in judicio, vel extra, ipsi restituendum est. Et hæc peregrinatio ab onere petendi Apostolos relevat. Et quidem debet sic appellans iter arripere, antequam ejus adversarius impetrasse litteras Apostolicas ad delegatum, vel antequam hujus impetrationis notitiam habeat: alias iteneris arreptio, ut maliriosa ei non prodest: quia hæc appellatio non ad deprimendam cujusquam justitiam, sed ad removendum gravamen fuit concessa. *C. 15. de Appellat.*

TIT. XXX.

De Confirmatione utili, vel inutili.

290 Cum sententia appellata sæpè confirmetur à Judice superiore, in præsenti agitur de ejus confirmatione: & indè etiam de aliorum actuum confirmatione tractatur. *Confirmatio etenim est juris prius habiti, seu quæsiti corroboratio per legitimum superiorem facta.* Præsupponit siquidem aliquid esse, quod confirmetur: nec alius quam superior confirmare potest, cum confirmatio propriè dicta ad imperium pertineat, & omnium ore decantatum sit: *quod par in parem non habet imperium. L. 4. ff. de Recept. qui arbitr.* Quod si inferior aliquando confirmare dicatur, potius approbat, quam confirmat. Confirmatio est duplex: alia est *simplex, seu in forma communi, & ordinaria*, alia in forma *speciali, seu ex certa scientia. Confirmatio simplex* est quando superior non plenè, sed in confuso tantum de negotio instructus actum inferioris confirmat in eo statu, in quo anteà fuit. Et in dubio confirmatio in forma communi facta censetur: nisi constet, factam esse in forma speciali, & ex certa scientia. Talis enim confirmatio non præsumitur, nisi probetur. *Suarez de Legib. lib. 8. cap. 18. n. 7. Barbos. in C. 2. h. t. n. 3.* contra *Joan. And. & alios.* Et licet confirmatio communis authoritatem, & majorem firmitatem actui tribuat, quando ipse est validus, quando tamen est invalidus nullum effectum habet confirmatio, sed eum in sua nullitate relinquit. *C. 4. h. t. C. 29. de Privileg. Suar. de Legib. lib. 8. cap. 18. n. 8.* quia quodammodo est conditionalis, & animus Principis non est novum jus dare, sed tantum præexistens roborare. Hinc privilegia per Papam, vel Tridentinum revocata, si posteà in forma communi confirmentur, non reviviscunt: secus est, si in forma speciali confirmentur.

291 *Confirmatio in forma speciali est*, quando cum exacta negotij notitia, omnibusque illius circunstantijs accuratè examinatis, actum inferioris confirmat superior: v. g. si in confirmatione apponantur hæ clausulæ: *Ex certa scientia, ex plenitudine potestatis: vel supplendo omnes juris, & facti defectus: vel non obstante contraria dispositione*: vel aliæ similes, vel si actus confirmatio à confirmante iteretur, vel aliter constet, cum plena cognitione, velle superiorem actum confirmare. Vel si in confirmatione inseratur totus tenor actus confirmati. *C. 8. h. t.* Et tunc confirmantur etiam ea, quæ præsumitur Princeps ignorare, ut statuta, & consuetudines speciales locorum, quæ alias etiam ex clausula *ex certa scientia*: non confirmarentur. *Barbos. in C. 4. h. t.* Confirmatio igitur specialis æquivalet novæ concessioni, ac proinde novum jus actui confirmato tribuit, suppletque defectus, qui in eo intervenerunt, etsi forte invalidus erat,

va-

validum reddit. C. 1. *de Transaction. & Gloss. ibid. Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 18. *n.* 12. *Gonz. in C.* 2. *b. t. n.* 5. nisi actus laboret defectu indispensabili à confirmante: v. g. si est contra Jus Naturale, Divinum, vel Gentium; vel talis, ut licet possit, non tamen soleat confirmans dispensare. Quippè tunc specialis mentio requiritur, *C.*8 *t. de Reg. jur. in* 6. vel si sit in tertij præjudicium: quoniam non præsumitur, Principem tertio velle præjudicare, nisi hoc specialitèr exprimatur. C. 15. *de Offic. delegat.* Confirmatio super sententia, à qua erat appellatum non valet, si appellatus malitiosè prævenit appellantem: alias pendet, donec de appellatione cognoscatur. C. 3. *b. t.* Nec valet, item confirmatio, quam Religiosus impetravit à Papa super temporali administratione, seu Prioratu, si tacuit, se Religiosum: si verò expressit, rescriptum præsumitur falsum: quia Papa non solet hoc concedere. *C.*5. *c.*6. *b. t.* Nec tenet sententia, seu laudum contra formam juris, vel compromissi latum per arbitros, licet per Papam fuerit in forma communi confirmatum. C. 7. *b. t.* item collatio Ecclesiæ alicui facta per Legatum, & Papam confirmata non lædit Jus Diœcesani. *C.*9. *b. t.* Si tamen dubitetur, an confirmatio sit vera, vel falsa, legitima, seu illegitima, non potest de hoc principalitèr cognoscere Judex inferior, potest tamen incidenter; *arg. C.* 9. *de in Integr. restit. L.*3. *C. de Judic.* v. g. si sciat, actum à Papa, in forma communi confirmatum, esse invalidum, accessoriè pronuntiat confirmationem esse nullam. Vel si confirmatio sit subreptitia, vel de re litigiosa. *C.*1. *c.*2. *b. t.* secus est si dubitetur, an in forma communi, vel speciali sit facta, ut sciat, an possit de re confirmata judicare. Nam tunc de tali confirmatione nequit inferior judicare. C. 1. *b. t.* Quando instrumenta privilegiorum per vetustatem sunt consumpta innovari solent: sed cum hæc innovatio tantum sit materialis nullum novum jus tribuit. *C.*4. *b. t. C.*13. *c.*29. *de Privileg.* si vero ipsa gratia, vel privilegium confirmetur à Principe, si hoc in forma communi faciat, nihil de novo addit, nisi majorem firmitatem, si in forma speciali fiat, gratiam, & jus de novo confert hæc confirmatio. Etsi fortè privilegium per non usum, vel usum contrarium, vel revocationem sit amissum, illud reviviscere facit. *Suar. de Legib. lib.*8. *cap.* 20. *n.*8. ubi alios citat, referrque, hanc fuisse sententiam doctissimorum virorum Salmanticensium. *Barbos. in C.*4. *b. t. n.*18. *& alij.* Hæc de judicijs dixisse sufficiat, nec nobis datum est hanc materiam velis expansis navigare, sed tantum oram adlambere permissum, siquidem incunctantèr properamus ad metam.

LIBER III. DECRETALIUM. GREGOR. IX. PONT. MAX.

TITUL. I.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

CUM Clericorum vita sit quasi speculum, & norma vivendi toti Populo. *Trid. Sess.* 22. *de Ref. Cap.* 1. *L.*57. *tit.*5. *p.* 1. ibi: *Cuerdamente deben los Perlados traer sus faciendas, como omes, de quien los otros toman exemplo.* Hinc est, quod debent non solùm aliis scandalum non dare, sed cæteros suo exemplo ædificare. Sanè Clerici, & beneficiati, etiam in minoribus constituti, ut per decentiam habitus extrinseci etiam honestatem intrinsecam ostendant, debent deferre vestem, & coronam, seu tonsuram suo ordini congruentem: quod si non faciant ultra peccatum grave, quod regulatitèr committunt, puniuntur suspensione ab ordinibus, officio, & beneficio: & si semel correpti denuò delinquant, coercen-

cendi sunt per privationem officiorum, & beneficiorum. C. 15. *b. t. Cl. 2. eod. Trid. sess.* 14. *de Ref. Cap. 6.* Sed ut hæ pœnæ incurrantur, est necessarium, ut Clericus habitum perseveranter non ferat, ita ut communitèr existimetur Laicus. Nec pœnas incurrit, qui non defert habitum in itinere, vel qui timet periculum: vel si domi non deferat: vel si non deferat tonsuram, si tamen defert habitum: vel si non deferre habitum conducat ad fructum, & salutem animarum, vel ad tollendum scandalum, vel quid simile: nam tunc, etiam Religiosi, possunt suæ Religionis habitum exuere. Et sic fit in Sinicis, & Malabaribus Missionibus, ubi Missionarij barbam oblongam nutriunt, vesteque propria Regionis induuntur, ut aliquando vidi Manilæ; nunc ergo habitum proprium Clericorum describemus, & quid ad eorum spectet honestatem dicemus.

2 Et ut à capite incipiamus; omnes personæ Ecclesiasticæ debent coronam habere. C. 32. D. 23. ibi: *Nec oportet Clericos comam nutrire, & ministrare, sed attonso capite, patentibus auribus, & secundum Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ornato.* Usus tonsuræ Ecclesiasticæ, quæ à temporibus Apostolorum viget, ortum habuit à Nazaræis, qui prius crine servato post magnam vitæ continentiam caput radebant, & Capillos in ignem sacrificij projiciebant. *S. Isidor. L. 2. de Eccl. Offic. cap. 4. Barb. de Jur. Eccl. L. 1. C. 40. n. 5.* Circa significationem coronæ, & tonsuræ audiamus. *D. Hieronym. in C. 7. 12. q. 1.* Qui loquendo de Clericis ait: *Hinamque sunt Reges, id est, se & alios regentes: ita, & in Deo Regnum habent, & hoc designat corona in capite: hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ insignum Regni, quod in Christo spectatur. Rasio verò capitis est temporalium omnium depositio.* Nec Clerici possunt barbam nutrire, sub excommunicationis pœna. C. 5. *b. t.* ibi: *Clericus neque comam nutriat, neque barbam.* Junct. C. 4. *b. t.* Quod si nutriant, possunt inviti à suo Archidiacono tonderi. *C. 22. D. 23. C. 7. b. t.* Usus comæ fictitiæ. *Hispanè: Peluquin,* aliquando potest licere ex rationabili causa: v. g. ob capitis debilitatem, præcipuè ubi praxis favet. Sub excomunicatione tamen est prohibitum celebrare Missam capite velato. *C. 57. de Consf. D. 1. & Innoc. XII. An. 1692.* Ab Episcopis contra hunc abusum remedium adhiberi decrevit, & denique *Bened. XIII.* usum comæ fictiæ absolute prohibuit.

3 Vestis Clericorum debet esse talaris, id est, usque ad talos pertingens. *C. 32. D. 23.* Clausa desuper nimia brevitate, vel longitudine non notanda: pannis rubeis, aut viridibus, necnon manicis, aut sotularibus consutitijs, frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus non debent uti: cappas manicatas ad Divinum Officium intra Ecclesiam non gerant, sed nec alibi, qui sunt in Sacerdotio, & personatibus constituti, nisi justa causa timoris exegerit, habitum transformari. Fibulas omninò non ferant, neque corrigias auri, vel argenti ornatum habentes: sed nec annulos, nisi quibus competit ex Officio Dignitatis, ut Episcopis. Pontifices autem in publico, & in Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem. Palijs diffibulatis non utantur in publico, sed vel post collum, vel ante pectus, hinc inde connexis. *C. 15. b. t.* Denique tanquam regula generalis debet haberi, quod Clerici utantur veste communi Clericorum juxta Regionis ubi resident usum, & consuetudinem. *C. 15. D. 30.* Episcopi utuntur galeto viridi, & violaceo, Regulares colore præscripto sua Regula Cardinalibus concessit *Innoc. IV. in Conc. Lugd. An.* 1240. usum purpuræ; rubri galeri, *Hispanè: Capelo.* Cæteri verò Clerici communitèr nigro colore utuntur. Clerici verò, si Doctores sint, possunt uti annulo, siquidem annulus est unum ex insignibus, quibus inaugurantur Doctores cum creantur. *Barb. de Jur. Eccl. L. 1. C. 40. n. 23.* Licet alij teneant contrarium: quare praxis ubique erit servanda.

4 Etiam prima tonsura initiati, si beneficium habent, vel pensionem, vel jus ad beneficium, habitum Clericalem, & tonsuram simul deferre tenentur. *Cl. 2. b. t. Trid. sess.* 14. *de Ref. Cap. 6.* Nec sufficit gestare habitum, vel deferre coronam. *Barbos. de Jur. Eccl. L. 1. C. 40. n. 3. & alij.* Si non habent beneficium, non tenentur deferre habitum, & tonsuram Clericalem, sed si non deferat non gaudent fori privilegio: Imo nec Canonis juxtà *Suar. de Censur. D. 22. sect. 1. n. 11.* & alios, quod negant *Molina de Just. & jur. tr. 3. D. 54. n. 9. & alij.* Attamen privilegium fori semel amissum per habitus dimissionem, illum reassumens, iterum recuperat, & sic declaratum refert. *Barb. in Trid. sess. 23. C. 6. n. 6.* Nec arma, sub excommunicationis pœna, Clerici possunt gestare. *C. 2. b. t.* nam arma Clericorum

sunt

sunt dolor, fletus, orationes, & lacrymæ. C. 3. 23. q. 8. C. fin. D. 36. Et Religiosi, si arma teneant, sine Superioris licentia, intra Monasterij septa, ipso facto sunt excommunicati. Cl. 1. §. *Quia verò, de Stat. Monach.* Omnes tamen in casu necessitatis ea gestare possunt: v. g. in itinere, vel in obsidione ad terrorem latronum, vel ad propriam defensionem. *Gloss. in C. 2. h. t. V. Clerici. Barb. de Jur. Eccles. L. 1. cap. 40. n. 139.* Quod si ter moniti à suis Prælatis Clerici non paruerunt, cum privilegium fori amiserint, possunt armis spoliari per Magistratum Sæcularem, vel si inflagranti crimine deprehendantur, & aliter damnum ab ipsis inferendum non possit vitari: imò juxta *Covarr. lib. 2. Var. cap. 20. n. 18. & Clar. §. fin. q. 36. n. 26.* possunt spoliari à Judice Sæculari armis Lege Politica prohibitis: quod tamen recentius negant *Barbos. Gonz. & alij*: quia coercitio Clerici pertinet ad Ecclesiasticam, non tamen ad Sæcularem potestatem. C. 2. & 12. *de Foro comp. C. 8. de Judic.*

5 Clerici, præcipuè in Sacris constituti, non solum castè, & continenter vivere debent, sed etiam extra omnem incontinentiæ suspicionem. C. 13. h. t. Ideoque Monialium Monasteria sub depositionis pœna prohibentur frequentare sine justa causa. C. 8. h. t. *Leg. 36. tit. 6. p. 1. Gonz. in C. 8. h. t. num. 2.* A crapula, & ebrietate, quæ est fomes omnium vitiorum. C. fin. D. 35. mentis exilium, & libidinis provocat incentivum, diligenter Clerici debent abstinere. Unde vinum sibi tempetent, & se vino, nec ad bibendum quispiam incitetur, nam ut ajebat Poeta, *& venus in vinis ignis in igne, fuit.* Abolendusque est abusus, quo ad potus æquales suo modo se obligant potatores; qui in hoc culpam committunt, nec desistunt à Superiore commoniti; ab officio, vel beneficio suspenduntur. C. 14. h. t. Non tamen prohibetur potatio ad æquales haustus, quæ fit causa urbanitatis, *Hispanè: Brindis.* Si ebrietatis absit periculum *Vallens. hic n. 7.* Nec tabernas ingredi possunt edendi, aut bibendi causa, nisi itineris necessitate compulsi. C. 15. h. t. c. 2. c. 3. c. 4. D. 44. Et quamvis maximè deceat, quod à comedijs profanis abstineant, jam ex usu frequenti non generatur scandalum, ac proindè jam est commune, quod Clerici, etiam in sacris constituti, non peccent graviter, si comœdiis intersint, solum ex curiositate; imò sine ullo peccato assistunt Clerici, & Religiosi comedijs honestis, quæ in domibus privatis, imò & aliquando in Conventibus, vel Collegijs Religiosorum repræsentantur. *Sanch. de Matr. L. 9. cap. 46. n. 41. Barb. in C. 15. h. t. n. 3.*

6 Clerici etiam debent vitare convivia nuptialia, ubi amatoria, & turpia cantantur, aut motus corporum Choreis, & saltationibus efferuntur, ne auditus, aut obtutus sacris mysterijs deputati turpium spectaculorum, atque verborum contagione polluantur. C. 19. D. 34. L. 57. tit. 5. p. 1. Clericis etiam prohibetur, canes, & accipitres ad venandum habere: licet tamen ipsis piscari: imò & venari, dum ad recreationem licitam, & honestam, honestoque modo fiat. *Barb. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 40. ex n. 79.* Debetque abesse ab eis avaritia, & ideò eis prohibentur negotiationis exercitium, & præcipuè usurarum lucrum. C. 2. C. fin. h. t. cambia, maximè, quæ spe lucri ineuntur. C. 18. *in fin. de Censib. L. 46. tit. 6. p. 1.* Confectio, & usus auri Chymici sub privatione beneficij, & alijs pœnis. *Extrav. un. de Crim. falsi inter com.* Etiam ipsis prohibetur, testamentum condere. C. 1. *de Testament.* Et si Judices sint, gratis judicare debent, nec accipient munera, vel dona, nec decimam, nec quotam litis, nisi hoc habeat consuetudo. C. 10. h. t. Clerici in sacris constituti nequeunt interesse spectaculis, nec mimis, nec agitationi Taurorum. L. 57. tit. 5. p. 1. ibi: *Non deben ir à vèr los juegos, assi como alanzar, ò bohordar, ò lidiar los toros, ò otras bestias bravas, nin à vèr à los que lidian.* Et præcipuè est prohibitum, adesse Taurorum agitationi à S. Pio V. Pro Regnis tamen nostræ Hispaniæ pœnas, & censuras contra Clericos impositas sustulit *Clem. VIII. 13. Januar. An. 1596.* exceptis Monachis, & fratribus Mendicantibus, cæterisque Regularibus, cujuscumque Ordinis, & instituti. *Barb. de Jur. Eccles. lib. 1. c. 40. n. 62.* Et quamvis plures teneant, Religiosos, etiam Magistros, & DD. Universitatis nostræ Salmantinæ graviter peccare, si agitationi Taurorum intersint, etiam cum Senatus Academicus assistit, nihilominùs. *Mendo de Jur. Academ. lib. 2. ex n. 311.* judicat, sic assistentes excusari à peccato gravi, saltem ob tolerantiam, & consuetudinem: pro quâ sententia ibi citat *Rodrig. Lezan. & Pellizar.* Clericus vero, vel etiam Religiosus, qui in his Insulis videret gallos gallinaceos pugnare, nullomodo est damnandus; si tamen ipse per se luderet, saltem indecentiam contineret, maximè si hoc faceret frequenter.

7 Clerici officia, vel commercia sæcularia exercere non possunt, maximè inhonesta, ut carnificum, seu lanionum, & tabernariorum. *Cl.1. h. t.* similiter prohibetur, ne intendant minis, histrionibus, nec joculatoribus. *C.15. h. t.* Et qui se joculatores, seu goliardos faciunt, aut bufones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, ipso jure; si autem tempore breviori, & tertio moniti non resipuerint, careant omni privilegio Clericali. *C. un. h.t. in 6.* Etiam ipsis prohibetur lusus alearum, & taxillorum. *Can. 41. Apost. C. 15. h. t. l.57. tit.5. p. 1.* ibi: *Otrosi non deben jugar dados, nin tablas, nin pelota, nin tejuelo, nin otros juegos semejantes de estos. Et ibid. Greg. Lop.* Et hinc omnis ludus illis prohibetur, qui magis fortuna, quam arte fit: permittitur tamen omnis ludus, qui magis in ingenio, & virtute corporis consistat, quam in sorte, vel fortuna: & graviter peccabunt, si frequenter, & cum scandalo populi ludo prohibito vacent. Si tamen moderate, & ob recreationem, & sine scandalo populi ludant, licitè hoc faciunt, ut accidit in ludo scacchorum, seu latrunculorum, vel etiam trochorum. *Hispanè: Algedrèz, Damas, y Trucos. Barbos. in C. 15. h. t. ex n.7.* Quod etiam usus ad chartas pictas. *Hispanè: Naypes*, extendit: quinimò aliqui Religiosi solent ludo harum chartarum ad recreationem uti. Sed quicumque ludus ad recreationem adhibeatur debet esse moderatus, & honestus, ut ait *D. Thom. 2. 2. q. 168. art.2. in corp.* ibi: *Hujusmodi autem dicta, vel facta, in quibus non quæritur nisi delectatio animalis vocantur ludrica, vel jocosa, & ideò necesse est talibus interdum uti, quasi ad quandam animæ quietem, & hoc est, quod Philosophus dicit in 4. Ethic. quod in hujus vitæ conversatione quædam requies cum ludo habetur; & ideò oportet interdum aliquibus talibus uti, circa quæ tamen videntur tria esse præcipuè cavenda: primum, & principale est, quod prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nocivis, unde Tulius dicit in 1. de Offic. Quod unum genus jocandi est illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: aliud autem attendendum est, ne totaliter gravitas animæ resolvatur: undè Ambrosius dicit in 1. de Offic. Caveamus, nedum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum. Et Tullius dicit in 1. de Offic. Quod sicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quæ ab honestis, actionibus, sic in ipso joco aliquod probi ingenij lumen eluceat. Tertio autem attendendum est, sicut & in omnibus alijs humanis actionibus, ut congruat personæ, & tempori, & loco, & secundum alias circunstantias debitè ordinetur, ut scilicèt sit, & tempore, & homine dignus, ut Tullius dicit ibidem hujusmodi ergo secundum regulam rationis ordinantur. Habitus autem secundum rationem operans est virtus moralis, & ideò circa ludos, potest esse aliqua virtus, quam Philosophus Eutrapeliam nominat, & dicitur aliquis Eutrapelus à bona conversatione; quia scilicèt, benè convertit aliqua dicta, vel facta in solatium. Et in quantum per hanc virtutum homo refrænatur ab immoderantia ludorum sub modestia continetur. Et art. 4. in corp. ait ex Seneca: sic te geras sapienter, ut nullus te habeat tanquam asperum, nec contemnat quasi vilem: illi autem, qui in ludo deficiunt, nec ipsi dicunt aliquod ridiculum; & dicentibus molesti sunt, quia scilicèt, moderatos aliorum ludos, non recipiunt, & ideò tales vitiosi sunt, & dicuntur duri, & agrestes.* Debet tamen sumi ludus moderatè, sicut sal pro condimento, & solum ad refectionem virium juxta illud; *quod caret alterna requie durabile non est: hæc reparat vires, fessaque membra levat.*

8 Olim Clerici in communi, & in una domo vivebant, & in uno dormitorio dormiebant, & in uno refectorio edebant, & quia juxta Sacros Canones, & sub una regula vivebant, dicebantur *Canonici*, seu *Regulares. C.6. D. 32. c.3. 12. q.1. c.9. h.t.* Quod sciente, & tolerante Pontifice, per contrariam consuetudinem ablatum est. Ut tamen Clerici liberius Sacra Officia exerceant, & Divinis intendere valeant, Laici, quando Sacra Mysteria celebrantur, secus Altare, vel in Choro stare, vel sedere inter Clericos non præsumant, sed pars illa, quæ cancellis ab Altari dividitur tantum psallentibus pateat Clericis. Ad orandum vero, & communicandum, Laicis, & fœminis sicut mos est, pateant Sancta Sanctorum. *C. 1. h. t.* In Templis prohibentur musicæ vanæ, & lascivæ. *Extr. un. h. t. inter com. Nam in Ecclesijs Dei Psalmodia cantanda præcipitur, ut fidelium devotio excitetur*, & posteà reprehendendo taliter cantantes ait: *Currunt enim, & non quiescunt, aures inebriant, & non medentur, gestibus simulant, quod depromunt, quibus devotio, quærenda contemnitur, vitanda lascivia propalatur. Trid. sess.22. Decret. de Observ. in celebr. Missæ. Et ibid. Barbos. n.23. D. Thom. 2. 2. q. 91. art. 2. ad 4.* ait: *Quod non debent in Ecclesia haberi musica instrumenta, ut Organum, & Cy-*

Cythara; quia magis ad delectationem, quam ad devotionem movent. In veteri Testamento permittebantur obdurietem illius populi. Etiam prohibentur in Ecclesijs ludi theatrales, & scenici profani, & inhonesti, nulla consuetudine, seu potius corruptela ad hoc favente, ne inquinetur Ecclesiæ honestas per talem turpitudinem, nec item possunt Clerici tales ludos facere. *C.*12. *b. t.* Non tamen prohibentur ludi honesti, & piæ repreſentationes, in quibus præsepè, Sepulchrum Christi, & vita Sanctorum, & alia hujusmodi representantur, & ad devotionem excitant, & in nostra Hispania homines larvati, Gigantes personati, seu apparentes, & chori psallentium, & saltantium intermiscentur in processionibus, quæ fiunt in die festivitatisCorporisChristi, forte ad exemplum Regis David, qui in signum lætitiæ saltabat totis viribus ante Dominum. 2. *Reg.* 6. *v.* 14. Quod in tota Hispania servatur, & præcipue in Urbe Granatensi, ubi mirabili, fereque incredibili magnificentia, & solemnitate hæc festibitas celebratur. Etiam in Ecclesia Toletana in Octava Corporis Christi, juvenes, qui ibi dicuntur *Seises*, *ò Infantes*, saltant ad numeros magna cum dexteritate cooperti galeris, etiam patente Sanctissimo Sacramento, ut sæpè vidi, comprobant *Glof. Barb. & Gonz. in C.* 12. *b. t.*

9 Etiam prohibitum est causa ludibrij, uti habitu Monachali, vel alio Religioso. *L.* 36. *tit.* 6. *p.* 1. Et Sæcularis, qui hoc facit, peccat gravitèr, & potest à Judice Ecclesiastico puniri. *Barbosf. in C.*12. *b. t. n.* 4. *&* 5. Nec enim res, quæ sacris usibus sunt destinatæ, debent ad profanos adhiberi, & quia indecens videtur in Ecclesia sumere tabacum, etiam in pulvere, ab hoc deberemus abstinere, sed cum jam usus contrarius in aliquibus locis prævaluerit, potest dissimulari, non tamen potest permitti, quod in Ecclesia sumatur tabacum solidum per fumum, quia hoc valdè indecens est, nec quod masticetur confectio, quæ hic dicitur *buyo*. Quando vero aliqua necessitas adest, v.g. ob magnam pluviam, vel ob solis æstum, vel si alius locus importunus non invenitur, possunt in Ecclesia fieri honesta convivia: nam in C. 4. *D.* 42. dicitur: *Non oportet in Basilicis, seu in Ecclesijs agapem facere, & intus manducare, vel accubitus sternere.* Et in *C.* 5. additur: *Nulli Episcopi, vel Clerici in Ecclesia conviventur, nisi fortè transeuntes hospiciorum necessitate illic reficiantur. Suar. de Rel. t.*1. *l.*3. *cap.*6. *n.* 7. *Barb. de Jure Eccles. l.* 1. *cap.* 40. *ex n.* 52. Etiam pro honestate vitæ Clericalis, & pro Clericorum obligatione statutum est, ut quilibet Parochus, si ipse Curæ Parochiali non sufficiat, & sufficientes redditus habeat, alium Clericum debeat in socium assumere, qui cum ipso cantet Epistolam, vel lectionem legat, & qui possit scholas tenere, & admonere debet suos Parochianos, ut filios suos ad fidem discendam mittant ad Ecclesiam, quos & ipse cum omni castitate erudiet. *C.* 3. *b. t.* Clericus demum talis debet esse qualis vir bonus describitur ab Horat. *lib.*1. *Epist.*16. *Qui consulta Patrum, qui Leges, juraque servat. Quo multæ, magnæque secantur judice lites, quo responsore, & quo causæ teste tenentur.* Debet enim sibi attendere, & doctrinæ, bonorumque operum se exemplum exhibere, & se Populo virtutum speculum ostendere, & maximè caveat, ne sua vita dedecori sit statui Clericali, nec occasionem præbeat, ut à Sæcularibus ordo, & status Clericorum contemnatur, vel blasfemetur. Et in hoc sano sensu debet curam de bono nomine habere, ut dicitur *Eccles.* 41. non vero inhiando, ut stellio plausui, acclamationi, & vanitati, debet tamen cavere, ne incidat in Scyllam cupiens vitare Carybdim. Nam licet ego credam, hominem esse Dominum omnium, quæ habet præter vitam, cujus dominium Deus sibi reservavit, ac proinde suæ famæ Dominum esse, non tamen potest eam prodigere: nam sic contra charitatem faciet: imò & aliquando contra justitiam: quando scilicèt sua fama est alijs necessaria, ut solet esse fama Episcopi, Prælati, Parochi, Prædicatoris, vel Monachi, quod satis significat *D. Thom.* 2. 2. *q.* 73. *art.*4. *ad* 1. ibi: *In cujusque arbitrio, est pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum.* Et clariùs explicat Aug. in Sermone de Communi vita Clericorum, *in C.* 10. 12. *q.* 1. ibi: *Nolo, ut aliquis de vobis inveniat malè vivendi occasionem: providemus enim bona, ut ait Apostolus, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus: propter nos conscientia nostra sufficit nobis, propter vos fama nostra, non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete, quod dixi, atque distinguite: duæ res sunt conscientia, & fama: conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo: qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam crudelis est.* Latiùs prosequuntur *Soto de Just. l.* 4. *q.* 2. *art.* 3. *Less. de Just. lib.* 2. *cap.*4. *n.*59. *&* 60. Sanctè ergo Sacerdotes vivere debemus, secundum nos-

nostri status sanctitatem, imò & per nos alij sanctè vivere debent: alias, ve nobis! & quidem mihi incredibilem incutit terrorem illa formidabilis Gregorij consideratio: *Cui rei* (ait ipse) *similes dixerim Sacerdotes malos, nisi aquæ baptismali? quæ peccata baptizatorum diluens illos ad Regnum Cœleste mittit, & ipsa incloacas descendit.*

TIT. II.

De Cohabitatione Clericorum, & mulierum.

10 Clericis non licet cohabitare in una domo cum quibuscumque mulieribus, de quibus suspicio incontinentiæ esse potest. *C. 16. D. 32. Trid. sess. 25. de Ref. cap.* 14. Etiamsi tales fœminæ mater, vel aliæ consanguineæ sint, quia instigante Diabolo, & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earumdem. *C. 1. h. t. L. 38. tit. 6. p. 1.* Et Clericum cohabitantem muliere, de qua posit esse rationabilis suspicio, peccare mortalitèr, etiamsi consanguinea, vel affinis sit, deducitur ex *C. 9. h. t. & ibid. Barbos. n. 2.* Debet ergo Clericus non solum vitare peccatum, sed etiam illius suspicionem, & à se periculum avertere peccandi, & ideò à consortio fœminarum debet abstineri: nam licet aliter possit vitare peccatum, tamen in fuga efficax, & facile invenietur remedium adversus omnes insidias carnis, & Diaboli ex *Apost. 1. ad Cor. 6. Fugite fornicationem*, & ut benè notat *August.* non dixit: *Resistite, sed fugite*, & hinc optimam deducit illationem: *Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.* Siquidem teste Philone, & uniuscujusque propria experientia, molestissima omnium affectionum concupiscentia est, à cujus stimulis nec David, nec Salomon, nec ipse Apostolus, alijque viri sanctissimi fuerunt exempti: *Et documenta damus, qua simus origine nati.* Quod si absit periculum incontinentiæ, & illius suspicio, permittitur Clericis, habere in sua domo consanguineas, & earum pedissequas. *C. 27. c. 31. D. 81. c. 9. h. t.* Imo & alias fœminas extraneas, si sint provectoris ætatis, & bonæ famæ.

11 Sed hoc est notandum discrimen, quod extraneæ, si juvenes sint solent esse suspectæ, secus consanguineæ nisi aliæ circunstantiæ, & indicia suspicionem generent: ac proindè extraneæ si juvenes sint, nullo modo possunt in Clericorum domibus morari, ut deducitur *ex L. 37. tit. 6. p. 1. & ibid. Greg. Lop. V. Son estas:* alios citans. Consanguineæ verò, si aliunde suspectæ non sint, possunt in domibus Clericorum habitare. *C. 9. h. t. L. 37. tit. 6. p. 1.* Et hoc modo facilè concordantur *C. 1. & c. 9.* & alij similes, qui prima facie contrarij videntur. Etiam Episcopis Sæcularibus permittitur, quod possint in sua domo fœminas, etiam extraneas, habere ut domestico servitio incumbant, dum tamen omnis suspicio absit, ut deducitur ex *Glos. in C. 6. D. 77. V. Sequestratio*, & tenent *Abbas in C. 1. h. t. n. 3. & alij DD.* Quamvis de Jure Civili in *Auth. Episcopo. C. de Episcop. & Cler.* hoc sit absolutè prohibitum. Sed Jus Civile non potest jus inducere in rebus Ecclesiasticis. *C. 10. de Constitut.* Etiam in *C. 1. h. t.* dicitur: *Secundum authoritatem Canonum modis omnibus prohibendum est, ut nulla fœmina ad altare accedere præsumat, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, sive sedere.* Ac proindè non est permittendum, quod fœminæ ascendant illam Ecclesiæ partem, quam presbyterium dicimus, nec possunt transgredi cancellos: *Hispanè: Varandilla.* Uxoribus tamen Gubernatorum, & Pro-Regum in Indijs permittitur, quod in Presbyterio Sacram Communionem recipiant, quia eorum mariti, quorum privilegio gaudent, sunt Vicepatroni nomine nostrorum Regum omnium Ecclesiarum novi orbis. Et sic vidi practicari. Nec fœminæ licet ministrare Sacerdoti, nec urceolos præbere, nec aliter accedere ad altare, nec respondere, nisi ex Choro, ut respondent Moniales. *C. 29. de Consecr. D. 2.*

12 Clerici concubinarij sunt, qui concubinam instar uxoris, vel domi, vel extra, retinent, habentque cum ea assiduam consuetudinem. *Barb. in C. 4. h. t. n. 3.* Nec pœnas concubinariorum, cum sint odiosæ, incurrunt Clerici, qui fornicationem sine qualitate concubinatus, committunt. *Barbos. in Trid. sess. 25. de Ref. cap. 14. n. 6.* Et concubinatus debet esse notorius notorietate facti sufficienter probatus per testes. Tales ergo sunt compellendi à Judice Ecclesiastico pœnis, & censuris Ecclesiasticis dimittere concubinas, sed non sunt cogendi, earum dimissionem abjurare ob periculum perjurij, & quia non desunt alia media. *C. 3. h. t.* Et licet de Jure Communi Clerici concubina-

ab Ecclesiastico, ut digniore, & ne divideretur continentia causarum posset puniri. *Barb. in C. 2. h. t. n.* 4. Tamen in praxi contra eam solent procedere Judices Saeculares. *Menoch. de Arbitr. cas.* 371. *n.* 12. Et quidem olim tenebantur fideles vitare Clericum concubinarium notorium notorietate facti, vel juris per sententiam, vel confessionem factam in judicio: nec Sacramenta ab ipso percipere, nec ejus Missam audire poterant. *C.* 5. *c.* 6. *D.* 32. *C.* 7. *c. fin. h. t.* Aliud erat de non notorio. Hodie tamen non tenentur eum vitare, etiamsi suspensionis censuram ipso jure incurreret, nisi vitandus sit per publicam denuntiationem, ut habetur in *Extr. Martini V. Ad evitanda. Suar. de Censf. D.* 31. *sect.* 4. *n.* 16. *Barb. in C. fin. h. t. n.* 3. Sanè *in Trid.* 24. *de Ref. cap.* 8. & *sess.* 25. *cap.* 14. sunt stabilitae variae poenae in concubinarios. Clericus enim concubinarius etiam in minoribus constitutus, si habeat beneficium, debet in personam moneri, nec sufficit monitio generalis per edictum: si ita monitus non abstineat, ipso facto privatur tertia parte fructuum, obventionum, & proventuum beneficiorum suorum quorumcumque, & pensionum, non verò distributionum quotidianarum, ut declaratum testatur. *Garc. de Benefic. p.* 11. *cap.* 10. *n.* 186. Contrarium tenent *Barbos. in C.* 4. *h. t. n.* 5. & *alij*, quae quidem pro Episcopi arbitrio applicantur fabricae Ecclesiae, aut alteri pio loco, sed non tenetur talis Clericus restituere fructus, quousque per sententiam declaretur reus concubinatus. Sed cum sententia declaratoria ad tempus commissi criminis retrotrahatur, tenetur restituere fructus perceptos post commissum crimen. *Arg. C.* 19. *de Haeret. in* 6. *Garc. p.* 11. *de Benefic. cap.* 10. *n.* 190. Si secundae monitioni non paret, sed in delicto cum eadem, vel alia perseverat, amittit omnes fructus, & proventus, & pensiones suorum beneficiorum, qui eisdem locis applicantur, & ab administratione beneficiorum suspenditur, quamdiu, ordinarius, etiam uti Sedis Apostolicae delegatus, arbitrabitur. Quod si adhuc in concubinatu persistat beneficijs, portionibus, & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuò privatur, & redditur inhabilis ad quoscumque honores, & Dignitates, beneficia, & officia, nec dispensatur cum eo usque ad manifestam ejus vitae emendationem. Si contumax in crimine sit, ultra has poenas denique excommunicatur: nec quaevis appellatio, aut exemptio praedictam executionem impediet, & solus Episcopus de hoc cognoscet, & quidem sine strepitu, & figura judicij, sed sola facti veritate inspecta, si Clericus beneficium non habeat, aut pensionem Ecclesiasticam post monitionem perseverans in delicto punitur poena carceris, inhabilitate ad beneficia, suspensione ab ordine, alijsvè modis punietur. Si sit Episcopus, & à Synodo Provinciali monitus non abstineat, ipso facto est suspensus, & si contumaciter persistat ad S. Pontificem defertur, qui eum juxta delicti qualitatem potest privare. Haec omnia habentur in *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 14.

13 Clericum concubinarium non solum suspensionem, impropriè talem, quae reddat illicitam Sacramentorum administrationem, & perceptionem, juxta *C. fin. h. t.* Sed propriè talem, quatenus est censura Ecclesiastica, incurrit; non tamen ipso jure, sed post sententiam Judicis. *Suar. de Censf. D.* 31. *n.* 10. *Barb. in C. fin. h. t. n.* 4. *Gonz. in C. fin. h. t. n.* 2. Et suadetur ex *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 14. ubi dicitur: *Suspensione ab ordine, alijsve commodis juxta Sacros Canones puniantur*: quae verba non ipso jure incursam, sed infligendam censuram denotant, sic interpretante communi Ecclesiae consuetudine. Contra *Abbat. Garc. Covar. Azev. & alios* apud citatos, qui tenent hanc suspensionem ipso jure incurri. Clericus in Sacris, qui à suspectarum mulierum colloquio, vel earum consortio monitus non desistit excommunicatur. *C.* 2. *h. t.* Et contra fornicarios variae quidem poenae in jure sunt statutae: nam in *C.* 5. *D.* 82. Jubetur fornicans decem annis agere poenitentiam, & in *C.* 15. *D.* 81. ipsis prohibetur ingressus Ecclesiae, aliaeque similes poenae sunt statutae, quae fere in desuetudinem abierunt. Hodie tamen Clericus ob simplicem fornicationem arbitrio Judicis pro qualitate delicti punietur. *Glos. in C.* 5. *D.* 82. *V. Decem annis. Arg. C.* 13. *de Vita, & honest. Cler.*

TIT. III.

De Clericis conjugatis.

14 ORdines Sacri, non solum in Ecclesia Latina, quam Occidentalem appellant, sed etiam in Graeca, quam Orientalem vocant, in *C.* 14. *D.* 31. sunt impedimentum dirimens ad Matrimonium, ac proindè, nec licitè, nec validè possunt contrahere Matrimonium in Sa-

Sacris Ordinibus constituti. *C. 1. b. t. C. 1. Qui Cleric. vel voventes. Trid. sess. 24. Can. 9. L. 39. tit. 6. p. 1.* ibi: *E otrosi, que non pueden casar desque ovieren Orden Sagrada, è si casaren, que non vale el casamiento.* Differentia tamen inter Ecclesiam Latinam, & Græcam stat in hoc, quod in hac possunt etiam in Sacerdotes ordinari, qui Matrimonio copulati sunt, eoque licitè utuntur, etiam post presbyteratum susceptum. *C. 14. D. 31. C. 7. de Pœnit. & remis. C. 6. b. t. L. 39. tit. 6. p. 1.* Et sic intelligitur *Text. in C. fin. D. 31.* Ubi dicitur, quod Clerici in Sacris Ecclesiæ Orientalis Matrimonio copulantur. Et ut notat *Gl. V. Copulantur*, id est, *copula utuntur*: quamvis multi ex hac littera dixerunt, quod Orientales possunt contrahere, etiam quando sunt constituti in Sacris Ordinibus. In Latina verò, vel Occidentali, qui est Matrimonio copulatus non potest ad Ordines ascendere, ne quidem ad primam Tonsuram, quia est ad Sacros Ordines dispositio. Possunt tamen aliquando conjugati ordinari, si unicam, & virginem duxissent, & de consensu suarum uxorum continentiam perpetuam voverint. *C. 2. b. t. D. Th. in 3. p. sup. q. 53. art. 3.* & eorum uxores similitèr vovere debent castitatem, vel religionem ingredi: nec deinceps est ipsis licitus matrimonij usus, quia suo juri renuntiarunt, ut habetur in *L. 40. tit. 6. p. 1.* Si verò vir sine uxoris consensu Ordines suscepit, cum invita comparte non posit eam suo jure quæsito per matrimonium privare, possunt, imò compelluntur cum eis cohabitare: tenenturque mariti debitum reddere, non tamen illud petere possunt. *L. 4. tit. 6. p. 1. D. Thom. in 3. p. sup. q. 53. art. 4.*

15 Ex hac antiqua castitatis observantia ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio, inferunt *Major. in 4. D. 24. q. 2. & alij apud Sanch. de Matr. lib. 7. D. 27. n. 4.* Cœlibatum esse Sacris Ordinibus injunctum Christi D. præcepto. Juxta illud *Luc. 21. v. 34. Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in Crapula, & Ebrietate, & Curis hujus sæculi.* Et illud *D. Paul. 2. Tim. 2. v. 4.* ibi: *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus*, sed cum hi Textus sint valdè generales non convincunt castitatem Clericorum Jure Divino esse injunctam, & ideò dicendum est cum communi DD. Jure tantum Ecclesiastico esse annexam castitatem Sacris Ordinibus, quod deducitur ex *C. 8. D. 27.* ibi: *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, seu Matrimonia contrahere penitus interdicimus, contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas, ad pœnitentiam redigi debere juxta Sacrorum Canonum definitiones judicamus. Trid. sess. 24. de Mat. Can. 9.* ibi: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemnitèr professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto: anathema sit.* Nec si Juris Divini, vel naturalis esset cœlibatus posset ab Ecclesia permitti Græcis, quia in Lege Superioris ipsa non potest dispensare. *C. 16. de Major. & obed. C. 6. 25. q. 1.* Nec ex ullo textu, vel ratione constat, Jure Divino, vel Naturali esse Sacris Ordinibus, nec etiam Episcopatui cœlibatum annexum. Sic *Glos. in C. 6. b. t. V. Votum continentis. D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. in corp.* ibi: *Non est autem essentialitèr annexum debitum continentiæ Ordini Sacro, sed ex statuto Ecclesiæ. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 9. cap. 13. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 27. n. 5. Barb. in C. 6. b. t. n. fin. Gonz. in C. 1. b. t. n. 3.* Hæc ergo obligatio in Clericis servandi castitatem provenit ex voto ab Ecclesia Sacris Ordinibus annexo. *C. 6. b. t.* ibi: *Nos attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit. C. un. de Voto in 6. Extr. Antiqua eod. Joan. XXII. L. 39. tit. 6. p. 1.* ibi: *E los Clerigos de Oriente non quisieron esto prometer.* Quando Ordinandus hoc scit, & expressé non repugnat, censetur votum emittere. *C. 1. D. 27. C. 8. D. 28.* Si verò repugnet expressé, cum non posit sine intentione voto obligari, tenetur servare castitatem ex præcepto Ecclesiæ. Et idem est, si suscipiens Ordinem Sacrum ignorat, ei esse votum castitatis annexum. *Gl. in C. 6. b. t. V. Votum continentiæ. D. Th. in 4. D. 37. q. 1. art. 1. in corp. Bellarm. in suis controv. L. 1. de Matr. cap. 21. Sanchez de Matr. L. 7. D. 27. ex n. 10. ubi plures citat.* contra *Scotum in 4. D. 37. q. un. Gutierr. qq. Canon. L. 2. cap. 7. n. 4. & alios*, qui tenent continentiam Clericorum, non ex voto, sed ex præcepto Ecclesiæ provenire.

16 Et quidem licet Ecclesia nullum posit compellere antecedentèr, & absolutè ad continentiam, & castitatem. *C. 13. 32. q. 1.* ibi: *Sola est enim virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest: res magis voti, quam præcepti est, & ibid. Gloss.* cum tamen posit Sacris Ordinibus justas conditiones, & Leges ipsis competentes apponere,

nere, potuit etiam apponere, & defacto apposuit castitatis conditionem, adjungendo hoc votum Sacris Ordinibus; ita ut non aliter ad Sacros Ordines admittat, nisi ordinandi se obligent ad vivendum caste, & continenter. *Gloss. in C.* 13. 32. *q.* 1. Quod induxit ad imitationem Christi, & Apostolorum, qui post suam vocationem non solum non duxerunt uxores, sed etiam qui erant conjugati suas dimiserunt; quod postea secuti sunt alij Episcopi, & Presbyteri. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 3. Et licet Sacerdotes Legis Veteris non profiterentur statum castitatis, quia pro illo tempore non expediebat, tamen aliquis modus continentiæ illi tempori accomodatus observabatur. Nam quo tempore in templo administrabant, ab uxoribus abstinebant, ut notant *Abulens. & alij cum Suar. tom.* 3. *de Relig. lib.* 9. *cap.* 13. *n.* 14. Postea tamen Ecclesia castitatem adjunxit Sacris Ordinibus. Et hic usus semper in Ecclesia Latina prævaluit, quin obstet *Can.* 5. *Apost.* ibi: *Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus uxorem suam prætextu Religionis non abjicito*: nam hoc intelligitur de uxore ducta ante Ordines, cui non sunt neganda alimenta ad sustentationem. *Can.* 6. *&* 13. *Synod. Constantin.* 6. non sunt approbati a R. Pontifice, sed fuerunt additi ab Orientalibus in Trullo. Quod dicunt *Socrates, & Sozomenus de Concil. Nizano in C.* 12. *D.* 31. in quo fuit Decretum, quod Sacerdotes non prohiberentur á conjugij usu, si ante Presbyteratum uxores duxerunt, est nullius fidei, quia AA. hujus historiæ fuerunt Novatiani. Ratio inducendi Legem, & votum continentiæ fuit, ne Clerici solicitudine, & cura uxorum, & liberorum implicentur, & á sacris ministerijs distrahantur, & ut redditus Ecclesiæ applicent in pauperes, & peregrinos alendos, non in ditandos, vel dotandos filios, & propter optimam rationem, quam assignat. *L.* 39. *tit.* 6. *p.* 1. *Cà tovieron, que aquellos que havian de consagrar el Cuerpo de Nuestro Señor Jesu-Christo, è dàr los Sacramentos de Santa Eglesia à los Christianos, que les conviene mucho ser castos.* Ita ut hæc continentiæ Lex consuetudine cœpisset, & posteà Legibus Ecclesiasticis firmata fuit. Sic notat *Gonz. in* C. 1. *h. t. n.* 3. *Etiam in Can.* 25. *Apost.* hoc innuitur, ibi: *Ex his, qui cœlibes in Clerum pervenerunt, jubemus, ut Lectores tantum, & Cantores, si velint nuptias contrahant*, quod clariùs constat ex primo Concilio, cujus memoria extat, scilicet, ex Illiberitano, *Can.* 33. celebrato Granatæ. Qui ergo in sacris constituti uxores defacto ducunt, de jure enim nullum matrimonium contrahunt. *L.* 39. *tit.* 6. *p.* 1. Et ideo ad eas dimittendas compelluntur. *C.* 1. *h. t.* Et præterea ipsofacto excommunicationem incurrunt. *Clem. un. de Consang. & affinit.* Fiuntque irregulares, adeo ut nec ad altiores ordines promoveri, nec in susceptis possint ministrare. *C.* 2. *h. t. c.* 32. 27. *q.* 1.

17 Episcopus tamen potest in tali irregularitate dispensare. *C.* 1. *&* 2. *Qui Cleric. vel vovent.* nisi insuper ille Clericus contraxisset bigamiam interpretativam, ducendo viduam, vel corruptam. *Barbos. in C.* 4. *h. t. n.* 1. *&* 2. Similitèr ab excommunicatione potest Episcopus absolvère, cum non sit reservata. *Gloss. in Cl. un. de Consang.* V. *Obtinere.* Etiam sic contrahentes privantur beneficijs, si quæ habent. *C.* 2. *c.* 9. *D.* 28. Non quidem ipso jure, ut tenent *Covarr. cum alijs*, sed per Judicis sententiam, ut tenent *Barb. de Offic. Episcop. alleg.* 57. *n.* 207. *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 42. *n.* 4. *& alij.* Et ratio est, quia cum matrimonium sit nullum, illud contrahens nec verè suscepit statum beneficio incompatibilem, nec absolutè, & efficaciter beneficio renuntiavit, nec est Textus hanc imponens pœnam: imò ex *C.* 1. *h. t. junct. Gloss. fin.* Infertur nostra sententia, & maxime, *ex L.* 41. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Casando algun Clerigo, que oviesse Orden sagrada, non debe fincar sin pena: cà debenlo debe dar de officio, & toller el beneficio que oviesse de la Eglesia.* Et ut bene notat *Greg. Lop. Non est privatus ipso jure beneficijs, sed est privandus per sententiam.* At vero si in sacris constituti defacto contrahunt matrimium invalidum, non amittunt privilegium fori, tenenturque dimittere uxores, & ad Clericatum redire. *C.* 1. *h. t.* Quod si contrahant validè ex dispensatione Pontificia, omnia privilegia Clericalia amittunt, cum deinceps pro Clericis non habeantur. *Vallens. h. t.* §. 3. *n.* 6. Denique Religiosi, & Clerici Sæculares in sacris constituti matrimonium defacto contrahentes, sive palam, sive clam, fiunt de hæresi suspecti, & quidem aliquando de vehementi, ac proindè á S. Tribunali Inquisitionibus puniuntur. *Cesar Carena de Offic. Inquisit. p.* 2. *tit.* 17. §. 3. *ex n.* 10. citans *Simanc. Peña, Menoch. Farinac. & alios.* Regulariter tamen præcipuè in nostra Hispania sunt de levi suspecti, consequenterque de levi abjurant. *Dian. in Sum.* V. *Adjurare, n.* 13. Et tales, vel ad exilium, vel ad triremes

per

per quinquennium mittuntur, vel alijs pœnis pro qualitate personarum plecti solent. Etiam de levi abjurant, & ferè eisdem pœnis puniuntur conjugati, qui sine licentia uxoris Sacros Ordines suscipiunt, vel Religionem profitentur. *Dian. in Sum.* V. *Abjurare*, *n.* 7. V. *Inquisitores*, *n.* 167.

18 Clerici in minoribus constituti non solum validè, sed etiam licitè possunt matrimonium contrahere. *C.* 3. *c.* 13. *c.* 14. *D* 32. *c.* 1. *h. t.* Et de omnibus minoribus Ordinibus est intelligendus; *text. in Can.* 25. *Apost.* Nam licet loquatur tantum de Lectoribus, & Cantoribus, non excludit Ordines, in quibus eadem militat ratio, & solum ponitur illa taxativa: *tantum* ad excludendos Ordines majores, in quibus est diversa ratio. *Sanch. de Matrimon. L.* 7. *D.* 31. *n.* 6. Omnes ergo in minoribus constituti possunt contrahere matrimonium. *L.* 39. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Tambien los unos, como los otros* (id est, Clerici Græci, & Latini) *pueden casar haviendo quatro grados.* Possuntque sic contrahere; etiamsi per errorem credidissent, illis Ordinibus esse castitatem connexam. Sed cum male concordet Cythara cum Psalterio, id est, Laicalis conversatio cum Clericali ministerio, siquidem uxorem habens cogitat, quomodo placeat ipsi, & ideò minus, quæ Dei sunt valeat cogitare, cum quasi divisus in duo plenam sui non habeat potestatem, ut ei à quo stipendium recipit plenè famuletur, quinimò per tales rerum Ecclesiasticarum substantia solet deperire. *C.* 5. *h. t. Gloss. ibid.* V. *Cythara.* Ideò tales inhabiles, & incapaces habentur ad obtinenda beneficia Ecclesiastica, & amittunt gratias expectativas, accessum, regressum, & quodcumque jus spirituale ad beneficia Ecclesiastica, quod ante matrimonium ex nominatione, repræsentatione eis competebat. *Barbos. de Offic. Episcop. alleg.* 57. *n.* 205. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 42. *n.* 7. Quin & hujusmodi Clerici Matrimonium contrahentes, etiam beneficijs antiquis, & pensionibus, alijsque hujusmodi, si quæ habebant, privantur. *C.* 1. *c.* 3. *c.* 5. *h. t. Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 42. *n.* 14. Nec juvantur regula de triennali possessione, qua etiam inhabiles, & irregulares non molestantur in possessione, quia Clerici ex eo, quod conjugium inijssent sunt tanquam Laici, ac proindè beneficiorum incapaces. Ex hac ergo incompatibilitate matrimonij cum beneficio, & simul ex quadam tacita renuntiatione efficaci, qua per matrimonium contractum Clerici beneficijs renuntiant, his privantur ipso jure, non tamen per sponsalia, bene tamen quando matrimonium contrahunt, licet sit ratum tantum. Et cum per ipsum sit beneficium extinctum, non recuperatur, etiam mortua uxore, nec Religionem impressa ante matrimonij consummationem; *arg. C.* 8. 7. *q.* 1. *Cl.* 4. *de Rescript.* Nec ad talem privationem est necessaria Judicis sententia. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 42. Ac proindè à die contracti matrimonij tenentur tales Clerici restituere redditus beneficij; nec permutatio, vel resignatio post matrimonium facta valet, sed ex tunc potest ab alio tanquam vacans impetrari. *Gl. in C.* 1. *h. t.* V. *Relinquenda. Gonz. in C.* 5. *h. t. n.* 2. *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 42. *n.* 4. *Barbos. de Offic. Episcop. alleg.* 57. *ex n.* 202. Quando dicitur in *C.* 1. *c.* 3. *h. t.* quod Clerici compellantur ad relinquenda beneficia intelligitur de possessione; vel retentione beneficiorum, non vero de jure, vel titulo ipsorum, ut notat *Gloss. in C.* 1. *h. t.* V. *Relinquenda. Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 42. *n.* 19.

19 Aliquanto certæ pensiones, vel potius stipendia assignantur servientibus Ecclesiæ pro Ministerio aliquo temporali, ut Cantori, Organædo, Sacristæ, Advocato, & alij, quæ quidem, cum non sint cum Matrimonio incompatibiles, nec per ipsum amittuntur. *Sanch. l.* 7. *de Matr. D.* 44. *n.* 4. Imò & pensiones Ecclesiasticæ, quæ Titulo Clericali conceduntur possunt post Matrimonium retineri ex dispensatione Pontificis: nec enim alius in hoc potest dispensare, cum sit Lex Ecclesiastica, in qua solus Papa dispensat, maximè cum hæc dispensatio alijs negari colligatur, ex *C.* 5. *h. t. Sanch. l.* 7. *de Matr. D.* 42. *n.* 18. Milites Lauretani, S. Mauritij, S. Stephani, & alij habent dispensationem, ut retincant post Matrimonium pensiones Ecclesiasticas, quas habebant. *Barbos. in C.* 1. *h. t. n.* 6. Etiam cum alijs particularibus ex justa causa dispensat Papa, ut tales pensiones, etiam conjugati habeant, & *Hispanè* dicimus: *Cavalleratos. Sobrino. Diccionar. Españ.* V. *Cavallerato*, idem est de alijs beneficijs Ecclesiasticis, quæ possunt à conjugatis haberi ex Pontificis dispensatione. *C.* 7. *h. t. junct. Gloss. fin. ibid.* Si Clericus in minoribus contrahat matrimonium, quod ob aliquod impedimentum, vel defectum contensus, sit invalidum, etiam beneficia amittere ipso facto tenent. *Abb. & Imol. in C.* 7. *h. t. Garc. de Benefic. p.* 11. *c.* 8. *n.* 7. *Less. de Just. & jur. lib.* 2. *cap.* 34. *n.* 113. *Barbos. de Offic. Episcop.*

top. alleg. 57. *n.* 207. *Greg. Lop. in l.* 41. *tit.* 6. *p.* 1. V. *El beneficio.* Sed verius *Sanch. l.* 7. *de Matrim. D.* 43. *n.* 3. *& alij* tenent, quod licet per sententiam judicis talis Clericus privandus sit beneficio, nisi cum eo dispensetur, non tamen ipso jure beneficia amittere: quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. *C.* 52. *de Regul. jur. in* 6. Et cum Matrimonium sit nullum, nullam incompatibilitatem dicit cum beneficio, nec renuntiationem efficacem beneficij, cum hæc sit præcipua privationis ratio. Nec in jure invenitur textus talem privationem imponens, quinimo loquuntur de Matrimonio valido, ut in *C.* 1. *h. t.* Ubi Clerici contrahentes compelluntur uxores retinere, licet in alijs casibus ad privationem sufficiat sola facti attentatio, sic disponente jure, & ideò per adeptionem secundi beneficij, si sit curatum, vacat ipso jure primum, etsi adeptio secundi sit irrita. *C.* 18. *de Præb. in* 6. Etiam Episcopus ab uno Episcopatu ad alium propria authoritate transiens priori privatur, licet non consequatur posteriorem. *C.* 3. *de Transl. Episcop* sed hæc non debent trahi ad consequentias sine positivo fundamento. *L.* 14. *ff. de Legib.*

20 Clerici in Minoribus constituti contrahentes Matrimonium, dum uxoribus cohabitant, solum gaudent privilegio fori, & Canonis. *Si quis suadente*, 17. *q.* 4. dummodo servent simul, & copulativè conditiones requisitas à jure in *C. un. h. t. in* 6. Scilicèt, quod cum unica, & Virgine sint conjugati, quod habitum, & tonsuram deferant Clericalem, & denique, quod addidit. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 6. Scilicèt, quod alicui Ecclesiæ ex Episcopi designatione inserviant, ita ut una tantum ex his conditionibus deficiente dictis privilegijs non gaudeant. Si tamen hoc privilegium amiserint per habitus depositionem, si ipsum non fraudulentèr, sed bona fide reasumant, non solum, quando uxor est mortua, sed etiam ipsa vivente, privilegium, quod erat, non extinctum, sed suspensum, recuperant. *Gloss. in Cl.* 1. *de Vita, & honest.* V. *Quandiu, Sanch. l.* 7. *de Matr. D.* 46. *n.* 39. *&* 30. Imò si vivente uxore Clericus de illius consensu ab ea separetur, modoque legitimo ordinetur, gaudebit omnibus privilegijs Clericalibus. Idem à fortiori est dicendum, si ea mortua Clericus redeat ad propria Clericorum ministeria *Vallens. h t.* §. 3. *n.* 5. Si has conditiones non servent, utroque privilegio fori, & Canonis privantur, ut ait *Gloss. in C. un. h. t. in* 6. Et quidem citra admonitionem, vel judicis declarationem, cum non per modum pœnæ, sed per defectum conditionis requisitæ, imponatur hæc privatio. *Barbos. de Offic. Episcop. alleg.* 12. *n.* 19. *&* 22. Quidquid sit de Jure Communi antiquo *in C. fin. de Vit. & honest. Cler.* Quoad cætera privilegia Clericalia: tales Clerici conjugati, etiamsi supradictas conditiones servent, pro Laicis habentur, ac proindè tenentur solvere tributa, gabellas, & vectigalia, sicut cæteri Laici. *C.* 7. *h. t. & ibid. Gloss. C.* 9. *h. t. C. un. eod. in* 6. *l.* 49. *tit.* 6. *p.* 1. *Non se pueden escusar, que non den al Rey sus pechos, & demas tenudos son de facer los otros fueros, que facen los Legos.* Clerici ergo conjugati, etiam habentes prædictas conditiones, solum gaudent privilegio fori in causis criminalibus, sivè criminalitèr, sivè civilitèr intententur, ut clarè deducitur *ex C. un. h. t. in* 6. nam sic melius consulitur decentiæ, & honori Clericalis status, & aliundè jurisdictio Principum Sæcularium, non nimis coarctatur, sicut fieret, si hoc privilegium ad quamcumque causam civilem extenderetur, & hanc sententiam tenent. *Sanch. de Matrim. C.* 7. *D* 46. *n.* 22. *Gonz. in C.* 9. *h. t. n.* 3. *Suar. Covarrub. & alij*; & ita declaratum à Congreg. Concil refert. *Barbos. in Trid. sess.* 23. *cap.* 6. *n.* 44. contra *Lapum, Francum, & alios*, qui hoc privilegium, etiam ad causas civiles extendunt. Similiter Clericus, qui ante Matrimonium delinquit, etiamsi post illud non deferat habitum, & tonsuram, quia attenditur tempus commissi delicti. *L.* 1. *ff. de Pœnis*, gaudet privilegio fori, *Sanch. de Matrim. L.* 7. *D.* 46. *n.* 4. Judices Sæculares, quamvis de causis purè civilibus Clericorum conjugatorum possint cognoscere, non tamen possunt eos apprehendere, & in carcerem conjicere, ut contra *Sanch. de Matrim. L.* 7. *D.* 46. *n.* 23. *Covarr. Gutier. & Montal.* tenent declaratum à Congreg. *Fagn. in C. Proposuisti, de Foro compet. n.* 28. *& alij*: quia eorum personæ sunt exemptæ a jurisdictione Laicorum, etiamsi per Sacros Canones subdantur Laicis in causis mere civilibus Clericus conjugatus dictis conditionibus præditus, non amittit privilegium fori, etiamsi vacet negotiationi, quia in his non est indecens, sic negotiari ad victum honestum quærendum, cum magis ad Laicorum, quam Clericorum statum accedant, nec unquam est hoc in jure prohibitum. *C.* 7. *h. t. Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 46. *n.* 26. *Barbos. de Offic. Episc.*

Episcop. alleg. 12. *n.*30. contra *Joan. Andr. Clar. & alios.*

TIT. IV.

De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Præbenda.

21 Residentia est mansio, seu commoratio assidua moralitèr in Ecclesia, seu loco beneficij causa servitij Ecclesiastici personalitèr præstandi. Cum enim in beneficij collatione personæ industria eligatur. C. 12. *de Offic. delegat. in* 6. Non satisfacit Parochus si per Vicarios, vel Capellanos opera sui Ministerij exerceat, sed debet per se ipsum curam gerere animarum, saltem aliquoties, præsertim sic postulantibus Parochianis. C. 4. & 6. *h. t.* C.30. §. *Qui vero, de Præb. Trid. sess.*23. *de Reform. cap.*1. Residere ergo tenentur omnes beneficium aliquod habentes, scilicèt, Patriarchæ, Episcopi, Abbates, Præpositi, Parochi, & alij curam animarum habentes. C.2. *c.*3. *h.t.Trid.sess.*6. *de Reform. cap.*1. & *sess.*23. *de Ref. cap.*1. Nam Pastores debent pascere, & regere suum gregem, non mercenario committere; nàm ut *Trid. sess.* 6. *de Ref. cap.* 1. de his ait: *Implere autem illud* (id est suum officium) *se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis, de eorum est manibus à Supremo Judice requirendus, custodiæ minimè incumbant; cum certissimum sit, non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & pastor nescit.*

22 Item residere etiam tenentur omnes, qui in aliqua Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata habent dignitatem, personatum, administrationem, officium, præbendam, vel portionem. C.16.*h.t.Trid.sess.* 24.*de Ref. c.*12. Imò & beneficium simplex obtinentes residere debent. C.3, *c.*6. *h.t.* C. 13. *de Prebend.* Quia beneficium datur propter officium. Sed obligatio prædictorum ad residentiam solum à Jure Ecclesiastico provenit, ac proindè, tum dispensatione Pontificia, tum contraria consuetudine tolli potest. Et sanè hic rigor non ubique servatur: quia in pluribus Ecclesijs sufficit, ad lucrandam præbendam grossam, si aliqua parte anni Canonici resideant, præcipuè in nostra Hispania, ut notat *Garc. de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *n.* 330. Imò & in celeberrima Toletana Ecclesia Canonicus assistens die S. Michaelis, si non fallor, lucratur totius anni redditus grossos. Habentes ergo hujusmodi Præbendas, Canonicatus, & Dignitates non obligantur simplicitèr ad residendum, sed tantum sub conditione fructus percipiendi: quod si non resideant, sustinent pœnam, sed non peccant: decentius tamen erit, & ad decorem Ecclesiæ, & ipsorum Canonicorum officium valdè conducens, si frequentèr choro adsint, in quo tanquam spirituales Milites merent stipendia, aliàs, licet, vitent culpam, non merentur laudem. Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, non solum debent residere in loco suarum Præbendarum, sed insuper debent choro interesse. C. 32. *de Præbend.* C. *un. h. t. in* 6. Et per se ipsos canere, saltem spectato juris rigore. C. 2. *D.* 91. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. ibi: *Atque in choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devoteque laudare. Et ibid. Barbos. n. fin.* ubi plures citans, ait, per hunc textum teneri Canonicos sub onere, & obligatione restitutionis distributionum psallere, seu canere in choro, & non satisfacere, si solum assistant, & per Capellanos, seu alios Beneficiarios psallant, ipsi vero, vel ibi, vel domi privatim recitent horas, & tenent *Suar. de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *de Horis Can. cap.* 12. *n.* 10. *Gonz. in C.* 7. *h. t. n.* 5. & *alij.* Sed prævaluit consuetudo, quod Canonici distributiones, etiam quotidianas capiant: quamvis ipsi non psallant, sed hoc faciunt cantores, sufficitque, si ipsi submissa voce horas recitent. Imo majori decentia, concentu, & devotione hæc obligatio cantandi Divinum Officium hodie adimpletur per cantores dexterrimos, qui in Ecclesijs præcipuè in nostra Hispania ad hoc munus deputantur. Et consentiunt *Suar. ubi supr. n.* 13. *Barb. in Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.*12. *n. fin. Gonz. in C.* 7. *h. t. n.* 5. Imo *Garz. de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *n.*514. ait: ad lucrandos fructus, & distributiones sufficere solam assistentiam Canonicorum in choro, etiamsi non cantent, nec sint attenti, sed cum alijs loquantur, quamquam in hoc malè faciant, etsi excessus fuerit notabilis, peccent mortalitèr. Et licet *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. Videatur excludere consuetudinem, etiam immemorialem, qua Canonici ultra tres menses possint abesse: tamen in Ecclesia Toletana, & alijs Ecclesijs Hispaniæ, consuetudine immemoriali, se à residentia defendere prætendunt. *Garcia de Benefic. p.* 3.

Ecc

cap. 2.

cap. 2. n. 198. Beneficium simplex habentes regularitèr, consuetudine sic jus interpretante, residere non tenentur, sed per alium oneri Missarum satisfacere possunt, ut declaratum asserit *Garc. de Benefic. p.3. cap. 2. n. 3. & 8.* Et etiamsi in fundatione dicatur, quod Capellanus tot Missas celebret, beneficiatus per substitutum satisfacit: nec potest ab Episcopo compelli, per se ipsum celebrare: imò nec necessarium est, ut Capellanus Sacerdos sit. Clerici habentes præstimonia, id est, quasi stipendia, quæ dantur: v.g. ad prosequenda studia, cum nullum servitium annexum habeant, non tenentur residere in Ecclesia, unde ea percipiunt, nec ipsi per se, vel per Vicarium deservire, sed ad Horas Canonicas, vel Officium Parvum B. Virg. privatim recitandum tantum tenentur. *Garc. de Benefic. p.3. cap.2. n.2. & alij.*

23 Episcopi, etiamsi Cardinales sint, Parochi, & cæteri, quocumque nomine nuncupentur, curam animarum habentes Jure Divino, & Naturali ad residentiam tenentur, ut contra Ambrosium Catherinam tenet communis DD. juxta *Garc. de Benefic. p. 3. cap. 2. n. 16. Barb. de Offic. Episc. alleg. 53. n. 2. Et in Trid. sess. 23. cap. 1.* Quod probatur ex illo Christi D. *Pasce oves meas.* Quod quidem Pastoris officium Episcopos, & Parochos habere clarè deducitur ex *Trid. sess. 6. de Ref. cap. 1.* Et luculentiùs habetur *sess. 23. de Ref. cap. 1.* ibi: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere::: declarat Sacrosancta Synodus ::: obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur.* Et ratio est: Nam quilibet absdubio Jure Naturali tenetur ritè adimplere officium ab ipso susceptum: quod non possunt facere, qui curam animarum habent, nisi resideant. Potest nihilominùs Papa in residentia dispensare, sicut in voto, & juramento, licet eorum obligatio Juris Divini, ac Naturalis sit, quia ut Christi Vicario est concessa potestas declarandi in hoc casu, vel persona particulari, vel circumstantia non obligare illud præceptum: siquidem illa obligatio aliquomodo conditionata est, scilicèt, nisi aliqua justa causa excuset, ut deducitur ex doctrina *D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 5. in corp.* Sic Papa potest dispensare in residentia, quando aliquis duos obtinet Episcopatus, vel Parochias, vel quando Monasterio annectitur beneficium curatum, & licet Monasterij Prælatus sit Parochus principalis per Vicarium temporalem, vel perpetuum administrans: sic Beneficium Parochiale Oppidi de Navalcarnero annexum est Collegio Maximo Complutensi nostræ Societatis, quin Rector Complutensis Collegij in tali Parochia resideat: non tamen potest per consuetudinem, etiam immemorialem induci, quod Parochus non resideat personalitèr: nam à Trid. tollitur, ut irrationalis, & habetur, ut corruptela. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1.* Licet alij aliter sentiant. Si quis confert beneficium curatum, vel dignitatem ei, qui non potest in eo personalitèr residere: & qui beneficium recepit, illud amittit, & qui dedit, privatur pro ea vice potestate conferendi illud beneficium, vel dignitatem. *C. 3. h. t.* Non tamen ipso facto, sed per sententiam: licet quando eligitur persona inhabilis ex defectu ætatis, scientiæ, naralium, &c. ipso jure privetur sic eligens eligendi potestate. *C.7. §. fin. de Electión.*

24 Episcopus residere tenetur in sua Diœcesi, & præcipuè in Civitate, in qua est Cathedra Episcopalis. *C. 21. 7. q. 1. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1.* Nisi causa visitandi, vel alia justa causa, vel consuetudine à tali residentia in Civitate excusetur. Sic Archiepiscopi Toletani regularitèr resident Marriti. Parochus debet residere in domo Parochiali, vel prope Ecclesiam, etiamsi major pars Populi, ut in his partibus Indiarum contingit, longè ab Ecclesia degat. *Barbos. ad Trid sess. 23. de Ref. cap. 1. n. 45.* vel saltem intra limites Parochiæ ex Congreg. Cardin. Etiamsi tres, vel quatuor tantum incolæ remanserint in Parochia, nisi Parochialis Ecclesia in totum Parochianos habere desierit. *Barbos. in Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. n. 27.* Si quis duo beneficia ad residentiam obligantia incorporata habeat in majori Ecclesia, *Hispanè*: *Cabecera*, residere tenetur. Ecclesiæ verò unitæ, *Hispanè*: *Visita*, per Vicarium deserviet. *C. 30. §. Qui verò, de Præb.* si duo beneficia non unita ex dispensatione obtineat, & utrumque sit curatum, vel utrumque simplex, residere debet in loco digniori, quod si non constet, quisnam sit dignior, in frequentiori debet residere, & cæteris paribus, potius in Civitate, quam extra eam. *Garcia de Benef. p. 3. cap. 2. n. 179.* Si aliud simplex sit, aliud curatum, in hoc ob necessitatem animarum residere tenetur. *Ex Const. Cupientes S. Pij V. an. 1568. Barb. de Offic. Episc.*

Episc. alleg. 53. *n.* 83. Ubi dicit, quod obtinens canonicatum, & Parochialem, quocumque in loco sit, tenetur in Parochiali residere, nec erit ob hoc privandus canonicatu, sed solum ejus quotidianas distributiones perdet. Et hac ratione non excusantur à residentia Parochiali Inquisitor, nec Subcollector Apostolicus, si Parochi sint, nec potest Parochus ab hac residentia excusari, quamvis in servitio Episcopi, aut Ecclesiæ Cathedralis sit. Nec Parochus potest esse Vicarius Episcopi, Visitator, Fiscalis, vel Secretarius, nisi sit Parochus Ecclesiæ Cathedralis, vel in Civitate degat. Sic *Barb. alios citans. In Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. *ex n.* 34. Imò nec R. Pontifex potest Parochos, vel Episcopos, etiam Cardinales, in suo servitio pro suo arbitrio, & sine necessitate occupare, & liberare a residentia in suis Parochijs, vel Diœcesibus. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. Ob majorem tamen utilitatem publicam potest eos à residentia liberare, & occupare in Ecclesiæ servitio, ut videmus in pluribus Cardinalibus Episcopis Romæ residentibus. *Barbos. alleg.* 12. *ex n.* 10.

25 Episcopi, etiamsi Cardinales sint (idem est dicendum de Abbatibus exemptis) ad duos, vel tres menses continuè, vel interruptè nulla petita licentia possunt à suis Ecclesijs abesse quotannis ex justa causa, etiam recreationis gratia, modo absque gravi periculo animarum sibi commissarum id fiat; sed hortatur Sancta Trid. Synodus, (non verò præcipit) ut curent, esse præsentes in solemnioribus festis, scilicèt, Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Paschatis, seu Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi. Si verò ultra tres menses, justa exigente causa, abesse velint, licentiam à S. Pontifice, vel Metropolitano, vel eo absente à suffraganeo antiquiori petere debent. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. *Et ibid. Barb.* Si Episcopus ex Pontificis dispensatione in alia Ecclesia extra suam Diœcesim Dignitatem, vel Canonicatum obtineat percipere potest fructus, minimè vero percipiet distributiones quotidianas, etiamsi solum in sua Cathedrali resideat. *Barb. in Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. *n.* 20. Qui allegat Congreg. Declar. Alias dispensatio esset inanis, & otiosa, contra *C.* 30. *de Privilig.* Et sic quoad Inquisitores servatur in Nostra Hispania, qui residentes in loco sui Tribunalis pro præsentibus habentur, etiam quoad distributiones quotidianas, in Ecclesijs, in quibus præbendam obtinent. *Sic P. Joan. de Alloza, Flor. Sum.* V. *Inquisitor. sect.* 1. *n.* 12. *& alij DD.* Parochi, & alij curam animarum habentes ad modicum tempus sine alicujus licentia à sua Parochia possunt abesse, & singulis annis de licentia Episcopi possunt abesse per duos menses, ut constat *ex Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. ibi: *Ita tamen ut quandocumque eos abesse contigerit, id fiat, causa prius per Episcopum cognita, & probata.* Sic contra *Navar. Man. cap.* 25. *n.* 121. *Azor p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *q.* 10. *& alios* tenent, & decisum testantur. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 53. *n.* 96. *Garc. de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *ex n.* 19. Si ultra duos menses abesse velint licentia concedenda est in scriptis, causa gravi præcedente: at verò ad duorum mensium absentiam conceditur licentia ore tenus, & sufficit causa justa, licet gravis non sit, v. g. recreationis, vel visitandi propinquos. Canonici, & alij, qui in Cathedralibus, vel Collegiatis Dignitates, præbendas, vel pensiones obtinent, possunt per tres menses abesse, etiam sine licentia Superioris, nec causa allegata, possuntque uti hac juris concessione ad recreationem licitam. Per longius spatium abesse sine Superioris licentia non possunt. Et licet statutum requirens majus spatium, quam novem mensium residentiæ servandum sit, non tamen valet statutum, vel consuetudo concedens majus spatium quam trium mensium, ut Canonici possint ab Ecclesia abesse. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. Etiamsi tale statutum sit juratum; dum non sit confirmatum à Sum. Pontifice. *Barbos. in Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. *n.* 56. *Garc. de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *n.* 197.

26 Episcopi, qui ultra tres menses ab Ecclesia sua absunt justa causa cessante, præter culpam læthalem, prorata temporis fructus non faciunt suos, sed in conscientia, etiam ante declarationem, debent eos restituere Ecclesiæ, vel pauperibus loci. *Garc. p.* 3. *cap.* 2. *à n.* 26. *Barb. in Trid. sess.* 23. *cap.* 1. *n.* 18. Vel si ipsi negligant, hoc facere debet Superior Ecclesiasticus, quin admittatur aliqua compositio, quæ pro fructibus malè perceptis solet fieri. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. Ubi auget pœnam, *sess.* 6. *de Ref. cap.* 1. Si ultra annum absit suffraganeus, tunc eum Metropolitanus, vel si Metropolitanus absit, suffraganeus antiquior sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ ipso facto incurrenda intra tres menses per litteras, seu Nuntium denuntiare tenetur R. Ponti-

tifici. *Trid. sess. 6. de Ref. cap.* 1. Et bona Episcoporum, qui in absentia illegitima decedunt pertinent ad Cameram Apostolicam, ut Spolia ex Const. *In Suprema S. Pij IV. An.* 1564. Parochi, & alij Curati, si ultra duos menses illegitimè à sua Parochia absint, ultra gravem culpam proraia temporis non faciunt fructus suos. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. Quin applicandi sunt, vel Ecclesiæ Parochiali, vel pauperibus illius loci. *Garc. de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *n.* 31. Et quidem ante omnem sententiam. *Covar. Garc. Barb. in Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. *n.* 18. Si verò adhuc sint contumaces in non residendo, potest suo arbitrio Episcopus per censuras: imò per beneficij privationem, eos compellere. Nec requiritur processus, vel ordo judiciarius, sicut in facto notorio non requiritur. *C.* 21. *de Jur. jur.* Canonici, & alij præbendam in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata habentes, si ultra tres menses illegitimè absint. 1. quidem anno privantur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecerant suos, si talis iterum absit, privatur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuit. Si adhuc contumax post duos annos sit, contra eum proceditur ad privationem beneficij. *C.* 8. *c.* 10. *c.* 11. *& fin. b. t. Barb. in C.* 10. *b. t.* Abbates, & Prælati Regulares juxta Regulam proprij Ordinis puniuntur, nec ad ipsos extenduntur pœnæ statutæ à *Trid.* in locis citatis. Beneficiarius absens citandus est personaliter, ut veniat, ad residendum, si sciatur ubi sit, & sufficit unica citatio: imò monitio, si ad ejus notitiam pervenit. Si commodè personaliter non potest citari, citatur per tria edicta in valvis suæ Ecclesiæ affixa, vel una pro tribus, dum trium tempus contineat: Et eodem modo ad ejus notitiam pervenire valeat. Ex *C.* 11. *b. t. Garc. de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *ex n.* 154.

27 Quatuor causas à residentia beneficiorum excusantes numerat. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. Scilicet. 1. *Charitatem Christianam.* 2. *Urgentem necessitatem.* 3. *Debitam obedientiam.* 4. *Et evidentem utilitatem Ecclesiæ, vel Reipublicæ*: adeò, ut perjurium non incurrat, qui juravit continuo in Ecclesia sua residere, si ex aliqua ex his causis abfit. *C.* 13. *b. t.* 1. quidem excusat Charitas Christiana, si ex absentia non sequatur damnum notabile propriarum ovium, quibus Cura ex Justitia debetur, & insuper Superioris licentia requiritur, ita, ut si absit Episcopus, licentia Papæ, vel Metropolitani, si Parochus, licentia Episcopi accedat: his circumstantijs concurrentibus possunt habentes curam animarum abesse à proprio beneficio ad aliquam Provinciam ad fidem, vel ab hæresi liberandam, vel ad pacem inter Principes componendam, vel ad succurrendum spirituali necessitati proximorum. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 53. *n.* 6. 2. Urgens necessitas excusat, v. g. hostilis incursio. *Arg. C.* 42. 7. *q.* 1. Corporis infirmitas. *C.* 15. *b. t. L.* 18. *tit.* 16. *p.* 1. Intemperies aeris, pestis, seu contagio ob quam beneficiarius nequeat in loco beneficij residere. Inimicitiæ capitales, quas cum Domino, vel Præfecto loci habet Parochus: insidiæ à plebe inf[illegible]: vel alijs structæ, aliæque hujusmodi [illegible]sæ, de quibus *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 53. *n.* 7. Peregrinatio, etiam ex voto, & licentia Prælati suscepta, non excusat à residentia ad fructus lucrandos ultra tempus à Concilio permissum, ut declaratum testatur. *Garc. de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *n.* 394. Curati verò, si per alios non possint benè providere peste infectis, cum vitæ propriæ periculo apud suum gregem manere debent. *Joan.* 10. *v.* 11. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

28 Tertio: obedientia excusat, ut si beneficiatus simplex occupatus est in Sedis Apostolicæ servitio. *C.* 14. *c.* 15. *b. t. L. fin. tit.* 16. *p.* 1. Ille verò, qui propria voluntate, vel ob suam utilitatem in Curia Romana versantur, ut Notarij, non reputantur pro præsentibus in suis beneficijs, ad lucrandos fructus. *Arg. L.* 36. *ff. Ex quibus caus. major.* Aliqui tenuerunt, Legatos Papæ, posse in suo servitio aliquos Canonicos Cathedralium, vel Collegiatarum suæ Provinciæ occupare; sed cum hoc nullo jure firmetur, non debet concedi. *Abb. in C.* 145. *n.* 6. Episcopi (& idem est saltem de Prælatis exemptis, quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus. *Garc. de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *n.* 381.) possunt in suo servitio occupare duos Canonicos Cathedralis, & hi etiam non residendo, percipient fructus præbendæ. *C.* 7. *b. t.* non verò distributiones. *C.* 7. *b. t. L. fin. tit.* 16. *p.* 1. Et Canonici Episcopo associantes debent esse de Cathedrali, non verò de Collegiata. *Text. in C.* 7. *c.* 15. *b. t.* juxta quos intelligendum venit. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. *juxta Gonz. in C.* 7. *b. t. n.* 6. Et quidem, etiamsi in Ecclesia sit statutum juratum, & confirmatum à Papa, quod Canonici non percipiant fructus, si non resideant. Canonici Collegiatarum, imò, & alij

alij beneficiarij simplices possunt ab Episcopo assumi, si hoc exigat Dioecesis necessitas ob illorum industriam ad aliquod munus, & tunc, etiam non residendo, percipient fructus. *Garc. de Benefic. p. 3. cap. 2. n.* 370. Clerici, qui Principibus Sæcularibus inserviunt, & in sua Curia occupantur in officijs Præsidum, Pro-Regum, Gubernatorum, Consiliariorum, vel Confessariorum, non excusantur à residentia, ut contra *Selva de Benef. p. 4. q. 6. Cevall. Com. qq.* 585. *n.* 7. tenent *Barbos. de Offic. Episcop. alleg.* 53. *n.* 17. *Garc. p.* 3. *cap.* 2. *n.* 389. *ex Trid. sess.* 6. *de Ref. cap.* 2. *Et Nov.* 123. *c.* 9. quæ concedit Episcopis, ut per annum possint manere in Curia, cum sit Lex Civilis disponens de re Ecclesiastica nullius momenti est. *C.* 10. *de Constit.* Si vero Regnum non posset sine alicujus Clerici præsentia, etiam Episcopi commodè administrari, tunc ob publicam Regni utilitatem, dispensat Pontifex. Et sic multoties in nostra Hispania contingit, quando Episcopi in Præsides Supremi Senatus Castellæ, vel in Inquisitores Generales assumuntur.

29 Quarto: possunt etiam absentes fructus beneficij percipere, qui ob publicam Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitatem absunt: v. g. causâ defendendi jura suæ Ecclesiæ, vel Canonicatus. *C.* 13. *h. t. l. fin. tit.* 16. *p.* 1. vel qui sunt ad Synodum vocati, vel si ob officium suæ dignitati annexum comitijs intersint, vel ut Legati à Provincia mittantur. *C.* 19. *de Appellat. Gloss.* V. *In legation.* Etiam beneficiati religionem ingressi tempore Novitiatus percipiunt fructus, saltem grossos sui beneficij, modo per alium beneficio deserviant: sed probabilius non percipiunt distributiones quotidianas; *arg. C.* 7. *h. t.* Qui studiorum causa abest, interim percipit fructus sui beneficij. *C.* 4. *c.* 12. *h. t. C. fin. de Magistr. Trid. sess.* 5. *de Reform. cap.* 1. *in fin. l. fin. tit.* 16. *p.* 1. Et quidem discentes per quinque annos possunt abesse, sed docentes, quandiu voluerint, si prædicti discunt, vel docent Theologiam, vel Jus Canonicum, & quidem cum effectu, non oleum, & operam perdendo in alijs impertinentibus rebus, in aliqua Universitate, vel publica Schola; secus in loco privato. *C.* 12. *h. t.* Hi etenim possunt abesse à suis beneficijs, etiam sine Episcopi licentia, cum hæc concedatur à jure. *Gloss. in C. fin. de Magistr.* V. *Licentia.* Si Philosophiæ, vel litteris humanioribus operam dent, requiritur Episcopi licentia. Jure antiquo etiam Parochis hoc erat privilegium concessum habita tamen Episcoporum licentia. *C.* 34. *de Election. in* 6. sed revocatum per Tridentinum, *sess.* 23. *de Reform. cap.* 1. *tenet Garc. de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *n.* 80. Posse tamen Episcopum licentiam studendi Parochis concedere tenent *Zerol. Prax. Episc. p.* 1. V. *Studium*, §. *Ad septimum*, *& alij.* Et satis probatur *ex Trid. sess.* 5. *de Reform. cap.* 1. *junct. sess.* 6. *de Reform. cap.* 2. & ut notat *Mendo de Jur. Acad. lib.* 2. *n.* 271. Trid. non revocavit privilegia studijs concessa, affertque *n.* 270. quamdam de hoc declarationem Cardinal.

30 In nostra Hispania habemus, quoddam specialissimum privilegium *Eugenij IV*, concessum 6. *Kal. Martij* 1431. Quæ constitutio incipit: *Qui creditum*, & ab ejus Authore *Eugeniana* indigitatur, in qua conceditur quod Clerici, etiam Canonici, Dignitates, & Decani Cathedralium, qui in nostra Salmantina Academia publicè docent, vel student, vel aliter litterarum in studio insistunt, ut candidati Cathedrarum, non teneantur ad residentiam in suis Ecclesijs ad percipiendos fructus præbendæ, non vero distributiones quotidianas, & stipendia, quæ inter præsentes solent dividi. Gaudentque hoc privilegio, etiamsi primam beneficij residentiam non fecissent: debent tamen insistere studijs per octo menses, vel continuo, vel interpolatim, ac proinde, non sufficit, si per sex menses, & unum diem cursum litterarium peragant, possuntque dare operam cuicumque licitæ facultati. Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & alij, quasi Pontificali Dignitate, & jurisdictione gaudentes, necnon Canonici Ecclesiarum Cathedralium, qui per oppositionem obtinent præbendas, quas *Hispanè* dicimus de *officio*, non possunt à suis Ecclesijs abesse, nec gaudent Eugeniana Constitutione, Parochi vero ea gaudent, dum tamen per Vicarium idoneum beneficio deserviant: Canonici verò non indigent Vicarium substituere, ut possint abesse à sua Ecclesia, & studere in Universitate Salmantina. Sic *Mendo de Jur. Acad. l.* 2. *q.* 23. *ex n.* 266. Ubi refert ad litteram Eugenii Constitutionem, quam etiam affert *Garc. de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *n.* 56. Et est valde honorifica nostræ Universitati: ibi namque sic ait Pontifex. *Ad Venerabilis itaque Salmanticensis propagationem studij, quod virtuosorum, doctissimorumque virorum multitudinem produxit innumeram, &c.* Et quamvis *Enriq. & alij* teneant, habentes beneficia Parochialia non excusari à residentia, etiam

virtute Eugenianæ, quia hanc dicunt derogatam esse a *Trid. sess.6. de Ref. cap.2. & sess.23. de Ref. cap.1.* tamen *Mend.Gonz. in C.32.de Præbend. n.4. & alij* tenent, non esse derogatam, & testantur se vidisse illam sæpius practicari, cujus praxis testis & ego sum.

31 Distributiones quotidianæ, quæ manualia beneficia, seu victualia, seu præsentiæ nuncupantur. *C. un. b. t. in 6.* sunt portiones Ecclesiasticorum redituum, quæ distribuuntur his tantum Clericis, qui quotidie intersunt Divinis Officijs. Quo nomine etiam veniunt distributiones pro defunctorum anniversarijs largiendæ. *C. un. b. t. in 6.* nec sufficit residere in beneficij loco ad eas lucrandas, sed interesse est necessarium; ut sic per Ministrorum præsentiam cultus Divinus augeatur. Nec simoniam incurrit, qui lucro distributionum inductus Choro assistit, alias non interfuturus, quia ut temporale stipendium pro victu, & labore dantur. *Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 18. n. 12. & 13.* De his distributionibus fit mentio *in C. un. b. t. in 6. c. 32. de Præbend. Trid. sess. 21. de Ref. cap. 3. & sess. 22. de Ref. cap. 3.* Et non veniunt nomine fructuum; imò tanquam species distinctæ habentur. *C.7. b. t.* Qui aliquid ex distributionibus non legitime perceperit, earum dominium non adquirit, nec facit eas suas: quin ad omnium restitutionem tenetur. *C. un. b. t. in 6.* Et licet Canonici distributiones, jam sibi adquisitas possint liberalitèr absentibus donare, obventuras tamen non possunt remittere. *Trid. sess.24. de Ref. cap.12.* Imò nec hodie licet Canonicis remittere absentibus distributiones præteritas, ne detur occasio Clericis absentandi se à Choro cum spe, sibi remissionem esse faciendam à suis Concanonicis amicis. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.3. cap.18. n.94.* Qui addit *Gloss. in C. un. b. t. in 6.* V. *Suas*, quæ tenet contrarium, hodie esse revocatam per *Trident.* Nec his distributionibus privatur, qui ob delictum est beneficij fructibus privatus; nec ad eas restituendas tenetur, qui ad fructus restituendos condemnatur, nec pensio beneficio imposita, distributionibus imposita censetur. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap.18. n.8. Gonz. in C.7. b. t.* Ille qui ex privilegio, vel consuetudine duo obtinet beneficia in eadem Ecclesia, etiam duplices distributiones quotidianas percipit. *Abb. Felin. Covarr. Barbos. de Jur. Eccles. lib.3. cap.18. n.31.* Sicut habet duplicem vocem in capitulo, qui duplicem præbendam habet. *C. 12. de Sent. & re judic.* Et quod magis est, quod tales distributiones, nec infavorabilibus nomine fructuum veniunt: ac proinde, qui habet privilegium, vel legitimam causam, ut etiam absens percipiat fructus præbendæ, vel beneficij, non intelligitur privilegium, nec causam habere ad distributiones percipiendas. *C.7. b. t.* Nisi fortè beneficium consistat in his distributionibus, vel detur speciale privilegium ad eas percipiendas.

32 Ex privilegio Pontificis, & non alterius, aliquando beneficiarij, licet absentes lucrantur distributiones, tanquam Choro interessentes, tales sunt Pœnitentiarius Cathedralis, qui dum confessiones audit, ut præsens in Choro habetur. *Trid. sess. 24. de Ref. cap.8. in fin.* & probabilitèr alij Clerici ob multitudinem pœnitentium adjuvantes. Item Lectoralis, & Magistralis pro toto die, quo concionantur, & legunt: quin etiam, & alij dies conceduntur concionatoribus secundum statuta cujusque Ecclesiæ. Et secundum eadem statuta taxatur tempus, quod est indulgendum Doctorali, ut se possit instruere, & præparare ad defensionem suæ Eclesiæ. Præterea his Canonicis, qui *Hispanè* dicuntur: *De officio, o de oposicion.* Etiam conceduntur tres menses, sicut cæteris Canonicis, ut à residentia abesse possint, & Hispanè dicuntur: *Meses de rede. Machado tom.2. lib.4. p. 4.* Canonicus Episcopo assistens, dum Pontificalia exercet *Trid. sess.24. de Reform. cap.12.* Vel Missam jussu Superioris (secus alitèr) tempore horarum celebrans, habetur, ut præsens. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 53. ex n. 134.* Inquisitores hæreticæ pravitatis, qui in aliqua Ecclesia præbendam, vel dignitatem obtinent ex privilegio. *Paul. III. & S. Pij V.* percipiunt fructus, & distributiones quotidianas in absentia, tanquam si præsentes essent. Idem etiam Auditoribus Rotæ concessit *Clemens VII.* Et Collectori Generali, & Subcollectoribus Advocatis, Procuratoribus, Fiscalibus, & Notarijs in causis spoliorum, & aliorum jurium Cameræ Apostolicæ, durante eorum Officio, Sixtus V. concessit. *Barbos. de Jur. Eccles. l.3. cap.18. ex n.37. Gonz. in C.7. b. t. n. 7.* Qui addit, hoc privilegium tenere, etiamsi à fundatore anniversarij contrarium cautum sit.

33 Possunt etiam distributiones quotidianas lucrari, qui absunt. 1. causa infirmitatis; siquidem gravis sit, & quæ impediat, ne Clericus ad Divina Officia possit se conferre, etiamsi sua culpa in eam

tam infirmitatem inciderit, nisi eo fine sit procurata, ut Choro absit. *Borbos. de Officio Episc. alleg.* 53. *n.* 168. 2. quando adest justa causa; ut si quis habeat absolutam impotentiam accedendi ad Chorum, vel timeat quis grave damnum vitæ, honoris, aut fortunæ, ut senes, & valetudinarij: vel si grassetur bellum in urbe, vel mors Canonico immineat à capitali inimico infligenda, vel qui injustè fuit impeditus, vel expulsus à Capitulo, injustè incarceratus, bannitus, missus in exilium, excommunicatus, suspensus, & interdictus, & alij hujusmodi; nam hi omnes ab assistentia Chori legitimè sunt excusati. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 53. *ex n.* 173. Ille vero, qui justè est incarceratus, bannitus; missus in exilium, vel excommunicatus distributiones non percipit, *ex C.* 53. *de Appellat.* Sibi enim debet imputare, quod ob suam contumaciam à Divinis officijs arceatur; nam si paratus sit satisfacere absolvetur: quod si tunc injustè denegaretur absolutio, perciperet distributiones, perinde, ac si esset injustè excommunicatus. *Suar. de Cens. D.* 13. *sect.* 2. *n.* 16. *&* 20. 3. utilitas, non levis, sed gravis; non dubia, sed evidens, propriæ, & etiam universalis; non alienæ Ecclesiæ est sufficiens causa, ut absens distributiones lucretur. Hac ratione distributiones percipit Vicarius Generalis Capituli, Sedevacante, secus Vicarius Episcopi: vel si Canonicus mittatur ad Concilium Generale, vel Provinciale, tanquam Theologus, vel Canonista, vel Ecclesiæ Procurator: Etiam hanc causam legitimam habere censetur, qui mittitur ad defendenda jura sui beneficij, vel Ecclesiæ: qui visitat Ecclesiam suæ præbendæ: v. g. Archidiaconus suum Archidiaconatum: qui mittitur ab Episcopo, vel Capitulo ad visitanda limina Apostolorum, vel Legatus ad Pontificem, vel Principem, vel obses ab Ecclesia datus, vel repressaliorum causa captus: vel qui residet in beneficio curato annexo Canonicatui, hic enim percipit distributiones tanquam si Choro interesset. *Trid. sess.* 22. *de Ref. cap.* 3. Secus si Parochia non sit unita, ut declaratum refert *Gallem. ibid. n.* 8. Et alijs casibus, in quibus judicio prudentum Canonicus absens utilitatem peragat Ecclesiæ. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 53. *ex n.* 171. *Garc. de Benefic. p.* 3. *cap.* 2. *ex n.* 338. *& alij.*

34 Fundator Ecclesiæ potest statutum apponere, ut distributiones quotidianas lucretur integras Canonicus, etiamsi tribus, vel ultra illos, mensibus absit: quod tamen statutum nequit fieri à Capitulo, vel Episcopo, qui Legem superioris, scilicet *Trid. sess.* 24. *de Ref. Cap.* 12. immutare non valet. *C.* 16. *de Major. & obed.* Er licet per *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. sint sublatæ consuetudines, saltem non immemoriales, quæ permittebant, absentes à Choro lucrari distributiones quotidianas, tamen hodie sustinetur consuetudo, qua conceduntur ex honesta, & rationali causa distributiones absenti. Sic valet consuetudo, ut qui certis horis, licet non omnibus, Choro assistit, integras percipiat distributiones, etiam pro tempore, quod defuit, vel si Canonicus obligatus Choro hodie ad aliquas distributiones percipiendas: v. g. hebdomadarius alium suo loco substituat: quia tunc cultus Divinus non minuitur. *Barbos. de Jur. Ecclef. L.* 3. *cap.* 18. *n.* 33. Quando tales distributiones sunt aliqui redditus deducti ex massa communi beneficiorum, vel ex fundatione, aut voluntate fidelium, ut pro Anniversario defuncti: illæ distributiones, quæ sunt ab absentibus amissæ accrescunt interessentibus. *Trid. sess.* 21. *de Ref. cap.* 3. Et quidem non tantum verè, sed & fictè interessentibus: similiter etiam accrescunt absentibus ex justa causa, qui aliundè proprias distributiones lucrantur juxta praxim Hispaniæ. Seclusa tamen hac praxi, non accrescunt. *Barb. de Jur. Ecclef. lib.* 3. *cap.* 18. *n.* 90. *Garc. de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *n.* 465. Si ex aliquibus Dignitatibus, vel præbendis aliqua portio deducitur pro distributionibus tribuendis habenti illas dignitates, vel præbendas, tunc pars amissa ab absente interessentibus non accrescit, sed applicatur Ecclesiæ fabricæ, vel alij pio loco. *Trid. sess.* 22. *de Ref. Cap.* 3.

TIT. V.

De Præbendis, & Dignitatibus.

25 PRæbenda sic dicitur *à præbeo*, quia Ministris, & Officialibus Ecclesiæ alimoniam præbet; sicut olim in more erat militibus, & Præsidibus Provinciarum diaria, & annonas præstare, & *præbenda* dicebantur. In communi tamen modo loquendi sumitur pro Canonicatu. *C.* 9. *de Constitut.* sed *Canonica*, vel *Canonicatus est*, quoddam jus spirituale, quod quis habet ex electione, & receptione in Canonicum, etenim solum omnes illi, qui jux-

juxta regulam propriam suæ Ecclesiæ vivebant *Canonici* dicebantur, quasi *Regulares*; nam *Canon* Græcè *regulam* latinè significat. *C.1. D.3.* In præsenti tamen etiam sumitur pro omni beneficio Ecclesiastico inferiore, ut in *C. 32. de Verb. signif.* Majora enim beneficia Dignitates appellantur; & quidem dignitas gradum honoris, & excellentiæ significat. Canonicatus dari potest sine præbenda, vel beneficio. *C.9. h. t. C. 9. de Constit.* quia præbenda non est de Canonicatus substantia. Et talis Canonicus habet vocem in Capitulo, stallum in Choro, & distributiones quotidianas. *C. 19. h. t.* nisi forte aliud consuetudo, vel pactum habeat, & sic receptus, vacante postea præbenda, etiamsi supernumerarius sit, potest eam petere implorato Judicis Officio, ut sumitur ex *C. 19. h. t.* quia cum oneribus Canonicorum subsit decet beneficium, unde alatur habere: quia beneficium datur propter officium. In Generali enim acceptione conveniunt Beneficium, Præbenda, Dignitas, & Titulus, ac proindè de eis sub nomine beneficiorum agendum erit. *Beneficium ergo Ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod spirituale servitium, authoritate Ecclesiæ constitutum. Sic com. DD.* Olim enim eis, qui in bello aliqua præclarè gerebant, quædam prædia in præmium concedebantur, quæ dicebantur *beneficia*, quasi *benefacta*, & eorum possessores beneficiarij. Sic in militia cœlesti beneficia dicuntur prædia Clericis ad sustentationem concessa: Facit Rex noster Alphonsus in prœmio, *tit. 16. p. 1. Cà bien assi, como del corazon del home rescibien todos los otros miembros vida: assi de Santa Eglesia rescibian bien fecho, e mantenimiento todos los que la sirven. E este bien son los Beneficios, è las Dignidades que de ella han, onde se mantienen los que le sirven.* In beneficio enim invenitur. 1. ipsum officium, seu obligatio ad aliquam functionem spiritualem præstandam; v. g. ad Sacramenta administranda, vel ad concionandum, & Horas Canonicas. Et hoc jus est spirituale. 2. jus percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis propter officium spirituale, & licet hoc jus temporale sit, dicitur spirituale, quia in radice spirituali fundatur. Et hinc dicitur, quod beneficium datur propter officium. *C. fin. de Rescript. in 6.* 3. ipsi redditus, qui proveniunt ex rebus Ecclesiasticis: qui temporales sunt, & ut tales distrahi possunt: proveniunt quidem ex bonis Ecclesiasticis, quæ ad particulares Ecclesias pertinent, quorum administratores sunt Prælati Sæcularium, vel Regularium Ecclesiarum, debentque tales redditus tribui pro actione officij spiritualis. Cum ergo beneficium sit, quid spirituale, constitui debet authoritate Ecclesiæ. Hinc si Laicus, vel etiam Clericus particularis fundet anniversarium, vel certas Missas, etiam in perpetuum, & ei stabiles redditus assignet, si non accedat Ordinarij Ecclesiastici licentia, erit legatum, vel donatio ad causas pias, non verò beneficium Ecclesiasticum, nec ejus nomine in jure comprehendetur. Beneficium insuper tribuit jus perpetuum, quamdiù beneficiatus vivit, nisi voluntariè renuntiet, vel ob delictum privetur. *C. fin. D. 70.* Et hoc est beneficium strictè tale, sufficit tamen ut beneficium sit perpetuum in se, licet non sit in beneficiario, quatenùs ipsi jus perpetuum non tribuat; sed ad nutum Collatoris possit auferri uni, & conferri alteri, ut accidit in beneficijs manualibus, & regularibus. *C. 5. de Rescript. in 6. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 34. n. 3.* Pensiones, & Vicariæ temporales, nec in se, nec in pensionario sunt perpetuæ: quia per mortem, & per voluntariam ablationem cessant.

36 Inter beneficia etiam commemorantur Commenda, Capellania, Præstimonia, Hospitalia, & Præceptoriæ. *Commenda*, qua Ecclesia, vel beneficium alicui in perpetuum committitur est beneficium, vel illi æquiparatur, potestque talis Commendatarius, non solum fructus percipere, sed illam in favorem tertij resignare, permutare, &c. *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 9. ex n. 22. Gonz. in Reg. 8. Cancel. Glos. 5. §. 8. ex n. 1.* Secus dicendum est de Commenda temporali, quando scilicèt alicui committitur Ecclesia, vel beneficium, quamdiù ejus Rector abest, dum novus eligitur, quia non habet titulum; nec Commendatarius potest eam resignare in alterius favorem, sed si nolit retinere eam debet in manibus superioris simpliciter dimittere. *Capellania*, quæ est onus celebrandi annuatim, vel hebdomadatim aliquas Missas in certa Ecclesia, vel Altari est duplex; alia *est electiva, seu simplex*, alia *collativa*. *Electiva est*, quæ sine Ordinarij authoritate est erecta; sed sola nominatione, seu vocatione Fundatoris alicui Clerico conceditur. Et hæc licet in perpetuum conferatur non est beneficium Ecclesiasticum; quippè erecta est sine authoritate Ecclesiastica, quæ sola habet facul[illegible] annectendi jus percipiendi fruc-

tus officio spirituali. *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 5. n. 3. Collativa est*, quæ authoritate Ordinarij est erecta; quæ si in titulum perpetuum conferatur est verè beneficium: si vero revocabilitèr, est impropriè beneficium. *Præstimonia*, seu stipendia, quæ ex redditibus Ecclesiastis solent Clericis dari, si habent annexum officium spirituale, & in titulum perpetuum dantur, sunt beneficia: si vero tanquam stipendia in sustentationem studentium; v.g. sint deputata, sed sine obligatione spiritualis obsequij, non sunt beneficia. Huc spectant pensiones, quæ aliquibus solent concedi, & quidem *pensio* sic communitèr definitur, est jus spirituale, aut spirituali annexum instar beneficij, percipiendi certam portionem fructuum mensæ, vel beneficij ob justam causam. *Garc. de Benef. p. 1. cap. 5. n. 120.* Et licet pensiones, quæ pro officio temporali dantur, ut salarium, quod Sacristæ Æconomo, & alijs Ministris datur, non sint beneficium, tamen pensiones, quæ Clericis conceduntur, licet de Jure Decretalium, non essent beneficium, hodie instar beneficiorum habentur, cum solis Clericis concedantur, & ad officij minoris recitationem obligent, & pensionarij habitum, & tonsuram Clericalem deferre teneantur. *Garc. de Benef. p. 1. cap. 5. ex n. 37. Gonz. in C. 21. h. t. n. 6. Hospitalia*, quæ alicui Ecclesiæ, vel beneficio sunt accessoriè unita, cum naturam principalis sequantur. *C. 42. de Reg. Jur. in 6.* beneficia utique sunt. Idem est, si ex fundatione, vel ordinatione publica sunt conferenda Clericis per electionem confirmandam à Superiore. Si vero, vel solum Laicis, vel indifferentèr Clericis, vel Laicis possint conferri, quamvis authoritate Ecclesiastica sint erecta, per hoc erunt religiosa loca; non vero beneficia, de quorum essentia est, ut tantum Clericis conferantur. *Garc. de Benef. p. 1. cap. 3. n. 1. Gonz. in Reg. 8. Cancel. Glos. 5. §. 4. n. 16. Præceptoriæ*, seu *Commendæ* Ordinum Militarium, quæ eorum Equitibus assignantur, ut eorum reditus in Ægrorum curam, peregrinorum receptionem, & residuum in sustentationem, & stipendium pro suo labore impendant, non sunt beneficia propriè talia, quia non dantur ratione officij spiritualis, sed ratione servitij temporalis, scilicèt militiæ; vel administrationis bonorum. Et etiam prima tonsura carentibus conferuntur, appellantur tamen beneficia manualia, quia personis religiosis, & ad finem spiritualem Religionis, & fidei defendendæ, conceduntur, & licet uni possint auferri, alteri conferendæ sunt.

37 Beneficia in multiplici sunt differentia: nam 1. alia sunt *duplicia*, *simplicia* alia. *Duplicia* sunt, quæ aliquam eminentiam, jurisdictionem in foro externo, vel interno, aut administrationem adjunctam habent. Et hæc sunt in triplici differentia: nam alia sunt *majora*, ut Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, & Episcopatus. Alia sunt *media*, ut reliquæ Dignitates, quæ præeminentiam cum fori externi jurisdictione, & administratione habent, ut Decanatus, Archidiaconatus, Abbatiæ, etiam ad tempus, tam Sæculares, quàm Regulares, & solum hæ Dignitates, non vero Superiores veniunt nomine Dignitatum in Rescriptis Pontificijs. *Personatus* est honor, & præeminentia in Ecclesia, sine jurisdictione: v.g. cum præcedentia in choro, processione, vel suffragio. Et hodie fere omnes Dignitates, præcipuè in nostra Hispania, potius quam Dignitates sunt personatus, quamvis communitèr Dignitates appellentur. *Officium* est quædam administratio rerum Ecclesiasticarum sine eminentia, & jurisdictione, quale habet Primecerius, Sacrista, Thesaurarius, &c. Licet in pluribus Ecclesijs, ut in nostra Hispania, ut Dignitates reputentur, ac ideò earum consuetudo attendenda erit. Alia denique sunt *infima*, ut beneficia curata, quæ habent annexam curam animarum, ut Parochialia, Vicariæ perpetuæ Parochialium, & aliæ hujusmodi. Beneficia *simplicia* sunt, quæ nihil habent annexum, ut sunt Canonicatus Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum. Etiam beneficia, quæ integras, vel dimidias portiones habent. Item Capellaniæ, quæ authoritate Episcopi in perpetuum conferuntur. Et quidem in dubio beneficium præsumitur simplex, nisi probetur habere qualitatem duplicis. *Garc. de Benef. p. 1. cap. 6. n. 8.* Prætereà alia sunt beneficia simplicitèr *Titularia*, alia sunt *Manualia*. *Titularia* sunt, quæ in titulum perpetuum conferuntur; nec semel legitimè collata sine justa causa in jure expressa auferri possunt. *Manualia* sunt, quæ conferuntur in titulum, sed revocabilitèr, ità ut si revocetur sine causa, revocatio valeat, licet ad honestatem revocationis aliqua rationabilis causa exigitur. *C. 6. de Statu Monach.* Alia sunt *uniformia*, alia *difformia*. *Uniformia* sunt, quæ idem, & simile munus, & obligationem habent, ut duo Canonicatus. *Difformia* sunt, quæ diversa munera, & obligationes ha-

habent, ut beneficium Curatum, & simplex. Alia sunt *Monocularia*, quando scilicèt in aliqua Ecclesia unicum beneficium invenitur, vel etiamsi plura sint, unum tantum spectat ad provisionem Collatoris, si tamen hac qualitate careant, *non monocularia* dicuntur.

38 2. Beneficia principalitèr dividuntur in *sæcularia*, & *regularia*. *Sæcularia* sunt, quæ Clericis Sæcularibus, nullam professis Religionis regulam, solent, & debent conferri: v. g. Canonicatus quorum, etiam jure antiquo; fuerunt incapaces regulares. *C. 9. de Regul. C. 5. de Stat. Monachor. Sanch. in Dec. lib. 7. cap. 29. n. 72.* In dubio tamen beneficium potius præsumitur Sæculare, quam Regulare. *Sanch. in Dec. lib. 7. cap. 29. n. 11.* nisi probetur regulare. Et quidem tale esse probatur ex institutione, vel privilegio, vel præscriptione legitima. *C. 5. h.t. in 6.* scilicèt quadragenatia. *Arg. C. 4. & 6. de Præscript. Garc. de Benef. p. 7. cap. 10. n. 35. Sanch. in Dec. l. 7. cap. 29. n. 17.* *Regularia* sunt, quæ alicujus Ordinis Religiosis debent conferri, non verò Sæcularibus, sicut nec sæcularia regularibus. *C. 5. C. 32. h. t. in 6. Clem. 1. de Election.* nam homines dispatis professionis, vel habitus difficile sociantur. Potest tamen beneficium Sæculare dari Regulari, vel è contra, si Pontifex in hoc dispenset, & insuper in rescripto debet fieri expressa mentio. *C. 5. h. t. in 6.* Vel si in illa Ecclesia detur necessitas Rectoris. *C. 5. de Relig. dom. C. 25. in f. de V. S.* Sic Episcopus Ecclesiam Sæcularem ad statum Regularem transferre potest. *C. 5. de Eccles. ædific.* Necessitas enim Legem non habet, & potius expedit per Clericos diversæ professionis Ecclesiam gubernari, quam omni gubernatione carere. Præterea ad Dignitatem Episcopalem etiam in Ecclesia Sæculari, possunt promoveri Regulares, etiam Monachi. *C. 28. de Elect. in 6. Clem. 1. eod.* secus ad Dignitatem in Ecclesia Collegiata, cum in jure restringatur hæc facultas ad Dignitatem Episcopalem. Imò Mendicantes non possunt ad Collegiatam postulari sine licentia Papæ. *Extr. un. de Postulat. Prel. inter com.* in Nostra Hispania indifferentèr præsentantur à N. Regibus ad Episcopatus, tam Clerici, quam Religiosi, etiam Mendicantes. Favore salutis animarum olim Regulares præficiebantur Parochijs Sæcularibus, necessitate, aut utilitate, hoc exigente. *C. 31. C. 34. 16. q. 1.* Hodie etiam hanc capacitatem ad Parochias Sæculares, etiam absque dispensatione, ipsis concedunt. *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 34. n. 6. & alij.* Canonicos Regulares, & non alios Religiosos posse præfici Parochijs Sæcularibus tenent. *Gonz. in Reg. 8. Cancel. Glos. 7. n. 55. & alij*, sed verius est, quod hodie non possunt præfici sine Pontificia dispensatione, ut ex varijs *Declarationibus, & Decreto Congreg. Episc. & Regul. Jussu Clem. X. Edito 17. Mart. 1671.* probant *Pignatel. tom. 1. Consult. 44. ex n. 23. Quarant. Gavant. & alij.* In his Indiarum partibus Regulares præficiuntur Parochijs ex dispensatione *S. Pij V. 3. Mart. 1567.* ad preces Philippi II. Hispaniarum Regis concessa. Sine dispensatione sanè Regulares hodie præficiuntur Parochijs, quæ intra illorum sunt Monasteria. *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 11.* ubi derogatum videtur. *C. 1. de Capel. Monach.* Idem est de Parochijs, quæ licet extra Monasteria sint, unitæ tamen sunt Monasterijs, quoad temporalia, & spiritualia: quod si solum sint quoad temporalia unitæ, sunt nominandi à superiotibus Regularibus Vicarij perpetui, vel amoviles deputandi ab Episcopo, qui ipsis congruam fructuum portionem assignabit. *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 7.*

39 3. Principalitèr beneficia dividuntur in *collativa*, seu *libera*, in *electiva*, & in *patronata*. *Collativa*, seu *libera* sunt, quæ à Prælato, nulla præcedente electione, presentatione, vel nominatione, liberè conferuntur. Et hæc assignatio collatio dicitur, & quia libere fit, donatio appellatur. *C. 5. de Concess. prebend. C. 4. de Donation.* Et in dubio beneficium præsumitur collativum, potius quam electivum, seu patronatum: cum hæ qualites electionis, & patronatus sint beneficijs extrinsecæ. Beneficia *electiva* sunt, quæ per suffragia Capitularium obtinentur, accedente superioris confirmatione, ut Episcopatus. *Patronata*, seu *mixta* sunt ea, in quibus ad Patroni præsentationem præsentatus institui debet a Prælato Ecclesiastico, cui præsentatio fit. 4. Beneficia alia sunt, *patrimonialia*, alia *non patrimonialia*; *patrimonialia* sunt, quæ a majoribus ex proprio patrimonio sunt fundata, ea conditione, ut conferantur descendentibus, vel quia Clericis ex certa Patria conferenda sunt, quamdiù tales digni inveniantur, & sic in Nostra Hispania beneficia Ecclesiastica, etiam Episcopatus, non conferuntur, nisi Hispanis: imò, & in aliquibus Diœcesibus solum conferuntur beneficia in illa Diœcesi natis. *L. 14. & seqq.*

seqq. tit. 3. *lib.* 1. *R. C.* Cætera verò beneficia, quæ hac qualitate carent: *non patrimonialia* dicuntur, & talia præsumuntur in dubio quælibet beneficia, cum illa qualitas ipsis extrinseca sit.

40 5. Beneficia alia sunt *compatibilia*: alia *incompatibilia*. Illa sunt quæ simul obtineri, & retineri possunt, quia vel nullam, vel non incompossibilem residentiam exigunt. Et quidem aliqua beneficia compatibilia esse, satis clare supponitur in *C.* 7. *de Rescrip. in* 6. *Trid. sess.* 7. *de Ref. cap.* 4. Si enim utrumque beneficium simplex sit, & neutrum sufficit ad sustentationem, & aliundè non requirunt residentiam incompossibilem, nec sunt sub eodem tecto, tunc utrumque potest impetrari, & retineri simul, dum tamen sint disformia, hoc est, quod distincta onera, & officia habeant. Et quidem sine speciali dispensatione, cum hæc à jure concedatur. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 17. *L.* 4. *tit.* 16. *p.* 1. Si vero unum ex beneficijs sufficiens sit, non potest ipsi adjungi aliud beneficium, etiam insufficiens, cum Trid. solum unum beneficium permittat, quando illud est sufficiens ad congruam sustentationem. Hinc si habens beneficium fiat Episcopus in partibus infidelium, simul cum Episcopatu retinet primum beneficium, ut eo possit congruè sustentari. Deindè si Episcopus, vel Canonicus fiat Cardinalis, simul cum Cardinalatu retinet Episcopatum, vel præbendam. *Incompatibilia* sunt, quæ simul obtineri, nec retineri possunt, saltem sine Pontificis dispensatione. *C.* 7. *de Rescript. in* 6. *Trid. sess.* 7. *de Ref. cap.* 4. Et quidem, saltem olim, quædam dicebantur incompatibilia in primo genere, quæ scilicèt sibi invicem in eodem subjecto, ita adversantur, ut secundo obtento ipso jure vacet primum. Alia sunt incompatibilia in 2. genere, quæ scilicèt, quamvis licitè in eodem subjecto, non compatiantur, secundo tamen obtento, non vacat ipso jure primum. Hodie tamen ex *Trid. sess.* 7. *de Ref. cap.* 4. omnia beneficia, etiam simplicia, sunt incompatibilia in primo genere. *Barbos. in C.* 28. *h. t. n.* 7. *Garc. de Benef. p.* 11. *cap.* 5. *ex n.* 83. & *alij*, contra *Laym. Theol. Moral. L.* 4. *tr.* 2. *cap.* 8. *n.* 3. *Navar.* & *alios*.

41 Incompatibiles ergo sua natura sunt duo Episcopatus, Abbatiæ, Vicariæ perpetuæ, vel alia beneficia curata. *C.* 3. V. *Sed*, & *hoc.* 10. *q.* 3. *c.* 1. 21. *q.* 1. quia residentiam requirunt, & nullus simul esse potest in duabus Ecclesijs. *L.* 3. *tit.* 16. *p.* 1. Nisi forte unum beneficium curatum sit in Titulum, alterum in commendam, vel duo sint unita, vel unum sit curatum actu, aliud habitu tantum. *L.* 4. *tit.* 16. *p.* 1. *Gonz. in C.* 28. *h. t. Barb. de Jur. Eccles. L.* 3. *cap.* 13. *n.* 172. Nec duo beneficia regularia possunt ab eodem Religioso, vel Canonico, seu Clerico Regulari, simul obtineri. *C.* 32. *h. t. in* 6. Vel in uno, vel in diversis Monasterijs: etiam ejusdem Ordinis. Similiter incompatibiles sunt duæ Dignitates, vel personatus. *C.* 54. *de Elect. C.* 28. *h. t. Extr. Execrabilis. Joannis XXII. eod.* non solum in eadem, sed, & in diversis Ecclesijs, quia de jure perpetuam exigunt residentiam. Similiter in eadem Ecclesia, seu sub eodem tecto, non potest quis duo beneficia simplicia uniforma obtinere, id est, quæ idem onus, & officium habeant. Sic non potest idem obtinere duos Canonicatus. *C.* 28. *h. t. C.* 9. *de Concess. præbend. Clem. fin. h. t.* nec jure accessionis. *Clem. fin. h. t.* Imò per secundi adeptionem vacat primum beneficium: quod statutum est, ne minuatur numerus Ministrorum Ecclesiæ, ac proinde cultus Divinus, cum nullus possit bis psallere, nec aliud officium eodem tempore, & loco bis præstare, & quia hoc ex ambitionis, & avaritiæ radice oriri videtur, & dissolutioni causam præbet. Et hac ratione non valet contraria consuetudo. *C.* 1. *de Consuet. in* 6. Hodieque uno verbo dicendum est, quod nullus potest simul obtinere plura beneficia, etiam simplicia, si ex se sufficiant ad congruam sustentationem. *C.* 5. *c.* 13. *c.* 28. *h. t. L.* 3. *tit.* 16. *p.* 1. Quæ quidem prohibitio aliquando à Jure Naturali, aliquando à Jure Divino, aliquando tandem à Jure Positivo oritur. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 17.

42 Prætextu consuetudinis, etiam juratæ, vel immemorialis non potest quis nisi unicum personatum, dignitatem, vel aliud perpetuum officium, simul cum Canonia, & præbenda in aliqua Ecclesia, absque dispensatione Sedis Apostolicæ obtinere: vel jam obtenta retinere, & quod contra fit, est omninò irritum. *C.* 1. *de Consuet. in* 6. quia corruptela est censenda talis consuetudo, cum ex radice ambitionis, & avaritiæ procedat, & ad Divini cultus diminutionem tendat, & quia unum officium vix digne valet aliquis adimplere, ut dicitur in *C.* 3. *de Cleric. non resident.* Nec ex consuetudine potest quis simul obtinere plura beneficia curata, etiam in diversis Ecclesijs. *C.* 28. *h. t.*

Nisi,

Nisi, vel per privilegium Pontificis, vel per consuetudinem immemorialem, possit quis uni ex eis Ecclesijs per Vicarium deservire, nec esset obligatus ad personalem residentiam: tunc enim nulla esset incompatibilitas. Consuetudine tamen potest induci, ut idem in eadem Ecclesia obtineat Canonicatum præbendatum simul cum dignitate, vel personatu, vel officio. *C. 7. de Rescript.* & sic est declaratum *à S. Congreg. Garc. de Benef. p. 11. cap. 5. n. 245.* Similiter ex consuetudine potest quis plura simplicia habere beneficia, etiamsi residentiam requirant Jure Communi, quia per consuetudinem tolli valet hujusmodi obligatio, cum à Jure Positivo tantum proveniat. *Garc. de Benefic. p. 3. cap. 2. n. 197.*

43 Principes Sæculares, licet possint beneficia conferre ex Pontificis privilegio, non tamen extenditur tale privilegium ad dispensandum in pluralitate beneficiorum, ac proinde non possunt uni plura conferre beneficia, nisi hoc specialiter eis concedat Romanus Pontifex. Quippè qui habet plenissimam potestatem dispensandi in beneficiis, ut quis possit, vel duo, vel plura obtinere, sivè simplicia, sivè curata, difformia, vel uniformia, vel sub diverso, vel sub eodem tecto, vel personatus, vel Dignitates, vel Episcopatus, vel quomodocumque sint. *C. 28. h. t. C. 2. eod. in 6. l. 3. tit. 16. p. 1.* Tres quidem enumerantur causæ justæ ad dispensandum in pluralitate beneficiorum, ex *C. 17. 1. q. 6.* 1. est Ecclesiæ necessitas, si scilicèt desint Ministri. 2. est utilitas Ecclesiæ, si aliquis magis profuturus credatur Ecclesiæ sua authoritate, prudentia, vel doctrina, etiam absens, quam alius præsens. 3. est meritorum prærogativa, sic dispensatur per Sedem Apostolicam circa personas sublimes, & litteratas. *C. 28. h. t. l. 3. tit. 16. p. 1.* Circa Cardinales, & filios Regum *Extr. Execrabilis. Joan. XXII. h. t.* Si Papa sine justa causa dispenser, facit Illicitè, quia non Dominus, sed administrator beneficiorum est, facit tamen validè, quia taliter provisus nullo prorsus jure est inhabilis ad illa, ut tenent *Gonz. in C. 28. h. t. n. 4. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 34. n. 152.* contra *Azor p. 2. l. 6. c. 12. q. 7.* Taliter provisus, licet peccasset petendo dispensationem, potest beneficia licitè retinere, quia accepit ab eo, qui sciens, ac prudens illa contulit, & legitimè poterat conferre, & solum ea sunt collata contra justitiam distributivam, quæ non obligat ad restitutionem; sic *Sanch. lib. 2. Cons. cap. 2. dub. 6.* contra *Lessium ubi supr. num. 151.* Dispensatio in pluralitate beneficiorum est odiosa, ac proindè strictè interpretanda est, solumque comprehendit expressè concessa, & ea, quæ necessario cum concessis connectuntur; *arg. L. 2. ff. de Jurisd.* Hinc, si in provisione alicujus beneficij adjiciatur hæc clausula: *Non obstante, quod jam aliud beneficium habeat.* Non censetur dispensatum, ut duo beneficia retineantur, sed solum operatur, quod impetratio secundi beneficij nullo modo censeatur subreptitia. *C. 21. b. t. in 6.* Et qui petit dispensationem super beneficiorum pluralitate, debet mentionem facere de beneficio prius obtento, licet modicum sit, alias dispensatio, ut subreptitia erit ipso jure nulla. *C. 21. b. t. in 6.* Episcopus potest uni duo beneficia simplicia conferre, quando eis indiget provisus ad congruam sustentationem, sed si duo non sufficiant, non potest conferre tertium absque dispensatione Apostolica, ut est declaratum apud *Gallem. ad Trid. sess. 24. de Ref. cap. 17. n. 3.* Nec potest Episcopus in pluralitate beneficiorum, Jure Communi incompatibilium, dispensare, cum inferior in jure Superioris dispensare non valeat. *C. 16. de Major. & Obed. L. 3. t. 16. p. 1.* Nisi in casu magnæ necessitatis, vel publicæ, & evidentis utilitatis, si Pontifex adiri nequeat, & sit periculum in mora. *Gonz. in C. 28. h. t. Greg. Lop. in l. 3. tit. 16. p. 1. Gloss. fin.* In nostra Hispania consuetudine introductum est, ut possit Episcopus uni plura conferre beneficia, etiamsi alterum ad congruam sustentationem sit sufficiens. *Gonz. in C. 28. h. t. Garc. de Benefic. p. 1. cap 19. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 62.* Capitulum Sedevacante, cum tantum habeat jurisdictionem necessariam, non potest in beneficiorum pluralitate, quæ non est necessaria dispensare, nec Vicarius Generalis sine speciali commissione Episcopi. Legatus tamen à latere in sua Provincia potest dispensare eodem modo, ac Episcopus in sua Diœcesi.

44 Ad cognoscendum, quomodo vacent beneficia incompatibilia, est necessarium varias circa hoc dispositiones in jure distinguere. Olim etenim ei, qui duo beneficia incompatibilia obtinebat, dabatur optio, ut retineret, quod vellet, & alterum dimitteret. *C. 7. c. 14. h. t.* Posteà sublata prædicta optione ille qui obtento secundo, non dimittebat primum, eo privatur per judicis sententiam. *C. 3. de Cleric. non resident.* Posteà in Concilio Lateranensi sub *Innoc. III. in c. 28. h. t.* fuit statu-

tutum, quod si habens, vel beneficium curatum, vel personatum, aliud simile reciperet, vacet primum ipso jure: quod si contendat illud retinere, utroque privetur, & ille ad quem beneficij curati collatio spectat, licitè confert statim, ac institutus aliud recepit. Et si intra sex menses non conferat, devolvitur ad alium collatio, & illi Ecclesiæ cujus est beneficium, de suis proventibus tenetur dare tantum, quantum à tempore vacationis ipsius perceptum fuerit. *L. 3. tit. 16. p. 1.* Posteà tamen adhuc aliquid denuo fuit statutum in *Extrav. un. Joann. XXII. h. t.* Ubi statuitur, quod ille, qui habuerit Dignitatem, personatum, vel beneficium curatum, si aliud simile receperit, quam prius possessionem habuerit, vel per eum steterit, quominùs habeat, primum, quo est ipso jure privatus, resignare coram Ordinario teneatur, alias utrumque perdit, & inhabilis fit ad Sacros Ordines suscipiendos, & ad quodcumque beneficium habendum. Et denique *in Trid. sess. 7. de Ref. cap. 4.* statuitur, ut is, qui duas dignitates, personatus, aut beneficia curata, simul retinere, præsumeret, non solum primo, sed & secundo privetur ipso jure: sed est notabile discrimen; nam quamvis secundi titulus sit amissus, possessio tamen retineri potest, donec causa cognita, ejus possessor per sententiam declaretur beneficio secundo privatus. *Less. de Just. l. 2. cap. 34. n. 143.* Quia vacatio secundi est introducta in pœnam retentionis indebitæ, non ob incompossibilitatem utriusque. Primum verò, obtento secundo, ita amittitur, ut non sit necessaria sententia: nam in *Extrav.* expressè dicitur, *quod vacet, & possit statim alteri conferri sine ulla sententia*, & non loquitur, sic de secundo, quia ejus privatio non est pœna: ac proindè non indiget sententia: sed est resolutio primæ collationis. Illis verò, qui tempore Concilij duas Parochias obtinebant, concessum fuit, ut una retenta, alteram intra sex menses dimitterent. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 17.* Ut ergo primum beneficium per secundi incompatibilis adeptionem, ipso jure vacet, requiritur. 1. Quod utrumque sit collatum in perpetuum, sive in titulum, sive in commendam: si verò unum beneficium sit datum in titulum; aliud verò in commendam temporalem, neutrum vacat. *C. 15. de Elect. in 6.* Hinc per Vicariatus Episcopi adeptionem, non vacat Præbenda, vel Dignitas, cum Vicarius ad nutum amoveri possit. 2. requiritur, quod secundum beneficium non tantum sit collatum, & acceptatum, sed & pacificè possessum, vel sit penes beneficiarium quominùs pacificè illud possideat, & licet attento juris rigore, à pacifica possessione secundi beneficij vacet primum, quoad titulum. *C. 28. h. t. in 6.* Tamen de æquitate Canonica non vacat, quoad possessionem, nisi post duos menses à die possessionis acceptæ numerandos, ac proindè solum post duos menses tenetur Clericus beneficium dimittere: quod si secundum litigiosum sit, non vacat primum, vel si in limine possessionis turbatus sit beneficiarius, non solum de jure, sed etiam de facto, vel si incontinenti, scilicèt intra annum, vel ut alij melius sentiunt, intra duos menses lis superveniat. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 13. n. 173. Garc. de Benef. p. 11. cap. 5. n. 123.* Si vero primum sit litigiosum per pacificam adeptionem secundi vacat primum. *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 34. n. 141.*

45 Potest tamen Beneficiarius duo beneficia retinere ex Pontificis dispensatione. Similitèr potest obtinere sine aliqua dispensatione beneficium, cui aliud beneficium accessorium est; nam tunc, non duo, sed unum beneficium habere censetur. *C. 6. h. t. in 6.* Quando quis calore iracundiæ impetravit secundum beneficium incompatibile cum primo, in quo institutus fuit, si posteà pœnitentia ductus renuntiet secundo non vacat primum; *arg. C. 21. de Pœnit. D. 1.* Similitèr non vacat primum, si Episcopus primi beneficij nolit habere ratam collationem secundi. Nam Clericus nequit sine sui superioris licentia beneficio renuntiare, etiam indirectè, acceptando, scilitèt, secundum sine sui Prælati licentia, nec hic tenetur ratam habere renuntiationem. *C. 4. de Renunt.* 3. debet habere Beneficiarius pacificam possessionem, non tantum quoad titulum, seu exercitium officij beneficio secundo annexi, sed etiam fructuum, & bonorum beneficij, aut majoris partis illorum: alias non censetur perfectè beneficium obtinere, ac proindè non vacat primum, quousque Beneficiarius fructus secundi beneficij percipiat. *C. 26. h. t. in 6. Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 13. n. 174.*

46 Episcopus, vel Collator intra sex menses computandos, non à die vacationis primi beneficij per pacificam possessionem secundi, sed à die notitiæ vacationis. *C. 5. de Concess. præbend.* potest conferre primum beneficium irrequisito possessore, illum tamen, cui contulerit, non debebit primo possessore non vocato, cum for-

forsan ei jus retinendi possit competere, in possessionem ipsius inducere corporalem. *C. 28. h. t. in 6.* Quæ cognitio de plano, & sine figura, & strepitu judicij debet fieri. *Cl. 2. de Judic.* Circa vacationem beneficiorum in specie tenendum est, quod per Episcopatus adeptionem (qui non sit Titularis) si Episcopus sit confirmatus, & consecratus, & pacificam administrationem adeptus, omnia beneficia, etiam simplicia, imò & pensiones vacant. Si vero Episcopo conferatur Abbatia, vel aliud beneficium, non vacat Episcopatus, sed est nulla secundi beneficij collatio: siquidem Episcopatus sine Papæ licentia deseri nequit. *C. 2. de Translation. Episcop.* Et in materia odiosa Episcopatus nomine generali Dignitatum non comprehenditur. *C. 28. h. t.* Obtento secundo beneficio habente curam animarum, sive in foro interno, ut beneficium Parochiale, sive in foro externo, ut Archidiaconatus, vel Decanatus Cathedralis, vacat beneficium curatum prius obtentum. *C. 28. h. t. in 6. Cl. 3. eod.* Idem est, quando quis consequitur beneficium curatum cum Dignitate personatu, vel officio sine cura: vel duas Dignitates, vel personatus, aut officia sine cura; nam per secundi adeptionem ipso jure vacat primo obtentum. *C. 28. h. t.* Per secundi beneficij, etiam simplicis, adeptionem vacat prius obtentum in eadem Ecclesia uniformè. *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 4.* Per adeptionem secundi beneficij simplicis, quod ratione residentiæ est, compatibile cum primo, etiamsi utrumque sit ad sustentationem sufficiens, non vacat primum ipso jure, licet beneficiatus debeat eo ab Ordinario privari. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 62. n. 3.* Imo juxta *Lessium de Just. lib. 2. cap. 34. n. 144. & alios*, per adeptionem secundi beneficij simplicis in compatibilis cum primo, non vacat ipso jure primum; attamen tenendum est, ipso jure vacare; *ex Trid. sess. 7. de Ref. cap. 4.* ubi extendit constitutionem. *C. 28. h. t.* ad quæcumque beneficia incompatibilia. *Barb. in cap. 28. h. t. n. 7. Pignatel. tom. 10. consult. 156. n. 10. Garc. de Benef. p. 11. cap. 5. à n. 83.* Per tertij, vel quarti beneficij adeptionem illegitimam, hoc est, factam sine Pontificis dispensatione vacant ipso jure omnia beneficia prius obtenta; *arg. Cl. 3. h. t.* Etiamsi talis collatio sine dispensatione facta nulla sit. *C. 3. de Offic. Ord. in 6. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 17.* Si alicui duæ Parochiæ, vel Dignitates simul collatæ sint; ita ut nesciri possit, cujus possessionem prius adeptus

quisierit, cum neutrum sit certò primum, nec secundum; nullum vacat, sed datur optio beneficiario, ut eligat, quod maluerit. *C. 7. h. t.*

47 Et quia solet accidere, quod ob justas causas, aliquando beneficia uniantur; aliquando dividantur, & aliquando dismembrentur, idcircò de unione, divisione, & dismembratione beneficiorum hic agere oportet. *Unio* ergo est duorum, vel plurium beneficiorum, Dignitatum, personatuum, vel etiam Episcopatuum annexio ab Episcopo, vel alio legitimo superiore facta. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 29. n. 145.* Unio est duplex, alia *perpetua*, alia *temporalis*. *Perpetua* est, quæ expressè fit, ut perpetuò duret. *C. 33. h. t.* Vel si fiat ad perpetuam rei memoriam, vel ad beneplacitum Sedis Apostolicæ. *C. 5. de Rescr. in 6.* Vel contemplatione Ecclesiæ, quæ nunquam moritur. Et in dubio perpetua præsumitur: nam tantum perpetua est propriè unio. *Temporalis* est, quæ fit ad vitam ejus, in cujus favorem fit, quo mortuo finitur, & hæc potius est dispensatio, ut quis duo beneficia habeat, quam unio beneficiorum. Beneficiorum, vel Ecclesiarum unio tribus modis fit. Primus modus, & quidem usitatissimus est, quando una Ecclesia, vel beneficium alteri tanquam superiori subjicitur, & unitur tanquam accessorium; ac proindè minus dignum digniori uniri debet. Et sic in dubio beneficia præsumuntur unita; *arg. C. 3. de Consecrat. Eccles. L. 4. ff. de Rei vindicat.* Non tamen debet uniri beneficium dignius minus digno, nisi à Pontifice de plenitudine potestatis. Hæc unio censetur facta, quando in rescripto apponuntur hæc, vel similia verba: *Ecclesiam, vel beneficium S. Petri unimus, annectimus, vel incorporamus Ecclesiæ S. Mariæ.* Præcipuus hujus unionis effectus est, quod beneficium unitum, quasi extinguatur, & assumit naturam, & qualitates beneficij, cui adhæret: v. g. Si Ecclesia principalis est exempta, accessoria fit etiam exempta. Si non exempta est, licet accessoria exempta esset, non exempta redditur, si Ecclesia Parochialis Dignitati, vel Canonicatui sit unita, sufficit præcisè ad eam obtinendam ætas ad Dignitatem requisita. Sed tunc debet ad Parochiam Vicarius competens assignari. Si Ecclesia Sæcularis Regulari uniatur, vel è contra: Ecclesia unita induit pricipalis naturam, & in beneficij impetratione solùm principalis debet fieri mentio, non verò accessorij.

48 2. Quando duo beneficia Ecclesiæ uniun-

uniuntur principalitèr, quin unum alteri subjiciatur, tunc ex duobus unum coalescit, quod utriusque privilegia complectitur, vel si contraria sint, utriusque privilegia retinet favorabiliora. *Garc. de Benefic. p.* 12. *C.* 2. *num.* 7. Sed hic modus uniendi beneficia infrequens est. 3. Si duæ Ecclesiæ Cathedrales, vel Parochiales æquè principalitèr uniantur, ita ut neutra alteri subjiciatur, & quælibet suum titulum, privilegia, & qualitates retineat, sub eodem tamen Episcopo, vel Rectore, ut in *C.* 1. *Ne Sedevacante.* Et censentur beneficia, vel Ecclesiæ æquè principalitèr unitæ, quando in rescripto dicitur: *Unimus Ecclesias S. Petri, & S. Mariæ.* Redditus quoque manent distincti, nec unius Canonici sunt Canonici alterius Ecclesiæ. Quando tamen electio fit, ab omnibus simul fieri debet, si utraque sit patronata, patroni unius fiunt patroni alterius, & a majori parte eorum præsentatur beneficiatus ad ipsas Ecclesias, nec una sine altera potest conferri, vel resignari; quod si alia sit incompatibilis cum aliquo beneficio, hoc vacat obtenta utraque Ecclesia unita. Si ad diversos Episcopos, vel Collatores pertineant, utriusque Episcopi, vel Collatoris consensus ad collationem, vel confirmationem requiritur, & in impetratione debet utrinsque fieri mentio. Quando dubitatur, an unio æquè principalitèr, vel minus principalitèr sit facta, præsumitur unio æquè principalis; nam cùm unio sit odiosa, & contra Jus Commune. *C.* 3. *h. t.* Debet præsumi ea, quæ minus præjudicet Ecclesiæ, qualis est unio æquè principalis. *Pignatel. t.* 1. *cons.* 223. *num.* 13.

49 Beneficia possunt uniri Capitulis Cathedralium, Monasterijs, vel Collegijs. Et quidem 1. *plenissimo jure*; ita ut non solum, quoad temporalia, & spiritualia sit Populus subjectus Capitulo, Monasterio, vel Collegio, sed etiam sit exemptus à jurisdictione Episcopi in spiritualibus. Et ... potest Capitulum, Monasterium, vel Collegium, cum jurisdictione, quasi Episcopali gaudeat, independentur ab Episcopo, Presbyteros instituere in Ecclesia unita, & destituere, eos visitare, & ab eis exigere rationem administrationis. *C.* 21. *de Privileg.* Et hæc unio solum à Papa potest fieri. 2. Ecclesia Parochialis potest uniri Capitulo, vel Monasterio *pleno jure*, hoc est, quoad spiritualia, & temporalia, debet tamen Prælatus Ecclesiæ principalis Vicarium idoneum Episcopo præsentare, ut ab ipso examinetur, & instituatur in Ecclesia unita, & talis Vicarius, sive perpetuus, sive temporalis, sive Clericus, sive Religiosus Ordinis exempti est subjectus Episcopo, quoad curam animarum, & potest ab eo corrigi, & visitari. *C.* 16. *de Privileg. Trid. sess.* 25. *de Reg. C.* 11. 3. Potest fieri unio, quoad temporalia tantum, & tunc Capitulum, vel Monasterium, nullum jus in Populum, beneficiariumvè obtinet, præter jus percipiendi redditus, relicta congrua portione illi, qui beneficium in spiritualibus administrat. Et in dubio præsumitur unio tantum quoad temporalia facta, quia sic est minus præjudicialis. In beneficijs non plenissimè unitis debet poni ab Episcopo Vicarius, & quidem Ordinariè perpetuus, nisi aliter Episcopo pro bono Ecclesiarum regimine expedire videatur. *Trid. sess.* 7. *de Ref. cap.* 7. Sed tenetur Episcopus ponere Vicarium temporalem, quando beneficium est unitum Monasterio Monachorum, vel Mendicantium. *Pius V. in Const. Ad exequendum* 1567. & in alijs casibus *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 172. *n.* 190. *Sanch. in Dec. lib.* 7. *cap.* 22. *n.* 191.

50 Romanus Pontifex potest quæcumque beneficia majora, vel minora unire, etiam Cathedrales, & Metropolitanas Ecclesias. *C.* 8. *de Excess. Prælat.* cum in eis plenissimam habeat potestatem. *C.* 2. *h. t. in* 6. Episcopus potest Ecclesias, & beneficia suæ Diœcesis, suæ jurisdictioni subjecta unire perpetuò; non ad tempus, quia tunc potius, quam unio est dispensatio, quæ solùm ad Pontificem pertinet. *Trid. sess.* 7. *de Ref. cap.* 4. *Et sess.* 24. *cap.* 17. *Sanch. in Dec. lib.* 7. *cap.* 29. *num.* 152. potest ergo unire Ecclesiam Sæcularem Sæculari, vel Regulari, quamvis exemptæ, dum unita non sit exempta, sed Episcopi jurisdictioni subjecta. *Cl.* 2. *de Rebus Eccles. non alien. C.* 4. *de Donation.* Si beneficia sint Papæ reservata, vel ad ipsum devoluta, non potest ea Episcopus unire, donec per mortem, vel vacationem, vel cessionem beneficiarij redeant ad Episcopum. Quod si alicujus viventis beneficium uniat, solum post mortem, vel cessionem beneficiarij unio sortiatur effectum, imò hac unione non obstante, potest beneficiarius illud in favorem tertij resignare. *Garc. de Benefic. p.* 12. *cap.* 2. *n.* 214. Si Episcopus uniat beneficium super quo aliquis habet expectativam, non sortitur effectum, nisi post cessionem, vel privationem, vel obitum expectantis. *Sanch. in Decal. lib.* 7. *cap.* 29. *n.* 50. *Azor, & alij.* Non tamen potest Episcopus unire bene-

fi-

ficia Parochialia Monasterijs, Abbatijs, Dignitatibus, vel præbendis alicujus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, seu alijs beneficijs simplicibus Hospitalibus, sive Militijs. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 13. Imò neque pars fructuum ex Parochijs, potest sine licentia Papæ talibus Ecclesijs applicari, ut colligitur ex *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 16. *de Benef. p.* 12. *cap.* 2. *n.* 57. Nec potest Episcopus beneficium unire suæ mensæ, vel mensæ Capituli, etiam de Capituli consensu. *Clem.* 2. *de Reb. Eccles. non alien.* nam sic Episcopus, & Capitulum in proprio facto authoritatem præstarent, nisi aliter habeat consuetudo, vel si unio fiat ipsis præbendis distributivè acceptis: vel quando solum indirectè cederet unio in Episcopi, vel Capituli utilitatem: v. g. si Seminario Clericorum, vel fabricæ Ecclesiæ fieret unio: nam in his casibus Episcopus eam facere posset. Nec potest Episcopus beneficia liberæ collationis patronatis unire, ita ut eis subjiciantur. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 9. nisi patronus juri patronatus renuntiet, licet hæc unio sit necessaria ad congruam dotem alicujus Parochiæ, vel si inducatur alternativa, ut beneficium una vice conferatur libere, & altera vice ad patroni præsentationem. *Franc. Leo Thesaur. For. Eccles. p.* 2. *cap.* 16.

51 Archiepiscopus in sua Diœcesi potest beneficia unire, non vero in suffraganeorum suorum Diœcesibus. *C.* 8. *de Excessib. Prælat.* quia in eis non habet jurisdictionem. *Barbos. de Jur. Eccl. lib.* 3. *cap.*16. *n.*58. *Sanch. in Decal. lib.*7. *cap.*29. *n.* 156. Prælati Episcopo inferiores, si jurisdictionem, quasi Episcopalem habeant in Ecclesias sibi subjectas possunt beneficia unire, secus si non habeant. *Sanch. in Dec. lib.* 7. *cap.*29. *ex n.*156. Legati nati possunt unire beneficia suæ Diœcesis. Legati missi, cum non possint conferre beneficia. *C.* 1. *de Offic. Legat. in* 6. Nec ea unire possunt, cum magis præjudicetur Episcopo per unionem, quam per unicam collationem. *Sanch. in Dec. lib.* 7. *cap.* 29. *n.* 158. Legati à latere, cum in Provincia sibi demandata potestarem concurrentem, etiam quoad collationem cum Episcopo habeant. *C.* 1. *de Offic. Legat. in* 6. possunt beneficia in perpetuum unire, non verò ad tempus. *Garc. de Benefic. p.* 12. *cap.* 2. *n.* 65. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 66. *n.* 12. *Sanch. in Dec. lib.* 7. *cap.* 29. *n.* 158. & *alij*, negant tamen *Joann. Andreas Host.* & *alij.* Vicarius Generalis Episcopi, sine speciali commissione Episcopi, non potest unire, sicut non potest beneficia conferre. *Sanch. in Dec. lib.* 7. *cap.* 29. *n.* 153. Capitulum Sedevacante, licet non possit beneficia conferre, cum hoc voluntatis, & liberalitatis sit, potest tamen beneficia unire, quod necessitatis est; *arg. C. un. de Major. & obed. in* 6. Et quidem ea ipsa, quæ alioquin Episcopus posset unire, si per unionem juri Episcopali non derogetur, nec Capitulum sibi, vel suæ mensæ talem unionem faciat. *Garc. p.* 12. *cap.* 2. *n.* 68. *Barb. alleg.* 66. *n.* 5. Beneficium regulariter solum est uniendum alij beneficio: potest tamen etiam uniri Hospitalibus, Seminarijs, vel alijs Collegijs pijs, in eorum dotem, augmentationem, vel conservationem pro fidei propagatione, vel juventutis in litteris instructione. Et quidem beneficia unienda debent esse simplicia. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 18. Non vero curata, *ex Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 13. Nisi accedat licentia Pontificis. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 16. Beneficium unius Diœcesis non est uniendum cum alterius Diœcesis beneficio. *Trid. sess.* 14. *de Ref. cap.* 9. Nec unius Regni cum beneficio alterius Regni, sine ejus Regis consensu.

52 Ut ergo beneficiorum unio legitimè instituatur debet aliqua cognitio circa veritatem causæ præcedere ad unionem, exprimendusque est annuus valor utriusque beneficij secundum communem æstimationem, si à Papa, vel ejus Legato, qui beneficij valorem ignorant, fiat unio: secus si unio, fit facienda ab Ordinario. Et vocandi sunt hi, quorum interest; *arg. C.* 29. *de Reg. jur. in* 6. *Sanch. in Dec. lib.* 7. *cap.* 29. *n.* 164. Ad faciendam unionem beneficiorum ab Episcopo requiritur, quod accedat consensus Capituli Cathedralis Ecclesiæ: *Cl. fin. de Reb. Eccles. non alien.* qui quidem consensus, non sigillatim præstari debet, sed ab eis simul in unum congregatis. *C.* 8. *de His, quæ fiunt à Prælat.* Debet insuper accedere consensus Abbatis, seu alterius inferioris Prælati, ad quem administratio, vel collatio alias pertinet: & si beneficium patronatum est, consensus patroni, cum ipsis per talem unionem præjudicium generetur. *Trident. sess.* 24. *de Ref. cap.* 15. Sed sufficit, si Patroni, vel Prælati inferioris consensus unionem subsequatur. *Sanch. in Decal. lib.* 7. *cap.* 29. *n.* 165. & *seqq.* Quod si hi injustè consentire recusent, poterunt à Pontifice compelli. Vel ipsis invitis fieri unio ab Episcopo poterit, si necessitas evidens sit. Non verò requiritur consensus Rectoris Ecclesiæ, vel Defensoris be-

neficij, dum vacat, nec Plebis, nec Domini loci, cum istorum nihil intersit fieri, vel non fieri unionem. Quod si hi unioni se opponant audiendi sunt, & allegationes examinandæ. *Garc. de Benef. p. 12. cap. 2. n. 214. Sanch. in Dec. L. 7. cap. 28. n. 163.* Denique, & quidem præcipuè, ad unionem justa causa requiritur, sine qua unio per Ordinarium facta est nulla, imò, & à S. Pontifice facta; non ob defectum causæ, quia ea non indiget Pontifex ad unionis valorem, est tamen nulla ob subreptionem; nam in rescriptis unionum sub intelligitur clausula: *Si causæ veræ sunt. Garc. p. 12. cap. 2. ex n. 113.* Causæ justæ ad unionem faciendam sunt evidens necessitas, vel magna Ecclesiæ utilitas. *C. 33. h. t.* v. g. Si præbendæ sint adeò tenues, ut non reperiatur qui eas acceptet, ac proindè Ecclesia careat debito servitio. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 5.* Vel si Ecclesia unienda est deserta à Populo propter bellum, vel pestem, vel si ab hostibus est destructa. *C. 2. de Relig. domib.* Vel si non inveniantur alij Clerici magis idonei, qui in Eccesia, præcipuè Cathedrali, servire velint: vel si cultus Divinus manifestè augeatur. Et hac de causa possunt beneficia etiam Monasterijs Religiosorum uniri. *Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 29. n. 161. & alij.*

53 Cum beneficiorum unio sit, quid facti, probari debet ab eo, qui eam factam asserit, vel per litteras unionis, vel his amissis, per testes, vel instrumenta antiqua, in quibus beneficia unita adstruantur; vel ex diuturnitate temporis, vel per confessionem partis, si hæc alijs conjecturis, & adminiculis juvetur, nam licet hæc probatio non sufficiat ad declarandum beneficium unitum, sufficit, ut parti imponatur silentium, ne amplius impugnet unionem. *Garc. p. 12. cap. 2. ex n. 226.* Unio beneficiorum, & Ecclesiarum, semel facta, etiam potest dissolvi, non solum, si necessitas, vel utilitas evidens Ecclesiæ id suadeat, sed etiamsi ratio unionis factæ cesset, vel alia causa supervenìat, quæ causæ unionis prævaleat, & quidem debet dissolvi ab eo, qui eam potuit facere. *Arg. L. 14. ff. de Re judicat.* Sic solus Pontifex potest Cathedralium unionem dissolvere. *Arg. C. 1. Ne Sede vacante.* Episcopus dissolvit unionem beneficiorum, quæ ipsi subjecta sunt, etiamsi talis unio à Papa facta sit, dummodo non sit facta ex plenitudine potestatis, & cum reservatione. Unione ergo dissoluta redit Ecclesia ad pristinum statum, v. g. si erat Regularis, vel Sæcularis, vel sine Cura animarum, ita manet. *Garc. de Benef. p. 12. cap. 2. n. 309.*

54 Unioni beneficiorum opponitur *divisio, seu sectio* beneficij, & ideò de divisione aliquid dicere convenit: Tunc enim dividi beneficium dicitur quando scilicet ex uno beneficio, vel Parochia, vel Canonicatu duo fiunt, ita ut divisis fructibus duo in posterum beneficiati, Parochi, vel Canonici instituantur. Ad divisionem beneficij faciendam debent vocari, & citari illi, quorum interest, & eorum consensus exquiri debet: quod si irrationabiliter consentire nolint, potest Episcopus ipsis invitis divisionem facere. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 4.* Et insuper requiritur, ut Episcopus intendat eligere duos ad duo jura, seu beneficia de novo creata. *C. 25. h. t.* Et quod divisione facta cuilibet portio assignata ad congruam sustentationem sufficiat; alias Episcopus, id, quod deest redintegrare tenetur. *C. 26. h. t.* sine justa tamen causa est prohibita beneficiorum divisio in *C. 8. h. t.* Et quidem unica tantum est causa legitima: nimirum, quod divisione seclusa, non possit satisfieri oneribus, & obligationibus beneficij. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 4.* Quando, scilicèt, Populus ita numerosus est, ut unus Rector non sufficiat Sacramentis administrandis, & Divino cultui peragendo, non verò est causa legitima, quod lis extinguatur, nec quod numerus Parochianorum sit magnus: imò, nec quod ex tali divisione cultus Divinus augeatur. *Garc. p. 12. cap. 4.* Deindè stante morali necessitate, vel evidenti utilitate Ecclesiæ, potest Episcopus *dismembrare* beneficia: hoc est, beneficij unitate manente, partem bonorum, vel fructuum illius alteri beneficio, vel Ecclesiæ, quæ tenues redditus habeat, applicare. *C. 10. h. t. Garc. de Benef. p. 12. cap. 3. n. 1.* Ad quam dismembrationem faciendam est vocandus Rector beneficij dismembrandi; & requirendus consensus Ecclesiæ, cujus beneficium est dismembrandum, vel si Ecclesia, vel beneficium vacet, consensus defensoris illius est petendus. Si beneficium patronatum sit Patroni, si Parochiale Parochiani vocandi sunt, & Capitulum Cathedrale, etiamsi ad ipsum non spectet beneficium, consentire debet. Quando dismembratio fit à Pontifice, vel à Delegato Apostolico sufficit, quod detur causa ad eam faciendam, etiamsi non adhibeantur cæteræ solemnitates Juris Positivi, cum eas authoritas Pontificia suppleat. Quod si redditus sint valdè tenues, & insufficientes supprimi

po-

potest beneficium ab Episcopo, hoc est, totalitèr valet extingui, saltem quando beneficium non est Dignitas. Debet exquiri consensus patroni, & aliorum, quorum interest. *C.* 12. *de Constitut. Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 15. Et cum Concilium dicat: *Liceat Episcopis*, inferunt aliqui, nec Capitulo Sedevacante, nec Vicario, nec alijs Prælatis inferioribus, etiam quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus, id licere.

TIT. VI.

De Clerico Ægrotante, vel debilitato.

55 CUM afflicto non sit addenda afflictio, sed potius ipsius miseriæ sit miserendum. *C.* 2. 7. *q.* 1. *C.* 5. *b. t.* Hinc Clericus, qui in beneficio Ecclesiastico Canonice institutus, & investitus est, ita ut habeat jus in re in beneficio, si ob senium, infirmitatem, vel mutilationem, vel alia causa, etiam ob culpam suam, est factus inhabilis ad officium sui beneficij exercendum, non est eo privandus, imò ei est dandus Coadjutor, qui ejusdem officium præstet. *C.* 3. *c.* 4. *c.* 5. *c. fin. b. t. L.* 18. *tit.* 16. *p.* 1. Ne ejus impedimentum, vel Ecclesiæ sit damnosum, vel periculosum animabus, si beneficium est curatum. *Garc. de Benef. p.* 4. *cap.* 5. *Barb. L.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 10. *n.* 3. Quod si investitus non sit, non obstante collatione, cum collatio facta inhabili sit irrita, debet à beneficio removeri. Aliquando dantur Coadjutores pro tempore, quo beneficiarius laborat infirmitate, vel alio impedimento, & hi dicuntur Coadjutores temporales, & hæc coadjutoria certè non est beneficium Ecclesiasticum. Aliquando dantur in perpetuum, & cum jure successionis, quadam portione ex ipsis beneficijs assignata, ita ut etiam cessante infirmitate, vel impedimento, non cesset Coadjutoris officium: Et hæc coadjutoria, cum sit in perpetuum, est beneficium Ecclesiasticum. *Gonz. in C. fin. b. t. n.* 4. *Garc. & alijs.* Quando verò alicui solum conceditur jus succedendi in beneficium alterius, cum vacaverit, & aliundè beneficiatus nullum hàbet impedimentum ad serviendum beneficio, quin, & ei servit, quin ab alio adjuvetur, ille non est verè Coadjutor, sed Successor. Si Episcopis confirmatis, etiam nondum consecratis, superveniat aliquod impedimentum, vel aliqua infirmitas, quæ sit incurabilis, & perpetua, ut lepra, paralysis, vel alia, ob quam ad officium inhabiles reddantur, non sunt removendi ab Episcopatu, nec cogendi ipsi renuntiare; sed ipsis, etiam invitis, Coadjutor dandus est. *C.* 3. *& seqq. b. t. C. un. b. t. in* 6. Quia vinculum spiritualis conjugij, quod inter ipsos, & eorum Ecclesias intercedit, solus Papa potest solvere. *C.* 2. *de Transl. Episc.* Idem dicendum est de Parochis: nam eis etiam dandus est Coadjutor, nec enim removendi sunt ab officio. *C.* 3. *&* 9. *b. t.* Idem est de alijs, quibuscumque Prælatis Sæcularibus, aut Regularibus, quia nullus debet ab officio suo sine culpa removeri. Ab administratione tamen, & exercitio, cum illud exequi nequeant, omnes prædicti removendi erunt. *C.* 4. *b. t. Suar. de Cens. D.* 51. *sect.* 2. *n. fin. Barb. in C.* 3. *b. t. n.* 2. *&* 3.

56 Si infirmitas sit temporalis, ut febris tertiana, vel alius morbus naturalitèr curabilis, tenetur Parochus temporalem Coadjutorem, donec morbus cessaverit, ab Episcopo approbatum pro animarum cura, constituere. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. Non tamen tenetur admittere Coadjutorem ab alio constitutum. Canonici, qui non tenentur per substitutum deservire, non tenentur Coadjutorem designare, si nequeant personalitèr Choro assistere. *C. un. de Cler. non resid. in* 6. Qui ex beneficio simplici, nulla administratione, jurisdictione, officio, vel cura animarum prædito, solum ad certum numerum Missarum singulis hebdomadis est obligatus; licet Vicarium temporalem, si morbus sit diuturnus constituere teneatur, non tenetur Coadjutorem admittere, utpotè, quo non indiget. Coadjutor perpetuus, id est, qui habet jus succedendi in beneficio per mortem, vel resignationem vacaturo, solum à Pontifice dari potest. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 7. Quia est promissio, & provisio beneficij nondum vacantis, quæ irrita est, si ab alio, quam à Pontifice fiat. *C.* 2. *de Concess. præbend.* Qui utpotè in beneficijs plenissima gaudens potestate beneficiatis potest Coadjutorem, cum jure successionis dare. *C.* 17. 7. *q.* 1. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 21. Et quidem si Episcopo sit constituendus Coadjutor perpetuus cum jure succedendi debet prius causa in Consistorio diligentèr examinari, & regularitèr debent concurrere in Coadjutore, illæ qualitates, quæ in Episcopis à jure requiruntur. Et hoc tantum fit, quando vel necessitas ur-

urget, vel suadet evidens utilitas Ecclesiæ. Si Coadjutor non ad coadjuvandum beneficiato, quia hic adhuc habilis est ad administrationem, sed solum ad succedendum ei in beneficio datus sit; non est necessarium, quod actu habeat ordinem, quem Prælatura, vel beneficium exigit. Nec item est necessarium, quod ipse actu habeat qualitates ad beneficium requisitas, sed sufficit, si tempore à jure requisito eas habeat. Et sic fiunt Coadjutores in Episcopatibus, qui adhuc non sunt Sacerdotes. *Lacr. lib. 4. n. 722.* Si vero Coadjutor beneficiario detur, quia beneficiarius inhabilis est ad suum officium exercendum, Coadjutor, sive perpetuus cum jure successionis, sive temporalis sine successionis jure sit, debet actu habere ætatem, litteraturam, & alias qualitates necessarias ad officij administrationem. *Lacr. lib. 4. n. 722.*

57 Causa, ob quas Episcopo, vel Parocho, vel alijs beneficiarijs assignari potest Coadjutor perpetuus cum jure succedendi sunt. 1. Infirmitas perpetua, & incurabilis, ut amentia, lepra, paralysis, & aliæ hujusmodi. 2. Mutilatio, quæ officium Sacerdotale impediat, vel etsi non impediat ex deformitate notabilem horrorem, vel scandalum pariat. *C. 2. h. t.* 3. Senium, quod aliqui in 70. alij in 60. annis constituunt. *Gonz. in Reg. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 9. n. 84.* Sed hoc secundum beneficiati complexionem considerari debet. 4. Si talis numerositas populi sit, ut ejus administrationi Parochus solus non sufficiat. 5. Defectus sufficientis doctrinæ in Parocho: vel si non intelligat, vel nesciat loqui Parochianorum diversarum Nationum linguas. *C. 14. de Offic. Ordin.* Hujusmodi equidem Parochis, si alias honestæ vitæ sint Coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputari ab Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis permittit. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 6.* 6. Periculum de lapidationis bonorum Ecclesiæ, vel si negligens, & remissus sit in officio suo, vel alias muneri suo inhabilis. 7. Absentia diuturna ex causa necessaria: vel si exul, aut captus ab hostibus sit.

58 Ad solum Papam spectat dare Coadjutorem, etiam temporalem, hoc est, sine jure succedendi, Episcopis, cum hæc sit de majoribus causis, nec consuetudine potest hoc jus præscribi. *C. un. h. t. in 6.* Potest tamen Episcopus senio, vel infirmitate perpetua impeditus, si Papa ob distantiam adiri nequeat, de consensu Capituli sui, vel majoris partis, sibi authoritate Apostolica, unum, vel duos assumere coadjutores, si tamen demens fuerit, tunc Capitulum, aut duæ partes illius (nec sufficit consensus majoris partis Capituli) eligunt unum, vel duos, non plures coadjutores, qui munus Episcopi exerceant, & Papæ, quam citius poterit Capitulum, intimabit Episcopi, & Ecclesiæ conditionem. Et coadjutores habebunt moderatos sumptus de Prælatorum ipsorum proventibus. *C. un. h. t. in 6.* Prælatis inferioribus, & Beneficiarijs possunt Episcopi, vel Prælati, Superiores jus instituendi, & destituendi habentes coadjutores temporales sine jure succedendi dare. *Gonz. in Reg. 8. Canc. Glos. 5. §. 9. n. 36. Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 10. n. 22.*

59 Coadjutorum obligatio est Officium suum, id est, munia, & vices coadjuti exercere diligenter, non excedendo limites sui officij. Item residere in loco beneficij, sicut & coadjutus, uterque enim residere tenetur. *Barb. lib. 3. de Jur. Eccl. cap. 10. n. 31.* Deinde reddere rationem suæ administrationis, etiam durante officio, si ab eo exigatur; vel Episcopo, si sanæ mentis sit, vel Capitulo, vel successori. *C. un. h. t. in 6.* Coadjutore Beneficiario, vel Episcopo dementi, tam spiritualibus, quàm temporalibus datus habet generalem, & liberam potestatem, tum ad beneficia vacantia, in Diœcesi conferenda; tum ad recipiendum eorum resignationes. *Barbos. lib. 3. Jur. Eccles. cap. 10. n. 25.* Quia licet beneficij collatio sit alienationis species, coadjutori permittitur, ne diuturnior vacatio Ecclesiæ, & animabus damnum afferat. Coadjutor perpetuus cum jure succedendi datus Beneficiario, si coadjutus inhabilis ad officij administrationem sit, potest quidem coadjuto invito exercere omnia, quæ sunt jurisdictionis, quoad spiritualia, & temporalia. Si verò coadjutus non sit ad ministerium inhabilis, coadjutor nequit se ingerere in ea, quæ possit, & velit agere coadjutus. *Barb. lib. 3. Jur. Eccles. cap. 10. n. 48.* Coadjutor vero temporalis Episcopo, vel alij Beneficiario seni, vel infirmo, sed mentis compoti datus potest, quæ sunt jurisdictionis, seu ordinis (si illum habeat) exercere: si non sint, vel à jure, vel a coadjuto reservata: nam fines suæ commissionis diligenter servare debet. *L. 5. ff. Mandat.* Habet stallum in choro, vocem in capitulo, potestque in absentia proprietarij administrare, tanquam proprietarius, & gaudet omnibus privilegijs, quæ ratione præbendæ habet coadjutus, aliis-

que

que gratijs, & prærogativis. Et compensare tenetur, si quid negligat, non tamen potest adire: v. g. Chorum, vel Capitulum, si ex justa causa coadjutus invitus sit. Nec possunt coadjutor, & coadjutus simul ministrare in eodem officio, quia uterque unam personam facit. Sic *Garc. & alij cum Lacr. lib. 4. n. 724.* Præterea in rebus arduis tenetur coadjutor consensum coadjuti exquirere. Hinc licet coadjutor possit ob generalem administrationem mobilia non pretiosa, & quæ servando servari non possunt, alienare, non tamen immobilia, vel mobilia pretiosa. *C. un. h. t. in 6.* Nec beneficia liberè conferre potest; hæc enim collatio ad coadjutum spectat, siquidem adhuc retinet titulum, & possessionem Dignitatis, & licet coadjutori non competat eadem sedes, vel prerogativa in Ecclesia, vel Capitulo, quæ principali, ut censuit. *Navar. conf. 2. h. t. n. 5.* tamen præcedit omnes, qui respectu illius sunt inferioris ordinis; v. g. coadjutor Episcopi non præcedit alios Episcopos, si forte ibi sint, præcedit tamen omnes Abbates. Coadjutor Abbatis non præcedit alios Abbates, licet coadjutus eos præcederet, cum ille per se, & jure proprio habeat hanc prærogativam: coadjutores vero jure alieno, & participato. *Garc. de Benefic. p. 4. cap. 5. ex n. 65. Gonz. in Regul. 8. Cancel. Glos. 9. §. 9. n. 101. Lacroix l. 4. n. 724.*

60 Cum nullus suis stipendijs militare teneatur, & qui Altari servit, debeat de Altari vivere coadjutor, qui servit beneficio de redditibus beneficij debet alimenta suscipere, etiamsi ipse alias dives sit. *C. 3. c. 4. h. t. Trid. sess. 21. de Ref. cap. 6. L. 18. tit. 16. p. 1.* ibi: *E deben vevir amos de la renta de la Eglesia.* Reliqui autem fructus beneficij Beneficiato debentur: nam licet ipse sit infirmus, & impeditus non removetur à beneficio. *C. 1. h. t.* sicut militibus debilitatis ad eorum alimoniam prædia assignabantur. *L. 15. §. 2. ff. de Rei vindic. L. 18. tit. 16. p. 1.* ibi: *E este enfermo avrà de las rentas de la Eglesia de que viva, maguer non la sirva.* Imo & distributiones quotidianæ ipsi adquiruntur, si eas ante infirmitatem percipiebat; *arg. C. 3. de Baptism.* secus aliter. Si enim quando sanus erat non percipiebat distributiones, quia forte negligens erat, nec eas, durante ægritudine, capiet. Si enim Clerico ægrotanti, vel impedito fructus negarentur, alijs hoc exemplo deterritis, forte non facilè inveniretur, qui Ecclesiæ vellet militare. *C. 1. h. t.* Si verò fructus beneficij non sufficiant, ad utriusque sustentationem, tunc Parochum, vel Beneficiatium, ut potiori jure gaudentem in beneficio, præferendum esse in fructuum perceptione, tenent aliqui cum *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 10. n. 28.* Sed contrarium tenendum est *ex L. 18. tit. 16. p. 1.* ibi: *E si por aventura aquellas rentas de la Eglesia non podiessen complir amos, halas de tomar aquel que la sirve, è el Obispo debe dàr al enfermo de que vevir.* Hodie tamen coadjutores cum jure successionis dati renuntiant juri petenti alimenta à Beneficiario, & sic expediri Bullas, in quibus jus succedendi conceditur, tenent *Garc. Machad. tom. 2. l. 4. p. 4. & alij.*

61 Mortuo principali, vel naturalitèr, vel civilitèr, nempè deposito, vel resignante, cessat accessorium, id est, temporalis coadjutor. Coadjutoris verò perpetui officium non cessat per principalis mortem, vel resignationem, imo per eam talis incipit esse principalis, & sine nova collatione intrat locum coadjuti, jus plenum in beneficio consequendo: Nam Pontifex in his coadjutorijs collationem facit ex nunc prout ex tunc. *Barb. lib. 3. Jur. Eccl. cap. 10. n. 48.* Si litteræ coadjutoriæ perpetuæ cum jure successionis datæ sint, antequam coadjutus decessisset, vel cessisset, etiamsi nondum ad notitiam coadjutoris pervenissent, succedit coadjuto, quia gratia à tempore datæ sortitur effectum. *Garc. p. 4. cap. 5. n. 132.* Secus, si dentur post coadjuti mortem, cum coadjutoria tribuat jus ad beneficium vacaturum à coadjuto possessum, & quando mors, vel renuntiatio coadjuti gratiam coadjutoriæ præcessit, beneficium nec possidebatur à coadjuto, nec erat vacaturum, sed vacans: ac propterea per ipsam beneficij vacationem jus conferendi fuit quæsitum Collatori Ordinario, in cujus præjudicium non censetur velle Papam beneficium coadjutori conferre. *Garc. Lacr. l. 4. n. 723. & alij.* Hodie in nostra Hispania Episcopis, & Parochis non dantur coadjutores cum jure successionis, sed tantum pro tempore impedimenti. In aliquibus Ecclesijs Cathedralibus viget praxis coadjutorum cum jure successionis, quoad Canonicatus, & Dignitates, etiam quando Canonici coadjuti nulla infirmitate, vel alio impedimento sunt gravati. Et sic vidi Salmanticæ practicari.

TIT.

TIT. VII.

De Institutionibus.

62 INstitutio latè sumitur pro *nominatione*, & *præsentatione*: strictè pro quacumque collatione beneficij, & in hoc sensu dicitur in *C. 1. de Reg. jur. in 6.* Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione Canonica obtineri. Et in hac acceptione duplex est *institutio*, alia *libera*, quæ *collatio* dicitur; alia *necessaria*, quæ proprijssimè dicitur *institutio*. *Collatio libera beneficij est illa, quæ alicui nullum jus ad beneficium habenti, liberè beneficium confertur. Collatio necessaria, seu institutio propriè talis, est illa, qua conceditur beneficium præsentato à Patrono ad beneficium patronatum vacans.* Et profectò, si præsentatus idoneus est, & præsentatio in tempore legitimo sit facta necessariò ipsi debet beneficium conferri. Et ideò institutio, vel collatio necessaria dicitur. Nunc ergo de utraque, sed prius de institutione propriè tali, posteà de libera collatione agendum est. Et quidem patroni præsentatio solum dat præsentato jus ad rem: quod si idoneus sit, nequit à superiore, ad quem pertinet institutio repelli: imò illum instituere debet, & per hanc institutionem ipse adquirit in beneficio titulum, proprietatem, seu jus in re, potestque beneficium administrare. Si tamen sine institutione Canonica beneficium acceptet, & administret, malè faciet, non tamen amittet jus, quod per præsentationem adquisivit, sicut amittit electus, qui ante confirmationem se administrationi ingerit. Hic enim amittit jus, quod per electionem adquisierat. *C. 5. de Elect. in 6.* sed cum hæc constitutio sit pœnalis non debet ad casum præsentationis non expressum extendi; *arg. C. 15. de Reg. jur. in 6.* Ita *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 34. n. 15. & alij* contra *Garc. & alios*. Si non verus Patronus, sed tantum existimatus præsentet, si erat in possessione juris patronatus, & hac bona fide præsentet, Clericus sic præsentatus validè instituitur ab Ordinario, & debet sustineri talis institutio, etsi posteà, lite mota super patronatu, sit victus talis Patronus existimatus. *C. 19. de Jure Patronat.* Sed necesse est, ut constet, Ecclesiam esse Patronatam: non enim aliter admittitur præsentatio, nisi prius doceat præsentans de titulo, & proprietate juris patronatus ex fundatione, vel dotatione, &c. vel ex pluribus præsentationibus tempore immemoriali factis. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9. Garc. de Benef. p. 5. cap. 5. n. 141. & 142.*

63 Si institutio fiat ab Episcopo, neglecto præsentato, vel sine præsentatione, & consensu Patroni, ipso jure est irrita. *C. 32. 16. q. 7.* Et sic intelligendus est *text. in C. 8. de Jur. Patron.* ubi dicitur *irritanda*, quod idem ibi significat, ac *irrita*, & solum erit irritanda de facto, id est, declaranda irrita. Et Patronus potest præsentationem a se factam urgere, vel si adhuc tempus à jure præscriptum non sit elapsum, alium potest præsentare, & si hic secundus instituatur, dummodò dignus sit, etiamsi prior sit dignior, præfertur secundus. Quippè habet jus in re ex intentione adquisitum, si plures sint præsentati ad idem beneficium, præfertur à majori parte præsentatus, si dignus sit; etiamsi à minori parte præsentatus, sit dignior: nam hic censetur omninò non præsentatus. *C. 3. de Jur. Patronat.* Quandò verò præsentati sunt pares in voce, & lapsum est tempus Patronis concessum, digniorem debet Episcopus instituere; *arg. C. 3. & 24. de Jur. Patron.* digni tamen institutio erit valida, sed illicita, cum digniorem debeat instituere Episcopus. Idem dicendum est, quando plures simul, vel successivè ab eodem Patrono Laico præsentantur.

64 Institutionem ergo debet præcedere patroni præsentatio. *C. 8. de Jur. Patr.* Aliter facta nulla est, nisi ex post facto patronus consentiat, imò & si eidem personæ competat jus præsentandi, & instituendi, debet fieri præsentatio, & institutio, si ex diversis titulis procedat: v. g. si Episcopus esset simul Abbas alterius Ecclesiæ, & tanquam Abbati competeret præsentare, & tanquam Episcopo instituere: tunc prius faciet, ut Abbas præsentationem: expedit tamen, quod per Procuratorem præsentet; *arg. C. 11. de Appell. in 6.* Et posteà, ut Episcopus institutionem faciet. Quod si eidem præsentatio, & institutio competat ratione ejusdem Ecclesiæ, vel Dignitatis, tunc unico actu utraque expediri potest. Ante institutionem debent citari omnes quorum interest, per edictum in loco consueto publicè affixum, ut intra terminum peremptorium ibi præscriptum, compareant ut opponant, si quæ opponenda institutioni habeant; *arg. C. fin. de Elect. in 6.* Institutio facta, vel ante terminum præfixum, vel sine affixione edicti, est nulla. *Lacr. L. 4. n. 367.*

n. 367. Et omnes Ordinarij Papa inferiores, etiam Legatus Papæ, hac Lege de edictis ponendis tenentur. Papa tamen, qui Legibus Ecclesiasticis non ligatur, beneficia Patronata providet sine edictorum affixione. Nec item est necessaria edictorum affixio in Diœcesibus, in quibus eorum usus est contraria consuetudine abrogatus. Nec requiritur in collatione libera. *Gloss. fin. in C. fin. de Elect. in 6.* Si elapso tempore competenti præfixo in edicto, & institutione facta, compareat legitimus Patronus, qui jus suum deducere velit, non auditur pro ea vice. Quod si institutio nondum sit facta admittenda est Patroni præsentatio; saltem si edictum ignoravit, vel impeditus fuit, ut tenet *Garc. de Benef. p. 9. cap. 4. n. 14.* contra *alios.* Institutio debet fieri interveniente Ordinarij, vel instituendi jus habentis authoritate. *C. 3. b. t. Trid. sess. 14. de Ref. cap. 13.* Quod si Patronus Laicus præsumat in Ecclesia patronata Clericum instituere excommunicatur. Similiter, & Clericus institutus; imò si persistat in delicto deponitur ab ordine, & ministerio Ecclesiastico. *C. 4. c. 21. de Jur. Patron.* Denique institutio, licet non ex jure scripto, saltem ex consuetudine debet, vel saltem expedit fieri in scriptis, sicut & præsentatio, ad faciliorem probationem. *Lacr. lib. 4. n. 359.*

65 Episcopus confirmatus, etsi consecratus non sit, potest instituere de Jure Communi Clericos præsentatos ad beneficia, quæ in sua Diœcesi sunt. *C. 3. b. t. Barb. l. 3. Jur. Eccles. cap. 12. num. 208. Lacr. l. 8. n. 360.* Et super hoc jure habet fundatam intentionem, ita ut quicumque hoc jus habere prætendat, illud teneatur probare, & institutio erit invalida. *C. 8. c. 21. de Jur. Patronat.* Quando fundus, in quo est constructa Ecclesia est sub lite, an ad hanc, vel illam Diœcesim spectet, potest institutio fieri à quolibet ex his Ordinarijs. Si verò Ecclesia sit in confinio utriusque Diœcesis potest fieri institutio, vel ab eo Episcopo, in cujus territorio est porta principalis; *arg. L. 91. §. 5. ff. de Legat. 3.* vel ab Episcopo, in cujus territorio est caput, seu pars principalis Ecclesiæ; *arg. L. 44. ff. de Relig. & sumpt.* Nisi in utroque casu aliquis ex eis sit in possessione instituendi: nam tunc ipse instituet: quippe ejus conditio ob possessionem melior evadit. *C. 65. de Reg. jur. in 6.* Et licet Capitulum Sedevacante, non succedat in jus conferendi, quia hoc liberalitatis, & voluntatis est, in quod non succedit Capitulum, ne præjudicet Episcopo successori, qui non posset conferre beneficium, quod ad ejus liberam collationem spectat; in jus tamen instituendi, quod necessitatis, & justitiæ est, profectò succedit Capitulum Sedevacante. *C. 1. b. t. in 6. ibid. Barbos. Gonz. in C. 3. b. t. n. 2. Garc. p. 5. c. 7. n. 54. & 55. Lacr. L. 4. n. 360.* Similiter Vicarius Generalis, licet solum ex commissione Episcopi possit beneficia conferre. *C. fin. de Offic. Vicar. in 6.* Tamen sine speciali ejus mandato instituere potest. *C. 3. b. t. Barb. & Gonzal. ibidem.* Non solum Prælati habentes Ecclesiam plenissimo jure ipsis subjectam, utpotè Ordinarij illius instituere valent, sed etiam alij Prælati, Episcopo inferiores, si privilegio, vel præscriptione juventur, imò jure Decretalium in fundatione poterat hoc jus instituendi Prælatis inferioribus reservari. *C. 6. b. t.* Secus post *Trid. sess. 14. de Ref. cap. 12.* ibi: *Hujusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur. Barbos. l. 3. Jur. Eccles. cap. 12. n. 208.* Sed etiam post *Trid.* hoc jus posse his Prælatis in fundatione de consensu Episcopi reservari, tenet *Lacr. l. 4. n. 361. cum alijs*: nam Trid. intelligitur, nisi Episcopus consenserit. Trid. namque solum vult, quod Episcopus, ad quem de jure spectat institutio non excludatur invitus, non verò tollit, quod ipse possit cedere juri suo, & alteri institutionem concedere. Laicus, Jure Communi attento, nequit instituere, cum jus instituendi spirituale sit, quinimò, neque ex præscriptione potest instituere, neque ex consuetudine immemoriali, quia hæc in subjecto incapaci possidendi jus instituendi, utpotè spirituale, secluso privilegio, non obtinet vim privilegij. Ex privilegio tamen Pontificis benè potest Laicus instituere, etenim R. Pontifex ex plenitudine potestatis, non solum Laicis potest hanc facultatem communicare, sed etiam Abbatisis, & alijs Præpositis Monialium, quia hoc non pertinet ad potestatem clavium, sed ad jurisdictionem voluntariam, quæ fœminis potest à Pontifice communicari; *arg. C. 12. de Major. & obed. Lacr. l. 4. n. 362. & alij comm.* Et hac etiam ratione potest institutio fieri extra Diœcesim instituentis, & in quocumque die, etiam in die feriato. Cum enim sit actus extrajudicialis jurisdictionis voluntariæ; qui sine strepitu, & figura judicij fit, non violat jus alterius, nec sanctitatem diei festi. *Garc. de Benefic. part. 5. cap. 8. ex num. 138. Barbosa de Offic.*

Epis-

Episcop. allegat. 72. *num.* 195. *Lacr. l.* 4. *n.* 366.

66 Cum inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personalis, nemo se ipsum immediate, & directè instituere potest. *C. fin. h. t.* Sicut nemo potest se eligere, vel præsentare: *C.* 26. *de Jur. patron.* Imò nec per alium à se ad hoc delegatum; *ex C.* 72. *de Reg. jur. in* 6. Nisi alicui totam potestatem instituendi delegasset: tunc posset per talem delegatum proprio nomine agentem institui. *Barbos. in C. fin. h. t. n.* 3. Licet enim, qui potestatem habet dispensandi, eam utpotè jurisdictionis voluntariæ secum ipso possit exercere, scilicèt, dispensando, vel facultatem dispensandi delegando. *Sanchez de Matr. lib.* 8. *D.* 3. *ex n.* 6. Sicut Prætes potest se ipsum emancipare, vel in adoptionem dare. *L.* 3. *ff. de Adoption.* nulli tamen permittitur se ipsum instituere, ut sic arceatur omnis ambitionis, & avaritiæ suspicio. *C.* 26. *de Jur. patronat.* & ut fraudes evicentur, in quibus facilè se possent coinquinare institutores, ubi agitur de proprio commodo ab ipsis percipiendo; *arg. L.* 1. *l.* 5. §. 2. *ff. de Author. Tutor.* Præterea instituendi beneficijs debent esse Clerici, saltem prima Tonsura insigniti. Laici enim nequeunt in beneficijs Ecclesiasticis institui. *C.* 2. *h. t.* Aliquibus Principibus exceptis, quibus aliquæ præbendæ honorariæ nullum officium spirituale exigentes, conferuntur, ut Regi nostro in Ecclesia Toletana, & Legionensi: Regi Galliæ in [illegible] & Cœnomanensi. *Gonz. in C.* 2. *h. t. num.* 2. Si Clericus præsentatus non habet actu ordinem: v. g. Sacerdotium ad beneficium requisitum, si intra annum potest ordinem suscipere, instituendus est. *Cl.* 2. *de Ætat. & qualitat.* Sic sufficit præsentatum ad Parochiam promoveri intra annum ad Sacerdotium. *C.* 2. *h. t. in* 6. Instituendi esse debent litterati, & alias idonei, undecumque originem duxerint, *quia in omni gente, qui facit justitiam acceptus est Deo, nec Sanctuarium Dei convenit jure hæreditario possideri.* *C.* 5. *h. t.* Si verò beneficium fundatum sit pro personis ex certa Civitate, vel familia oriundis, illi sunt instituendi, si alias idonei sint. Sic in nostra Hispania beneficia, quæcumque sint, non nisi Hispanis, vel jure Hispanorum gaudentibus conferri possunt, cum sint patrimonialia: imò in aliquibus Diœcesibus, solum in tali Diœcesi natis debent conferri beneficia, & non alijs. *L.* 14. *cum seqq. tit.* 13. *lib.* 1. *R. C.*

67 Quamvis præsentationi faciendæ sit tempus præfixum, sicut, & electioni, & liberæ collationi, nullum est præscriptum, intra quod post præsentationem factam, fiat institutio. Hinc, si ille, ad quem institutio spectat, nimium differat, ipsi præfigitur a superiore certum tempus: v. g. duorum mensium, intra quod institutionem facere cogatur: quod si adhuc ultra differat, legitimo impedimento cessante, adiri potest Episcopus; & si hic sit negligens, Metropolitanus, vel Papa, aut ejus Legatus, ut institutorem compellat, vel ipse instituat inferioris defectum supplendo. *Garc. de Benefic. p.* 10. *c.* 4. *Barbos. de Offic. Episcop. alleg.* 72. *ex n.* 191. Potest institutor, etiam post præsentationem factam, differre institutionem usque ad lapsum quatuor, vel sex mensium, qui Patronis conceduntur, ut Laicus possit variare, si velit, vel si Patronus Ecclesiasticus est, ut possit in eo termino comparere, si fortè à non vero patrono attentetur præsentatio. Et ob has rationes expedit, institutorem expectare donec terminus sit lapsus. *Lacr. lib.* 4. *n.* 36. Deindè Clerici, Monachi, & Monialis debent recipi in Ecclesijs, vel Monasterijs pro mensura redituum, ita ut nec plures, quam ali possint recipiantur. *C.* 1. *h. t. Trident. sess.* 25. *de Regul. cap.* 3. ne egestas eos ad indecentia exercenda compellat; vel contrahant debita, quæ non possint solvere cum creditorum damno: nec pauciores, quam possint ali. *Arg. Cap.* 1. *c.* 4. *h. t. c.* 9. *de Vit. & honest. Cleric.* Ad quod possunt Prælati, vel Conventus à Superioribus compelli, maximè in Ecclesijs non numeratis, quæ certum numerum Clericorum, vel Regularium non habent. *C.* 9. *de Vit. & honest. Cleric.* Et contra: Capitula, vel Conventus non possunt cogi, aliquem recipere ultra eorum facultates. *Cap.* 4. *h. t.* habito respectu ad onera illorum, tàm quoad sustentandos Clericos, vel Monachos, quàm ad fabricam Ecclesiæ, hospitalitatem, eleemosynas, & alia hujusmodi. *Arg. C.* 12. *de Præbend.* Si incrementum redituum notabile, & permanens sit, numerus Clericorum, vel Monachorum, & si à Papa definitus, & confirmatus sit, potest augeri; quia in confirmatione intelligitur illa clausula, nisi reditus excrescant. *C.* 9. *de Constitution.* Similitèr potest numerus diminui, si decrementum censeatur stabile. *C.* 12. *de Constitution.*

68 Post institutionem *Canonicam, &* *colla-*

collationem sequitur institutio, quæ in jure dicitur *authorizabilis*, *& est ea, per quam Clerico ad beneficium Curatum promoto, Cura animarum committitur exercenda per administrationem Sacramentorum: per quam simul datur jurisdictio fori pœnitentialis, & authoritas exercendi curam animarum.* Et etiam dicitur *approbatio: estque testimonium authenticum superioris legitimi prævio examine datum de idoneitate promoti ad beneficium curatum.* Et licet regularitèr debeat præcedere examen ante hanc institutionem, sæpè Episcopi, quando ipsis de idoneitate instituendi constat examen omittunt: *sed nullus appellationis remedio se tueri potest, quominùs examen subire teneatur, præsentatis tamen, electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegijs generalium studiorum exceptis. Trid. sess. 7. de Reform. cap.* 13. Sed ut in margine notatur, hæc exceptio videtur revocata ab ipso *Trid. sess. 24. de Ref. c.* 18. Si ad ipsum spectet, ut ordinariè accidit, utraque institutio, utraque ab eo fit uno, eodemque actu & licet institutio collativa ad alium Prælatum spectet, institutio tamen authorizabilis de Jure Communi spectat ad Episcopum *Cap. 4. de Offic. Archidiac.* Et Sedevacante ad Capitulum pertinet. Item ad Vicarium Generalem Episcopi, vel Capituli Sedevacante, & Prælatis jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, & alijs ex privilegio Apostolico competere solet, quia non est actus Ordinis Episcopalis, sed jurisdictionis, & quidem necessariæ, quæ de jure competit prædictis. Beneficij fundator non potest Episcopum hoc jure privare, etsi conditionem in fundatione apponat, ut ad alium spectet hæc institutio; imò pro non adjecta habetur, cum privatus nequeat Sacrorum Canonum dispositionem immutare, vel aliquid ipsis contrarium statuere. *C. 17. de Testament. l. 55. ff. de legat.* 1. Jus institutionis authorizabilis potest præscribi indirectè à Prælato inferiori Episcopo, quando scilicet beneficium curatum per præscriptionem omninò eximitur à jurisdictione Episcopi, & subjicitur alij Prælato habenti in Clericum, & Populum jurisdictionem quasi Episcopalem pro certo territorio; nam hac plena exemptione adquisita, & jus institutionis authorizabilis adquiritur, in quo conveniunt DD. Dissident tamen in concedenda præscriptione directa hujusmodi juris, maximè post *Trid. sess. 7. de Reform. cap.* 13. Ubi hæc institutio tribuitur Episcopis, non obstante quovis privilegio, consuetudine, vel præscriptione etiam immemoriali. Et hinc negant talem præscriptionem. *Abb. Azor, Fagnan. & alij.* Eam tamen concedunt *Barbos. de Potestat. Episc. alleg. 72. n. 185. & alij.* Nam Trid. intelligunt de consuetudine ante ipsum, non de posteriori: nam etiam *Trident. ibid.* negat privilegio posse adquiri tale jus; quod nec adversarij concedunt: ergo Trid. non est accipiendum secundum totam vocum extensionem, & rigorem.

69 Ultimum complementum institutionis Canonicæ est *investitura, per quam Clerico postquam legitimè consecutus est titulum, seu jus in re, confertur jus apprehendendi possessionem corporalem, & actualem beneficij.* Dicitur etiam *institutio corporalis, missio in possessionem, & installatio*, seu in stallum, vel sedem introductio. Quando investitura fit verbis tantum cum alicujus signi traditione: v. g. birreti, vel clavis, dicitur *verbalis*, si per actualem, & corporalem introductionem fiat, *realis* dicitur. Et quidem per possessionem Dignitatis, vel beneficij, etiam possessio rerum, & jurium ad Dignitatem spectantium, si vacant, adquiritur. *Covar. lib. 3. Var. cap. 16. n. 13. Gonz. in Reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 7. n.* 7. Episcopi investiuntur per installationem varijs solemnitatibus peractam. Abbates, & alij Prælati per inductionem in Ecclesiam, & collocationem in sede Abbatiali. Canonici per assignationem stalli, seu sedis in Choro, & Capitulo. Parochi, & alij Beneficiati coram Episcopo, vel Vicario Generali, post editam professionem fidei investiuntur per impositionem birreti cum verbis significantibus investituram. Etiam investiuntur, vel per inductionem in Ecclesiam, vel per osculum altaris, vel per contactum, & reserationem januæ Ecclesiæ, vel per inductionem in domum Parochialem, & traductionem clavium, & librorum: vel si in die festo, quando populus est congregatus, accipiat insignia Parochialia: vel per alia hujusmodi, sed in quolibet loco ejus consuetudo attendenda, & servanda est. Qui per institutionem obtinuit beneficium non potest ejus possessionem, etiam vacuam, propria authoritate apprehendere, si non præcessit aliquod signum à Prælato datum investituram denotans. *Covar. lib. 3. Var. cap. 16. n.* 7. Quod si violenter beneficiatum priorem expellat, ipso jure, & facto in pœnam temeritatis amittit titulum beneficij, & omne jus, quod antea ipsi competebat. *C. 18. de Præb. in 6. arg. L. 7. C. Unde vi.*

Si nulla violentia intervenit, arbitrio judicis ponitur. *Covar. lib. 3. Var. cap. 16. n. 7.* Possessio beneficij potest non solum per ipsum beneficiatum apprehendi, sed, & per Procuratorem ad hoc speciale mandatum habentem, etiamsi Laicus sit. Imò & mandatum generale sufficere tenent. *Covar. lib. 3. Var. cap. 16. n. 9. Vazq. de Benefic. cap. 4. §. 4. dub. 6.* quod negant *Gloss. in C. 17. de Preb. in 6. Barbos. in C. 24. de Preb. n. 3.* Investitura habet eosdem ferè effectus, ac aditio possessionis aliarum rerum, & jurium, datque conditionem præscribendi, sic qui bona fide, & titulo institutus est post possessionem, triennalem præscribit, & adquirit in utroque foro proprietatem, & verum titulum beneficij. *Ex Reg. 36. Cancell. Sanch. in Decal. lib. 7. c. 29. ex n. 86.* contra *alios.* Licet de jure scripto ad Archidiaconum spectet investitura, seu missio in possessionem beneficiorum. *C. 7. de Offic. Archidiac.* Consuetudine tamen ad Episcopum hoc pertinet, qui quidem solet talem possessionem actualem tribuere per Vicarios, Decanos rurales, & alios Commissarios, nisi beneficium sit litigiosum, & jam prossideatur ab alio: tunc enim ad Episcopum, etiam de jure scripto, investitura spectat, qui debet prius citare, & audire possessorem. *C. 28. de Præbend. in 6.* Decanus solet dare investituram Canonicis. *C. 7. de Concess. prebend.*

70 Laici proprio nomine nequeunt in possessionem quoad spiritualia mittere institutos. *Arg. c. 9. de Offic. Archidiac.* Talis enim investitura omninò irrita est, & nullam possessionem in recipientem transfert. *C. 12. 16. q. 7.* quia eis nulla conceditur facultas de Dignitatibus Ecclesiasticis disponendi. *C. 23. 16. q. 7.* Imò, etiam recipiens deponitur, & segregatur, omnesque illi, qui ipsi communicant. *C. 14. 16. q. 7. C. 16. c. 17. c. 40. & 23. 16. q. 7.* Eamdem incurrunt pœnam sæculares investituram Ecclesiæ, vel Dignitatis dare præsumentes. *C. 12. 16. q. 7.* Quia Laicis in rebus Ecclesiasticis obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi. *C. 23. 16. q. 7.* Possunt tamen ex commissione Episcopi exercere merum factum introducendi institutum in locum beneficij, tradendo ei claves, jura, & alia: imò potest Laicis competere nomine proprio investitura, quoad temporalia, ubi specialis investitura, quoad hæc fit. Sic Patroni, vel Advocati Ecclesiarum, vel Domini territorij solent novum Parochum in domum Parochialem inducere, claves, & libros rationum tradere, ac redditus assignare.

71 Nunc agere restat delibera collatione beneficiorum, cui plura ex hucusque dictis communia sunt: *Collatio ergo libera est assignatio, seu concessio beneficij vacantis libere facta ab habente potestatem.* Nam licet necessarium sit collatori, beneficium conferre, tamen liberum est, huic, vel illi conferre, quin teneatur, sicut in institutione illud præsentato assignare. Et hac ratione dicitur libera, & voluntaria, & in jure donatio dicitur. *C. 5. de Concess. prebend. C. 4. de Donation.* Collatio antequam acceptetur, tribuit collatario jus ad rem in beneficio, ita ut collator alteri nequeat illud conferre, donec collatarius jure sibi per collationem quæsito, se abdicaverit, non acceptando collationem. *C. 17. de Prebend. in 6.* Quia collator functus est officio suo, nec alteri potest conferre, etiam sub conditione, si a priori collatario non acceptetur. *Glos. ibid. V. Personam. Barb. & alij.* Collatio beneficij à collatario acceptata, sive per se, si præsens est, sive per ejus Procuratorem, etiam Laicum, habentem mandatum speciale ad acceptandum tale beneficium, vel saltem in genere, & indeterminatè ad beneficia acceptanda. *C. 24. de Prebend.* Ipsi collatario tribuit jus in re, & aliquo modo ipsi tribuere dicitur quasi dominium beneficij collati. *C. 17. de Prebend. in 6. C. fin. de Concess. prebend. in 6.* Etiam ante possessionis apprehensionem, quia in rebus spiritualibus, ut sunt beneficia facilius jus in re adquiritur, quam in rebus corporalibus, in quibus requiritur traditio. *L. 20. C. de Pact.* ac proinde statim à collatione facta potest beneficium vindicari, si ab alio violente detineatur, & pro ejus juribus agere. Sic jus in re adquiritur præsentato per institutionem, electo per confirmationem, postulato per admissionem postulationis. Si verò Procurator beneficiati acceptavit beneficium, cum solum mandatum generale haberet, vel illud acceptavit aliquis amicus, vel negotiorum gestor ipsius beneficiati, non aliter beneficiatus adquirit jus in re in beneficio, quam si posteà habeat ratam talem acceptationem suo nomine factam. *Arg. C. fin. de Jur. jur. in 6.* Si tamen ratam habeat acceptationem jus in re adquirit in beneficio. *C. 17. de Prebend. in 6.*

72 Beneficia sunt conferenda. 1. *gratis*, nullo pretio interveniente. *C. 3. 1. q. 3.* ibi: *Dignum est enim, ut sicut gratis Episcopatum accepit, ita membra ejusdem Epis-*

Episcopatus, gratis distribuat. 2. libere, quia cum collatio sit veluti quædam liberalis donatio vim, & metum excludit. C. 2. c. 3. de His, quæ vi metusvé. Hinc concessio beneficij per obreptionem, vel subreptionem facta, cum ei desit consensus est nulla. C. 23. b. t. in 6. C. 8. c. 19. de Rescript. 3. absolutè, & non conditionatè, neque sub modo, aut pacto debent conferri. Arg. C. 2. de Elect. in 6. Glos. ibid. V. Incerta: quia ob incertitudinem, quam habet conditio extrinseca est irrita collatio, si verò conditio, vel modus, vel pactum insit collationi, benè potest adjici. 4. Non alternativè, seu disjunctivè: v. g. Confero beneficium Titio, vel Cajo; quia conferentis voluntas incerta est. Arg. C. 2. de Elect. in 6. 5. Non debet idem beneficium duobus conferri. C. 20. de Præb. L. 2. tit. 16. p. 1. Sive, ut simul possideant one beneficium dividatur: sive successivè, quia esset gratia expectativa ad proximam vacaturam: quæ gratiæ jam sublatæ sunt. C. 2. de Concess. præb. 6. Beneficium conferendum est in perpetuum, ut fit in beneficijs propriè talibus, quæ conferuntur ad vitam collatarij, vel saltem non ad tempus determinatum, ut beneficia manualia: quæ licet ad nutum sint auferibilia, non conferuntur pro determinato tempore. 7. In scriptura fit regularitèr collatio, quæ non ad valorem, sed ad probationem collationis requiritur, si collatio beneficiorum facta a Papa, vel ejus Legato non impetretur in scriptis, est irrita. Extr. Injuncta de Election. inter com. Licet collatio ab Episcopo facta sine scriptura valeat, expedit tamen, ut in scriptis fiat ad faciliorem probationem: Et sic servatur in praxi. Nam beneficiatus non aliter ad possessionem beneficij admittitur nisi præsentet litteras collationis, quas patentes vocant. 8. Debet esse vacans beneficium, ut infra tit. 8. Et sine diminutione conferri, ut in tit. 12. Si Papa conferat, potest conferre beneficia non vacantia, & non tantum singula singulis, sed etiam unum duobus, vel copulativè, vel alternativè, prout voluerit, & ad tempus, & subconditione de futuro, & suspensiva, & pro suo arbitratu potest uni adimere, & alteri dare, quia plenissimam potestatem habet in beneficijs, quoad ea, quæ Juris Positivi sunt. C. 2. de Prabend. in 6. De quibus agitur in L. 5. & 6. l. 7. tit. 16. p. 1.

73 9. Licet Episcopus possit beneficio antequam alicui illud conferatur, aliquod imponere onus spirituale; v. g. docendi scripturam. C. 11. b. t. Glos. ibid. in collatione verò ipsa non potest novum onus imponi ab Episcopo. Gl. in C. 4. V. Item, de Magistr. quia sine omni pactione sunt beneficia conferenda. C. fin. de Pact. 10. Beneficia Parochialia conferri debent per concursum, & quidem digniori. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 18. Si per consuetudinem hic modus conferendi per concursum non servetur, valebit collatio, etiam sine concursu. Valdè tamen expediens erit, ut concursu fiant tales provisiones, ut accidit in Toletana Diœcesi, & in alijs Hispaniæ Diœcesibus magno cum profectu animarum, etiam ubi consuetudo concursus viget, non est necessarium, quod fiat in casibus sequentibus. 1. In beneficio Parochiali ad patronatum Laicum pertinente. 2. Si beneficium perpetuo sit unitum alicui Dignitati, Canonicatui, vel Monasterio. 3. Si Cura pertineat ad Ecclesiam Cathedralem, vel Collegiatam, & administretur alternatim per plures, ac per hebdomadas. 4. Si cum alio Parochiali, vel simplici permutetur, vel si resignetur in tertij favorem: nam si resignatarius sit aptus ei est conferendum. 5. Si nullus ad concursum se offerat, vel ex concursu lites, & disidia gravia timeantur.

74 Etiam in Ecclesijs Cathedralibus sunt certè præbendæ, quæ per concursum conferuntur, & dicuntur Hispanè de Oposicion, ò de officio, quales sunt Pœnitentiaria, Lectoralis, Magistralis, & Doctoralis. Talis enim præbenda illi confertur, in quem major pars Capituli consentit, in cujus electione Episcopus solum habet unum suffragium, sicut cæteri Canonici. Pœnitenciaria est instituta à Trid. sess. 24. de Ref. cap. 8. ut Pœnitentiarius confessiones fidelium excipiat. Et hæc præbenda indifferentèr confertur Doctori, seu Licentiato in Theologia, vel Jure Canonico: & Pœnitentiarius debet habere quadraginta annos ætatis. Canonia, seu præbenda Lectoralis est instituta, ut eam obtinens doceat Sacram Scripturam in Cathedralibus, & Collegiatis, ubi Populus est numerosus, & juxta aliquos sufficis, Theologiam Scholasticam docere. Et hæc confertur Doctori, vel Licentiato in Theologia, & hodie, etiam per concursum, & oppositionem hæc præbenda confertur, saltem in Nostra Hispania, licet videatur soli Episcopo ejus provisio nem relinqui à Trid. sess. 5. de Ref. cap. 1. Canonia Magistralis instituta est à Leone X. & Sixto V. in Cathedralibus Castellæ, Legio-

gionis, Granatæ, & Navarræ, ut eam obtinens sit Ecclesiæ concionator, & conferetur Doctori, vel Licentiato in Theologia. Canonia Doctoralis ab ipsis SS. Pontificibus fuit instituta, ut eam obtinens sit Ecclesiæ Advocatus, & eam in suis negotijs, & litibus defendat, & confertur Doctori, vel Licentiaro in Jure Canonico: *L. 6. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* Et quidem oppositores ad prædictas præbendas debent esse Doctores, vel Licentiati in aliqua Universitate Castellæ: Etiam admittuntur Collegæ Bononienses Collegij Hispanorum, qui in ea Academia gradum susceperunt non tamen admittuntur Doctores, qui gradum susceperunt in Regnis Lusitaniæ, Aragoniæ, vel in Catalaunia. *Machad. in Sum. tom. 2. lib. 4. p. 4.* In Indiarum Ecclesijs debent conferri næ præbendæ, sicut in Ecclesia Cathedrali Granatensi: facta enim opositione tres ex oppositoribus proponuntur à Capitulo, in quo Archiepiscopus habet unum suffragium, & ad Proregem, vel Gubernatorem remittuntur. Pro-Rex, vel Gubernator nominationem remittit ad Regem, & simul de idoneitate ipsorum informat, & posteà Rex præsentat vi Regij Patronatus unum ex tribus propositis, vel etiam alium juxta suum arbitrium, & alitèr præsentato confertur præbenda. *L. 7. tit. 6. lib. 1. R. Ind.*

75 Papa, qui totius Orbis est Pastor, est etiam supremus, & Universalis collator omnium beneficiorum. *C. 2. de Præbend. in 6. L. 1. tit. 16. p. 1.* Potestque ea conferre. 1. *Præveniendo*, scilicèt, mandando alicui conferri beneficium proximè vacaturum. *C. 14. de Præbend. in 6.* Quod si sit patronatum, de eo faciet mentionem alias litteræ censentur subreptitiæ. 2. *Concurrendo* cum quocumque Ordinario ad beneficij vacantis collationem, & est locus præventioni. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 1. n. 8.* Si dubitetur, quis prævenit, præfertur ille, qui est in possessione beneficij, quia in pari causa melior est posidentis conditio. *C. 65. de Reg. jur. in 6.* Si neuter possideat, præfertur ille, cui Papa contulit, ob illius majorem prærogativam. *C. 31. h. t. in 6.* Si in Rescripto Apostolico sit dies apposita, sed non hora, & in provisione ab Ordinario facta, dies, & hora sint appositæ, collatio Ordinarij, ut magis determinata, & singularis præfertur. 3. *Jure devolutionis*, quando, scilicèt, ad ipsum devolvitur collatio, quia Ordinarius collator, vel non contulit intra tempus legitimum, vel indigno contulit: Post Papam Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi habent in Jure Communi fundatam suam intentionem, ad conferendum. Sunt etenim collatores Ordinarij omnium beneficiorum suæ Diœcesis, nisi specialirèr excepta sint, vel superiori reservata, vel ex privilegio, vel præscriptione alijs competat ibidem aliquorum beneficiorum in particulari collatio. *C. 10. & 11. 16. q. 7. & 1. de Capellis Monachor. C. 12. de Heretic.* Et quidem Episcopis jus conferendi competit, dum confirmati sunt, quamvis nondum sint consecrati, quia collatio non est actus ordinis, sed jurisdictionis, vel potius Officij Episcopalis. *C. 15. de Election.* Possuntque conferre beneficia in Diœcesi vacantia, etiamsi extra eam sint, quia est jurisdictionis voluntariæ. Collatio Canonicatuum aliquando pertinet ad Episcopum, & Capitulum simul. *C. 15. de Concess. Præbend.* Et tunc unam vocem habet Episcopus, aliam totum Capitulum, ita ut si uni conferat Episcopus, etiam cum minore parte Capituli, alij vero major pars Capituli neutra collatio valet. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 4. num. 28. & 29. Barbos. lib. 3. Jur. Eccles. cap. 13. n. 103.* Aliquando ad solum Capitulum spectat præbendarum collatio: & tunc solum Capitulum confert. Aliquando conferre debet cum consilio Episcopi. *C. un. §. Ubi vero. Ne Sede vacante in 6.* Aliquando Episcopo non requisito. *C. 31. de Elect.* Aliquando Capitulatitèr, & aliquando per turnum Capitulares conferunt. De Jure Communi Collatio Canonicatuum, Dignitatum, Præbendarum, & Portionum, quando sunt de gremio Capituli Ecclesiæ Cathedralis, pertinet ad Episcopum, & Capitulum simul, ita ut Episcopus æqualem vocem cum Capitulo habeat. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 4. n. 17.* Portiones integræ, & dimidiæ, si non sunt de gremio Capituli à solo Episcopo conferuntur, & idem est de Capellanijs. *Garc. de Ben. cap. 4. n. 25.* In Collegiatis præsentatio pertinet ad Capitulum, & Prælatum: institutio, vel confirmatio pertinet ad Episcopum. *Garc. n. 64. Gonz. in Reg. 8. Canc. gloss. 45. n. 45.* Sed in his omnibus attendenda sunt cujusque Ecclesiæ privilegia, & eorum optima interpres consuetudo. *C. 8. de Consuet. L. 1. tit. 16. p. 1.* ibi: *Tovo por bien Santa Eglesia, que en cada Eglesia fuesse guardada la costumbre, que usaron de luengo tiempo para dar los Beneficios.* De potestate Vicarij in collatione beneficiorum alibi dictum est. De potestate Capituli Sedevacante dicendum est

est infrà. Legatus à Latere concurrit ad præventionem, cum quolibet Ordinario ad beneficiorum collationem. *C. 31. de Præbend. in 6. C. fin. de Offic. Legat. in 6.*

76 Prælati exempti habentes, quasi Episcopalem jurisdictionem, quoad territorium, Clericum, & Populum, & etiamsi jurisdictione ordinaria careant, solent habere conferendi potestatem, vel ex privilegio, vel ex præscriptione quadragenaria cum titulo; quod si sit contra Episcopum, in cujus Diœcesi sita sunt beneficia, debet esse præscriptio immemorialis. *C. 1. de Præscript. in 6.* Cardinales, etiam Diaconi, ex privilegio conferunt omnia beneficia Ecclesiarum, quas vel jure tituli, vel commendationis habent, non obstantibus expectativis, aut reservationibus, nisi vacent in Curia. *Azor p. 2. lib. 6. cap. 25. q. 5.* Canonici etiam aliquando habent jus conferendi: vel omnes capitulariter, ita ut conferatur illi, in quem major pars convenerit, vel per turnum, quatenus unus post alium, secundum antiquitatem conferant, vel singulariter, si jus conferendi alicui officio, vel Dignitati sit annexum. Circa præbendas, quæ per concursum conferuntur, jam diximus, quod præbenda confertur illi, in quem major pars Capituli consentit. Sequester Prælaturæ, cui hoc jus competit, potest etiam conferre. *Gonz. in Reg. 8. Cancel. glos. 23. n. 17. Garc. de Benef. p. 5. cap. 6. ex n. 1.* Ille, qui est in possessione conferendi beneficia, & simul habet bonam fidem validè, & licitè ea confert, nec est removendus provisus postquam collationem acceptavit, etiamsi vitium possessionis detegatur, & ad alium proprietatem pertinere constet. *Gonz. de Reg. 8. Canc. glos. 45. §. 1. à n. 4. Garc. de Benef. p. 5. cap. 5. ex n. 1.* quia hæc collatio est quasi fructus juris conferendi, ac proinde ad bonæ fidei possessorem spectat. *L. 48. de Adquir. rer. dom.* Valetque collatio, etiamsi facta sit, post litis contestationem. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 6. n. 22.* Denique etiam Laicis ex privilegio Pontificio, potest competere jus conferendi beneficia; & quidem solus Papa in hoc dispensare potest, quippè Jure Communi ipsis hoc prohibetur; ac proinde nec ad tempus possunt conferre beneficia, cum ipsi non possint jus spirituale, quale est hoc, possidere. *C. 2. de Judic. C. 51. de Election.* Et hac ratione non possunt jus conferendi præscribere, quia sine possessione præscriptio non datur. *C. 3. de Reg. jur. in 6. L. 25. ff. de Usucap.* Nec alij Prælati possunt hoc jus concedere, cum ipsi nequeant contra Jus Commune aliquid agere; *arg. C. 16. de Majorit. obed.* sed hoc Papæ, qui supra Jus Commune est reservatur. *C. 4. de Concess. Præbend.*

77 Episcopus, vel Collator quicumque sit, potest Clerico tempus præfigere, intra quod collationem acceptet. *C. 17. de Præbend. in 6.* Et licet collator termino transacto non teneatur amplius expectare ad conferendum alteri beneficium, si tamen non contulit, potest Clericus, etiam post terminum elapsum, cum non sit à jure, sed solum ab homine statutus, consentire utiliter collationi ipsi factæ; *arg. C. 33. de Reg. jur. in 6. glos. in C. 17. de Præb. in 6. V. Terminum.* Beneficium, cum sit institutum pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, ab Ecclesia, vel ejus Prælato per institutionem, vel collationem Canonicam debet concedi, non à defuncto jure sanguinis per legitimam successionem, nec per speciem successionis hæreditariæ, quam jus nostrum abhorret. *C. 10. c. 11. de Filijs Presbyter. C. 1. de Præbend.* Nec ab Episcopo potest Coadjutor assignari cum potestate succedendi. *C. 17. 7. q. 1. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 7.* nec vivente Beneficiario potest institui tractatus de ejus successore, etiamsi paulo post moriturus sit. *C. 36. de Elect.* Et pactum, de succedendo alteri post mortem in Beneficio Ecclesiastico illicitum est. *C. 2. de Concess. Præbend.* irritum etiam est pactum, quo aliquis instituitur ea conditione, ut post ejus mortem alius certus, v. g. consanguineus succedat. *C. 5. de Pact.* nec filius potest immediatè patri in beneficio succedere, quamvis legitimus sit. *C. 10. cap. 11. de Filijs Presbyter.*

78 Ut ergo alicui possit beneficium conferri. 1. debet esse initiatus saltem prima tonsura, quia beneficium datur propter officium spirituale, cujus Laicus est incapax, ac proinde Laico nequit beneficium Ecclesiasticum conferri. *C. 6. de Transact. C. 2. h. t.* 2. debet esse natus ex legitimo matrimonio, quia illegitimi non possunt sine dispensatione obtinere beneficia. 3. requiritur conveniens ætas, nam pueri non sunt idonei ad beneficia Ecclesiastica. *C. 35. de Præbend.* 4. Litterarum competens scientia, vitæ honestas, & alia requiruntur, de quibus dictum est *in tit. 14. lib. 1.* Novitio non possunt conferri beneficia regularia, quæ administrationem ha-

habent, ut Prælaturæ. *C.* 28. *de Election. in* 6. quia non debet in Magistrum assumi, qui vix formam Discipuli assumpsit. *C.* 49. *de Election;* nec de jure antiquo alia beneficia regularia inferiora poterant novitijs conferri, secus *ex Trid. sess.* 14. *de Ref. cap.* 10. ubi non solum possunt conferri nondum professis, sed etiam illis, qui nondum susceperunt habitum, si se obligent ad eum suscipiendum, & professionem emittendam. Benè quidem possunt novitijs conferri beneficia sæcularia, quamvis hoc non deceat. *Garc. de Benef. p.* 7. *cap.* 10. *n.* 5. *& 6. Sanch. in Decal. lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 22. Ita debet collator beneficia conferre, ut semper dignis conferat: quod si post secundam correptionem indignis conferat, Concilium Provinciale suspendit collatorem à collatione beneficiorum: & alius assignatur, qui beneficia conferat. Et hæc suspensio solum à Papa, vel Patriarcha relaxatur. *C.* 29. *de Præbend. L.* 14. *tit.* 16. *p.* 1.

79 Romanus Pontifex aliquando justis ex causis reservat aliqua beneficia, sibi illorum collationem ita vendicando, ut liget manus collatoris inferioris, quominus ipse validè ea conferre possit. *C.* 45. *de Elect. in* 6. *C.* 2. *b. t. in* 6. *Extr.* 14. *eod. inter com.* Reservatio alia *generalis* est; illa scilicèt, qua omnia beneficia alicujus Diœcesis, vel Regni reservantur; *specialis* alia, ea scilicèt, qua reservantur beneficia certæ Ecclesiæ, vel certa Dignitas, vel certæ personæ: v. g. si Papa jubeat beneficium alicujus Ecclesiæ, vel certa Dignitas, vel certæ personæ. Utraque, vel est *temporalis*, cum scilicèt, Papa reservat beneficium ad suum beneplacitum, vel est perpetua, quando scilicèt, beneficium reservat Sedi Apostolicæ, & suis successoribus. Alia est *fixa*, seu *continua*, quando scilicèt, Papa sibi reservat collationem pro omni loco, & tempore. Alia est *discontinua*, seu *eventualis*, quando sibi reservat beneficia in mensibus certis, vel loco, v. g. vacantia in Curia Romana. Reservatio licet valdè affinis sit affectioni, tamen ab ea differt in eo, quod reservatio fit per verba expressa, quibus Papa declarat, beneficium suæ dispositioni reservare. Affectio est, cum Papa manum beneficio apponit ad effectum illud conferendi, hoc est, si Papa aliquando cœpit beneficium conferre: ex tunc censetur affectum, & per ipsum factum manet Pontifici reservatum. Si vero ad alium effectum manum apposuit; v.g. ad pensionem imponendam, non manet affectum, nec quando est Juris Patronatus Laicalis, aut mixti: vel si manus appositio semel effectum sortita est per provisionem: nam si rursus vacaverit ab ordinario collatore, conferri potest. *Gonz. ad Reg.* 8. *Cancel. glos.* 52. *n.* 4. si verò reservatum sit, nunquam à collatore inferiori potest conferri. Et si reservationi sit adjectum Decretum irritans, collatio ab inferiori, etiam ex ignorantia, sive juris, sive facti facta est nulla. *C.* 20. *de Præbend. in* 6. Et nequidem titulum coloratum provisò præbet, nec spoliatus de spolio agere potest, cum beneficij possessione careat, utpotè à Decreto irritante vitiata. Secus est, si Decretum irritans non adjungatur. Ordinarius potest beneficij reservati resignationem acceptare, non verò potest conferre illud, sed pro ejus collatione recurrendum est ad Papam. Qui reservationem ignorans beneficium reservatum acceptavit prius possessio dimisso, si ex quo reservationem scivit, illud sine difficultate dimittit, cum non sit in culpa primum beneficium recuperat: secus, si sciens admisit, vel postquam scivit, se exhibuit difficilem in beneficio reservato dimittendo. *C.* 20. *de Præbend. in* 6. Variæ sunt causæ reservationis. 1. ut denotetur, ampliorem potestatem apud Pontificem, quam apud alios Collatores, residere. *C.* 14. *b. t. in* 6. 2. ut major communicatio Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum sit cum Romana Ecclesia omnium Matre, & Magistra, dum ab ea in hoc dependent. *C.* 21. 9. *q.* 3. 3. ut Romana Ecclesia possit se liberalem ostendere erga benemeritos, ipsis Ecclesiastica beneficia conferendo.

80 In corpore Juris Communis unica tantum invenitur reservatio, videlicèt in *C.* 3. *c.* 34. *b. t. in* 6. ubi reservantur beneficia vacantia in Curia Romana, vel apud sedem Apostolicam, quod Idem probabilitèr est, quæ reservatio durat unius mensis temppre à die vacationis: quòd si intra illum Pontifex non conferat, eo elapso, collatio pertinet ad ordinarios collatores. *C.* 3. *b. t. in* 6. Beneficium apud Sedem Apostolicam, seu in Curia vacare censetur, quando vacat ubi existit Pontifex cum sua Cancellaria, alijsque Tribunalibus, vel ubi existit Cancellaria cum alijs Tribunalibus, licet Papa recreationis, vel peregrinationis causa ad tempus absit. Vel si in loco vicino Curiæ, hoc est, non distante ultra duas diætas legales, Beneficiarius moriatur, si ibi non habeat domicilium.

lium. *C.34. b. t. in 6.* Hæc reservatio non comprehendit. 1. beneficia, quæ sunt juris Patronatus Laicalis, quia Pontifex non censetur juri Laicorum ex fundatione, vel dotatione Ecclesiarum adquisito derogare, nisi id exprimat specialitèr; imò etsi in rescripto reserventur beneficia; quæ sunt juris patronatus Laicorum, non comprehenditur jus patronatus Regum; vel Principum, nisi exprimatur. Beneficia verò, in quibus Laicis competit jus patronatus non ex fundatione, ædificatione, vel dotatione Ecclesiæ, sed ex privilegio Pontificio, vel præscriptione in privilegio fundata, comprehenduntur in reservatione. 2. Non comprehendit beneficia Regularia. 3. Nec beneficia Ecclesiæ non numeratæ, seu receptivæ, hoc est in qua est certus numerus beneficiorum, seu præbendarum, quia beneficiario mortuo ipsa extinguuntur, & si de novo conferantur, quasi reviviscunt. 4. Beneficia resignata ex causa permutationis. 5. Beneficia Parochialia, quæ vacant tempore, quo Sedes Apostolica vacat, ne eorum diutina vacatio periculum animabus afferat. *C. 35. b. t. in 6.* 6. Beneficia, quæ ex consuetudine sunt conferenda Magistris Theologiæ, aut Doctoribus Juris Canonici. 7. Beneficia manualia, seu revocabilia ad nutum, cum non sint strictè beneficia. Denique beneficia, quæ in Urbe vacant, & pertinent ad eos, qui in Urbe degunt, sed non sequuntur Curiam: hæc enim Pontifex jure ordinario, non jure reservationis confert.

81 *In Extr. 1. b. t. inter com.* reservantur Sedi Apostolicæ beneficia apud eandem Sedem Apostolicam vacantia: quæ reservatio non videtur differre ab immediatè dicta in *Extrav. 4. b. t.* reservantur beneficia, quæ vacant, vel debent dimitti propter adeptionem Dignitatis, personatus, officij, beneficij curati similis, & ita incompatibilis cum primo, ut secundo obtento primum vacet, etsi hoc non admittatur statim, sit auferendum etiam secundum. Quæ beneficia vacantia, vel dimissa ob secundi adeptionem sibi reservat Pontifex, ita ut si quis alius de eis disponere præsumat, irrita sit dispositio. *In Extrav. 11. b. t.* dicitur, quod si Dignitatem; vel aliud beneficium curatum obtinenti, aliud beneficium conferatur; & ambo vacent successivè, possint exigi, ac percipi à Camera Apostolica fructus eorum primo anno; quo vacant. *In Extr. 13. b. t.* Reservantur Sedi Apostolicæ Ecclesiæ Episcopales, Archiepiscopales, & Patriarchales; item Monasteria, Prioratus, Dignitates, officia, & beneficia quæcumque, etiamsi per electionem, aut quemcumque alium modum conferantur, si apud Sedem Apostolicam vacaverint: vacantia per depositionem, privationem, translationem, aut cassationem electionis, vel postulationis authoritate Pontificia factam, vel per renuntiationem à Papa admissam: Item vacantia per obitum Cardinalium, Legatorum, & aliorum Officialium Sedis Apostolicæ. Vacantia per promotionem ad majores Dignitates, Patriarchalem, Archiepiscopalem, Abbatialem, authoritate Pontificia factam, postquam sic promoti pacificam obtineant possessionem. Præterea de omnibus beneficijs reservatis, & reservandis decernit. *Extrav. ult. b. t.* ita esse affecta, ut si alius; quam Pontifex disponat irrita sit dispositio.

82 Aliæ reservationes fiunt in Regulis Cancellariæ, & quia prædictæ regulæ partem Juris Canonici constituunt, hac occasione operæ pretium duxi eas hic ad litteram inserere in studētium gratiam, quamvis ad varias materias pertinentes, nec credo hoc à curiosis reprehensibile reputandum.

REGULÆ, ORDINATIONES, ET CONSTITUTIONES Cancellariæ Apostolicæ. S. D. N. D. Innocentij Divina Providencia Papæ X.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Innocentius Divina Providentia Papa X. Suorum Prædecessorum vestigijs inhærendo, normam, & ordinem rebus gerendis dare volens in crastinum, suæ assumptionis ad summi Apostolatus apicem, videlicèt, die decimaquinta mensis Septembris, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto; reservationes, constitutiones, & regulas infrascriptas fecit, quas etiam ex nunc, licet nondum publicatas, & suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Franciscus Tit. S. Laurentij in Damaso, Diaconus Cardinalis Barberinus S. R. E. Vice-Cancellarius die 6. mensis Octobris dicti anni in Cancellaria Apostolica publicari fecimus.

Re-

Reservationes generales, & speciales.

1 IN primis fecit easdem reservationes, quæ in constitutione fel. record. Benedicti Papæ XII. quæ incipit: *Ad regimen*: continentur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etsi anti Officiales in eadem constitutione expressi Apostolicæ Sedis Officiales ante obitum eorum esse desierint, quoad beneficia, quæ tempore, quo Officiales erant obtinebant. Declarans nihilominus beneficia, quæ Sedis Officiales, qui ratione officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis Notarij erant, etiam dimissis ipsis officijs, & quandocumque assequuti fuerint sub hujusmodi reservationibus comprenendi. Ac reservavit beneficia, quæ per constitutionem piæ mem. Joannis Papæ XXII. quæ incipit: *Execrabilis*:vacant,vel vacare contigerint. Quam constitutionem, & reservationem SS. tam ad beneficia obtenta, quam alia quæcumque, de quibus Ordinarij, & alij Collatores contra Concilij Tridentini Decreta disposuerunt, & disponent in futurum extendit, & ampliavit. Et ea etiam beneficia omnia dispositioni suæ reservavit: de quibus perdictos Ordinarios, aut alios Collatores contra ejusdem Concilij Decretorum formam dispositum fuerit.

Reservatio Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac de tempore vacationis Episcopatuum vacaturorum Beneficiorum.

2 Item reservavit generalitèr omnes Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, necnon omnia Monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, & in posterum vacatura, & voluit, quod excessus hujusmodi litteris exprimatur. Ac etiam reservavit Dignitates, & beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electionem, & quamcumque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcorum, necnon Abbatum, ac aliorum quorumcumque Collatorum, & Collatricum, Sæcularium, & Regularium, quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel alijs, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem pertinentia) quæ post illorum obitum, aut Ecclesiarum, seu Monasteriorum, vel aliorum Dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu translationem, vel alias quomodocumque vacaverint, usque ad provisionem successorum ad easdem Ecclesias, aut Monasteria, vel Dignitate Apostolica authoritate faciendam, & adeptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem, quomodocumque vacaverint, & vacabunt in futurum.

Extensio reservationis Beneficiorum per assecutionem pacificam vacaturorum.

3 Item, qui de Beneficijs Ecclesiasticis, præterim curam animarum habentibus, seu alias personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, Apostolica authoritate provisi, seu providendi ante illorum assecutionem alia cum eisdem incompatibilia Beneficia Ecclesiastica per eos tunc obtenta in fraudem reservationis suæ resignarent, dimitterent. Voluit, decrevit, & declaravit, quod si in posterum, quibusvis personis de aliquibus Beneficijs Ecclesiasticis, tunc vacantibus, seu vacaturis per sanctitatem suam, aut ejus authoritate provideri, ipsosque provisos, seu providendos intra vacationis, & provisionis, seu assecutionis eorum beneficiorum tempora quæcumque alia cum illis incompatibilia Beneficia Ecclesiastica sæcularia, vel quorumvis Ordinum, ac etiam Hospitalium, Regularia per eos, tunc obtenta, nulla speciali, & expressa de eisdem in provisionibus prædictis facta mentione simplicitèr, vel causa permutationis, ac alias quomodolibet, sive in sanctitatis suæ, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut Legatorum, vel Nunciorum d. Sedis, sive Ordinariorum, vel aliorum collatorum, quorumcumque manibus resignare, seu dimittere, aut Juribus, sibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes, & singulæ concessiones, collationes, provisiones, & quævis aliæ dispositiones de beneficijs, seu juribus, sic resignandis, dimittendis, & cedendis pro tempore faciendæ, cum inde sequutis quibuscumque cassæ, & irritæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur, sed beneficia, & jura, ut præfertur, resignata, dimissa, & cessa, eo ipso vacant, ac sub reservatione prædicta, quam sanctitas sua, etiam quoad hoc extendit, & ampliavit, comprehensa censeantur. Ita quod de illis per alium, quam eandem sanctitatem suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem nullatenus disponi possit in omnibus, & per omnia per-

perindè, ac si per pacificam assecutionem beneficiorum aliorum hujusmodi verè, & realitèr vacavissent, ac ulterius voluit beneficium, de quo resignans fuerit authoritate Apostolica provisus, ac per cujus assecutionem beneficia vacare debebant, ut prius vacare, perindè, ac si collatio favore resignantis facta non fuisset. Decernens irritum, &c. attentari.

Reservatio Dignitatum, necnon suorum, & S. R. E. Cardinalium Familiarium Beneficiorum.

4 Item reservavit generalitèr dispositioni suæ omnes Dignitates majores post Pontificiales in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, necnon valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes, principales in Collegiaris Ecclesijs. Reservavit etiam Prioratus, Præpositutas, Præpositatus, ac alias Dignitates Conventuales, & Præceptorias generales Ordinum quorumcumque (sed non Militiarum.) Ac quæcumque beneficia, quæ sui etiam dum Cardinalatus fungebatur honore: existentes, ac S. R. E. viventium nunc, & qui erunt pro tempore Cardinalium familiares continui, Comensales obtinent, & in posterum obtinebunt, eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ jus eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem, vel alias recesserint. Declarans, Dignitates, quæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales majores existunt, & quæ ex Apostolicæ Sedis indulgentia, vel ordinaria authoritate, aut consuetudine præscripta, vel alias quovis modo in Collegiatis Ecclesijs principalem præeminentiam habere noscuntur, sub reservatione prædicta comprehendi debere.

Reservatio Beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum.

5 Item reservavit generalitèr omnia, & singula beneficia Ecclesiastica, quorumcumque Collectorum, & unicorum in quacumque Civitate, vel Diœcesi, qui suo tempore officia exercuerit, Subcollectorum fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum, illa videlicèt beneficia dumtaxat, quæ durante eorum officio obtinebant, & in quibus, seu ad quæ jus eis competebat.

Reservatio Beneficiorum Curialium, dum Curia transfertur.

6 Item reservavit omnia, & singula beneficia Ecclesiastica quorumcumque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo, decedere contigerit in quovis loco, quantumcumque etiam à dicta Curia remoto.

Reservatio Beneficiorum Cubiculariorum, & Cursorum.

7 Item reservavit generalitèr idem D. N. Papa dispositioni suæ omnia beneficia Cubiculariorum, etiam Honoris nuncupatorum, ac Cursorum suorum. Declarans in prædecessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Regulis reservatorijs Beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios Honoris nuncupatos, etiam à die earum Editionis, & publicationis, intelligi, & comprehendi, ac comprehensos fuisse, & esse. Irritumque, &c. attentari decernens.

Reservatio Beneficiorum Ecclesiarum S. Joannis Lateranensis, & S. Petri, ac B. Mariæ Majoris de Urbe, & beneficiorum Titulorum Cardinalium à Curia absentium.

8 Item reservavit dispositioni suæ generalitèr quoscumque Canonicatus, & Præbendas, ac Dignitates, Personatus, & Officia in S. Joannis Lateran. & Principis Apostolorum, ac B. Mariæ Majoris de Urbe Ecclesijs: necnon ad collationem provisionem, & præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium à Romana Curia absentium ratione suorum Episcopatuum, Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium Titulorum, & Diaconiarum spectantia, quamdiu absentia sua duraverit Canonicatus, & Præbendas, Dignitates, Personatus, administrationes, & officia, cæteraque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura vacantia, & in anteà vacatura, tàm in eadem Urbe, quàm in Ecclesijs, Civitatibus, & Diœcesibus dictorum Episcopatuum consistentia, ac decrevit irritum, &c.

Reservatio mensium Apostolicorum, & alternativa pro Episcopis residentibus.

9 Item cupiens S. D. N. Papa pauperibus Clericis, & alijs benemeritis perso-

nis providere omnia beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, qualitercumque qualificata, & ubicumque existentia in singulis Januarij, Februarij, Aprilis, Maij, Julij, Augusti, Octobris, & Novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam, aliàs quam per resignationem quocumque modo vacatura, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum, & collatricum Sæcularium, & quorumvis ordinum regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium, aut aliorum sub concordatis, inter Sedem Apostolicam, & quoscumque alios initis, & pereos, qui illa acceptare, & observare debuerant, acceptatis, & observatis, quæ lædere non intendit comprehensorum) quomodolibet pertinentia dispositioni suæ generalitèr reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis Beneficijs tunc vacantibus, etiam motu proprio fient de mense, in quo vacaverint dispositivè mentionem fieri. Alioquin gratias nullas esse. Ac consuetudines, etiam immemorabiles optandi majores, & pinguiores Præbendas, necnon privilegia, etiam in limine erectionis concessa, & indulta Apostolica circa ea, ac etiam disponendi de hujusmodi beneficijs, aut quod illa sub hujusmodi reservationibus nunquam comprehendatur, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatorijs, & fortioribus efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs Decretis, quorum tenores pro expressis haberi, & latissimè extendi voluit quibusvis personis, & Collegijs cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, quomodolibet concessa adversus reservationem hujusmodi minimè suffragari. Insuper sanctitas sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta, ipsis, quamdiu apud Ecclesias, aut Diœceses suas verè, ac personalitèr resederint dumtaxat, de omnibus, & quibuscumque beneficijs Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura Sæcularibus, & Regularibus (ad liberam ipsorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem, seu præsentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, interventu Capitulorum, vel aliorum, aut alias pertinentibus) quæ in anteà in mensibus Februarij, Aprilis, Junij, Augusti, Octobris, & Decembris extra Curiam ipsam vacare contigerit (dumodo alias dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint) libere disponendi facultatem concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione, aut alia dispositione beneficiorum in alijs sex mensibus, videlicet, Januarij, Martij, Maij, Julij, Septembris, & Novembris vacaturorum (quæ etiam dispositioni suæ, ut præfertur, reservavit) seu etiam aliorum dispositioni suæ, & dictæ Sedis aliàs quomodolibet reservatorum, vel affectorum se intromisserint, aut quominùs provisiones, & gratiæ sanctitatis suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquomodo præstiterint, usu, & beneficio prædictæ facultatis eo ipso privati existant, ac collationes, & aliæ dispositiones de beneficijs illius prætextu deinceps faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti. Illi vero, qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes litteras manu propria subscriptas, suoque sigillo munitas, & in sua quisque Civitate, vel Diœcesi datas declarare, & litteras ipsas huc ad Datarium Sanctitatis suæ transmittere teneantur; quibus ab eo receptis, & recognitis, tunc demum, & non anteà uti incipiant gratia supradicta. Declarans, exceptionem positam in Regula favore S. R. E. Cardinalium, & indultum conferendi beneficia reservata concessum Cardinali Episcopo, non suffragari Capitulo ratione communionis, & consortij juxta declarationem felic. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris sui editam die 10. Septembris, anno millesimo sexcentisimo vigesimosexto, quam sanctitas sua in omnibus, & per omnia apptobat. Decernens, sic in præmissis omnibus per quoscumque &c. Judicari debere ac irritum, &c.

De Literis in forma, rationi congruit expediendis.

10 Item voluit idem D. N. Papa, quod concessa per fel. record. Gregorium XV. & Urbanum VIII. Prædecessores suos, & de eorum mandato expediantur in forma rationi congruit, à die Assumptionis suæ ad summi Apostolatus apicem, & idem quoad concessa per piæ mem. *Paul. V.* Etiam Prædecessorem suum, ad sex menses dumtaxat ab ipso die Assumptionis incipiendos observari voluit.

De-

Declaratio reservationis Ecclesiarum, & beneficiorum per Prædecessores reservatorum.

11 Item declaravit omnium, & singularum Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum provisiones, quas prædicti Prædecessores sui, ordinationi, & dispositioni eorum, necnon omnia, & singula beneficia Ecclesiastica, quæ dicti Prædecessores, etiam prædictæ dispositioni, cum interpositione Decreti reservaverant (quæ quidem Ecclesiæ, Monasteria, necnon sic reservata beneficia tempore obitus eorumdem Prædecessorum vacabant, aut Ecclesiæ ipsæ, vel Monasteria hujusmodi, si commendata, vel eis administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse, & remanere per hujusmodi reservationem, & Decretum affecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem ea vice se intromittere, vel disponere potuisse, sivè posse quoquomodo. Decernens irritum, & inane, si secus super ilis attentatum forsan erat tunc, vel in posterum contingeret attentari.

Revalidatio litterarum Prædecessoris, gratia, & justitia infra annum concessarum.

12 Item prædictus D. N. omnes, & singulas ab ipsis Gregorio XV. & Urbano VIII. Rom. Pont. Prædecessoribus suis infra annum ante diem obitus eorum concessas gratiæ, vel justitiæ litteras, temporibus debitis, eorum executoribus, seu judicibus non præsentatas, omninò revalidavit, & in statum pristinum, in quo videlicet anteà fuerant, vel pro quibus erant obtentæ, quoad hoc plenariè restituit, ac decrevit per executores, seu Judices prædictos, vel ab eis subdelegandos ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse, & debere juxta illarum formam.

Revocatio unionum.

13 Item rationabilibus suadentibus causis ipse D. N. omnes uniones, annexiones, applicationes, & dismembrationes, etiam perpetuas, de quibusvis Cathedralibus, necnon alijs Ecclesijs, Monasterijs, Dignitatibus, Personatibus, officijs, & beneficijs Ecclesiasticis, eorumve domibus, prædijs, & locis perceffum, vel decessum, aut aliam quamvis dimissionem, vel amissionem, qualiacumque fuerint invicem, vel alijs Ecclesijs, Monasterijs, & Mensis, etiam Capitularibus, Dignitatibus, personatibus, officijs, beneficijs, ac pijs, vel alijs locis Universitatibus, etiam studiorum Generalium, & Collegijs, etiam in favorem S. R. E. Cardinalium, seu Ecclesijs, Monasterijs, & Beneficijs per eos obtentis, quomodolibet, Apostolica, vel alia quavis (non tamen Concilij Tridentini authoritate, necnon fundatione, seu dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, vel aliorum piorum, & Religiosorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum institutorum) factas, quæ suum non sunt sortitæ effectum: Ac quæcumque concessiones, & mandata super unionibus annexionibus, incorporationibus, & alijs præmissis talitèr faciendis, revocavit, cassavit, & irritavit, nulliusque decrevit existere firmitatis. Nec alicui quascumque clausulas, vel adjectiones, aut decreta, quæ sanctitas sua pro expressis haberi voluit in quibusvis Apostolicis, etiam quæ motu proprio, aut ex certa scientia, & consistorialitèr processerunt, & emanarunt litteris, etiamsi in eis decretum esset, illas ex tunc effectum sortitas esse, aut jus quæsitum fore quomodolibet contentæ adversus revocationem, & irritationem hujusmodi voluit aliquatenùs suffragari.

Revocatio facultatum quibusvis concessarum

14 Item revocavit quascumque facultates concessas, quibusvis Patriarchis, Archiepiscopis, & alijs Prælatis, & personis, necnon Apostolicæ Sedis Nuncijs, ac fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectoribus, de dispensando cum quibusvis personis super matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natallium, & ætatis defectibus, & de incompatibilibus beneficijs Ecclesiasticis in simul retinendis, necnon de Notatijs publicis creandis, ac de disponendo, quomodolibet de quibusvis beneficijs Ecclesiasticis, & alias à præmissis officia ipsorum Nunciorum, & Collectorum directè non concurrentes, etiamsi in litteris desuper confectæ sint clausulæ restitutoriæ, & derogatoriarum derogatoriæ, & aliæ efficaciores, quas pro expressis haberi voluit, quoad omnia in quibus facultates ipsæ non sunt sortitæ effectum, etiamsi Nuncijs eisdem, dictæ Sedis Legatis de Latere competens sit concessa potestas. Decernens irritum, &c.

Revocatio facultatum conf.rendi reservata.

15 Item revocavit quascumque facultates, & litteras desuper confectas, per quas quicumque sui Prædecessores Romani Pontifices, quibusvis personis ordinariam collationem, seu aliam dispositionem beneficiorum Ecclesiasticorum de jure, vel consuetudine habentibus, & quavis etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia Dignitate, vel alio, non tamen Cardinalatus honore fulgentibus, quavis consideratione, intuitu, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, ac irritantibus, & alijs decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis concesserant, aut quandiu viverent, vel suis Ecclesijs, seu Monasterijs præessent, aut ad aliud tempus de beneficijs Ecclesiasticis generalitèr reservatis, seu affectis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem, communitèr, vel divisim spectantibus disponere libere, & licitè valerent, aut etiam ad id per eosdem Prædecessores Vicarij perpetui, vel ad tempus constituti forent. Decernens irritum, & inane, &c.

De dictionibus numeralibus.

16 Item, ut in Apostolicis litteris committendi crimen falsi per amplius tollatur occasio, voluit, & ordinavit, quod dictiones numerales, quæ in dictis litteris ante Nonas, Idus, & Kalen. immediatè poni consueverunt, per litteras, & syllabas extensæ describantur, & illæ ex prædictis litteris, in quibus hujusmodi dictiones aliter scriptæ fuerint, ad Bullariam nullatenus mittantur.

De concurrentibus in data.

17 Item voluit, quod de concurrentibus in data ejusdem diei supervacantibus, seu certò modo vacaturis beneficijs illi, quibus gratiæ motu proprio conceduntur, cæteris simili modo gratias non habentibus: alias graduati non graduatis, aut inter graduatos, magis graduati, ac inter æqualitèr graduatos prius graduati, necnon colorato titulo possessores non possessoribus, ac inter personas, aliàs in Curia præsentes absentibus ab ea, ac inter præsentes non beneficiati beneficiatis, & similitèr inter absentes, cæteris paribus, oriundus non oriundo, & Diœcesanus non Diœcesano: In reliquis vero singuli, qui prius Apostolicas desuper litteras eorum executoribus præsentaverint alijs in ipsorum, de quibus agi contigerit, Beneficiorum assecutione præferantur.

De non tollendo jus quaesitum.

18 Item, ne per varias, quæ pro commissionibus, seu mandatis, & declarationibus habendis in causis plerumque fiunt suggestiones, justitia postponatur. Idem D. N. decrevit, & declaravit suæ intentionis fore, quod deinceps per quamcumque signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel litteras Apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi motu proprio ex certa scientia, ac etiam ante motam litem à sanctitate sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur.

Regula de viginti.

19 Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod beneficium, sive simplicitèr, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius beneficij unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus signatæ, & posteà infra viginti dies à die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium quavis authoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmod sit nulla, ipsumque Beneficium nihilominùs per obitum censeatur vacare.

De Idiomate.

20 Item voluit, quod si contingat, ipsum alicui personæ de Parochiali Ecclesia, vel quovis alio beneficio exercitium curæ animarum Parochianorum quomodolibet habente providere, nisi ipsa persona intelligat, & intelligibilitèr loqui sciat Idioma, ubi Ecclesia, vel Beneficium hujusmodi consistit provisio, seu mandatum, & gratia desuper, quoad Parochialem Ecclesiam, vel beneficium hujusmodi nullius sint roboris, vel momenti.

De non impetrando beneficium per obitum viventium.

21 Item, si quis supplicaverit sibi de be-

beneficio quocumque, tanquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante provideri, & posteà, per obitum ejus vacet provisio, & quævis dispositio dicto supplicanti per obitum hujusmodi, de novo faciendæ nullius sint roboris, vel momenti.

De unionibus, & unionum confirmatione.

22 Item voluit, quod petentes beneficia Ecclesiastica alijs uniri teneantur, exprimere verum annuum valorem secundum communem æstimationem, tàm beneficij uniendi, quàm illius cui uniri petitur, alioquin unio non valeat, & semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest, & idem voluit observari in quibusvis supplicationibus, perpetuis concessionibus, dismembrationibus, & applicationibus etiam de quibuscumque fructibus, & bonis Ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum singularumque dispositionum hujusmodi.

De Mendicantibus transferendis.

23 Item de Mendicantibus transferendis, qui ad alios ordines transierunt pro tempore, voluit constitutionem fel. rec. Martini Papæ V. Prædecessoris sui desuper factam, & in libro Cancellariæ Apostolicæ descriptam, qui incipit: *Viam ambitiosæ cupiditatis, &c.* firmitèr observari.

De male promotis.

24 Item, de Clericis extra tempora à jure statuta, sive ante ætatem legitimam, aut absque dimissorijs litteris ad sacros ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit constitutionem piæ mem. Pij II. similitèr Prædecessorijs sui desuper editam, & in d. Cancellariæ Apostolicæ libro descriptam, quæ incipit: *Cum ex sacrorum Ordinum, &c.* pari modo observari.

De Moneta.

25 Item declaravit idem D. N. quod libra Turonensium parvorum, & florenus auri de Camera pro æquali valore in concernentibus litteras, & Cameram Apostolicam computari, & æstimari debeant.

De Beneficijs vacaturis per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria.

26 Item prædictus D. N. Papa voluit, decrevit, & ordinavit, quod quæcumque concessiones, gratiæ, & mandata, etiam motu proprio, & cum derogatione hujus constitutionis, quæ ab eo pro quibusvis beneficijs vacaturis per promotionem quorumcumque ad Ecclesiarum, & Monasteriorum Regimina, si hujusmodi concessiones, & mandata diem promotionis promovendorum ipsorum præcesserint, necnon, quæcumque collationes, provisiones, & dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis, & quibusvis alijs beneficijs Ecclesiasticis, Sæcularibus, & Regularibus, quæ per promovendos, vel assumendos ad quascumque Prælaturas, inter illarum vacationis, & hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simplicitèr, vel ex causa permutationis ubicumque resignari, vel alias dimitti contigerit, cum inde securis pro tempore sint cassæ, & irritæ nulliusque roboris, vel momenti.

De non judicando juxta formam supplicationum litterarum expeditarum.

27 Item, cum ante confectionem litterarum gratia Apostolica sit informis voluit, statuit, & ordinavit idem D. N. quod Judices in Romana Curia, & extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S.R.E. Cardinales causarum Palatij Auditores, vel quicumque alij, non juxta supplicationum signatarum super quibusvis impetrationibus (nisi in dicta Curia dumtaxat sint commissiones justitiam concernentes, per *Placet*, vel per S. R. E. Vice-Cancellarium, juxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ) sed juxta litterarum super eisdem impetrationibus, & concessionibus confectarum tenores, & formas judicare debeant. Decernens irritum, &c. Et si litteræ ipsæ per præoccupationem, vel aliàs minus benè expeditæ reperiantur, ad illorum, quorum interest instantiam ad Apostolicam Cancellariam remitti poterunt per ejus Officiales, quibus hujusmodi tenores, & formas restringere convenit ad formas debitas reducendæ.

De Regulis Cancellariæ producendis.

28 Item attendens D. N. Papa, quod super habendis de Cancellaria Apostolica Regulis, & Constitutionibus inibi descriptis facillitèr per eos, qui in Romana Curia indiguerint ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret, quod super earumdem Regulatum, &

& Constitutionum (quæ juxta varietatem concurrentium causarum, & negotiorum aliquoties immutari convenit) probando tenore, vel effectu, testium plerumque tenacem desuper memoriam non habentium depositionibus stari deberet, voluit, statuit, & ordinavit, quod deinceps quilibet ex Auditoribus Causarum Palatij Apostolici, & alijs (etiamsi S. R. E. sint Cardinales) in ipsa Curia pro tempore deputatis Authoritate Apostolica Judicibus, etiam in causis actu pendentibus super hujusmodi tenore, vel effectu probando dumtaxat stet, fidemque adhibeat cedulæ, seu scripturæ desuper à duobus Majoris Præsidentiæ, quod danda sit à tergo signatæ, & etiam, à duobus alijs litterarum Apostolicarum Abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatæ, & Vice-Cancellarij, seu dictam Cancellariam Regentis manu subscriptæ, ut moris est. Quidquid autem secus fieri contigerit nullius sit roboris, vel momenti.

De subrogandis collitigantibus.

29 Item D. N. cupiens litium succidere anfractus, & ne novi collitigantibus adversarij dentur, providere, voluit, statuit, & ordinavit, quod quoties deinceps aliquem super quovis beneficio Ecclesiastico collitigantem in jure, vel ad jus, si quod forsan ejus adversario in dicto beneficio competierit, subrogari contigerit, (dummodo prædictus collitigans in d. beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum adversarium postquam illud per triennium pacificè possederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso jure, sive tunc vacet, vel cum vacaverit, impetrationes, vel concessiones, etiam motu proprio infra mensem ante concessionem hujusmodi factæ nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominùs cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia, illorum præsertim, quibus, aut propter senium, aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum, impetrant, ut illis decedentibus, tanquam collitigantes in eorum juribus facilius subrogentur, voluit, ut deinceps nullus in jure, vel ad jus in beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus præmissis, vel similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur, ac subrogatio, vel gratia, si Neutri, si Nulli, seu novæ provisionis, aut perinde valere talitèr impetranti nullatenùs suffragetur. Quod etiam strictissimè observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem, & amotionem, & quibusvis criminibus, & excessibus forsan perpetratis, etiamsi usque ad difinitivam sententiam, quæ tamen in rem non transierit judicatam, processum foret.

De Verisimili notitia.

30 Item voluit, & ordinavit, quod omnes gratiæ, quas de quibusvis beneficijs Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, Sæcularibus, vel Regularibus, per obitum quarumcumque personarum vacantibus in antea fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, & ante datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint ad notitiam ejusdem D. N. verisimilitèr potuerint pervenisse.

Non valeant commissiones causarum, nisi litteris expeditis.

31 Item, quod omnes, & singulæ commissiones causarum, quas in antea fieri contigerit, obtentæ, vel occasione concessionum dumtaxat Apostolicarum de beneficijs Ecclesiasticis gratiarum, super quibus litteræ Apostolicæ confectæ non fuerint, ac processus desuper habendi nullius fiut roboris, vel momenti.

De impetrantibus Beneficia per obitum familiarium Cardinalium.

32 Item voluit, quod impetrans Beneficium vacans per obitum familiaris alicujus Cardinalis teneatur exprimere nomen, & titulum ipsius Cardinalis, & si ille in Curia fuerit, ejus ad id accedat assensus, alias desuper gratia sit nulla. Et idem servari voluit, si Cardinales, quomodolibet ab ipsa Curia absentes, & ubilibet, etiam in locis infra duas dietas vicinis degentes, familiamque, & lares in eadem Curia retinentes, ab ipsa Curia recesserint, ad eamdem illico reversuri, & infra decem, vel ad summum quindecim dies verè, & personalitèr reversi fuerint, ita quod Cardinalibus, alias quam ut præfertur ex quacumque sua quantumlibet necessaria, ac qualibet alia hic necessario exprimenda, absentibus, facultas præstandi consensum hujusmodi non competat, sed beneficia hujusmodi ad liberam Sanctitatis suæ, & Sedis Apostolicæ provisionem, & dispositionem pertineant.

De-

Declarans, Regulas, & Constitutiones suorum Prædecessorum, etiam à die earum editionis, & publicationis super assensu hujusmodi præstando, sic intellectas, & intelligendas fuisse, irritumque, &c. attentari decernens. Quodque si prædicti familiares eorumdem Cardinalium familiares esse desierint, seu ad aliorum Cardinalium familiaritatem similem transierint, quod beneficia, quæ familiaritate priori durante obtinuerint, & in quibus, vel ad quæ priori ipsa familiaritate durante, jus eis competierit, Cardinales, quorum prius familiares fuerint, suum habeant adhibere consensum. Declarans, præsentem Constitutionem locum non habere in illis beneficijs, quæ familiares ipsi tempore obitus eorum in dicta Curia, vel extra eam obtinerent, aut antea obtinuissent, & ratione officiorum per eos obtentorum dictæ dispositioni generaliter reservata, vel affecta fuisse apparerent. Necnon illos quoad effectum dictæ Constitutionis familiares eorumdem Cardinalium censeri, qui ipsorum Cardinalium familiares continui commensales ad minus per quatuor menses, etiam ante Cardinalatum fuisse probarentur. Decernens irritum, &c.

Super eadem Familiaritate.

33 Item idem D. N. ad evitandas lites, & contentiones, quæ ex præcedenti sua Constitutione exoriri possent, vestigijs Prædecessorum suorum inhærendo, voluit, statuit, & ordinavit, quod si beneficia, quæ per obitum familiarium, continuorum Commensalium eorumdem Cardinalium in futurum vacabunt cessantibus Apostolicis reservationibus ad alterius Cardinalis Collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dicta præcedenti Constitutione non comprehendantur, quoad hoc, ut in provisionibus talium beneficiorum super expeditione litterarum illius Cardinalis, cujus familiaris defunctus ille extitit consensus requiri debeat, sed beneficia hujusmodi ad collationem, seu quamvis dispositionem Cardinalis, Ordinarij collatoris, ut præfertur, libere spectare censeantur. Et si apud Sedem Apostolicam beneficia hujusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverit, tunc in provisione talium beneficiorum super expeditione litterarum, illius Cardinalis exigatur consensus, si in Romana Curia præsens fuerit, ad quem eorum collatio, & dispositio, ut præfertur, pertinere deberet, ita ut Cardinalis, Ordinarius collator in concursu cum Cardinali Patrono semper præferri debeat.

Signatura per, Fiat, præferatur alteri per concessum.

34 Item voluit D. N. quod concurrentibus eadem die super quocumque beneficio, per, *Fiat*, & *Concessum*, signaturis ex eis per, *Fiat*, etiam, ut petitur habens alteri per *concessum*, etiam motu proprio habenti præferatur, etiamsi in illa per *concessum* prægnantiores, & quantumlibet privilegiativæ essent clausulæ.

De Annali possessore.

35 Item S. D. N. ut improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit, & ordinavit, quod quicumque Beneficium Ecclesiasticum, tunc per annum immediatè præcedentem pacificè possessum, & quod certo modo vacare prætenditur, deinceps impetraverit nomen, gradum, & nobilitatem possessoris ejusdem, & quot annis ipse illud possederit, ac specificam, & determinatam, ex qua clarè poterit constare, quod nullum ipsi possessori in dicto Beneficio jus competat causam hujusmodi impetrationis exprimere, & infra sex menses ipsum possessorem ad judicium evocari facere, causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam definitivam inclusive prosequi debeat, & teneatur. Alioquin impetratio prædicta, & quæcumque inde sequuta nullius existant firmitatis. Et idem impetrans de damnis, & interesse possessorem prætatum, propterea contingentibus ei satisfacere, & si possessorem ipsum injustè, frivolè, & indebite molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere Cameræ Apostolicæ sit adstrictus. Nec alius, quam præmissæ vacationis modus, etiam per litteras, si neutris, aut subrogationis, aut alias sibi quoad hoc, ut beneficium hujusmodi ea vice consequi, aut obtinere valeat quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus in antea litigiosum propterea censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes Beneficia Ecclesiastica cujuscumque qualitatis per privationem, & amotionem, vel alias propter commissa, excessus, & crimina, vacantia, vel vacatura. Et similiter ad imperrantes beneficia tanquam vacantia per devolutionem.

De

De Triennali.

36 Item statuit, & ordinavit idem D. N. quod si quis quæcumque Beneficia Ecclesiastica, qualiacumque sint absque simoniaco ingressu ex quovis titulo, Apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, & electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possederit (dummodo in beneficij, hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex reservatione generali in corpore juris clausa, reservata fuerint, se non intruserint) super eisdem beneficijs taliter possessis molestari nequeat, necnon impetrationes quaslibet de beneficijs ipsis, sic possessis factas, irritas, & inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitùs extinguendo.

De non appellando ante sententiam diffinitivam.

37 Item idem D. N. ut finis litibus celerius imponatur, & litigantium parcatur sumptibus, & pensis, suorum Prædecessorum Constitutionibus, & statutis inhærendo, statuit, & ordinavit, quod in causis pendentibus, & quas in posterum contigerit agitari, nulli ante definitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat diffinitivæ, vel à gravamine minimè concernente negotium principale, quod non possit per appellationem à diffinitiva sententia reparari. Nullæque causæ appellationum committantur, nisi in commissione exprimatur, quod interlocutoria vim diffinitivæ habeat, vel gravamen sit tale, quod in appellatione à diffinitiva non valeat reparari. Alioquin appellationes, & commissiones in posterum, & quidquid inde sequutum fuerit, nullius sint roboris, vel momenti, commissionibus appellationum jam Judicibus præsentatis, & exhibitis in suo robore permansuris, in quibus latis super eisdem sententijs secundò, vel ulterius ab eis non liceat appellare. Appellantes verò, & appellationes etiam ab interlocutorijs, & gravaminibus hujusmodi, suo, vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint ultra expensas, & damna, ad quæ reficienda de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri pœna mulctetur.

Non stetur commissioni post conclusionem.

38 Item statuit, & ordinavit, quod in commissionibus de justitia, seu mandatis etiam consistorialibus per eum, seu de ejus mandato, vel authoritate in causis, in quibus conclusum existat in posterum concedendis, etiamsi in eis de conclusione hujusmodi implicitè, vel explicitè mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem commissionis hujusmodi derogetur expressè.

De Litteris Religiosorum expediendis.

39 Item voluit, & ordinavit, quod si aliqui Religiosi petunt aliquod beneficium ad nutum amovibile cum clausula, quod exindè pro solo nutu Abbatis, vel Superioris amoveri non possint, litteræ quoad ipsam clausulam nullatenùs expediantur, nisi idem D. N. ponat in signatura, quod non possit amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

De Clausula ponenda in litteris permutationum Beneficiorum.

40 Item, si committatur alicui beneficio resignationis receptio, ponatur clausula: ***Attente quoque provideas***, &c. Et si ex causa permutationis resignationes fiant, ponatur clausula: ***Quod neuter permutantium jus acquirat***, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.

De supplendis defectibus.

41 Voluit, quod si petatur, suppleri defectus in genere, nullatenùs litteræ desuper concedantur, nisi in petitione desuper hujusmodi defectu exprimantur, vel ***per fiat, ut petitur***, supplicatio signata fuerit.

De Derogatione juris patronatus.

42 Item voluit, quod super quovis Beneficio Ecclesiastico de jure patronatus Laicorum non expediantur litteræ, ni ponatur expressè, quod tale beneficium tanto tempore vacavit, quod ejus collatio ad Sedem Apostolicam legitimè est devoluta, vel quia tempus Patronis Laicis ad præsentandum à jure præfixum lapsum existat, aut ad id Patronorum ipsorum accedat assensus. Etsi per ipsum juri patronatus hujusmodi derogari contigerit juris patro-

natus hujusmodi mentio dispositivè, ac specificè, & determinatè non autem conditionalitèr fiat, si illud ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat, & de hoc in litteris provisionis, vel mandato de providendo de dicto beneficio similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

De Commendis.

43 Item voluit, quod nulli Sæculari de Regulari, nec Religioso de Sæculari beneficijs commenda detur, nisi insignatura per clausulam ad partem super petitione commendæ hujusmodi de commenda ipsa mentio fiat.

De Reformationibus.

44 Item voluit statuit, & ordinavit, quod super quibuscumque Reformationibus signatis, super impetrationibus quorumcumque beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quod litteræ super prima data expediri possint, si ex hujusmodi expeditione sub tali data cuiquam videatur posse fieri præjudicium, litteræ hujusmodi sub ipsa prima data nullatenùs expediantur, nisi reformationes hujusmodi per *fiat*, sub prima data signatæ fuerint.

De Consensu in Resignationibus, & Pensionibus.

45 Item voluit, & ordinavit, quod super resignatione cujuscumque Beneficij Ecclesiastici, seu cessione juris in eo, quam in manibus suis, vel in Cancellaria Apostolica fieri contigerit, Apostolicæ litteræ nullatenùs expediantur, nisi resignans, vel cedens, si præsens in Romana Curia fuerit, personalitèr, alioquin per Procuratorem suum, ad hoc ab eo specialitèr constitutum, expeditioni hujusmodi in eadem Cancellaria expressè consenserit, & juraverit, ut moris est. Et si ipsum resignantem, seu cedentem plùries, super uno, & eodem beneficio in favorem diversarum personarum successivè consentire contigerit, voluit sanctitas sua, quod primus consensus tenere debeat, & alij posteriores consensus, ac litteræ, eorum prætextu, etiam sub priori data expeditæ pro tempore nullius sint roboris, vel momenti: nec litteræ reservationis, vel assignationis, etiam motu proprio cujusvis pensionis annuæ, super alicujus beneficij fructibus expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere tunc debebit.

De ingressu Religionis.

46 Item non dentur litteræ super Beneficijs vacaturis per ingressum Religionis, nisi illi præcesserit datam desuper petitionis.

Non valeat impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

47 Item voluit, quod si petatur aliquod beneficium vacans per modum in Cancellaria Apostolica exprimendum, talis impetratio non valeat, nec litteræ desuper expediantur.

De executione facienda.

48 Item voluit, statuit, & ordinavit, quod quotiescumque per signaturam suam, vel de ejus mandato factam, super exequendis aliquibus, cum adjectione proprij nominis, vel Dignitatis cujusvis, Judex datur, litteræ desuper expediantur, cum expressione, quod idem Judex executionem faciat per se ipsum.

De Dispensationibus in gradibus consanguinitatis.

49 Voluit, quod in litteris dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut aliàs prohibito, ponatur clausula: *Si mulier rapta non fuerit.* Et si scienter ponatur clausula addita in quaterno.

Super defectu natalium.

50 Voluit quod in dispensationibus super defectu natalium, quod possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula: *Quod non præjudicetur illis*, ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debeat.

Super dispensationibus.

51 Item, quod per quamcumque signaturam in quavis gratia nullatenùs dispensatio veniat, nisi dicta gratia totalitèr effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur.

Nulli suffragetur dispensatio nisi litteris confectis.

52 Item cum concessiones super gratijs dispensationum, quarumcumque quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum per Regulas Cancellariæ Apostolicæ sint providè limitatæ, licet aliquando in petitionibus super hujusmodi concessionibus oblatis multa sint petita, nequis talium concessionum prætextu id dispensativè tentere, aut facere præsumat, ad quod concessiones hujusmodi se non extendant voluit idem D. N. quod nulla talis dispensatio cuiquam in judicio, vel extra suffragetur, antequam super ea litteræ Apostolicæ sint confectæ.

De Clausulis ponendis in litteris Indulgentiarum.

53 Item voluit, quod in litteris Indulgentiarum ponatur, quod si Ecclesiæ, vel Capellæ, vel aliàs aliqua Indulgentia fuerit per ipsum concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, hujusmodi litteræ sint nullæ.

De Indulgentijs concessis ad instar.

54 Item voluit idem D. N. quod litteræ super Indulgentijs non expediantur ad instar, nisi specificentur.

De exprimendo valore Beneficiorum in impetrationibus.

55 Item voluit, quod in gratijs, quas quibusvis personis de beneficijs vacantibus, seu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc obtinuerint, seu de quibus eis fuerit provisum, vel concessum; aut mandatum provideri, verus annuus valor per marchas argenti, aut sterlingorum, vel libras Turonens. parvorum, seu florenos, aut ducatos, vel uncias auri, seu aliam monetam, secundum communem æstimationem exprimatur, nisi personæ prædictæ, beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ jus eis competit juxta ipsarum obligationes, aut aliàs dimittere teneantur. Alioquin gratiæ prædictæ sint nullæ. Et idem servetur in gratijs, quas à sanctitate sua motu proprio emanare contigerit, quoad beneficia tamen, de quibus per sanctitatem suam pro tempore providetur, seu provideri mandatur; aut aliàs disponitur, ac litteris, per quas pro tempore ad Ecclesiarum Patriarchalium, & Cathedralium, ac Monasteriorum regimina promotis conceditur; ut Monasteria, & alia Beneficia Ecclesiastica sæcularia, & regularia per eos obtenta, & in quibus, & ad quæ jus eis competit, retinere possint.

De Clausulis in Beneficijs vacantibus ponendis.

56 Voluit, & ordinavit, quòd quando providet, seu mandat provideri alicui de Beneficio Ecclesiastico vacante, tunc dari poterunt clausulæ si petantur, *etiamsi illud quovis modo*, &c. *seu per constitutionem EXECRABILIS vacet*, & *specialitèr reservatum inter aliquos litigiosum sit*, & *ejus collatio devoluta fuerit*, & *si pro colligante, vel subrogationem, aut si neutri, vel si nulli*, &c. petente, si tunc lis specificè exprimatur. Nec detur aliqua generalis reservatio dispositivè, nisi desuper in concessione specialis, & expressa, ac purè, & non sub conditione mentio fiat, & tunc reliquæ reservationes ibi contentæ veniant. Si verò tempore expeditionis inde litterarum generalis reservatio hujusmodi probari non possit, aut in novis provisionibus, seu pro collitigantibus, si neutri, vel si nulli, &c. sit expressum, quod ab aliquibus asseritur, illum, cujus beneficium conceditur Collectorem, vel unicum Subcollectorem, Abbreviatorem, vel Familiarem, Notarium, aut dictæ Sedis Officialem fuisse clausula ponatur, etiamsi dictum Beneficium, ex eo quod talis Collector, vel unicus Subcollector, Abbreviator, vel Familiaris, Notarius, aut dictæ Sedis Officialis fuit dispositioni Apostolicæ generalitèr reservatum existat, dummodo non sit in eo alicui specialitèr jus quæsitum. In reliquis vero nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura per duplex, *fiat*, signata sit, aut reservatio, vel aliàs specialitèr habeatur.

De expressione qualitatum Beneficiorum in impetrationibus.

57 Item voluit, quod super beneficijs Ecclesiasticis de qualitatibus illorum, videlicèt. An Dignitates, personatus, vel officia sint, eisque immineat cura animarum, & ad illa consueverint, qui per electionem assumi, mentio fiat; alias gratiæ desuper factæ sint nullæ. Et si qualitates hujusmodi affirmativè, vel conditionalitèr non expri-

primantur, negativa expressè desuper fiat in beneficijs, quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas consueverint habere.

De Beneficijs vacantibus per contractum matrimonij.

58 Item, si reservetur beneficium per contractum matrimonij, non dentur alij modi vacationum de futuro, nec censeatur beneficium reservatum specialitèr, vel affectum, nisi sequatur matrimonium; sed in beneficijs per promotionem, aut ingressum Religionis, vel assecutionem vacaturis ponatur clausula etiamsi non petatur. Cum beneficia hujusmodi præmisso, vel alias quovis modo, &c. Præterquam per obitum obtinentis vacare contigerit etiamsi vacent.

De Clausulis ponendis in litteris Religiosorum, &c.

59 Item voluit, quod si petatur, aliquem in Religionem recipi, & sibi de quovis beneficio Ecclesiastico provideri per simplicem signaturam fiat. Receptio hujusmodi dumtaxat detur adjecto si petens idoneus sit, aut aliud Canonicum non obsistat, & exprimatur, si certus numerus Regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expressè concedatur, & si numerus iste non existat ponatur. Dummodò receptionis locus hujusmodi nimium propterea non gravetur. Possintque Executores provisionis hujusmodi ad receptionem emissionis professionis, non expectato probationis anno providere.

De translatione Religiosorum.

60 Item si Regularis petat, sibi de beneficio ab aliquo Monasterio, vel alio Regulari loco dependente provideri, & appareat ex petitione hujusmodi, quod alterius Monasterij, vel loci Religionis sit, licet ibi translatio non petatur, nihilominùs illa veniat.

De Clausula, si est ita.

61 Item quod in litteris super beneficijs per Constitutionem *Execrabilis* vacantibus ponatur Clausula *Si est ita.* Similitèr de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus.

Petenti provideri de vacaturo dentur litteræ de vacanti.

62 Item petenti sibi provideri de vacaturo dentur litteræ de vacanti, prout expedierit impetranti.

Revocatio Decimarum, & aliarum impositionum.

63 Item revocavit quascumque Decimarum, necnon subsidiorum vigesimæ, & aliorum onerum impositiones, quæ ex quavis causa, etiam in subsidium expeditionis contra Turcas, & Orthodoxæ Fidei hostes emanarunt, & quascumque facultates super decimarum vigesimæ, & onerum hujusmodi exactione, quibusvis fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectoribus, & Apostolicæ Sedis Nuncijs ab eisdem Prædecessoribus concessas. Suspendit quoque ad suæ sanctitatis, & Sedis Apostolicæ beneplacitum quascumque plenarias Indulgentias ab eisdem Prædecessoribus, ex quavis causa, etiam expeditionis hujusmodi concessas, si quæ per Nuncios, vel quæstores deferebantur, necnon deputandi, & eligendi Confessores, qui plenariè absolvant, & alia faciant ad earumdem Indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates, ipsas Indulgentias, quomodolibet concernentes prærerquam quoad ea, in quibus Indulgentiæ, & facultates in aliqua sui parte sint sortitæ effectum. Ita ut illis, qui implentes injuncta eis in litteris Indulgentiarum hujusmodi jam consequuti sunt facultatem eligendi Confessores, qui absolvat eos plenariè in mortis articulo, per hujusmodi suspensionem non præjudicetur, quin facultate ipsa uti possint in futurum: Decrevit quoque irritum, & inane quidquid facultatum revocatarum earumdem prætextu in posterum contigerit attentari.

Revocatio facultatum percipiendi pretium officiorum.

64 Item revocavit, cassavit, & annullavit, ac irritas declaravit quascumque facultates percipiendi pretium officiorum Romanæ Curiæ pro tempore vacantium in toto, vel in parte, & quasvis concessiones, & collationes, aliasque dispositiones per fel. rec. Urbanum VIII. Prædecessorum suum de dictis officijs, etiam ex die collationum, concessionum, & dispositionum earumdem in antea vacaturis in favorem quarumcumque personarum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Piorum Locorum, Collegiorum, seu eorum Mensarum, etiam perpetuo, etiam in vim contrac-

tractus, & ex titulo oneroso, & sub alia quavis verborum forma, quam & præmissorum tenores pro expressis haberi voluit, concessas, & factas; quoad officia, quæ post obitum ipsius Prædecessoris vacarunt, & in posterum quomodolibet vacabunt.

Item revocavit quoque, cassavit, & annullavit, ac irritas declaravit quascumque infeudationes, investituras, gratias, concessiones quoquomodo, etiam in emphyteusim, ad tempus, seu in perpetuum, etiam motu proprio, & de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatorijs (extra tamen consistorium, & sine S. R. E. Cardinalium consilio, & consensu) à die Constitutionis *fel. rec. Pij Papæ V.* Prædecessoris sui super prohibitione alienandi, & infeudandi Civitates, & loca S. R. E. sub datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto Kalen. Aprilis, Pontificatus sui anno secundo, usque in præsentem diem, per quoscumque Romanos Pontifices, suos Prædecessores, aut mandato, vel authoritate eorum, quomodocumque, ac qualitercumque, & quovis colore factas, & concessas de Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & locis S. R. E. Et Sanctæ Sedis Apostolicæ, & tàm mediatè, quàm immediatè subjectis, tunc videlicet de tempore dictarum infeudationum, investiturarum, gratiarum, & concessionum nondum devolutis, necnon quascumque prorogationes, & excusiones quarumcumque infeudationum, investiturarum, gratiarum, & concessionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & locis, tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum, & extentionum, nondum finitarum, quibusvis personis cujuscumque gradus, status, & conditionis, & præeminentiæ, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, aut alia quavis præfulgeant dignitate, etiam in vim contractus, & ex quocumque titulo, etiam oneroso, & per quascumque, tàm sub plumbo, quàm in forma Brevis sub annulo Piscatoris, aut etiam aliàs quomodocumque, & qualitercumque expeditas litteras, ac sub quavis verborum forma, quam, & præmissorum omnium tenores sanctitas sua pro expresso haberi voluit, latissimè extendendos.

Quod fructus in tertia parte augeri possint vigore clausulæ.

65 Item cum nonnulli in impetrationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium, & certo modo vacaturorum asserendo illorum fructus, &c. Certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnunquam obtineant à sanctitate sua, ut hujusmodi valorem annuum augere possint, ut verius possit in confectione litterarum super hujusmodi impetrationibus summa, aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate hujusmodi concessionis imposterum hæsitari contingat; declaravit, prætextu concessionis hujusmodi, valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, & in prima, quæ desuper fiet litterarum expeditione dumtaxat augeri posse, & eas, quas litteris jam expeditis cum expressione valoris specificari, aut non integro augmento prædicto, denuo desuper expediri contigerit litteras cum aliquo augmento valoris hujusmodi nullius esse roboris, vel momenti, etiamsi motu proprio beneficiales gratiæ, & dispositiones quæcumque à sanctitate sua emanarint.

De insordescentibus.

66 Item, ne personis, pro quibus litteræ suæ sanctitatis emanabunt, ob generalem absolutionem à Censuris Ecclesiasticis, quibus ligati forent ad eorum effectum indifferenter concedi, & in litteris Apostolicis apponi solita præstetur occasio censuras ipsas vilipendendi, & insordescendi in illis, statuit, & ordinavit hujusmodi absolutionem, & clausulam in litteris, quas in futurum cum illa concedi continget, non suffragari non parentibus rei judicatæ, incendiarijs, violatoribus Ecclesiarum, falsificatoribus, & falsificari procurantibus litteras, & supplicationes Apostolicas, & illis utentibus, receptatoribus, & fautoribus eorum; ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus Ecclesiasticæ libertatis via facti, ausu temerario, Apostolicis mandatis non ob temperantibus, & Nuncios, vel Executores Apostolicæ Sedis, & ejus officialium, ejus commissa exequentes impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicari a jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint, & generalitèr quibuscumque alijs, qui censuris aliquibus, etiam aliàs, quam ut præfertur, quomolibet ligari, in illis per annum continuum insorduerint.

Offi-

Officiales nihil exigant ultra debitum.

67 Item idem D. N. exactionibus, quas sanctitas sua non sine displicentia plerumque fieri intellexit per Officiales Romanæ Curiæ, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio officiorum, quæ obtinent, non contenti, ultra à prosequentibus negotiorum quorumdam expeditione in eadem exigere non verentur, obviare volens, districtè præcipiendo inhibuit omnibus, & singulis, quavis officia in eadem Curia obtinentibus, ne de cætero quidquam prætextu officiorum, quæ obtinent, quovis colore etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta hujusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum, quæ eis incumbunt malitiosè differre sub excommunicationis, & præter illam suspensionis à perceptione emolumentorum hujusmodi, pro prima ad semestre, & pro secunda ad annum, & pro tercia vicibus, quibus sic excederent, privationis officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excessierint pœnis: Ac voluit, quod Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius, & Camerarius excedentes ipsas respectivè, prout eis subsunt per subtractionem emolumentorum eorumdem, ac aliàs; ut præfertur, compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, ac contra eos per prædictas pœnas, & alias prout melius expedire viderint, procedant.

Reservatio beneficiorum vacantium, Sede Apostolica vacante.

68 Item Sanctissimus D. N. providè considerans, consuevisse quandoque Romanos Pontifices Prædecessores suos beneficia, quæ vacante Sede Apostolica vacare contigerant, dispositioni suæ reservare, intendens de beneficijs hujusmodi tàm Conclavistis, quàm pauperibus Clericis, & alijs benemeritis personis providere, omnia, & singula beneficia per regulas Cancellariæ Apostolicæ, aut quaslibet alias Apostolicas Constitutiones temporales R. Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, & ex quavis causa reservari solita, quæ à die obitus fel. record. Urbani VIII. Prædecessoris sui usque ad diem supradictam XV. Septembris vacaverunt, & de quibus per quoscunque Ordinarios Collatores, tunc dispositum non fuerat, suæ dispositioni reservavit, decernens irritum, &c.

Revocatio indultorum superviventiæ.

69 Item, quia ad importunam nonnullorum suggestionem, quandoque contingit, Prædecessores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes sub contractorum debitorum, vel diversis alijs prætextibus concessisse, & indulsisse beneficiatis, ut fructus suorum beneficiorum, aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel erga creditores, aut quascunque alias personas obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut aliàs quomodolibet de eis disponere liceret ad tempus minimè restrictum ad vitam supplicantium cum gravi successorum præjudicio, & Ecclesiarum detrimento. Ideò indemnitati Ecclesiarum, & successorum in beneficijs hujusmodi salubritèr consulere volens revocavit, cessavit, & annullavit omnia, & singula Indulta, & facultates in ea parte, qua necdum verè, & realitèr suum sortita sunt effectum per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores suos hactenus ad favorem quarumcumque personarum concessas, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, & ex quavis causa, vel prætextu permittitur fructus certos, vel incertos, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus ultra unicum annum elocare, arrendare, ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcumque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, in solurum dare, aut de eis quomodolibet, & ex quavis causa dispo-nere pro tempore ad vitam beneficiatorum, & tempus, quo beneficia hujusmodi obtinuerint minimè restricto, & coarctaro illorum renores; &c. Decernens irritum, &c.

Quod Cardinales non comprehendantur sub regulis faciendis.

70 Item, cum S. R. E. Cardinales ipsi Sanctissimo Domino nostro assistant, ac propterea debeant specialibus prærogativis, & privilegijs gaudere, idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit, & declaravit, quod in quibuscumque constitutionibus, & Regulis per sanctitatem suam in posterum post hanc primam editionem, & suarum Constitutionum, & Regularum publicationem faciendis non includantur ipsi Cardinales, nisi illæ eorumdem Cardina-

dinalium favorem concernant, vel ipsæ Constitutiones edendæ de eorumdem Cardinalium, vel majoris partis eorum Consilio editæ fuerint.

De potestate Reverendiss. D. Vice-Cancellarij, & Cancellariam Regentis.

71 Primò, quod possit committere absolutionem illorum, qui ignorantèr in supplicationibus, vel in litteris Apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel delerent.

Item, quod possit corrigere nomina, & cognomina personarum, non tamen eorum, quibus gratia, & concessiones fiunt, ac beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

Item, quod possit omnes causas Beneficiales, etiam non devolutas committere in Curia cum potestate citandi ad partes.

Item, quod processus Apostolica authoritate decretos aggravare possit cum invocatione brachij Sæcularis, & sententias executionis demandari facere contra intrusos, & intrudendos per litteras Apostolicas desuper conficiendas, & non aliàs.

Item, quod possit signare supplicationes manibus duorum Referendariorum signatas de beneficijs Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus dispositioni Apostolicæ generalitèr non reservatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonens. parvorum, seu totidem in alia moneta secundum communem æstimationem valorem annuum non exceder.

Item, quod possit signare supplicationes, etiam duorum Referendariorum manibus signatas de novis provisionibus si neutri, & subrogationibus pro colitigantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

Item, quod possit ad Ordines suscipiendos arctatis, prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus usque ad proxima, tunc à jure statuta tempora, in quibus sic arctati successivè ad ipsos Ordines promoveantur.

Placet, publicentur, & describantur. I.

Latæ, & publicatæ fuerunt supra scriptæ Regulæ, Ordinationes, & Constitutiones in Cancellaria Apostolica ab uno ex RR. PP. DD. Majoris Præsidentiæ Abbreviatoribus, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, die vero sexta mensis Octobris, Pontificatus prælibati Sanctissimi D. Nostri Anno primo.

Petrus Gentilis Procustos.

83 Præterea, quando Rom. Pontifex confert beneficia debet solvi Sedi Apostolicæ certum jus, quod media annata dicitur, & est dimidia pars fructuum primi anni, quamvis olim integri proventus anni solverentur, & *Annata* dicebatur, quod quidem jus licitè petitur, & solvitur: quia hoc fit partim ad sustentationem Papæ, & Cardinalium, partim in recognitionem universalis dominij, quo Ecclesia Romana gaudet super omnes Orbis Ecclesias. Et hac ratione talis juris petitio, & solutio est à Simoniæ labe immunis. Hæc quidem annata non solvitur, si beneficium non excedat 24. ducatos auri de Camera, & ideò non solvitur de pluribus beneficijs Hispaniæ, aliorumque Regnorum, quia non taxantur ultra 24. ducatos. In varijs Hispaniæ locis solvitur media annata, scilicèt in Ecclesijs Conchensi, Abulensi, Seguntinæ, & alijs. In Diœcesi Toletana media annata solvitur Capitulo Complutensi, & Ecclesiæ Toletanæ Rationarijs, ut habet Torrecilla. Deindè ex beneficijs unitis alicui communitati, vel loco pio solvitur: *Quindemna*, seu *Quindennium*: id est, singulis quindecim annis solvitur media pars fructuum talium beneficiorum; quia cum non vacent; loco annatæ solvitur quindenna, ac proindè, qui non tenentur ad annatam, nec ad quindennam tenentur. De Annatis agitur in *Extr. fin. de Elect. Joan. XXII. & integro Tit. de Annatis in lib. 7. Decretal. Latr. lib. 4. ex n. 674.* Ad Sedis Apostolicæ exemplum Nostri Reges in officiorum Sæcularium distributione exigebant olim certum jus, quod *Hispanè* dicitur: *Mesada*. Et est pars redituum, quæ uni mensi respondet, & æstimatio fiebat, prout communitèr tale officium in quinquennio antecedenti produxerat. Hoc tamen jus nunc solum exigitur (ex Concef. Urban. VIII.) quando Nostri Reges præsentant ad beneficia Ecclesiastica, Dignitates, Præbendas, Portiones, vel beneficia curata. *L. 1. tit. 17. lib. 1. R. Ind.* ibi: *Aviendo suplicado à Nuestro muy Santo Padre Urbano Octavo, que tuviesse por bien de conceder Breve, para que se pudiessen cobrar para Nos, por las causas, y razones en èl contenidas, los derechos de mesadas de todas las Dignidades, Canongias, Raciones, y medias Raciones, Offi-*

cios,

tios, y Beneficios Ecclesiasticos, Curatos, y Doctrinas, que huvieren vacado, y vacaren en Nuestras Indias Occidentales siempre que Nos presentaremos de nuevo personas para ellas, ò Nuestros Virreyes, y Governadores, en execucion de las Leyes de Nuestro Patronazgo Real, su Santidad lo tuvo assi por bien, y mandò expedir en la dicha razon Breve, con calidad, que la cobranza no se haga basta que sean passados quatro meses despues de aver tomado la possession de la Dignidad, ò Prebenda, Oficio, Beneficio, Curato, ò Doctrina, la persona que fuere presentada à ella, y que el valor del mes se regule conforme à lo que huvieren valido, y rentado sus frutos, y rentas en los cinco años antecedentes al tiempo en que se tomare, ò huviere tomado la possession :::: entrando en este computo, no solo el valor de las rentas, diezmos, y gruessa de la Dignidad, ò Prebenda, Oficio, ò Beneficio, Curato, ò Doctrina en cada uno de ellos, sino tambien de lo que huvieren valido las obvenciones, y otros proventos, y emolumentos en el mismo tiempo, haciendo para esto todas las diligencias, y averiguaciones necessarias; y lo que en los dichos cinco años montare lo junten, y repartan por iguales partes en cada uno de los meses que contienen los cinco años, de forma, que quede claro, liquido, y averiguado lo que cupiere à cada mes, y cobren lo que montare de la persona que se presentare. Insuper in officiorum Sæcularium concessione exigunt Nostri Reges mediam annatam, ut habetur in *L. 4. tit. 19. lib. 8. R. Ind.* ibi: *Que la media annata se pague de todas las Mercedes, Titulos, Oficios, y Rentas, que se dieren por Nos, ò por nuestros Consejos, Virreyes, Capitanes Generales, y otros Ministros de qualesquier Mercedes, y Oficios, que no fueren Ecclesiasticos, siempre que para ello sea necessario Cedula, ò Despacho nuestro, ò de nuestros Ministros: assi en las primeras provisiones, como en los ascensos de unas Plazas à otras, en la misma especie de monedas, en que se pagare el util de ellas; regulandose este derecho por la mitad de lo que el primer año importare el verdadero valor de los sueldos, gages, tassas, propinas, luminarias, y demás [illegible] meritos, que se gozaren con cada oficio, [illegible] se den por assistencia, y trabajo [illegible]: y de la paga de este derecho no se pu[illegible] eximir, ni exima ninguna persona de qualquier estado, calidad, o condicion que sea. Que la satisfaccion de lo que importare la media annata sea en dos pagas iguales, por mitad: la primera luego de contado, antes de entregarse a la Parte el titulo, ò despacho del Oficio, Rentas, ò Merced; y la segunda dentro de un año, assegurandolo con fianzas à satisfaccion del Tesorero General de la media annata, si le huviere, ò de nuestros Oficiales Reales en las Indias, en cuyo poder ha de entrar.* Milites, qui actu militant ab hoc onere eximuntur, & alij in casibus in prædicta Lege comprehensis, & prout Judex hujus causæ attentis circumstantijs decernat. In his Insulis est designatus unus ex Senatoribus Regijs, ut de his causis cognoscat. Aliæ instructiones in *d. L. 4.* apponuntur: de quibus latiori calamo tractant *Escalona, Gazofilac. Regio Peruv. lib. 2. p. 2. cap. 35. & 36. Solorz. Polit. Indiea, lib. 6. cap. 13. in fin. Et Supplem. Moreri. V. Annate.*

TIT. VIII.

De Concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

84 Ut alicui beneficium conferri possit, vacans esse, necessarium est. Si tamen ab alio, quam à Papa beneficium non vacans conferatur irrita est ipso jure illius collatio. *C. 10. c. 40. 7. q. 1. C. 2. h. t. C. 4. de Donation.* etiamsi ab executore Pontificis conferatur, nec Episcopus, nec alius inferior Pontifice, potest delegare facultatem conferendi proximè vacatura beneficia. *C. 11. h. t.* nam solum Pontifex potest beneficium conferre, antequam vacet. *L. 5. t. 5. p. 1. L. 11. t. 16. p. 1.* ibi: *Otorgar puede el Papa, è non otro ninguno los Beneficios ante que vaquen.* Tunc enim vacare beneficium dicitur, quando proprietario, vel possessore caret. *L. 10. tit. 16. p. 1. arg. l. 5. §. fin. ff. ad leg. Juliam, de vi publ. L. 22. §. 1. ff. de Usu, & habit.* Et quidem potest vacare. 1. *de Jure, & facto.* 2. *solum de Jure.* 3. *tantum de facto. De jure, & facto* beneficium vacat, quando apud nullum est titulus, & possessio illius. V. g. si Beneficiarius est mortuus, vel resignavit, vel beneficio privatus est. *De jure tantum* vacat beneficium, quando jus, & titulum beneficij quis amisit, possessione retenta. V. g. si quis privetur titulo, & jure beneficij, vel ipso jure, vel per sententiam Judicis. *Arg. l. 10. tit. 16. p. 1. De facto tantum* vacat beneficium, quando beneficiarius retinet jus, & proprietatem beneficij, illius tantum possessione amissa. V. g. si quis est à beneficio depulsus, vel si beneficiarius diu abest, & ubi

ubi nam sit ignoratur. *Arg. l. 10. tit. 16. p. 1.* Quando beneficium tantum defacto vacat, cum verè vacans non sit, non potest alteri conferri; si defacto, & jure simul vacet, certè potest alteri conferri, cum verè vacans sit. *C. 2. h. t.*

85 Quando beneficium vacat de jure tantùm, non vero defacto, quia alius habet coloratam possessionem, quia scilicèt beneficium à legitimo Collatore accepisset, & institutio, vel collatio, non sit notorie irrita, quamvis ex defectu occulto titulus non subsistat, debet fieri mentio talis possessionis in rescripto impetrationis, & provisionis, cum hoc posset Pontificem movere, ne tàm facilè, vel ne absolutè contulisset: alias talis collatio, ut subreptitia esset nulla; imò antequam beneficium conferatur debet citari possessor, & præcedente summaria causæ agnitione talis possessio injusta declari. *C. 6. h. t. l. 10. t. 16. p. 1.* secus est si possessio colorata, non sit, eo quod possessor sine titulo colorato possideat, defectuque manifesto laboret, nam tunc non est necessarium in impetratione, vel provisione exprimere injustam possessionem. *L. 10. tit. 16. p. 1.* Nec est necesse possessorem citare, antequam beneficium conferatur, cum in notorijs non sit ordo juris servandus. Qui scienter passus est, se in beneficio non vacante, vel tantum vacante defacto, institui, excommunicandus est. *C. 1. h. t.* & beneficio sic obtento, ita privatur, ut si posteà vacet, illud nequeat obtinere sine Apostolica dispensatione. *C. 7. h. t. l. 13. tit. 16. p. 1.* Et in litteris Apostolicis debet præcedentis institutionis fieri mentio, aliàs provisio erit nulla. *Arg. c. 20. & 27. de Rescript. Greg. Lop. in leg. 13. tit. 16. p. 1.* V. *Otro*, nisi fortè de motu proprio procedat Pontifex. Si ignoranti conferatur beneficium nondum vacans, licet collatio sit nulla, nec per subsequentem vacationem convalescat. *Arg. C. 18. de Reg. jur. in 6.* nulli subjacet pœnæ, à qua ipsum ignorantia excusat *arg. C. 1. h. t. L. 13. t. 16. p. 1.* idem dicendum est de eo, qui promissionem beneficij nondum vacantis acceptavit, vel beneficium nondum vacans impetravit; qui licet illo careant nulla pœna tenentur, cum regularitèr, non conatus, sed actus consummatus puniatur. *Arg. L. 1. §. Hac verba, ff. Quod quisque jur.* nisi in aliquibus casibus.

Nec potest promitti beneficium viventis in casum, quo illud per mortem, renuntiationem, vel alio modo vacaverit, etiamsi promissio fiat cum consensu ejus, qui illud obtinet. *C. 2. c. 13. h. t. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 19. Reg. 21. Cancell. L. 10. tit. 16. p. 1.* Hujusmodi enim promissio absolutè irritatur, licèt pactum de viventis hæreditate solum irritetur, pro casu quo, non consentiat ille, de cujus hæreditate agitur. Hujus prohibitionis rationem assignat Text. *in C. 2. h. t. ne scilicèt desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, & beneficium se crediderit successurum*: quod firmat exemplo Legum civilium. *L. fin. C. de Pact.* Ubi dicitur, *quod hujusmodi pactiones* (de succelsione viventis) *odiosa esse videntur, & plena tristissimi, & periculosi eventus, & talia pacta tanquam contra bonos mores inita repelluntur. L. 10. tit. 16. p. 1. Gonz. in C. 2. h. t. n. 12.* Talis promissio etiam in scriptis facta est nullius momenti, ac proinde, cum nullum jus promissario conferat, non auditur, si appellet à denegatione beneficij. *C. 3. h. Barbos. & Gonz. ibid.* Imò cum promissio beneficij nondum vacantis sit invalida, quia juri publico contraria, etiam juramentum ipsi adjectum irritum est: quippè accessorium sequitur naturam principalis. *C. 42. de Reg. jur. in 6. Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 2. n. 33. Gonz. in c. 2. h. t. n. 12. in fin.* Nec Patroni possunt promittere, aliquem præsentare ad beneficium vacaturum, nec dare altori facultatem præsentandi ad aliquod beneficium, cum vacaverit, in specie quidem, respectu certi beneficij, vel certæ personæ. *C. fin. h. t.* potest tamen patronus, præsertim Laicus, alij generatim committere facultatem præsentandi ad beneficia, cum vacaverint, V. g. Procuratori, nam tunc cessat periculum captandæ mortis alterius propter beneficium. Et similitèr potest ex hac ratione Episcopus Vicario Generali in genere committere facultatem conferendi beneficia proximè vacatura.

86 Licet olim teneret promissio facta à Prælato de conferendo beneficio, cum potuerit. *C. 14. h. t.* cum tamen sub tali palliatione verborum via aperiretur ad promittenda damnabilitèr co[illegible] Lateranense Concilium in *C. 2. h.* [illegible] ficia vacuturas hinc in *C. 2. h. t. in 6.* [illegible] tur omnis promissio sub quacumqu[illegible] rma verborum, per quam datur via ad beneficia vacatura, quippè ex ea mortis alienæ votum ingeritur, & Ecclesijs, ac Prælatis, & personis Ecclesiasticis gravamina plurima inferuntur. Quando Patroni, vel Collatores Clericis, ubi commendatis pro-

promittunt, se illis beneficium, cum tulerit occasio, collaturos, nullum jus dant ad beneficium, sed potius quam obligationis sunt verba urbanitatis. Hodie ex *Trid. seff.* 24. *de Reform. cap.* 19. nulli, nisi R. Pontifici competit dare gratias expectativas, & mandara de providendo.

87 Plures quidem in jure nostro Canonico habentur casus in quibus ex ipsius juris dispositione vacat beneficium, scilicèt, si beneficiatus Religionem sit professus. *C.4.de Regul.in 6.* vel si Matrimonium validè contraxit. *C.* 1. *c.* 3. *de Cleric. conjugat.* vel si militiam secutus est; *arg. C. fin. de Cleric. non resid.* vel si intra annum à die possessionis beneficij Parochialis adeptæ, vel quo per ipsum, quominùs adipisceretur stetit, non suscepit Sacerdorium. *C.* 14. *de Elect. in* 6. vel si beneficium incompatibile obtinuit. *C.* 7. §. *Cum verò, de Elect. C.* 28. *de Præbend.* Vel si vi occupavit possessionem beneficij ipsi collati. *C.* 18. *de Præbend. in* 6. vel si litigans impediat sequestrationem decretam, aut præsumat quoquomodo occupare fructus sequestratos. *Clem. un. de Sequestr. possess.* vel si administrationi se ingerat ante confirmationem, vel institutionem. *C.* 17. *de Electione.* vel si Episcopus electus, cessante impedimento, non petijt confirmationem intra tres menses post prestitum consensum. *C.* 6. *de Elect. in* 6. vel si distulit consecrationem ultra tempus jure præfixum post assecutam pacificam Episcopatus possessionem. *C.* 7. §. *Cum verò, de Elect.* vel si Prælatus sine debitis solemnitatibus, vel inconsulto Pontifice res Ecclesiæ immobiles, vel mobiles pretiosas alienavit. *Extr. un. de Reb. Eccles. non alien. inter com.* Denique si commitat crimen, cui ipso jure privatio beneficij annexa est, ut sunt hæresis, sodomia repetita, falsificatio litterarum Pontificis, assasinium, vel alia, de quibus in jure. Aliquando quidem beneficium non ipso jure vacat; sed per sententiam Judicis privatur quis beneficio. Et magnum quidem versatur discrimen inter privationem beneficij ipso jure inflictam, & inter eam, quæ per sententiam Judicis decernitur: nam ut Judex privet aliquem beneficio, non requiruntur adeo gravia crimina, sed minora sufficiunt. V.g. perjurium, homicidium simplex, adulterium, concubinatus publicus, sodomia non frequentata, & alia hujusmodi. Et ante sententiam potest beneficiatus permutare, & resignare beneficium: secus quando ipso jure privatus est. Si privandus per sententiam, ante eam moriatur, beneficium non ex causa delicti, sed mortis causa vacat. Si privatus ipso jure moriatur non vacat per mortem ejus beneficium: quippè jam vacaverat, & beneficium, quod ipso jure est amissum potest alteri conferri, etiam non vocato criminoso: secus, quod per sententiam est auferendum. Beneficio privandus, ante sententiam, facit fructus suos, nec post sententiam tenetur eos restituere, qui ipso jure privatus est, tenetur restituere, etiam fructus perceptos ante sententiam declaratoriam criminis, quia hæc ad tempus criminis commissi retrotrahitur. *Sanch. in Decal. lib.* 12. *cap.* 26. *n.* 10. & *alij.*

88 Denique per mortem naturalem beneficiati ita vacat beneficium, ut licet posteà resurgeret ipse illud non recuperaret, sed esset necessaria nova collatio, quia mors omnia solvit. *Novel.*22. *cap.*20. ut per mortem naturalem beneficium vacet, necesse est, ut beneficiatus habuerit jus in re, seu quasi dominium in beneficio, si enim nec confirmatus fuit in beneficio electivo, vel nondum acceptavit beneficium collativum, non censetur ejus morte vacare. Item requiritur, quod tale beneficium non sit unitum accessoriè alteri beneficio: cum per unionem censeatur pars ejus, cui unitur, & quod non sit legitimè suppressum: nam per suppresionem ipsum extinguitur. *Garc. de Benefic. p.*11. *cap.* 2. *n.*2. & *p.*12. *cap.*2. *num.* 12. Nec per mortem Clerici, qui deservit beneficio, quod ad Prælati, vel Capituli mensam pertinet, vacat beneficium, cum non Clericus, sed Prælatus censeatur beneficiatius. *Garc. de Benefic. p.* 11. *c.* 2. *n.* 3. Nec mortuo Clerico vacat beneficium situm in Ecclesijs non numeratis, ubi scilicèt, plures, vel pauciores Canonici possunt institui pro arbitrio Episcopi, vel Capituli; sed cum defuncto extinguitur, & alio instituto novum jus creatur, & ille confertur, ac proindè non est locus devolutioni. *C.* 10. *b. t.* similirèr, nec vacat beneficium morte supernumerarij, cum non sit stabile beneficium, sed tantum ad ejus vitæ tempus concessum.

89 Beneficium collativum debet conferri intra sex menses; quia vacatio diuturna est proculdubio Ecclesijs, & animabus damnosa. *C.* 2. *b. t. L.* 8. *tit.* 16. *p.* 1. *Barbos. Jur. Eccles. L.* 3. *cap.* 13. *n.* 107. *Gonz. in c.* 5. *b. t. n.* 7. Et quidem tale semestre non à die, quo beneficium vacavit, sed à die, quo ejus vacatio in-

notuit collatori, debet numerari, quia ignoranti, & legitimè impedito, sive impedimentum sit juris, sive facti tempus non currit C. 5. *h. t.* cum ipsi non possit negligentia imputari, licet in tale impedimentum ipse ob propriam culpam inciderit, v.g. in suspensionem, dummodo non sit in culpa auferendi impedimentum. C. 5. *h. t, L.* 8. *tit.* 16. *p.* 1. Papa, & Legatus à latere non ligantur hoc termino, nec beneficia Ecclesiæ, non numeratæ, sed possunt conferri, quando collatoribus libuerit. Idem semestre conceditur Electoribus ad beneficia electiva minora. C. 12. *h. t.* ad Prælatutas verò, sive Sæculares, sive Regulares propter majus periculum, quod animabus imminet ex vacatione diuturna tantum conceditur trimestre. *C.* 41. *de Elect. L.* 8. *tit.* 16. *p.* 1. *Gonz. in c.* 2. *h. t. n.* 8. idem semestre conceditur Patrono Ecclesiastico ad præsentandum: Laico verò quadrimestre. Hoc quidem semestre à die notitiæ vacationis est continuum, & currit etiam diebus feriatis à momento ad momentum. V. g. ab hora 8. antemeridiana diei 14. Januarij, usque ad ipsam horam 8. diei 14. Julij, & non post eam. *Arg. L.* 3. §. 3. *ff. de Minor. Barbos. in* C. 5. *h. t. n.* 11. *Sanch. de Matrim. L.* 2. *D.* 24. *n.* 16. eo elapso statim, quin negligentia Collatoris purgari possit, neque per in integrum restitutionem, jus conferendi ad immediatum superiorem devolvitur. V.g. ad Episcopum, qui potest tale beneficium conferre, & in illius possessionem beneficiatum inducere, si ante elapsum tempus conferret, collatio esset ex defectu potestatis, nulla, nec posteà convalesceret, facta devolutione. *Arg.* C. 18. *de Reg. jur. in* 6. debet tamen denuo conferre, postquam ad ipsum collatio devoluta est ob temporis lapsum, etsi immediatus non conferat devolvitur ad superiorem gradarim. *L.* 8. *& 9. tit.* 16. *p.* 1. Hodie devolvitur jus eligendi Episcopum, ubi adhuc servatur electio, non ad Archiepiscopum, sed ad Papam: cum in hoc resideat jus Episcopos confirmandi. Episcopatus, & aliæ Prælaturæ exemptæ, & immediatè Pontifici subjectæ, quæ nullius Diœcesis sunt, devolvuntur immediatè per negligentiam Electorum, ad S. Pontificem. C. 32. §. *Prohibemus*, *de Præbend. in* 6. Beneficia exempta immediatè subjecta Pontifici, sita in Diœcesi alicujus Episcopi, ad ipsum, ut Sedis Apostolicæ delegatum devolvuntur. *Clem. un. de Suppl. neglig.*

TIT. IX.

Ne Sedevacante aliquid innovetur.

90 AD cognoscendum, quid possit, vel non possit Capitulum Sedevacante facere, sciendum est, quod quædam causæ, & negotia competunt Episcopis jure ordinario, aliæ verò ex privilegio vel commissione speciali, tamquam Sedis Apostolicæ delegatis. Ecclesiæ Sedevacante, Capitulum quod est quasi senatus Ecclesiæ C. 7. 16. *q.* 1. succedit in omnia, quæ Episcopo jure ordinario competunt; nisi aliquid specialitèr prohibeatur. C. 11. C. 14. *de Majorit. & obed. C. un. eod. in* 6. *Trid. Sess.* 24. *de Reform. cap.* 16. *& comm. DD.* hoc enim ipsa utilitas Ecclesiæ exigit, ne ipsa vacante animæ, & Ecclesia ipsa in suis rebus detrimentum patiantur. Si Sedes Metropolitana vacet, succedit Capitulum, non solum in ea, quæ Archiepiscopo competunt, ut Episcopo, sed etiam in ea, quæ ipsi, ut Archiepiscopo competunt, ac proindè superioritatem habet in Ecclesias suffraganeas, & supplet negligentiam suffraganeorum jure devoluto, & ad ipsum à suffraganeorum sententia appellatur. *Arg. Extr.* 5. *de Præbend. inter com. Solorz. de Jur. Indiar. tom.* 2. *l.* 3. *cap.* 13. *n.* 53. *&* 54. *Et Polit. l.* 4. *cap.* 13. Nisi aliquid specialiter prohibeatur ipsi Capitulo, ut Concilium Provinciale congregare. Si Provinciale Concilium congregetur, aliquo Episcopatu vacante, ejus Capitulum vocari debet, poteritque suum Vicarium Generalem cum speciali mandato mittere. *C. fin. de His, quæ fiunt à Prælato.* sed quamvis hoc de jure præcedat, & aliquando Capitula ad Concilium sint vocata, jam pluribus retro sæculis hoc jus consuetudine sublatum est. *Gonzal. in cap. fin. de His, quæ fiunt. Et alij DD. ibid.* Ecclesiæ Collegiatæ, & Regulares, pleno jure exemptæ, cum æquiparentur Cathedralibus, earum Capitula, Sedevacante, gaudent eadem potestate, & jurisdictione, quam habebat earumdem Prælatus. Si exemptæ non sint, Sedevacante, transit jurisdictio ad Episcopum, licet earum Prælatus jurisdictionem privativam cum exclusione Episcopi in Clericos haberet. Capitula, & Conventus Regularium, mortuo Prælato, gaudent ca-

eadem jurisdictione, & potestate, quoad ea, quæ disciplinam regularem concernunt. *C. fin. de Regularib. in 6.*

91 In illis causis, & negotijs, quæ Episcopo, jure speciali, vel ex commissione competunt habet locum regula præsentis rubricæ. *Ne Sedevacante aliquid innovetur.* Ea enim ad Capitulum, non transeunt, etiamsi delegatio Episcopo sit facta à Jure Communi, vel Concilio Generali: quia dignitati facta censetur, in quam Capitulum non succedit. *Glos. in cap. 9. de Heretic. & com. DD.* nisi fortè illa potestas, seu facultas competat Episcopo, etiam jure ordinario, & insuper addatur, *Episcopo etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegato*, talem facultatem concedi, ut sæpe in jure contingit: Tunc enim licet Capitulum non succedat in eam facultatem; quatenùs delegata est Episcopo, in illam succedit, quatenùs Jure Ordinario Episcopo competit. Sic Capitulum potest compellere exequi testamentum, quamvis hæc potestas competat Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis. *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 2.* quia talis potestas Jure Ordinario Episcopis competit. *C. 3. de Testament.* sic *Molina, Matienzo, Sanch. de Matr. lib. 8. D. 2. n. 10. & alij* contra *alios.*

92 Licet Jure antiquo posset Capitulum per se ipsum exercere ea, quæ spectant ad jurisdictionem, & administrationem Episcopalem: secus ex *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 16.* nam cum communitèr negligantur quæ communitèr administrantur, & possidentur. *L. 2. in pr. C. Quando, & quibus quart. deb.* debet Capitulum pro administratione spiritualium Officialem, vel Vicarium Generalem constituere, vel præexistentem confirmare, & quidem intra octo dies à tempore vacationis: alias illius designatio ad Archiepiscopum devolvitur: vel si à Capitulo Ecclesiæ Archiepiscopalis debeat constitui devolvitur ad Episcopum antiquiorem ex suffraganeis. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 16.* Interim dum eligitur, jurisdictionis administratio penes totum Capitulum residet. *Barbos. de Pot. Episc. alleg. 54. n. 163. Et Jur. Eccles. L. 1. cap. 32. n. 29.* Pro temporalium tamen administratione unum, vel plures Æconomos debet Capitulum constituere, ut res, & jura Ecclesiæ servet illæsa, & colligat fructus, & redditus, successorique custodiat. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 16.* Et licet pro Æconomi constitutione nullum tempus sit determinatum, tamen ex praxi communi à paritate rationis, deputatur intra octo dies: in quibus, etiam de Vicarijs foraneis, alijsque Officialibus providetur. Vicarius, Æconomus, & alij Officiales tenentur suæ administrationis rationem reddere Prælato successori, si petat, etsi eam Capitulo reddidissent. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 7. n. 23.* In his Indiarum partibus Episcopus à Regibus Nostris præsentatus, etiam ante confirmationem, suscipit ab ipso Capitulo administrationem in spiritualibus, & temporalibus vi Rescripti Regij, quod *Hispanè* dicitur: *De ruego, y encargo. Solorz. de Jur. Indiar. t. 2. L. 3. cap. 13. Et in Polit. L. 4. cap. 13. f. 609. & alij*, & habetur in quodam Decreto Regio *post tit. 6. lib. 1. R. Ind. f. 30.* Hinc est, quod si Episcopus jam consecratus unius Diœcesis ad alium Episcopatum transfertur, & vi prædicti Rescripti antiquam deserat Ecclesiam, ad gubernandam secundam, etiam ante Pontificis confirmationem, & ante notitiam expeditionis Bullarum, statim ac egreditur antiquæ Diœcesis fines, vacare censetur illa Ecclesia. Nam per itineris arreptionem illi videtur renuntiatum vi licentiæ præsumptæ à Pontifice concedendæ, ac proindè ille Episcopus non potest antiquam Ecclesiam per Vicarium à se assignatum gubernare, ne simul duas Ecclesias in Regionibus distantibus administrare videatur: sed debet ejus administrationem Capitulo relinquere. *Sic Solorz. de Jur. Indiar. tom. 2. L. 3. cap. 13. n. 72. & in Polit. Indiar. L. 4. cap. 13. f. 609.* ubi fundamenta, & *Ad.* refert, & contrarijs respondet.

93 Cum Capitulum, Sedevacante, Episcopali jurisdictione gaudeat, potest consequentèr cognoscere de omnibus causis ad Episcopum pertinentibus, etiam decimalibus, matrimonialibus, & criminalibus. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 20.* potestque in excessus, & crimina per viam inquisitionis procedere, potest censuras ferre, & ab eis absolvere, dispensare in irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, ea excepta, quæ ex homicidio voluntario oritur, & alijs deductis ad forum contentiosum. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6.* Item valet in votis, & juramentis dispensare, in defectu natalium ad Minores Ordines, & beneficia simplicia: in observatione festorum, & jejuniorum, & in alijs casibus, quando difficilis est recursus ad Romanam Sedem. Potest Sacerdotes approbare ad confessiones audiendas, & facultatem dare absolvendi à censuris, & casibus Episcopo

copo reservatis, & revocare approbationes, & has facultates, etiam ab Episcopo concessas. Matrimonio potest assistere, & alijs Presbiteris hanc licentiam concedere, & dispensare in denuntiationibus, & in petitione debiti conjugalis: potest, elapso anno vacationis, dare dimissorias suis Dioecesanis, ut ab alijs Episcopis ordinentur. *C. 3. de Tempor. ordin. in 6.* & eodem anno elapso, & non anteà, etiam in interstitijs potest dispensare, cum hæc facultas non sit annexa Dignitati Episcopali aliquo jure speciali. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 11.* & ita sæpè decisum est. *Solorz. in Polit. Ind. lib. 4. cap. 13.* Potest Dioecesim visitare, cum hoc ad jurisdictionem ordinariam Episcoporum spectet, *C. 16. de Offic. Ordin.* sed in his Indiarum partibus ex varijs Rescriptis Regijs non mittit Capitulum Visitatores, nisi anno vacationis elapso, & quidem enixe prohibetur, ne Episcopis, nec Capitula, Sedevacante, visitent Dioecesim per Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, sed per alios Visitatores, à quibus Regijs Rescriptis cum fuisset supplicatum, videntur esse revocata, & esse standum Juri Communi, *Solorz. Pol. Ind. L. 4. cap. 13. f. 602. & in L. 24. tit. 7. lib. 1. R. Ind.* injungitur Episcopis Indiarum, quod personaliter visitent suas Dioeceses, vel saltem, per Ecclesiasticas personas ad hujusmodi ministerium idoneas.

94 Potest statuta, totam Dioecesim obligantia, condere, dum non præjudicent Dignitati, vel Mensæ Episcopali: potest dare licentiam Ecclesiam ædificandi, beneficium Ecclesiasticum fundandi, & ex eo jus patronatus adquirendi, Clerico subdito recedendi ad tempus à loco sui beneficij ex justa causa, ut peregrinationis, & etiam perpetuo transeundi ad aliam Dioecesim. Potest licentiam dare Novitijs de suis bonis disponendi, Monialibus egrediendi è suis Monasterijs, & alijs in ea ingrediendi: potest charitativum subsidium ex justa, & manifesta causa exigere, Clericos, suos subditos, ad titulos suorum beneficiorum exhibendos cogere, & si plura obtineant incompatibilia beneficia, ad exhibendam dispensationem compellere valet, licet triennio pacificè sint ob eis possessa, ut sic de bona fide, & Titulo colorato constet. Beneficiatis, & pensionarijs congruas portiones potest assignare. Potest etiam ultimas voluntates ex justa causa commutare, eas exequi, quando exequi potest Episcopus, ad earum executionem compellere executores, rationesque ab administratoribus piorum locorum exigere.

95 In pluribus tamen casibus Capitulum non succedit Episcopo: Nam Capitulum nequit facere ea, quæ Episcopo ex privilegio speciali competunt: sic non succedit Electoribus Imperij, in jus eligendi Imperatorem, quia id Archiepiscopis Electoribus competit ratione Dignitatis ex privilegio speciali. Si verò, id quod Episcopo conceditur in ordinariam potestatem illius transijt, & non in jure mere delegato consistat, succedit capitulum. *Sanch. de Matr. L. 8. D. 2. n. 10. Molin. Matienzo. & alij* contra *Suar. de Cens. D. 41. sect. 2. n. 13.* Nec succedit in potestatem, quam Episcopus præcisè, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus à jure aliquando in exemptos habet: secus si Jure Ordinario prorogatam habeat. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 92. n. 17. Garc. de Benef. p. 5. cap. 7. n. 47.* Hinc non potest Capitulum Visitare Monasteria Monialium exempta, cum hæc potestas sit Episcopo expressè delegata à Pontifice sub nomine Dignitatis. *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 9.* ibi: *Ab Episcopis tanquam dictæ Sedis delegatis. Garc. de Benefic. p. 5. cap. 7. n. 45.* contra *Barb. L. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 107. & alios* ijdem tenent, Capitulum succedere Episcopo in facultatem concedendi indulgentias: sed licet verum sit, quod potest Capitulum alicui Episcopo committere facultatem concedendi indulgentias, tamen eas per se, non potest concedere: quia hæc facultas specialitèr conceditur Dignitati Episcopali, in quam non succedit Capitulum. *Arg. C. 12. de Exces. Prælator,* & ita tenent *Suar. de Pœnitent. D. 55. n. 5. Soto, & alij.* Nec potest Capitulum supprimere beneficium, vel præbendam, cum *Trid. sess. 24. de Refor. cap. 15.* hanc facultatem concedat Episcopis nomine Dignitatis, non Abbatibus, nec alijs Prælatis Regularibus, etiam quasi Episcopali jurisdictione gaudentibus: ac proindè, nec Capitulis. Et sic declaratum est. *Galem. ad Trid. sess. 24. de Ref. cap. 15. n. 3. Barbos. L. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 99. & 122.* Nec succedit in feudum, quod solum ad Episcopum pertinet, succedit tamen in feudum ad Episcopum, & Capitulum, simul spectans, ac proindè potest de eo cognoscere, & infeudare. *Arg. C. un. h. t. in 6.* Nec potest intra annum luctus, vel viduitatis; scilicèt à die vacationis concedere litteras dimissorias suis Dioecesanis, ut ab extraneo Episcopo ordinentur, nisi arctati sint ra-

tione

tione beneficij recepti, vel recipiendi. Et Capitulum contraveniens interdicto Ecclesiastico subjacet. *Trid. sess. 7. de Refor. cap. 10.* Nec licentiam ad novum Monasterium ædificandum concedere valet, quia licentia Episcopi pro forma videtur requiri in Const. *Quoniam 23. Jul. Ann. 1603. Greg. XIII.*

96 Quodlibet Capitulum, Sedevacante, & ejus Æconomus ex justa causa potest alienare res, quæ servando servari nequeunt, quin authoritas Superioris interveniat, sicut Tutores, & similes res pupillares alienare possunt, sic recta administratione exigente. *L. 22. in fin. C. de Administr. Tutor.* Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ, vel Regularis subjectæ Episcopo, dum sedes vacat valde gravi causa urgente, ob quam nequit expectare, donec de successore provideatur, potest simul cum Episcopo, qui immediati superioris vicem gerit, præcedente tractatu, & causæ cognitione, alienare, etiam res, quæ servando, servari possunt. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, Sedevacante, vel alterius Ecclesiæ exemptæ, & immediatè Pontifici subjectæ, non potest sine Sedis Apostolicæ authoritate bona immobilia alienare. *Arg. C. 1. h. t.* Nisi adeò gravis necessitas sit, ut nequeat ad Pontificem recurri pro licentia, nec usque ad futurum successorem alienatio possit differri; tunc enim præcedente tractatu, & causæ cognitione potest alienatio fieri à Capitulo, & etiam mutuo peccunias accipere potest. *Arg. C. 3. de Ferijs, Glos. in C. 16. §. Ad hæc, de Elect. in 6. V. Aliundè.* Nec potest Capitulum, Sedevacante, sine Papæ licentia bona ad Mensam Episcopalem pertinentia ad Mensam Capitularem transferre: imò talis translatio omninò invalida est, quia Dignitas Episcopalis legitimo caret defensore, nec Capitulum potest Authoritatem, sibi in propriam utilitatem præstare. *Arg. C. fin. de Instit. L. 5. ff. de Auth. Tutor. Glos. in Cl. 2. de Reb. Eccles. non alien. V. Mensa*, nec tenet talis dispositio, etiamsi quivis Capitularium jurasset, se stataturum tali dispositioni, si Episcopus eligatur. Nec potest Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vel exemptæ litem super bonis, & juribus Ecclesiæ inchoare, nec prosequi inchoatam ab antecessore Episcopo. *C. fin. h. t.* nisi habeat administratorem ad hunc effectum à Papa designatum. *Arg. C. 42. de Elect. in 6.* Ecclesia enim jure minoris gaudet. *C. 1. de In integr. restitut.* ac proindè sententia contra ipsum Curatore destitutum, tanquam contra indefensum, non tenet. *L. 45. l. 54. ff. de Re judic.* Et ex hac ratione non potest Capitulum, nisi in casu ingentis necessitatis agere in judicio, neque de juribus Episcopi proprijs, nec de communibus Episcopo, & Capitulo. Super bonis verò, quorum administratio solum ad Capitulum spectat, potest quidem Capitulum per Syndicum, vel Procuratorem agere, & conveniri. *C. 3. de Caus. possess. & propriet.* Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ, vel Conventualis Episcopo subjectæ potest in judicio agere, & conveniri authoritate Episcopi sui immediati Superioris interposita, si necessitas exigat, vel vacatio diuturna timeatur. *Arg. C. 41. de Election.* Si Ecclesia inferior non sit Collegiata, nec Conventualis, Episcopus ejus jura tueri potest, præsertim, si diutius vacet, quæ potestas, sicut, & alienationes approbandi, cum Jure Ordinario ad Episcopum spectet, ad Capitulum, Sedevacante, transire, consequens est.

97 Capitulum, Sedevacante, nequit conferre beneficia, quæ ad liberam solius Episcopi Collationem spectant. *C. 2. h. t. C. un. eod. in 6. C. 1. de Instit. in 6.* Quia talis collatio, ut fructus Dignitatis Episcopalis consideratur. *Glos. in C. 14. de Major. & obed.* V. *Capitulo*, ac ut talis Episcopo successori debet reservari. *C. 4. de Offic. Ordin. C. 40. de Elect. in 6.* Nisi ubi servetur 2. *Regul. Cancel.* ubi talis collatio reservatur Pontifici. Si collatio pertineat ad Episcopum, & Capitulum simul, uno eorum deficiente, vel inhabili facto, ad alium jus conferendi devolvitur: sic mortuo, vel suspenso Episcopo, Capitulum; suspenso Capitulo, vel omnibus de Capitulo excommunicatis, Episcopus confert beneficia vacantia. *C. un. h. t. in 6.* dum tamen intra tempus ad conferendum præfixum non obtineat Episcopus, vel Capitulum, cum possunt absolutionem à suspensione, ita ut sint in mora petendi absolutionem: secus aliter. Quando in fundatione alicujus beneficij cavetur, quod Episcopus illud conferat cum consilio Capituli, cum talis fundatio non faciat provisionem communem cum Capitulo, siquidem nullum jus dat Capitulo, sed solum ejus Consilium, tanquam conditio requiratur, non potest Capitulum Sedevante, illud beneficium conferre. *C. un. §. Cum verò, h. t. in 6. Barbos. L. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 110. Gonz. in C. 2. h. t. num. 5.* Quoad collationes necessarias, ut actus neces-

necessariæ jurisdictionis, ita jus ad Capitulum transfertur, ut non teneatur ad eas faciendas successorem Episcopum expectatet. *C. 14. de Major. C. 1. de Instit. in 6.* Hinc potest instituere præsentatos, confirmare electos, vel etiam electionem infirmare. *Barb. L. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 95. cum Abb. in C. 2. h. t. & alijs.* Quod si Patronus Laicus, simul, vel successive plures ad idem beneficium præsentet, potest Capitulum instituere quem malit. *Gonz. in C. 2. h. t. n. 5.* Potest etiam conferre beneficia, quæ ex fundatione personæ certæ debentur, quia tunc collatio est necessaria, & sane potius provenit à fundatore talem personam designante, quam à collatore, qui est quasi executor: secus, si non personæ certæ: sed tantum familiæ certæ deberentur, quia esset libera respectu electi. *Gonz. in C. 2. h. t. n. 5.* Et in his Indiarum partibus Capitulum Sedevacante confert, & dat institutionem Canonicam omnibus beneficiatis, siquidem omnes præsentantur, vel a Rege nostro, vel à Pro-Regibus, & Gubernatoribus, vi Patronatus Regij. *Solorzan. Polit. Ind. L. 4. cap. 13. f. 605. & de Jur. Ind. tom. 2. L. 3. cap. 13. n. 32.* Si Sedevacante, aliquod etiam vacet beneficium potest Capitulum ordinaria, & necessaria jurisdictione utens in Ecclesiæ, & animarum commodum, illius administrationem, & curam Clerico idoneo ad sex menses cum stipendio congruo assignare, & etiam hoc tempus illi prorogare, quousque ab Episcopo alteri conferatur beneficium. *Barb. l. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 94.* Beneficia vacantia ex permutatione necessaria, vel acceptata ab Episcopo, qui morte præventus non potuit conferre, conferuntur vi jurisdictionis necessariæ à Capitulo: secus si resignatio nondum fuit ab Episcopo acceptata: tunc enim successori reservantur, quia solum acceptatione interveniente, resultat necessitas conferendi beneficium illi cum quo fit permutatio, Beneficia ad Episcopum ex negligentia collatoris devoluta, posse à Capitulo conferri cum talis collatio videatur actus jurisdictionis necessariæ, tenent *Molin. de Just. & jur. tr. 5. D. 11. n. 12. Zerol. Prax. Episc. p. 1. V. Capitulum, §. 5. Lambertin. de Jur. Patr. p. 3. q. 2. art. 8. n. 6.* contra *Garc. de Benef. p. 5. C. 7. n. 42. Barb. L. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 110.*

98 Quamvis major requiratur potestestas ad unienda beneficia, quam ad conferendum ipsa, cum tamen unio sit actus jurisdictionis ordinariæ, non gratiosæ, & voluntariæ (ut est collatio) sed necessariæ, cum solum necessitate exigente fiat, potest Capitulum Ecclesiæ, & beneficia unire, dummodò unio non fiat in favorem Capituli, nec jus Episcopi diminuat: quod fieret uniendo beneficium Ecclesiæ Episcopo non subjectæ. *Barb. l. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 98.* contra *Azor p. 2. L. 3. cap. 38. q. 9.* Sed licet possit Capitulum, Sedevacante Ecclesias unire, non tamen potest unitas separare; ut ex *C. 1. h. t.* tenent *Gloss. & Barbos. ibid. n. 1.* Et ratio disparitatis est: nam per unionem utrique Ecclesiæ consulitur, nam illa, cui fit unio, amplior fit; illius verò, quæ unitur paupertas sublevatur: è contrario per unionis dissolutionem utrique generatur præjudicium, nam unita amittit commoda, & privilegia adquisita per unionem, alia amittit amplitudinem, quam ex alterius unione habebat. Capitulum Sedevacante, potest recipere resignationem, non solum necessariam, quæ fit in pœnam, sed etiam voluntariam beneficij, quod ad solius Episcopi collationem pertinet, cum hoc ad jurisdictionem ordinariam Episcopi spectet, in quam succedit Capitulum, non tamen potest illud alteri conferre: quia hoc pertinet ad jurisdictionem gratiosam. *Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. n. 258. Barb. lib. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 96.* contra *alios.* Denique tanquam regula Generalis tenendum est, quod Capitulum Sedevacante, potest exercere, quæ pertinent ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, sive voluntariam, sive contentiosam: non verò potest exercere ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, nec ea, quæ sunt jurisdictionis delegatæ, & extraordinariæ, vel ex privilegio, nec ea quæ cedunt, vel cedere possunt in præjudicium Ecclesiæ. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 7. ex n. 38. Barbos. in C. 2. h. t. n. 3. Gonz. in C. fin. h. t. Solorz. de Jur. Ind. tom. 2. l. 3. cap. 12. n. 2. & 3. Dian. in Sum. V. Capitulum, & communiter DD. ex C. 11. c. 14. de Major. & obed. C. un. eod. in 6.*

TIT. X.

De his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.

99 CUM hic agendum sit de causis, quæ à Prælato possunt fieri sine consensu Capituli, & quæ cum ejus consensu, vel consilio agenda sunt, nec-

necesse est prius dicere, quid veniat nomine Capituli, & quomodò legitimè congregandum sit. Capitulum aliquando sumitur pro illo parvo loco, in quo Religiosi conveniunt. Aliquando etiam sumitur pro Congregatione Religiosorum, Canonicorum, vel aliorum Clericorum, imò & Laicorum Sæcularium, sic enim appellatur in Civitatibus Congregatio Decurionum, *Hispanè*: *Cabildo, Ayuntamiento, Justicia, y Regimiento. Hevia in Cur. p.* 1. §. 1. *Bobad. & alij*. Et quidem in præsenti *Capitulum est Universitas, seu Collegium Clericorum* (solum enim agimus de Capitul Ecclesiasticis) *qui sub uno Prælato, ut membra sub uno capite degunt, & cum eo unum corpus constituunt. Gonz. in* C. 1. *de His, quæ fiunt à major. parte num.* 4. Aliud est *Sæculare*, aliud *Regulare*. *Sæculare est, quod ex Clericis Sæcularibus constat*. Et si in Ecclesia Cathedrali, Metropolitana, vel Collegiata sit, dicitur Capitulum Cathedrale, Metropolitanum, vel Collegiale. *Capitulum Regulare est quod ex Regularibus constat, ad quod solum pertinent Professi, non verò Novitij*. Ad Capitulum Cathedrale Ecclesiæ pertinent Canonici, quorum caput est, non Episcopus, sed Decanus, qui nomine Capituli continetur, etiamsi Canonicus non sit. *C.* 7. *de Concess. prabend.* & Capitulo præsidet. Excluduntur à Capitulo Portionarij, & cæteri Beneficiati ejusdem Ecclesiæ, imò & Dignitates, nisi fortè prædicti vocem in Capitulo, speciali statuto, vel consuetudine habeant: & quidem jure antiquo omnes Canonici Cathedralium, & Collegiatarum, & omnes Religiosi in suis Monasterijs Capitulum constituebant, cum suffragium, seu vocem activam haberent; *arg. C. fin.* 16. *q.* 7. *c.* 3. 18. *q.* 2. *c.* 1. *de Elect.* sed *ex Clem.* 2. *de Ætat. & qualit. Et Trid. sess.* 22. *de Reform. cap.* 4. solum in sacris constituti habent vocem activam, tàm in Cathedralibus, quàm in Monasterijs. Et præterea in aliquibus Cathedralibus, & Religionibus requiritur specialibus statutis Sacerdotium, & certa ætas, in cujus computatione attendenda est consuetudo illius loci. *C.* 8. *de Consuetud.* Si dicat statutum, quod sit 24. annorum, intelligitur de anno completo; *arg. L.* 49. *ff. de Legat.* 1. in dubio sufficit inceptus, qui pro completo habetur. Ad Capitulum quidem constituendum tres personæ ad minus consociati debent. *L.* 85. *ff. de V. S.* qui cum Prælato unum corpus constituant, habeantque Leges, res, & jura communia, arcam, & domum communem; commune item sigillum, quo negotia, & acta Capituli, qua talis expediantur. Actorem communem, seu Syndicum, per quem controversiæ, & jura Capituli tractentur, & defendantur: aliàs non communitas, sed singularitas esset. *Gonz. in C.* 1. *de his, quæ fiunt à major. part. n.* 4. Episcopus convocat Capitulum, quod si Sedes vacet, vel si de negotio ejus agatur, non ejus Vicarius, seu Officialis, sed Præpositus, vel Decanus, vel Senior, qui in ipso præcipuum locum obtenturus est, juxta Ecclesiarum consuetudinem, illud convocavit. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 6. Episcopus de Jure Communi suffragium, non habet, nisi Canonicus sit, vel speciale statutum extet. Et sanè non debet Capitulum convocari tempore, quo Divina Officia celebrantur, nisi causa sit urgens. *Barb. de Canon. & Dignit. cap.* 35. in loco tamen solito debet congregari, sed alium possunt eligere Capitulares, etiam nulla urgente causa, dummodo locus sit honestus, tutus, & non clandestinus, nec fiat in fraudem. Debent Capitulares convenire *Capitulariter*, seu *Collegialiter*, hoc est, omnes in locum unum. Nam quod faciunt Canonici, vel Religiosi separatim *singulariter* fit, non *collegialiter*, ac proinde, non faciunt Capitulum; *arg. C.* 5. *de Probat. C.* 55. *de Electión.*

100 Prælatus plura nequit facere circa administrationem Ecclesiæ se solo, quin & aliquando debet requirere consensum, aliquando tamen solum consilium Capituli. Quando ergo Prælatus debet aliquid facere cum consensu Capituli, non sufficit requirere, sed sequi debet illius consensum. Quando vero aliquid facere debet cum Capituli consilio, sufficit, si illud exquirat, & congruo tempore responsionem expectet, quin sequi illud teneatur: cum consilium ex sua natura nullam necessitatem inferat. *C.* 7. *de Arbitr. L.* 2. §. *fin. ff. Mandat.* Et per consilij exquisitionem satisfit præcepto juris illud exquirendi, & potest haberi utilitas consilij, etiam si non sequatur consilium; nam Prælatus consulentium rationibus instructus cautius, utilius, & efficacius geret negotium. Quando jus aliquid prohibet fieri alio inconsulto, v. g. Episcopo, necessitatem consensus indicat; *arg. Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 16. Etiam quis tenetur consilium alterius sequi, si in Lege, vel mandato dicatur, quod procedat secundum alterius consilium. Idem est, si ab alio est petendum consilium, non præcisè, ut Consiliario, sed ut præbente authoritatem actui,

tui, & in alijs casibus. *C. 4. de Renunt.* Et *Glos. ibid.* in quibus consilium, non solum petendum, sed sequendum est secundum mentem Legis, vel mandari, quæ ex verbis colligi debet. Profectò: generaliter requiritur consensus Capituli, ut Episcopus posset procedere, quoties aliquod notabile præjudicium pot.st sequi Ecclesiæ successoribus. *L. 9. tit. 14. p. 1.* Hinc Prælatus Ecclesiæ habentis Capitulum nequit sine consensu Capituli res Ecclesiasticas immobiles, vel mobiles pretiosas ipsius Ecclesiæ alienare. *C. 52. 12. q. 2.* Irrita enim est Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ absque collaudatione, id est, approbatione, & subscriptione Clericorum. *C. 1. b. t. L. 2. tit. 14. p. 1.* ibi: *Enagenar pueden los Perlados los bienes de sus Eglesias: mas esto se entiende, que debe ser fecho con otorgamiento de sus Cabildos. Et ibid. Greg. Lop.* qui notat, jam ex consuetudine non requiri subscriptionem Canonicorum, ut in *C. 1. b. t.* Nec potest Episcopus obligare suam Ecclesiam per mutuum, vel alium contractum, nisi consentiente majori parte Capituli. *C. 4. de Fidejussorib. C. 2. de Solution. L. 8. tit. 14. p. 1.*

101 Nec Episcopus sine consensu Capituli potest Beneficium, vel Ecclesiam, etiamsi in ea jus Patronatus habeat, unire Collegio, vel Monasterio, vel Canonicatui. *C. 8. c. 9. b. t. L. 9. tit. 14. p. 1.* quia est quædam alienationis species, cum Ecclesia unita proprium Rectorem amittat, & jus conferendi, & præsentandi extinguatur, quippè jam non est vacatura. Suæ tamen mensæ nequit Episcopus, etiam de consensu Capituli, Beneficium, etiam simplex, unire. *Cl. fin. de Rebus Eccles. non alien.* ne in proprio facto authoritatem præstet, contra *L. 1. ff. de Author Tutor.* Hodie tamen ex *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 13.* sine consensu Papæ non potest Episcopus uniones Beneficiorum Curatorum facere, nisi pro fundatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, vel piorum locorum deservientium ad fidei propagationem, & litterarum culturam. *Barb. in Trid. n. 10. & 11.* Quando jus conferendi, vel præsentandi ad beneficium pertinet ad Prælatum, simul & Capitulum, requirirur expressus Capituli consensus, sine quo collatio, vel præsentatio irrita erit. *C. 6. b. t. ibid. Barb. n. 5.* si ad solum Prælatum spectet collatio, sed hæc facienda sit cum consensu Capituli, sufficit ejus tacitus consensus, qui præsumitur, si Capitulum sciens, collationem factam à Prælato, ipsi non contradicat, cum possit se opponere. Nec potest Episcopus augere, vel minuere Canonicatuum numerum sine consensu Capituli. *C. 8. de Constitut.* nam quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. *C. 29. de Reg. jur. in 6.* Etiam est necessarius consensus Capituli, si Episcopus vult Ecclesiam Parochialem convertere in Regularem, quia hæc conversio est quædam alienationis species. *C. 73. 12. q. 2.* Nec potest Episcopus, sine Papæ consensu aliquam pensionem, aut certam portionem fructuum imponere alicui Ecclesiæ, eam Monasterijs, vel Religiosis applicando, etiamsi illius Rectori congrua sustentatio relinquatur, vel etiamsi Patronus in talem impositionem consentiat. *C. 7. de Censib. C. 9. b. t.* quia est species alienationis. *Barb. in C. 1. b. t.* Potest tamen Episcopus etiam sine consensu Capituli quinquagesimam partem redituum, aliarumque rerum suæ Ecclesiæ impendere ad Ecclesiam de novo construendam, vel dotandam constructam, vel convertendam in Regularem, ut dicitur. *C. 9. b. t. Vallens. in b. t. n. 1. Gonz. in C. 9. de Donat. n. 4.* contra *Greg. Lop. in L. 4. tit. 14. p. 1. & alios.*

102 In Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis exemptis debet Capitulum initio anni duos adjunctos de Capitulo eligere, de quorum consilio, & assensu tenearur procedere in causis Capitularium Episcopus, vel ejus Vicarius. Et votum utriusque adjuncti pro uno tantum habetur, & aliud habet Episcopus, & potest alter Episcopo accedere, quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu, seu interlocutoria, vel definitiva sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium, cum Episcopo tertium eligant, & si in electione tertij, etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio devolvatur, & juxta eam partem, cum qua tertius conveniat, articulus in quo erat discordia, terminetur: aliàs processus, & inde secuta nulla sint, nullusque producatur juris effectus. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 6.* Si Ecclesiæ exemptæ non sint, potest Episcopus propria authoritate contra singulos de Capitulo, de consilio aliorum, procedere, sed si ibi versetur Episcopi interesse ad superiorem devolvitur cognitio. *Barbos. in Trid. sess. 25. de Ref. cap. 6.*

103 Episcopus tenetur generaliter cum consilio Capituli procedere, quoties occurrit negotium alicujus momenti, quia cum Capitulo unum efficit corpus, & non decet, quod Episcopus, qui est caput, membris omissis, aliorum utatur consilio in Eccle-

Ecclesiis negotijs. C. 4. b. t. & præcipuè debet exquirere consilium Capituli in statutis condendis. C. 5. b. t. in Clericorum institutione, & destitutione, in eorum defectibus corrigendis, in administratione rerum Ecclesiarum extra alienationem, in præbendo consensu ad alienationem rerum pertinentium ad aliquam Ecclesiam inferiorem. C. 4. c. 5. b. t. in Synodo convocanda, & in novi Monasterij erectione. *Gonzal. in C. 9. de Donat. num. 4.* Episcopus cum consilio Capituli eligit Magistrum, qui Clericos aliosque Scholares pauperes grammaticam doceat. *Trid. sess. 5. de Ref. cap. 1. L. 9. tit. 14. p. 1.* idem videtur statui circa electionem Magistri, qui Sacram Scripturam doceat in Cathedralibus, & Collegiatis, qui est Canonicus Lectoralis. Hodie tamen, saltem ex consuetudine, ejusmodi præbenda per concursum, & oppositionem confertur illi, in quem major pars Capituli consentit; in cujus electione Episcopus unum tantum suffragium habet. *Machado in Sum. lib. 4. p. 4. tr. 5.* & ita dispositum est quoad has Indiarum Provincias. *L. 7. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* ubi jubetur, quod hæ præbendæ per concursum conferantur, & servetur forma circa earum provisionem, quæ in Civitate Granatensi servatur. Si actus, qui cum alterius consilio debuit fieri, eo non requisito, fiat est validus, nisi in dispositione additum sit Decretum irritans actum, si fiat sine consilio, vel consilij petitio sit conditio, *sine qua non*, actus subsistet, vel si hoc modo commissio delegetur. Nam forma mandati servanda est. Vel si cum hac obligatione concessa sit potestas, etiam ordinaria, vel si Consiliario detur potestas faciendi actum commissum, casu quo ejus consilium non exquiratur, vel si actus fieri jubeatur cum consensu, & consilio alterius. Potest tamen Episcopus, etiam sine consensu Capituli, negotia exigua, & minoris momenti peragere. *L. 7. tit. 14. p. 1.* vel quando causa est notoria, vel si necessitas urgeat, vel justa, & legitima causa suadeat, non exquiri consilium Capituli, & præcipuè, si consuetudine legitima sit inductum, quod Episcopus, vel Prælatus sine consilio Capituli procedat, etiam in casibus, in quibus alias de jure requiritur. *C. 6. b. t. L. 7. tit. 14. p. 1. Barbos. in C. 1. b. t. n. fin.* Et sic videmus sæpè fieri.

TIT. XI.

De his, quæ fiunt à majore parte Capituli.

104 Ut Capitulum censeatur legitimè congregatum, debent Capitulares ad ipsum vocari. Et quidem aliquando, non solum præsentes, sed etiam absentes ad Capitulum, sunt vocandi. *L. 10. tit. 14. p. 1. & ibid. Greg. Lop. V. En tal logar*, scilicet, quando est eligendus Prælatus. *C. 42. de Electian.* vel si cessatio à Divinis est indicenda. *C. 8. de Offic. Ordi in 6.* vel si Canonicus est recipiendus, vel conferendæ sunt præbendæ, vel beneficia. *C. 33. de Præbend. in 6.* vel si negotium tractandum in singulorum præjudicium singulare tendit; *arg. C. 4. de Confirm. util. L. 11. ff. de Servitut. prædior. rustic.* vel si negotium valde arduum occurrat, & non sit periculum in mora. Et quoties ita dictet consuetudo legitimè præscripta; *arg. C. fin. de Consuet.* Regulariter tamen non sunt vocandi procul absentes, qui periculosè expectantur, & vocantur cum difficultate. *L. 10. tit. 14. p. 1. junct. Glos. V. En tal logar*: præsentes vero necessario sunt vocandi, quia cum jus suffragij omnibus Capitularibus competat, non sunt eo privandi, sine justa causa. *L. 10. tit 14. p. 1.* ibi: *A todos los del Cabildo deben llamar, seyendo en tal logar, donde pudiessen en buena guisa venir*, si omnibus vocatis, aliqui, quia nolunt, non compareant; nec enim ad comparendum cogi possunt; *arg. C. 42. de Elect.* nisi ejus præsentia valde necessaria esset Ecclesiæ: Cæteri in negotio procedere possunt, etiamsi plusquam tertia pars Capitularium desit: tunc enim penes præsentes tota Capituli facultas resideret, cum absentes pro ea vice, juri suo renuntiarint. Si verò plusquam tertia pars Capitularium, qui vocandi erant, contempta sit, ab illis gestum est nullius momenti in quacumque materia ex defectu potestatis, quæ quidem residet in duabus partibus Capitularium. *Abb. in C. 1. b. t. n. 16.* Si unus, vel aliqui tantum sint neglecti, quod in eorum absentia factum est, jure subsistit: potest tamen in irritum à neglectis revocari. *C. 33. de Præb. in 6. C. 36. de Elect.* *Quia plus in talibus consuevit contemptus unius obesse, quam multorum contradictio in præsenti. L. 10. tit. 14. p. 1.* ibi: *E si asi no lo ficiessen* (id est, *llamarlos*) *non* val-

valdria nada su fecho, queriendolo contradecir los que non fuessen llamados, quier fuesse uno, ò muchos: è esto es, porque mas empeceria despreciamiento de uno, que non fuesse à tal fecho llamado, que contradicion de muchos, que fuessen presentes, quando lo quisiessen facer. Nec in talium absentia gestum esset nullum, quamvis sit rescindibile; etiamsi extaret in tali Ecclesia statutum, etiam juramento Capitularium firmatum annullans acta, & decreta, in quibus aliquis, vel aliqui ex Capitularibus in loco præsentibus non vocarentur: imo tale statutum nullum foret utpotè contrarium Juri Communi; *arg. C. 9. de Major. & obed.* juxta quod taliter gesta valida, licèt rescindibilia, sunt. *C. 33. de Præbend. in 6.* illi, qui debuerunt, & commodè potuerunt vocari, sunt inter præsentes connumerandi quoad computum suffragiorum. Nam si Capitulum ex 20. Capitularibus constat, & duo sint contempti, si pro una parte stent decem, licèt sit major respectu præsentium, non tamen respectu omnium vocandorum, sed debent stare undecim ad majorem partem constituendam, ne via fraudibus aperiatur. Nec contempti debent ex injuria ipsis facta detrimentum pati, nec contemptores commodum reportare ex injuria, quam fecerunt.

105 Cum verò ferè impossibile sit, quod omnes in negotijs, præcipuè arduis, consentiant, ne indecisa maneant omnia fere negotia, non requiritur, quod omnes consentiant: imò statutum, vel consuetudo omnium requirens consensum, ut irrationabilis, non valeret: sed sufficit, quod major, & sanior pars Capituli conveniat, dummodo sint congregatæ saltem duæ partes eorum, qui adesse debent, possunt, & volunt, sive in loco præsentium, & vocandorum. *C. 11. h. t.* Nam penes duas Capituli partes residet tota Capituli vis, & facultas. *L. 3. l. 4. ff. Quod cujusq. Univ.* nisi ubi est contraria consuetudo. Major enim obligat minorem, etiam invitam. *C. fin. h. t.* & quod à majori, & saniori Capituli parte fit, à toto Capitulo factum creditur. *Gonz. in C. 1. h. t. n. 6. & alij*, ita ut minor possit cogi Decreto, seu ordinationi majoris obedire. Si verò Decretum non sit rationabile, minor pars, imò & unus se opponere potest, si causam rationabilem afferat, & eam coram Superiore Capituli, & electis Arbitris probet. *C. 1. h. t.* In actibus Capitularibus pars major consideratur, non tantum respectu habito ad alias, in quas Capitulares dividuntur, sed ad totum Capitulum, sed Collegium. Hinc, si Capitulares habentes suffragium essent 43. non sufficeret, quod unus ex coopositoribus haberet pro se viginti suffragia, si reliqua inter quatuor, vel sex ex coopositoribus dividerentur, quia licet tunc haberet pro se majorem Capituli partem respectivè ad alios, non tamen absolutè haberet majorem partem Capituli: sed habere debet 22. suffragia, & ea quidem essent satis ad majorem partem constituendam, licet non unum integrum suffragium, sed dimidium tantum esset supra medietatem Capituli, quamvis ab aliqua Communitate exigeretur unum suffragium supra medietatem. Non sufficit, quod major pars aliquid decernat, nisi simul sit sanior. *L. 10. tit. 14. p. 1.* sanior igitur est, quæ alteri prævalet zelo, dignitate, & integritate. In dubio pars major sanior censetur. Et sic jam communitèr in Monasterijs, & Capitulis observatur. *Gonz. in C. 1. h. t. n. 6. Greg. Lop. in L. 10. tit. 14. p. 1. V. Mas razonable.*

106 In aliquibus casibus non sufficit major Capituli pars, ut accidit in actibus voluntarijs, & facultativis: vel si de re ad singulos, ut universos pertinente, agatur. *C. fin. de Majorit.* nam tunc omnium requiritur consensus. *L. 10. tit. 14. p. 1.* ibi: *Pero si otra cosa quisieren facer, è ordenar por su voluntad, è non por premia ninguna, en esta razon todos deben acordar para valer aquel fecho. E si alguno de ellos contradixesse, non valdria lo que los otros ficiessen. Et ibid. Greg. Lop. V. Por su voluntad. Glos. in C. Cum omnes, de Constitution.* Similitèr omnium consensus requiritur, si electio transferatur in unum, vel plures per compromissum, vel si extranei ad electionem admittantur; *arg. C. 29. de Reg. jur. in 6.* ibi: *Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari*: & *C. 56. de Reg. jur. in 6.* ibi: *In re communi potior est conditio prohibentis.* Si Episcopo amenti est dandus Coadjutor requiritur, vel totius Capituli consensus, vel duarum partium. *C. un. V. Si verò, de Cleric. ægrot. in 6.* In Pontificis electione, duæ tertiæ partes Cardinalium in unum, necesse convenire debent. *C. 6. de Elect.* similitèr si electio cum postulatione concurrat, nam si postulandus non habeat duarum partium suffragia, prævalet electio. *C. 40. de Election.* vel ubi statutum, vel consuetudo exigat duas suffragiorum partes; *arg. L. 3. ff. Quod cujusque.*

Quan-

107 Quando à majori parte est aliquid decretum in alicujus detrimentum, si ad illius actus valorem requiritur consensus expressus, non tenetur volens contradicere, expressè contradicere, sed sufficit tacere: quippè racens non consentit expressè. *C. 44. de Reg. jur. in 6.* secus erit, si ad valorem actus sufficiat consensus tacitus: nam ex eo quod non contradicat, consentire videtur. *C. 43. de Reg. jur. in 6.* Etsi de præjudicio Ecclesiæ, vel suo agatur, potest appellare, & licet non sit necesse appellare; ut ait *Abb. in C. 1. b. t. n. 13.* Si appellet, non poterit cogi obedire Decreto majoris partis, quia appellatione pendente nihil est innovandum: etsi pars major ad executionem Decreti, ut potest procedat, si appellatio legitima fuisse agnoscatur, revocantur quæ post ipsam facta sunt. Prælatus cum majori parte Capituli, contradicente minori, statuere potest, quod ad necessatiam reparationem fabricæ, quilibet Canonicus conferat certam redituum portionem si hoc necessiras, vel utilitas Ecclesiæ exigat. *C. fin. b. t.* Quia suæ Ecclesiæ, cujus fructibus gaudent, omnes renentur succurrere, etiam cum aliqua diminutione suorum redituum, quos quidem ab Ecclesia percipiunt: cum hoc enim onere ipsis assignari videntur redditus Ecclesiastici. Non verò potest Episcopus, etiam cum majori parte Capituli, aliquid statuere in præjudicium, & diminutionem reddituum ad singulos, qua tales jure Collegij spectantium, ut ad aliquod opus pium, & extraneum applicentur; si hoc non sit specialitèr necessarium, vel utile Ecclesiæ, nisi omnes, cum omnes tangat consentiant. *C. 29. de Reg. jur. in 6.* In instrumentis, quæ super actis Capitularibus fiunt, non est necessaria omnium Capitularium subscriptio, sed satis est consuetum Capituli sigillum apponi, & exprimi in contextu, vel in fine instrumenti, quod à Capitulo sit gestum: debet tamen attendi, & servari consuetudo cujuslibet Capituli, vel communitatis.

TIT. XII.

Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

108 CUM beneficium detur propter officium. *C. fin. de Rescript. in 6.* ratio naturalis dictat, ut ille, qui subit onus officij, etiam commodum beneficij percipiat. *C. 77. de Reg. jur. in 6.* Et quidem sine diminutione, ut in præsenti Rubrica, & ejus capite unico deciditur; & in *L. 5. tit. 14. p. 1. Enteramente, è sin menoscabo deben dar los Perlados las Dignidades, è los personages, è los Beneficios de Santa Eglesia, à los Clerigos à quien los dieren.* Et quia beneficia diminuuntur per impositionem pensionum, ideò de eis hic agere oportet. *Pensio* (sic à *pendendo* dicta, quia pendet à beneficio à quo extrahitur sicut ususfructus à proprietate) *est jus aliquos fructus percipiendi ex beneficio alieno, alicui, qui pensionarius dicitur authoritate legitima, & justa de causa concessum*: vel in *perpetuum*, & tunc verè est beneficium Ecclesiasticum, si in officio spirituali fundatur: vel *ad tempus*: & sic regularitèr conceditur. Pensio alia est *Laicalis*, *Ecclesiastica* alia. *Laicalis est, quæ Laico ob temporale ministerium conceditur*: ut defensori Advocato, Procuratori, æditui, Cantori, & alijs Ecclesiæ Ministris, vel Patrono in recognitionem fundationis, vel alijs benemeritis in laborum remunerationem. Et hæc certè non est beneficium Ecclesiasticum, cum nec statum Clericalem, nec officium spirituale exigat. *Ecclesiastica est, quæ necessariò in pensionario exigit Clericalem statum*: quæ si detur ob ministerium spirituale; v. g. Episcopi, vel Parochi Coadjutor, Vicario, Concionatori, &c. *spiritualis* dicitur, & si in perpetuum detur, ut Commendæ, vel Vicariæ perpetuæ propriè erit beneficium Ecclesiasticum. *Gonz. in C. 21. de Præbend. in 6.* Alia datur Clericis, non ob spirituale ministerium, sed ob aliud motivum; v. g. ad ordinariam sustentationem, & dicitur *mixta.* Et hæc licet non sit verè beneficium. *C. 4. de Præb. in 6. Trid. sess. 21. de Ref. cap. 2.* quia regularitèr ad tempus datur, ac proindè deest illi perpetuitas propria beneficij, & quia non fundatur in officio spirituali, cum sæpè detur in alimentorum subsidium, hodie tamen instar beneficij habetur, cum non nisi Clericis possit concedi, & ad tonsuram, & recitationem officij parvi B. V. obliget. *Gonz. in C. 21. de Prebend. in 6.* & sic ad concordiam redigi possunt AA. in hac materia discordantes. Hinc Jure Communi solum est capax pensionis Ecclesiasticæ ille, qui sit Clericus saltem prima tonsura initiatus, quando ipsi pensio confertur, nec sufficit, quod posteà Clericus fiat, ut validetur collatio. *C. 18. de Reg. jur. in 6.* etiamsi talis Clericus non habeat 14. annum. *Barb. L. 2.*

L. 2. Jur. Eccles. cap. 11. *n.*42. contra *alios,* imo etiamsi ante septennium sit ordinatus ex dispensatione potest pensionem habere. Etsi illegitimus est dispensatus, ut recipiat primam tonsuram, non indiget alia dispensatione ad beneficium. *Garcia de Benef. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 116. irregulares non esse incapaces pensionis est declaratum apud *Garc. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 135. *Pignatel. tom.* 6. *consult.* 73. *n.* 4. sed non potest ipsis sine dispensatione conferri. *Alloz,* V. *Pensio, n.* 5. nec debet conferri pensio, Clericis excommunicatis, suspensis, bigamis, nec conjugatis, quia conjugati, excepto privilegio Canonis, & fori in criminalibus, pro Laicis habentur. Nec Religioso potest conferri pensio ex beneficio sæculari, nam Religiosus est incapax pensionis sæcularis, sicut, & sæcularis beneficij. Nec item potest conferri Novitio, nam licet per ingressum in Religionem fiat persona Ecclesiastica non tamen fit Clericus.

109 Pontifex ex amplissima potestate, qua supra Jus Canonicum gaudet, potest quascumque pensiones, sive Ecclesiasticas, sive Laicales, sive temporales, sive perpetuas in quacumque quantitate, & quibuscumque beneficijs imponere. *C.* 2. *de Præbend. in* 6. Et quamvis pensio sine justa causa, utpote levitèr, & temere concessa sit illicita, valida tamen est. *Gonz. in C.* 21. *de Præb. n.*8. *Sanch. in Decal. L.* 7. *cap.* 29. *n.* 97. *Garc. de Benef. p.* 1. *cap.* 5. *num.* 275. *Barb. L.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 11. *n.* 55. contra *Tolet. & alios.* De plenitudine quidem potestatis Pontifex, & quidem solus, potest Laicis pensiones Ecclesiasticas concedere, quæ dicuntur *Cavalleratos*, nec beneficiarij, nec patroni consensu indiget. Sed quia Pontifex non præsumitur velle beneficio patronato pensionem imponere, est necessarium hoc in rescripto exprimi. *Garc. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 361. Etiam exprimi debet, si beneficium jam altera pensione sit gravatum, quia non præsumitur Pontifex velle gravare Ecclesiam duplici onere: alias litteræ pro subreptitijs habentur. *C.* 20. *de Rescript.* quia si has circunstantias sciret Pontifex, vel non imponeret, vel difficiliùs imponeret pensionem. Episcopus non potest beneficio perpetuas imponere pensiones: nam hoc proprium Pontificis est; & sic sunt intelligendi. *Text. in C.* 7. *de Censib. C.* 8. *de Transact.* potest tamen pro bono pacis in beneficio litigantium. *C.* 21. *de Præbend.* vel ex alia justa causa Ecclesiæ utilitatem concernente imponere pensionem, quæ ad vitam pensionarij duret; ut ex *C.* 30. *§. Qui verò, de Præbend.* colligitur à contrario sensu, sine justa causa est invalida pensionis impositio, debetque exprimi, & probari: alias in fraudem beneficij facta censetur. *Garc. de Benefic. p.* 1. *cap.* 5. *num.* 296. & 324. *Gonz. in C.* 21. *de Præb. n.* 8. Et licet beneficiarius moriatur ante pensionarium, onus pensionis solvendæ ad successorem in beneficio transit; *arg. C.* 5. *de Transact.* ibi: *Sed census absque Episcopali authoritate, cui praeest Ecclesiæ sub hoc prætextu solutus vitam ejus, qui solverit non excedit.* Ergo à contrario, accedente Episcopi consensu potest census, seu pensio excedere vitam beneficiarij, qui soluturus est, ita tenet *Garc. de Benefic. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 295. *& alij.* Negant tamen *Sanch. in Decal. L.*7. *cap.* 29. *n.*99. *Less. de Just. & jur. L.*2. *cap.* 34. *n.* 206. *ex C.* 21. *de Præbend.* ibi: *Non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata.* Sed in prædicto textu Pontifex loquitur de Judicibus delegatis, qui etiam à Papa delegati non possunt in præjudicium Episcopi sine ejus consensu pensionem beneficijs imponere, quæ ad successorem transeat. *Text. in C.* 7. *de Censibus, & in C.* 8. *de Transact.* intelliguntur de pensione perpetua.

110 Pensio regularitèr reservatur in ipsa beneficij collatione, quando adhuc beneficium vacans est, & tunc est constituendus defensor beneficio, cujus consensus ad impositionem pensionis requiritur: aliquando etiam imponitur, postquam beneficium est collatum, & quidem tunc non potest Episcopus imponere pensionem sine consensu saltem tacito beneficiati, quia jam habet jus in beneficio. Si beneficium patronatum sit, etiam requiritur patroni consensus, saltem quando pensione non tantum beneficiarius, sed etiam beneficium oneratur, nisi patronus requisitus ab Episcopo irrationabilitèr renuat, & magna utilitas Ecclesiæ ex tali pensione sequatur. *Garc. de Benefic. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 359. & 360. cum resignatio, quæ fit in favorem non possit in Episcopi manibus fieri, hinc non potest Episcopus ex causa resignationis pensionem imponere, neque in favorem suæ, vel Capitularis mensæ potest pensionem imponere, ne in facto proprio, & ad suam utilitatem authoritatem præstet. *Cl.* 2. *de Rebus Eccles. non alienand.*

111 Pensio ita ex beneficio extrahenda est, ut beneficiato congrua portio ad sustentationem maneat, & ut possit jura Episcopalia solvere. *C.* 12. *de Præbend.* &

reducenda erit ad debitam quantitatem, si eam excedat *arg. C. 36. de Præbend.* ac proindè *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 13.* sic statuit: *Omnes Cathedrales Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille, & Parochiales, quæ summam ducatorum centum, secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur.* Nec beneficijs simplicibus, si annui redditus non excedant summam 24. ducatorum pensio imponitur. Et sic habet stylus Curiæ *Azor p. 2. l. 8. cap. 8. q. 7.* si has summas beneficia excedant, usque ad tertiam partem redditicuum possunt onerari. *Azor p. 2. l. 8. cap. 8. q. 5.* sed stylo Curiæ, teste *Flamin. de Resignat. l. 6.* beneficio simplici imponitur usque ad medietatem. Non tamen censetur pensio constituta in distributionibus quotidianis, nisi hoc specificè exprimatur, quia hæ non sunt fructus beneficij, sed laboris stipendium. *Garc. de Benefic. p. 1. cap. 5. n. 379. & 387.*

112 Pensionarius postquam pensiones percipere cœpit, vel per ipsum stat, quominus percipiat, si hæ 60. ducatorum auri de Camera excedant (& non aliter) tenetur tonsuram, & habitum Clericalem deferre: alias pensione privatur ipso facto ex *Constit. S. Pij V. & Sixti V.* apud *Garc. de Benefic. p. 1. cap. 5. n. 10.* si beneficiarius, præter pensionem habeat beneficium, vel sit in Sacris Ordinibus constitutus, sufficit, si recitet tantum horas Canonicas; quod si beneficio, & ordinibus majoribus careat, sed solam pensionem habeat, tenetur recitare Officium parvum B. V. M. ex *Constit. S. Pij V.* Quod si omittat recitare, non facit suos fructus pensionis. *Garc. de Benefic. p. 1. cap. 5. n. 17.* & prorata fructuum, quos percipit, tenetur ad onera beneficio annexa; v. g. ad subsidium charitativum, & collectas, quæ beneficijs imponuntur, quia sentit commodum, & onus sentire debet. *C. 7. de Reg. jur. in 6. Azor p. 2. l. 8. cap. 9. q. 2.* nisi à Papa concederetur pensio ab omni onere exempta. *Garc. p. 1. cap. 5. n. 172.* ille, in cujus beneficio constituta est pensio, tenetur sub gravi eam solvere, & cum sit onus reale beneficij, quod non præcisè ratione fructuum debetur, sicut non augetur pensio, cum fructus ubertim crescunt, sic nec minuitur, si fructus uno, vel altero anno decrescant, vel deficiant. *Arg. C. 3. de Locat. & conduct.* Pensiones non dum solutæ à beneficiario, qui mortuus est, vel cessit beneficio, si extent apud successorem in beneficio, ipse eas solvet: si apud hæredem hæres ipse solvet: si verò in utilitatem Ecclesiæ conversæ sint, à successore in beneficio solventur: si in hæredis utilitatem sint consumptæ, ab hærede solventur. Quando verò antecessor male consumpsit pensiones, vel in privatos suos usus impendit, recurrendum est ad successorem in beneficio, ut eas solvat. *Arg. l. 7. ff. de Public. & vectigal.* sed ipse poterit adversus beneficiarium, si vivat, vel eo mortuo adversus ejus hæredes actionem intentare, ut ipsi sic solutum restituant. *Arg. C. 3. de Pignor.*

113 Pensio extinguitur 1. per mortem pensionarij, quia hæc servitus solum ad ejus vitam durat, & si imposita sit solum beneficiario, ut onus personale, illius morte etiam extinguitur: secus, si tanquam onus reale beneficio imposita sit. 2. per Matrimonium à pensionario contractum ex *Constit. 73. S. Pij V.* nisi à Pontifice dispensetur. 3. per professionem Religiosam, etiam in ordine Militari, si veri Religiosi sint, ut Equites Melitenses. 4. per Episcopatum, postquam Episcopus consecratus, & possessionem adeptus est. *Arg. C. 7. §. Cum verò, de Elect.* & præcipuè ex *Constit. Julij II. & Clem. VII. Constit. 8. ann. 1524.* exceptis Episcopis Titularibus: *Hispanè: de Anillo,* & Episcopis Cardinalibus Ecclesiarum Ostiensis Veliternensis, &c. 5. per crimen hæresis *C. 9. de Hæretic.* vel læsæ Majestatis, aut Sedis Apostolicæ. Vel si pensionarius aliquem Cardinalem percusserit. *C. 5. de Pœn. in 6.* vel Episcopum, in cujus Diœcesis habet pensionem. *Clem. 1. de Pœn.* 6. si pensionarius monitus ut deferat habitum, & tonsuram Clericalem non obediat ex *Constit. Sixti V. Cum Sacrosanctum, 5. Idus Januari 1588.* 7. si pensionarius fiat Miles, & monitus, non deserat militiam. 8. si pensionarius in perpetuum remittat, ut potest facere, pensionem, cum in sui favorem sit concessa. Et quidem propria authoritate potest eam remittere, cum non sit propriè beneficium. 9. si adquirat beneficium, in quo pensionem habet, quippè consolidatur cum beneficio, sicut usufructus cum proprietate.

114 Pensio temporalis redimi potest à beneficiario, ut talis obligatio extinguatur; & etiam vendi absque vitio simoniæ valet, quia cum sit separata à titulo spirituali, nihil simoniæ illius venditio

ditio continet. Pensio verò spiritualis, nec redimi, nec vendi, nec commutari potest: fructus tamen pensionis possunt redimi, & elocari, quippè sunt merè temporales: Imò potest pensionarius retento jure pensionis totum commodum temporale pensionis propria authoritate in alium transferre etiam cum pacto de habenda alia re temporali ejus loco, nam sic tantum cedit fructus, qui utique vendibiles sunt. *Lacr. lib.* 4. *n.* 1172. Pensio mixta jure antiquo redimi, & vendi poterat. *Less. de Just. & jur. L.* 2. *cap.* 35. *n.* 124. *&* 125. de stylo Curiæ vendi non potest sine Pontificis authoritate, & vendens punitur, ut simoniacus, tamen redimi posse sine Papæ authoritate, tenent *Suar. Toled. & Less. de Just. & jur. L.* 2. *cap.* 35. *n.* 129. quod negant *Navar. de Simon. cons.* 59. *n.* 1. *Flamin. de Resign.* 16. *q.* 2. *n.* 128. *& alij.* Sed usus Curiæ habet, quod non redimatur pensio ipsa, sine Papæ authoritate, & requiri litteras Apostolicas ad hanc redemptionem. Si tamen propria authoritate redimeretur, *Cajen. Suar. Less. & alij* contra *Henriq. Garc. & alios*, dicunt, nullum esse peccatum pensionem jam antecedentèr constitutam redimere, anticipatè solvendo: si certa summa daretur, quæ esset velut anticipata solutio decem, vel viginti annorum, considerata ætate, & complexione pensionarij: sed tunc solum esse contractus pensionis secundum proportionem spei lucri, & metus damni, commutando solos fructus cum illa summa pecuniæ, remanente pensione, seu jure ad fructus penes pensionarium, quamvis plus velle videantur prædicti Authores. *Lacr. lib.* 4. *ex n.* 1182. Pensio transferri potest de una persona in aliam, sed non aliter quam de Pontificis licentia, ubi extinguitur antiqua pensio, & nova ejusdem. valoris alteri conceditur. *Garc. de Benefic. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 242. *Azor p.* 2. *l.* 8. *cap.* 11. *q.* 2. Et potest pensionarius, dum sit compos mentis, etiam in articulo mortis, sed non per testamentum transferre *Garc. p.* 1. *C.* 5. *n.* 56. *Lacr. lib.* 4. *n.* 1170.

115 Non possunt Collatores, nec Patroni aliquam partem fructuum sibi, vel consanguineis reservare C. 7. *de Censibus. C. un. h. t.* Et si in ipsa collatione, vel præsentatione facienda, eos exigerent esset simoniaca, & irrita. *C. un. h. t.* Imò nec Episcopus, nec alij Collatores possunt beneficiorum collationem differre ad percipiendos interim fructus beneficij vacantis *arg. C.* 30. *§. fin. de Prabend.* sed hi successori reservari debent C. 4. *de Offic. Ordin. C.* 9. *eod. in* 6. vel debent dividi inter successorem, & Ecclesiam. C. 40. *de Elect. in* 6. Et licet fructus adhuc pendentes tempore mortis beneficiati, etiam debeant successori reservari, tamen ex consuetudine dividuntur prorata temporis inter hæredes beneficiati, & successorem in beneficio. In his Provincijs Indiadiarum redditus, qui percipiuntur, vacante Ecclesia Episcopali, vel Archiepiscopali, dividuntur in tres partes. Una reservatur successori, altera Ecclesiæ vacanti tribuitur, & de tertia disponunt Nostri Reges ut Indiarum Patroni, & applicant ad causas pias pro suo arbitrio. *L.* 41. *tit.* 7. *lib.* 1. *R. Ind. Solorz. Politic. Indian. lib.* 4. *cap.* 12. Potest tamen Episcopus in ipsa collatione cum consensu capituli, non præcedente pacto cum eo, cui est conferendum beneficium, fructus beneficij vacantis si redundantes habeat, in causam necessariam reservare, v.g. ut debita Ecclesiæ solvantur, vel ut fabrica reparetur. *C. un. h. t. & ibid. Barbos. n.* 10. alios citans. *L.* 5. *tit.* 14. *p.* 1. ibi: *Pero si el Perlado con su Cabildo estableciessen de tomar las rentas de algun Beneficio, que vacare de su Eglesia, para meterlas en alguna cosa convenible, que fuesse menester à prò de la Eglesia, bien lo puede facer, è tomarlas fasta algun tiempo cierto: pero esto se entiende, ante que lo oviessen dado.*

TIT. XIII.

De Rebus Ecclesiæ alienandis vel non.

116 ECclesia in præsenti latè accipitur, ita ut non solum comprehendat Templa, Capellas, & Oratoria dedicata Sacris Ritibus ad celebrationem Missarum, & Divinorum Officiorum, & in venerationem Sanctorum, sed etiam pia loca, authoritate Episcopi erecta ad opera pietatis, misericordiæ, & Religionis exercenda, ut Monasteria, Congregationes, Hospitalia, & similia. *Extrav. Ambitiosæ h. t. inter com. Auth. Hoc jus. C. de Sacros. Eccles.* Et quamvis in jure præcipuè prohibeatur alienatio, qua res Ecclesiæ particularis in aliam Ecclesiam, transferuntur. *C.* 1. *h. t.* Alienatio in præsenti, non solum comprehendit translationem dominij directi, cujus modi est venditio, donatio, permutatio, &c. *L.* 6.

ff.

ff. de Verb. signif. sed etiam translationem dominij utilis tantum, retento directo: *C. 6. b. t.* vel. cujuscumque alterius juris in re. *L. fin. C. de Reb. alien. non alien. L. 1. tit. 14. p. 1. Gonz. in C. 5. b. t. ex n. 4. & alij.* Prohibetur ergo, præcipuè in *C. 5. b. t. L. 1. tit. 14. p. 1.* donatio, venditio, permutatio concessio infeudum, vel emphyteusim transactio, qua in alium transfertur res Ecclesiæ, vel possessionis ejusdem. Cessio litis, quæ pendet super re Ecclesiæ prohibita alienari. Compromissum unio perpetua unius Ecclesiæ, vel beneficij cum alia Ecclesia, vel beneficio. *Arg. Cl. 2. b. t.* Conditio, id est *pactio*, seu *conventio*, ut in *L. 7. C. fin. de Pact.* sumitur, quæ quidem affertet Ecclesiæ præjudicium, etiam citra translationem dominij directi, vel utilis. V. g. si ususfructus, vel alia servitus constitueretur. *Arg. C. 20. 12. q. 2. L. fin. C. de Rebus alien. non alienand.* omissis alijs hujus vocis intelligentijs apud. *Gonz. in C. 5. b. t. n. 5.* Et licet Prælatus Ecclesiæ non possit in re Ecclesiæ servitutem realem, vel personalem constituere. *L. fin. C. de Reb. alien. non alien.* potest tamen fructus vendere, & locare sine præjudicio successoris. *C. 2. de Locat.* etiam hypotheca specialis prohibetur, non verò generalis: nam hypotheca specialis plus juris transfert in creditorem, quam generalis, quæ magis distat à periculo alienationis. *C. 5. b. t. Covar. lib. 2. Var. cap. 16. n. 7. Barb. de Offic. Episcop. alleg. 19. n. 85.* Etiam continetur in hac prohibitione repudiatio hæreditatis, vel legati. *Gonz. in C. 5. b. t. n. 13.* alios citans, quia licet non sit stricta alienatio, est tamen alienatio lata. *L. 28. ff. de V. S. L. 5. §. 8. ff. de Reb. eorum, qui sub Tutel.* ibi: *Fundum autem legatam repudiare pupillus sine Prætoris authoritate non potest: esse enim, & hanc alienationem cum res sit pupilli, nemo dubitat.* Et a pupillo ad Ecclesiam valet argumentum. *Arg. C. 1. de In integr. restit.* Nec Prælatus potest suæ Ecclesiæ præjudicare, quod quidem faceret, renuntiando juri, quod ad hæreditatem, vel legatum habet Ecclesia. *Arg. C. 2. b. t.* in 6. Negant tamen talem repudiationem prohiberi. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 95. n. 54. Sanch. de Matr. l. 6. D. 4. n. 11. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 24. n. 65.* ubi nostram sententiam valdè probabilem dicit. In alienatione prohibita, etiam comprehenditur translatio, & permutatio rerum unius Ecclesiæ particularis in aliam. *C. 43. 16. q. 1. C. 1. b. t. & ibid. Alag. & alij.* Si verò ministris proprijs satis sit provisum, & altera Ecclesia indigeat; potest Prælatus jurisdictionem; saltem Episcopalem, habens de consensu Capituli. *Arg. C. 3. de His, quæ fiunt à Prælat.* & patroni, si patronata sit, hanc translationem de una ad aliam Ecclesiam facere: nam particulares Ecclesiæ debent sibi invicem subvenire, tanquam ejusdem corporis, scilicèt Ecclesiæ universalis, membra.

117 Res Ecclesiasticæ in triplici sunt differentia. 1. sunt quædam, quæ possunt sine aliqua solemnitate alienari. 2. sunt aliæ, quæ nec solemnitate adhibita alienari possunt. 3. aliæ denique, quæ possunt alienari, sed adhibita juris solemnitate. Res, quæ respectu Ecclesiæ inutiles sunt ex aliqua, circunstantia, etiamsi immobiles sint, cum nullum, vel exiguum commodum Ecclesiæ afferant, possunt sine solemnitate vendi à Prælato, ut ex illarum prætio aliæ utiles emi possint. *C. 52. §. Item domus, 12. q. 2. C. 7. t. 8. §. Possessiones, b. t.* & ideò servi fugitivi possunt ab Ecclesia alienari, vel vendi. *C. 4. de Rer. permutat.* & aliæ hujusmodi res, quæ Ecclesiæ damnum afferunt. Possunt etiam alienari res mobiles non pretiosæ, & quæ servando servari nequeunt, quæ scilicèt usu ipso consumuntur, vel brevi tempore veterascunt, ut frumentum, vinum, oleum, fructus, pecudes, pleræque vestes, &c. *Barb. in C. 8. de His, quæ fiunt à Prælat. n. 4. & alij. Arg. L. 22. L 24. C. de Administr. Tutor.* Bona etiam immobilia ab antiquo dari solita in feudum, vel emphyteusim, si in Ecclesiam revertantur, cum jam facta sint alienabilia, possunt sine solemnitate alienari, si sit in Ecclesiæ utilitatem: ac proindè possunt in feudum, vel emphyteusim dari. *C. fin. de Feudis.* Res modicæ, & exigui valoris, etiam immobiles, si utiles Ecclesiæ, non sint, & aliqua adsit necessitas, possunt sine solemnitate alienari, etiam post Trident. quippè non est per ipsum derogatum Textui *in C. 53. 12. q. 2. & C. 3. de Donat. Barb. de Pot. Epis. alleg. 95. n. 50. Mascard. de Probat. conc. 277. n. 12. Redoan. Gratian. & alij* contra *Gonz. in C. 8. b. t. n. 3. & alios.* Pecunia, quam ex redditibus, vel fructibus venditis percipit Ecclesia, potest liberè, & absque solemnitate expendi à Prælato, quia ex sua natura in quotidianos usus convertenda est, quippè quæ otiosa nullum fructum parit. *Barb. de Pot. Episc. alleg. 95. n. 49. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 465.* non tamen potest sine solemnitate alienari pecunia, quæ in Thesauro

fauro Ecclesiæ ad futuras necessitates conservatur, vel quæ ex venditione rei immobilis, vel mobilis pretiosæ redacta est, ad aliam rem immobilem, vel mobilem pretiosam emendam, vel à testatore ad hunc finem relicta est. Nam cum ex destinatione testatoris, vel Prælati in locum rei emendæ subrogetur, ejus naturam induit. *Vallens. in Præf.* §. 2. *n.* 1, & declaratum refert *Tambur. & alij*: quin, & aliqui cum *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 95. *n.* 41. hanc inalienabilitatem extendunt ad casum, in quo pecunia sit in banchij campsorum exposita negotiationi; quia tunc fructum dare censetur. Si Ecclesiæ non possint bona immobilia retinere, ut Domus Professæ. N. Societatis, Capuccini, & Minores seu Franciscani de Observantia possunt ea etiamsi pretiosa sint sine solemnitatibus vendere, & pretium in proprios usus convertere. *Barbosa de Pot. Episc. alleg.* 95. *n.* 59. *Et L.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 30. *n.* 21. Denique necessitate urgente possunt res, & bona, quæcumque alienari: Nam necessitas caret Lege. *C.* 4. *de Consuet.* & facit licitum quod alias illicitum esset. *C.* 4. *de Reg. jur.* sed debet posteà alienatio cum debitis solemnitatibus ratificari. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 95. *n.* 58. Et quidem in casibus, in quibus res Ecclesiæ valent alienari, non obstat earum alienationi juramentum præstitum à Prælato in communi de rebus Ecclesiæ non alienandis: quippe tale juramentum juxta Jus Commune interpretatur. *C.*21. *C.* 35. *de Jur. jur.* ac proindè de alienatione prohibita, non verò de permissa intelligitur: quamvis hoc juramentum ad res alienabiles extendant. *Navar. Azor, & Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 468. *n.* 8. sed horum doctrina potest intelligi de casu, quo jurans intendat juramentum ad tales res extendi: quia tunc obligat, cum possit sine peccato servari. *C.* 28. *de Jur. jur.*

118 Non tamen potest, etiam solemnitatibus juris adhibitis alienari ipsa Ecclesia, ita ut transferatur in Hæreticum, vel Judæum: imò nec in usus profanos transferri valet. Nec Prælatus potest per se, vel per interpositam personam rem Ecclesiæ emere, ne in facto proprio authoritatem præstet. Nec alienari potest res, quæ Ecclesiæ donatur sub conditione, quod non alienetur, juxta *Glos. in Auth. Hoc jus C. de Sacros. Eccl.* V. *Perpetuo.* Sed dicendum est, quod Testator non potest hanc conditionem ponere, & hæc conditio, ut contraria juri, cui Testator derogare nequit, insuper habetur. *L.* 55. *ff. de Leg.*1. *C.* 17. *de Testam. Barb. L.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 30. *n.* 15. Nec potest alienari, etiam cum solemnitate, rem à Principibus datam Ecclesiæ, ut dicitur *in L.* 2. *tit.* 14. *p.* 1. *sed Greg. Lop.* dubitat, & meritò; an hæc alienatio de Jure Canonico esset sustinenda, cum hæc prohibitio sit tantum Civilis, quæ non obligat in Foro Canonico. *C.* 10. *de Constitut.*

119 Sine debitis solemnitatibus, de quibus posteà, alienari prohibentur res immobiles, ut oppida, castra, prædia, fundi, & similia bona corporalia radicem habentia. *L.* 14. & subjuncta *Auth. Hoc jus. C. de Sacros. Eccles. C.* 19. *c.* 34. *c.* 51. & præcipuè *C. Sine exceptione*, 52. 12. *q.* 2. quod est caput fundamentale hujus materiæ. *C.* 5. *h. t. C.* 1. *&* 2. *eod. in* 6. *Clem.* 1. *eod. Extrav. Ambitiosæ eod. inter com. L.* 1. *tit.* 14. *p.* 1. Item, alienari prohibentur res mobiles pretiosæ, quæ servando servari possunt, ut vasa aurea, argentea, ornamenta, & suppellex magnæ æstimationis: nam hujusmodi res immobilibus, quoad præsentem prohibitionem, æquiparantur. *L.* 22. *C. de Administr. Tutor. & ibid. Gothof. Extr. Ambitiosæ h. t. inter com.* item reliquiæ insignes sanctorum, ut corpus integrum, vel caput, vel brachium, manus, pes, vel quid hujusmodi. Item, Bibliotheca, saltem copiosa, quin, & aliquando singuli libri, si afferrent Ecclesiæ, vel Monasterio specialem utilitatem, aut splendorem: greges ovium vel boum armenta. *Arg.* §. *Sed si greges,* 38. *Instit. de Rer. divis. Barb. l.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 30. *n.*44. Mancipia rustica adscripta fundo ex colendo. *L.* 14. *C. de Sacr. Eccl. Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 165. *n.* 3. Jumenta deputata ad fundum colendum. *L. fin. C. Quand. Decret. opus non est.* Arbores necessariæ, vel valdè utiles prædio, servi Ecclesiarum. *C.* 4. *h. t.* si tamen benemeriti de Ecclesia erant, poterant manumitti. *C.* 57. 12. *q.* 2. vel si Prælatus tantundem Ecclesiæ conferebat, quantum valebat servus cum poterat manumittere. *C.* 3. *C.* 4. *h. t.* vel si erant fugitivi poterant, ut Ecclesiæ inutiles permutari, vel vendi. *C.* 4. *de Rer. permutat.* Item actiones rerum immobilium, & mobilium pretiosarum: nam ut accessoriæ principalibus æquiparantur. *Arg. C.* 42. *de Reg. jur. in* 6. Item census, seu redditus, & pensiones annuæ, & longi temporis ususfructus. *Cl.* 1. V. *Cumque annui, de V. S.* At verò pensiones, & redditus cessi, cum fructibus à solo separatis æquiparen-

parentur, ut mobiles possunt alienari: Si partim sint celsi, partim non; prorata temporis de illis judicatur, nisi obstet consuetudo. De quibus *Barbos. in C. 5. b. t. Et de Potest. Episcop. alleg. 95. Lacr. lib. 4. ex n. 1363.*

120 Ut alienatio legitimè facta sit, justa causa ad alienandum requiritur, etiam quando solemnitas adhibenda est: nam justa causa deficiente, etiamsi solemnitas adhibeatur, nullius momenti est. *C. 1. b. t. in 6. Clem. 1. eod. Extr. Ambitiosæ, b. t. int. com. Covar. lib. 2. Var. cap. 17. n. 2. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 468. n. 1. Gonz. in C. 6. b. t. n. 2.* contra *aliquos.* Siquidem Prælati, non Domini, sed tantum administratores bonorum Ecclesiæ sunt. *L. 4. tit. 14. p. 1.* si tamen justa causa existimetur bona fide, licet in re non sit justa, sat est, ut valeat alienatio. *Covar. & Molin.* contra *alios*, justæ igitur causæ res Ecclesiasticas alienandi ad tria capita reducuntur, ut ex Textibus, & DD. deducitur, licet sex referantur in *L. 1. tit. 14. p. 1.* Et ita quidem, ut quælibet ex tribus causis disjunctivè ad alienationem sufficiat. *C. 1. b. t. in 6.* ibi: *Evidens necessitas, vel utilitas.* 1. ergo causa est *necessitas urgens* Ecclesiæ. *C. 1. b. t. in 6. Cl. 1. eod. L. 1. tit. 14. p. 1.* V. g. si adsit necessitas reparandi Ecclesiam, quæ ruinam minatur, vel emendi Sacram supellectilem ad cultus decentiam: Et ratio est, quia necessitas Legem non habet. *C. 4. de Reg. jur. C. 4. de Consuet.* non tamen sufficit Rectoris necessitas, nisi fortè Ecclesia ipsi congruam sustentationem non daret: Hæc necessitas debet esse absoluta, & aliundè irreparabilis: debetque probari, & debet incipi alienatio à rebus minoris momenti, & non consecratis. *L. 2. tit. 14. p. 1.* Ad Vasa Sacra, & Calices solum in urgentissima necessitate perveniendum est. *Covar. lib. 2. Var. cap. 16. & alij.* Quando verò adest necessitas juris: v. g. præceptum Judicis de certa re alienanda, vel tradenda, vel dispositio testatoris de re legata vendenda: vel si Ecclesia sit incapax bona retinendi, ut Nostræ Domus Professæ, Capuccini, &c. non requiritur Pontificis consensus: imò, nec in necessitate facti, si periculum sit in mora, ita ut non patiatur, ad Pontificem recurri: secus, si hoc periculum desit. 2. Causa est Ecclesiæ evidens utilitas. *C. 52. 12. q. 2.* ibi: *Quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ. C. 1. b. t. in 6. Cl. 1. eod. L. 1. tit. 14. p. 1.* Nec sufficit, quod alienatio utilis reputetur Ecclesiæ, & quod non sit damnosa, sed necesse absolutè est, quod causa Ecclesiæ melior fiat, saltem quoad modum, & circunstantias, ex eo quod res immobilis distrahatur, quam si retineretur. *C. 7. b. t.* ibi: *Ad majorem Ecclesiæ utilitatem. C. 52. 12. q. 2.* Huc reducitur, quando res est inutilis, ita ut ejus cultura molesta sit Ecclesiæ, fortè ob distantiam, vel quando plus utilitatis affert ejus distractio, quam retentio. *C. 20. C. 52. 12. q. 2.* Imo, & tunc, etiam sine solemnitate poterunt tales res alienari, ut passim videmus, Calices, aliaque Vasa argentea, & ornamenta Sacra, quando vetera sunt, pro alijs novioribus, sine solemnitate, commutari. 3. Causa est pietas: v. g. pro redemptione Captivorum, pro qua etiam Vasa Sacra possunt oppignorari, & distrahi. *C. 15. c. 16. c. 70. 12. q. 2. §. Sacra res, 8. Inst. de Rerum divis. L. 1. tit. 14. p. 1.* Huc reducitur bellum, quod contra Infideles, & Hæreticos fit, pro quo Principibus potest indulgeri aliqua pars redituum, vel bonorum Ecclesiasticorum, ut in Nostra Hispania sunt Nostris Regibus varia subsidia à Pontifice concessa. Etiam hæc alienatio fit pro pauperum necessitatibus sublevandis. *C. 70. 12. q. 2.* pro templis ædificandis, & pro sepulturis fidelium. *L. 1. tit. 14. p. 1.*

121 Alienationem illegitimè factam, potest, & debet revocare, non solum Superior alienantis, sed, & ipse alienans. *C. 6. b. t.* non obstante confirmatione Superioris. *Arg. C. 1. de Confirm. util.* vel instrumento publico de alienatione facto: imò nec juramento de non revocanda alienatione: quod quidem vim non habet, cum illicitum, & contra utilitatem Ecclesiæ sit. *C. 2. de Jur. jur.* & cum agatur de favore Ecclesiæ, & de vitando animæ periculo, auditur allegans propriam turpitudinem, & permittitur contra proprium factum venire, contra *C. 8. de Donation. Et L. 25. ff. de Adoption.* Non solum alienans, & ejus superior alienationem revocare possunt, sed, & ejus successor. *C. 4. C. 9. b. t.* Capitulum, etiam sedeplena, & his deficientibus, quilibet de Clero. *C. 6. b. t.* & in eorum defectu quilibet de populo, etiam Laicus, præsertim Parochiani, & Patroni, quia eorum interest, ne Ecclesia patronata pauperior fiat, ipsique eam defendere debent. *Glos. in C. 6. b. t.* Duplex est actio ad revocandam alienationem illegitimam. Alia personalis adversus alienantem, ut damnum ex proprijs bonis resarciat. *C. 3. de Pignor.* Alia realis adversus retinentem rem alienatam

natam ita ut in electione Ecclesiæ sit, unam, vel alteram intentare. Et licet una intentata, possit ea omissa alteram intentare, non verò si jam contra unum obtinuit, cum bona fides non patiatur, ut idem bis exigatur. *L.* 57. *ff. de Reg. jur.* Potest tamen contra alterum ad pœnam, & satisfactionem agere. Ille inquam res Ecclesiæ translata fuit, si possessor sit bonæ fidei restituere tenetur rem cum fructibus extantibus, & consumptis post litem contestatam. *L.*22. *C. de Rei vind.* sed ipse contra Prælatum alienantem potest ad recuperandum pretium agere, vel si ille non habeat, ab Ecclesia illud repetere potest, saltem quatenùs est facta locupletior, cum æquitas non patiatur, quod quis cum alterius jactura locupletetur. *L.* 14. *ff. de Condict. indebit.* Malæ fidei possessor præter rem, quam restituere tenetur Ecclesiæ, amittit pretium in pœnam malæ fidei, adquiriturque Ecclesiæ ex Leonina constitutione. *L.* 14. §. *Sanè, C. de Sacrosf. Eccles. C.*5. *h. t.* Et quidem post non ante sententiam Judicis; nisi contrà male alienantem de evitione sibi prospexisset; nam tunc potest ab eo pretium repetere. *L.* 27. *C. de Evict̃ion.* Teneturque Ecclesia omnes fructus etiam ante litem contestatam perceptos restituere. *L.* 17. *C. de Rei vind.* perditque meliorationes in re factas. *C.* 20. 12. *q.* 2. *L.*14. §. *Sanè*, 4. *C. de Sacrosf. Eccles.* Si Ecclesia agat remedio possessorio de recuperanda, quod erit faciliùs, & consultius ad rem alienatam recuperandam sufficit, probare Ecclesiam fuisse in possessione rei, & alienationem contra Sacros Canones esse factam: cum ex eo ille inquam res Ecclesiæ translata est spoliator intelligatur. *arg. C.* 4. *h. t.* Si tamen intendat petitorium, seu rei vindicationem: tunc enim debet probare dominium. *L.* 23. *ff. de Rei vind.* si alienatio nulla sit, non indiget Ecclesia læsa restitutione, quia habet remedium nullitatis, si verò valeat, & læsa sit Ecclesia restitutionem in integrum petet intra quadriennium; sed non ultra, nisi læsio sit valde enormis. *C.* 1. *de in Integr. restit. in* 6. Etsi reus Laicus sit potest agere Ecclesia, vel coram Judice Laico, vel coram Ecclesiastico, quia talis deceptio, quasi species sacrilegij est, ac proindè est mixtifori; & cum restitutio omnia in pristinum statum reducat, neutra pars debet esse, nec in damno, nec in lucro, ac proindè, qui restituit potest repetere meliorationes in re alienata factas, vel sua industria, vel suis impensis; imò petere potest mercedem sui laboris, & industriæ. *C.* 11. *h. t. C.* 1. *de in Integr. restit. L.* 24. §. 4. *ff. de Minor.* Qui rem Ecclesiæ bona fide emit persuasus in tali contractu intervenisse justam causam, & solemnitates juris eam 40. an. præscribit. *C.* 4. *c.* 6. *c.* 8. *c.* 9. *de Præscript. Less. de Just. & jur. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 25. Et licet constitutio Pauli IV. alienationibus male factis omnes vires adimat, ita ut nec jus aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam pariant: hæc constitutio à Pio IV. *Constitutione Probida edita* 3. *Idus Sept.* 1560. est redacta ad terminos Juris Communis.

122 Ad alienationem rerum immobilium, & mobilium pretiosarum requiritur certa à jure solemnitas præscripta. Et cum hæc pro forma ad validam alienarionem requiratur. *C. Sine exceptione*, 52. 12. *q.* 2. *C.* 1. *h. t. in* 6. Hinc est, quod ea deficiente, etiamsi justa causa adsit, alienatio erit nulla. *L.* 2. *tit.* 14. *p.* 1. *arg. C.* 42. *de Election.* Et ita tenent *Sarm. de Reddit.* 1. *p. cap.* 2. *Gonz. in C.* 6. *h.t. n.*2. Et satis clarè deducitur *ex C.* 52. 12. *q.* 2. ibi: *Sine exceptione decernimus, nequis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Clerici tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ. Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam proprijs utatur. Irrita enim Episcoporum venditio, & commutatio rei Ecclesiasticæ erit absque continentia, & subscriptione Clericorum.* 1. ergo solemnitas ad licitam, perpetuam, & voluntariam alienationem rei Ecclesiasticæ requisita est præcedens tractatus, & quidem unus sufficit, nisi res sit magni momenti, vel sit speciale statutum plures tractatus requirens. *Covar. l.* 2. *Var. cap.* 17. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 468. *n.* 6. Hic tractatus fit cum Capitulo collegialitèr congregato, omnibus, qui præsentes, vel non procul absentes sunt, vocatis, nisi res sit exigua, vel periculum in mora sit. Et in eo deliberatur, an adsit justa causa alienationis faciendæ. *C.* 52. 12. *q.* 2. *C.* 1. *h. t. in* 6. si Ecclesia Capitulum non habeat, tunc ejus Rector cum Episcopi consensu, etiam rem immobilem, potest alienare. 2. Post tractatum, requiritur consensus expressus majoris, & sanioris partis Capituli, seu Conventus, de cujus rei alienatione agitur. *C.* 1. *de his, quæ fiunt à Prælat.* & quidem Capitulum debet esse le-

legitimè congregatum, nec sufficit consensus Capitularium, seorsim præstitus. Quæ habentur *in C. 52. 12. q. 2. c. 1. c. 3. c. 8. de His, quæ fiunt à Prælat.* quod si Episcopus propter bellum, vel alia ex causa non habeat Capitulum, à Clericis exquiret consensum. Etiam ad alienanda bona pertinentia ad Mensam Episcopalem, separatam à Mensa Capituli, requiritur Capituli consensus, & licet regulariter solus consensus Capitularium requiratur, aliquando ex privilegio, vel consuetudine, vel statuto erit necessarius aliorum Clericorum consensus, & insuper, & præcipuè debet accedere Prælati consensus, & vacante Cathedrali a Papa assignantur Curator, vel Defensor. Et si inferior vacet, assignatur ab Episcopo. Similitèr requiritur Capituli consensus, quando Episcopus alienat rem Ecclesiæ inferioris Cathedrali. *Cl. 2. b. t. Covarr. lib. 2. Var. cap. 17. Garc. de Benef. p. 12. cap. 3. n. 11. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 468. n. 14. & alij*, excepto casu *text. in C. 7. de His, quæ fiunt à Prælat.* ubi dicitur, quod tenet donatio, quam de solius Diœcesani consensu facit Laicus Ecclesiæ de decimis, quas ab alia Ecclesia habet in feudum ante consilium Lateranense. Si res Ecclesiæ Collegiatæ, vel Conventualis alienanda est, ab ejus Prælato debet fieri cum consensu Episcopi, cui talis Ecclesia est subjecta, & Capituli Collegiatæ, vel Conventualis, non verò requiritur Capituli Cathedralis consensus, cum hoc nullo jure statuatur. Si Ecclesia inferior alienare intendens Capitulo careat, sufficit si Rector authoritatem Episcopi adjungat.

123 3. requiritur consensus Superioris habentis Episcopalem, vel quasi Episcopalem jurisdictionem. *C. 52. 12. q. 2.* Et quidem expressè, quin & in scriptis præstari oportet, saltem ad probationem. *C. 41. 12. q. 2.* Et hic consensus authoritas dicitur. *Glos. in C. 1. b. t. in 6. V. Tractatus.* Episcopus ratione suæ jurisdictionis præstat hanc authoritatem, & quidem solus ille, in cujus Diœcesi sita est Ecclesia, vel Monasterium, de cujus alienatione agitur: quamvis res alienanda alibi sit: illius namque est curare, ne Ecclesiæ fiat præjudicium in alienatione. *Barbos. l. 3. de Jur. Eccles. cap. 3. n. 9. quem alij sequuntur*, contra *Baldum, Gomez 2. Var. cap. 14. n. 17. Molin. tr. 2. D. 224. n. 19. & alios* variè sentientes. Sedevacante, Capitulum præstat authoritatem, cum sit actus jurisdictionis, in quam quidem Capitulum succedit; imò & Capituli Vicarius authoritatem præstare potest: secus Vicarius Episcopi, si non habeat speciale ad hoc mandatum. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. n. 106.* Alij etiam Prælati, qui pleno jure habent Ecclesias sibi subjectas, & exercent jurisdictionem quasi Episcopalem, etiamsi alias non sint exempti, authoritatem præstare possunt. *Glos. in Cl. 1. b. t. V. Proprij.* Prælatus Regularis, seu Prior, qui Conventum non habet, aut Capitulum, debet ad alienandum exquirere Superioris: v. g. Abbatis, consensum, & Capituli illius: v. g. Monasterij, cui ille Prioratus est incorporatus. *Cl. 1. b. t. Suar. de Relig. tom. 4. l. 2. cap. 27. n. 15.* Licet ex honestate exquiratur ad alienationem consensus Patroni, non tamen ad valorem actus; *arg. C. 6. 10. q. 1.* nisi in fundatione hæc sit adjecta conditio: vel si res sit in feudum concessa Ecclesiæ, non absolutè donata; *arg. C. 7. de Foro compet.* 4. requiritur subscriptio Capituli, quando res Ecclesiæ alienatur per donationem, venditionem, vel permutationem: non verò quando alijs modis alienatur. Et hac subscriptione deficiente est irrita alienatio, cum non tantum ad probationem, sed & ad valorem requiratur. *C. 52. 12. q. 2. c. 1. c. 8. de His, quæ fiunt à Prælat.* Et illi, qui non consentiunt, etiam subscribere debent: possunt tamen petere, quod sua vota exprimantur, ne si taceant, pro consentientibus habeantur; *ex C. 43. de Reg. jur. in 6.* sed hodie ex consuetudine est fere ablata necessitas subscribendi. *Greg. Lop. in L. 2. tit. 14. p. 1. V. Con otorgamiento, ubi alios citat.*

124 5. Præter, & ultra prædictas solemnitates, consensum R. Pontificis, ut efficacius consuleretur indemnitati Ecclesiarum, tanquam requisitum ad alienationis valorem, addiderunt *Greg. X. in C. 2. b. t. in 6.* & *Paulus II.* in celebri *Extrav. Ambitiosæ, b. t. inter commun. Tamb. de Jur. Abbat. t. 3. D. 13. q. 9. n. 1. Fagn. in C. 5. b. t. n. 12. & alij* contra *Rebuf. de Alien. rer. Eccles. n. 2.* sed cum Pontifex sit supra Jus Canonicum potest in omnibus solemnitatibus dispensare: ac proindè accedente ejus consensu sustinetur alienatio, etiam deficientibus tractatu, consensu Superioris immediati, Capituli, ac ejus subscriptione. *Quarant. Sum. Bullar. V. Alienatio, n. 7. Tamb. de Jur. Abbat. tit. 3. D. 13. q. 4. n. 9. & alij com.* Et hinc à fortiori infertur, Pontificem in alienatione rerum Ecclesiasticarum non teneri, solemnitates juris observare. Et licet in *C. 20. 12. q. 2.* Videatur decisum contrarium, ibi

ibi nomine Papæ solum Episcopus intelligitur. Adeò tamen etiam præter Pontificis consensum, justa causa requiritur, ut ea deficiente, nulla, & irrita sit alienatio: siquidem in præjudicium Ecclesiarum, nihil agere præsumitur Pontifex, ac proindè justa causa deficiente, non censetur consentire in alienationem. Alienationes Regularium sine licentia expressa Congregationis Concilij in scriptis habita, non sustinetur, & si quæ Religiones ad hoc privilegium habebant, hæc sunt derogata *per S. Congreg. Conc. jussu Urban. VIII. 7. Sept. ann. 1624. Tamb. de Jur. Abb. t. 3. D. 13. q. 6. n. 8.* Nostra verò Societas potest alienare res Ecclesiasticas, & pertinentes ad ipsam Religionem cum licentia. Præpositi Generalis, nulla alia petita licentia à Sede Apostolica, vel loci Ordinario ex Privilegio *Greg. XIII. Vallens. in Praef. §. 2. n. 5.* & idem fere accidit jam in omnibus Religionibus.

125 *In Extrav. Ambitiosæ, h. t. inter comm.* prohibetur omnis alienatio, per quam, non solum dominium directum, sed & utile tantum, ususfructus, aut jus in re transfertur: exceptis locatione infra triennium, in feudatione, vel emphyteusi in casibus à jure permissis: & idem est de bonis in emphyteusim, vel feudum dari solitis ab antiquo, & cum evidenti Ecclesiæ utilitate; & alienatione fructuum, qui servando servari nequeunt. Sed cum hæc Constitutio non ubique sit recepta; hoc attendendum est, & ubi recepta sit, non poterunt res Ecclesiæ locari ultra triennium: ubi verò non sit recepta, poterunt locari usque ad novennium, nam Jure Communi solum prohibetur locatio per longum tempus, id est, decennium. *C. 9. h. t. C. 2. de Locat. Gonz. in C. 9. h. t. n. fin.* Si Ecclesiæ aliquid legetur sub ea conditione, ut quoties illa velit, possit tale legatum alienare, & in usus proprios convertere, cum hæc alienatio procedere censeatur ex potestate testatoris, cui licet suæ rei modum, & Legem præscribere. *L. 21. C. Mandat.* probabilitèr non sunt necessariæ solemnitates ad illius alienationem, licet alij aliter sentiant. Si prædictæ solemnitates desint, licet justa causa alienandi adsit, est irrita in foro externo alienatio. *C. 52. 12. q. 2. c. 6. h. t. c. 1. eod. in 6. Cl. 1. & Extr. Ambitiosæ, eod. inter comm. Suar. t. 4. de Rel. L. 2. c. 77. n. 20. & 21. Covarr. l. 2. Var. cap. 17. n. 2. Gonz. in c. 6. h. t. n. 2.* nec indiget rescisione, quoad jus, sed solum quoad factum, quia deficit forma; *arg. L. 5. C. de Legib. c. 64. de Reg. jur. in 6.* Nam licet in particulari non detur damnum, in communi semper est periculum, sicut Matrimonium Clandestinum semper est irritum ex defectu solemnitatis, seu formæ, quia semper est periculum in communi, quamvis in aliquo casu particulari cessent incommoda quæ timentur. Irritam insuper esse in foro interno, tenet *Gibal. tom. 2. de Negot. lib. 4. cap. 8. art. 3. n. 6.* Sed cum talis alienatio habeat quidquid de Jure Naturali ad ejus valorem requiritur, & aliundè damno Ecclesiarum sufficientèr caveatur per irritationem in foro externo, validam esse, tenendum est cum *Navarr. Laym. L. 1. tr. 4. cap. 16. n. 9. & alijs.* Alienatio ex solemnitatis, seu formæ defectu invalida solemnitatibus supervenientibus convalescit. *C. 3. de His, quæ fiunt à Prælat.* Et quidem a tempore celebrati contractus; quippè ad ipsum fit retroctatio, siquidem ratihabitio mandato æquiparatur. *C. 10. de Reg. in 6.* & sic expressè habetur in *L. 5. tit. 14. p. 1.* ibi: *Pero si el Obispo despues lo consentiesse, tanto vale, como si de comenzamiento lo oviesse otorgado.* In dubio, an in alienatione intervenerunt, vel non solemnitates, regularitèr præsumitur intervenisse, præsertim interveniente Judicis decreto, & post diuturnum tempus.

126 Alienans rem Ecclesiæ contra Sacros Canones, & is in quem res translata fuit: imò & qui subscripserunt alienationi, excommunicationem ipsofacto incurrunt. *C. 13. §. Quisquis, 12. q. 2. C. 6. h. t.* Nisi intra tempus à superiori præfixum alienationem rescinderint. Quod si Prælatus, vel Rector Ecclesiæ sit contumax in revocanda alienatione, debet deponi à Prælatura, vel removeri ab officio, & administratione. *C. 18. junct. Gloss. in casu, C. 19. V. Quod si, C. 35. & ibid. Gloss. in casu, 12. q. 2.* Si Prælatus Regularis, vel administrationi præpositus malè alienet, jura Monasterij, redditus, & possessiones alicui concessit ad vitam, & longum tempus ipsofacto suspenditur ab officio. *Cl. 1. h. t.* Hodie post *Extr. Ambitiosæ, h. t. inter comm.* præterquamquòd alienationes sunt nullæ ipso jure, alienans, qui Episcopo, & Abbate sit inferior, & etiam res alienatas accipiens, excommunicationem latæ sententiæ incurrunt Pontifici; ex *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 11.* reservatam. Episcopi, & Abbates sunt ipso jure interdicto ingressu suæ Ecclesiæ, & si sex mensibus in interdicto perseverent, ab administratione, & regimine Ecclesia-

rum

tum ipsofacto suspenduntur. Alij Prælati inferiores, Beneficiati, & administratores ultra excommunicationem, ipsofacto privantur beneficijs, quorum res alienarunt, quæ etiam absque alia declaratione vacare censentur. Sacra Congreg. Concil. jussu Urbani VIII. confirmavit has omnes pœnas, extenditque ad regulares cum derogatione privilegiorum ipsorum. Si alienent Religiosi subditi, vel alij non habentes administrationem, non incurrunt Extr. pœnas cum text. loquatur de Prælatis, Beneficiatis, & habentibus administrationem. Hanc tamen constitutionem, forte excepta Italia, non esse usu receptam, præcipue quoad pœnas, tenent *Navar. Suar. de Cens. D. 23. sect. 6. n. 3. & alij.* Posteà fuit prolata excommunicatio non solum in alienantes, sed & in consentientes alienationi absolutione Pontifici reservata ex Constitut. *S. Pij V. Urban. VIII. Greg. XIII. & Sixt. V. Gonz. in C. 6. h. t. num. fin.* Deinde *in L. 11. tit. 14. p. 1.* etiam referuntur pœnæ contra male alienantes statutæ. Ab his pœnis excusat. 1. consuetudo locorum, si ibi tales pœnæ non sint in usu. 2. ignorantia juris, vel facti, dum non sit crassa, aut supina. *C. 2. de Constit. in 6.* & juxta aliquos, etiam ignorantia pœnarum, quamvis conjuncta cum prohibitionis scientia: quia censentur medicinales, sed hoc alij negant. 3. quidquid à peccato gravi excusat. 4. imperfectio actus si aliquis attentet alienationem, & ante realem bonorum traditionem eam revocet pœnitentia ductus. *C. 6. h. t.* quia delictum in materia odiosa debet intelligi consummatum; *arg. C. 7. de Election. in 6.* 5. retractatio statim secuta alienationis completè jam factæ, & celeris restitutio. *C. 6. h. t.*

TIT. XIV.

De Precarijs.

127 DE Contractibus in communi jam aliquantulum pro methodi brevitate egimus in Titulo de Pactis: nunc de eis etiam in specie agendum est, juxta Titulorum ordinem: ac proindè in primis agere occurrit de *precaria*, seu *precarijs*, & de *precario.* Uterque contractus à *precibus*, quibus impetratur, nomen accipit, & licet aliqui distinguant precariam in singulari, & precarias in plurali, ut Hostiensis, & alij: probabilius non distinguuntur. Hic ergo precariarum contractus à Jure Canonico fuit inventus, Jure enim Civili incognitus penitus fuit. Et præcipuè viguit in Ecclesia Gallicana; sed hodie jam in desuetudinem abijt. In aliquibus assimilatur precario, & Emphyteusi, sed in pluribus ab ipsis differt. *Precaria, seu precaria est contractus quo alicui ad ejus preces res Ecclesiastica, immobilis, & frugifera conceditur, ad utendum, vel fruendum tempore à contrahentibus præfixo ea conditione, ut si ad longum tempus fiat concessio, debeat singulis quinquennijs renovari contractus, & elapso concessionis tempore Ecclesia rem suam cum suis incrementis recuperat. C. 4. 10. q. 2.* pro qua renovatione is, qui precariæ nomine rem tenet aliquid debet solvere, quod DD. vocant *laudemium*, & in Ecclesiæ commodum debet verti. *Corvin. Aphor. Jur. Can. lib. 2. cap. 42.*

128 Differunt precariæ à precario, quia istæ ad certum tempus conceduntur, nec pro arbitrio concedentis revocantur, & in ipsis merces, seu pensio intervinire valet, nunquam possessio transfertur, præstatur culpa levissima; & quinquennio sunt renovandæ, nec sufficit patientia, vel tacita Domini voluntas. Quæ omnia aliter se habent in precario. *Gonz. in C. 1. h. t. n. 4.* ab Emphyteusi differunt in eo, quod Emphyteusis est inventa propter agrorum culturam, & ex quacumque causa, & non solum ad preces concedi solet, nec tantum ad quinquennium, nec cum onere renovationis, si ad longuis tempus concedatur, & semper cum reservatione pensionis Domino præstandæ conceditur. Quæ aliter in precarijs se habent. *Gonz. in C. 1. h. t. n. 4. Precarium* contractus est *realis*, quia traditione perficitur: *nominatus*, & utrinque obligans, tàm dantem, quàm accipientem: dantem, ut relinquat usum rei usque ad tempus præfixum. *C. fin. h. t.* accipientem, ut custodiat diligentèr. *C. 72. 12. q. 2.* ut damna resarciat, & ut renovationem singulis quinquennijs petat. Et concedenti datur actio adversus accipientem, & ejus hæredes. Et accipienti, & ejus hæredibus adversus dantem, & ejus successores. Utraque est bonæ fidei, personalis, rei persecutoria, & perpetua. Possunt precariæ concedi Clericis, Monachis, & Laicis. *Gonz. in C. 1. h. t. n. 6.* Et possunt eas concedere Prælati Ecclesiarum, qui earum res administrant, & quidem adhibere debent solemnitates juris, quia licet dominium rei penes Ecclesiam maneat, transfertur tamen ususfructus, quod est quædam alie-

na-

nationis species. In renovatione tamen quinquennali non sunt solemnitates necessariæ, quia nihil de novo conceditur, sicut potest feudum renovari sine solemnitatibus. *Gonz. in C. 1. h. t. n.* 7. si concedatur sine solemnitatibus potest, & debet à successore revocari, etiamsi contractui pœna adjecta sit, quæ ut contractui accessoria cum eo corruit. *C.* 2. *h. t.* Imò ab ipso Prælato, si adhuc administret. *C.* 6. *de Rebus Eccles. non alien.* si habens precarias, quinquennio elapso, non petat renovationem suo jure cadit, sicut Vasallus feudum amittit, si à novo Domino, non petat investituram. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 10. Nec sufficit patientia Domini, qui permittat eum in possessione manere, ut non cadat à jure suo, nisi ita ferat consuetudo. *C.* 1. *h. t.*

129 *Precarium* est quod precibus petentis utendum conceditur, & quidem gratis, quandiù is, qui concessit patitur. *C. fin. h. t. L.* 1. *ff. de Precario*, quamvis plures cum *Gonz. in C. fin. h. t. n.* 3. *ex L.* 14. *ff. de Precar.* dicant precarium non esse contractum: tamen cum à Ulpiano *in L.* 23. *ff. de Reg. jur.* inter contractus annumeretur, saltem in latiori acceptione pro contractu est habendus: ac proinde debet constare consensu dantis, & accipientis; non tamen potest in eo merces aliqua intervenire, quia est quædam species donationis, & liberalitatis. *L.* 14. *ff. de Precario*, differt tamen à donatione in eo, quod hæc dominium transfert, & donans nequit amplius rem donatam repetere: qui rem precario concedit, tantum transfert usum rei, & illam ad libitum, & sine ulla causa repetere valet. *L.* 1. §. 2. *ff. de Precario*, non tamen statim post concessionem, nisi causa urgens adsit, ne revocatio præsumatur dolosa. Et posset tunc exceptione doli repelli sic revocans. *Gonz. in C. fin. h. t. n.* 8. *Covar. & alij.* In precario conceditur res ad usum indeterminatum ratione modi, finis, & temporis, & in hoc præcipuè differt à commodato: quod semper ad tempus certum expressè, vel tacitè conceditur, & ante illud nequit revocari. *L.* 17. §. 3. *ff. commodat.* Et licet ad certum tempus precarium aliquando concedatur. *L.* 4. §. *fin. ff. de Precar.* reperi tamen potest ante illius temporis lapsum, non obstante pacto de non revocando: quippè tale pactum, ut naturæ precarij contrarium irritum prorsus est. *L.* 12. *ff. de Precar.* Hinc in commodato, quod non potest pro arbitrio commodantis revocari præstatur levissima culpa. *L.* 5. §. 2. *ff. Commod.* in precario tantum dolus, & culpa lata præstantur. *L.* 8. §. 6. *ff. de Precar. Molin. & alij*; nam cum possit ad nutum concedens revocari, sibi imputare debet, quod negligenti concesserit, vel cum posset, citius non revocavit. Et hoc onere, & non ulteriori diligentia satis gravatus à jure censetur ille, cui precarium concessum est, sed si post litem contestatam, quia concedens ad se rem avocat alter retineat, ne hic sua culpa noceat concedenti, culpam levem cum omni interesse præstare debet concedenti. *L.* 8. §. 4. *& 6. ff. de Precario*, non solum Dominus in re sua mobili, vel immobili, vel in juribus potest rem precario concedere. *L.* 3. *ff. de Precar.* sed etiam possessor rei, & usufructuarius, quia usum rei alteri dare possunt. *L.* 11. *ff. de Precar.* & etiam, qui jus pignoris in re habet. Sed cum iste nequeat pignore uti, solum potest talem rem suo Domino precario concedere. *L.* 6. §. *fin. L.* 11. *ff. de Precar.* Quando verò Dominus rei habet ejus possessionem, nec alteri est obligata, ei precario concedi nequit. *L.* 4. §. 3. *ff. de Prec.* ibi: *Quia receptum est rei suæ precarium non esse.* Infans, vel furiosus, etiam rei suæ, nequeunt precarium concedere. *L.* 6. *ff. de Precar.*

130 Quicumque adquirere potest, valet precarium accipere: ac proindè precarium accipere possunt servus, & filiusfamilias, qui si nomine suo rogant, solum tenentur in quantum est in peculio. Si nomine Domini, vel patris rogent, & hi jusserint, vel ratum habeant, insolidum tenentur. Item pupillus, etiam sine Tutoris authoritate. *L. fin.* §. 1. *ff. de Precar.* Et Procurator, si rogat pro eo, qui mandavit, vel ratum habuit. *L.* 6. §. 1. *ff. de Precar.* Qui rem precario accipit, habet, non solum illius usum, sed & possessionem naturalem. *L.* 15. §. 4. *& fin. ff. de Precar.* Dominus autem civilem retinet. *Barb. in C. fin. h. t. n.* 6. *Gomez* 2. *Var. cap.* 7. *n.* 2. *& alij*, ipsum non possidere, nisi quando possessio rogata, & expressè concessa est, juxta *L.* 15. §. 4. *ff. de Precar.* tenet *Gonz. in C. fin. h. t. n.* 4. *cum alijs*, ex *L.* 6. §. 2. *ff. de Precar.* sed hic textus potest intelligi de possessione civili. Hinc precarium habenti, si ab alio, quam ab authore precarij turbetur in possessione, competit interdictum *Uti possidetis. L.* 17. *ff. de Precar.* vel si à possessione dejiciatur interdictum *Unde vi.* Ei qui rem precario concessit, etsi Dominus non sit, & illius he-

hæredi. *L.* 8. §. 1. *ff. b. t.* competit interdictum ex precario ad rem repetendam eo soluto, & fructus perceptos post editum interdictum contra eum, qui precario accipit, si posidet, vel dolo desijt possidere, & contra illius hæredem. *L.* 8. §. 3. *& fin. ff. de Precar.* Item competit actio præscriptis verbis, non quidem ordinaria ex contractu innominato descendens. *L.* 14. *ff. b. t.* sed extraordinaria, quæ oritur ex bona fide. *L.* 2. §. 2. *l.* 19. §. 2. *ff. de Precar.* Precarium denique finitur. 1. morte concedentis, si ad ipsius beneplacitum, vel donec ipse voluerit concessum sit, quia morte concedentis ejus voluntas expirat. *C.* 5. *de Rescript. in* 6. si in concessione addatur: *Donec revocavero.* Si non revocetur, præcisè morte concedentis non expirat. *C. fin. b. t. l.* 8. §. 1. *ff. eod.* sicut non expirat gratia, nec privilegium cum simili clausula. *C.* 5. *de Rescript* in 6. nisi detur actus positivè revocans. 2. morte illius, cui concessum est. *C. fin. b. t.* quia est personale, nec transit ad hæredes. *L.* 12. §. 1. *ff. de Precar.* nisi concessio fiat Dignitati, potius quam personæ. 3. revocatione concedentis. 4. si concedens rem alteri vendat, & emptor precarium revocet: si ipse non revocet, non finitur precarium, sed perindè habetur, ac si emptor eam rem precario de novo concessisset. *C. fin. b. t. l.* 8. §. 1. *ff. de Precario.* 5. si debitor solvat debitum creditori, à quo precario habet pignus, quod ipsi in securitatem crediti dedit. *L.* 11. *ff. de Prec.*

TIT. XV.

De Commodato.

131 Commodatum, ut in præsenti sumitur, *est contractus*, quo res *alicui ad certum usum, & tempus gratis conceditur ea lege, ut usu finito eadem in specie restituatur.* L. 1. *tit.* 2. *p.* 5. ibi: *Commodatum, es una manera de prestamo, que facen los omes unos à otros, asi como de cavallos, ò de otra cosa semejante, de que se debe aprovechar aquel que la recibiò fasta tiempo cierto.* Et quidem termino elapso debet commodatarius rem commodatam restituere, etiamsi non petatur à commodante, quia dies interpellat pro homine. *L.* 12. *C. de Contrab. stipul.* dicitur *Commodatum, quasi ad commodum utentis datum.* L. 10. *tit.* 2. *p.* 5. ibi: *Commodatum quiere decir, como cosa que es dada à prò de aquel, que la recibiò.* Et in hoc à locatione, & alijs contractibus innominatis differt, in quibus res conceditur pro certa mercede. Cum precario quidem convenit in eo, quod uterque contractus est gratuitus, & neuter transfert dominium. À precario differt in eo, quod commodatum ante tempus præfixum, sive expressè, v.g. ad mensem, vel annum, seu tacitè, v.g. donec liber transcribatur, revocari nequit. Et res commodatur ad certum usum, v.g. liber, ut transcribatur, equus ad iter certum agendum; è contra accidit in precario, nam res ad libitum potest revocari, & conceditur ad usum incertum. Et in hoc etiam differt à pignore, in quo res, non ad usum, sed ad securitatem debiti traditur creditori. Et à deposito, in quo tantum traditur ad custodiam. À mutuo differt, quia in commodato, non transfertur dominium, imò neque possessio, nec civilis, nec naturalis, sed eadem res in specie est restituenda, quin possit consumi. At verò in mutuo cum detur res fungibilis, v.g. triticum, vinum, oleum, pecunia, & alia, quæ usu consumuntur, dominium transfertur, & solum eadem res in genere, non in specie, est restituenda. Qui rem commodat dicitur *commodator*, vel *commodans*; qui rem accipit *commodatarius* nuncupatur. Aliquando commodatum, non solum pro contractu, ut in præsenti, sed etiam pro re commodata sumitur.

132 Commodari equidem possunt res mobiles, & immobiles, jura, servitutes, & annui redditus. *L.* 1. §. 1. *ff. b. t.* non tamen res fungibiles, quæ consistunt in pondere, numero, vel mensura, ut vinum, triticum, oleum, vel pecunia; nam in hujusmodi rebus consistit mutuum. *L.* 2. §. 3. *ff. de Reb. cred. L.* 1. *tit.* 1. *p.* 5. potest tamen aliquando commodatum in his rebus fungibilibus consistere, ut in pecunia, si non detur ad usum, & dominium, sed ad pompam, & ostentationem. *L.* 3. §. *fin. ff. b. t.* res Sacræ, & Ecclesiasticæ solum ad usus Sacros, & Ecclesiasticos commodari possunt; *arg. C.* 7. *c.* 8. *de Rerum permutat.* quod si immobiles, vel mobiles pretiosæ ad decennium, vel ultra commodentur, solemnitas juris ad alienationem præscripta, debet adhiberi. *Azor p.* 3. *lib.* 7. *cap.* 43. *& alij.* Commodare profectò valent, qui liberam rerum administrationem habent. *L.* 1. §. 2. *l.* 2. *ff. b. t. l.* 1. *tit.* 2. *p.* 5. nequeunt tamen commodare infans, nec furiosus. *L.* 2. *ff. b. t.* pupillus sine Tutoris authoritate. *L.* 1. §. 2. *ff. b. t.* Religiosus sine superio-

ris

ris voluntate. *Arg. C. fin. de Testam. in 6.* Uxor res mariti sine ejus saltem præsumpta voluntate, & si res commodata pereat eam in dotem tenetur compensare. *L. 24. §.6. ff. Solut. Matrim.* Res potest commodari omnibus, qui possunt obligari, saltem naturalitèr. *L. 1. tit.2.p.5.* etiam pupillo, & minori, sine Tutoris, aut Curatoris authoritate, quia suam conditionem sic meliorem faciunt. *Princ. Inst. de Author. Tutor.* Et pupillo datur actio commodati, non verò contra ipsum; datur tamen rei vindicatio, sicut contra furiosum. *L. 2. ff. b. t.* ratione rei, quam possidet.

133 Et quidem commodans. 1. non potest rem commodatam ante tempus, & usum finitum revocare, quia commodatarius non debet decipi beneficio, sed juvari. *C. un. b. t.* si tamen commodans timeret aliquod damnum æquale, vel majus quamquod pateretur Commodatarius, si ab ipso non est prævisum, cum in dubio magis sibi, quam alteri consulere quis præsumatur, potest illud revocare, sicut in simili casu locator potest conductorem, ante tempus ex ædibus locatis expellere. *L. 3. C. de Locat. & conduct. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 294. Less. de Just. & jur. L. 2. cap. 27. n. 18. & alij* contra *Navar. Manual. cap. 17. n. 182. & alios.* Si damnum, & necessitatem propriam prævidet, non potest commodatum revocare, cum in gratiam commodatarij præsummatur, voluisse hoc damnum subire. Elapso termino, & tempore præfixo, potest commodator revocare commodatum, & si commodatarius citra suam culpam tali re uti non potuit; *arg. L. 17. §. 3. ff. b. t. Greg. Lop. in l. fin. tit. 2. p. 5. V. Complido.* Commodans tenetur resarcire Commodatario damna secuta ex dolo, vel lata culpa ipsius commodantis, v. g. si commodavit servum furem, qui commodatario furtum fecit. *L. 18. §. 3. l. 22. ff. b. t. l. 6. tit. 2. p. 5.* etiam tenetur refundere expensas extraordinarias à commodatario factas, ac proindè, si servo commodato infirmitas superveniat in cujus curatione aliquas expensas facit commodatarius eas tenetur commodans ei solvere, si magnæ quidem sint. Commodatarius tamen tenetur ad expensas ordinarias, v. gr. ad servum, vel equum alendum, & etiam admodicas expensas pro valetudine servi factas. *L. 18. §.2. ff. b. t. l. 7. tit. 2. p. 5.* cum ad mensuram commodi, & beneficij major sit adhibenda diligentia, ne beneficium in dantis damnum, aut injuriam cedat: Hinc quando in gratiam solius Commodatarij, ut plerumque accidit, res commodatur, tenetur Commodatarius rem exactissima diligentia custodire, consequenterque præstare, non tantum culpam latam, & levem, sed & levissimam. *C. un. b. t. L. 5. §. 2. ff. eod. l. 2. tit. 2. p. 5. & ibid. Greg. Lop. V. O por descuidamiento. §. Item is, 2. Inst. quibus mod. re contrah. oblig.* ubi diligentia exacta debet intelligi exactissima, ut concordet *L. 1. §. 4. ff. de O. & A. Et L. 18. ff. b. t. & similitèr in l. 5. §. 5. ff. b. t.* Ubi dicitur, Commodatarium teneri præstare diligentem custodiam, & ex Hotomano notat *Gothofr. in §.2. Inst. quibus modis.* Et non solum in foro externo, sed etiam in interno hanc culpam præstare tenetur Commodatarius, etiam ante sententiam Judicis, quia ad hanc diligentiam à Legibus requisitam implicitè se obligavit *Barb. in C. un. b. t. n. 2. & 5.* Si gratia commodatarij, & commodantis commodetur. V.g. si hospitio, vel convivio suscipiendus sit communis amborum amicus, tantum culpam levem præstat Commodatarius. *L. 18. ff. b. t. l. 2. tit. 2. p. 5. & ibid. Greg. Lop. V. Proprias*, si gratia commodantis tantum commodetur v. g. si quis Advocato gratis ipsum patrocinanti, libros commodet, vel si quis sponsæ suæ, vel uxori, quo honestius culta ad se duceretur, commodavit ornamenta, dolum, & culpam tantum latam Commodatarius præstabit. *L. 1. §. 10. ff. b. t. l. 2. tit. 2. p. 5. Gonz. in c. un. b. t. n. 8.*

134 Cum res suo Domino pereat, vel deterioretur *L. 9. C. de Pignorat. action.* si res commodata pereat aliquo casu fortuito, ut incendio, ruina, naufragio, vel hostium, Pyratarum, vel latronum incursu, cum sit vis major, quæ à nullo prævideri, vel præcaveri valet, æquitas non patitur, quod à commodatario, vel alijs contrahentibus præstetur. *C. un. b. t. L. 23. ff. de Reg. jur. l. 6. C. de Pignor. action. l. 2. l. 3. tit. 2. p. 5.* sed *in Text. in C. un. b. t. & l. 3. tit. 2. p. 5.* Tres casus excipiuntur, in quibus de casu fortuito Commodatarius tenetur. 1. si præcessit culpa Commodatarij v. g. si equus commodatus ad iter fuit ductus in bellum, & ibi perijt. *L. 5. §. 7. ff. b. t.* 2. si Commodatarius, pacto interveniente, in casum fortuitum suscepit. *L. 5. §. 2. ff. b. t. l. 23. ff. de Reg. jur.* quia contractus ex conventione legem accipiunt; & contrahentes legem ex sua voluntate contractibus imponunt. *L. 23. ff. de Reg. jur.* Qui ca-

casum fortuitum in se suscepit, etiamsi in specie non exprimantur casus particulares, sed solum generaliter, etiam de insolito teoetur. *L. 9. §. 2. ff. Locat. l. 78. §. fin. ff. de Contrah. empt.* nam genere polito videntur species enumeratæ poni *L. 79. ff. de legat. 3.* nisi casus sit adeo rarus, insolitus, & inopinatus, ut de eo non credatur contrahentes præsensisse. *Gonz. in C. un. h. t. n. 4.* nec plus probant. *L. 22. C. 2. de Negot. gest. l. 1. C. Deposit.* Ubi menrio fit de pacto speciali: nam ibi pactum generale de casu fortuito appellatur speciale; prout opponitur pacto magis generali de recommendata restituenda Domino, quo pacto ad casum fortuitum, non tenetur Commodatarius. 3. si Commodatarius fuit in mora culpabili, nam mora cuilibet est nociva. *C. 25. de Reg. jur. in 6.* Nisi fortè res eodemmodo esset apud Dominum peritura, etiam si tempore debito restituta esset. *L. 14. §. 1. ff. Deposit.* Tunc enim ejus interitus non potest quidem moræ imputari. Fur tamen, vel raptor tenetur æstimationem rei apud se peremptæ restituere in pœnam furti, & rapinæ, licet eodemmodo apud Dominum periret. *L. 1. §. 34. ff. de Vi, & vi arm.* si verò mora non fuit culpabilis, quia Commodatarius habuit justam causam differendi ex impedimento legitimo, vel ex litigio, quod bona fide intentavit, non tenetur casu fortuito. *L. 40. de Heredit. petit.* si duobus est commodata res, quilibet pro parte tenetur, nisi fuerunt obligati in solidum. *L. 5. tit. 2. p. 5.* Si res in genere debeatur, v. g. bos ex grege, vel certa pecuniæ quantitas, etiam nulla morâ interveniente, ex casu fortuito debitori perit, quia genus perire non potest. Si Commodatarius rem commodatam commodanti misisit per famulum, qui aliàs fidelis, & diligens credebatur, vel per eum, cui commodans hoc mandavit; & hi rem amittunt, vel ab illis per vim, vel aliter aufertur res, non tenetur Commodatarius de illo casu, aliàs tenetur. *L. 4. tit. 2. p. 5.* Si Commodatarius rem commodatam perdat, & solvat æstimationem commodanti, si posteà commodans illam, inveniat in ejus electione est retinere rem, & restituere pretium, vel pretium retinere, & dare rem Commodatario. Si tamen extraneus illam inveniat, eam Commodatarius recuperat, tanquam suam. *L. 8. tit. 2. p. 5.*

135 Commodanti, & ejus hæredibus competit actio commodati directa ad repetendam à Commandatario, & ejus hæredibus rem commodatam, finito usu. Et quidem eandem in specie, & cum omni causa, ità ut si res extet, non detur locus compensationi. *L. fin. C. h. t.* Commodatarius tamen potest eam jure pignoris pro expensis in ea factis retinere. *L. fin. tit. 2. p. 5.* Si tamen res commodata perdita, vel deteriorata sit, potest commodans ad æstimationem, vel interesse agere. *L. 3. §. 1. ff. h. t.* & tunc datur locus compensationi. *Arg. L. 4. C. de Compensat.* si plures sint hæredes, ille, qui rem habet eam restituere tenetur. Si res perdita sit, omnes tenentur pro hæreditarijs partibus restituere; si non Dominus, sed fur, vel prædo rem alienam commodet, habet actionem commodati adversus Commodatarium, ut ipsi rem commodatam, licet aliena sit, restituat. *L. 15. l. 16. ff. h. t.* Nam bona fides exigit, ut res restituatur eam danti. Sic furi deponenti, res deposita restituitur. *L. 31. §. 1. ff. Deposit.* in foro tamen conscientiæ, possessor malæ fidei commodare nequit, cum Jure Naturali Domino rem teneatur restituere. *Azor. p. 3. l. 7. cap. 4. q. 2.* Commodatario tamen competit actio commodati contraria, ut res commodata, ei relinquatur ad tempus definitum, & permittatur ea uti ad usum destinatum. Et ad repetendos sumptus extraordinarios in re commodata factos, & damnum, quod passus est ex vitio occulto rei, dolo, vel culpa commodantis. Utraque actio est civilis, perpetua, bonæ fidei, personalis, & rei persecutoria. Deindè si commodatarius usus est re aliter, quam concessum fuit, competit commodanti furti actio. *L. 5. §. 8. ff. h. t.* Si rem deterioravit actio legis Aquiliæ. *L. 18. §. 1. h. t.* Si apud tertium possessorem sit res commodata, competit commodanti rei vindicatio adversus eum. *L. 9. ff. de Rei vindicat.* quod si aliqua ex his actionibus actum sit cæteræ tolluntur. *L. 18. §. 1. ff. h. t.*

TIT. XVI.

De Deposito.

136 Depositum sic dictum, quasi in alterius manu sit *positum*: aliquando pro re deposita sumitur. *L. 1. ff. h. t.* sed in præsenti *depositum est contractus, quo aliquid alicui custodiendum traditur sine mercede, ut integrum restituatur. L. 1. l. 24. ff. h. t. L. 1. tit. 3. p. 5.* ibi; *Condesijo, à que llaman en latin depositum,*

situm, es quando un ome dà à otro su cosa en guarda, fiandose en èl, è tomò este nome de peño, que quiere tanto decir, como poner de mano en guarda de otro lo que quiere condessar. Differt quidem à mutuo, quia in hoc transfertur dominium: secus in deposito, quippè dominium, & possessio penes deponentem manent. L. 17. §. 1. *ff. b. t. L. 2. tit. 3. p. 5.* & depositarius nomine deponentis possidet. Si res fungibilis deponatur cum expressa licentia ea utendi, erit mutuum: si hæc licentia depositario in re non fungibili concedatur, commodatum erit. L. 14. *l.* 16. §. 1. *l.* 29. *ff. b. t.* A commodato, & precario differt in eo, quod in his usus transfertur, secus in deposito. A pignore, in eo, quod hoc ad securitatem, depositum verò ad custodiam traditur; à locatione, & à contractibus innominatis, in eo, quod in his datur merces, secus in deposito. L. 2. *tit.* 3. *p.* 5. Et quidem licet depositum non admittat mercedem, non tamen excludit *bonorarium*, quod cum ex benevolentia veniat, naturam contractus gratuiti non immutat. *Arg.* L. 1. §. 24. *ff. de Vi bonor. raptor.* L. 6. *ff. Mandat.* si pro custodia merces, quæ sit pecunia, accipiatur, erit depositum irregulare admixtam locationem habens. L. 1. §. 8. *ff. b. t.* Si merces non sit pecunia, in contractum innominatum transit. L. 1. §. 9. *ff. b. t. l. 2. tit.* 3. *p.* 5. Si deponatur pecunia numerata non clausa, nec obsignata censetur mutuum: sicque accipiens solum tenetur tantundem solvere. L. 31. V. *Idem juris. ff. Locat.* Quod si bona depositarij subhastentur, quia non habeat unde solvat creditoribus, ne deposita extante, deponens omnibus præfertur, quia dominium in re retinet, quod est fortius jure omnium creditorum, etiam uxoris. L. 7. §. 2. *ff. b. t. l. fin. tit.* 3. *p.* 5. Idem ex eadem ratione procedit in precario, commodato, & locato, si res deposita perijt, nullum privilegium speciale habet in concursu deponens. *Arg.* L. 7. §. *fin. ff. b. t.*

137 Depositum est duplex, & aliud *sequestrum* aliud *depositum* in specie dicitur. *Sequestrum est, cum res litigiosa à duobus, pluribusvè contendentibus apud aliquem tertium deponitur, ut eam custodiat lite pendente, & ea finita eam victori restituat.* L. 6. *l.* 17. *ff. b. t. l.* 110. *ff. de V.S. Depositum in specie est quando res non litigiosa ab uno, vel pluribus: vel litigiosa ab uno saltem traditur custodienda.* L. 1. §. 44. *ff. b. t.* Aliud *voluntarium est, quod ex mera fiducia contrahitur.* L. 1. §. 2. *ff. b. t.* Aliud est *necessarium, seu miserabile, quando scilicet instante periculo, vel necessitate incendij, ruinæ, vel naufragij fit.* L. 1. §. 1. & 2. & 3. *ff. b. t.* Et qui hoc restituere recusat majorem committit perfidiam, cum majori commiseratione dignus sit deponens, & ideò in duplum condemnatur, & qui voluntarium restituere recusat in simplum. L. 1. §. 1. & 4. *ff. b. t. l.* 8. *tit.* 3. *p.* 5. quæ omnia depositorum genera sub tribus membris continentur in L. 1. *tit.* 3. *p.* 5. Ut ergo depositum constituatur, non sufficit rem commendari, sed est necessarium tradi, cum sit contractus, qui re perficitur. §. 3. *Inst. quibus mod. re contrab. oblig.* debet utriusque consensus intervenire. Nec erit depositum, si in domo Titij res relinquatur, ipso sciente, & patiente; si tamen rem illius custodiæ committas, & ipse taceat, consentire videtur, ac proindè ad depositum tenetur. *Arg.* L. 9. §. *fin. ff. de Jur. dot. Gom.* 3. *Var. cap.* 7. *n.* 2. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 522.

138 Res omnes, quæ sub custodiam cadunt, possunt deponi, & frequentès res mobiles deponuntur, possunt tamen immobiles deponi, ut ex L. 3. §. *fin. ff. de Adq. possef.* deducitur, & clarius ex L. 2. *tit.* 2. *p.* 5. ibi: *Enguarda, è en condessijo, pueden ser dadas las cosas de qual manera quier que sean. Mas propriamente usan à dar mas en condessijo las cosas muebles, que las otras.* Res aliena etiam potest deponi, ac proindè si fur rem furtivam apud aliquem, qui non sit illius rei Dominus deponat, habet actionem depositi, ut ipsi restituatur. L. 7. §. 39. *ff. b. t.* Quamvis in commodatum veniant accessoria rei commodatæ, licet non sint expressa. L. 5. §. 13. *ff. Commod.* quia commodatum cedit in accipientis commodum, at verò in deposito, si res accessoria non exprimatur, non intelligitur deposita. L. 1. §. 5. *ff. b. t.* ibi: *Quæ depositis rebus accedunt non sunt deposita, ut puta si homo vestitus deponatur, vestis enim, non est deposita: nec si equus cum capistro, nam solus equus depositus est*: quia cum depositarius non sentiat commodum ex re deposita, non debet onus, circa rem in conventione non expressam, sustinere. Quando tamen restituitur res deposita, cum omni causa est restituenda. L. 1. §. 24. *ff. b. t.* Cista, vel arca signata deposita, censentur res inclusæ depositæ, etiamsi depositarius ignoret, quid nam includatur: cum ex contrahentium intentione, magis quam continens, attendatur contentum. L. 1. §. 41. *ff.*

ff. b. t. Si deponens alleget, aliquas res deesse, si arca reserata restituatur dolo depositarij deesse res præsumuntur, & deponens admittitur ad juratam probationem rerum indè amissarum. *Arg. L. 9. C. un. de Vi*, nisi sigillum adeo fragile esset, ut sine hominis facto potuisset frangi, & depositarius sit homo integræ fidei. *Mascard. de Probat. concl.* 508. *n.* 3. Si verò restituatur clausa, & obsignata, cum dolus non præsumatur, nisi probetur, deponenti incumbit probare, aliquid deesse, & ex dolo depositarij deesse. *Gom. Var.* 3. *cap.* 7. *n.* 2. Deponere sanè possunt omnes, qui possunt contrahere, & similitèr depositum possunt suscipere omnes, qui possunt contrahere; non verò infans, aut furiosus. L. 5. *l.* 40. *ff. de Reg. jur.* possuntque pupillus, & minor, etiam sine authoritate Tutoris, & Curatoris depositum suscipere: sed si apud ipsos pereat, solum tenentur in quantum de dolo convincuntur, vel facti sunt locupletiores. L. 1. §. 15. *ff. b. t.* Etiam possunt esse depositarij servi, fœminæ. *L.* 26. *ff. b. t.* Clericus, & Religiosus. *C.* 1. *b. t. l.* 3. *tit.* 3. *p.* 1.

139 Deponens tenetur depositarium indemnem servare, reparando damna dolo, vel culpa, etiam levissima deponentis, facta: cum depositum unice in ejus cedat utilitatem. *Arg. L.* 61. §. 5. *ff. de Furt. junct. L.* 5. §. 2. *ff. Commodat.* ac impensas in re deposita factas refundere debet. *L.* 12. *ff. b. t.* Depositarius item debet rem custodire, quamdiù causa, v. g. absentia, vel lis durat. *Arg. L.* 5. *ff. de Oblig. & Action.* vel si impedimentum superveniat, Judicem adire debet, ut ab hoc onere liberetur. Si re deposita sine expresso, vel tacito deponentis consensu utatur, furtum committit. *L.* 29. *ff. b. t.* Deindè rem depositam integram reddere tenetur, ac talem, qualem accipit. Deponens potest quandoque voluerit, depositum revocare, & depositarius statim reddere tenetur. C. 2. *b. t. l.* 1. §. 22. *ff. cod. l.* 5. *tit.* 3. *p.* 5. etiam ante tempus deposito præfixum, cum in gratiam deponentis adjectum credatur ex natura contractus. *Gonz. in C.* 2. *b. t. n.* 7. *Less. Molin. & alij*, & est restituenda ubi est sine dolo malo depositarij, nisi alibi reddi velit suis impensis deponens. *L.* 12. *ff. b. t.* vel aliter conventum sit. *L.* 5. §. 1. *ff. b. t.* Non tenetur depositarius restituere rem deponenti, si detur periculum spirituale, vel temporale alicujus, v. g. si furiosus repetat gladium depositum. *C.* 14. 22. *q.* 2. *l.* 6. *tit.* 3. *p.* 5. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 1. *Less. de Just. & jur. lib.* 2. *cap.* 27. *n.* 14. Si fur deponens rem, & Dominus rei simul rem petant, Domino est restituenda, nec furi deponenti cum Domini detrimento, & si Dominus non petat, restituenda est. *L.* 31. §. 1. *ff. b. t. l.* 6. *tit.* 3. *p.* 5. Nec Dominus rei, apud quem ignorantem fur rem deposuit, si posteà suam esse comperiat, restituere tenetur. Imò si ignoranter furi restituit, eam condictione indebiti repetere potest. *L.* 31. *in fin. ff. b. t.* Si res deposita fisco sit addicta, tunc enim debet restitui fisco. *L.* 6. *tit.* 3. *p.* 5. *& ibid. Greg. Lop. & alij.* Depositarius insuper debet res depositas custodire eadem fide, & cura, qua res proprias custodire solent ejusdem generis homines: nullatenùs verò tenetur diligentiam exactissimam impendere, si in rebus suis diligentissimus sit: alias esset deterioris conditionis, quam alij, qui in suis rebus minus diligentes sunt: quod non debet admitti. *C.* 2. *b. t. l.* 32. *ff. cod. l.* 3. *tit.* 3. *p.* 5. *Gonz. in C.* 2. *b. t. n.* 1. *& alij*, tenetur ergo de dolo. *L.* 1. §. 10. *& fin. ff. b. t. l.* 3. *tit.* 3. *p.* 5. & culpa lata, quæ dolo æquiparatur. *L.* 32. *ff. b. t. l.* 226. *ff. de Verbor. Signific. l.* 3. *tit.* 3. *p.* 5. Et tunc si rebus proprijs depositarij, salvis manentibus, pereant res depositæ in eodem loco existentes, præsumitur dolus. *C.* 2. *b. t. Gonz. ibid. n.* 1. *& alij.* Regulariter tamen de culpa levi, vel levissima non tenetur, quia cum regularitèr depositum solius deponentis gratia fiat, & depositarius nullum emolumentum sentiat, non debet ad tam strictam obligationem cogi. *L.* 5. §. *ff. Commod. Gonz. in C.* 2. *b. t. n.* 1. *& alij.* Deindè: nam ille, qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati id imputare debet. §. 3. *Inst. Quib. mod. re contrah. oblig. l.* 3. *tit.* 3. *p.* 5. ibi: *Mas si la cosa se perde por leve culpa de aquel, que la oviesse en guarda, non seria tenudo de la pechar, fueras ende en tres casos.* Tenetur ergo ex culpa levi depositarius. 1. Si pro custodia mercedem recipiat. *C.* 2. *b. t. l.* 1. §. 8. *ff. cod. l.* 3. *tit.* 3. *p.* 5. nam tunc utriusque gratia celebratur. *Gonz. in C.* 2. *b. t. n.* 3. *Less. de Just. & jur. l.* 2. *cap.* 27. *n.* 9. 2. Si se deposito recipiendo obtulit. C. 2. *b. t. l.* 3. *tit.* 3. *p.* 5. *& Glos.* V. *De culpa*, imò, & ad levissimam se obligare, tenent *Abb. & Gonz. in C.* 2. *b. t. n.* 5. sed contrarium tenent *Less. de Just. & jur. lib.* 2. *cap.* 27. *n.* 11.

n. 11. *& alij*, nisi singularem diligentiam promisit, & sic potest intelligi. *L.* 1. §.35. *ff. h. t. & ibid. Gothofr.* alias potius absterrerentur homines, quam allicerentur ad hoc charitatis officium. 3. Si ad hoc depositarius se obliget. *Arg. C.* 2. *h. t. l.* 3. *tit.* 3. *p.* 5. Nam ex partium conventione contractus Legem accipiunt. *L.* 1. §. 6. *ff. h. t.* Ex levissima culpa tenetur. 1. Si ad hoc se obligavit. *L.* 1. §. 6. *ff. h.t.* 2. Si ratione officij custodiam habere debet, ut Nauta, Caupo, stabularius. *L.* 1. *l.* 2. *ff. Nautæ, Caupones*, *l.* 26. *tit.* 8. *p.* 5. *& ibid. Greg. Lop.* V. *Culpa*, sed jam ex consuetudine non tenentur, nisi de custodia specialitèr moneantur. *Less. de Just. & jur. lib.* 2. *cap.* 27. *n.* 10. *& alij.*

140 Ad casum fortuitum minimè tenetur depositarius. *C.* 2. *h. t. l.* 1. §. 35. *ff. eod. l.* 4. *tit.* 3. *p.* 5. Nisi. 1. ad ipsum se obliget. *C.* 2. *h. t. l.* 1. §. 35. *ff. eod.* & tunc etiam tenetur ad casum insolitum, nisi valdè insolitus sit. *Arg.* L. 78. §. *fin. ff. de Contrah. empt.* 2. tenetur, siquidem fuit in mora culpabili restituendi. *L.* 12. §. *fin. ff. h. t. l.* 4. *tit.* 3. *p.* 5. quia mora sua cuilibet est nociva. *C.* 25. *de Reg. jur. in* 6. nisi eodem modo res esset peritura, etiam apud Dominum. *Gonz. in C.* 2. *h. t. n.* 6. *& alij.* 3. si dolus, & culpa præcedant. *C.* 2. *h. t. l.* 32. *ff. eod. l.* 4. *tit.* 3. *p.* 3. Et quidem, ut ad casum fortuitum teneatur, debet præcedere culpa lata, ad quam juxta naturam contractus tenetur, aliàs etiam ex levi culpa teneretur contra contractus naturam. Et in *l.* 4. *tit.* 3. *p.* 5. additur, depositarium teneri ad casum fortuitum, quando depositum solum in gratiam depositarij factum fuit. Si Clericus, vel Religiosus sint depositarij, & eorum dolo, vel culpa res pereat, si cum consensu Prælati, & Capituli depositum susceperunt, Ecclesia, vel Monasterium tenetur damnum resarcire. *L.* 7. *tit.* 3. *p.* 5. ne aliàs deponens videatur ab Ecclesia deceptus contra *C.* 5. *de Donat. Gloss. in C.* 1. *h. t.* V. *Personæ*, *Barb. ibid. num. fin. Sanch. in Decal. l.* 6. *cap.* 14. *& alij.* Si vero Clericus, vel Religiosus, sine consensu Capituli, etiam cum consensu Prælati: vel etiam ipse Prælatus, sine consensu Capituli susceperunt depositum, ipsi ex dolo tenentur, non vero Ecclesiæ; quia delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debet. *C.* 76. *de Reg. jur. in* 6. Si verò in Ecclesiæ utilitatem versum est, in id tenetur Ecclesia. *C.* 1. *h. t. l.* 7. *tit.* 3. *p.* 5. *Barb. in C.* 1. *h. t. num. fin. Less. de Just. & jur. lib.* 2. *cap.* 27. *n.* 12.

141 Deponenti, & ejus hæredibus contra depositarium, & ejus hæredes datur actio directa depositi ad repetendam rem depositam; & quidem eandem in specie, nisi aliter sit conventum. *L.* 24. *l.* 25. §. 1. *ff. h. t. l.* 5. *tit.* 3. *p.* 5. vel si perijt, aut est deteriorata dolo, aut lata culpa depositarij: quippè tunc restituit pretium ejus, vel deteriorationis. *L.* 1. §. 16. *ff. h. t.* etiam restitui deponenti debent fructus, omnisque causalitas, & utilitas, & partus. *L.* 1. §. 24. *ff. h. t. n.* 5. *tit.* 3. *p.* 5. etiam debentur usuræ sine mora, & conventione. *L.* 24. *l.* 25. *l.* 26. §. 1. *ff. h. t.* actio doli, quæ competit deponenti, si res deposita perijt apud depositarium, potest remitti, quando est de dolo commisso, quia nulli juri opponitur: dolus committendus tacitè remitti potest, remissa actione depositi, in qua actio doli clauditur. *L.* 27. §. 3. *ff. de Pact.* Et quæ expressa nocerent tacita non nocent. *L.* 195. *ff. de Reg. jur.* Et quæ in consequentiam veniunt, non curantur. Expressa tamen conventione nequit remitti, quia hæc impunitas ad delinquendum invitaret: quod esset contra bonos mores, & publicam utilitatem. *L.* 1. §. 7. *ff. h. t.* Depositario, & ejus hæredibus contra deponentem, & ejus hæredes competit actio contraria depositi ad recuperandum damnum, quod occasione depositi passus est, & impensas in re custodienda factas. *L.* 5. *ff. h. t.* Utraque actio est bonæ fidei, civilis, personalis, perpetua, & rei persecutoria. Sed ob dolum condemnatus actione directa fit infamis. §. 2. *Inst. de Pœna temer. litig.* secus condemnatus contraria actione depositi, quia non agitur de fide rupta, sed tantum de depositarij indemnitate. *L.* 6. §. *fin. ff. de his, qui not. infam.* Etiamsi deponens aliquid debeat depositario, debet restitui res deposita, quin locus sit compensationi, aut deductioni cum alio debito, quantumvis liquido, ne quidem cum alio deposito, sed in hoc casu res depositæ ab utraque parte ad invicem restituuntur. *C.* 2. *h. t. l.* 11. *C. eod. l.* 5. *tit.* 3. *p.* 5. *& ibid. Greg. Lop. Gom.* 3. *Var. cap.* 7. *num.* 2. *Barb. & Gonz. in C.* 2. *h. t.* quia cum depositum tradatur sub fidelem, & diligentem depositarij custodiam, si deponenti non restituat, quando illud repetit, contra fidem datam agi videretur. In foro tamen conscientiæ potest depositarius depositum sibi retinere jure compensationis pro debito liquido, si alitèr illud nequit consequi; dum tamen non timeatur scandalum, nec compensationi renuntiasset, nec Judex legitimus aliud præcipiat. *Less.*

de

de Just. & jur. lib. 2. *cap.* 27. *n.*16. Potest depositarius retinere jure compensationis rem depositam, quousque ipsi solvantur impensæ necessariæ ab ipso in re deposita factæ; quia cum possit expensas consequi actione contraria depositi, jure compensationis eas habere potest. L. 18. §. 4. *ff. Commod. Gonz. in C.* 2. *h. t. num.* 9. *& fin. & alij.*

142 Quando in naufragio, vel incendio; v. g. non possunt simul res propriæ, & depositæ servari, si propriæ sint pretiosiores, hæ sunt servandæ. Si utræque sunt æqualis pretij, & depositum solum in gratiam deponentis, vel etiam utriusque sit celebratum, propriæ sunt servandæ; charitas enim dictat primum sibi, & deinde proximis prospicere. *C.* 9. 23. *q.* 5. si verò depositum in recipientis tantum utilitatem cedat, res alienas propriis debet præferre, quia ad custodiam exactissimam tenetur, sicut commodatarius, qui proindè nullam compensationem exigere potest à domino rei servatæ pro damno, quòd in re propria passus est, ut commodatam pretiosiorem salvaret. L.18. *ff.Commodat.* si res depositæ sint pretiosiores, eas debet servare, sicut res proprias pretiosiores servaret, nisi jacturam notabilem pateretur, & non sit moraliter certus, se earum pretium à deponente, cujus negotium utilitèr gessit, posse recuperare: nemo enim intendir, se obligare ad hoc cum notabili suo damnò, vel ejus probabili periculo; ac proindè si res suas amisit, ut depositas, licet pretiosiores reservaret, potest compensationem damni exigere, etiamsi in gratiam utriusque cedat contractus, cùm utilitèr gesserit deponentis negotium, & nulli debeat damnosum ejus officium esse. In Indijs inter officia vendibilia Decurionum Civitatum invenitur officium Depositarij Generalis, apud quem, & non alium debent deponi bona litigiosa, pro quorum custodia nihil petere valet, nisi aliter conventum sit in officij venditione. Bona tamen Communitatis Indorum, minimè apud ipsum deponi possunt. L.15. *& seqq. tit.* 10. *lib.*4. *R.Ind. l.*4. *&* 5. *tit.*20. *lib.*8. *R.Ind.*

TIT. XVII.

De Emptione, & venditione.

143 Emptio, & venditio, ut ferè omnes cæteri contractus, à Jure Gentium introducta est. §. 2. *Inst. de Jur. Natur. estque contractus bonæ fidei, utrimque obligatorius, in quo venditor cum emptore convenit de tradenda aliqua re, seu merce pro pretio pecuniario recipiendo*: Et in hoc differt emptio. 1. à permutatione, in qua res pro re permutatur. 2. à cambio, in quo datur pecunia pro pecunia. 3. à locatione, in qua res utenda fruenda pro pensione pecuniæ, vel fructuum tribuitur. Qui rem tradit, venditor dicitur, qui pretium emptor. L.11. §.2. *de Action. empt.* L. 1. *tit.*5. *p.*5. ibi: *Vendida es una manera de pleyto, que usan los omes entre sì, è facesse con consentimiento de las Partes por precio cierto, en que se avienen el comprador, è el vendedor.* Aliquando antiqui his nominibus emptoris, & venditoris in discriminatim solebant uti. L.19. *ff. de Action. empt.* Imò, & quamcumque alienationem emptionem, & venditionem appellabant. §.2. *Inst. h. t. Genes.* 25. V. *fin.* Ad hujus ergo contractus substantiam, tria requiruntur: scilicèt, *consensus*, *pretium*, *& merx*, ita ut si contrahentes discordent in emptione, vel in pretio, vel in re nullus est contractus. *L.* 9. *ff. de Contrah. empt. L.*20. *tit.*5. *p.*5. *l.*1. *l.*8. *tit.*5. *p.*5. 1. ergo debet adesse consensus utriusque: hic enim contractus consensu perficitur. *Princ. Inst. de Obligat. ex consensu. L.*2. *C.de Contrah. empt. l.* 1. *l.* 8. *tit.* 5. *p.* 5. Et in hoc differt à mutuo, commodato, deposito, pignore, & precario, qui ad suam essentiam traditione rei indigent. In emptione, & venditione, non requiritur traditio mercis, vel pretij, nec quod actu transferatur dominium; sed quod oriatur obligatio dominium transferendi. *L.*15. §.1. *ff. de Contrab.empt.* siquidem vendita re furtiva non transfertur dominium, & stat vera venditio. *L.* 28. *ff. de Contrab. empt.* Venditio tamen illarum rerum, quæ numero, pondere, vel mensura constant, non anteà intelligitur perfecta, quam vinum; v. g. mensuretur. *L.*35. §.5. *ff.de Contrab. empt.* quia non anteà, potest de certa quantitate constare, quod ad substantiam contractus requiritur. Et sic intelligitur. *L.* 2. *C. de Peric. & commd. rei vend.* ubi videtur imperfectum haberi contractum ante traditionem. 2. requiritur pretium. *Princip. Instit. h. t. l.*8. *tit.*5. *p.*5. hoc est nummus, sivè pecunia, quæ est æstimatio, & mensura publica omnium, quæ sub hominum commercium cadunt. L.1. *ff. de Contrab. empt.* pretium debet esse certum, & determinatum, nec sufficit vendere rem pro justo pretio, nisi saltem relinquatur determinandum arbitrio boni viri, vel Judicis. *L. fin. C. de Contrab. empt. l.*9. *t.* 10. *tit.*5.

tit. 5. *p.* 5. vel si vendatur frumentum tanti quanti heri fuit venditum, vel hodie, vel cras vendetur. L. 7. *ff. de Contrah. empt.* Item pretium debet esse verum, non simulatum, alias potius donatio esset, quam venditio. L. 30. *l.* 55. *ff. de Contrah. empt.* Aliquidem emptoris proprium esse debet: alias non posset venditoris fieri. L. 11. §. 2. *ff. de Act. empt.* Et justum esse debet, cum solutio actus justitiæ sit. Et adeò necessarium est pretium adhunc contractum, ut eo non numerato, vel si saltem non habeatur fides de eo, non transit in emptorem dominium mercis traditæ. §. 41. *Inst. de Rer. divis.* L. 19. *ff. de Contrah. emption. l.* 10. *tit.* 5. *p* 5. Quando pro merce partim datur pretium, & partim alia res, si pretium excedat valorem rei, emptio: si excedatur à valore rei erit permutatio: si valor rei sit æqualis pretio erit contractus mixtus ex emptione, & permutatione. *Gom.* 2. *Var. cap.* 2. *num.* 10. *Covar. l.* 2. *Var. cap.* 4. *num.* 9. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 336 *num.* 6. 3. requirur merx. L. 8. *ff. de Contrah. empt. l.* 8. *h. t.* 5. *p.* 5. Cujus nomine venit quidquid pecunia æstimabile est, sivè mobile, sivè immobile sit, sive jura, & nomina debitorum, servitutes, vel alia hujusmodi; imo, & alea, jactusque retis hoc nomine comprehenduntur. L. 8. *ff. de Contrah. empt.* quia licet incertum sit, an capiatur, vel non, vel quantum, vel quid, tamen spes, & jus est certum, quod sufficit, ut possit esse merx determinata, & certa prout requiritur. L. 8. §. 1. *ff. de Contrah. empt.* Ad substantiam emptionis, & venditionis non requiritur scriptura. *Princ. Inst. h. t.* Etiamsi inter contrahentes conveniatur, scripturam fieri, quia tantum ad probationem censetur exacta; nisi ad ipsam tanquam conditionem alligetur consensus contrahentium: tunc sine scriptura nulla obligatio nascitur. *Princ. Inst. h. t. l.* 6. *tit.* 5. *p.* 5. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 337. *n.* 5.

144 Omnes, qui suarum rerum administrationem habent, possunt emere, & vendere. L. 14. *C. de Contrah. empt.* nisi Lex quasdam personas hoc facere specialitèr prohibuerit. L. 2. *tit.* 5. *p.* 5. Et quidem possunt hunc contractum facere, vel per se, vel procuratorem, vel per Epistolam, vel per nuntium. L. 8. *tit.* 5. *p.* 5. Non tamen possunt emere, & vendere. 1. Infans, furiosus, ebrius, quia non sunt compotes mentis. L. 2. *C. de Contr. empt.* 2. Pupilli, Minores, & prodigi, nisi interveniente authoritate Tutoris, vel Curatoris. Inter pupillum, & Tutorem, vel personam ei subjectam, non potest emptionis, & venditionis celebrari contractus. L. 34. §. *fin. ff. de Contrah. empt.* potest tamen Tutor authoritate Contutoris, vel Judicis contrahere cum pupillo. L. 5. §. 2. *ff. de Author. Tutor. l.* 4. *tit.* 5. *p.* 5. 3. Filius familias nequit sic contrahere cum patre extra causam peculi Castrensis, vel quasi. L. 2. *ff. de Contrah. empt. l.* 2. *tit.* 5. *p.* 5. quia licet possit naturaliter, nequit civiliter obligari, ne alias pater secum ipso contrahere videretur, cum patria potestas faciat, ut una persona civilis ambo censeantur. *L.* 60. *ff. ad S. C. Trebel.* cum alijs tamen bene potest hunc celebrare contractum, & civilitèr obligari. *L.* 6. §. 7. *ff. de Action. empt. Gom.* 1. *Var. cap.* 2. *num.* 2. 4. Advocatus nequit contrahere cum cliente, ne aliquid ab eo in fraudem juris extorqueatur. *L.* 6. §. 2. *C. de Postuland.* 5. Milites in Provincijs, in quibus militant nequeunt prædia emere, præterquam, si Fiscus distrahat, prædia paterna eorum. L. 9. *ff. de Re milit.* 6. Personæ nobiles commercium exercere prohibentur. L. 3. *C. de Comerc.* quia præcipuè in Hispania quid sordidum censetur mercaturam exercere: in Indijs tamen, etiam nobiles sine ignominia mercaturæ vacant. Imò qui ex Hispania in Indias, & è contra genera, & merces deferunt. *Hispanè* : *Cargadores*, varijs exemptionibus afficiuntur. *Solorz. Polit. Indian. l.* 6. *cap.* 14. 7. Qui cum imperio Provincijs præsunt, neque per se, neque per alium possunt in Provincia suæ jurisdictionis aliquid emere, nisi necessaria pro victu, & vestitu: si verò aliquam aliam rem emant, eam amittunt, & in quadruplum conveniuntur secundum constitutionem Severi, & Antonini. *L.* 46. *ff. de Contrah. empt. l.* 5. *tit.* 5. *p.* 5. ibi: *Adelantado, ò otro Juez qualquier que sea puesto para judgar, ò para facer justicia en alguna tierra, ò en alguna Ciudad, ò Villa, non puede comprar heredamiento, nin casas èl, ni otro por èl: ni otrosi ninguno de su compañia en aquella tierra, ni en aquel lugar, sobre que son apoderados: pero si qualquier de estos sobredichos oviesse alguna heredad, ò otra cosa, que oviesse heredado de su padre, ò de alguno de los otros parientes, ò ganado en otra manera, ante que le oviessen escogido para este oficio, bien la puede vender a los de aquel lugar.* L. 2. *tit.* 6. *lib.* 3. *R. C.* Vide, quæ dixi in *tit. de Offic. Judicis.*

145 Cum quilibet rei sui sit moderator, & arbiter. *L.* 21. *C. Mandat.* nemo invitus regularitèr cogitur vendere, vel eme-

emere. *L. 11. l. 13. C. de Contrah. empt. l. 3. tit. 5. p. 5.* Aliquando tamen potest compelli. 1. ob publicam necessitatem: possunt enim Judices, publica inopia instante, vera quidem, & non ficta, si alia via commodior non patet, subditos compellere, præcipuè Dardanarios, ita ut æqualitèr onus dividatur, vendere justo pretio, non vero aliter frumentum: v. g. quo pro sua familia alenda non indigent; nec ad plus possunt compelli. L. 1. *C. Ut nemin. liceat in empt. spec. Covarr. 3. Var. cap. 14. n. 3.* Imo Clerici, & Religiosi, cum Jure Naturæ publicis necessitatibus succurrere teneantur, possunt compelli vendere triticum pro annona publica, mittere suum currum, vel navim ad asportandum victualia, & cætera Reipublicæ necessaria, & ad alia hujusmodi compelli possunt. Et quamvis in ipsa bona posset fieri executio a Judice Sæculari, securius erit prius Judicem Ecclesiasticum requirere, ut eos compellat. L. 54. *tit. 6. p. 1.* Et sic debent intelligi. L. 11. *l. 12. tit. 3. lib. 1. R. C. Acev. ibid. aliot citans Gonz. in C. 4. de Immunit. Eccles.* Possunt item cives sub aliqua pœna tempore indigentiæ prohiberi, ne singuli, præcipuè Dardanatij, emant plusquam quo indigent ad suæ taliæ sustentationem; *arg.* L. 6. *ff. de Extraord. Crimin.* similitèr emere possunt compelli si famis, vel obsidio timeatur, quæ ad familiæ sustentationem sunt necessaria; *arg.* L. 1. *C. Ut nemin. liceat in empt.* Item possunt cogi, ut vendant pretio ordinario vicinis indigentibus, quando cives non indigent; *arg. C. 1. h. t.* vel ne vendant, quando indigent cives, & pretium pro necessitate Judices taxare valent. 2. ob publicam utilitatem propolæ, & mercatores possunt compelli justo pretio vendere, quæ ad victum, & vestitum pertinent. *Covar. 3. Var. cap. 14. n. 1.* cives possunt cogi fundos, & ædificia vendere pro Curia, annona, vel fortalitio construendis, & in novis ædibus construendis, etiam possunt compelli, certum spatium pro publica via relinquere. L. 3. *ff. de Operib. publ. l. 14. eod.* 3. causa Religionis, & pietatis fundum vendere Ecclesiæ justo pretio pro ejus ampliatione, & extructione possunt cogi, qui ædes vicinas habent. *Covar. cap. 14. n. 7. Molin. de Just. tr. 2. D. 241. n. 2.* Item nec Judæo licet emere hominem baptizatum, vel baptizari se volentem, nec in servitio illum retinere. *C. fin. de Judæis*, L. 56. §. 3. *C. de Episcop. & Cleric.* 4. Qui male re utitur potest compelli eam vendere, cum Reipublicæ intersit, ne quis sua re male utatur; & ideo Dominus obsævitiam servos vendere cogitur. §. 2. *Inst. de His, qui sui, vel alien.* L. 3. *tit. 5. p. 5. 5.* Si aliquis re sua uti nequeat, quin alter eam vendere compellatur. L. 44. §. *fin. l. 81. §. 3. ff. de leg. 1.* v. g. si servum communem aliquis manumittat. L. 1. §. 1. *C. de Commun. serv. manum. l. 3. tit. 5. p. 5.* vel si Respublica, vel Fiscus rem communem vendere velit. In his enim casibus Socij suam partem vendere tenentur. *L. un. C. de Vend. rer. Fisc.* 6. Ex privilegio aliquibus civitatibus concesso, etiam habetur, quod merces illuc dilatæ, ibi vendantur, quod *jus stapulæ* vocant, vel quod quis teneatur mercatoribus, non vero extraneis ea vendere, & vocant jus *Emporij*. Semper enim ac non specialiter prohibetur, potest celebrari venditionis contractus, sed præcipuè fit in locis, & tempore nundinarum: Hæ namque ad commercia promovenda inductæ sunt. Si semel in hebdomada fiant, *Hispanè*: *Mercados*, si semel, vel bis in anno *ferias* nuncupamus. Si in ipsis exemptio a gabellis indulgeatur, *francas* dicimus, sed has nullus nisi Princeps, nec consuetudo immemorialis valet concedere. Et Mercatores ad nundinas concurrentes, dum iter faciunt, sub Regia protectione sunt. Nec possunt conveniri, nec incarcerari in loco nundinarum pro alijs debitis, quam pro contractis ibidem ratione nundinarum, vel pro delicto, vel juribus, & reditibus Regijs. *Tot. tit. ff. & C. de Nundin. L. 3. & 4. tit. 7. p. 5. l. 1. & per tot. tit. 20. lib. 9. R. C. Et ibid. Aceved. Hevia Comerc. Terrest. cap. 10.*

146 Monopolia autem illicita sunt. *Monopolium* sic a verbo Græco dicitur, & est idem, ac si quis faciat, quod ipse solus vendat. Etiam dicitur Monopolium, quando Mercatores conspirant, non minoris pretij, quamquod inter se statuerint, aliquid vendere. De quibus sic ait, *Lex un. C. de Monopol. Si quis autem Monopolium ausus fuerit exercere bonis proprijs spoliatus, perpetuitate damnetur exilij.* L. 2. *tit. 7. p. 5.* Sed hodie in L. 4. *tit. 14. lib. 8. R. C.* dicitur: *So pena de cada diez mil maravedis, y destierro de un año del Reyno.* Etsi aliæ circumstantiæ adjungantur gravius punitur. *L. 1. l. 2. l. 3. tit. 14. lib. 8. R. C. Et ibid. Aceved.* quandoque tamen solet prohiberi, ne aliqua merces vendatur, nisi ab habente Regiam facultatem. Et *Hispanè* dicitur: *Estanco*, quod quidem si ex justa causa, & Principis authori-

ri-

xitate fiat, licitum est, taxato tamen justo pretio, ita ut subditi non graventur. L. 12. tit. 11. lib. 6. R. C. l. 71. tit. 46. lib. 9. R. Indiar. ibi: *Mandamos, que en las Indias no se ponga Estanco en los vinos, y mercadurias, que de estos Reynos se llevaren, ni en otra cosa alguna, excepto en los que se hallaren permitidos, ò permitieren por nuestra especial licencia.* In nostra Hispania aliquæ merces sunt sub tali prohibitione comprehensæ, nam tabacum solum potest de licentia Regis vendi. Similiter in Indijs sub simili prohibitione est venditio argenti vivi, chartarum pictarum. *Hispanè Naypes*, & aliarum mercium, de quibus *in tit. 23. lib. 8. R. Indiar. Solorz. Polit. Indian. Escalona, Gazofilaz. & alij.* Insuper consensus in hoc contractu, sicut in alijs debet esse verus, id est, sine fictione, liber à coactione, & à metu gravi injustè incusso, ab errore, & dolo, & quidem debet esse signo aliquo externo sufficienter expressus, & de præsenti. Hinc concessus his verbis declaratus: *emere volo, & volo vendere*, cum sufficienter animum absolutum contrahentium talia verba exprimant, ad contractum sufficit. Similiter fit contractus, quando quis promisit rem pro certo pretio vendere, & posteà tradit rem, & accipit pretium sine alia expressione consensus, quia facta non minus, quam verba consensum significant. L. 31. §. 1. *ff. de Legib. l. 95. ff. de Adquir. vel omit. hæred.*

147 Pretium in emptione aliud est *naturale*, aliud *legitimum*. *Naturale* quod & *vulgare* dicitur est, quod ex ipsa rerum natura, attentis hominum affectu, necessitate, voluntate, vel alijs circunstantijs provenit. Et hoc aliud est *summum*, seu *rigorosum*, aliud *medium*, aliud *infimum*, seu *pium*: v. g. si medium esset 50. summum esset 55. & infimum 45. plus minusvè. Sed quodlibet ex eis est justum. *Navar. Man. cap. 23. n. 79. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 347. n. 4.* Pretium *legitimum* est quod Lege, vel publica ordinatione statutum est; hoc in indivisibili consistit, nec pro contrahentium arbitrio augeri, aut minui potest, & ab omnibus debet servari, etiam à Clericis, & Religiosis, quia hæc statuta publicam commerciorum utilitatem, & æqualitatem respiciunt, nec immunitatem Ecclesiasticam lædunt, nec statum dedecent Clericalem. Etiam exteri justum pretium servare tenentur, nisi à Lege eximantur. Si pretium legitimum minus sit naturali, stantibus circunstantijs, ob quas tale pretium statutum est, non potest exigi naturale, quia Princeps vult illud pretium, esse justum, & non aliud, cujus voluntati, ut justæ subditi obedire, etiam in conscientia tenentur. *Navar. in Man. cap. 23. n. 88. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 21. n. 14.* secus mutatis circunstantijs: quia tunc Lex jam non est justa. Si pretium legitimum sit majus naturali; & ut regulariter fit est in favorem emptorum, non licet exigere pretium legitimum: fieret enim contra Legis mentem, quæ emptori favere intendit, si in gratiam venditorum sit statutum, ut sit in venditione censuum; & aliorum jurium, quæ homines non nisi coacti penuria vendunt, possunt venditores pretium legitimum petere, quia ipsis favet intentio Legis. *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 21. n. 13.* Pretia rerum, *ex L. 63. ff. ad Leg. Falcid. non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur*: id est pretia, quæ quidem æqualitatem cum re debent habere, non taxantur ex affectione alicujus particularis, quæ sæpè erronea esset, nec ex utilitate singulorum: nam ex parte emptoris ob ejus cupiditatem parvi æstimaretur, & ex parte venditoris ob ejus avaritiam nimis appretiaretur. Debet ergo pretium taxari, vel à Magistratu, vel communi Populi consensu. Et licet quilibet, quia suæ rei moderator, & arbiter est. *L. 21. C. Mandat.* possit eam vendere, vel etiam donare, si tamen vendat, non potest justum pretium excedere. Commune axioma: Res tanti est, quanti vendi potest. *L. 33. ff. ad leg. Aquil. l. 63. ff. ad leg. Falcid.* intelligitur *quanti vendi potest licite*, & seclusa fraude, ignorantia, violentia, necessitate, vel nimio affectu. In pretio emptionis, & venditionis naturaliter licet contrahentibus se circumvenire. *L. 16. §. 4. ff. de Minor.* intra limites tamen justi pretij. Pretio currenti potest res vendi cujus pretium, scit venditor, brevi minuendum esse, nec de hoc tenetur emptorem monere, nec quidem ex charitate, nisi in extremam, vel gravem necessitatem incideret emptor. Sicut potest emi pretio communi res, cujus pretium brevi augendum est, & sic fecit Patriarcha Joseph in Ægypto. *Genes. 41.* quia cum res tunc tanti æstimetur, justo pretio venditur. Sic contra *Medin. de Restit. q. 36. Rodrig. Sum. p. 2. c. 81. n. 10.* tenent *Covarr. Lugo de Just. & jur. D. 26. num. 139. Molin. eod. tr. 2. D. 354. Less. lib. 2. cap. 21. n. 40. & al.j cum D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 3. ad 4.*

148 Pretium naturale, & legitimum

ex

ex varijs circunstantijs variari potest. 1. si multi sint emptores, & mercium penuriæ derur, pretium potest augeri. Si pauci sint emptores, & magna sit mercium copia potest minui: ultroneæ enim merces, quæ in gratiam venditoris emuntur minuunt earum pretium, non tamen si ob utilitatem, vel necessitatem privatam venditoris tabernæ exponuntur venales, vel etiam ipse venditor roget emptorem. 2. si merces minutim vendantur crescit pretium ob laborem, & molestiam: minuitur verò si cumulatim vendantur. 3. crescit pretium ob verisimile, & non fictum periculum amittendi pretij cum merce, & si nullum damnum sequatur. *Less. de Just. & jur. l. 2. cap. 21. n. 54.* 4. propter damnum emergens, vel lucrum venditori cessans pretium crescit. *C. fin. de Usur.* dum verè ex eo contractu emergat damnum, vel lucrum cesset; & de hoc est monendus emptor. *Less. de Just. lib. 2. cap. 21. n. 26.* 5. potest pretium augeri propter singularem affectionem, & multo magis ob utilitatem, quam venditor habet in merce, sed affectio debet esse in aliqua justa causa fundata, non orta ex levitate, & quod venditor tali re in gratiam emptoris se privet: non tamen attenditur affectio, vel necessitas emptoris; nam hæc non est aliquid vendentis, sed tantum ementis: aliàs posset carius vendi panis famelico, vel pauperi. *D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. 6.* raritas mercis pretium auget. sic gemmæ, nummi antiqui, statuæ, volucres, & alia animalia ex remotis regionibus advecta, carius venduntur, ut apud Indos accidebat, ubi vitra, cultelli, fistulæ, & alia exigui valoris pro gemmis, auro, & argento permutabantur. 7. propter sumptus, & labores in rerum conservatione, & asportatione impensos, quia hæc omnia sunt pretio æstimabilia. Hinc debita dubia, & litigiosa ob molestias, & difficultates, possunt minori pretio emi, etiamsi emptor facile posset solutionem obtinere, cum tale Chirographum in communi æstimatione sit minoris pretij: secus est, si liquidum sit: cum tunc in communi æstimatione tantum valeat, quantum debitum est. *Lug. de Just. & jur. D. 26. ex n. 94. Mol. tr. 2. D. 361. ex n. 7. Less. lib. 2. cap. 21.* contra *Malderum, Molfesium, & alios.* Exteris, & peregrinis, non licet res carius vendere, imo hoc potest Episcopus sub excommunicatione prohibere. *C. 1. h. t.* ex aliqua tamen justa causa potest res carius advenis, quam vicinis vendi. Sanè ille, cui res certo pretio vendenda traditur, non potest excessum sibi, si pluris vendat, retinere, posset tamen, si majorem, & extraordinariam in vendendo adhibuisset industriam, vel si ipse rem sibi emit pretio currenti, suamque fecit, & posteà oblata occasione, majori pretio vendidit. Vel si ita cum venditore conventum est expressè, vel tacitè, v. g. si nullum ipsi vendenti est stipendium assignatum pro venditione, cum aliàs ipsi deberet assignari. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 363. Less. de Just. lib. 2. cap. 21. n. 138. & seq.*

149 Quæcumque res, quæ specialitèr non prohibetur vendi utique potest: ac proindè res nondum ex antes, si tamen sperantur extituræ, ut volucrum, & piscium captura, vel fructus agrorum, fœtus animalium, & alia hujusmodi, possunt vendi. Ita ut si causa sit omnino fortuita, ut jactus retis, pura sit venditio; ac proindè, sive nihil, sive parum, sive multum extractum sit, pretium statutum solvi debeat: quia fortunæ se partes commiserunt. *L. 8. ff. de Contrah. empt. l. 11. tit. 5. p. 5.* si ex causa naturalitèr res speretur, ut fructus arborum, si jam existant, licet in herba, pretium solvere tenetur emptor, quamvis posteà casu pereant, nisi aliter inter ipsos sit conventum, vel culpa venditoris interveniat; *arg. L. 78. §. fin. ff. de Contrah. empt. l. 12. tit. 5. p. 5.* Si fructus nondum sint nati, venditio est conditionata, & regularitèr. non habet effectum, si nihil de fructibus, vel fœtibus natum fit, nisi aliter sit conventum. *L. 11. tit. 5. p. 5.* Si aliquid, quamvis minimum, vel plurimum sit natum, statur contractui, nec augetur, nec diminuitur pretium, nisi sit in singula capita determinatum. *L. 8. ff. de Contrab. empt. l. 11. §. ultim. in fin. ff. de Act. empt.* Nomina, actiones, obligationes, & debita etiam possunt vendi. *L. 17. ff. de Hæred. vel action. vend.* sed non aliter, quam pretio justo, juxta *L. 22. C. Mandat.* Et quidem etiam ignorante, & invito debitore. *L. 1. C. de Novat.* cum nihil intersit debitoris, qualem creditorem habeat. In substitutione verò novi debitoris, consensus creditoris requiritur, quia plurimum illius interest, qualem debitorem habeat. In talem verò emptorem solum transfertur actio utilis ex beneficio. *L. 16. ff. de Pact.* directa apud venditorem manente. Invito debitore, non potest actio, etiam de debito certo, & non litigioso transferri in potentiorem. *L. fin. C. Ne liceat potent.* Nec potest vendi privilegiato, v. g. Clerico, si hoc judicij mutandi causa fiat. C.

C. fin. de Alien. judic. mutand. secus si fiat sine dolo. Item nequeunt vendi actiones litigiosæ. *L. 2. C. de Litigios.* nec criminales, nec populares, nec actio personalis ad usum petendum. Nec quæ alijs nequeunt prodesse, ut actio de uxore exhibenda. Quod si debitor non habeat unde solvat, non habet regressum emptor contra venditorem, siquidem hic tantum vendidit debitum, quod verum erat, non verò promisit, quod bonum esset, nisi aliter sit conventum. L.4. *ff. de Hered. vel act. vend. & ibid. Gothofr.* Tutores, & Curatores emere nequeunt actiones contra suos clientes. *Auth. Minor. C. Qui dar: Tut. vel Cur.* ubi est correcta. L. 12. *ff. de Reb. eorum, qui subsiit.* & notat *ibid. Gothofr.*

150 Licet vendi nequeat viventis hæreditas, ne inducatur votum mortis alienæ captandæ, nisi consentiat ille, de cujus hæreditate agitur, quippè tunc sublata censetur acervitsima spes, quæ aliàs injuriosa illi esset. *L. fin. C. de Pact.* bene tamen hæreditas jam venditori delata. *L. 2. ff. de Hered. vel action. vend. l. 13. tit. 5. p. 5.* quia de ipsa, utpotè sua, disponere valet. *L. 21. C. Mandat.* & tunc in emptorem transfertur quidquid ad venditorem pervenit, vel perventurum est, vel per eum stat, quominùs perveniret. *L. 2. §. 3. & 4. & 9. ff. de Hered. vel act.* & hinc ad ipsum pertinet, quod per jus accrescendi accresceret venditori, si hæreditatem non vendidisset, cum portio instar alluvionis portioni accrescat. Nec venditor de evictione tenetur, si res hæreditariæ evincantur, cum solum transferre potsit, quod ipse habet. Actiones activæ in emptorem transeunt. *L. 5. & fin. C. de Hered. & act. vend.* passivæ creditoribus defuncti contra venditorem competunt, nec ipse emptor tenetur eas invitus excipere. *L. 2. C. eod.* tenetur tamen venditori resarcire, quod ex ea causa solverit. *L. 2. C. de Legat.* Res aliena usu consumptibilis potest vendi, si venditor, vel emptor animum satisfaciendi habeat, quia cum nihil Domini intersit utrum eadem res, an alia ejusdem bonitatis ipsi reddatur, non creditur rationabilitèr invitus. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 330.* Quando res non est fungibilis, si emptor ignotet, alienam esse, venditio valet earenus, ut venditor illi de evictione, & ad totum interesse, teneatur, & emptor licitè rem detinet, donec à Domino vindicetur. L. 28. *ff. de Contrab. empt.* L. 11. *ff. de Act. empt.* & legitimo tempore eam præscribere poterit. E contrà, si emptor, alienam esse, sciat, & si furtiva non sit, in se periculum suscipit, nec vendirio valet, nec venditor de evictione, vel ad aliud interesse ipsi tenetur, nisi aliter conveniant. L. 34. §. 3. *ff. de Contrab. empt.* L. 19. *tit. 5. p. 5.* quòd si Dominus nequit recuperare rem, ipsi est dandum pretium. Si jam eam recuperavit tradendum est fisco, nunquam tamen ipsi emptori. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 327. n. 6.* si emptor dubiter, potest rem emere, ut inquisita veritate, Domino restituat. Res propria ementis nequit emi. L. 18. *tit. 5. p. 5.* nam quod meum est amplius meum fieri nequit. Plures etiam sunt res, quæ vendi nequeunt.

151 Et quidem 1. res spirituales, vel spiritualibus annexæ vendi prohibentur, quod si defacto vendantur, talis venditio erit absdubiò simoniaca. 2. res immobiles, vel mobiles pretiosæ Ecclesiarum non possunt vendi, sine debita solemnitate, ut diximus *in tit. 13.* Res sacræ, quæ ad Divinum cultum deputatæ, & consecratæ sunt, non possunt ad usum profanum vendi, quia extra humanum commercium sunt. §. 8. *Instit. de Rer. divis. C. 51. de Reg. in 6.* nisi ex causa necessitatis, vel pietatis: & tunc si Laico vendantur, & periculum sacrilegij detur, debent calices conflari, vestes sacræ dissui, &c. secus aliter. L. 21. *& Auth. Præterea. C. de Sacr. Eccles.* In nostra Hispania *in L. 7. tit. 2. lib. 1. R. C.* jubetur, nequis emat, vel in pignus accipiat calices, libros, cruces, vel alias res sacras ad Ecclesiarum ornatum destinatas; quod si accipiat, debet sine pretio Ecclesiæ eas restituere. In casu tamen necessitatis vendi possunt, & in alijs casibus, qui habentur *in L. 1. tit. 14. p. 1. & ibid. Greg. Lop. Acev. in L. 7. tit. 2. lib. 1. R. C. & alij com.* 3. vendi nequeunt publicæ res, ut theatra, fora, viæ, thermæ, nec aliæ res, quæ cum publicis usibus sint destinatæ, non debent cujusquam usibus applicari. *L. 6. l. 51. l. 72. §. 1. ff. de Contrab. empt. C. 3. de Præbend.* L. 15. *tit. 5. p. 5.* nec liber homo potest vendi. §. *fin. Inst. h. t.* quia libertas nullum pretium recipit, siquidem est inæstimabilis. L. 106. *ff. de Reg. jur.* nec potest vendi fundus dotalis. L. 3. §. 1. *ff. de Fund. dot.* nequidem uxore suo juri renuntiante. *Auth. Sive à me. C. ad S. C. Vellej.* nisi juramentum accedat. *C. 28. de Jur. jur. C. 2. eod. in 6.* nec res feudales, & emphyteuticæ Domino directo inconsultò. *L. fin. C. de Jur. emphyt.* nec res litigiosæ. *C. fin. de Sequestrat.* Arma, equi, naves, triticum, & alia victualia, non possunt vendi Mauris, nec alijs hos-

hostibus fidei. *C. 6. de Judæis*, L. 22. *tit.* 5. *p.* 5. & contra facienti, bona confiscantur, & ipse ad arbitrium Regis punitur. L. 22. *tit.* 5. *p.* 5. in Jure Canonico hoc facientes excommunicantur. *C. 6. de Judæis*, & excommunicatio est reservata in Bulla in Cœna Domini, & in nostra Hispania contra tales procedit Inquisitio. *Dian. in Sum. V. Inquisitores, n.* 97. *Cantera, & alij.* Nec item vendi possunt res malæ, vel ad usum malum expetitæ, ut libri Hæretici, vel impuri, amuletum Magicum, nec venenum potest vendi, nisi ad aliquod medicamentum sit necessarium. L. 17. *tit.* 5. *p.* 5. *l.* 5. *tit.* 16. *lib.* 3. *R. C.*

152 Cum ex voluntate contrahentium contractus legem accipiant. *C.* 85. *de Reg. jur. in* 6. L. 23. *ff. eod.* potest venditor aliqua pacta apponere in ipsa venditione, vel in continenti; secus ex intervallo. Et quidem primo *pactum Legis commissoriæ* adjicere valet, scilicet, ut si intra certum tempus emptor pretium non solvat, res sit inempta, vel nullus contractus: ac proinde emptore culpabiliter, secus ex justa causa, non solvente pretium, res inempta censetur, revertiturque ad venditorem. Si nullum tempus est præfixum non committitur, seu resolvitur venditio, nisi interpellet judicialiter venditor; secus si præfixum est: quoniam dies pro eo interpellat. Et in venditoris electione est, vel dissolvere contractum, vel illi stare. Sed cum tale pactum sit in favorem venditoris introductum, ne in ejus damnum retorqueatur contra L. 6. *C. de Legib.* si venditor stare contractui eligat, tunc emptor contractui stare tenetur, & soluto pretio illum implere. L. 2. *l.* 3. *l.* 4. §. 2. *ff. de Legib. commissor. l.* 38. *tit.* 5. *p.* 5. statim ac Lex commissa est, venditor declarare debet, an velit commissoriam exercere, an pretium petere, & alterutro electo, nequit variare. L. 4. §. 2. *l.* 7. *ff. de Lege commissor. l.* 38. *tit.* 5. *p.* 5. Et licet fructus medij temporis ad emptorem, ut rei Dominum pertineant, si res inempta fiat, & ad venditorem redeat, simul cum ipsa, tanquam si nunquam Dominus fuisset restituere debet emptor, non solum fructus extantes, sed & consumptos, quamvis nullum ex eis lucrum senserit. Indignum enim se fecit aliquod commodum sentiendi ex negotio, in quo fidem fefellit. L. 5. *ff. de Leg. commissor.* Etiam potest adjici pactum, quo emptor teneatur rem venditam rursus ipsi venditori vendere, quod pactum *de retrovendendo* dicunt, ita ut pro onere, vel favore, quem alteruter contrahentium sentit, pretium rei venditæ, vel augeatur, si in solius emptoris gratiam cedat, vel minuatur si solus venditor commodum reportet: in quo standum est arbitrio Judicis, vel prudentum. *L.* 42. *tit.* 5. *p.* 5. *Covar.* 3. *Variar. cap.* 8. & 10. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 375. si verò contractus pignoratitius sub specie venditionis celebretur, ut fictus emptor lucretur fructus, quin in sortem imputentur, est usura palliata, ac proinde reprobatur. *In C.* 5. *h. t. C.* 4. *de Pignor. arg. l.* 41. *tit.* 5. *p.* 5.

153 Solet etiam in venditione apponi *arrha*, seu *arrhabo*, vel arræ in pluralis, & sine *h.* ut affert Nebrisensis: *Arrha ergo est pecunia, vel alia res ab uno ex contrahentibus alteri data in securitatem contractus initi, vel ineundi.* Si pro ineundo contractu detur, licet partibus resilire. Si mutuo consensu ambo resiliunt restituitur arrha, si resilit, qui Arrham dedit, altero invito, eam amittit, & alter lucratur, si resilit, qui eam accepit, eam restituit, & tantundem de suo, quod alter lucratur. *Princ. Institut. h. t. l.* 17. V. *Illud*, *C. de Fid. Instrum. l.* 7. *tit.* 5. *p.* 5. Si Arrha sit data in securitatem contractus jam initi, non licet resilire, sicut ab ipso contractu, etiam sine Arrha celebrato jam perfecto resilire non licet *L.* 5. *C. de O. & A. l. fin. C. Quando liceat ab empt.* Si verò per Arrharum appositionem, id contrahentes agere censeant, ut illas dans, eas amittat, si resiliat, & qui accepit duplicatas restituat, si resiliat, resilire utique licebit, & non amplius valet contractus. Et sic venit intelligenda sententia *Ant. Gom.* 2. *Var. cap.* 2. *n.* 18. *Molin. Just. & jur. tr.* 2. *D.* 338. *& aliorum*, quæ de jure Hispano videtur approbata contra Communem, ut notat *Greg. Lop. in l.* 7. *tit.* 5. *p.* 5. V. *Despues.* Potest itidem in ipsa venditione, vel in continenti, non tamen ex intervallo apponi pactum *Addictionis in diem*, vi cujus venditori liceat rem venditam alteri addicere, & quidem absolute, non cum nova addictione, nisi aliter inter primum emptorem, & venditorem conventum sit. *L.* 11. *ff. de In diem addict.* tunc enim potest illa res vendi secundo, si intra præfixum tempus sincere, & sine dolo meliorem vendentis conditionem faciat, majus pretium, vel faciliorem solutionem offerendo, nisi fortè primus emptor velit præstare meliorem conditionem ab alio oblatam; nam tunc primo debet res dari *L.* 7. *l.* 11. *ff. de In diem addict.* In diem ergo ad-

addictio ita fit: *Ille fundus centum esto tibi emptus, nisi quis intra Kalendas Januarias proximas meliorem conditionem fecerit, quo res à Domino abeat*. L. 1. *ff. de In diem addict.* Si intra diem addictionis venditor moriatur, suo hæredi potest fieri melior conditio. *L.* 15. *ff. eod.* si intra tempus præfixum nullus alius emptor meliorem offerat conditionem, vel venditor non acceptet oblatam, irrevocabiliter adquiritur res primo emptori. Si tamen offeratur, & acceptetur, dissoluta prima emptione, secunda contrahitur. *Arg. l.* 37. *ff. de Contrab. empt.* Dominium, & rei vindicatio absque alia traditione redeunt ad venditorem. *L.* 41. *ff. de Rei vendic.* & emptor tenetur restituere rem cum omni commodo, & accelsione. L. 6. *ff. de In diem addict.* etiam fructus extantes, non autem consumptos, etiamsi ex eis factus fuisset locupletior, licet alij aliter sentiant. Alia denique pacta possunt poni à contrahentibus pro suo arbitrio v.g. si vendatur servus sub conditione, quod certo tempore manumittatur. L. 45. *tit.* 5. *p.* 5. vel è contra, ne unquam manumittatur. L. 46. *tit.* 5. *p.* 5. & alia hujusmodi, quæ neque contra bonos mores sint, nec à Legibus reprobentur.

154 Venditor tenetur emptorem monere de vitio rei substantiali. V.g. si aurichalcum pro auro, vitrum pro gemma daretur. Aliàs contractus est nullus, quia deest consensus emptotis. L. 9. *ff. de Contrab. empt. l.* 21. *tit.* 5. *p.* 5. ipsique competit actio de dolo, & redhibitoria ad pretium rehabendum, de quo postea: imò, & vitium circa qualitatem ostendere debet, si qualitati alligavit emptor suum consensum. Si verò detur res æquè utilis, ac si haberet eam qualitatem, non est necessarium, emptorem monere. *Lug. de Just. & jur. D.* 26. *n.* 124. *Sanch. l.* 7. *de Matrim. D.* 18. *n.* 21. Si emptor expressè non alliget certæ qualitati suum consensum, non tenetur venditor vitium qualitatis manifestare, sed sufficit pretium minuere, etiamsi alius non fuisset empturus si vitium scivisset. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 353. *n.* 22. Tenetur tamen venditor omninò vitium manifestare ex justitia, quando vitium esset emptori damnosum, ut si equus esset ferox, vel esset inutilis res, v.g. medicamentum evanidum, vel si emat ad revendendum. Quando vero vitium circa qualitatem est manifestum, non tenetur venditor de eo monere. L. 43. *ff. de Contrab. empt. l.* 1. §. 6. *ff. de Ædilit. edit.* etiam in foro conscientiæ *D. Thom.* 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 353. *n.* 17. etiamsi emptor valde rudis esset. Quamvis contractus emptionis, & venditionis, posito mutuo consensu, & impletis conditionibus, si quæ appositæ fuerunt, si quoad substantialia perfectus ad consummationem tamen requirit *traditionem* rei ex parte venditoris, & pretij ex parte emptoris, vel saltem fidem datam de solvendo pretio, quo facto dominium utrimque transfertur, quia traditionibus, non nudis pactis, seu titulis rerum dominia transferuntur. L. 20. *C. de Pact.* Hinc si res duobus vendatur, & secundo sit tradita, licet illicitè, & injuriosè: dominium tamen adquiritur secundo. L. 50. *tit.* 5. *p.* 5. licet prima venditio sit jurata, quia adhuc venditor manet Dominus rei. L. 15. *C. de Rei vindic. Covarr.* 2. *Var. cap.* 19. *n.* 2. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 369. *n.* 7. quod si primo emptori sit hypothecata, cum habeat jus in re, non potest per traditionem secundo adquiri dominium irrevocabile L. 12. §. *fin. ff. Qui potior.* Vel si secundus scivit, alteri esse rem venditam: nam ob fraudem potest primus intra annum a die scientiæ repetere rem. *Arg. l.* 1. *ff. de His, quæ in fraud.* secus transacto anno. Nec tunc tenetur in foro externo secundus emptor eam reddere: probabilius tamen tenetur in foro conscientiæ. Si nulli est tradita, debet tradi primo emptori, cum secunda venditio illicita sit. *Arg. l.* 98. *ff. de Reg. jur. C.* 54. *eod. in* 6. *L.* 50. *tit.* 5. *p.* 5. Nisi secundus pretium enumeraverit, quod non fecit primus, vel fecisse non constat. *Covarr. lib.* 2. *Variar. cap.* 19. *n.* 6. Procurator Fisci, & ob ejus paritatem, Procurator Ecclesiæ, vel Minoris, etiamsi rem venditam tradant, non transferunt dominium, etiam habita fide de pretio solvendo, donec verè pretium solvatur. L. 5. §. 1. *ff. de Jur. Fisci.* Quando Ecclesiæ, vel alteri pio loco: Imo, & civitati venditur, legatur, vel donatur aliqua res, etiam sine traditione, ex privilegio adquiritur dominium. *L.* 23. *C. de Sacr. Eccles. Covar. lib.* 2. *Variar. cap.* 19. *n.* 2. & sic, licet posteà alteri vendatur, non adquiritur dominium secundo emptori. Quando res commodata v.g. venditur commodatario, non requiritur traditio vera, & realis: sed sufficit ficta brevis manus, ut ei dominium adquiratur. §. 44. *Inst. de Rer. divis.* Venditor rei, si emptor impletionem contractus urgeat, rem ipsam tra-

tradere tenetur; cum traditio non sit merum factum, sed contineat aliquid juris, scilicet, translationem dominij, vel conditionem usucapiendi: nec liberatur venditor, solvendo interesse, quia determinatè rem tradere debet: sicut emptor determinatè obligatur ad pretium solvendum, quia inter ipsos ita conventum est. §. 1. *Inst. h. t.* §. 2. *Inst. de Donat.* L. 11. §. 2. *ff. de Action. empt. sic Abb. in C.* 10. *de Fid. Instr. Castropal. tr.* 32. *D.* 5. *p.* 13. *n.* 2. contra *Covarr.* 2. *Variar. cap.* 19. *n.* 1. *Fachin. l.* 2. *Controv. cap.* 30. si verò res perit, vel evicta fuit, vel ex alia causa nequeat tradi in specie, ejus loco solvendum est interesse, & sic sunt interpretandi textus contrariæ partis in L. 1. *ff. de Action. empt.* L. 25. §. 1. *ff. de Contrah. empt.* & quidem traditio juxta rei qualitatem fit, vel transferendo rem de manu in manum, vel eam demonstrando, vel obsignando, vel tradendo scripturam, vel claves, vel per clausulam de Constituto, vel si emptor utatur jure tanquam proprio, sciente, & patiente venditore. Præterea res à venditore tradita debet esse vacua ab alia possessione, id est; non occupata ab alio. L. 8. *ff. de Action. empt.* Item libera à servitutibus, pensionibus extraordinarijs, & oneribus inconsuetis, sed de eis, si quæ habeat, debet venditor emptorem monere. L. 1. §. 1. *l.* 13. *l.* 21. §. 1. *ff. de Actionib. empt.* si nihil conventum est, debet fieri traditio in loco venditionis, & quidem statim, ac pretium solutum est, quod si pretium, vel pars pretij nondum est soluta, potest venditor jure pignoris retinere rem donec, pretium ipsi solvatur. L. 13. §. 8. *ff. de Action. empt.* Et cum ipsa re tradendi sunt fructus, & pertinentiæ rei, quales sunt servitutes, jurisdictio, castra, feuda, jus venandi, piscandi, & similia. Item claves, tabulæ, puteus, & alia hujusmodi. §. 3. *inst. h. t. l.* 13. *l.* 16. *C. de Action. empt.* Hæc enim omnia, ut accessoria suum principale sequuntur, nisi aliter expressè sit conventum.

155 Emptioni, & venditioni, tamquam bonæ fidei contractui utrimque obliganti naturalitèr inest evictio, etiamsi nihil de ea conventum sit. L. 6. *C. de Evict. Nibil enim aliut est Evictio, quam rei sua, quam aliut legitimo titulo adquisierat per judicem recuperatio.* Nam sicut emptor facit pretium venditoris, sic venditor rem tradendo emptori dominium, vel saltem conditionem usucapiendi cum possessione vacua transferre debet. L. 74. *ff. de Contrab. empt.* Hinc si res, vel pars ejus, v.g. jus alteri in ea quæsitum, ut ususfructus evincatur, venditor etiamsi ignorasset, rem alterius esse, vel alteri esse obligatam, de Evictione emptori tenetur: L. 1. *l.* 43. *l.* 49. *ff. de Evictio*. *l.* 32. *tit.* 5. *p.* 5. ibi: *Quita, è libre de todo embargo debe ser entregada la cosa vendida al comprador, de manera, que si otro alguno se la quisiere embargar, ò moverle pleyto sobre ella, que se la debe facer sana. Et Hispani dicitur: Sanear, y saneamiento.* Si res tota est evicta, totum pretium potest emptor repetere, si pars tantum, partem ei correspondentem L. 1. *l.* 53. *l.* 64. *ff. de Evict. l.* 36. *tit.* 5. *p.* 5. Nec pro parte tantum est resolvendus contractus, L. 72. *ff. eod.* nisi ita conventum sit, vel pars remanens inutilis, aut inseparabilis esset à reliquis, vel si emptor partem tantum non fuisset empturus: si venditor mala fide vendidit, tenetur omnia damna, quæ emerserunt, & lucra, quæ cessarunt emptori refundere, ne ipsi suus dolus patrocinetur. *L.* 13. *ff. de Action. empt.* si bona fide vendidit non ad totum interesse tenetur, nec ultra duplum (cui inest pretium tanquam simplum) debet emptori refundere, quamquam emptoris ultra duplum intersit. *L.* 44. *ff. de Action. empt.* sed jure Hispano solum ad duplum tenebitur venditor, quando ita conventum sit, & ita in praxi servatur. *L.* 32. *tit.* 5. *p.* 5. *& ibid. Greg. Lop. V. Doblo.* Ut venditor de evictione teneatur, requiritur, quod emptor ipsum laudet, hoc est, quod venditori ab ipso fiat denuntiatio in præsentia, vel si hoc non possit, ad ejus domum coram vicinis, & quidem ante testium publicationem, seu antequam tempus probationum sit elapsum. Et si in prima instantia non fuit facta denuntiatio, potest fieri in causa appellationis. *Covar. lib.* 3. *Variar. cap.* 17. *n.* 8. debetque emptor talem denuntiationem facere expressè, etiamsi aliunde venditor sciat litem, deberque venditorem requirere, ut liti assistat, & suggerat, quæ ad defensionem rei conducunt, tanquam qui rei à se venditæ conditionem, & jus melius scit; aliàs culpæ emptoris, qui tam salubre medium omisit, imputabitur. *C. fin. h. t. l.* 29. §. 2. *ff. de Evict. l.* 8. *C. eod. l.* 32. *tit.* 5. *p.* 5. Nec ut venditor de evictione teneatur, sufficit, litem esse motam, sed requiritur sententiam latam contra emptorem in rem judicatam transiisse, & possessionem

datam

datam esse adversatio. *L. 57. ff. de Evict. & ibid. Gothofr. l. 3. C. eod.* Si venditor mortuus sit, denuntiatio est facienda singulis ejus hæredibus, qui prorata tenentur. *L. 85. §. 5. ff. de V. O.* non est necesse, venditorem, de evictione teneatur, delite certiorare, si huic denuntiationi renuntiavit. *L. 63. ff. de Evict.* vel si per ipsum stat: quominùs ad eum denuntiatio perveniat. *L. 55. ff. eod.* vel si emptor nequit prorsus scire citra venditoris factum, ubi nam ipse sit. *L. 56. §. 6. ff. de Evict.* vel si emptor sit Minor, & aliundè venditor scivit. Et à paritate extenditur ad Ecclesiam. *Covar. l. 3. Var. cap. 17. n. 4. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 380. n. 13.* Venditor sic laudatus, & requisitus emptorem defendere, & liti assistere tenetur, vel in se eam suscipere, licet ad hoc, se non obligarit. *L. 74. §. 2. ff. de Evict.* & sequi debet forum emptoris, etiamsi venditor Clericus sit, & emptor Laicus. *Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 5. n. 20. Gom. Greg. Lop. & alij,* quod si venditor nolit litem in se suscipere, contra emptorem instituetur lis, & emptor potest contra venditorem de evictione agere, & ab illo, etiam petere instrumenta ad defensionem sui juris. *L. 33. tit. 5. p. 5.*

156 Venditor equidem non tenetur emptori de evictione, si emptor non denuntiavit venditori statim post litem motam, vel ante testium publicationem, vel conclusionem in causa, vel si contumacitèr abfuit emptor à judicio. *C. fin. h. t. l. 55. ff. de Evict.* quia magis propter absentiam victus videtur, quam quod malam causam habuit. *L. 36. tit. 5. p. 5.* vel si emit rem sciens, alienam esse, vel alteri obligatam. *L. 27. C. de Evict.* vel si potuit usucapere rem emptam, & non fecit. *L. 56. §. 3. ff. de Evictìon.* Vel si à sententia non appellavit, vel appellationem deseruit: nisi hoc fecisset, quia jus evincentis cognovit. *L. 63. §. 1. & fin. ff. de Evict.* vel si rem habuit pro derelicta. *L. fin. ff. eod.* In his enim casibus, nisi aliter sit conventum, emptoris culpæ imputatur evictio, ac proindè de ea non tenetur venditor. Nec itidem tenetur, si inter ipsos conventum est, ne venditor de evictione teneatur. *L. 11. §. fin. ff. de Action. empt.* vel si ob imperitiam, vel etiam injuriam Judicis res sit evicta. *C. fin. h. t. l. 51. ff. de Evict.* quia injuria quæ fit emptori, authorem, hoc est, venditorem non debet contingere. *L. 36. tit. 5. p. 5.* vel si emptor fuit condemnatus ab arbitro compromissario, vel Judice non suo, in quem consensit, quia nulla necessitate cogente id fecit. *L. 76. §. 1. ff. de Evict. l. 36. tit. 5. p. 5.* vel si cogatur à Principe, rem alteri vendere. *L. 11. ff. de Evict. l. 37. tit. 5. p. 5.* vel si res vendita ante evictionem perijt. *L. 26. C. eod.* quia periculum ad emptorem pertinet, vel quando creditor jure pignoris rem distraxit. *L. 11. §. 16. ff. de Act. empt.* quia ita vendens, tantum censetur suum jus præstare voluisse. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 380.*

157 Cum non liceat contrahentibus se mutuo circumvenire, emptor, qui venditorem læsit, etiam infra justi pretij dimidium, tenetur sub culpa gravi pretium supplere. Si ultra dimidium justi pretij læsio contingat, quia cum res v. g. valeret decem, tantum quatuor dedit emptor, etiamsi utrimque bona fide sit celebratus contractus, venditor læsus potest contra emptorem agere, vel ad rescissionem contractus: siquidem validus est, vel ad supplementum justi pretij. L. 2. *C. de Rescind. vend. C. 3. & 6. h. t. l. 56. tit. 5. p. 5.* Emptor enim, qui debitor est, eliget, vel contractum rescindere, vel pretium supplere. L. 2. *C. de Rescind. l. 56. tit. 5. p. 5. Arg. C. 70. de Reg. jur. in 6.* & licet jura tantum de venditore læso loquantur, tamen propter eandem rationem æqualitatis inter mercem, & pretium, ad emptorem læsum hoc remedium extendendum est, nam in correlativis de uno dispositum ad alterum extenditur. L. *fin. C. de Indict. vid. Pinel. in l. 2. C. de Resc. vend. p. 1. cap. 2. & 3. Gutier. lib. 2. Practic. quæst. q. 123. n. 2. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 349. n. 1.* & in nostro Jure Hispano expressè est hic casus comprehensus. *In l. 56. tit. 5. p. 5. l. 1. tit. 11. lib. 5. R. C.* Si enim emptor ultra dimidium justi pretij à venditore est læsus, potest agere, vel ad rescissionem contractus: siquidem validus est, vel ut ipsi excessus pretij reddatur pro venditoris arbitrio: ipsius enim, qui debitor est, electio est. L. 2. *C. de Resc. vend. l. 56. tit. 5. p. 5.* Emptor ultra dimidium justi pretij censetur læsus, quando pro re, quæ valet 10. dedit plusquam. 15. ut expressè habetur in L. 56. *tit. 5. p. 5. l. 1. tit. 11. lib. 5. R. C. Cov. 2. Var. cap. 3. n. 8. Gom. 2. Var. cap. 2. n. 22. Gutier. lib. 2. Pract. q. 133. Molin. tr. 2. D. 349. n. 2. Reinfestuel in Præsenti n. 336. Less. l. 2. cap. 21. n. 20. Laym. l. 3. tr. 4. cap. 17. n. 7.* Aliter tamen *Abb. in C. 3. h. t. n. 2. Pinel. in l. 2. C. de Resc. p. 1.*

p. 1. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 6. *Perez*, *& alij*. Justum pretium tempore contractus consideratur. *C.* 6. *h. t. l.* 8. *C. de Resc. vendit. l.* 56. *tit.* 5. *p.* 5. *l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *R. C.* Ut à venditore possit emptor conveniri, debet læsio esse ultra dimidium justi pretij infimi. Ut venditor ab emptore conveniatur, pretium summum consideratur. *Cov.* 2. *Var. cap.* 3. *n.* 3. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 349. *n.* 4. *&* 5. Et emptor, qui læsit in re, quæ 100. valet, si 40. dedir, debet 60. supplere, nec sufficit si 10. addat ad læsionem ultra dimidium excludendam. L. 2. *C. de Resc. vend. C.* 3. *c.* 6. *b. t. Gom.* 2. *Var. cap.* 2. *n.* 22. Hoc remedium habet locum, etiam quando venditio fit in publica subhastatione, etiam facta cum Judicis authoritate. L. 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *R. C.* & in venditionibus minorum cum authoritate Judicis factis.

158 Non succurritur læso. 1. si hic expressè huic remedio in sui favorem introducto, renuntiaverit. *Arg. C.* 6. *de Privil. l.* 29. *C. de Pact.* præcipuè juramento accedente. *C.* 28. *de Jur. jur. C.* 2. *de Pact. in* 6. ut expressè habetur *in L.* 56. *tit.* 5. *p.* 5. nisi læsio sit gravissima, quia nec specia.i, & jurata renuntiatione comprehenditur. *Cov. Var.* 2. *cap.* 4. *ex n.* 1. *Gutiér. de Jur. p.* 1. *cap.* 26. non sufficit renuntiatio generalis, ut huic remedio censeatur renuntiatum. 2. expressa condonatione ipsius læsi hoc remedium excluditur. *Arg L.* 21. *C. Mandat.* 3. si res casu perijt. *L.* 56. *tit.* 5. *p.* 5. quia tunc cessat optio rescindendi contractum, vel defectum supplendi. *Arg. L.* 12. §. 1. *ff. de Jur. dot. Gom.* 2. *Var. C.* 2. *n.* 22. *Mol. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 349. *n.* 6. 4. non potest hoc remedium intentari contra tertium possessorem, nisi ex titulo lucrativo possideat, vel sciens, quod infra dimidium justi pretij res empta fuit, tunc contra ipsum in defectum primi emptoris agi valet. *Covar.* 2. *Var. cap.* 3. *n.* 10. *Mol. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 349. *n.* 4. *&* 5. & de Jure Hispano cessat hoc remedium, quando in publica subhastatione aliqui compelluntur rem emere, ut ex pretio illius debita solvantur. *L.* 6. *tit.* 11. *lib.* 5. *R. C.* Si emptor lædens rescindere contractum elegit, si malæ fidei possessor fuit, tenetur fructus interim perceptos restituere, secus si erat bonæ fidei possessor. *Arg. C.* 11. *de Reb. Eccles. non alien.* quia cum contractus fuisset validus, verè Dominus rei erat. Item cum ad ipsum pertineret periculum rei, similitèr, & fructus. *L.* 10. *ff. de Reg. jur. C.* 55. *eod. in* 6. *ita Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 349. *n.* 12. *Gutier. lib.* 2. *Pract. q.* 134. *Less. de Just. & jur. l.* 2. *cap.* 21. *n.* 122. *Gomez* 2. *Var. cap.* 2. *n.* 24. *& cap.* 4. *n.* 21. *& alij* contra *Covar.* 2. *Var. cap.* 3. *n.* 9. *Greg. Lop. in l.* 56. *tit.* 5. *p.* 5. Hoc remedium licet pro venditione specialitèr fuisset inductum. *L.* 2. *C. de Resc. vend.* extenditur tamen, ob paritatem rationis, ad cæteros contractus onerosos, ut sunt permutatio, locatio, cambium, &c. *Gom.* 2. *Var. cap.* 2. *n.* 22. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 349. *n.* 14. transactione excepta. Nec in contractibus lucrativis, & non reciprocis habet locum, ut in donatione, commodato, deposito, mandato, & precario, nam aliundè sunt infirmandi. Quæ extensio ad alios contractus in Nostra Hispania constat *ex L.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *R. C.* ibi: *Y esto mismo debe ser guardado en las Rentas, y en los Cambios, y en los otros contratos semejables, y que aya lugar esta Ley en todos los contratos sobredichos, aunque se haga por almoneda, del dia, que fueren hechos fasta en quatro años, y no despues.* Si vero læsio sit infra dimidium justi pretij, & non intervenit in contractu dolus, nec fraus, si contrahentes sint majores 25. annis, nulla actio datur læso. *L.* 2. *tit.* 11. *lib.* 5. *R. C.* E contra datur actio, si dolus intervenit. *L.* 13. §. 4. *&* 6. *ff. de Act. empt.* vel si læsus est minor 25. annis, vel jure minoris gaudeat, nam tunc restituitur. *C.* 1. *de In integr. restit.* sed licet in foro externo non detur actio contra lædentem, ne facilè contractus rescindantur, & via litibus aperiatur magna cum perturbatione Reipublicæ: tamen in foro conscientiæ tenetur lædens restituere damnum, quod læso indefectu pretij causavit.

159 Ut igitur à contractu emptionis, & venditionis omnis dolus, & fraus removeatur duplex actio conceditur ab ædilitio edicto emptori adversus venditorem, qui rem vitiosam vendidit. 1. Est *redhibitoria*: *& est actio bonæ fidei, personalis, qua emptor, vel ejus hæres agit adversus venditorem, & ejus hæredes, ut omnia in integrum restituantur, ac proindè venditione rescissa, rem redhibeat, id est venditor rem recipiat, pretiumque reddat, & omne damnum, & interesse, etiam extrinsecum, emptori contingens, & si sit contumax condemnatur in auplum. L.* 45. *ff. de Ædilit. edict.* Dicuntur hæ actiones ædilitiæ, quia Leges pro illis primo sunt latæ Romæ ab ædilibus, qui conservatores sacrarum ædium erant, & etiam à curru, quo gestabantur, dicebantur Curules. Redhibitoria

toria ergo habet locum, quando vitium rei tale est, quod si illud emptor scivisset nullo modo, nequidem minori pretio rem emisset. *L. 64. tit. 5. p. 5.* Et habet sex menses utiles, & tempus redhibitioni ex die venditionis currit, aut si dictum, promissumvè quid est, ex quo dictum, aut promissum est. *L. 65. tit. 5. p. 5.* Et etiamsi res vitio careat, si venditor asseveravit cum promissione habere certas qualitates, redhibitoria tenetur. *L. 18. 19. §. 1. ff. de Ædil. edict.* secus si jactationis, vel commendationis gratia hoc dixit. *L. 19. §. 3. ff. eod.* si venditor rei vitium ignoravit, non datur contra eum redhibitoria, sed tantum æstimatoria. *L. 13. ff. de Act. empt.* 2. ergo actio, quæ contra venditorem datur, *est æstimatoria*, seu *quanto minoris estque actio personalis, & bonæ fidei, qua emptor, aut illius hæres agit adversus venditorem, & illius hæredes, ut salvo manente contractu, hic restituat de pretio accepto, quanto minoris rem alter emisset, si cognovisset rei vitium. L. 48. §. 5. l. 61. ff. de Ædilit. edict. l. 64. tit. 5. p. 5.* Et durat uno anno utili. *L. 19. §. fin. ff. de Ædilit. l. 65. tit. 5. p. 5.* Ut hæ actiones dentur, vitium debet esse non leve. *L. 1. §. 8. ff. de Ædilit. edict.* & antecedens venditionem. *L. 54. ff. eod.* nisi brevi appateat, tunc enim præsumitur antecessisse. *Arg. L. 22. ff. de Procur.* & latens quidem, nam si manifestum est, vel facilè deprehendi potuit non est locus redhibitoriæ. *L. 1. §. 6. de Ædilit. edict. l. 66. tit. 5. p. 5.* quod si res sit animata, vitium corporis, non animi, attenditur, nisi in corpus redundet, v. g. si servus sit furiosus, vel fugitivus. *L. 1. §. 10. l. 4. §. 4. ff. Ædilit. edict.*

160 Emptor tenetur alternativè venditorem monere de mercis perfectione, & defectu pretij, vel ad pretium augendum usque ad mercis valorem, ut sic inter mercem, & pretium justa servetur æqualitas. *D. Th. 2. 2. q. 77. art. 2. in corp. Navar. Man. cap. 23. n. 89. & com. DD.* nec potest secure, & licitè emptor offerre infra justum pretium infimum venditori, quando is ignorat verum rei valorem, etiamsi venditor ab emptore inductus, dicat, se ei condonare, si res amplius valeat, quia ob venditoris ignorantiam hæc donatio plus de necessario, quam de voluntario habet, & tenetur in conscientia ad restitutionem usque ad integrum valorem infimum rei, sic contra *Cajet. in Sum. V. Empt. n. 2.* tenent *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 353. n. 11. & alij*, si uterque ignoret pretium rei, cum uterque rem sorti, & fortunæ committat, valet emptio, nec posteà detecto errore datur onus restituendi. Qui scit in fundo alieno latere Thesaurum, vel fodinas salis, metallorum, vel lapidum pretiosorum, vel esse herbas ad medicinam valdè utiles, potest illum emere pretio communi, ac si talia in ipso non invenirentur, quia sequendo communem hominum æstimationem pretium justum dat. *D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. ad 2. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 5. n. 62. Lug. Molin. & alij*, & innuitur in parabola de inventore Thesauri. *Matth. 13. v. 44.* sanè emptor debet solvere pretium conventum, si justum sit, etiamsi sit summum, vel rigorosum, & quidem si convenit de solvendo in auro, nequit solvere in argento: pacta enim justa custodienda sunt. *C. 1. de Pact.* & in loco assignato. Vel si nullus assignatus est, ubi mets traditur, fiet solutio. Si dies est assignatus solutioni, cum dies interpellet pro homine in eo die fit solutio, quamvis venditor non urgeat. *C. fin. de Locat. & conduct. l. 12. C. de Contrah. & commit. stipulat.* si nullus dies præfixus est, & venditor solutionem petat, statim constituitur emptor in mora. *L. 41. §. 1. ff. de Verb. obligat. l. 21. ff. Quando dies legat.* si non petat censetur, in dilationem consentire, nisi non petat ex ignorantia, timore, impotentia, vel desperatione obtinendi solutionem. Si emptor fuerit in mora culpabili pretium solvendi, tenetur non tantum de dolo, & culpa lata, sed & de levi, sicut venditor si tempore debito mercem non tradat. *L. 3. l. 11. ff. de Peric. & com.* cum iste contractus utriusque gratiam respiciat; *arg. L. 5. §. 2. ff. Commod.* etsi post mercem traditam emptor non solvat pretium ad usuras tenetur. *L. 13. §. 20. ff. de Act. empt.* hoc est, ad lucrum cessans, damnum emergens, & periculum amittendi solutionem, nisi eis venditor renuntiaverit. *Covarr. L. 3. Var. C. 4. n. 3. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 368. n. 17.* Præterea emptor debet solvere in legitima, & proba moneta, nec enim in moneta adulterina, qua ab alio fortè ipse deceptus est, potest solvere: quippè ex hoc non adquisivit jus alium decipiendi: Imò si ignorans solvit, venditorem monebit, & legitimam monetam substituet, alias non datur æqualitas inter rem, & pretium. Si moneta æquet pretium justum mercis, etiamsi venditor credidisset, esse majoris valoris, quam est, non tenetur emptor eum monere, nec quando scit, brevi valorem monetæ esse minuendum. Et suffi-

cit,

cit, quod moneta sit usualis in loco contractus, licet alibi quo venditor velit monetam asportare, non sit usualis, quia ad æqualitatem contractus attenditur locus ubi celebratur.

161 In venditione aliquando conceditur retractus, præcipuè in favorem consanguineorum venditoris. *Retractus* ergo, seu jus *protimiseos est redemptio rei venditæ, eodem oblato pretio, facta ab aliquo, jure sibi concesso à Lege, vel consuetudine, vel pacto.* Hoc quidem jus, quod L.14. C. *de Contrah. empt.* abrogatum fuerat, ab omnibus fere Nationibus admissum est. Et quidem communitèr conceditur propter consanguinitatem, & dicitur *retractus Gentilitius* competitque consanguineis(non verò affinibus) propinquioribus venditoris, masculis, vel fœminis, Clericis, vel Laicis, legitimis tamen, non vero naturalibus, vel spurijs. Quod quidem jus conceditur ad retrahenda bona immobilia, & eorum jura præsertim Gentilitia : non verò extenditur ad mobilia, etiam pretiosa. C. 8. *de in Integr. restit.* Nec in hoc jure locus repræsentationi datur; *arg. L.* 3. §. 5. *ff. de Legit. Tutor.* Nec item transit ad hæredes: sed si proximior hoc jure uti nolit, transit ad immediatum consanguineum, & ei qui vult retrahere conceditur annus, & dies. *C.8. de in Integr. restit.* & currit a die scientiæ. In nostra Hispania debet retrahi res vendita intra novem dies à die venditionis, & currunt contra absentes, & ignorantes. *Azor in L.* 8. *tit.* 11. *lib.* 5. *R.C. n.* 5. & adversus eorum lapsum non datur restitutio minori, etiam impuberi. L. 8. *tit.* 11. *lib.* 5. *R.C.* quod si consanguineus propinquior nolit rem retrahere, potest sequens gradu eam retrahere; ex L. 12. *tit.* 11. *lib.* 5. *R.C.* in qua corrigitur. L. 7. *ejus d. tit.* retractus non habet locum nisi in rebus jure hæreditatis à venditore adquisitis. L. 15. *tit.* 11. *lib.* 5. *R. C.* si verò concurrat cum consanguineo ad rem retrahendam ille, qui habet dominium directum in re vendita, vel superficiarius, vel ille, qui habet partem in re hi omnes præferuntur consanguineo. L. 13. *tit.* 11. *lib* 5. *R. C. lib.* 16. *ff. de Rebus author. Judic. possid. l. fin. C. de Jur. Emphyteut. l.* 34. §. 2. *C. de Donation.* Etiam datur locus retractui, quando res subhastatur Judicis authoritate, *Hispanè: Que se vende en Almoneda.* L. 9. *tit.* 11. *lib.* 5. *R. C. latè Aceved. in dict. tit.*

162 Quia sæpè solet res vendita perire, vel etiam meliorari post venditionem celebratam, dicere oportet, cui cedat periculum, vel commodum rei venditæ, emptori an venditori? Et quidem tenendum est, quod non solum perit emptori res vendita, postquam ipsi jam est tradita, etiamsi pretium nondum solutum sit. L. 11. *l.* 14. *ff. de Peric. & com.* quia ejus Dominus est, & res Domino suo perit. L. 9. *C. de Pignor. act. Gom.* 2. *Var. c.* 2. *n.* 32. *Less. de Just. & jur. lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 95. Sed etiamsi nondum tradita sit dummodò res absolutè vendita sit certa, & determinata, casu & sine culpa venditoris pereat, nec in mora culpabili fuerit. §. 3. *Inst. h. t.* L. 8. *ff. de Pericul. & commod. l.* 1. *C. eod. l.* 23. *tit.* 5. *p.* 5. Nam semel, ac contractus perfectus est emptor habet actionem personalem, ac proindè tanquam Dominus habetur, ut res illi pereat. L. 15. *ff. de Reg. jur. l.* 143. *ff. de V. S.* Cum enim ad ipsum commodum fructuum, & accessionum pertineat, damnum, & detrimentum pertinere, dictat natura. L. 10. *ff. de Reg. jur. C.* 55. *eod. in* 6. Hinc ad venditorem periculum pertinet, si res sub conditione vendita, ea pendente pereat, quia non est perfectus contractus ante conditionis impletionem: imo interitu rei contractus dissolvitur. L. 8. *ff. de Peric. & commod.* deterioratio tamen pertinet ad emptorem conditione impleta. L. 16. *tit.* 5. *p.* 5. Etiam ad venditorem spectat periculum, si contractus in scriptis sit celebrandus, & ante scripturam res pereat; quia nondum perfectus censetur; *arg.* L.4. *C. de Periculo, & commod.* vel si vinum, vel equus ad probationem venditus ante ipsam pereat, quia adhuc non erat perfecta venditio. L. 1. & 4. *ff. de Peric. & com.* vel si res indeterminata vendatur: v. g. decem modij frumenti, decem oves, & similia. L. 35. §. 5. & 7. *ff. de Contrah. empt. l.* 1. *C. de Peric. & com.* vel si res alternativè, licet determinata, sit vendita: v. g. Stychus, vel Pamphilus, quia ante electionem nondum est profecta venditio. Si enim unus moriatur, perit venditori, & superstes determinatè debetur emptori. Si uterque moriatur, primus venditori, secundus emptori perit: nam jam ei hic determinatè debebatur. L. 34. §.6. *ff. de Contrab. empt. Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 366. *n.* 10. Similitèr periculum venditoris erit, si venditor fuit in mora culpabili rem tradendi, nisi eodem modo apud emptorem esset res peritura, vel ipse emptor, etiam post venditoris moram, in mora recipiendi fuit, nam tunc emptoris erit periculum,

L. 17. *ff. de Pericul. & comm. l.* 27. *tit.* 5. *p.* 5. Item venditoris erit periculum si hujus culpa, etiam levi res pereat secus si levissima perierit. L. 3. & 11. *ff. de Peric.* si confiteretur ante traditionem ob venditoris delictum, etiam est periculum venditoris. *L.* 33. *ff. Locat.* Idem est si emptor ex suasione venditoris credidit rem: v. g. vinum in eadem bonitate diutius duraturum, & ante traditionem deteriorerur. *L.* 15. *ff. de Peric.* Denique ad venditorem periculum pertinebit, quoties ita inter partes sit conventum; *arg.* L. 23. *ff. de Reg. jur. C.* 85. *eod. in* 6. Nam ex conventione partium contractus legem accipiunt sub his limitationibus debent interpretari textus qui in contrarium citantur.

163 Sicut ad emptorem pertinet periculum rei post perfectam emptionem, etiam ante traditionem, sic etiam, & lucrum, si aliquod rei accidit, ipsi cedit. §.3. *Instit. h. t. l.*23. *tit.* 5. *p.*5. Fructus rei venditæ, nondum traditæ, percepti ante perfectam venditionem, pertinent ad venditorem, sicut ad ipsum periculum tunc spectat fructus naturales pendentes post perfectam venditionem, ut pars fundi. *L.*44. *ff. de Re V.* ad emptorem pertineat. *Covar. Var.* 1. *cap.*15. *num.*2. *Gom.* 2. *Var. cap.*2. *num.*11. *Molin. de Just. & jur. tr.*2. *D.*368. *n.*13. Sicut ad ipsum pertinet periculum, cum enim emptori res debeatur statim, ac perfecta est venditio, habeatque actionem adversus venditorem, Dominus rei censetur, uti ipsi res fructificet. Etiam fructus post venditionem perfectam nati, etiam ante rei traditionem, pertinent ad emptorem, cum jura indiscriminatim loquantur. *L.*13. §.18. *ff. de Act. empt. l.*13. *C. eod.* Sic *Silvest. Less. de Just. & jur. L.*2. *cap.*21. *n.* 109. *& alij*, contra *Covar. Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 368. *n.* 8. *& alios.* Si res, v. g. ædes sunt locatæ post venditionem perfectam pensio integrè debetur emptori. Si ante venditionem erant locatæ, & post eam adhuc locatio duret, pars pensionis, quæ tempori ante venditionem, respondet, venditori, emptori verò ea, quæ correspondet tempori post venditionem; *arg. L.* 13. §. 13. *ff. de Act. empt.* Accessiones rei venditæ, quæ quasi ex natura sua ipsi cohærent, cum ipsa re venditæ censentur, nisi eximantur quia accessorium sequitur principale. *L.*19. §. 13. *de Auro, & arg. & ibid. Gothofr. L.*28. *l.*29. *tit.*5. *p.*5. v. g. instrumenta authentica ad rem venditam pertinentia, vel saltem copia, *ff. de Action. emptor.* vel jus patronatus, sed tamen ob illud nequit pretium rei augeri. *Garc. de Benef. p.*5. *cap.*9. *num.* 35. Hinc, si equus, quando venditur ornatus sit, ornamenta censentur vendita, secus si nudus ostendatur. *L.*38. *ff. de Ædilit. edict.* Qui vendit vaccam, vel equam, vendit etiam fœtum editum si adhuc lactetur, secus si non lactetur, quia jam per se censetur subsistere. *Gomez* 2. *Var. cap.* 2. *a n.*12. Illa vero, quæ per accidens rei venditæ accedunt, & separata utilitatem habent, non censentur vendita; sic si domus vendatur, non venduntur lecticæ, picturæ, candelabra, & similia, nec pisces inventi in lacu, vel fonte rei venditæ, nec gallinæ, & alia animalia, quæ erant in domo vendita. *L.* 17. *ff. de Action. empt. l.* 30. *l.*31. *tit.*5. *p.*5. Et sic de similibus discurrendum est. Sed in fructibus, & accessionibus pactis conventis standum est. *L.* 13. §.10. *de Action. empt.*

164 Emptio, & venditio, sicut consensu contrahitur, ita contrario consensu resolvitur, dum adhuc fuerit res integra. L.3. *ff. de Rescind. vendit.* vel quoad totum, vel quoad partem. L.4. *ff. de Rescind. vendit.* L.7. §. 6. *ff. de Pactis*, & sufficit consensus tacitus. L. 5. *ff. de Rescind. vendit.* L. *fin. ff. de Acceptil.* Et fructus interim percepti, ad emptorem, utpote verum Dominum pertinent, sed quando utrinque contractus completus est per mercis, & pretij traditionem, non potest dissolvi, nisi nova emptio, & venditio celebretur. L.2. *ff. de Rescind. vendit.* Quod si ab una parte est contractus completus mutuo consensu, dissolvitur, re in pristinum statum reducta per restitutionem pretij, vel mercis. L.58. *ff. de Pactis.* Posterior emptio conditionata, non tollit antecedentem absolutam, etiam eorundem contrahentium. L.7. *ff. de Rescind. vendit.* Nisi in secunda aliqua utilitas detur, vel circa pretium, vel mercem, vel circunstantias; v. gr. si minor cum authoritate Judicis, vel jam major factus celebret secundam venditionem conditionalem, quæ proindè valebit, & confirmabit primam ab ipso sine tali authoritate celebratam. L.7. §.1. *ff. de Rescind. vend.*

165 In nostra Hispania tenentur omnes venditores in cujuscumque rei mobilis, sivè immobilis venditione solvere, & quidem regulariter in loco venditionis, quandam gabellam, quæ *Hispanè* dicitur *Alcavala.* L.1. *tit.*17. *lib.* 9. *R. C.* Et consistit in decima parte pretij cujuscumque rei, quæ venditur, quæ quidem decima Regi solvitur. Hæc gabella fuit introduc-

ta

ta à Rege *Alfonso XII. Ann.* 1342. Ut ex ea pecunia possent fieri sumptus necessarij ad bellum contra Mauros, & tunc solum vigesima, vel trigesima pars pretij rei venditæ solvebatur. Dicitur enim *Alcavala*, vel à voce Arabica *Cavela*, quæ significat receptionem, vel id, quod recipitur *Covar. Thesaurlinem. Hispan.* V. *Alcavala.* Alij dicunt, quod Rex Alfonsus, cum primo hanc gabellam exegit instante bello Maurorum dixit in comitijs: *Daame gente, ò alquevala, Lassarte, & Castillo, & alij.* Et quidem à principio hæc gabella temporalis fuit, sed posteà sæpius urgente necessitate, fuit prorogata, & demque in perpetuum fuit stabilita, & etiam habet locum in permutationibus, & aliquando emptor tenetur dimidiam partem gabellæ solvere; sed regulariter eam solvit venditor, & quidem nullus eximitur ab ea solvendæ, etiamsi consuetudine immemoriali muniatur nisi habeat speciale privilegium. L.1. *tit.*18. *lib.* 9. *R. C.* Clerici ergo in sacris constituti, & Ecclesiæ, quando sua bona vendunt non tenentur solvere hanc gabellam. L.6. *tit.*18. *lib.* 9. *R. C.* Qui vero vendunt aliquid Ecclesijs, vel Clericis tenentur solvere gabellam tanquam si Laicis venderent. L. 8. *tit.* 18. *lib.*9. *R. C.* Imo, & Clerici, & Ecclesiæ solvunt gabellam, quando aliquid vendunt per viam mercaturæ, & negotiationis. L.7. *tit.*18. *lib.*9. *R.C.* Non tamen debetur gabella, quando venduntur libri, arma, panis, nec res in dotem datæ, vel quæ venduntur Ministris Cruciatæ, & alia. In pluribus Hispaniæ locis sunt à Regibus concessæ: *Nundinæ Hispanæ: Ferias, y mercados*, liberæ ab hac gabella. De quibus, & de alijs rebus, & personis privilegiatis agitur *in tot. tit.* 18. *lib* 9. *R. C. & latè ibid. Acevedo.* Hæc gabella, currente tempore, etiam ad aliquas Provincias Indiarum fuit extensa à *Philip.II. ex ann.* 1558. L.1. *tit.*13. *lib.*8. *R. Ind.* & solum solvuntur duo pro centum. L.13. *tit.*13. *l.*8. *R. Ind.* Attamen Indi sunt liberi ab hac gabella. L.24. *tit.*13. *l.*8. *R. Ind.* de quo late *in tot. tit.*13. *l.*8. *R. Ind. & Solorz. in Polit. Ind. l.*6. *cap.*8. si res pluries vendatur, pluries solvenda est hæc gabella. *Aceved. in l.* 7. *tit.*17. *l.*9. *R. C. n.*5. Et debetur in conscientia etiamsi non petatur à publicano, vel gabellario cum onere restitutionis. *Suar. Soto, Covar. & alij aqud Solorz. Polit. Ind. lib.* 6. *cap.* 8. *fol.* 972.

TIT. XVIII.

De Locato, & conducto.

166 **L**Ocatio, & conductio est contractus, quo persona, vel res aliqua mobilis, vel immobilis, corporalis, vel incorporalis, alteri utenda fruenda pro certo pretio conceditur, vel in perpetuum, vel ad tempus.* Et quidem, vel ad tempus modicum, ut triennium, vel minus decennio, vel ad longum tempus, ut in decennium, vel ultra. *L.* 1. *l.* 2. *tit.* 8. *p.* 5. Estque contractus Juris Gentium, bonæ fidei, & solo consensu initus. Qui rem utendam tradit, & accipit mercedem, dicitur *Locator*; qui rem accipit utendam, & mercedem solvit, dicitur *Conductor*; quod si previum rusticum conduxit, dicitur *Inquilinus*, si urbanum *Colonus*, si vectigalia, *Publicanus.* In locatione non transfertur dominium: & in hoc differt à mutuo, & emptione, & venditione. Quod si contra naturam contractus id agatur, ut res in genere restituatur. *L.* 31. *ff. h. t.* cum transferatur dominium, non locatio, sed mutuum, vel alius innominatus contractus erit; *arg.* L. 80. § *fin. ff. de Contrah. empt.* In hoc ergo contractu tantum ad usum conceditur res, & in hoc differt à deposito, in quo ad custodiam: & à pignore, in quo ad securitatem datur, debet intervenire merces: & in hoc differt à precario, & commodato, ubi res gratis conceditur. Et merces debet esse pecunia: & in hoc à contractibus innominatis differt. Merces in locatione debet esse vera, non simulata, certa saltem relatè ad causam, unde certificari possit. §.1. *Inst. h. t. L.*25. *ff. eodem*, nisi lege, vel consuetudine certa merces taxata sit. *Gom.* 2. *Var. cap.* 3. *n.* 4. Justa, & æquivalens rei locatæ: aliàs locatio irritabitur, & quidem in pecunia numerata. *L.* 25. §. 6. *ff. h. t. L.* 5. §. 2. *ff. de Præscript. verbis. L.* 1. *tit.* 8. *p.* 5. *ubi sic Rex N. Alphonsus. Aloguero es propriamente, quando un ome loga à otro obras, que ha de facer con su persona, ò con su bestia; ò otorgar un ome à otro poder de usar de su cosa, ò de servirse de ella por cierto precio, que le ha de pagar en dineros contados. Ca si otra cosa recibiesse, que non fuessen dineros contados, non seria loguero, mas seria contrato inominado. E arrendamiento, segun el lenguage de España, es arrendar heredamiento, ò almozarifadgo, ò alguna otra cosa por renta cierta, que den por ella: è aun* ha

bà otra manera, à que dicen en Latin afletamiento, que pertenece tan solamente à los logueros de los Navios. Locationi sunt affines. 1. *Socida, vi cujus oves, & alia pecora certo pretio æstimata ea lege locantur, ut mercedis loco quotannis conductor de singulis solvat certam quantitatem, lanæ, vel casei.* 2. *Admodiatio, qua redditus alicujus Provinciæ æstimati conceduntur percipiendi conductori certo pretio constituto.* 3. *Affictus, quo prædium rusticum locator locat, non pro pecunia, sed pro parte fructuum, & periculo conductoris.*

167. Omnes, quibus non prohibetur specialitèr, possunt hunc celebrare contractum. *L. 2. tit. 8. p. 5.* Et quidem primus conductor potest rem sibi locatam alteri conductori æquè idoneo, & ad eundem usum sublocare, etiam majori mercede. L. 7. *l. 48. ff. b. t.* Et tunc secundus conductor debet mercedem solvere illi, cum quo contraxit: quod si primo locatori, cui nondum est satisfactum ab eo, qui ipsi sublocavit, solvat secundus conductor, liberatur à prima, & à secunda obligatione. L. 11. §. 5. *ff. de Pignorat. act.* Et potest quis in perpetuum suas operas alteri locare, sicut potest quis in perpetuum se alterius jurisdictioni subjicere. Sic *Covarr. & alij com.* contra *Dynum, & alios.* Clerici, & Religiosi non possunt prædia Laicorum conducere pro quæstu: secus causa necessitatis domesticæ. *C. 1. Ne Cler. vel Monach. C. 1. 21. q. 3.* Nec item conducere possunt Curiales. *L. 3. C. b. t.* nec Milites. *L. 31. C. eod. l. 2. tit. 8. p. 5.* Tutores, & Curatores nequeunt prædia fiscalia conducere, dum tutelam, & curatelam habent, aut rationes, non reddiderunt: ne pupillus, vel fiscus damnum sentiant. *L. 49. ff. b. t.* Nobiles non possunt locare, vel delegare alijs operas suorum subditorum, quibus ipsi non indigent, siquidem operæ obsequiales, seu officiales sunt, quæ delegari nequeunt. Item Fabri, alijque artifices strepera artem exercentes, non possunt domum conducere Magistrorum habitationi vicinam; *arg. L. un. C. de Stud. Liber. Urb. Rom.* Hodie tamen hoc privilegium non est in usu, nisi Magistri reclament. Deinde: quæcumque res, quæ in hominum commercio est, etiamsi locatoris non sit, locari potest, nisi aliundè prohibeatur; *arg. L. 34. §. 1. ff. de Contrab. empt. L. 7. ff. b. t. l. 3. tit. 8. p. 5.* Ac per consequens operæ mercenariæ, & honestæ locari possunt, sive in proprio facto consistant, ut iter facere in Hispaniam, sive aliquod opus externum producant, ut domum ædificare, vel navim conficere, & alia hujusmodi.

168. Non tamen possunt locari res fungibiles, nisi ad pompam; *arg. L. 3. §. fin. ff. Commod.* nec jus condendæ monetæ, nec res propriæ conductoris, cum jure proprio eis uti possit. *L. 20. C. b. t.* nisi alius habeat pignus, vel aliud jus in ipsis. *L. 35. §. 1. l. 37. ff. de Pignor. action.* nec servitutes prædiales, nisi simul cum fundo. *L. 44. ff. b. t.* Ususfructus tamen, & aliæ servitutes personales separatim possunt locari. *§. 5. Inst. de Usu, & habitat.* sed mortuo usufructuario, expirat locatio, quippè ususfructus est jus personale. *§. 3. Inst. de Usufruct. L. 3. tit. 8. p. 5.* Quod si locator mercedem integram ususfructus perceperat à conductore, hoc mortuo, tenetur restituere partem pretij hæredi conductoris, vel illi permittere habere fructus illius anni. *L. 3. tit. 8. p. 5.* Quæ Lex singularis est, teste *Greg. Lop. ibid.* operæ liberales, quæ magis in ingenio, quam in labore corporis consistunt, ut postulare, seu advocare, docere, mederi, &c. propriè non locantur, quia æstimationem non recipiunt: & quod pro illis datur, non ut merces solvitur, sed ut salarium, quod honorarium dicitur. *L. 38. §. 1. ff. b. t.* Ac proindè petitur, non actione conducti, sed condictione certi, si certum quid promissum est, vel officio Judicis. Operæ inhonestæ nequeunt locari, cum nemo ad peccatum, vel ad delinquendum possit obligari: ac proindè promissio facta pro adulterio, vel homicidio faciendo antequam fiat, nec obligat promittentem ad factum turpe, nec promissarium ad pecuniam dandam, opere tamen patrato, v. g. adulterio, adhuc promissor pecuniæ ad nihil tenetur in foro externo. *L. 26. l. 27. l. 123. ff. de Verb. obligat.* In foro tamen conscientiæ probabiliter tenetur adimplere promissum, & promissarius potest sui operis mercedem, tanquam stipendum sui laboris, vel periculi, vel utilitatis, vel voluptatis secutæ promittenti, accipere, quia talis adimpletio pacti antecedentis, nec obligat ad opus malum, nec illud approbat. *Less. de Just. lib. 2. cap. 18. ex n. 17. Dian. in Sum. V. Meretrix, n. 2. Alloz. in Sum. V. Meretrix.* Licet alij contrarium sentiant, certè tamen non tenetur meretrix restituere acceptum pro actu turpi.

169 Res Ecclesiasticæ immobiles, & mobiles pretiosæ (secus res modicæ, quæ & alienari possunt) nequeunt ad tempus longum sine debitis solemnitatibus locari; possunt tamen sine eis ad tempus breve

locari. Tempus breve de jure antiquo erat quodcumque tempus minus decennios *arg. C. fin. Ne Prælat. vices suas.* Hodie verò, ubi servatur *Extrav. Ambitiosæ, de Rebus Ecclef. non alien. inter com.* non possunt sine solemnitate locari ultra triennium. Ubi non viget, possunt ad novennium locari, sicut antiquitus, quod quidem tempus utiliter, & non solum ex temporis decursu, sed ex fructuum perceptione computatur. *Covarr. 2. Var. cap. 16. n. 5.* Res Ecclesiasticæ non possunt locari ad tria triennia, ubi viget *Extrav. Ambitiosæ, de Rebus Ecclef. non alien. inter com.* vel ad tria novennia, ubi non viget, pacto adjecto, ut finito primo triennio, vel novennio, nova locatio ad aliud facta censeatur: hoc enim pactum, ut in fraudem Legis adjectum, ut quod una via prohibetur, alia obtineatur: contra *C. 84. de Reg. jur. in 6.* invalidum est: ut contra *Bald.* tenent *Covar. 2. Var. cap. 16. n. 4. Molin. de Just. tr. 2. D. 466. n. 11. Barb. de Offic. Episc. alleg. 95. n. 17. & alij.* Imo & quoad primum triennium, vel novennium invalida est locatio. *Cl. 1. de Reb. Eccles. non alien.* saltem, si individua fit pro triplici triennio, vel novennio: secus si dividua sit, ita ut primo triennio, vel novennio elapso, nova locatio incipiat; nam tunc pro primo triennio, vel novennio valere tenent *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 95. n. 11. & alij,* qui sic concordare intentant. *Navar. de Alien. rer. Eccles. n. 21. Covar. 2. Var. cap. 15. n. 5. Azor p. 2. l. 7. cap. 10. q. 4.* qui locationem in totum vitiari asserunt. Et ex alia parte. *Molin. de Just. tr. 2. D. 467. n. 3. cum alijs,* qui absolutè pro primo triennio, vel novennio valere tenent, ne utile per inutile vitietur. Contra *C. 37. de Reg. jur. in 6.* fructus, & redditus ad Ecclesiam pertinentes infra triennium liberè locantur, secus ultra triennium: nam in *Extrav. Ambitiosæ* prohibetur locatio omnium rerum, & bonorum; ac proindè, etiam fructuum Ecclesiarum: quia cum excipiat fructus, & bona; quæ servando servari nequeunt, comprehendit hujusmodi redditus, qui tales non sunt, ut servando servari nequeant; utpotè quod post triennium provenientes adhuc non extent. *Gutier. l. 1. Can. qq. cap. 8. n. 14. Barb. de Offic. Episc. alleg. 95. n. 20. & alij,* qui idem tenent de fructibus beneficiorum ad mensam Rectoris, & eius sustentationem pertinentibus. Sed *Covar. 2. Var. cap. 16. n. 6. V. Sextò. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 466. n. 7. Zerol. Prax. Episcop. p. 1. V. Alienatio, & alij* docent, hos fructus liberè ultra triennium posse locari, cum ex eo nullum detrimentum Ecclesiis, vel Monasterijs sequatur, nec Divinus cultus minuatur. Et ne Beneficiarius, vel successor necessaria sustentatione careat. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 11.* irritat locationes, quæ anticipatis solutionibus fiunt.

170 In hoc contractu successor universalis, seu hæres, etiamsi fiscus sit, tenetur stare locationi antecessoris, quia ejus personam repræsentat. *L. 10. C. h. t.* Nisi in contractu sit appositum, quoad voluerit is, qui locavit: nam tunc sicut voluntas, ita, & locatio morte extinguitur. *L. 4. ff. h. t.* successor particularis; v. g. emptor, vel legatarius, nisi pactum, vel consensus, saltem tacitus in contrarium detur, non tenetur locationi sui antecessoris stare. *L. 9. C. h. t.* Quia actio ex hoc contractu personalis est; quæ non transit ad particularem successorem: ac proinde potest rem locatam, etiam ante tempus præfixum in locatione repetere à conductore sed venditor, seu Dominus conductori præstabit, quantum ipsius interest, quod non possit re conducta uti. *L. 15. §. 7. l. 33. ff. h. t.* successor in Ecclesia debet stare locationi legitimæ rerum Ecclesiæ à suo antecessore, ut administratore legitimo celebratæ; *arg. L. 8. ff. de Administr. Tutor. & ibid. Gothofr.* Non tamen tenetur stare locationi rerum ad mensam Prælati spectantium; etsi facta sit ad breve tempus: quia cum nomine, & de jure proprio facta sit; morte extincto hoc nomine, & jure, etiam locatio extinguitur; *arg. C. fin. Ne Prælat. ibid. Gloss. Covar. 2. Var. cap. 15. n. 6. V. Secundum,* nisi res jam non sit integra; v. g. quia pendeant fructus, vel incoatus sit annus. *Vallens. hic; §. 1. n. 6.* Judices Curiæ, vel Officiales Regis, & Magistri docentes scientiam liberalem habentes annuatim salarium certum à Rege, vel Civitate si moriantur postquam exercere officium cœperunt, suis hæredibus debetur totius anni salarium. Advocatus vero, vel Officiales mechanicus solum percipient salarium secundum laboris æstimationem: quod si hæredes salarium integrum velint percipere, debent operam locatam perficere per alios Officiales idoneos. *L. 9. tit. 8. p. 5. & ibid. Greg. Lop.* in Indijs stipendia Senatoribus, & alijs Officialibus Regijs, non semel pro toto anno, sed singulis quadrimestribus solvuntur, & quidem præcisè officia servientibus, vel infirmitate, aut alia justa causa detentis secus alijs, quod si moriantur soluti debe-

betur, & solvitur stipendium temporis, quo servierunt, & solum debetur ex tempore quo in Indias navigare incipiunt, L. 1. 4. *l.* 10. *tit.* 26. *l.* 8. *R. Ind.*

171 In hoc contractu locator tenetur 1. conductori relinquere, & præstare liberum rei locatæ usum; quod si ex culpa non præstitit usum liberum, interesse debet præstare. Si absque culpa non potuit præstare usum liberum, debet ex mercede remittere secundum debitam proportionem. L. 15. §. 8. *l.* 19. §. 1. *l.* 30. *ff. b. t.* 2. Debet conductorem servare indemnem, si ex dolo, culpa lata, vel etiam levi damnum ipsi causavit; v. g. si locavit vasa vitiosa, in quibus vinum corruptum, vel effusum est. L. 19. §. 1. *ff. b. t.* Item expensas utiles, & necessarias, etiam extraordinarias à conductore in re conducta factas refundere tenetur. L. 55. §. 1. *l.* 61. *ff. b. t. l.* 24. *tit.* 8. *p.* 5. Non tamen voluptarias, nisi Dominus ex eis locupletior sit factus, quia rem pluris vendidit, vel locavit; permittitur tamen conductori, eas deducere, si nulla deterioratio rei locatæ sequatur, & ipse aliquod ex hoc consequatur commodum. L. 38. §. *Constituimus*, *ff. de Rei vindicat.* Hinc qui locavit vasa, vel dolia vitiosa, vel fracta in quibus vinum, vel oleum corruptum, vel effusum est, tenetur conductori ignoranti vitium ad interesse. L. 19. §. 1. *ff. b. t.* Etiamsi ipse locator vitium ignorasset: qui tamen pascua locavit, non tenetur ad interesse, etiamsi pecora ob herbam venenosam pereant, nisi scisset, ibi talem herbam inveniri, non tamen lucrabitur mercedem locationis. L. 14. *tit.* 8. *p.* 5. Qui locavit navim ad merces alio asportandas, si ob ejus imperitiam navis pereat tenetur ad interesse. Similiter tenetur, si merces in aliam navim sine consensu mercatoris transtulit. L. 13. §. 2. *ff. b. t. l.* 13. *tit.* 8. *p.* 5. Si locator sua culpa non præstitit operam locatam, tenetur conductori in quantum interest, opus non esse factum. L. 33. *ff. b. t.* Hinc famulus ante tempus conventum fugiens tenetur damnum Domino resarcire; *arg.* L. 1. *C. de Servis fugit.* Et salarium, etiam pro tempore præterito acceptum amittit, & solutum repeti potest. L. 55. §. *fin. ff. b. t.* Medici, Chirurgi, Artifices, & alij quicumque Officiales, qui suas operas ad aliquid faciendum locant, si sua culpa, vel imperitia res deterioretur, vel destruatur, tenentur ad interesse; non verò si casu fortuito res deterioretur, vel destruatur; quod si Officialis, vel Artifex legitimè probet, se habere peritiam sufficientem ad illud opus faciendum, licet non habeat peritiam singularem, ad nihil tenetur. L. 10. *tit.* 8. *p.* 5. Pastores salarium accipientes tenentur diligenter gregem custodire, & bona pascua, & aquas quærere, & alias ad interest. sua culpa causatum tenentur. L. 15. *tit.* 8. *p.* 5.

172 3. Licet elapso locationis tempore liberum sit locatori, rem locatam repetere à conductore: tamen ante tempus conventum, nequit locator, rem locatam revocare, aut conductorem ex domo expellere, etsi majorem mercedem alius offerat. C. 1. *b. t.* L. 3. *l.* 21. *C. eod. l.* 6. *tit.* 8. *p.* 5. Nisi aliter conventum sit, nam tunc expellere potest. C. 85. *de Reg. jur. in* 6. L. 23. *ff. eod.* vel si rem locatam notabilitèr deterioret conductor, vel si recipiat meretrices, fures, &c. Vel aliter re male utatur. *L.* 6. *tit.* 8. *p.* 5. Et tunc locator præter damni compensationem, petere potest totam pensionem, licet nondum sit tempus locationis finitum, saltem si statim alteri rem non locet. Si locator sibi, vel suis domo indigeat, vel refectionis necessitas urgeat, potest etiam repetere rem locatam. Sed debet remittere pensionem conductori prorata temporis. *C.* 3. *b. t. L.* 3. *C. eod. l.* 6. *tit.* 8. *p.* 5. Vel si per biennium non solvat conductor pensionem, etiam potest expelli. *C.* 3. *b. t. L.* 54. §. 1. *ff. b. t.* In nostra Hispania potest locator conductorem expellere à domo, si in termino assignato in conventione, vel ad summum ad finem anni conductor non solvat, & locator potest retinere jure pignoris res in domo inventas. L. 5. *C. b. t. l.* 3. *tit.* 8. *p.* 5. Si tamen nullum pactum intervenerit, solum post biennium potest expelli conductor. *L.* 6. *tit.* 8. *p.* 5. *& ibid. Greg. Lop.* Juri tamen, & publicæ quieti erit conformius, si in his casibus locator non propria, sed Judicis authoritate conductorem expellat; *arg.* L. 10. *ff. de Jurisdict. arg. l.* 5. *tit.* 8. *p.* 5. Ante tempus locationis finitum non potest locator rem alteri locare, ita ut locatio 2. incipiat ante finitam primam: potest tamen, ita ut primæ locationis tempore lapso, secunda incipiat. Casus verò text. in *C.* 1. *b. t.* est specialis tantum Universitatem Bononiensem, vel Professores, & Magistros ejus, non alios comprehendens. Finito tamen locationis tempore potest locator rem cuicumque voluerit locare, etiamsi primus conductor offerat eandem, vel majorem pensionem ac alius, nisi pacto, vel consuetudine loci induc-

rum

tum sit, ut conductor primus idem offerens pretium alijs præferatur. L. 32. *C. h. t.* Si finito tempore locator rem non repetat tacitè renovata locatio censetur ad idem tempus antecedentis locationis, vel juxta consuetudinem loci, ex L. 13. §. *fin. l.* 14. *ff. h. t. l.* 20. *tit.* 8. *p.* 5. si duobus simul eadem res locata sit, præfertur ille, cui est tradita; *arg.* L. 15. *C. de Rei vindicat.* si nulli tradita est, præfertur ille, cui primum fuit promissa. L. 26. *ff. h. t.*

173 Conductor tempore locationis elapso restituere debet rem in specie. L. 18. *tit.* 8. *p.* 6. & resarcire damna ejus dolo, culpa lata, & levi provenientia: secus si ex culpa levissima obtigerunt, nisi locatione facta principalitèr in conductoris utilitatem. Et sic intelligendus est. §. 5. *Inst. h. t.* Nam cum in utriusque gratiam fiat hic contractus, culpa levis solum regularitèr præstatur. L. 28. *C. h. t. l.* 8. *l.* 18. *tit.* 8. *p.* 5. & *ibid. Greg. Lop. Gloss. fin.* casu fortuito non tenetur conductor. L. 28. *C. h. t. l.* 8. *tit.* 8. *p.* 5. Nisi ad hoc se obligaverit, vel si sua mora, vel culpa illi causam dedit. L. 11. §. 1. *ff. h. t. l.* 12. *ff. eod. l.* 8. *tit.* 8. *p.* 5. Nam Paterfamilias præstare tenetur culpam, etiam latam suorum famulorum, si extra suum officium delinquant. L. 11. *ff. de Pericul. & comm.* In dubio casu fortuiti locator, qui est actor, probare tenetur culpa conductoris accidisse. L. 2. *ff. de Probat. l.* 4. *C. de Edend.* conductor etiam tenetur mercedem integram solvere in loco, & tempore conventis, vel ex consuetudine solitis: ac proindè, vel per partes erit merces solvenda, vel tota integra, postquam elapsum est tempus locationis, vel pacti. L. 30. §. 3. *ff. h. t. l.* 72. §. 1. *ff. de V. O. l.* 4. *tit.* 8. *p.* 5. ibi: *E si en algun Logar non oviesse costumbre usada, ò non oviessen puesto ellos los plazos entre si à que pagaren, estonce deben pagar al fin del año.* Quod si conductor moram faciat in solvendo usuras, hoc est, interesse compensare tenetur. L. 55. §. *fin. ff. h. t.* Si per conductorem operarum stet, quominùs locator operam non exhibeat, tenetur conductor mercedem integram solvere, si ille interim alij suam operam non locavit. L. 19. §. 9. *l.* 38. *ff. h. t.* Si nullius culpa impedimentum accidat, solum tenetur conductor locatori solvere prorata operæ præstitæ. L. 15. §. 2. & 6. *ff. h. t.* Hinc locanti suam operam ad domum ædificandam, vel tabulam pingendam, nihil solvendum est, si nihil fecit, vel dimidium pretij, si dimidium operis præstitit. Operarius, qui pro labore diurno suam operam locat nihil accipit die, quo non laborat. Advocatis, Medicis, & famulis pro integro anno suam operam locantibus, non debetur merces pro tempore ægritudinis: secus Principum officialibus. Si verò modico tempore famuli ægrotent, æquitas, consuetudine sic approbante, suadet, ut nihil de mercede detrahatur. L. 4. §. 5. *ff. de Stat. liber.* expensæ factæ pro famulo infirmo debentur Domino eas facienti si magnæ quidem sint, secus si modicæ: tunc enim non potest Dominus eas repetere. *Aceved. in l.* 9. *tit.* 15. *lib.* 4. *R. C. ex n.* 17.

174 Si conductor, vel sua voluntate, vel sua culpa re conducta, non est usus, quia ea non indiget, vel quia ob negotia alio avocatur, tenetur summo jure solvere integram pensionem. L. 19. §. 9. *ff. h. t.* quod si locator alteri locavit, æquitas suadet, ut tantumdem de pretio prioris conductoris detrahatur. *Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 24. *ex n.* 8. Si impedimentum aliundè proveniat, vel ex culpa locatoris, vel casu fortuito, quia, v. g. domus minatur ruinam, vel nocturnis spectris infestatur, vel quia ibi grassatur pestis: tunc non tenetur conductor solvere mercedem pro tempore, quo re conducta non est usus. L. 13. §. 7. *l.* 15. §. 2. *l.* 27. §. 1. *ff. h. t. Covar. Less. & alij.* Nec enim creditur, conductorem ad mercedem se obligare voluisse pro casu, quo re non uteretur, vel casu fortuito, vel locatoris culpa, præcipuè, cum in hoc contractu, utpotè bonæ fidei omnia ex bono, & æquo debeant judicari. Conductor etiam locatore invito potest ex justa, & legitima causa, ante tempus locationis elapsum, à locatione recedere, & consequentèr non tenetur mercedem solvere. Quod si recedat sine justa causa integram mercedem solvere tenetur. Modicum damnum ob sterilitatem, vel alium casum fortuitum sine culpa proveniens in rei conductæ fructibus, æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum luctum non aufertur. L. 25. §. 6. *ff. h. t.* Si verò ob sterilitatem, vermes, incursum hostium inundationem aquarum, vel similem causam, nihil percepit conductor ex re conducta, cum pensio, & merces, in compensationem fructuum, & redituum solvatur, totam pensionem locator remittere tenetur, etiamsi conductor deducere possit expensas, quas fecit in cultura fundi: Etiam remittere tenetur locator prorata damni, si notabile dam-

num

...num passus est conductor. *L.* 15. §. 3. *ff.* *h. t. l.* 8. *C. eod. C.* 3. *eod. l.* 22. *tit.* 8. *p.* 5. *Et ibid. Greg. Lop. Barb. & Gonz. in C.* 3. *h. t.* Quænam sterilitas, magna, vel modica censenda sit, Judicis arbitrio relinquitur. Si enim deductis expensis in cultura fundi factis, adeò exigui fructus superlint, ut dimidiam pensionis partem non æquent, læsio magna censetur. *Gonz. in C.* 3. *h. t. n.* 6. *Barbos. ibid. n.* 3. ubi plures citat. Non tamen tenetur locator remittere. 1. Si de remissione non petenda expressè pactus est conductor. *L.* 9. §. 2. *ff. h. t.* Nisi casus valdè insolitus, & rarissimus sit, qui propterea nullatenùs censeatur comprehensus. *Arg. L.* 78. §. *fin. ff. de Contrah. empt.* 2. Si sterilitas, vel calamitas in eo loco frequens sit. 3. Si fructus pereant, postquam in domum collecti sunt: tunc enim colono, qui illorum dominus est, pereunt. *L.* 9. *C. de Pignor. act.* secus si pereant antequam in domum inferantur. 4. Si culpa conductoris, aut ejus servorum accidit: nam damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alijs imputare. *C.* 86. *de Reg. jur. in* 6. 5. Si Colonus non determinatam pensionem, sed tertiam, vel quartam partem fructuum pendere debeat. Quia partiarius Colonus, quasi societatis jure, & damnum, & lucrum cum Domino fundi partitur. *L.* 25. §. 6. *ff. h. t.* 6. Si anni præsentis sterilitas cum fertilitate, & ubertate annorum præcedentium, vel sequentium compensetur. *C.* 3. *h. t. l.* 22. & 23. *tit.* 8. *p.* 5. *Et ibid. Greg. Lop.* Quando verò deductis expensis, fructus, vel redditus aliquo anno percepti sufficiunt ad solvendam mercedem duorum annorum, ubertas sufficiens, & fertilitas censetur, ut conductor teneatur compensare sterilitatem anni præcedentis. *L.* 23. *tit.* 8. *p.* 5. Similitèr, si aliquo, vel aliquibus annis fit extraordinaria ubertas ex casu merè fortuito, proveniens potest locator conductori augere pensionem, ut æqualitas inter damnum, & lucrum fortuitum servetur. *Ex l.* 10. *ff. de Regul. juris.* Secus est, si ex fundi bonitate, & præcipuè, si ex conductoris industria proveniat ubertas, siquidem nulli sua industria debet esse damnosa. *L.* 23. *tit.* 8. *p.* 5. Mortuo locatore non finitur locatio, sed ejus hæres, eam adimplere tenetur. Similitèr mortuo conductore, illius hæres in conductionem succedet: quia hæredes personas defunctorum repræsentant. §. *fin. Inst. h. t. l.* 2. *tit.* 8. *p.* 5. Locatio quidem, & conductio mutuo consensu dissolvitur, sicut mutuo consensu contrahitur. Etiam dissolvitur tempore locationis elapso, vel si conductor re abutatur, vel si locator re indigeat. Vel si rem alteri vendidit, vel donavit, & emptor, vel donatarius velit re sua uti. *L.* 19. *tit.* 8. *p.* 5. Conductio Regiorum redituum debet fieri in publica subhastatione voce præconis præcedente, & die, & hora præscriptis fit addictio coram Regijs Ministris ad id deputatis addicitur que Regiorum redituum administratio meliori licitatori: hic regularitèr est, qui majorem summam promittit. *L.* 2. *tit.* 11. *lib.* 9. *R. C.* nisi alius sit magis idoneus, dummodo non sit ex prohibitis in *tit.* 10. *lib.* 9. *R. C.* debetque dare fidejussores, & fidejussorum approbatores. *L.* 7. & *seqq. tit.* 11. *lib.* 9. *R. C.* quod si non faciat alij licitatori addicitur administratio, siquidem non deobligatur ex eo quod alter plus promisisset, & promissio sit acceptata. *L.* 11. *tit.* 11. *lib.* 9. *R. C.* Addicta jam administratione non admittitur ulla adjectio, seu licitatio, nisi decimæ partis, vel dimidij decimæ. *L.* 2. & *seqq. tit.* 13. *lib.* 9. *R. C.* & hæc intra quindecim dies fieri debet. Et posteà intra tres menses admittitur adjectio quartæ partis, nec ulla deinceps admittitur. L. 2. & *seqq. tit.* 13. *lib.* 9. *R. C.* nec conductor, quin nec Rex potest petere rescisionem contractus, licet ultra dimidium justi pretij læsi dicantur. L. 14. *l.* 15. *tit.* 9. *lib.* 9. *R. C.* & conductor patitur casum fortuitum quantumvis insolitum. L. 2. *tit.* 9. *lib.* 9. *R. C.* & in Indijs non debet addici administratio conductori antecedenti, si tantumdem promittat, nisi quando adjectio quartæ partis, vel alia facta sit. L. 31. *tit.* 8. *lib.* 8. *R. Ind.* licet aliud sit de Jure Communi. Conductor antecedens potest cogi in conductione perseverare si novus non appareat conductor. *Hevia lib.* 1. *Comerc. Terrest. cap.* 15. *n.* 42. & 43. *latè Aceved.*

175 Locationi est valdè affinis *emphyteusis.* L. 28. *tit.* 8. *p.* 5. ideò nunc de ea aliquid dicere oportet. Emphiteusis, juxta Nebrissensem, plantationem significat, seu insitionem, *estque contractus, quo res soli, seu immobilis alicui utenda fruenda conceditur in perpetuum, vel ad tempus, scilicet ad vitam concedentis, vel ad duas, vel plures generationes eum dominij utilis translatione, directo dominio, seu proprietate retenta à Domino directo sub onere certæ pensionis realis Domino proprietatis solvendæ. Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 445. *Less. de just. & jur. l.* 2. *cap.* 24. *n.* 3. Est contractus utrim-

utrimque obligatorius nominatus, cum nomen speciale habeat, actionem propriam producat, & ab alijs sit distinctus. §. 3. *Instit. h. t. l.* 1. *C. de Jur. emphyteut.* Et bonæ fidei, cum actio emphyteusis comprehendatur sub actione locati, quæ est bonæ fidei. §. 28. *Inst. de Action.* Et Jure Gentium non inductus, sed admissus. Qui dat rem in emphyteusim Dominus directus, vel Dominus proprietatis dicitur, qui rem accipit emphyteuta nuncupatur. In emphyteusi non transfertur dominium directum. Et in hoc differt à venditione, mutuo, & à censu reservativo, in quo dominium plenum in censualistam transfertur; sed tantum dominium utile transfertur. Et in hoc etiam differt ab usufructu commodato, precario, deposito, & locatione: in quibus non dominium utile, sed tantum servitus, usus, vel custodia transfertur. Sanè in emphyteusim solum dantur res immobiles. L. 28. *tit.* 8. *p.* 5. Et quidem antiquitùs solum steriles, ut in culturam redigerentur. Hodie tamen, etiam fertiles, tàm rusticæ, quàm urbanæ. L. 15. §. 26. *ff. de Damn. infect. Et ibid. Gothofr.* Et in hoc differt à locatione, nam etiam res mobiles locantur. Et sanè licet antiquitus semper in perpetuum, nunc ad tempus conceditur emphyteusis. L. *fin. ff. Si ager vectigalis, id est, emphyteuticarius.* Triplex ergo est emphyteusis. Alia est *hereditaria*, quæ in quoscumque hæredes, etiam extraneos transit. Alia est *Gentilitia, seu familiaris*, quæ solum ad descendentes, & regulariter ad legitimos tantum, etiamsi hæredes non sint, transit, & si est alicui concessa pro se, & filijs suis, etiam filiæ veniunt, cum nomine filiorum comprehendantur. L. 195. *ff. de V. S.* Alia *mixta*, quæ non transit ad descendentes, si non sint hæredes, neque ad hæredes, si descendentes non sint. *Jul. Clar.* §. *Emphyteus. q.* 16. *n.* 1. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 472. In his tamen successionibus, & voluntas concedentis, & consuetudo patriæ attendi debent. L. 28. *tit.* 8. *p.* 5. ibi: *Contractus emphyteutieus en latin tanto quiere decir en romance, como pleyto, ò postura, que es fecha sobre cosa raiz, que es dada à censo señalado para en toda su vida, de aquel que la recibe, ò de sus herederos, ò seguin se aviene por cada año. Otrosi deben ser guardadas todas las conveniencias, que fueren escritas, è puestas en èl.*

175 Emphyteusis à Domino directo conceditur, & in hoc differt à contractu libellario, in quo à vassallo, vel emphyteuta conceditur ipsum prædium emphyteuticum pro pensione annua. Si Dominus directus, sit Clericus erit emphyteusis *Ecclesiastica*, etsi emphyteuta sit Laicus. Et è contra erit *Laica*, si à Laico conceditur. In Hispania ad valorem contractus requiri scripturam constat *ex l.* 28. *tit.* 8. *p.* 5. ibi: *E por escrito, ca de otra guisa non valdria. Et ibid. notat Greg. Lop.* licet alibi hoc non adeò certum sit. *L.* 1. *C. de Jur. emphyteut. Gom.* 2. *Var. cap.* 3. *n.* 16. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 447. *n.* 7. Emphyteusim concedere possunt omnes, qui suorum bonorum administrationem habent. L. 1. *& seq. C. de Jur. emphyteut.* Etiam Civitates. L. 1. *ff. Si ager vectig.* pupilli, & Minores, cum authoritate quidem Tutoris, & Curatoris, & Judicis Decreto, sed non aliter. L. 13. *C. de Prædijs Minor. sin. Decret.* Prælati Ecclesiatum rem modicam, & parum utilem sine solemnitate Canonica in emphyteusim dare valent. C. 7. *de Rebus Eccles.* Secus rem utilem, cum emphyteusis, quæ dominium utile transferi species alienationis sit. C. 5. *de Reb. Eccles. Extr. Ambitiosæ, de Reb. Eccl. inter com.* Si res semel in emphyteusim concessa ad Ecclesiam reversa est, cum semel facta sit alienabilis potest à Prælato iterum in emphyteusim, locationem, vel usumfructum alteri, etiam consanguineo concedere sine nova solemnitate. *Arg. C. fin. de Feud. Barb. de Potest. Episcop. alleg.* 95. *n.* 29. Nisi mutato rerum statu causa primæ concessionis cessavit, vel res incorporata jam est mensæ Prælati. Tunc enim solemnitates debent adhiberi. Reversa re ad dominum, potest eam cui voluerit ipse concedere. *Arg.* L. 21. *C. Mandat.* Si nec pactum, nec Lex sit unde obligetur, faciet tamen secundum æquitatem, si consanguineos ultimi emphyteutæ extraneis præferat. *Arg.* L. 3. §. 5. *C. de Advocat. diverf. Judicum. Sarmient. Select. l.* 3. *cap.* 7. *n.* 2. *& alij* contra *Barbos. in C. fin. h. t. n.* 161. *& alios* dicentes, quod finitis generationibus, ad quas emphyteusis concessa fuit, tenetur Dominus directus eandem renovare hæredibus, aut descendentibus accipientis. Emphyteusim item accipere possunt, quicumque contrahendo obligantur, ac proindè pupilli, & Minores accipere possunt, sed authoritate Tutorum, & Curatorum Indigent. L. 32. *ff. de Adquir. possess.* Si Laicus ab Ecclesia, vel alio à tributis exempto rem in emphyteusim accepit, illum à tributis [illegible] esse, sicut est emphyteuta fisci [illegible] *de Excusat. muner. lib.* 10.

tenent *Menoch. de Arbitr. lib. 2. cas.* 162. *n.* 46. *Delben. & alij*; sed contrarium tenendum est cum *Navar. Man. cap.* 22. *n.* 118. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 446. *Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 44. *& alijs*; *arg. L. un. C. de Impon. lucrativ. description.* Nec ille casus specialis fisci trahi debet ad consequentias. L. 14. *ff. de Legib.*

177 Dominus directus emphyteusim constituens obligatur rem, & ejus utile dominium emphyteutæ tradere, & ejus usum liberum ipsi relinquere, ipsique compensare damna, si quæ sustinuit, ex vitio rei non manifestato à Domino, ab eo tamen cognito, *arg.* §. 3. *Inst. b. t.* Emphyteutæ obligationis est. 1. tempore finito, rem emphyteuticam integram, & salvam reddere, imò & accessiones, & melioramenta (emponemata dicuntur *in L.* 2. *C. de Jur. Emphyteut.*) ea scilicet, quæ spectant ad fundum conservandum, & fructus percipiendos; *arg. L.* 65. *ff. de Usufruct. & quemadm. Clar.* §. *Emphyt. q.* 8. *n.* 8. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 454. Ea verò, quæ ex natura contractus, non tenetur facere emphyteuta, finito sine ejus culpa contractu, repetere potest, vel æstimationem illorum; *arg. L.* 7. §. *fin. ff. Solut. Matrim.* 2. ad dolum, latam culpam, & levem emphyteuta tenetur, non tamen ad levissimam, cum utriusque gratia hic contractus fiat. L. 5. §. 2. *ff. Commod.* 3. tenetur solvere annuum Canonem, seu pensionem finito anno, nisi aliter sit conventum: vel in pecunia, vel alia re fungibili. §. 3. *Inst. b. t. L.* 2. *C. de Jur. Emphyt.* Hæc pensio potest esse modica, vel etiam fructibus adæquata. Si 20. annis valorem rei adæquet justa censetur; observanda tamen est consuetudo locorum. Si Canon, vel pensio sit magna minuitur ob sterilitatem, vel alium casum fortuitum, ut in locatione, cui maximè in hoc casu assimilatur emphyteusis, secus est, si pensio modica sit, tantum dominij recognitionem significans. *Gonz. in C.* 3. *b. t. n.* 8. *Barbos. in C.* 1. *eod. n.* 10. *& alij.* Quod si res casu integrè pereat, Domino perit, nec ex tunc illi debet emphyteuta pensionem solvere. Si remaneat octava pars, tenetur ad integram pensionem. *L.* 28. *tit.* 8. *p.* 5. *& ibid. Greg. Lop. V. Octava parte.* 4. Quando novus emphyteuta admittitur, tenetur hic præstare *laudemium*, hoc est, certam pecuniæ quantitatem, quæ Jure Communi est quinquagesima pars pretij, quod res emphyteutica valet. *L. fin. C. de Jur. Emphyt. L. fin. tit.* 8. *p.* 5. vel juxta locorum taxationem. Dicitur laudemium minus directus novum emphyteutam approbat, & quasi laudat; non tamen debetur laudemium, si solum persona Domini directi mutetur, vel si res emphyteutica transeat titulo hæreditatis ad hæredem necessarium (secus si ad extraneum transeat) vel si alienatio sit necessaria: v. g. si pater alijs careat bonis, quibus dotet filiam, & ea ad hoc alienet, vel quando resoluto contractu, & pacto de redimendo res ad venditorem redit, vel quando rem inter se hæredes dividunt. *Barbos. in C. fin. b. t. ex n.* 31.

178 Dominus directus, etiam irrequisito emphyteuta, potest rem vendere, cum hujus nihil intersit, cui Canonem solvere debeat. Emphyteuta verò non aliter potest dominium utile, & meliorationes in re factas vendere, quam Domino directo prius requisito, eique nuntiato, quantum sibi ab alijs offertur, ut ipse Dominus emat, si velit; cum Prælationem habeat. *L. fin. C. de Jur. Emphyt. l.* 29. *tit.* 8. *p.* 5. Si noluit emere, statim potest emphyteuta vendere alijs, dum tamen non sint ex prohibitis emere, quales sunt Curiales. *L.* 30. *C. h. t.* Milites, *L. fin. C. eod.* Ecclesia, Communitas, vel alia potentior, seu privilegiata persona, quia hoc faceret deteriorem conditionem Domini. Debet ergo rem vendere illi, qui possit benè solvere pensionem Domino directo. *L. fin. tit.* 8. *p.* 5. Si post denuntiationem Dominus non respondeat, emphyteuta debet duorum mensium spatio expectare. *C. fin. b. t.* Si has conditiones non servetur, & post venditionem factam sequatur rei emphyteuticæ traditio vera, vel ficta, res fit caduca, seu cadit ipso jure in commissum: hoc est, emphyteuta, suum jus amittit; & hoc quidem sine sententia, Judicis condemnatoria, vel declaratoria, etiamsi protestetur, se velle jus suum salvum Domino servare, nisi sit geminata protestatio: v. g. *si dicat, salvo, & reservato consensu Domini, & non alio modo.* Si partem alienet, partem amittit. Non tamen incurrit emphyteuta caducitatem, si non sequatur traditio, saltem ficta; vel si venditio sit conditionalis, vel solum ficta, vel invalida ex alio capite, quam, quod inconsultò Domino, facta sit. Potest tamen emphyteuta vendere dominium utile, Domino irrequisito, sine pœna caducitatis. 1. Si ita conventum sit in emphyteusis concessione, v. g. si sit concessa pro se, & pro alijs, quibus ipse dederit. 2. Si Dominus directus sit fiscus. 3. Si socius socio vendat. 4. Si Dominus tacitè consentiat. V. g. accipiendo pen-

pensionem à novo emphyteuta. *Clar.* V. *Emphyteus. q. 3. n. 9. Barbos. in C. fin. b. t. ex n. 63.* Non solum prohibetur venditio Domino irrequisito, sed etiam cæteri contractus præcipuè onerosi, potest tamen emphyteuta irrequisito Domino rem in pignus tradere. *L. fin. tit. 8. p. 5.*

179 Præter modum antecedentem, quo finitur emphyteusis, finitur etiam 2. lapsu temporis, pro quo concessa est; *arg.* L. 1. *& fin. ff. Si ager vectig.* nisi expressè eam Dominus tenovet. 3. Extincta generatione, ad quam est concessa. 4. Totali rei interitu. L. 1. *C. de Jur. Emphyt.* Si pars tantum pereat, non finitur emphyteusis, & solvi debet tota pensio, nisi magna sit. 5. Si notabilitèr res deterioretur dolo, culpa lata, aut levi emphyteutæ. *Auth. Qui rem, C. de Sacrosf. Eccles. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 24. n. 50. & seq.* 6. Si emphyteuta non solverit integrum Canonem, etiamsi partem solvat, triennio, si emphyteusis Laica sit, & biennio si Ecclesiastica: quod tempus debet esse continuum, & etiamsi emphyteuta, non moneatur, quia dies interpellat pro Domino. *C. fi· b. t. l. 2. C. de Jur. Emphyt. l. 28. tit. 8. p.* Etiamsi pensio modica sit, & res emphyteutica magni valoris, cum in recognitionem dominij detur, & etiamsi emphyteuta sit Ecclesia: sufficit tamen, si alius nomine emphyteutæ solvat. Ut tamen emphyteuta in commissum, vel caducitatem incidat, Dominus debet declarare, se velle illum emphyteusi privari. L. 2. *C. de Jur. Emphyt.* Interim tamen facit fructus suos, nec potest successor Domini pœnam caducitatis declarare, cum Dominus, qui facilè possit, omitit. *Molin. de Just. tr. 2. D. 453. Barbos. in C. fin. b. t. ex n. 91.* non incurrit hanc pœnam caducitatis emphyteuta, si nemo sit cui solvat, ut jacente hæreditate defuncti accidit, vel si Dominus tantum debeat Emphyteutæ, quanta est pensio; nam tunc fit compensatio. Vel si ex justa causa, vel errore omisit solutionem, vel si tempore, & loco congruo pensionem obtulit Domino, per quem stetit, ne reciperetur. Vel si modicos fructus percepit. Vel si Dominus dissimulavit omisionem solutionibus: quippè tunc censetur caducitatem remisisse: quibus, & alijs casibus non cadit emphyteuta in caducitatem, ob non solutum Canonem. Latè *Barbos. in C. fin. b. t. ex n. 99.* Idem est, si moram celeri solutione purgavit, & quidem in emphyteusi Ecclesiastica de rigore justitiæ, *ex C. fin. b. t.* In Laica ex æquitate, *Clar. §. Emphyteus. q. 8. n. 15. Barb. in C. fin. b. t. n. 132.* Cum autem tempus, in quo mora purgari debeat, non sit in jure statum, Judicis arbitrio relinquitur; *arg. C. 4. de Offic. Delegat.* In nostra tamen Hispania decem dies emphyteutæ conceduntur ad purgandam moram. *L. 28. tit. 8. p. 5. Et ibid. Greg. Lop.* V. *Diez dias.*

180 Si emphyteuta Religionem profiteatur, & hæc sit incapax bonorum stabilium, ut Ordo de Observantia, vel Domus Professæ Societatis, cum talis professio morti naturali æquiparetur, de Emphyteusi discurrendum est, tanquam si emphyteuta esset mortuus. Si Religio sit bonorum capax ad eam transit emphyteusis hæreditaria. *Auth. Ingressi. C. de Sacrosf. Eccles.* nisi pacto excludatur; sed Monasterium post mortem professi eam alienare tenetur, ne Domino directo spes laudemium percipiendi omnino auferatur. *Molin. de Just. tr. 2. D. 482. n. 3.* Si emphyteusis sit ex pacto, vel providentia, vel gentilitia, Monasterium, quamdiù professus vivit utilitatem percipit, eo mortuo, transit ad vocatos ex investitura, vel eis definientibus, revertitur ad dominum directum. *Molin. de Just. tr. 2. D. 482. n. 2. Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 15. n. 52. & alij.*

TIT. XIX.

De Rerum permutatione.

181 ANtiquissima profectò est permutatio, & Jure Gentium à mundi primordijs inducta, & ex qua originem sumpsit emptio. L. 1. *ff. de Contrah. empt.* Et quidem generice accepta omnes contractus onerosos utrimque obligatorios comprehendit. *Barbos. in Rubr. b. t. n. 4. Molin. de Just. tr. 2. D. 396. n. 1.* sumpta tamen specificè, ut in præsenti sumitur, est *contractus Juris Gentium, bonæ fidei, re, & consensu constans, quo res datur ea lege, ut vicissim detur res alia*, §. 2. V. *Diversa Inst. de empt. & vend. §. 28. Inst. de Action. l. 1. §. 2. ff. b. t. l. 1. tit. 6. p. 5.* ibi: *Cambio, es dar, è otorgar una cosa señalada por otra.* Permutatio est unus ex contractibus innominatis: nihil enim aliud est permutare, quam dare, ut detur, licet nomen magis speciale, quam alij contractus innominati habeat. Ipsum tamen, ita generale est, ut omnibus contractibus (in quibus omnibus aliqua permutatio, & commutatio est) possit applicari. *L. 1. §. 2. ff. b. t.* Et hæc sententia expressè comprobatur jure Hispano *in L. fin. tit. 6. p. 5.* ibi:

ibi: *Contratos innominados en latin, tanto quiere decir en romance, como pleytos, è impostiuras, que los omes ponen entre si, è que non han nomes señalados, è son quatro maneras dellos: la primera es, quando alguno dà su cosa por otra, è este es cambio (id est permutatio) de que fablamos en las leyes ante de esta.* Permutare possunt omnes, qui possunt emere, & vendere, & qui nequeunt hoc facere, nec permutare valent. *L.2. tit.6.p.5.* Permutari item possunt omnes res, mobiles, immobiles, incorporabiles, species, aut quantitates. *L. 1. ff. h. t.* dum tales sint permutantium propriæ: res enim aliena nequit permutari. *C.6. de Except. l.1. §. 3. ff. h. t. l. 2. tit. 6. p. 5.* Nec res exemptæ ab hominum commercio. Item res prohibitæ alienari non possunt permutari, nec pecunia, si detur tanquam pretium, quia tunc esset emptio, si tamen detur tanquam corpus pro specie erit permutatio. *L. 5. §. 1. ff. de Præscrip. verb.* si pecunia pro pecunia detur, erit cambium, quod quidem species permutationis est. Permutatio aliquando nomine venditionis significatur, & cum Esau permutasset primogenita dicitur. *Genes. 25. V. fin. primogenita vendidisse.* Permutatio re, & consensu constat, nec solo consensu perficitur, sed ex traditione nascitur obligatio. *L.1. §.2. ff. h. t.* Et in hoc differt ab emptione, quæ solo consensu substantialiter perficitur. In venditione non transfertur dominium, nisi pretium sit solutum, vel fides de eo habita, in permutatione per traditionem rei transfertur dominium, etiamsi contractus ab altera parte non sit impletus. *L.1. ff. h. t.* Item res aliena nequit permutari, potest tamen vendi. *L.28. ff. de Contrah. empt.* Qui rem propriam cum aliena permutavit bona fide rem præscribit. *L.7. §. 5. ff. de Public.* Deinde: permutatione dominium transfertur. *L. 4. C. h. t. C. 5. de Reb. Eccles. non alien.* Et in hoc differt à deposito, pignore, precario, commodato, locatione, & emphyteusi. In permutatione, si ex nulla parte sit res tradita, quilibet contrahentium, cum res adhuc integra sit, pœnitere potest, sicut in alijs contractibus innominatis, secus interposita stipulatione. *L.3. C. h. t. l.3. tit.6. p. 5.* de jure Hispano noviori, etiam sine stipulatione non licet pœnitere. *L.2. tit.16. lib.5. R. C.* Et notat *Greg. Lop. in l. 3. tit. 6. p. 5. V. Qualquiera.* Si unus tradidit rem, est in ejus arbitrio, vel pœnitere, ac proinde repetere, quod tradidit condictione, causa data, causa non secuta, etsi alius paratus sit ex sua parte contractum implere, & hoc jus pœnitendi probabiliter transit ad hæredes: vel etiam potest actionem præscriptis verbis intentare contra eum, qui accepit, & ejus hæredes, ut vicissim rem tradant, vel præstent interesse. *L.4. C. h. t. l.3. tit.6. p.5.*

182 Cum permutatio sit alienationis species. *C. 5. de Reb. Eccles. non alien.* ad permutationem validam rerum immobilium, & mobilium pretiosarum Ecclesiæ, (secus aliarum) adhibendæ sunt solemnitates canonicæ: aliàs erit nulla permutatio. *Extr. Ambitiosæ de Reb. Eccles. inter com.* & revocanda. *C. 2. h. t. C. 6. de Reb. Eccles. non alien.* Minor tamen causa ad permutationem, quam ad venditionem requiritur, cum minus noceat permutatio, sed res adquisita per permutationem debet esse melior, & magis profutura Ecclesiæ, quam data. *C.52. 12. q. 2.* Nisi Princeps sit, qui permutet; his enim majora beneficia debet Ecclesia, ac proindè sufficit, si præcedente contractu cum capitulo, & majoris partis, ac superioris consensu res adquisita sit æqualis bonitatis, & utilitatis, ac data. *C.1. h. t. ibid. Barb. n. 2.* si inter duas Ecclesias fiat permutatio, aliqui cum *Barbos. de Potest. Episc. alleg.95. ex n. 55.* tenent, nullam requiri solemnitatem: sed cum *Text. in C.52. 12. q. 2. C. 5. de Reb. Eccles.* generalitèr loquantur, generalitèr debent intelligi. *Gonz. in C. 1. de Reb. Eccles. n. 7.* Ecclesiæ servi non debent pro alijs servis permutari, nisi ut fiant liberi. *C. 3. & 4. h. t.* quia quod semel Deo consecratum est, ad humanos usus transferri non decet. Ecclesiæ quidem servi, qui sic permutantur, libertatem consequuntur, Mancipia vero Laicorum, quæ pro ipsis commutantur Ecclesiæ serviti subjiciuntur, si vero sint fugitivi pro arbitrio Episcopi possunt alienari. *C.54. 12. q. 2.* Res, vel jus spirituale cum alia re, vel jure purè spirituali permutari potest, non vero cum re temporali, vel mixta ex spirituali, & temporali. *C. fin. h. t.* Imò neque res mixta ex spirituali, & temporali, cum alia ejusdem generis poterit permutari, si aliquomodo pro spirituali detur tanquam pretium illud temporale: secus si insuper habito lucro temporali utriusque rei tantum spirituale pro spirituali permutetur. *L.2. tit.6. p.5. l.8. tit. 15. p. 1.* Nam illud Christi Domini. *Matth.10. v.8. Gratis accepistis, gratis date*: *intelligitur*, *date*, sine mercede, vel pretio temporali, si enim temporale tanquam pretium rei spiritualis detur, simonia erit. *Gonz. in C. fin. h. t. n.3.*

n. 3. Ecclesia, & beneficia jure proprietatis obtenta, cum possessionibus annexis possunt, cum debitis solemnitatibus permutari, cum alia Ecclesia, vel beneficio, & suis possessionibus. Et potest peti aliqua compensatio pecuniaria, quæ correspondeat uberioribus fructibus alterius beneficij, ita ut duo contractus, vel saltem unus duobus correspondens fiat, quorum alter sit permutationis beneficiorum, vel Ecclesiarum, alter permutationis, vel venditionis possessionum ipsarum Ecclesiarum. *C. 6. h. t. Barbos. ibid. n. 1. Gonz. in C. fin. h. t. n. fin.*

183 Permutatio beneficiorum, quæ est reciproca resignatio duorum Clericorum ex causa permutationis facta, per quam suum beneficium quilibet dimittit, ut alterius secum permutantis beneficium obtineat: si absque superioris authoritate fiat, simoniaca est, non simonia Juris Divini, cum spirituale pro spirituali detur, sed Juris Canonici, quo talis permutatio prohibetur, ne intuitu proventuum temporalium fiat. *Barbos. lib. 3. Jur. Eccles. cap. 15. n. 160. Suar. de Simon. l. 4. cap. 31. n. 5. Less. de Just. l. 2. cap. 35. n. 30.* Ut beneficia in titulum obtenta possint permutari, vel proprius quasi permutari, plura requiruntur. 1. Ut uterque permutans (nec sufficit quod unus) habeat jus reale in beneficio permutato. *C. 6. de Except.* Nemo enim potest jus, quod non habet in alium transferre, quod ad permutandum est necessarium. *L. 1. ff. h. t.* Nec beneficia jam amissa, vel solum expectata, possunt permutari, quia illa non amplius sunt propria, hæc nondum jus tribuunt. Nec quando quis tantum jus personale, seu ad rem per præsentationem habet, nec valet permutatio ficta, quando quis, scilicèt, fingit, se beneficium habere, quod cum alio vult permutare, quia sic multis fraudibus janua aperiretur. *Less. de Just. lib. 2. cap. 34. n. 200.* 2. Requiritur, quod permutatio ex justa causa fiat. *C. 5. h. t.* scilicèt, necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ: quæ causa debet à partibus allegari, & ab Ordinario examinatur, an justa sit aliàs irrita erit permutatio. Nec sufficit utilitas, vel necessitas permutantium, nisi aliquomodo, saltem indirectè, in Ecclesiam redundet: redundare tamen censetur, si Parochus ibi ægrotet, vel Populus sit aversus, vel linguam non calleat, quia alibi melius serviet Ecclesiæ, & eo amoto, ibi melius servietur per alium idoneum. *Barb. in C. 5. h. t. n. 11. Gonz. ibid. n. 3.* Imò potest Episcopus cogere ad permutationem faciendam, si ita utilitas, vel necessitas Ecclesiæ suadeat. *Barbos. l. 3. Jur. Eccles. cap. 15. n. 172. Garc. de Benef. p. 11. cap. 4. n. 49.* 3. Beneficia debent dimitti in manibus superioris. *C. unic. h. t. in 6.* Et licet antiquitus posset Prælatus beneficium permutatum summo juris rigore, liberè conferre cui vellet. *Covar. 1. Var. cap. 5. n. 5. Barbos. l. 3. Jur. Eccles. cap. 15. n. 167.* Tamen post *Clem. h. t.* prorsus debet conferre ipsis permutantibus, & collatio alijs facta, utpotè contra intentionem permutantium est irrita. *Barbos. cap. 15. n. 166.* Et collationes beneficiorum, quæ permutantur possunt fieri ex intervallo, si resignatione beneficij ex parte unius facta, alter nolit, vel non possit permutationem complere, qui resignavit, cum non absolutè resignasset, sed tantum sub illo modo, illo non servato, beneficium repetere potest per conditionem, causâ datâ, causâ non secutâ. Et licet tunc sit tutius, resignantem novam petere collationem, ut tenent *Abb. in C. 8. h. t. n. 8. Garc. de Benef. p. 11. cap. 4. n. 5. Gonz. in Reg. 8. Canc. Gloss. 15. §. 2.* benignius tamen est dicere, resignantem, non indigere nova collatione, sed propria authoritate posse ad beneficium, redire, cum deficiat conditio, sub qua voluit resignare. *C. 20. de Præb. in 6.*

184 4. requiritur superioris authoritas. *C. 5. h. t. L. 2. tit. 6. p. 5.* Quia alias beneficia sine institutione Canonica, sed solum consensu permutantium obtinerentur, contra *C. 1. de Reg. jur. in 6.* Deindè, quia Ecclesia horret omnes pactiones circa beneficia. *C. 5. c. fin. de Pact.* non tamen prohibetur tractatio antecedens inter ipsos, dum non sit absoluta, sed referatur in futurum consensum legitimi superioris. *Gonz. in L. 7. h. t. n. 4. Barb. lib. 3. Jur. Eccl. cap. 15. n. 162. & alij.* Qui sine superioris authoritate beneficia permutant excommunionem majorem incurrunt. *Extr. 2. de Simon. inter com.* & juxta *Suar. L. 4. de Sim. cap. 57. n. 41. Garc. de Benef. p. 11. cap. 4. n. 59.* Ipso jure beneficijs privantur, quod negant *Navar. Man. cap. 23. n. 105. Less. de Just. l. 2. cap. 35. n. 100.* Quia cum permutatio sit nulla, nullum producit effectum, ac proindè beneficium potest in foro conscientiæ retineri, quamdiu per sententiam ipso non privantur. *C. 7. h. t.* Possunt permutationi authoritatem præstare S. Pontifex, & Episcopus proprius loci, ubi beneficia sita sunt. *C. 5. h. t. L. 2. tit. 6. p. 5.* Si indiversis Diœcesibus sita sint, uterque Episcopus præstat au-

authoritatem. *Greg. Lop. in l.* 2. *tit.* 6. *p.* 5. *Barbos. l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 15. *num.* 174. Capitulum Sedevacante, quando ad ipsum solum, vel ad ipsum, & Episcopum spectat collatio, secus si solum ad Episcopum, nisi causa permutandi necessaria sit, vel Capitulum sit in quasi possessione conferendi, & admittendi tales permutationes. *Barb. l.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 15. *n.*176. Idem possunt Prælati exempti jurisdictionem in suo territorio absolutam, & independentem ab Episcopo exercentes. *Greg. Lop. in l.* 2. *tit.* 6. *p.* 5. V. *del Perlado. Suar. de Simon. lib.* 4. *cap.* 32. *n.* 14. *Gonz. in C.* 7. *h. t. n.* 8. Secus alij Prælati, etiam jus conferendi habentes, si non habent jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & populum, seclusó privilegio, ut contra *Silv.* V. *Permutatio*, 2. *q.* 2. *Angel. n.* 5. *Sot. l.* 9. *q.* 5. *art.* 2. tenent *Gonz. in C.* 7. *h. t. n.* 8. *Barb. in C.* 5. *eod. ex n.* 8. *& alij*. Etiam requiritur consensus illorum, qui jus habent conferendi eligendi, vel præsentandi ad beneficia, quippè illorum interest. Quod si consensum irrationabilitèr præstare recusent, ab ordinario admitti potest permutatio. *Azor p.* 2. *l.* 7. *cap.* 29. *q.* 32. *Garc. de Benef. p.* 11. *cap.* 3. *n.* 19. *&* 21. *Gonz. in C.* 7. *h. t. n.* 8. Permutationes triangulares, & quadrangulares, cum verè sint resignationes, solum coram Pontifice possunt fieri: solum enim permittuntur permutationes, quæ inter duas personas fiunt. 5. Antequam possessio capiatur, debet permutatio publicari in Ecclesijs Cathedralibus, vel Parochialibus, intra quarum fines beneficia sita sunt, ex *Const. Greg. XIII. Humano*, §. *Jan.* 1573. *Barb. l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 15. *n.* 18. *Garc. de Benef. p.* 11. *cap.* 3. *n.* 289.

185 Beneficia in quibus permutantes jus in re quæsitum habent, permutari possunt, etiamsi nondum illorum acceperint possessionem. *C.* 17. *de Præbend. in* 6. Et beneficia manualia, & commendata in perpetuum: nam tunc commenda vim Tituli habet. Si ad tempus sint commendata, requiritur authoritas illius, qui commendavit. *Barb. lib.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 15. *n.*164. Beneficium potest permutari in manibus Episcopi cum pensione Ecclesiastica recta in titulum, quia habet naturam beneficij, si in titulum erecta non sit, posse in manibus Episcopi permutari, tenent *Barb. l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 15. *n.* 178. Requiri authoritatem Apostolicam, tenent *Suar. lib.* 4. *de Sim. cap.* 33. *n.* 4. *& alij*, cum pensione Laicali, nequidem Pontificem posse dicunt aliqui, quia esset simonia Juris Divini, cum res spiritualis pro temporali daretur. Si aliquis tertius habeat gratiam expectativam in aliquo beneficio, ea non obstante, illud permutari valet, si fiat permutatio sine fraude, hoc est, ad excludendum præcisè expectantem. *C. un. h. t. in* 6. Licet enim tale beneficium verè vacet, non tamen aliter vacat, quam ex causa permutationis: ac proindè non debent conferri expectanti, sed alteri, qui beneficium permutavit. *Barb. l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 15. *n.*168. Beneficia S. Pontifici reservata, sicut ab eo solum possunt conferri, sic illius solum authoritate permutantur. Non tamen possunt permutari beneficia alicui Ecclesiæ, Monasterio, vel beneficio unita, sive unio jam sortita sit effectum, cum jam ex eo titulus extinctus sit: sive unio non sit sortita effectum, cum talis permutatio impediret unionem, quod cederet in Ecclesiæ, vel Monasterij præjudicium: nec permutari possunt beneficia litigiosa. Nec potest permutari beneficium cum jure spirituali diversi ordinis: v. g. cum jure decimandi, vel cum jure patronatus, quia non est à Jure Canonico talis permutatio concessa: sed solum permutatio beneficiorum, & in materia odiosa non fit extensio. Unum beneficium potest cum pluribus compatibilibus permutari. Si sint incompatibilia, & in eorum incompatibilitate solus Pontifex dispensare possit, ejus authoritas ad permutationem requiritur. Si Episcopus dispensare valet, illius sufficit authoritas. *Azor p.* 2. *l.* 7. *C.* 29. *q.* 11. *& alij*.

186 Beneficia inæqualia possunt inter se permutari, sive talis inæqualitas in spiritualibus consistat, scilicèt, quod unum sit curatum, aliud simplex, aliud habeat dignitatem, vel administrationem, aliud non habeat: sive consistat in temporalibus, scilicèt, quod unum habeat pinguiores redditus, quam aliud: sed non potest excessus spiritualitatis unius: v. g. Dignitatis compensari cum excessu pretij alterius: hoc enim esset simonia Juris Divini. Si verò nude permutarentur in manibus Superioris, in foro externo non præsumeretur talis simonia, quandiù non probaretur. *Suar. l.* 4. *de Simon. cap.* 34. *n.* 3. Imò nec quando beneficia sunt inæqualia, quoad temporalia: v. g. quod unum sit pinguius alio, potest hæc compensatio fieri sine authoritate Pontificis, ut contra *Abb. Cajet. & alios* tenent *Suar. lib.* 4. *de Sim. cap.* 34. *n.* 10. *Barbos. l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 15. *n.* 181. *Gonz. in C. fin. h. t. n.* 3. *arg. C.* 7. 1. *q.* 3. ibi: *Quisquis horum al-*

terum vendit; sine quo nec alterum provenit, neutrum in venaitum derelinquit. Pontifex tamen talem permutationem admittendo solum impropriè in Jure Divino, simoniam prohibente, dispensat, mutando, scilicèt, materiam, & separando partem redituum à titulo pinguioris beneficij, eamque alteri minus pingui beneficio applicando. *Text. in C. 6. h. t.* Ubi de authoritate Episcopi Ecclesiæ ad invicem permutantur, & possessiones earum, & pro minus valentibus pretium suppletur, loquitur de Ecclesia, prout est proprietas Monasterij non prout confertur in titulum, ut in præsenti loquimur. Ac proinde potest authoritate Episcopi cum alia permutari, pecunia compensando inæqualitatem possessionum annexarum, quæ omninò sunt separatæ à titulo spiritualis officij. De permutatione discurrendum est eodem modo, quo diximus de emptione, ac proinde, quando celatur vitium rei, quæ permutatur, rescinditur permutatio intra tempus, quo rescinditur venditio, & similitèr in alijs casibus, in quibus venditio, etiam rescinditur permutatio, & permutantes tenentur ad invicem de evictione. L. 4. *tit. 6. p.* 5. Et etiam in permutatione solvitur gabella, *Hispanè* : *Alcavala*. L. 2. *tit.* 17. *lib.* 9. *R. C.* & quilibet permutantium solvet gabellam de re sua juxta æstimationem, quæ de ipsa fiet arbitrio Judicis: quod si aliquis ex contrahentibus sit exemptus à gabella alter dumtaxat solvet pro sua parte, non vero pro parte exempti. *Acev. in l. 2. tit. 17. lib. 9. R. C. ex n.* 45.

TIT. XX.

De Feudis.

187 FEudum dicitur *à fide*, quæ hic fidelitatem significat, sumiturque pro re in feudum data, & sic contraponitur *allodio*, quod teste *Nebrissensi*, vocabulum barbarum est, significatque rem liberam, & propriam alicujus. Sed in præsenti sumitur pro ipsa feudi concessione, prout est contractus. Qui feudum concedit, vel constituit, dicitur *Dominus*, vel *senior*: qui feudum accipit, dicitur jam communitèr *vassallus*, licet olim, qui accipiebant feudum ab Imperatore, vel Rege, ut Duces, vel commites *vassi* dicebantur, qui verò ab ipsis Ducibus, vel commitibus feudum accipiebant *vassalli* dicerentur. L. 1. *tit.* 26. *p.* 4. ibi: *Feudo es bien fecho, que dà el Señor à alguno ome, porque se torne su vassallo, è el face omenage de serle leal: è tomò este nome de fè, que debe siempre el vassallo guardar al Señor*. Quando hæc omnia habet dicitur *feudum proprium*, seu *rectum*, & tale in dubio præsumitur: quando in aliquo declinat à natura feudi *improprium*, seu *non rectum* dicitur. Ad feudum ergo requiritur. 1. quod res sit immobilis, vel æquivalens immobili: v. g. pecora, vel animalia fundi, jura incorporalia venandi, vel pascendi, servitutes, usufructus, vectigalia, & jurisdictio. Rei enim mobilis, si usu consumitur, vel non datur dominium utile distinctum à directo, quod possit transferri in feudatarium, vel nullius considerationis est, si res non consumitur usu. 2. requiritur, ut ejus dominium utile in accipientem transeat. Et in hoc differt à locatione, & usufructu, commodato, precario, deposito, & pignore, non tamen transfertur dominium directum, & in hoc differt à mutuo, emptione, venditione, & alijs similibus contractibus. 3. Ut transeat ad masculos descendentes, idque in perpetuum. 4. Ut Domino præstetur fidelitas jurata, & in hoc ab emphyteusi differt, in qua non fidelitas promittitur, nec servitia personalia, sed Canon annuus, & realis, seu pensio, vel census præstatur. 5. Ut ex illo debeatur servitium personale, & indeterminatum. 6. Ut concedatur gratis. 7. Ut sine Domini consensu nequeat alienari. 8. Ut sine culpa vassalli nequeat auferri. *L. 2. tit. 26. p.* 4.

188 Feudum est contractus utrimque obligationem producens, & tantum consensu perficitur, sicut emphyteusis: & posito solo partium consensu producit actionem Domino contra novum vassallum ad petendam renovationem investituræ, & vassallo contra Dominum ad defensionem. Feudum aliud est *vetus*, seu *antiquum*, quod scilicèt quis, ab aliquo ex ascendentibus, qui jam illud adquisierat, obtinuit per successionem. Aliud *novum*, quod scilicèt quis primo adquisivit, non per successionem, sed per concessionem, vel præscriptionem. Aliud est *hæreditarium*, quod absoluté alicui conceditur pro se, suisque hæredibus, etiam extraneis, & quicumque, & quomodocumque hæredes sint, succedunt in tale feudum. Aliud est *ex pacto*, & *providentia*, seu *familiare*, & *Gentilium*, quod alicui concessum est pro se, ac liberis tantum, nulla mentione hæredum facta, & tale in dubio feudum esse præsumitur. Et tunc soli agnati masculi,

culi, ex legitimò matrimonio nati succedunt, etiamsi minimè hæredes sint. Aliud *mixtum*, quod alicui concessum est pro se, ac filijs, ac hæredibus, ita ut successor in tali feudo debeat esse filius, & hæres primi vassalli. Aliud est *Ecclesiasticum*, quod constituitur à Prælato Ecclesiastico in bonis ad Ecclesiam pertinentibus sive concedens, vel accipiens sit persona Ecclesiastica, vel Sæcularis. Aliud est *masculinum*, quod ad solos mares transit; aliud *fœmininum*, quod etiam transit ad fœminas. Aliud est *ligium*, quod à ligando dictum est, quando in concessione requiritur, ut vassallus præstet Domino fidelitatem adversus quoscumque, excepto R. Pontifice. *Arg. C. 19. de Jur. jur.* & hoc feudum solum à Supremo Principe potest dari, & talis vassallus dicitur *homo ligius. Clem. 2. de Re judic.* Aliud est *non ligium*, quando vassallus promittit Domino fidelitatem, sed non adversus quoscumque, sic, qui ab inferiore recipit feudum, ita promittit fidelitatem, ut Rex, vel antiquior Dominus sit exceptus. Et tale in dubio præsumitur feudum.

189 Feudum quidem dare possunt. Reges, & alij Principes Supremi, vel alij illustres viri in dignitate constituti. L. 3. *tit. 26. p. 4.* Et hos solos feudum posse constituere, tenent aliqui contra communem, & in hanc opinionem inclinat *Greg. Lop. ibid.* Hinc Prælati Ecclesiarum cum Domini non sint rerum Ecclesiæ, non possunt eas de novo infeudare sine solemnitatibus necessarijs, possunt tamen sine eis infeudare, seu renovare feuda antiqua, ad Ecclesiam, ob delictum, v. g. vassalli, vel aliam ob causam reversa, si tales res ab antiquo sunt solitæ infeudari, non obstante juramento, de non infeudando. *C. fin. h. t. l. 3. tit. 26. p. 4.* ibi: *Mas las otras, que non fuessen usadas à dàr en feudo, non las pueden dar de nuevo.* Potest Prælatus rem concessam in feudum hic, & nunc amissam, ob vassalli delictum, si non facilè potest recuperare à vassallo, vel ab alio tertio, cui vassallus in feudum inscia Ecclesia concessit, potest, inquam, nullis adhibitis solemnitatibus, & juramento non obstante, alicui Laico potentiori in feudum concedere, ut à vassallo, qui deliquit recuperet, & ab Ecclesia feudum recognoscat. *C. fin. h. t.* Pupilli, etiam absque Tutoris authoritate, possunt feuda antiqua renovare. Feuda nova constituere nequeunt, etiam cum Decreto Judicis, nisi pro pretio infeudent, ad æs alienum solvendum, cum gratuitas concessiones immobilium nequeant facere, etiam cum Judicis Decreto. L. 3. *C. Si major. fact.* Feudum possunt accipere omnes, qui contrahendo valent obligari, etiam superior ab inferiori: sed non per se, sed per vassallum servitia præstabit, dum tamen non sint alterius Domini vassalli, saltem Ligij. L. 3. *tit. 26. p. 4. & ibid. Greg. Lop. V. En la Ley.* Clerici Sæculares, & Communitates Religiosæ possunt etiam à Laicis feuda accipere. *C. 6. de Foro compet. C. un. §. 2. de Statut. Regul. in 6.* dummodo Clericis, vel Religiosis concedatur feudum francum, hoc est, sine onere servitij personalis: vel si cum servitio, ita concedatur, ut sit cum statu Clericali compatibile, vel si incompatibile sit, & non posset à persona Ecclesiastica honestè præstari, liceat tamen ipsi, per alium substitutum, illud præstare. Communitas feudum recipiens debet constituere, quasi vassallum, tum ad investituram accipiendam, tum ut post illius mortem investituræ renovatio petatur, cum Communitas non moriatur. Minor sine Curatore feudum accipiens ad fidelitatem, & obsequia personalia tenetur, secus pupillus, cum Curator rebus detur, Tutor personæ: ac proinde Minor potest sine Curatore ad obsequia personalia obligari, non pupillus sine Tutore. L. 43. *ff. de O. & A. l. 101. ff. de V. O.* Non possunt feudum accipere infames, & condemnati de aliquo crimine publico, usurarij manifesti, Hæretici, Apostatæ à fide, rei læsæ Majestatis, excommunicati non tolerati, deportati, banniti, & alij hujusmodi.

190 Feudatarius debet homagium facere Domino flexis genibus, & manibus inter manus Domini positis, & jurando promittit Domino non revelare secreta, & adjutorium præstare, & benè consulere, & ejus damnis occurrere, & pacta inita servare. Deindè Dominus illum investit per annulum, vel chirothecam, vel vexillum, vel hastam, vel gladium, aut per aliam rem, & per se, vel per alium eum mittit in possessionem rei in feudum datæ. L. 4. *tit. 26. p. 4.* & Dominus feudi tenetur de evictione, si in re aliena investivit vassallum. Et alia damna ipsi, si quæ obtigerunt, resarcire tenetur: quin, & fidelitatem licet non juratam, debet suo vassallo servare, cavendo, ne ipsi, vel ejus familiæ, aut rebus vis inferatur. Si in feudi constitutione certum servitium designatum sit, illud feudatarius adimplere tenetur; si nullum, tenetur vassallus Dominum juvare in bello. L. 5. *tit. 26. p. 4.*

p. 4. In feudo Gentilitio, seu familiæ servatur modus præscriptus in ipsa feudorum constitutione: alias juxta Leges feudorum Juris Communis. Sic primo succedunt descendentes, naturales, & legitimi simul, si plures filij existunt, in capita, nisi feudum individuum sit. Si deficiant descendentes, non succedunt ascendentes, sed fratres defuncti succedunt in feudum paternum, vel avitum. Etiam succedunt fratres in feudum emptum pretio omnium fratrum, quod si feudum de novo concessum fuit fratri defuncto, non succedunt alij fratres, sed revertitur ad Dominum. L. 7. *tit.* 26. *p.* 4. Fœminæ regularitèr excluduntur, quia in ipsis non conservatur familia, & quidem tàm filiæ, & descendentes, quàm sorores, & collaterales, quin, & masculi ex ipsis descendentes, qui cognati vocantur. L. 6. *tit.* 26. *p.* 4. Quando in feudo Gentilitio fœminæ admittuntur, solum debent admitti, quandiù non super est masculus, etiam alterius lineæ, procedentis tamen à primo feudatario, imò masculus descendens ex fœmina fœminæ præfertur, nisi feudum hæreditarium sit, aut fœmininum cum jure primogenituræ, quia tunc masculus remotior excluditur à fœmina proximiori in gradu. Si fœmina semel sit admissa, cum jam habeat jus quæsitum, non excluditur per masculum posteà natum, nisi masculus jam sit in utero, quando fœmina feudum adquisivit. *Arg. L.* 7. *ff. de Statu homin.* Si fœmina semel exclusa sit, & posteà masculi deficiant, feudum non revertitur ad Dominum, sed ipsa succedit. Clerici, & Religiosi nequeunt succedere in feudum Gentilitium, quod ad propagationem familiæ constituitur. *L.* 6. *tit.* 26. *p.* 4. Nec in illud, quod exigit servitia personalia statum Clericalem de decentia, per ipsum vassallum necessario præstanda, possunt tamen succedere in feudum hæreditarium, & francum, quod nulla requirit servitia personalia, sed solum Canonem realem in pecunia, vel alia specie, vel si requirat servitia personalia, non tamen dedecent ipsos: vel si dedecent, possunt per alium præstari. *C.* 6. *c.* 7. *de For. comp. C. un.* §. 2. *de Statu Regul. in* 6. Nec succedit in feudum ille, qui perpetuo laborat infirmitate, cujus impedimento nequeat servitia imposita exhibere. In feudo Regni, Comitatus, vel Marchionatus nullus succedit, nisi Dominus in concessione expresserit. *L.* 6. *tit.* 26. *p.* 4. Modus succedendi in Regiam Hispaniæ Monarchiam habetur in *L.* 2. *tit.* 15. *p.* 2.

Los omes sabios, y entendidos, catando el procomunal de todos, è conosciendo que esta particion non se podria facer en los Reynos, que destruidos non fuessen, segun Nuestro Señor Jesu-Christo dixo, que todo Reyno partido seria estragado, tovieron por Derecho, que el Señorio del Reyno non lo oviesse, si non el fijo mayor despues de la muerte de su padre. E esto usaron siempre en todas las tierras del Mundo, do quier que el Señorio ovieren por linage: è mayormente en España: è por evitar muchos males que acaescieron, è podrian aun ser fechos, pusieron, que el Señorio del Reyno heredassen siempre aquellos, que viniessen por la linea derecha. E por ende establecieron, que si fijo varon, y non oviesse, la fija mayor heredasse el Reyno: è aun mandaron, que si el fijo mayor muriesse, ante que heredasse, si dexasse fijo, ò fija, que oviesse de su muger legitima, que aquel, ò aquella lo oviesse, è non otro ninguno. Pero si todos estos falleciessen, debe heredar el Reyno el mas propinco pariente que oviesse, seyendo ome para ello, non aviendo fecho cosa porque lo debiesse perder. Et hic modus succedendi in reliquis majoratibus servari debet, nisi aliud ab institutore sit dispositum: nam ejus voluntas, si honesta, nec contra jus sit, pro Lege debet servari. *L.* 5. *l. fin. tit.* 7. *lib.* 5. *R.C.* ac proindè solum deficientibus omnibus descendentibus legitimis viris, & fœminis possessoris fit transitus, & regressus ad collaterales. Et quidem succedens in majoratum non succedit ultimo possessori, sed primo ipsius Institutori; ac proindè, ab ultimo possessore transit possessio civilis, & naturalis majoratus ad sequentem, quin præcedat cessio, traditio, vel apprehensio: imò etiamsi antecessor alteri possessionem tradidisset. *L.* 45. *Taur. l.* 8. *tit.* 7. *lib.* 5. *R.C.* si possessor majoratus profiteatur in Religione incapaci succedendi: v.g. in Religione S. Francisci, statim transit majoratus ad sequentem, *perinde ac si talis* professus fuisset naturaliter mortuus. Si Religio est capax succedendi, Monasterium percipit majoratum, dum professus vivit, in nostra Societate, qui non est professus trium, vel quatuor votorum in majoratum succedit. Item Clericus, etiam Sacerdos majoratum adquirit, ut patet in Cardinali Enrico, qui Sebastiano Regi Lusitaniæ in Regno successit: nisi in ipsa majoratus institutione tales excludantur, ut communitèr fit. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 623. *Greg. Lop. in L.* 2. *tit.* 15. *part.* 2. *Acevedo in tit.* 7. *lib.* 5. *R. Cast. & alij.*

191 Dominus directus habet adversus vassallum actionem, ut ipsi præstentur omnia ea, ad quæ obligatur ipse vassallus: quæ actio est personalis, bonæ fidei, rei persecutoria perpetua, & transit ad hæredes Domini, & vassalli. Vassallus adquirit in re feudali dominium utile, & ca potest uti, & frui, salva tamen substantia: & ad breve tempus potest alteri locare ejus commoditatem, & fructus; imo & alium subinfeudare absque fraude tamen, & sub eisdem conditionibus, sub quibus ipse accepit. Habetque adversus dominum directum actionem personalem, bonæ fidei, rei persecutoriam, & perpetuam, quæ utrimque transit ad hæredes. Vassallus ergo re feudali tanquam diligens paterfamilias debet uti, & frui, & compensare damna ab eo illata ejus dolo, lata, & levi culpa. Vassallus, nisi Dominus juramentum remittat, tenetur dum investituram accipit, jurare fidelitatem: hæc consistit in eo quod vassallus avertat damna imminentia Domino in vita, honore, & bonis fortunæ: ac etiam personis Domino proximè conjunctis: imo eas defendere debet in vita, honore, & bonis, debetque præstare in dominij directi recognitionem servitia, in feudo præscripta, quæ regularitèr sunt militaria. Et quotiescumque mutatur Dominus directus, vel vassallus, renovatio investituræ intra annum, & diem est petenda, non tamen potest dominium utile rei feudalis ullo modo absque consensu Domini alienare, nec locare ad longum tempus. Si vassallus det in pignus Domino directo feudum, & interim non præstet servitia ex feudo debita potest Dominus fructus rei feudalis percipere, quin in sortem computet. C. 1. *h. t.* quia cum fructus percipiantur ex feudo, si præstetur obsequium debitum, & nullum in hoc casu à vassallo præstetur, ipsi non competunt fructus rei feudalis. Si feudum non gratis, sed pro pecunia concessum sit, æquitas exigit ad vitandum usurarum periculum, ut fructus ex tali feudo percepti, in quantum justum censum excedunt, in sortem computentur. Quod si industria feudatarij aliquæ meliorationes in re feudali sint factæ, non debet Dominus directus adquirere fructus feudi saltem integros. *Covarr. lib.* 3. *Var. cap.* 1.

192 Feudum adquiritur 1. ex contractu, vi cujus Dominus se obligat ad dandum alicui dominium utile alicujus rei, dominio directo retento, & vassallus ad fidelitatem servitia, & obsequia invicem obligatur. Post contractum quidem loco traditionis sequitur investitura, quæ significat firmare, vel confirmare. Et alia est *realis*, & *propria*, quando scilicèt vassallus realiter in feudi possessionem introducitur. Alia est *impropria*, quando scilicèt, absque corporali traditione, aliquod signum eam significans vassallo traditur: v. g. sceptrum, quomodò Ecclesiasticis confertur investitura, vel vexillum, aut gladius, quomodo confertur sæcularibus. Vel alio modo juxta consuetud nem locorum. 2. adquiritur præscriptione longissimi temporis, nimirùm 30. annorum, si feudum est Sæculare, vel 40. Si sit Ecclesiasticum. 3. successione ab intestato, de qua jam est dictum. Feudum itidem varijs modis amittitur. Et quidem 1. ex parte Domini directi, quatenus dominium directum consolidatur cum dominio utili feudatarij, si v. g. Dominus directus sine hærede decedat, vel si absque consensu feudatarij proprietatem alienet, nisi casu quo universitatem alienat: v. g. Castrum, vel comitatum, cui res feudalis, & ejus jura sunt annexa. Item dominio privatur Dominus directus si in vassallum delinquat tali delicto, propter quod, si vassallus in Dominum feudi deliquisset, feudo privaretur. *L. 9. tit. 26. p.* 4. 2. ex parte vassalli finitur. Et quidem hoc potest accidere, vel sine ejus culpa, & dicitur *aperiri Domino*, vel præcedente vassalli culpa, & delicto, quod quidem vocatur *felonia*, & tunc dicitur *feudum committi*, *vel fieri caducum*. Sine delicto vassalli amittitur feudum, si ipse fiat inhabilis ad servitia præstanda: v. g. si cæcus, vel Religiosus fiat, vel si feudo renuntiet; *arg. L. 6. tit. 26. p.* 4. ob delictum commissionis amittitur, si vassallus graviter Dominum directum offendat, vel per se, vel per alios, in vita, & corpore, honore, & bonis fortunæ, vel si violentas manus injiciat, vel gladium stringat, etiam vulnere, vel morte, non secuta: vel si offendat uxorem, vel personas Domino proximè conjunctas. L. 8. *tit.* 26. *p.* 4. Vel si parricidium committat, ut citius succedat in feudum, vel crimen læsæ Majestatis. Si rem feudalem dolo, vel culpa lata deteriorer. Si eam sine consensu Domini alienet contractu oneroso, vel lucrativo, per quem dominium, vel aliquod jus reale, sive in re constitutum in alium transferat, traditione secuta, licet pœnitentia ductus statim revocet. Si totam rem feudalem alienet, totam amittit, si partem, partem tantum. L. 10. *tit.* 26. *p.* 4. ob

de-

delictum omissionis amittitur, si vassallus debitè requisitus negligat servitia debita præstare, vel si cum possit Dominum eripere à morte, carcere, inopia, conjuratione, vel alio periculo, non faciat. L.8. *l. 9. tit. 26. p. 4.* Si quando mutatur Dominus, vel vassallus, omittat negligentèr (secus ex ignorantia impedimento, vel causa justa) intra annum, & diem: vel si Miles sit, intra annum, & mensem, renovationem investituræ petere, & fidelitatem jurare. L. 10. *tit. 26. p. 4.* 3. ex parte rei feudalis etiam amittitur feudum. Et sane, si tota res pereat perit totalitèr feudum, si pars tantum pereat, & pro parte tantum perit, consumpta tamen domo per incendium, licet usufructus in ea constitutus, ut jus personale finiatur, non vero finitur feudum, sed conservatur in area, quia cum sit species dominij, usque ad ipsam aream penetrat.

193 Ut feudum, vel ob apertturam, vel ob feloniam ammittatur, requiritur sententia condemnatoria, si causa sit dubia, vel declaratoria, si causa notoria sit: & consensus Domini directi, in cujus favorem caducitas est statura, ac proindè huic juri potest renuntiare, vel expressè, vel tacitè exigendo, vel admittendo servitia à vassallo, postquam fecit aperturam, vel feloniam. Et si tunc decedat, ejus hæredes non habent jus revocandi feudum apertum, vel commissum. Et similitèr querela non mota à Domino contra vassallum delinquentem adhuc vivum, non potest contra ejus hæredes moveri, quia hæc actio est personalis, & actioni ingrati similis, non transiens contra hæredes delinquentis, nec ad læsi hæredes; *arg. L.7. & fin. C. de Revoc. Donation.* Feudum sic amissum, aliquando ad Dominum directum, aliquando transit ad agnatos. Licet Clericus habens feudum patrimoniale non minus, ac Laicus, si delinquat, illud amittat, si tamen feudum sit Ecclesiasticum illi competens ratione sedis, aut dignitatis Ecclesiasticæ, si delinquat, non percipit fructus, sed Domino directo adquiruntur, dum vivit Prælatus delinquens, & eo mortuo, vel deposito redeunt ad successorem in Prælatura. Et sic competentèr punitur delinquens, quin Ecclesia damnum patiatur ob delictum Prælati: nam delictum personæ non debet esse Ecclesiæ damnosum. *C. 76. de Reg. jur. in 6.* Controversia feudi inter Dominum, & vassallum debet cognosci per Pares Curiæ ab eis electos. Inter duos autem vassallos, debet cognosci per Dominum feudi, *C. 6. & 7. de Foro compet.* Si vero inter vassallum, & extraneum sit controversia debet dirimi à Judice Ordinario. *L. fin. tit. 26. p.4.* sed hodie in nostra Hispania de omnibus his causis cognoscitur in Regijs Cancellarijs. *Greg. Lop. in d. Leg. fin. V. Otros vassallos.* Commendæ, quas nostri Reges in Indijs concedunt Hispanis, qui has Provincias suo dominio subjecerunt magnam affinitatem habent, cum feudis, ac proptereà aliquid licet obiter de ipsis dicam. Et sic à Solorzano definiuntur; *Commenda est jus quoddam ex Regia largitione benemeritis novi Orbis concessum, ut tributa Indorum pro sua, & alterius hæredis vita, juxta præscriptam formam in lege successionis percipiant, cum onere eosdem Indos in spiritualibus, temporalibusque juvandi, & Provincias, in quibus hoc præmio afficiuntur incolendi, & defendendi, ipsique Regi, hac de causa peculiare homagium, sive juramentum fidelitatis præstandi.* In qua definitione præcipuæ qualitates commendarum exprimuntur. *Latius de Ipsis, tot. tit.8. & 9. lib.6. R. Ind. Solorz. de Jur. Ind. t.2. lib.2. cap.2.* Prætereà in nostra Hispania Majoratus aliquam affinitatem habent cum feudis, licet propinquiorem habeant cum Fideicommissis. Majoratus ergo sic communitèr definitur: est quoddam vinculum perpetuum relictum à patre, vel matre, vel ab alio extraneo, onere adjecto, quod bona titulo majoratus relicta indivisibilia, & inalienabila sint, & ut tandem bona vinculata perveniant ad successores in infinitum; etiam vocatur primogenium, & vinculum. Qui hæredibus necessarijs caret, potest etiam sine Regia licentia, omnium suorum bonorum majoratum facere. Qui tales habet hæredes potest solum ex tertio, & quinto, & non ultra majoratum constituere sine Regia licentia: & tunc licentia debet præcedere. *L.42. Taur. l.3. tit. 7. lib. 5. R. C.* Rex enim ob bonum commune Reipublicæ, & ut conserventur familiæ nobilium potest probabilius dispensare in lege concedente alijs filijs legitimam, ita tamen ut ipsis alimenta relinquantur juxta suum statum, licet portionem lege taxatam, seu legitimam non adæquent. *Greg. Lop. Solorz. Maeb. & alij contra aliquos.* Et potest fundator majoratus ipsum etiam de Regis licentia constitutum revocare: nisi bona, vel scripturam coram Tabellione tradidisset vocato, vel ejus Procuratori, vel majoratus ex contractu oneroso proveniat: nam tunc non potest fundator ipsum revocare, nisi in ipsa institutione, vel Regia licen-

tia hæc facultas ipsi reservetur. *L.44.Taur. l.4. tit.7. lib.5. R. C.* Licet possessor majoratus habeat dominium directum, & utile, talium bonorum juxta plures cum *Solorz. de Jur. Ind. t.2. lib.2. cap. 2. num.* 32. non tamen potest ea alienare vendere, donare, emphyteusim, vel usumfructum concedere, Lege talem alienationem irritante, potest tamen fructuum commoditatem, etiam pro tota sua vita concedere. Si filius familias possideat majoratum, pater habet usumfructum, etiamsi Regia licentia sit fundatus, nisi bona à Rege sint tali filio donata, & sint quasi castrensia. Meliorationes factæ in castris, muris, & ædificijs majoratus, majoratui ipsi accrescunt, non uxori, nec filijs eas facientis, sed integræ possessori majoratus cedunt, secus dicendum est de alijs meliorationibus. *L.46. Taur. l.6. tit.7. lib.5. R. C. Torrecill. Machad. lib.6. p.1. & alij.* Sumptus, qui fiunt in reparatione necessaria possessionum majoratus, & in lite mota immediatè contra bona vinculata, ex ipsis bonis debent deduci, nisi præcesserit dolus, vel culpa lata ipsius possessoris, nam tunc ipse, vel ejus hæredes in utroque foro damnum reparare tenentur, & juxta aliquos, etiam quando intervenit culpa levis, quod alij negant: ex culpa levissima certo non tenetur. Similiter non tenetur successor solvere debita contracta ab immediato antecessore, vel etiam mediato, nisi ob utilitatem majoratus, vel Reipublicæ fuissent contracta, secus si solum in possessoris utilitatem cesserunt. *Machad in Sum. lib.6. p.1. tr.2. & alij.* Lites, quæ super bonis vinculatis emergunt, etiam in prima instantia in Regijs Cancellarijs agitantur, quippè est casus, quem dicimus *de Corte. L.9. & 10. tit.7. lib.5. R. C. Hevia in Cur. Philip. p.1. §.9. n.8.* si reus sit Clericus, vel Ecclesia coram Judice Ecclesiastico lis agitatur. *Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 5. n.11.* ut in Indijs fundetur majoratus debet præcedere informatio Regiæ Cancellariæ ubi fundatur, an expediat, vel non. *L.fin. tit.33. lib. 2. R. Ind.* De majoratibus late agunt. *Greg. Lop. & Aceved.* latius uterque *Molina*, latissimè *Mieres.*

TIT. XXI.

De Pignoribus, & alijs cautionibus.

194 Cautio, quæ in securitatem contractus sæpè adjicitur, vel est *simplex*, quando scilicèt, nuda promissione creditor redditur securus, vel est *juratoria*, quando juramentum adjicitur, vel est *idonea*, quæ fit per idoneos fidejussores, & dicitur *satisdatoria*, vel per pignora, & *pignoratitia* dicitur, & de hac in præsenti agendum est. *Pignus*, ait *J. C. in l. 238. §. 2. ff. de V. S. appellatur a pugno, quia res, quæ pignori dantur manu traduntur, unde etiam videri potest verum esse, quod quidam putant, pignus propriè rei mobilis constitui. L. 1. tit. 13. p. 5.* Si vero res, quæ in securitatem obligatur immobilis sit, quæ quidem creditori non traditur, sed penes debitorem manet, dicitur *hypotheca*, sed pignus in genere, & hypothecam comprehendit. *L. 5. §. 1. ff. h. t.* ibi: *Inter pignus, & hypothecam tantum nominis sonus differt. L. 1. tit. 13. p. 5.* ibi: *Peño es propriamente aquella cosa, que un ome empeña a otro apoderandole de ella, è mayormente quando es mueble ::: mas segun el largo entendimiento de la ley, toda cosa quier sea mueble, ò raiz, que sea empeñada a otri, puede ser dicha peño, maguer non fuesse entregado de ella aquel à quien la empeñassen.* Pignus ergo sumitur, vel pro re in securitatem tradita, vel pro jure, quod in re oppignorata creditor habet, vel pro contractu, quo res aliqua obligatur creditori in securitatem debiti, consistitque in voluntate debitoris rem suam in securitatem debiti tradere volentis, nec certam verborum formulam, nec scripturam requirit. *L.1. ff. de Pignor. act. L. 6. tit.13. p.5.* At vero ille creditor, qui habet hypothecam publico instrumento munitam præfertur in concursu illi, qui habet scripturam privatam, etiamsi dicat, se esse priorem tempore, nisi hoc probet. *L.11. C. Qui potior. in pignor.*

195 Pignus in genere, aliud est *voluntarium*, quod quidem creditori constituitur per voluntatem debitoris, sive per testamentum, sive per contractum. *L. 1. tit. 13. p.5.* Aliud est *necessarium*, quod scilicet, per Magistratus imperium constituitur, & quidem, si ante sententiam latam constituitur, dum in possessionem rerum de-

debitoris, actor mittitur, dicitur *Pratorium*. *L.1. & seq. C. de Prætor. pignor.* Si vero Judex ex causa judicati pignora ex bonis condemnati capiat, ut eorum distractione sententiam definitivam à se latam exequatur; dicitur *Pignus judiciale*. *L.1. & per tot. C. Si in cauj. judic. pign.* *L.1. tit.13. p.5. & ibid. Greg. Lop.* Pignus, seu hypotheca, alia est *specialis*, qua scilicèt, certa, & determinata res debitoris obligatur, alia *generalis*, qua omnia ejus bona obligantur, tam præsentia, & adquisita, quàm futura, & adquirenda, quamvis horum mentio non fiat, exceptis bonis, quæ obligari specialitèr nequeunt, & eis, quæ debitor non esset obligaturus, si eorum fieret mentio, ob specialem affectionem, vel necessitatem. *L.6. ff. b.t.* Ac proindè in obligatione generali non comprehenduntur servi necessarij ad quotidianum servirium domus, nec vestes debitoris, vel uxoris ejus, nec arma, nec equi, nec suppellex domus. *L. 5. tit. 13. p. 5.* Nec quæ in favorem alicujus prohibentur alienari; *arg. L. 1. l. 7. §. 5. ff. de Reb. eorum, qui sub tutel.* Nec bona, quæ defuncti hæres per se adquirit in generali hypotheca comprehenduntur. *L.29. ff. b.t.* Deindè: pignus, seu hypotheca est duplex: alia *expressa*, quæ scilicèt verbis expressis constituitur: alia *tacita*, quæ vel hominum tacita conventione constituitur, & dicitur *pignus conventionale*: sic in rebus, quæ in prædium urbanum inferuntur, ut ibidem quasi perpetuo sint, hypotheca constituitur Domino, non solum pro pensione, sed etiam pro rei locatæ deterioratione. *L. 2. l. 4. l. 7. ff. In quib. pignus, vel hypothec. tacit.* etiam fructus ex prædio locato nati tacitè pignorati Domino ob mercedem intelliguntur. *L. 3. C. eod.* vel etiam hæc tacita hypotheca ex Legis dispositione constituitur, & sine alia expressa conventione, vel hominis facto in favorem creditorum bona debitoris obligantur, & dicitur hypotheca *Legalis*. Hanc habent 1. Uxores in bonis mariti pro dotis securitate, & restitutione, quin & pro bonorum paraphernalium, quæ ipse administrat. *C. 5. b. t. l. un. §. 1. C. de Rei uxor. action. l. 1. tit. 13. p. 5.* Et maritus pro dote, etiam habet hypothecam in uxoris bonis, vel ejus, qui eam promisit. *L. un. §. 1. C. de Rei uxor. l. 23. tit. 13. p. 5.* 2. Fiscus in bonis præsentibus, & futuris illorum, qui Regis jura, vel tributa procurant. *L. 1. l. 2. C. In quib. cauf. pign. L. 23. l. 25. tit. 13. p. 5.* 3. Mutuans pecuniam ad refectionem navis, vel ædium in ipsis, habet hypothecam tacitam. *L. 25. ff. de Reb. credit. l. 26. tit. 13. p. 5.* 4. Venditor in re vendita, donec ipsi ab emptore pretium solvatur. L. 31. §. 8. *ff. de Ædilit. edict.* 5. Redemptor in captivo ab hostibus redempto. L. 12. §. 12. *ff. de Captiv. l. 3. tit. 13. p. 5.* 6. Pupilli, & minores in Tutorum, & Curatorum bonis, etiam matris, si hæc sit Tutrix, etsi denuò nubat, etiam in bonis vitrici. L. 20. *C. de Admin. Tutor. l. 23. tit. 13. p. 5.* 7. Ecclesia in bonis Administratoris, cum minoris jure gaudeat; *arg. C. 1. & 3. de in Integr. restit.* 8. Legatarij, & Fideicommissarij in Testatoris bonis pro rebus ipsis relictis. L. 1. *C. Comm. de Legat.* L. 26. *tit. 13. p. 5.* 9. Pupilli in rebus eorum pecunia emptis. *L. 7. ff. Qui potior in pignor.* L. 25. *tit. 13. p. 5.*

196 Cum oppignoratio sit alienationis species, & via ad venditionem, siquidem debito non soluto, pignus, vel hypotheca distrahitur, ac consequentèr alienatur: solum qui possunt alienare, possunt rem pignori dare, secus alij. L. 11. §. *fin. l. 18. §. fin. ff. de Pignor. act.* L. 7. *tit. 13. p. 5.* Hinc Tutor, vel Curator res minorum immobiles, vel mobiles pretiosas, quæ servando servari possunt nequeunt sine Judicis Decreto oppignorare. L. 22. *C. de Administr. Tutor.* L. 8. *tit. 13. p. 5.* Maritus, nequidem uxore consentiente, potest fundum dotalem in pignus dare. *L. un. §. 15. C. de Rei uxor. act.* nisi dos in mobilibus consistat, vel in immobilibus æstimatis. *L. 3. l. 5. C. de Jur. dotium*: nec Procurator, nisi habeat mandatum speciale, vel generale cum libera administratione: quod si non habeat, solum potest oppignorare res Domini, si Dominus hoc solebat facere, secus alitèr. L. 11. §. *fin. l. 12. ff. de Pignor. act.* Potest tamen quis, etiam absens, constituere pignus, & etiam absenti, sive per Epistolam, sive per Procuratorem specialem, potestque pignoris obligatio contrahi, sive res sit præsens, sive non, debet tamen designari nomine, signo, vel mensura, ita ut certò cognoscatur. L. 4. *l. 23. §. 1. ff. b. t. l. 6. tit. 13. p. 5.* Prælatus Ecclesiæ non potest res immobiles, vel mobiles pretiosas Ecclesiæ sine solemnitate, secus alias, subjicere hythecæ speciali. *C. 5. de Rebus Eccl.* Potest tamen sine solemnitate quascumque res in hypothecam generalem, non quidem pro utilitate propria; *arg. C. 3. b. t.* sed pro utilitate Ecclesiæ dare. Prohibetur quidem hypotheca specialis, cum per eam propinquis sit periculum rem alienandi, &

distra-

distrahendi. Sic contra *Bonacin. & alios* tenent *Molin. de Just. tr.2. D. 466. Abbas, & alij.* Debitor, qui rem in pignus dedit, non potest alteri in pignus eam dare, nisi de consensu primi creditoris, etsi scienter oppignoret rem jam oppignoratam committit stellionatum. L.16.§.1.*ff. de Pignor. act.* nisi forte res tantum valeat, ut utrumque debitum adæquet. L. 10. *tit.* 13. *p.*5. nam tunc sine consensu creditoris potest in pignus dari. Deinde : possunt pignus accipere omnes, qui contrahere, & se obligare valent : hincque pupilli nequeunt sine Tutore pignus accipere ob metum actionis pignoratitiæ. L. 38. *ff. de Pignor. action.*

197 Omnes res, quæ alienari possunt, in pignus possunt dari. *L.* 9. §. 1. *ff. b. t.* L. 18. §. *fin. ff. de Pign. action.* mobiles, & immobiles, actiones, & jura, emphyteusis, ususfructus. L. 11. §. 2. *ff. b. t.* debitorum nomina. L. 13. §. 2. *ff. eod.* L. 2. *tit.* 13. *p.* 5. Jurisdictio temporalis (secus spiritualis, quæ extra hominum commercium est.) Feudum, non tamen sine Domini directi consensu, servitutes item rusticæ possunt pro debito oppignorari. L.12. *ff. b. t.* secus servitutes urbanæ, quæ non per se, sed solum accessoriè, si prædium urbanum oppignoretur, oppignoratæ ipsæ censentur. L. 11. §. *fin. ff. t.* Si res uni oppignorata alteri oppignoretur, crimen stellionatus committitur, nisi creditor ab oppignorante de priori pignore moneatur. *L.* 15. §.2. *ff. b. t.* L.36. §. 1. *ff. de Pignor. action.* & licet oppignoratio non sit strictè alienatio est dispositio ad ipsam : & hinc res prohibitæ alienari, non possunt dari in pignus. *L.* 4. §. 2. *ff. Quæ res pignor. L.* 3. *tit.* 13. *p.* 5. ut beneficia, & pensiones Ecclesiasticæ, utpotè in Jure spirituali fundatæ, nec res sacræ, vel benedictæ, ut Calices, & Ecclesiarum cætera supellex, nisi casu urgentis necessitatis : nam tunc, & Laico possunt in pignus tradi. Nec item res communes, & publicæ, ut viæ, & plateæ, nec res litigiosæ, nec res aliena, nisi quis in ea aliquod jus habeat, vel Dominus consentiat, vel ratum habeat, & ratihabitio ad tempus oppignorationis retrotrahitur, non tamen in tertij prejudicium. *L.* 9. *tit.* 13. *p.* 5. vel etiam si quis speret dominium illius rei adquirere. *L.*7. *tit.*13. *p.* 5. Creditor potest rem, quam in pignus accepit, alteri dare in pignus. *L.* 1. *C. Si pign. pignor. dat.* L. 35. *tit.* 13. *p.* 5. dum non det pro majori quantitate, quam accepta. Nec homo liber potest oppignorari, *C.* 2. *b. t.* Et eum recipiens amittit creditum, & debet reddere tantundem ei, vel ejus consanguineis, si ipse mortuus est. *L.* 3. *tit.* 13. *p.* 5. At verò homo liber benè potest dari obses pro pace, vel treuga, vel securitate, *Hispanè : Quedar en rehenes,* imo potest etiam in pignus dari homo liber, quando ejus pater in extrema necessitate est constitutus : nam tunc potest vendi, & oppignorari. Ille autem, qui erat apud hostes captivus, manet tanquam pignus in potestate illius, qui ipsum redemit. *L.* 3. *tit.* 13. *p.* 5. Animalia ad arandum, servi, & instrumenta necessaria, ad colendos agros non possunt in pignus capi. *L.*4. *tit.*13. *p.*5.

198 Debitor tenetur loco, & tempore statuto creditori tradere pignus, quod promisit, nec traditum potest repetere donec creditori satisfaciat, imo & solvere debet impensas à creditore in pignoris conservatione factas. *L.* 8. *l.* 25. *ff. de Pignor. action.* L. 15. *tit.* 13. *p.* 5. soluto debito competit debitori actio personalis pignoratitia directa contra creditorem, vel illius hæredes, ut pignus integrum, simul cum fructibus restituat, & damnum, si quod est factum, resarciat, etsi creditoris culpa pignus perijt, debet restituere excessum valoris pignoris ultra debitum. L. 11. *l. fin. C. de Pignor. act.* L.36. *tit.*13. *p.* 5. Creditor, si totum debitum ipsi solvatur, tenetur illud accipere, & vicissim pignus illicò restituere. L.11. *C. de Pignor. action.* cum fructibus perceptis, & qui percipi potuerunt. L. 3. *C. de Pign. action.* Et cum meliorationibus, accessionibus, & incrementis. L. 16. *l.* 21. §. 2. *ff. b. t.* L. 2. *tit.* 13. *p.* 5. potest tamen creditor retinere pignus, si tantum pars debiti ipsi solvatur : nam ut jus indivisum pro toto debito est obligatum. L. 19. *ff. b. t.* Similiter illud retinere potest pro expensis in conservatione pignoris factis, & pro usuris, si in sortem, & usuras simul obligatum est. L. 11. §. 3. *ff. de Pignor. action.* Imò & pro alio quocumque debito, etiam ante pignus contracto, & pro quo pignus non est constitutum. L. *un. C. Etiam ob Chirog.* L.22. *tit.* 13. *p.* 5. Si pignus, quod habet Cajus creditor Sempronij, ipse Cajus det Sejo in pignus, & Sempronius solvat debitum Cajo, hic tenetur rem restituere Sempronio, & pignus finitur respectu utriusque creditoris : & hinc Cajus tenetur novum pignus constituere Sejo. L. 31. *ff. b. t.* L. 35. *tit.* 13. *p.* 5. Praetereà, creditor tenetur pignus fideliter custodire, nec potest pignore uti, sine debitoris consensu, saltem tacito ; aliàs furtum

tum committit. L. 54. *ff. de Furtis.* Si creditoris dolo, vel culpa, etiam levi pignus deterioretur, debet damnum resarcire ipse creditor: nam hic contractus in utriusque gratiam cedit. Si vero deterioretur sine ejus culpa, sed casu tantum, non tenetur creditor, si casu rem perijsse probet. Quippè res suo Domino perit, & tenetur debitor solvere debitum creditori. Si tamen debitor probet, casum evenisse, culpa creditoris, tenetur creditor satisfacere debitori, & ipse debitum solvere creditori. L. 20. *tit.* 13. *p.* 5.

199 Creditori competit *actio personalis pignoratitia contraria* adversus debitorem, ut ille solvat creditori sumptus in pignore factos. L. 8. *ff. de Pign. action.* Vel si debitor pignori dedit rem alienam, vel alteri jam oppignoratam, vel donatam. L. 9. *ff. de Pign. act.* Vel si pignus venditum a creditore sit emptori evictum, L. 38. *ff. de Eviction.* Datur enim hæc actio contra debitorem, ut pignus restituat, si ejus possessionem debitor impetravit ab ipso creditore ex precario, vel conducto. L. 3. *l.* 22. §. 3. *ff. de Pignor. action.* Item creditori competit *actio hypothecaria*, vel *quasi serviana*, vel *serviana utilis*, qua contra singulos debitoris hæredes insolidùm, (in quo differt à pignoratitia) prosequitur res sibi expressè, vel tacitè obligatas, dummodo tempore contractus in bonis debitoris fuissent. Quando quis prædium rusticum locat, habet actionem *servianam*, qua petit à quocumque possessore res colonis invectas in fundum, & expressè oppignoratas pro mercede locationis, & deteriorationе fundi. Creditor licet non dominium, possessionem tamen pignoris habet, illudque à quovis alio possessore vindicare valet. L. 17. *ff. b. t.* donec ipsi pro debito satisfiat, sublataque sit obligatio. L. 66. *ff. de Evict. l.* 18. *tit.* 13. *p.* 5. Quod si ille tertius possessor velit solvere creditori debitum, tenetur hic illud accipere, & actionem tàm personalem, quàm hypothecariam cedere illi tertio. L. 19. *ff. Qui potiores. l.* 18. *tit.* 13. *p.* 5. *& ibid. Greg. Lop.* Si Dominus vendat seu oppignoratam, vel mandato Judicis distrahatur, in emptorem simul cum dominio obligatio pignoris transit. *C.* 5. *b. t. l.* 12. *C. de Distr. pign.* Et potest creditor ab emptore rem oppignoratam vindicare, nisi ejus consensu res oppignorata alienata fuit. L. 8. §. 6. *ff. Quib. mod.* Vel si filiæ debitoris in dotem data. L. 11. *ff. eod.* Nam tunc remisisse censetur jus pignoris, si aliquid rei in pignus datæ accedat. V. g. alluvione, vel aliter sit meliorata à creditore in omnibus manet radicatum pignus, licet tales accessiones Domino rei adquirantur. L. 16. *l.* 11. §. 2. *ff. b. t. l.* 21. *tit.* 13. *p.* 5. sed non aliter cogitur creditor rem restituere, nisi etiam ipsi solvantur sumptus, quos in melioratione fecit. L. 15. *tit.* 13. *p.* 5.

200 Si creditor cum debitore convenit de pignore vendendo, illud vendere debet tempore, & modo convento. L. 4. *ff. de Pignor. action. l.* 41. *tit.* 13. *p.* 5. Si nihil conventum est, semel denuntiatione debitori facta, biennium creditor expectat, & eo elapso, si debitor non solvit, pignus potest vendere. L. *fin.* §. 3. *C. de Jur. dom. impetr.* Si pactum de non distrahendo intervenit, trina denuntiatio per intervalla arbitraria præcedere debet. L. 4. *ff. de Pign. action. l.* 42. *tit.* 13. *p.* 5. Si creditor vendat ex conventione rem oppignoratam pro debiti solutione, si postea evincatur, non tenetur creditor de evictione, sed debitor, nisi fortè creditor ad evictionem se obligavit, vel scienter rem alienam in pignus recepit, vel rem vendidit, tanquam suam, non tanquam oppignoratam. L. *fin. tit.* 13. *p.* 5. Fructus, quos debitor seminavit, vel apud eum nati sunt, ad quemcumque, & quocumque titulo res transeat, remanent sicut res ipsa pignori obligati, si tamen à creditore seminentur, vel apud ipsum nascantur non remanent obligati. L. 16 *tit.* 13. *p.* 5. Imò si creditor ex re oppignorata fructus percipiat, eos debet, vel eorum pretium, si ipsos vendidit, in sortem principalem computare, ita ut debiti quantitas minuatur secundum fructuum perceptorum æstimationem, & si hæc debitum adæquet, debitum extinguatur omninò. Quidquid enim ultra sortem accipitur usura est, ac proindè non valet *Antichresis*, seu pactum, ut creditor fructus percipiat donec debitum solvatur, quin eos computare teneatur in sortem principalem. C. 1. *c.* 2. *de Usur. C.* 4. *c.* 6. *b. t. l.* 2. *tit.* 13. *p.* 5. licet hoc videatur in Jure Civili permissum. L. 1. §. 3. *l.* 11. §. 1. *ff. b. t.* Aliquando tamen non computantur fructus in sortem principalem. 1. Enim si vassallus det Domino directo in pignus prædium feudale, Dominus percipit fructus, & eos non computat in sortem principalem: quia cum vassallus tunc non præstet obsequia, non debet fructus percipere. *C.* 1. *de Feud. C.* 8. *de Usur.* 2. Si creditor tales fructus percipiat pro damno emergente, vel lucro cessante, vel pro expensis,

sis, vel pro labore, profectò eos non debet computare. C. 1. *de Usur.* C. 7. *de Jur. jur.* l. 8. §. 25. *ff. de Pignor. action.* 3. Maritus, cui pro dote sunt aliquæ possessiones obligatæ, earum fructus percipit, nec in dotem nondum sibi traditam computat, cum frequenter ad onera matrimonij sustinenda fructus dotis non sufficiant. C. 16. *de Usur.* 4. Clericus, cui suum beneficium est obligatum à Laico, illud injustè possidente, percipit fructus, & non computat. C. 1. *de Usur.* quia per occultam compensationem redimit, quod ad ipsum legitimè spectat.

201 Pactum *Legis Comissoriæ*, quando, scilicet, inter creditorem, & debitorem convenit, ut si intra tempus statutum debitor non solvat, pignus committatur, & dominium adquiratur creditori, si pignori adjiciatur, etiam ex intervallo, ut contra *Bart. & Abb.* tenent *Covar. lib.* 3. *Var. cap.* 2. *n.* 8. *& alij.* Saltem Jure Positivo est irritum ipso jure, nec ex eo aliqua resultat obligatio. C. 7. *h. t. l. fin. C. de Pact. pignor. l.* 12. *tit.* 13. *p.* 5. Nec juramento firmatur, nam licet juramentum sit servandum, cum servari possit, sine dispendio salutis æternæ, nullum tamen jus tribuit creditori; *arg. C.* 1. *c.* 6. *de Jur. jur.* Imò, si debitor justè impeditus non solvat tempore statuto, potest etiam juramento non relaxato, posteà oblato pretio debiti pignus redimere: cum juramentum non credatur factum in casum inculpabilis moræ. C. 7. *h. t.* Nec hujusmodi pactum valet, si debitor renunciet Legi tale pactum prohibenti, quia hæc Lex non tàm est introducta in favorem debitorum, quàm in pœnam creditorum, & publicæ utilitatis causa, ut tollatur usuræ periculum, cum plerumque pignora quantitatem creditæ pecuniæ suo valore multum excedant, & ut ita fœneratorum coerceatur avaritia: cum debitores facilè in talia pacta consentiant fiducia faciendi in tempore solutionem. Aliud est in venditione, in qua tale pactum admittitur: cum enim res justo pretio soleant vendi, non patitur emptor damnum, aut injuriam, si pretio non numerato ad tempus præfixum solutioni, res habeatur pro inempta. Hinc valere pactum ajunt, ut si debitum non sit solutum intra tempus, pignus sit emptum, aut datum in solutum creditori justo pretio, seu arbitrio boni viri, vel Judicis taxando. Imò si paciscentes solum dicant, quod pignus sit venditum, si solutio debiti non fiat tempore præfixo, sub intelligitur, quod sit venditum justo pretio; *arg. L. fin. ff. de Contrah. empt. l.* 16. §. *fin. ff. h. t. l.* 12. *tit.* 13. *p.* 5.

202 Pignoris obligatio varijs modis finitur. 1. Interitu totali rei. *L.* 8. *ff. Quib. mod. pign.* Si res deterioretur adhuc in ea manet pignus. *L.* 15. *tit.* 13. *p.* 5. 2. Si debitum totaliter sit solutum, vel aliter satisfactum. *L.* 11. *C. de Pignor. act. l.* 38. *tit.* 13. *p.* 5. Si non est totalitèr solutum debitum, sed tantum pars, adhuc remanet obligatio pignoris, potestque pro solutione vendi. *L.* 43. *tit.* 13. *p.* 5. 3. Si debitor per sententiam Judicis, licet injustam, absolvatur. *L.* 13. *ff. Quib. mod. pignor.* 4. Si creditor debitori debitum remiserit, saltem tacitè, & reddendo singrapham. *L.* 17. §. 2. *ff. de Pact. l.* 7. *C. de Remis. pign.* Vel si pignus restituat debitori, quando non constat, quod ad alium finem restituit. Si creditor remittat debitum, etiam jus pignoris remisisse censetur: non verò è contra, nam etiamsi jus pignoris remittat non censetur debitum remisisse. *L.* 40. *tit.* 13. *p.* 5. 5. Si tempus, ad quod fuit pignus constitutum, sit elapsum. *L.* 6. *ff. Quib. mod.* 6. Si creditor recuset recipere debitum, à debitore oblatum, & hic pecuniam obsignaverit, & solemnitèr deposuerit. *L.* 11. *C. de Pignor. act. l.* 38. *tit.* 13. *p.* 5. 7. Si creditor consentiat alienationi pignoris à debitore factæ: nam obligationem pignoris censetur remisisse. *L.* 4. §. 1. *ff. Quib. mod. pignor.* Pignus non potest à creditore præscribi, ex defectu tituli, bonæ fidei, & possessionis. Si verò ab ipso debitore, vel ejus hærede possideatur, quia fortè non tradidit debitor pignus, extinguitur pignus 40. annis, nec posteà potest pignus peti. *L.* 7. §. 1. *C. de Præscript.* 30. *vel* 40. *ann. l.* 39. *tit.* 13. *p.* 5. Si extraneus illud possideat, cum justo titulo 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes, & sine titulo 30. annis præscribit. *L.* 7. *C. de Præscript.* 30. *vel* 40. sive res sit mobilis, sive immobilis, cum in his Legibus nulla fiat distinctio. *L.* 39. *tit.* 13. *p.* 5. Actio directa pignoris à creditore contra debitorem præscribitur 30. annis, si hoc tempore pignus non luat, solutione debiti oblata, ac proindè hoc tempore elapso, non potest debitor pignoratitiam actionem contra creditorem movere. *L.* 3. *C. de Præscript.* 30. *vel* 40.

***

TIT.

TIT. XXII.

De Fidejussoribus.

203 **F**Idejussio sic dicta est à *fide*, & *jussio*: quia fidejubens, alterum de sua fide, securum esse jubet. *L.* 75. §. 6. *ff. de V. O.* Etiam *intercessio* appellatur, estque *contractus*, *in quo quis promittit, se soluturum, quod alius, ut debitor principalis debet, si ipse non solvat. L.* 1. *tit.* 12. *p.* 5. ibi: *Fiador tanto quiere decir, como ome, que dà su fè, è promete à otro de dàr, ò de facer alguna cosa por mandado, ò por ruego de aquel, que le mete en la fiadura.* Qui promittit, & in se alienam obligationem suscipit, dicitur *fidejussor*, *sponsor*, *&* *adpromissor*: quia pro alio promittit, & in hoc differt à *Correo* debendi: nam hic principalitèr, & pro se promittit. Et etiam differt à *mandatore*: nam mandator suo nomine obligatur, & obligationem principalem præcedit: fidejussor regularitèr sequitur obligationem principalem. Etiam differt à *constitutore*, nam hic non necessario se obligat pro alio, sicut fidejussor, sed potest quis constituere, quod alter, vel etiam ipsemet debet. Etiam differt ab *expromissore*: nam hic ita in se accipit alienam obligationem, ut principalem reum liberet, & fit novatio obligationis: fidejussor verò remanet obligatus simul cum principali. *L.* 1. *tit.* 12. *p.* 5. Fidejussio Jure Civili erat stipulationis species, certam verborum formam requirens. *L.* 8. *ff. h. t. l.* 12. *C. eod. l.* 6. *tit.* 12. *p.* 5. Et in hoc differt à *mandato*: nam mandatum nudo consensu, & inter absentes constituitur. At verò Jure Canonico, *C.* 1. *de Pact.* & Hispano. *L.* 2. *tit.* 16. *lib.* 5. *R. C.* neutiquam est necessaria stipulatio ad fidejussionem, sed quocumque modo potest fieri. Et ita tenet *Greg. Lop. in l.* 6. *tit.* 12. *p.* 5. V. *Dicien. de.* Fidejussio ergo alia est *judicialis*, & propriè *satisdatio* appellatur, quà, scilicet, in judicio quis constituitur fidejussor. Et quidem, si fidejussor caveat de *judicio sisti*, *vas* dicitur, *Hispanè*: *Fiador de la baz*, qui solum se obligat reum, vel carceri restituere, vel Judici præsentare. Si caveat de *solvendo judicato*, *Præs* dicitur, *Hispanè*: *De jusgado, y sentenciado.* Alia est *extrajudicialis*, quæ scilicet extra judicium, & præcipuè in contractibus adhibetur: quod si à Lege, vel imperio Magistratus inducatur, dicitur *necessaria. L.* 13. *ff. de Usufruct.* Si absque hac necessitate fiat *voluntaria* erit. Si pro debito solvendo simplicitèr fidejussor se obligat, est fidejussio *simplex*. Si in residuum se obligat, hoc est, in casum, quo creditor integrum debitum consequi non possit, *fidejussio indemnitatis* dicitur, *Hispanè*: *De sacar à paz, y a salvo.* Rursus fidejussio, alia est *principalis*, quando fidejussor pro principali debitore se obligat: alia *succedanea*, quando pro fidejussore fidejubet. *L.* 8. §. *fin. ff. h. t.* Ita ut sit fidejussor fidejussoris, imò aliquando, ita quis fidejubet, ut principalitèr in se obligationem principalis debitoris suscipiat, ita ut ex fidejussore fiat debitor principalis, & dicitur obligari *insolidùm*, *Hispanè*: *De mancomun.* Et tunc est in electione creditoris etiam ab ipso fidejussore, non interpellato debitore, petere debitum. Si fidejussor facilè possit conveniri, & tantas habeat facultates, ut creditor servari valeat indemnis, est fidejussio *idonea*; *inidonea* tamen, si fidejussor difficile valeat conveniri, vel quia rixosus est, vel quia non habet sufficientes facultates pro debito solvendo. Ideò in Nostra Hispania requiritur, quod fidejussores sint, *Legos*, *llanos*, *y abonados. L.* 8. *tit.* 10. *lib.* 9. *R. C. l.* 4. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. Ind.* In via executiva ne executus incarceretur debet dare fidejussorem evictionis, *Hispanè*: *De Saneamiento. L.* 19. *tit.* 21. *lib.* 4. *R. C. Et ibid. Acevcd. ex n.* 53.

204 Fidejussores accipere possunt omnes illi, qui possunt promissiones, seu stipulationes acceptare. L. 1. *tit.* 12. *p.* 5. Similitèr fidejubere possunt, quicumque se obligare possunt, nisi specialitèr prohibeantur. L. 1. *tit.* 12. *p.* 5. Prohibentur 1. furiosi, & infantes. 2. Pupilli sine Tutoris authoritate. Servi, nisi fidejubeant jussu Domini, vel ex re peculiari. L. 19. *l.* 20. *ff. h. t. l.* 2. *tit.* 12. *p.* 5. Minor Curatorem habens, sine ejus authoritate nequit fidejubere. Si Curatore careat fidejubendo obligatur, sed si lædatur, restituitur, imò etsi cum authoritate Curatoris fidejubeat restituitur in integrum, si lædatur. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 540. *n.* 25. *Gom.* 2. *Var. cap.* 13. *n.* 19. 3. Religiosus sine consensu Prælati, & majoris partis Capituli in Religionibus, in quibus proceditur capitularitèr, in alijs autem requiritur Superioris licentia. *C.* 4. *h. t. C.* 2. *de Solut. l.* 2. *tit.* 12. *p.* 5. Alitèr fidejussio est nulla, nec tenetur Religiosus, nec Monasterium, nisi in quantum utilitatem percepit. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 540. *n.* 23.

n. 23. *& alij.* 4. Clericis prohibetur abusus, seu nimia frequentia fidejubendi, præsertim pro Laicis. *C.* 1. *h. t. l.* 2. *tit.* 12. *p.* 5. Cum non debeant se negotijs sæcularibus implicare. Si tamen fidejubeant, licet illicita, erit tamen valida fidejussio. L. 45. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Pero si entrassen en alguna de estas fiadurias, que les son defendidas, valdrà la fiaduria*: quia multa prohibentur, quæ tamen facta tenent. *C.* 16. *de Regul.* Et de patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus satisfacere tenentur: & his deficientibus, de redditibus perceptis beneficij; sed ita ut ipsi non egeant. *C.* 2. *h. t. L.* 45. *tit.* 6. *p.* 1. In uno, vel altero casu, præsertim, causa pietatis licitè fidejubent Clerici. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 4. *& alij.* 5. Miles, qui est in expeditione, & castris, nequit fidejubere, nisi in rem suam fidejubeat, ne ipsum à militia avocet negotiorum forensium occupatio. L. 15. *C. de Re Milit.* L. 2. *tit.* 12. *p.* 5. ibi: *Non pueden ser fiadores por otri los Cavalleros de la mesnada del Rey.* Prælatus, & Episcopus, licet ex justa causa, & non in magna quantitate possit ex redditibus suæ mensæ fidejubere, cum hoc ad liberam administrationem pertineat, non tamen potest aliter fidejubere. *C.* 19. 11. *q.* 1. Et tunc cum nomine proprio fidejubeat, ipse solus obligatur. Si nomine Capituli, ejusque consensu requisito fidejubeat, Ecclesia, vel Monasterium obligatur; *arg. C.* 4. *h. t.* Sed si damnum sequatur, restituitur. *C.* 1. *e.* 3. *de in Integr. restit.* Si consensum Capituli non requisivit, non tenetur Ecclesia ex tali fidejussione.

205 7. Mulier, non solum pro marito, sed etiam pro quolibet alio, ob suam imbecillitatem fidejubere prohibetur ex S. C. Vellejano, *tot. tit. ff. & C. ad S. C. Vellej. L.* 14. *tit.* 12. *p.* 5. Adeò ut possit repetere solutum ex fidejussione facta, & creditor, etiam ante repetitionem, & sententiam restituere tenetur solutum cum non fiat Dominus ejus. *L.* 16. §. 1. *ff. ad S. C. Vellejan.* Mulier tamen ex fidejussione obligatur, si fidejussit pro pecunia Domino promissa, ut servus libertatem consequatur. *L.* 24. *C. ad S. C. Vellejan.* L. 3. *tit.* 12. *p.* 5. *& ibid. Greg. Lop.* ubi addit, idem esse dicendum, si mulier pro alia pia causa intercedat, cum valeat argumentum de libertate ad piam causam, & è contra. Vel si pro fidejussione accepit pretium periculo fidejussionis æquivalens. *L.* 23. *C. eod. l.* 3. *tit.* 12. *p.* 5. Vel si biennio post fidejussionem elapso eam renovet. *L.* 22. *C. eod. l.* 3. *tit.* 12. *p.* 5. Vel si fidejubeat pro dote alterius mulieris. *L. fin. C. ad S. C. Vellejan.* L. 3. *tit.* 12. *p.* 5. Vel si fidejussio in illius redundet utilitatem, v. g. si fidejubeat pro eo, qui in quantitate æquali est illius fidejussor, vel pro creditore, cui ipsa tantundem debet: vel pro debitis defuncti, cujus hæreditatem ipsa emit. L. 13. *l.* 23. *l.* 24. *ff. ad S. C. Vellej.* L. 3. *tit.* 12. *p.* 5. Vel si apud creditorem minorem 25. annis intercessit. L. 12. *ff. de Minor. & ibid. Gothofr.* Vel si ex dolo creditorem velit decipere. V. g. si esset in habitu viri, ita ut creditor judicaret, eam esse virum. L. 5. *C. ad S. C. Vellej.* ibi: *Non succurretur Senatus Consulto, quo infirmitati, non calliditati mulierum consultum est.* L. 3. *tit.* 12. *p.* 5. Vel si fidejussit coram publico Magistratu, vel si fidejussio juramento est firmata; *arg. C.* 28. *de Jur. jur.* vel publico instrumento, tribus testibus adhibitis, roborata. L. 23. §. *fin. C. ad S. C. Vellej.* Vel si renuntiet, etiam simplici renuntiatione, huic beneficio principaliter in mulierum commodum introducto, cum sciat se tali privilegio juvari, ut contra *Vinium, Select. qq. l.* 1. *cap.* 48. *& alios* tenent *Perez in Cod. ad Tit. ad S. C. Vellej. n.* 33. *& alij. Ex L.* 2. §. 2. *& l. fin.* §. 4. *ff. ad S. C. Vellejan. & ibid. Gothofred.* Nec enim tam faciles sunt ad renuntiandum suis privilegijs, sicut ad fidejubendum, sed majori reflexione illud faciunt. Et expressè habetur in *L.* 3. *tit.* 12. *p.* 5. ibi: *Renunciando de su grado, è desamparando el derecho, que la Ley les otorgò à las mugeres en esta razon.* vel si consentiat expressè, vel tacitè, ut ejus bona à marito, tanquam propria obligentur, ignorante creditore, ea bona mulieris esse. L. 5. *C. ad S. C. Vellejan.* Quod si mulier velit pro marito fidejubere, non potest hoc facere, nequidem renuntiando S. C. Vellejano. L. 9. *tit.* 3. *lib.* 5. *R. C. Greg. Lop. in l.* 3. *tit.* 12. *p.* 5. *V. Renunciando.*

206 Fidejussoris obligatio est accessoria obligationi principali, quam supponit. §. 5. *Instit. h. t.* Hinc, si principalis obligatio invalida sit, etiam fidejussio est invalida. L. 16. *ff. h. t.* V. g. si quis in promissione usurarum, vel rei temporalis pro spirituali fidejubeat, fidejussio erit irrita, cum promissiones, quibus accedit à jure reprobentur. *arg.* L. 178. *ff. de Reg. jur. C.* 46. *eod. in* 6. Quod si quis pro alio se constituat debitorem principalem, non erit fidejussor, cum non accessoriè obligetur. Fidejussor potest se obligare in eandem summam, vel minorem, quam debet

A prin-

principalis, non tamen in majorem, quia cum sit accessoria, non plus in ea, quam in principali potest esse. §.5. *Inst. h.t. L.*8. §. 7. *ff. eod.* Et si in plus obligetur, erit fidejussio nulla, non in totum, ut censet *Fachin. L.* 8. *Controv. cap.* 51. sed solum quoad excessum, quia in majori minor quantitas continetur, ut tenent *Gloss. in L.* 8. §. 7. *ff. h. t. Gom.* 2. *Var. cap.* 13. *n.* 2. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 541. *n.* 3. Et expressè habetur *in L.* 7. *tit.* 12. *p.* 5. ibi: *Por mas de quanto es el debdor principal obligado, non se puede obligar el Fiador; è si lo ficiere, non vale la fiadura, quanto en aquello que es demàs.* Potest tamen obligari ad plus intensivè, seu efficaciùs; sic licet obligatio principalis sit naturalis tantùm: v.g. si quis pro pupillo, sine Tutoris authoritate contrahente, fidejubeat, ex fidejussione civilitèr, & efficacitèr obligatur. L. 16. §. 3. *ff. h. t.* L. 5. *tit.* 12. *p.* 5. Cuicumque obligationi, sive oriatur ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto, vel quasi delicto, potest fidejussor adhiberi, sive civilitèr, sive criminalitèr agatur, excepta tamen pœna sanguinis, vel alia corporali. L. 56. §. *fin. l.*70. § *fin. ff. h.t.* Quia nemo est Dominus membrorum suorum. L. 13. *ff. ad Leg. Aquil.* Pro dote conservanda, aut restituenda, matrimonio constante, non possunt à marito exigi, nec dari fidejussores, ne causa perfidiæ generetur in connubio. L. 1. & 2. *C. Ne fidejussor. dot. dentur.* Nec plus deber uxor fidei alienæ, scilicèt, fidejussoris, tribuere, quam mariti; si non uxor, ed alius promittat dotem, cum cesset hæc ratio, fidejussorem petere potest à marito. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.*425. *n.*2. Etiam obligationi futuræ adhiberi potest fidejussio, quæ est conditionalis, si ponatur obligatio, quod si deficiat ipsa fidejussio evanescet: potest etiam sub conditione, vel ad tempus fieri fidejussio. L. 6. *tit.* 12. *p.* 5. Si fidejussor in totam causam fidejussit, tenetur etiam ad usuras, & ad incrementum debiti ex mora. L. 68. §. 1. *ff. h.t.* Si solum fidejussit pro debito, quantum ab initio fuit, in id tantum obligatur, nec actus agentium ultra agentium intentionem operari valent. L. 19. *ff. de Rebus credit.*

207 Licet olim creditor posset etiam ante debitorem principalem convenire fidejussorem. L. 2. *l.* 5. *C. h. t.* Tamen in *Authent. Præsente*, *C. h. t.* fuit introductum à Justin. beneficium *Ordinis*, seu *Excussionis*, ita ut si prius fidejussor, quam debitor principalis conveniatur hanc exceptionem possit opponere, ut prius bona principalis excutiantur. L. 9. *tit.* 12. *p.* 5. Potest tamen fidejussor conveniri prius, quam principalis, si notoriè non habeat unde solvat principalis, vel si fidejussor huic beneficio, pro ipso introducto, renuntiet, vel si principalis, non nisi difficultèr possit conveniri, quia abest longè à Provincia, vel latet, vel potens, vel rixosus est, vel si pater pro filio, vel alius fidejussit pro eo, qui solum naturalitèr potuit obligari: cum enim tunc adversus principalem actio non competat, non est locus excussioni, vel si fidejussor neget, se fidejussisse, & mendatij convincatur. Si quando sunt plures fidejussores, singuli pro parte debiti se obligarunt, tantum ad eam partem tenentur: si singuli insolidùm, quilibet potest conveniri, possunt tamen opponere beneficium *divisionis ex Epist. D. Adriani*, non ipso jure compeтens, sed per viam exceptionis, ut scilicèt cæteri confidejussores pro virili portione concurrant ad solvendum. §. 4. *Inst. h. t.* L. 16. *ff. eod.* Si aliquis fidejussor tempore divisionis non sit solvendo, reliqui ad totum debitum solvendum obligantur; imò etiam unus, qui solvendo est. §. 4. *Inst. h. t.* Si verò post divisionem legitimè factam inter fidejussores aliqui fiant non solvendo, non obest alijs confidejussoribus, sed creditori, quia ipsi postquam semel sunt liberati, non possunt reduci inviti in pristinam obligationem. L. 51. §. *Cum inter, ff. h.t.* L. 16. *C. eod.* Non gaudent hoc beneficio divisionis fidejussores. 1. si ipsi beneficio, pro ipsis introducto, renuntient, vel expressè; *arg.* L. 29. *C. de Pact.* vel tacitè, scilicèt, non opponendo hanc exceptionem, saltem antequam sententia executioni mandetur: nam tunc, qui solvit non potest à creditore petere partem solutam tanquam indebitam, nec ab alijs confidejussoribus. §. 4. *Inst. h. t.* 2. Si cæteri fidejussores solvendo non sint, qui solvendo est, totum solvere debet. §. 4. *Inst. h. t.* 3. Quando simul cum muliere aliquis fidejussit; *nam scire potuit, aut ignorare non debuit, mulierem frustra intercedere.* L. 48. *ff. h. t.* 4. Fidejussores rem pupilli salvam fore non habent beneficium divisionis. *L. fin. ff. Rem pupill. Et ibid. Gotofred.* 5. Si falsò negent fidejussisse: nam inficiantibus, auxilium divisionis non est indulgendum. L. 10. §. 1 *ff. h. t.* In nostra Hispania, quando plures fidejussores insolidùm se obligant, potest creditor à quocumque totum debitum petere, & uno solvente, cæteri liberantur, & tunc

non possunt beneficium divisionis opponere, si verò non insolidùm, sed simpliciter se obligarunt, & omnes sunt solvendo, non potest creditor petere à quolibet, nisi partem ipsi correspondenrem, & si unus non sit solvendo, alij tenentur etiam pro illius parte, & in hoc casu apud nos non est necessaria Epistola D. Adriani. L. 8. *tit.* 12. *p.* 5. *& ibid. Greg. Lopez,* V. *Toda la debda.* Et V. *Cada uno.*

208 Si nullo ex his remedijs usus est fidejussor habet beneficium *cedendarum actionum*, vi cujus non solum excipere contra creditorem petentem debitum, sed ab ipso creditore potest petere, ut ipsi cedat actiones, quas habet abversus debitorem principalem, & alios fidejussores, & possessores pignorum. §. 6. *Inst. h. t.* L. 15. *l.* 17. *ff. eod. l.* 11. *l.* 21. *C. eod. l.* 11. *tit.* 12. *p.* 5. Si aliquis ex fidejussoribus solidum solvit, & ipsi actiones non sunt cessæ à creditore nullam habet actionem adversus confidejussores. *L.* 34. *ff. h. t. l.* 11. *C. eod. l.* 11. *tit.* 12. *p.* 5. Imo neque contra debitorem principalem, si ipso prohibente solvit. *L.* 41. *ff. Mandat.* Si verò solvit pro principali debitore, ipso præsente, & mandante, vel sciente, competit fidejussori contra debitorem actio mandati. §. 6. *Inst. h. t. junct. L.* 6. §. 2. *ff. Mandat. l.* 12. *tit.* 12. *p.* 5. Si solvit, ipso debitore absente, & ignorante competit fidejussori adversus eum actio negotiorum gestorum. *L.* 4. *ff. de Negot. gest.* Si pro alio absente, mandato Titij: v. g. fidejussori, tenetur mihi mandator, & non debitor ad ea, quæ solvi, nisi in debitoris utilitatem fidejussio convertatur, quia tunc, & quando debitor erat præsens, & non contradixit, est in mea electione agere contra ipsum, vel contra mandantem. L. 13. *tit.* 12. *p.* 5. Fidejussor regularitèr ante solutionem non potest à creditore debiti solutionem impetrare. L. 14. *tit.* 12. *p.* 5. Potest tamen ante solutionem petere liberationem, si fidejussor sit condemnatus debitori principali; quia perindè est, ac si solvisset, cum adversus fidejussorem sit parata executio; vel si debitor ad inopiam vergat, vel si diù, & culpabilitèr solvere differat. *C. fin. h. t. l.* 38. §. 1. *ff. Mandat. l.* 14. *tit.* 12. *p.* 5. Vel si fidejussor ex gravi causa: v. g. studiorum, vel negotiationis peregrè sit profecturus, & diù non rediturus: vel si pactum cum debitore fecit fidejussor, ut post certum tempus, eum à fidejussione liberet. L. 10. §. *fin. ff. Mandat. l.* 14. *tit.* 12. *p.* 5. Vel si capitales inimicitiæ suboriantur inter fidejussorem, & debitum; *arg. L.* 8. §. *fin. ff. de Procurat.* Et quidem hujus culpa, secus si culpa fidejussoris, ne in ejus manu sit, se ab obligatione liberare.

209 Hæredes fidejussoris tenentur, sicut ipse fidejussor, & easdem exceptiones habent, ac ipse fidejussor, ac proindè fidejussio non finitur morte. *L.* 24. *C. h. t. l.* 16. *tit.* 12. *p.* 5. Finitur tamen fidejussio debitore principali solvente debitum, nisi evincatur id, quod dedit in solutum. Vel si creditor fidejussori obligationem remittat, vel à creditore legetur liberatio. L. 49. *ff. h. t.* Vel si obligatio antecedens innovetur, & in eam non consensit fidejussor. L. 4. *C. h. t.* Vel si fidejussor sit hæres debitoris, vel debitor hæres fidejussoris; quia nemo potest apud eundem pro se ipso esse obligatus. L. 21. §. 3. *ff. h. t.* Vel si creditor tempus proroget debitori. Ideò si quis pro officiali, cujus officium per unum annum durat fidejussit, & anno expleto, officium prorogatum est inconsultò fidejussore; hic tantum tenetur pro periculo prioris anni, pro quo fidejussit, non verò pro tempore prorogato. L. 27. §. 1. *ff. de Pact. Gonz. in C. fin. h. t. n. fin.* Si quis sub pœna fidejussit, reum criminis *Judicio sisti* ad certum diem, si reum ad illum diem non potuit invenire, illi conceditur tantum temporis, quantum continebatur in primo termino, si non excedebat sex menses, & si secundo termino elapso, reum non sistat in judicio, solvet fidejussor pœnam promissam, quod si primus terminus sex menses excedat, in secundo termino solum sex menses conceduntur. *L.* 26. *C. h. t. l.* 17. *tit.* 12. *p.* 5. Potest tamen fidejussor primo termino elapso, reum defendere in judicio, & debet concludere judicium semel cœptum, etsi reus sine culpa inveniatur, absolvitur fidejussor; aliàs solvet pœnam promissam, & interesse. Sed si reus ad aliquid dandum, vel faciendum tenebatur, illud solvendo liberatur à pœna fidejussor. L. 26. *C. h. t.* L. 18. *tit.* 12. *p.* 5. Si reus in primò termino moriatur, non tenetur fidejussor ad pœnam promissam, tenetur tamen, si post terminum primum moriatur, nam jam pœna erat commissa. Si nullam pœnam promisit, arbitrio Judicis condemnatur. *L.* 26. *C. h. t. l.* 19. *tit.* 12. *p.* 5. Si verò nec dies, nec scriptura intervenit, si creditor non petat à fidejussore, quod reum exhibeat, usque ad duos menses liberatur à fidejussione, nisi fidejussit in negotio ad Regem, vel Communitatem pertinente, vel fidejussio est in instrumen-

to publico confecta, nam tunc usque ad tres annos, sed non ultra durat. *L.* 19. *tit.* 12. *p.* 5. Si ille, qui sub certa pœna promisit, aliquem in judicio exhibere, in pœnam incidat, hæc debet peti intra annum, à die, quo in pœnam incidit, sed eo elapso, jam non potest ampliùs ab eo peti. *L.* 10. *tit.* 16. *lib.* 5. *R. C.*

TIT. XXIII.

De Solutionibus.

210 Solutio *generalitèr sumpta* pro quacumque *satisfactione* debiti sumitur, sive fiat acceptilatione, quæ est imaginaria solutio, qua creditor debitum habet pro accepto. *L.* 1. *ff. de Acceptilat.* sive novatione, qua vetus obligatio in novam transfunditur, eodem creditore, & debitore manente. *L.* 1. *ff. de Novation.* sive delegatione debiti, qua tollitur prior obligatio interventu novi debitoris, qui enim debet in delegationem consentire. *L.* 1. *&* 6. *C. de Novation.* sive compensatione, qua creditor rem, quæ non est debita loco solutionis accipit. *L.* 20. *C. b. t.* sive transactione, sive pacto de non petendo, sive alio modo fiat. L. 54. *ff. b. t. l.* 47. *l.* 176. *ff. de Verbor. significat. l.* 2. *tit.* 14. *p.* 5. specialitèr tamen accepta solutio *est rei debita loco, & tempore debito creditori facta readitio.* *L.* 49. *l.* 67. *ff. b. t. l.* 1. *tit.* 14. *p.* 5. ibi: *Paga tanto quiere decir, como pagamiento, que es fecho à aquel, que debe recibir alguna cosa, de manera, que finque pagado della, ò de lo qual deben facer.* Si solvens sit Dominus rei, transfert in creditorem illius dominium. *L.* 10. *C. b. t.* si secus, jus usucapiendi pro soluto. L. 46. *ff. de Usucap.* Debitorque ipso jure liberatur à debito, omnesque obligationes reales, personales, & accessoriæ, ut fidejussiones, pignora, & hypothecæ tolluntur. L. 43. *ff. b. t. l.* 1. *tit.* 14. *p.* 5. Et sanè cum non possit, invito creditore, unum pro alio solvi. L. 2. §. 1. *ff. de Rebus credit.* L. 3. *tit.* 14. *p.* 5. Idipsum, quod debetur, solvendum est, & cum in rem debitam debitor determinatè habeat jus, non satisfit per aliam, etiam æquè bonam; nec quod simul acceptum est, debet per partes solvi. *L.* 41. §. 1. *ff. de Usur. & fruct. l.* 9. *C. b. t.* nisi ex consensu creditoris, vel alia justa causa. *L.* 41. §. 1. *de Usur.* & qui factum promisit, non satisfacit offerendo interesse, nisi quando factum promissum non potest ampliùs præstari. *L.* 13. §. 1. *ff. de Re judic. l.* 3. *tit.* 4. *p.* 5. Et cum in solutione non attendatur materia monetæ, sed valor. *L.* 1. *ff. de Contr. empt.* non est necesse solutionem fieri in auro, v. g. si in auro acceptum est mutuum, sed in quacumque specie monetæ currentis fieri potest. *L.* 9. *l.* 35. *ff. de Aur. & arg. leg.* nisi aliter ex conventione, vel statuto debeat fieri, vel si creditor pateretur damnum ex solutione facta in diversa moneta. *L.* 99. *ff. b. t.* Quod si tempore solutionis valor monetæ sit mutatus, debitor satisfacit solvendo in moneta currente secundum præsentem valorem. Si inter contrahentes de tempore solutionis sit conventum, eo adveniente, etiamsi creditor non urgeat, solvi debet, quia dies interpellat pro homine. *C. fin. de Locat.* L. 12. *C. de Contrab. stip.* L. 8. *tit.* 14. *p.* 5. Imò etiam antequam adveniat, potest debitor solvere, si ut frequentèr fit, dies in ejus gratiam, non verò creditoris adjectus sit. L. 70. *ff. b. t.* Quin etsi ante diem solvat ex errore, non habet condictionem indebiti. L. 10. *l.* 27. *ff. de Condict. indebit.* nisi ratione celeris solutionis aliquid creditor ultra sortem percepisset, si incertum sit, an ille dies sit extiturus: v. g. si dicatur: *Quando Navis ex Hispania venerit*, potest condici tanquam indebitum, quod ante talem diem est solutum, cum sit promissio conditionalis, ac proindè nihil debeatur. L. 18. *ff. de Cond. indeb.* Si verò certum est, diem extiturum, licet ignoretur, quando v. g. *solvam quando moriar*, non potest repeti solutum: cum illud absolutè debitum sit quoad substantiam. L. 18. *ff. de Cond. indeb.* si dies non sit adjectus solutioni, potest differri ex tacita voluntate creditoris, donec ipse petat. L. 10. *C. de Pignorib.* Hinc, si creditor non petat debitum ex ignorantia, vel timore, vel alia causa, debet debitor statim solvere. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 564. si locus solutioni sit assignatus, ibidem fieri debet solutio. *L.* 9. *ff. de eo, quod cert. loc.* Et si alibi petat creditor, plus loco petiisse dicetur. L. 2. §. 1. *ff. eod.* nisi debitor nunquam ad locum assignatum veniret; nam tunc alibi posset eum convenire. *L.* 1. *ff. eod.* quando debitum ex delicto provenit, ubi est creditor, debet solutio fieri, quia perfectè indemnis debet reddi à debitore. Si locus non est assignatus, & contractus est merè gratuitus, sufficit solvi, ubi res erat promissionis tempore. Si in contractu debeat reddi eadem res accepta, ut in deposito, vel commodato, in loco rei accep-

acceptæ fit solutio, vel redditio, si in contractu aliud, quam quod est acceptum, reddi debet, ut in emptione in loco traditæ mercis est pretium solvendum.

211 Debitor habens suarum rerum administrationem, non solum per se, sed etiam per Procuratorem habentem speciale mandatum, vel generale *cum libera*, potest suis creditoribus solvere. L. 87. *ff. h. t.* Et etiam quicumque extraneus, volente debitore: & tunc contra ipsum debitorem, sic solvens habebit actionem mandati, qua potest repetere, quod pro eo solvit. L. 6. §. 2. *ff. Mandat.* Etiam ipso debitore ignorante potest alius pro eo solvere: & tunc actione negotiorum gestorum poterit solvens repetere solutum. L. 41. *l.* 43. *ff. de Negot. gest.* si vero quis, invito debitore, pro eo solvat, debitor liberatur. L. 3. *tit.* 14. *p.* 5. Sed solvens, nullam actionem adversus eum ad solutum recuperandum, habet, quia donandi animo solvisse censetur; *arg. l. fin. C. de Negot. gest. l. 6.* §. 2. *ff. Mandat.* Non habentes suarum rerum administrationem, ut pupilli, minores, & prodigi non possunt sine Tutoris, vel Curatoris authoritate solvere, cum solutio sit alienationis species. Nec solutio tenet, dum apud creditorem extat pecunia, sed si sit consumpta, solutio convalescit, plenamque parit liberationem, ne in minorum damnum retorqueatur, quod in eorum favorem introductum est. L. 14. §. *fin. ff. h. t.* Si debitor, quando contraxit, aliquod Chirographum creditori dedit, quando solvit, potest illud repetere per conditionem sine causa. L. *fin. C. h. t.* Vel agere ad exhibendum. L. *fin. C. Ad exhibend.* Si nullum dedit, vel quod dedit est amissum, potest à creditore petere *Apocham*, in qua creditor debitum solutum esse, fateatur. *Hispanè*: *Carta de pago, y finiquito.* Qui debet ex pluribus causis, æquè principalibus, & solvit, non exprimens, ex quo debito; in duriorem causam, per quam magis gravatur, censetur solvisse: quia facere præsumitur, quod sibi utilius est, v. g. si aliquid debet sub pœna, vel sub usuris. L. 1. *l.* 3. *ff. h. t. l.* 10. *tit.* 14. *p.* 5. Illud solvisse censetur. Si verò unum debitum sit principale, aliud accessorium, v. g. quod debeat centum ex mutuo, & 50. ex usuris, cum arbitrio creditoris sit in quam summam velit solutum imputare, potest namque petere, ut prius usuræ, quam principale ipsi solvantur; tunc enim debitum accessorium creditur solutum, quia hoc utilius est creditori. L. 5. §. 3. *ff. h. t.*

212 Non solum creditori suarum rerum habenti administrationem rectè solvitur, sed etiam Procuratori, qui talis sit in rem suam, vel habeat speciale mandatum, vel generale *cum libera.* L. 12. *ff. h. t. l.* 7. *tit.* 14. *p.* 5. Etiam potest solvi adjecto in contractu solutionis causa. §. 4. *Inst. de Inut. stipul.* L. 5. *tit.* 14. *p.* 5. Vel servis, vel filijsfamilias si peculij administrationem liberam habeant, vel sint pecunijs exigendis præpositi. L. 18. *ff. h. t.* Quod si negotiorum gestori fiat solutio, & posteà Dominus ratum habeat, debitor liberatur. L. 5. *tit.* 14. *p.* 5. Si debitor sine creditoris mandato creditoris creditori solvat, non ipso jure liberatur; sed opponendo exceptionem doli potest defendi, si creditor immediatus debitum petat. *L. 6. ff. de Dol. mal. except.* Si debitore solvente modo debito, creditor nolit debitum accipere, potest debitor pecuniam consignare Magistratui, & liberatur. *L. 9. C. h. t. l.* 8. *tit.* 14. *p.* 5. Si creditor administratione suarum rerum caret, ut pupillus, vel minor, Tutori, vel Curatori est solvendum, sed quia adversus solutionem his factam potest pupillus, vel minor restitutionem petere, debitor impetrabit Decretum Judicis interponi, ut sic plenissima liberatio sequatur. §. *fin. Inst. Quib. alienar. licet.* L. 4. *tit.* 14. *p.* 5. Successor in Prælatura, vel Beneficio solvere debet debita ab antecessore contracta ex justa causa, pro utilitate, & necessitate Ecclesiæ, imò & pro necessaria, & decenti personæ sustentatione, vel ejus sepultura; cum Ecclesia suum Rectorem alere teneatur, & successor in beneficio se habeat, sicut hæres, in quem omnia commoda, & onera realia transeunt. *C.* 1. *h. t.* Ac proindè ex bonis, & redditibus Ecclesiæ, vel beneficij tunc tenetur debita solvere: non tamen tenetur solvere debita contracta ex inutilibus, vel etiam non necessarijs causis, ne Ecclesia, vel successor alieno facto prægravetur. *C.* 76. *de Reg. jur. in* 6. Quod si beneficiarius non reliquit bona patrimonialia, unde talia debita solvantur suæ infelicitati, vel facilitati debet creditor hoc imputare. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 5. *&* 6.

213 Non potest creditor, etiamsi debitum liquidum sit, illud sibi propria authoritate ex bonis debitoris accipere: quippè nemo sibi jus dicere valet. *L.* 13. *ff. Quod met. caus.* Si enim debitor propria authoritate sibi debitum accipiat, illud tenetur restituere, & si aliquod pignus accepit pro debito debet utique pignus resti-

restituere, nec ipsi super debito respondebitur, donec pignus restituatur. *L. 14. tit. 14. p. 5.* Si ergo nolit debitor solvere debitum, & quidem totum, creditor eum coram suo Judice convenire debet: hic ergo eum solvere condemnabit, quod si non solvat, Judex ad executionem procedet, bona in publica subhastatione vendendo, & bonis deficientibus, vel non sufficientibus ad solutionem, debitorem in carcerem detrudet, donec integrè solvat. *Gom. 2. Var. cap. 11. n. 5. Covar. l. 2. Var. cap. 1. n. 2. Molin. de Just. tr. 2. D. 571.* Aliquando possunt debitores hanc carceris molestiam effugere, cessionem, scilicèt, omnium bonorum faciendo creditoribus, ut pro viribus satisfaciant, & cavendo, se pro residuo satisfacturos, cum ad meliorem deveniant fortunam. *L. 4. C. Qui bon. ced.* Hoc beneficio cessionis non gaudent, ac proindè incarcetandi sunt, qui tali beneficio, in debitorum favorem introducto. *L. fin. C. Qui bon. ced.* renuntiarunt, vel cum, vel sine juramento; *arg. L. 29. C. de Pact.* Vel qui sua bona in fraudem creditorum dissiparunt. *L. fin. §. fin. ff. Quæ in fraud. cred. & ibid. Gothofr.* nulli enim debet suus dolus patrocinari. Nec eo gaudent, qui spe cessionis contraxerunt, vel qui aliqua bona in cessione occultasse convincuntur; frustra enim auxilium Legis implorant, qui in eam committunt. *C. 14. de Usur.* Similitèr, qui aliquam pœnam pecuniariam ex rapina, furto, vel alio delicto debent, non possunt bonis cedere; sed ne delicta maneant impunita, si non habent in ære luent in corpore. *L. fin. ff. de In jus voc. L. 1. §. fin. ff. de Pœnis.* Pro debito tamen, quod parti debetur, etiamsi ex delicto descendat, benè potest fieri cessio. *L. 9. tit. 16. lib. 5. R. C.* In nostra Hispania, qui ob debita privata incarceratur, potest cedere bonis, renuntiar enim carceri, vel Catenæ, ut dicitur, & per novem dies præconio publico ejus creditores citantur, sua bona venduntur in publica subhastatione, & solvitur creditoribus, & si bona non sufficiant, ut ipsis fiat satis, ipse traditur suis creditoribus cum torque ferreo ad collum patenter posito, ut ipsis gradatim juxta debita serviat tempore, quo possit debitum compensare suo opere, & servitio. *L. 4. & seqq. tit. 16. lib. 5. R. C. & ibid. Acev. Hev. in Cur. 2. p. §. 25. Paz in Prax. tom. 1. p. 4. cap. 8.* conductores gabellarum Regis, *Hispanè, Arrendadores de las Rentas Reales.* Nec fidejussores illorum gaudent hoc cessionis beneficio, sed debent in carcere detineri donec solvant cum effectu. *L. 5. tit. 9. lib. 9. R. C.*

214 Alij autem debitores privilegio competentiæ gaudent, ita ut neque incarcerari, neque cedere bonis teneantur, sed solum in id, quod facere possunt, id est, non in totum debitum, sed solum conveniuntur, congrua sustentatione retenta. Tales sunt parentes adversus liberos, & ascendentes adversus descendentes, & vicissim. *L. 16. ff. de Re jud.* Fratres adversus fratres, & Patronus, & patrona adversus libertum, & maritus in restitutione dotis. *L. 17. ff. de Re judic.* Et similitèr uxor si à marito ex promissione dotis conveniatur. *L. 20. ff. de Re judic.* Utriusque conjugis socri, item uxoris socero, id est, mariti patri etiam soluto matrimonio, hoc privilegium competit. *L. 15. §. 2. ff. Solut. matr.* Socero tamen mariti, id est, patri uxoris solum constante matrimonio competit. *L. 22. ff. de Re judicat.* Etiam hoc gaudent beneficio socij omnium bonorum. *L. 16. ff. de Re judic.* Mulieres honestæ. *Authent. Hodie. C. de Custod. reorum*, milites armatæ militiæ. *L. 18. ff. de Re judic.* Et Togatæ, ut Doctores, Advocati, & artium Professores; *arg. L. 6. C. de Profes. & Medic. lib. 10.* Donator, si ex donatione conveniatur. *L. 19. §. 1. ff. de Re judic.* Et alij, qui miseratione digni sunt, de quibus *Gonz. in C. 3. h. t. ex n. 8.* Hoc privilegium personale est, ac proindè non transit ad fidejussores personarum eo gaudentium. Illi, quibus hoc privilegium competit ob reverentiam, ut sunt parentes, patroni, & conjuges non possunt huic privilegio renuntiare, cæteri verò ut milites socij, &c. possunt ex *L. 41. ff. de Minor. l. 29. C. de Pact.* Denique Clerici in causa civili, & actione personali conventi, eo gaudent, dando idoneam cautionem desolvendo, si ad pinguiorem fortunam perveniant, quod constat ex per celebri *Text. in C. Oduardus, 3. h. t.* Ne cum dedecore status Clericalis mendicare cogantur; & cum sit privilegium in favorem totius Ordinis Clericalis introductum, non potest, nequidem cum juramento, ab aliquo renuntiari. *C. 12. de Foro competent. l. 38. ff. de Pact.* Ut Clericus gaudeat hoc privilegio, debet esse talis, ut privilegio fori gaudeat; & quod ob inopiam solvere nequeat, de qua summariè, vel ex communi æstimatione constare debet: & quod in talem inopiam, & impotentiam propria culpa non sit redactus. Non gaudet hoc pri-

privilegio Clericus, qui debitum pertinaciter negat, si de eo convincatur, vel si tempore contractus, se Clericum esse, negavit; *arg.* L. 2. *C. Si minor, se major.* Nisi alter contrahens, illum sciat esse Clericum; nam scienti fraus non fit. L. 34. *C. de Transact.* vel si suspectus sit de fuga, vel bona dolosè occultavit: nam in his casibus ob dolum potest excommunicari, & in carcerem detrudi. Si actione reali Clericus conveniatur, non gaudet hoc beneficio, quod quidem personale est, nec, quando est criminaliter condemnatus ad poenam pecuniariam: nam tunc si non habet in aere luit in corpore. *Abb. in C.* 3. *h. t. n.* 5.

215 Solum debet solvi, quod verè debitum est, ac propterea, si contingat, quod quis errore solvat, quod non debet, potest illud pro qualitate indebiti repetere. Et quidem indebitum est in multiplici differentia: nam potest esse tale *naturalitèr*, & *civilitèr*, quod scilicèt nec Jure Naturali, nec Civili obligatione debetur, & qui talitèr indebitum solvit, si sciens fecit, donasse creditur. L. 53. *ff. de Reg. Jur. l.* 30. *tit.* 14. *p.* 5. Et creditor tanquam donationem acceptare debet, alias revocari valet. L. 18. *ff. de Reb. credit.* Ac proindè nequit solvens repetere conditione indebiti. L. 1. §. 1. *ff. de Condic. indebit.* Si ex ignorantia, & errore facti solvit, cum error facti nemini noceat, repetere potest. L. 28. *tit.* 14. *p.* 5. Imò etsi solvatur per errorem juris, ut contra *Perez in C. Ad. h. tit. n.* 24. *& alios* tenent *Abb. in C. fin. h t. n.* 15. *Gonz. ibid. n.* 5. *Mol. de just. tr.* 2. *D.* 567. *n.* 2. Cum etiam juris error non soleat obesse in damno vitando, & suum repetentibus. L. 7. *l.* 8. *ff. de Jur. & fact. ignor.* Et cum sine causa apud accipientem sit, aequitas non patitur, ut apud eundem remaneat, ne eum alterius jactura locupletur. At verò L. 6. *l.* 10. C. *de Jur. & fact. l.* 6. *C. h. t.* in quibus contrarium decidi videtur; loquuntur in casibus specialibus. 2. Potest esse *civilitèr* indebitum, naturalitèr tamen debitum: v. g. si ex pacto nudo aliquid debeatur: nam cum ex eo resultet naturalis obligatio, non nascitur civilis; saltem de Jure Civili, L. 7. §. 4. *ff. de Pact.* Ac proindè tale debitum, quamvis naturalitèr debeatur, erit tamen civilitèr indebitum. Qui ergo talitèr indebitum solvit errore facti, vel Juris, nequit illud repetere: nam obligatio naturalis est sufficiens ad compensationem faciendam. L. 6. *ff. de Compensat.* Ergo ad retentionem; *arg.* L. 20. *ff. eod.* & hoc profectò aequitas naturalis dictat. 3. Potest esse civilitèr debitum, indebitum tamen *naturalitèr*, v. g. si quis Chirographo, sibi numeratam esse pecuniam, cum numerata non sit, fateatur, nam biennio elapso civilitèr, non verò naturalitèr tenetur. *Ex tit. Inst. de Litterar. obligation.* Is enim, qui talitèr indebitum sive errore juris, vel facti solvit, saltem intra biennium illud potest repetere, vel exceptione, non numeratae pecuniae agentem repellere. L. 7. *C. de Non numerat. pecun.*

216 Qui dubitans, an debitum sit, solvit, repetere utique potest. L. *fin. C. de Condict. indebit.* Vel si debitum sub conditione de futuro, vel in diem incertum, ante ejus adventum solvatur. L. 16. *ff. de Condict. indebit. l.* 32. *tit.* 14. *p.* 5. Etiamsi non ipse, sed alius ejus nomine solvisset, ut Procurator, vel Testamentarius. L. 6. *ff. de Condict. indebit. l.* 1. *C. eod.* Similitèr si quis factum indebitum praestet, ejus aestimationem potest condicere. L. 26. §. 12. *ff. de Condict. indebit. l.* 40. *tit.* 14. *p.* 5. Qui alternative Stichum, aut Pamphilum debet, utrumque solvens per errorem, repetit unum, quem malit, si adhuc extet uterque servus; quod si uterque, vel alter perijt, id tantummodo remanebit in soluto, quod superest. L. 32. *ff. de Condict. indebit. l.* 39. *tit.* 14. *p.* 5. Si indebitum recipiens fateatur, se rem accepisse, neget tamen esse indebitam, ei, qui solvit, incumbit probare indebitam esse, quia nemo tam resupinus praesumitur, ut facile suas pecunias jactet, & indebitas effundat. Si verò à principio neget, pecuniam accepisse, & de acceptione convictus, dicat, eam sibi debitam esse, cum jam de mendacio convictus sit, ei non creditur, nisi probet pecuniam solutam esse ei debitam. *C. fin. h. t. l.* 25. *ff. de Probat. l.* 29. *tit.* 14. *p.* 5. Si intendentes repetere indebitum sint pupillus, mulier, miles, & similes, ob suam simplicitatem, & imperitiam in jure, onere probandi liberantur. L. 25. §. 1. *ff. de Probat.* Non datur indebiti repetitio, si solvens sciat, se non debere, vel si repetitioni renuntiet, vel si ex causa juris jurandi deliberatè solvat, vel ex causa pietatis in favorem causae piae. L. 32. §. 2. *ff. de Condict. indebit. l.* 35. *tit.* 14. *p.* 5. Vel si litis causa sine dolo transactum est, L. 65. §. 1. *ff. eod. l.* 34. *tit.* 14. *p.* 5. Nec repetitur, quando sententia, ob quam est solutum, in rem judicatam transijt, licet postea novis instrumentis, vel testibus esse indebitum pro-

be-

betur. *L.35. ff. de Re judic. l.33. tit.14. p.5.* Nisi causa sit publica, ut fisci, vel civitatis; nam repertis novis instrumentis, in integrum restituitur. Vel si probetur, illum in cujus favorem lata est sententia, dolum commisisse, vel si ex falsis testibus, vel instrumentis lata est, vel ex juramento ob probationum defectum delato creditori. Qui solvit debitum, à quo per Judicis sententiam erat absolutus, non potest illud repetere, quia licet non posset cogi ad solutionem, tamen cum remansisset naturalis obligatio impeditur repetitio. *L. 33. tit.14. p.5.* Qui indebitum recepit, illud cum fructibus restituere tenetur. *L. 1. C. de Condict. indebit.* Quod si bonam fidem habuit recipiens non tenetur ad casum fortuitum si forte res perijt, & si rem vendidit, tantum tenetur reddere pretium, quod pro ipsa recepit; si vero, quando rem recepit, vel posteà malam fidem habuit, tenetur ad veram æstimationem rei perditæ, aut venditæ. *L. 26. §. 2. ff. de Condict. indebit. l.37. tit. 14. p.5.* Qui indebitum recepit tenetur restituere fructus, etiamsi consumpti sint, dummodò factus sit locupletior. *Greg. Lop. in l. 37. tit. 14. p.5. V. Con los frutos.*

217 Quando debitor non habet sufficientia bona, ut omnibus creditoribus satisfaciat, fit creditorum concursus, & profectò ad sex classes omnes creditores possunt reduci. 1. Ergo omnibus alijs præfertur ille, qui habet dominium in re existente apud debitorem. Sic res habita per furtum debet Domino ipsa in specie restitui, sic qui rem deposuit, commodavit, vel locavit, habet prælationem ob dominium quod habet, in re deposita, commodata, vel locata. Sicque tunc non potest dari concursus, siquidem cæteri creditores nullum jus habent ad illam rem, quæ nullo modo ad debitorem pertinet, contra quem creditores actionem habent, non vero contra Dominos rerum, quæ apud debitorem inveniuntur, quia, dominium est fortius jus omnibus actionibus, & privilegijs; *arg. L.24. §. 2. ff. de Reb. author. Jud. l.11. tit.14. p.5.* Et ut communiter dicitur, res ubique sit, pro suo Domino clamat. Hac etiam ratione, qui rem alij vendidit, ita, ut nollet dominium in emptorem transferre, donec pretium sibi esset solutum, in ipsa re vendita hanc prælationem habet. *§. 41. Inst. de Rer. divis. l.46. tit.28. p.3.* Quod si res Titij: v. g. quæ erat apud debitorem in deposito, vel commodato, vel per furtum, ab ipso debitore vendatur, habet Titius prælationem in pretio ex sua re procedente. *Hevia in Cur. Philip. in 2. p. lib.2. cap.12. num.5. arg. l.7. tit.10. p.3.* Quod si res absolutè sit consumpta non aliam prælationem habebit Dominus, quam cæteri simplices creditores. 2. Veniunt privilegiati, etiamsi hypothecam non habeant, tales sunt illi quibus aliquid debetur ratione impensarum, quæ sunt factæ in funere debitoris. *L.45. ff. de Religiosis, & sumptib.* Vel in ipsius curatione in illo ultimo morbo, & sic prælationem habent Medici, & pharmacopolæ, etiam debent solvi, ante alia, salaria debita famulis, & officialibus, & impensæ factæ in conficiendo inventario, & aperiendo testamento. *L.30. tit.13. p. 5. & ibid. Greg. Lop.* Ubi non excipit casum dotis, neque alium; & certè impensa funeris necessaria satisfyidetur, ut præferatur cuicunque credito, etiam sub expressa hypotheca. *Hevia in 2.p. Cur.Philip. lib.2. cap.12. n.24.* 3. Qui habent hypothecam specialem privilegiatam, & speciali juris prærogativa sunt muniti, tales sunt. 1. Uxor, & ejus descendentes, non vero hæredes extranei, ratione dotis: non solum, quando hæc in re existit: nam tunc mulier censetur dominium conservare, sed etiam, quando dos jam non existit: tunc enim uxor in bonis mariti præfertur creditoribus, etiam tacitam hypothecam habentibus. *L. fin. §. 1. C. Qui potior, l. 33. tit.13. p.5.* Ubi idem est de fisco, & notat ibid. *Greg. Lop. Hevia p.2. Cur. Philip. l.2. cap.12. ex n. 29.* Si vero ante dotem præcessit hypotheca expressa specialis, vel generalis hæc doti præfertur, ut deducitur *ex L.fin. §.1. C. Qui potior, l.33. tit.13. p.5. & ibid. Greg. Lop.* Si vero duæ dotes concurrant duarum uxorum, tunc prima præfertur, quia ejusdem naturæ sunt hæc debita. Si tamen in bonis mariti reperiantur bona secundæ dotis, tunc secunda præfertur, si maritus, cui dos promittitur pro ejus restitutione obliget sua bona, & posteà ipsa bona, antequam ei dos tradatur, alij obliget, recepta dotis quantitate, dos præfertur priori hypothecæ. *L. 33. tit.13. p.5.* 3. Illi, qui muuum dederunt, vel crediderunt ad domum, vel navem faciendam, vel reficiendam, dummodò pecunia in effectu ad talem rem deservijsset: & quidem saltem de jure Hispano non requiritur, quod dantes hanc pecuniam constituant pignus, vel hypothecam; nam ipso jure constituitur in ipsa retacta, vel refecta. *L. 26. tit. 13. p. 5.* Imò & si talis domus, vel Navis reficienda, sit alij antecedenter oppignorata expressè, tamen præ-

præfertur secundus creditor, qui pecuniam dedit ad ejus reparationem, vel ad navem instruendam rebus necessariis, vel ad solvendum vectoribus, & officialibus. *L.6. ff. Qui potiores, l.28. tit.13. p.5.* Similiter, qui pecuniam dedit ad solutionem asportationis mercium, vel conductionis domus, ubi erant reponendæ, præfertur primo creditori, cui tales merces erant expresse obligatæ. *L. 6. ff. Qui potiores, l.29. tit.13. p.5. Hevia in 2. p. Cur. Philip. l.2. cap.12. n.25.* Ubi addit, quod hæc hypotheca præfertur etiam doti, & fisco, quando est anterior, secus aliter, ac proinde inter causam dotis, fisci, & refectionis attenditur temporis prioritas. Si vero concurrant causa factionis, & refectionis ejusdem navis, vel domus, refectio, cui potius debet tribui rei conservatio præfertur factioni. *Hevia p.2. Cur. Philip. l.2. cap.12. n.26.* 3. Fiscus, seu Camera, aut Ærarium publicum Principis, vel Reipublicæ in ordine ad tributa, & alias publicas præstationes. *L.1. C. Si propter public. pensitat. l.33. tit.13. p.5.* Ubi notat *Greg. Lop.* Quod fiscus, & dos æquiparantur in hypotheca, fiscus (& idem debet dici de dote) creditori habenti anteriorem hypothecam generalem in bonis debitoris præfertur in bonis adquisitis à debitore post obligationem contractam fisco. *L.28. ff. de Jur. fisci & ibid. Gothofr. Hev.* in bonis antecedenter adquisitis præfertur fisco creditor anterior. *Hevia p.2. Cur. Philip. l.2. cap. 12. n.30.* Idem privilegium fisci, & dotis, à paritate rationis, extenditur ad Ecclesiam, & causam piam, ac proinde Ecclesia habet prælationem pro decimis in rebus, ex quibus debentur. *Hevia 2. p. Cur. Phil. l.2. cap.12. n.15. & 29.* Si tamen dos, & fiscus concurrant, prioritas attenditur: quod si eodem die facta sit utriusque obligatio, & non appareat, quænam sit prior præfertur causa dotis. *L. 85. ff. de Reg. jur. Hev. 2. p. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 81.* Fiscus etiam habet prælationem in causa pertinente ad Primipilum, id est Præfectum annonæ Militaris. *L.3. C. de Primipil. Hev. 2. p. Cur. Philip. l.2. cap. 12. n. 28.* Etiam habet prælationem pro gabella, quæ dicitur: *Alcavala*, in re, quæ venditur, & in his Provinciis Indiarum habet prælationem in tertia parte pretii officiorum publicorum, quæ venduntur, vel renuntiantur. *Hev. 2.p. Cur. Phil. l.2. cap.12. n.15.*

218 In quarto loco veniunt hypothecarii simplices, in his præcipue habet locum regula, quod qui prior est tempore potior est jure. *L. 2. ff. Qui potiores.* Hæc anterioritas hypothecarum non solum ex die, sed etiam ex hora ejusdem diei computatur, imò ex ordine scripturæ; nam quæ prius invenitur in Protocolo, vel prius nominatur in instrumento illa prælationem habet. *Hevia 2. p. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n.40.* Quod si non constet, quænam hypotheca sit prior prorata debiti fiet solutio. *L.16. §. 8. ff. de Pign.* si hypotheca pro debito conditionali constituatur, præfertur posteriori hypothecæ postea pure constitutæ, pendente conditione, si postea conditio existat; nam cum retrotrahatur conditio ad tempus, quo debitum fuit contractum, est prior tempore, quam purè constituta. Etiam hypotheca constituta super debito ex certo die ante adventum diei præfertur debito contracto absolute; *arg. L.14. ff. de Pign. Hevia 2.p. Cur. Philip. l.2. cap.12. n.44.* Hæc regula locum habet etiamsi concurrat hypotheca conventionalis, vel legalis, vel Prætoria, vel expressa, vel tacita, vel generalis, vel specialis, etiamsi in anteriori, non intervenisset traditio, vel possessio bonorum in hypothecam datorum, & in secunda intervenisset hæc possessio, semper præfertur prior. Et etiamsi prior hypotheca, vel debitum constet ex instrumento privato, & secunda hypotheca ex instrumento publico, si instrumentum privatum fuit recognitum, priusquam instrumentum publicum conficeretur. *L.6.C. Qui potiores, & ibid. Gothofr. l. 27. tit. 13. p. 5. & ibid. Gl. Hev. 2. p. Cur. Philip. l. 2. cap. 12. ex n. 39.* Hypothecarii hanc anterioritatem habentes, non solum eam habent respectu debiti principalis, sed etiam respectu accessionum, usurarum, & interesse, etiamsi hæc omnia accedant post secundam hypothecam. *L. 13. l. 18. ff. Qui potior. Hev. 2. p. Curia Philip. l. 2. cap. 12. n. 48.* Quia accessorium naturam sequitur principalis. *C. 42. de Reg. jur. in 6.* 5. Locum sibi vendicant creditores Chirographarii privilegiati ratione debiti, vel causæ. Tales sunt, qui rem apud alium deposuerunt, commodarunt, vel locarunt, si res jam non extet. *L. 12. tit. 14. p. 5. & ibid. Greg. Lop. gloss. fin.* 2. qui pecuniam mutuarunt ad faciendam navem, vel reficiendam. 3. Respublica, Civitates, Ecclesiæ, Monasteria, causæ piæ, & Pupilli. Denique in concursu veniunt creditores chirographarii simplices. Et inter hos si quid de bonis debitoris, postquam sit prioribus satisfactum restet, si omnes eodem tempore apud Judicem petant debitum, dividitur inter hos creditores secundum proportionem

Geo-

Geometricam, ita ut inter ipsos, non attendatur prioritas, nec posterioritas, sed prorata rei debitæ (& non creditorum) pecunia restans dividatur. L. 6. C. de Bonis author. Jud. possid. ibi: *Prorata debiti quantitate omnibus creditoribus consuli potest.* L. 11. tit. 14. p. 5. Quod si sententia pro aliquo est prius lata, vel ipse prius debitum petijt, ei prius solvendum est, licet in tempore sit posterior. L. 11. tit. 14. p. 5. Idem est de debito ratione maleficij, vel damni dati in re aliena; nam prius solvendum est ei, qui prius egit, & sententiam obtinuit. L. 13. tit. 14. p. 5. Similitèr præfertur ille, qui prius debitum à creditore obtinuit, licet sit posterior in tempore. L. 6. ff. de Re judicat. l. 9. tit. 15. p. 5. & ibid. Greg. Lop. Etiam creditor, qui capit bona debitoris fugientis habet prælationem respectu debitorum ejusdem naturæ, secus respectu privilegiatorum. Hevia p. 2. Cur. Philip. l. 2. cap. 12. n. fin. Nec attenditur, an debitum hoc personale constet ex instrumento publico, vel privato, vel ex testium depositione, vel confessione debitoris. Hev. 2. p. Cur. Philip. lib. 2. cap. 12. n. 58. Donationes Regiæ juxta earum anterioritatem solvuntur: præferuntur tamen, quæ sunt factæ causis pijs, vel in remunerationem alicujus servitij. L. 12. tit. 14. lib. 2. R. C. Etiamsi posteriores sint. Similitèr præferuntur debita procedentia ex contractu oneroso debitis ex contractu gratuito procedentibus, etiam hypotheca munitis: etiam debita defuncti præferuntur quibuscumque legatis, & inter legata præferuntur facta causis pijs. Hev. 2. p. Cur. Philip. l. 2. cap. 12. ex n. 61. Quod si Fiscus concurrat pro pœna pecuniaria delicti, cum alio privato damnificato à delinquente, vel alio creditore, hi præferuntur Fisco, ut possint repetere debita contracta ante delictum: in debitis tamen post delictum contractus præfertur Fiscus. Hev. 2. p. Cur. Philip. l. 2. cap. 12. n. 65. In nostra Hispania instrumenta privata scripta in charta sigillata præferuntur cæteris instrumentis privatis, & locum obtinent post instrumenta publica. L. fin. tit. 25. lib. 4. R. C.

TIT. XXIV.

De Donationibus.

219 DOnatio, sic dicta, quasi *doni datio.* L. 35. §. 1. ff. de Mort. caus. donat. *Est liberalis, & nullo jure cogente, proprìorum bonorum alteri facta concessio,* ex L. 1. l. 29. ff. h. t. l. 1. t. 4. p. 5. ibi: *Donacion es bien fecho, que nace de nobleza, è bondad de coraçon, quando es fecha sin ninguna premia.* Differt à stipulatione; nam hæc formam solemnem verborum requirit, sine qua bene potest stare donatio. Differt à promissione, quia hæc est datio fidei libera dans solum jus ad rem; donatio verò traditione perfecta dominium transfert. A pollicitatione differt, quia hæc est nuda promissio, absque acceptatione promissarij. L. 3. ff. de Pollicit. donatio tamen acceptationem requirit. Donatio antequam acceptetur nullam, nequidem naturalem obligationem producit. L. 10. ff. h. t. quod juxta Sanch. de Matr. lib. 1. D. 6. & alios, etiam de Jure Canonico procedit; & hinc mortuo donatario ante acceptationem nihil transfert ad hæredem, imo donationem etiam juratam potest donator libere revocare, quin fidem violet, nec jus donatarij lædat, quippè nullum jus donatarius adquisivit, nec donator ullam obligationem contraxit, & acceptio superveniens revocationi nihil prodest; arg. L. 12. §. 16. ff. Mandat. Et etiam donatio facta causæ piæ requirit administratoris acceptationem saltem, ut obligationem justitiæ pariat; arg. L. 10. ff. h. t. Si tamen Deo principalitèr fiat, ut regularitèr accidit, & præsumitur in dubio, habet rationem voti, quod statim acceptatur à Deo, ac proindè ex Religione obligat. De jure tamen Hispano donatio etiamsi nondum sit acceptata à donatario obligat donantem. L. 2. tit. 16. lib. 5. R. C. & tenent Covarr. Palac. & Molin. quamvis alij hoc negent cum Sanch. de Matr. lib. 1. D. 6. n. 18. & seq. Donatio potest fieri purè, & sub conditione, & sub modo, & usque ad certum diem, & tàm absenti, quàm præsenti. Et omnia debent adimpleri juxta donantis voluntatem, & dispositionem. L. 4. & seq. tit. 4. p. 5. cum donatio non præsumatur. L. 25. ff. de Probat. debet donans suum animum donandi, & dominium transferendi declarare, vel per verba, vel per Epistolam. L. 6. l. 13. C. h. t. vel per aliud signum minimè dubium. Aliquando tamen præsumitur donatio, scilicèt, si dans, & recipiens sint consanguinei, vel amici, vel si vendens sciens justum pretium rei minimo pretio vendat. Menoch. de Arbitr. cas. 88. n. fin. Vel si creditor debitori chirographum reddat, nam tunc debitum condonare censetur. L. 2. §. 1. ff. de Pact. & si illius debiti plura sint exem-

exemplaria, nec omnia reddita. Vel si vir illustris aliquid det in quantitate non magna; *arg. C. 1. h. t.*

220 Donatio est duplex, alia est causa mortis, alia est inter vivos. *Donatio inter vivos, est quando aliquis sine ulla mortis cogitatione, vel mentione alteri rem suam irrevocabilitèr donat. Causa mortis donatio:* ait *Justinianus* in §. 1. *Inst. de Donat. Est quæ propter mortis fit suspicionem, ut si quid humanitus ei contigisset, haberet is, qui accepit, sin autem supervixisset is, qui donavit, reciperet, vel si eum donationis pœnituisset, aut prior decesserit, cui donatum sit. Hæ mortis causa donationes ad exemplum legatorum reductæ sunt per omnia* ... *& in summa mortis causa donatio est cum magis se quis velit habere, quam eum, cui donat, magisque eum, cui donat, quam heredem suum.* Consonat *L. fin. tit. 4. p. 5.* Nec sufficit, quod donans sit proximus morti, si non moveatur mortis cogitatione, ut sit donatio causa mortis: imo erit donatio inter vivos; tunc enim, non tam causa mortis, quàm moriens donasse censendum est. L. 42. §. 1. *ff. de Mort. caus. donat.* Donatio causa mortis potest fieri ab eo, qui habet testamenti factionem, & debet fieri coram quinque testibus, & licet filius familias, ne quidem cum consensu patris, possit facere testamentum potest tamen cum consensu patris donare causa mortis. L. 7. §. 4. *& 6. ff. h. t. l. fin. tit. 4. p. 5.* Et cum hodie in nostra Hispania filius familias habens ætatem legitimam possit testamentum facere. L. 5. *Taur. l. 4. tit. 4. lib. 5. R. C.* Potest causa mortis donare, quod si in donatione mortis mentio fiat, sed adjiciatur clausula, *ne unquam revocetur*, mors causa donandi magis est, quam mortis causa donatio, & ideo perinde haberi debet atque alia quævis inter vivos donatio. L. 7. *ff. de Mort. caus. donat.* & sic intelligenda. L. 13. *ff. eod.* Quia irrevocabilitas est differentia essentialis donationis inter vivos. Cum nomine donationis propriè talis, donatio inter vivos intelligatur, in dubio potius, quam donatio causa mortis, præsumitur donatio inter vivos; *arg. L. 96. ff. de Leg. 3.* Donatio insuper inter vivos, alia est *merè gratuita, seu liberalis*, & hæc est propriissimè donatio. L. 1. *l. 29. ff. h. t.* Quæ scilicèt ob nullam aliam causam, quam ob liberalitatem exercendam fit: *Remuneratoria* alia, ea scilicèt, quæ licet nullo jure justitiæ cogente fiat, aliàs nullo modo esset donatio, fit tamen ex debito gratitudinis, & ob donatarij merita, vel ejus, cujus intuitu fit: v. g. si intuitu patris meritorum filio donetur, potius, quam donatio est meritorum solutio. Et hæc quando aliquibus personis prohibetur donatio, non comprehenditur remuneratoria, sed tantum liberalis, ut contra *Gonz. in C. 3. h. t. num. 9. Pinel. & alios tenent Sanch. lib. 6. de Matrim. D. 6. n. 11. Gom. Molin. & alij.* In ipsa tamen donatione, ob merita fieri, est exprimendum, cum benemeritis etiam liberalitèr possit donari, præsumitur tamen remuneratoria, si merita præcesserunt. *Menoch. l. 2. de Arbitr. cas. 88. n. 53.* Sed præcessisse probandum est. *Menoch. l. 2. de Arbitr. cas. 134.* Et arbitrio judicis merita sunt mensuranda. *Sanch. de Matrim. l. 6. D. 6. ex n. 3.* Ut per donationem dominium transferatur, debet res donata esse in donantis bonis, & non extra hominum commercium. Si res aliena donetur, solum jus usucapiendi potest transferri. *L. 1. & per tot. ff. pro donato. C. 79. de Reg. jur. in 6.* Quod si evincatur à Domino, tenetur donans ad evictionem, si donatio facta est remunerationis, vel alia ex causa, sive sciens, sive ignorans, rem alienam donaverit. *L. 27. l. 34. ff. h. t.* Si verò sit merè liberalis donatio, & donans ignoravit, rem esse alienam, & evictio non est specialitèr promissa, ad nihil tenetur. *L. 18. §. fin. ff. h. t.* Secus, si sciens, rem alienam esse, eam ignoranti quis donavit: nam ipsi obligatur saltem ad impensas occasione donationis factas.

221 Domini rerum suarum administrationem habentes, si non prohibeantur specialitèr, possunt inter vivos donare. Hinc pupilli, minores, prodigi donare nequeunt, quia suarum rerum administratione carent. *L. fin. C. Si major. factus. L. 1. tit. 4. p. 5.* Deinde, de jure prohibentur donare, 1. qui crimen læsæ Majestatis commisit, & qui ut hæreticus est per Ecclesiam judicatus; qui vero aliud crimen, etiam capitale commisit, potest usque ad sententiam donare, non vero post sententiam. *L. 2. tit. 4. p. 5.* 2. Donatio inter virum, & uxorem non valet; cum à jure prohibeatur, ne mutuo amore spolientur. *L. 1. l. 3. ff. de Donat. inter* de quo *in lib. 4. tit. 20.* 3. Nec donatio Militis facta focariæ, seu meretrici. *L. 2. C. de Donat. inter.* idem ad Clericos extendit Rota. *Covar. in Reg. Peccatum, p. 2. §. 2. n. 2.* 4. Nec pater filio adhuc constituto sub patria potestate donare valet, quia cum unam personam civilem ambo constituant, sibi ipsi donare videtur. *L. 11. C. h. t. L. 3. tit. 4. p. 5.* Potest tamen

tamen pater filio donationem remuneratoriam facere, vel ipsi matrimonium contracturo aliquid in dotem dare, vel eunti ad bellum, vel Universitatem aliquid donare: & talis filius non tenetur has donationes ad partitionem cum suis fratribus trahere. *L. 3. tit. 4. p. 5. & ibid. Greg. Lop.* Hodie in nostra Hispania potest pater filio, etiam in patria potestate constituto, per testamentum, vel contractum donare tertiam bonorum partem, & si rem donatam tradat filio, donatio est irrevocabilis; si tamen non tradat, revocabilis est, etiamsi fiat filio emancipato. *L. 1. tit. 6. lib. 5. R. C. L. 7. Taur.* & notat *Greg. Lop. in l. 3. tit. 4. p. 5. V. Non valdria.* Filiusfamilias, etiam sine patris consensu, potest de peculio castrensi, vel quasi castrensi donare inter vivos; dum in eis patrifamilias comparetur. *L. 17. §. 6. ff. h. t. l. 32. §. 8. ff. de Donat. inter.* De profectitio tamen potest donare consanguineis pro dote, vel alia justa causa, & ex his bonis potest suo Magistro salarium dare. *L. 7. ff. h. t. l. 3. tit. 4. p. 5.* Minor, juxta sui status conditionem in rebus communibus, donationem facere potest ex tacito Curatoris consensu: alias donationes factæ, juxta aliquos, etiam naturaliter sunt invalidæ: secus juxta alios; cum bene possint naturaliter obligari, & alias verè earum rerum Domini sint. Administratores rerum alienarum, etiamsi generalem administrationem habeant, ut Procuratores, Tutores, & Curatores, sine speciali mandato nequeunt donare; quia potestas donandi, sub mandato generali, non continetur. *L. 7. ff. h. t.* Prælati Ecclesiarum, sive Sæculares, sive Regulares, non possunt sine debitis solemnitatibus, ad alienationem requisitis, res immobiles, & mobiles pretiosas, etiam ob remunerationem donare. *C. 52. 12. q. 2. C. 5. de Reb. Eccles. alien.* In magna etenim quantitate ex nullis rebus Ecclesiæ donationes facere possunt. *C. 2. h. t.* quia non Domini, sed Administratores sunt, & licet meliorem Ecclesiæ conditionem facere possint, non tamen deteriorem, quod quidem facerent donando, quia donare, quodammodo perdere est. *L. 7. ff. h. t.* remuneratorias tamen donationes meritis commensuratas ex rebus mobilibus non pretiosis facere valent: imo ex eisdem rebus mobilibus non pretiosis possunt facere donationes merè liberales modicas cum consensu Capituli; vel sine illo, ubi consuetudo hoc concedit. *C. 3. h. t.* hoc enim ad liberam, & rectam pertinet administrationem. Si Prælatus cum Capituli consensu liberaliter donet quantitatem immodicam redituum Ecclesiæ valida est donatio, quia ipse cum Capitulo Ecclesiam repræsentat, eique contrahendo, & agendo nocere potest; est tamen illicita ob magnam prodigalitatem. Prælati Sæculares, cum dominium habeant reddituum suæ mensæ, de eis etiam in majori aliqua quantitate, etiam sine Capituli consensu, donationes merè liberales facere possunt; sed ut licitæ sint, debent fieri in pias causas. Regulares servare sui Ordinis Regulas, & consuetudinem debent.

222 Donatio omnium bonorum, præsentium, & futurorum, non solum ad piam causam, & ex causa onerosa, & necessaria, sed etiam merè liberalis, & ad causam profanam valida est. *L. 15. §. 4. C. h. t. l. 8. C. de Revoc. donat.* Et omnium bonorum donator, nunquam condemnatur insolidum, sed semper ipsi relinquuntur bona ad congruam sustentationem. *L. 19. §. 1. ff. de Re judic.* Et de eis poterit testari. Ut valeat donatio excedens, olim ducentos, hodie quinquentos solidos. *§. 2. Inst. de Donation.* est necessaria insinuatio. *L. 9. tit. 4. p. 5.* hoc est, quod coram Judice, in judicio, vel extra, donans suam voluntatem donandi declaret, & scriptura fiat. *L. 25. l. 31. C. h. t. l. 9. tit. 4. p. 5.* ibi: *Fueras ende, si lo ficiesse con carta, è con sabiduria del mayor Judgador de aquel logar, do ficiesse la donacion.* Et ratio est, ne in Reipublicæ damnum homines redigantur ad paupertatem; & ut alijs fraudibus obvietur. Et cum talis insinuatio det formam contractui, non potest à partibus renuntiari, nisi accedente juramento confirmetur renuntiatio: tunc enim in utroque foro convalescit donatio, quoad excessum, cum tale juramentum sine peccato, & sine tertij præjudicio servari valeat. *C. 28. de Jur. jur.* & alioquin insinuatio non sit primario ob favorem publicum inducta. *Clar. §. Donatio, q. 18. n. 2. & alij.* Donatio quingentos solidos excedens, quoad quingentos solidos firma est. *L. 34. C. h. t.* Et quoad excessum probabiliter valet in foro conscientiæ. *Molin. de Just. tr. 2 D. 278. n. fin. Lug. & alij.* In foro tamen externo potest retineri excessus, quia per donationem dominium fuit translatum in donatarium, licet revocabiliter donec à donatore, vel ejus hæredibus repetatur. Et quidem hunc repetere valent tuta conscientia, etsi nulla fraus in donatione intervenisset. Hac tamen insinuatione non indiget ad valorem. 1. donationes, quæ licet simul sump-

tæ hanc summam excedant, singulæ tamen non attingunt quingentos solidos, licet eidem donatario fiant. L. 34. §. 3. *C. h. t.* nisi unam moralitèr donationem faciant, quia ut in fraudem Legis factæ invalidantur. 2. donatio à Principe privato, vel à privato Principi facta, etiam sine insinuatione valet. L. 34. *C. h. t. l. 9. tit. 4. p. 5.* vel facta Militibus à Magistris Militiæ. L. 36. §. 1. *C. h. t.* nec indiget insinuatione donatio facta pro redimendis captivis, vel reparatione ædium. L. 36. *C. h. t.* Et hinc nec donatio ad causas pias; *arg. C. 11. de Testament. Less. de Just. lib. 2. cap. 18. n. 102. & alij.* Nec in his causis Leges Civiles insinuationem requirentes ullam vim habent, quia non sunt Jure Canonico approbatæ. Imò in nostra Hispania expressè à necessitate insinuationis excipiuntur donationes factæ Ecclesiæ. L. 9. *tit. 4. p. 5. & ibid. notat Greg. Lop.* nec remuneratoriæ donationes, nec causa mortis. *L. fin. C. de Donat. caus. mort.* vel quæ ob aliam causam fiunt: v. g. dotis, vel studiorum insinuatione indigent. L. 19. §. 1. & 5. *ff. h. t. Molin. de Just. tr. 2. D. 279. Clar. V. Donatio, q. 3.*

223 Donatio inter vivos semel perfecta, etiamsi verbis tantum constet, & nec dum res tradita sit, irrevocalis est. *L. 2. l. fin. C. de Revocand. donation.* quia cum per eam sit jus donatario jam adquisitum non potest à privato: imò neque à Principe, nisi ob publicam utilitatem, tolli. Aliquando tamen potest revocari, & revocatur. Et quidem 1. revocatur donatio inofficiosa: talis est illa, quæ contra officium pietatis, filiorum legitimæ præjudicat: quatenùs danator in tanta quantitate donat, ut legitima filiorum auferatur, vel minuatur per donationem. L. 2. *l. 7. l. 8. C. de Inoffic. donation.* tunc enim filij in portione legitima, & Legibus taxata gravati post mortem patris, vel matris (& non antea, cum solum tunc legitima debeatur) apud Judicem querelam intentare possunt, ut illa donatio rescindatur; non quidem tota, vel in totum, ne pœna sit major delicto: sed solum in quantum ipsorum legitimæ detrahit. *L. 7. C. de Inoffic. donat.* nec tota revocatur, etiamsi facta sit alis donatio animo liberos sua legitima fraudandi: quod in nostra Hispania clarè decisum est *in L. 8. tit. 4. p. 5.* ibi: *E si el padre ficiere mayor donation, puedenla revocar los fijos fasta en la quantia de su parte legitima.* Et notat *ibid. Greg. Lop.* quidquid alij disputent. Similitèr parentes, alijque ascendentes in sua legitima gravati, possunt adversus liberos, post ipsorum mortem, & non ante, agere ad rescisionem donationis, quatenùs eorum legitimam minuit. *L. 4. C. de Inoffic. donat.* sicut & ipsis querela inofficiosi testamenti competit. Non tamen est locus revocationi casu, quo liberi, vel parentes repudiant legatum, vel hæreditatem, etiam delatam, sed nondum aditam: quia per talem repudiationem non propriè alienatur jus adquisitum, ut erat necessarium ad verificandam donationem, quæ ut in materia odiosa non extenditur ad hunc casum, in quo tantum verificatur jus nondum adquisitum remitti.

224 2. revocatur donatio ob donatarij ingratitudinem. *L. fin. C. de Revoc. donat. l. 10. tit. 4. p. 5.* non quidem ipso jure, sed per Judicis sententiam: interim tamen potest donatarius, cum verè Dominus sit, res donatas retinere. *L. fin. C. de Revoc. donat.* percipitque fructus, ante contestationem litis perceptos, sed lata sententia, etiam in foro conscientiæ rem restituere tenetur. Non tamen revocatur donatio, 1. si causæ piæ facta sit: quippè quæ principalitèr Deo fit, ac proindè neutiquam potest ingratitudo verificari. Quod si fructus rei donatæ Prælato adquirantur, & hic ingratus sit, ipse eis ad suam vitam privatur. 2. non revocatur donatio remuneratoria. *L. 27. ff. h. t.* nec donatio ob causam dotis. *L. 24. C. de Jure dotium*, nec propter nuptias facta. Siquidem hæ non propriè sunt donationes, cum non ex mera procedant liberalitate donantis. Casus ingratitudinis in ordine ad revocandam donationem afferuntur à Justin. *in L. fin. C. de Revoc. donat.* & à *Greg. IX. in C. fin. h. t.* ibi: *Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata donatoris persona de rigore juris eam potuit revocare: si forte in ipsum impias manus injecerit, aut sibi atroces injurias, sive grave rerum suarum damnum, vel vita periculum inferre præsumpserit. Quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur successores. L. 10. tit. 4. p. 5.* Si tamen donator ingratitudinem donatarij ignoravit, vel etiamsi eam scivit, sed non potuit donationem revocare, cum vellet, quia v. g. morte præventus fuit, tunc potest eam donatoris hæres revocare. *Greg. Lop. in l. 10. tit. 4. p. 5. V. Sus herederos.* Multoque magis potest contra donatarium, ut indignum agere, si donatori mortuo gravem irroget injuriam. Contra hæredes tamen donatarij ingrati non transit hæc actio, cum pœnæ delictorum solum afficiant suos authores. *C. 3. de His*

quæ

quæ à major. parte. L. 22. *C. de Pœnit.* Etiam donatio revocatur, si conventiones donationi impositas in scriptis; vel sine scriptis, & quas donatarius spopondit, nolit implere. *L. fin. C. de Revoc. donat.* & ibidem posteà additur: *Ex his enim tantummodò causis donationes factas everti concedimus.* Unde hujusmodi Lex, cum sit odiosa, non debet extendi ad casus, nec causas, etiam majores expressis; *arg.* C. 15. *de Reg. jur. in 6.* licet donator post ingratitudinem commissam possit revocationem omittere, cum cuilibet liberum sit suo juri cedere, non tamen potest juri donationem revocandi propter ingratitudinem, etiam cum juramento renuntiare: hoc etenim contra bonos mores esset, cum ansam delinquendi præberet, & ad ingratitudinem provocaret: ac proindè tale juramentum non obligat. *C.* 58. *de Reg. jur. in 6.* quamquam alij aliter.

225 3. Revocatur, & quidem ipso jure donatio, etiam jurata omnium, vel notabilis partis bonorum, si donatori (qui cumque sit, etiamsi non sit patronus) qui tempore donationis factæ non habebat liberos, postea inopinato liberi nascantur. Imo etsi unus tantum nascatur, revocatur donatio, dum talis filius legitimus sit. Adoptivi autem, nec naturales, nisi legitimentur per subsequens matrimonium, vel Principis rescriptum, donationi non nocent. L.8 *C. de Revoc. donat. l.8. tit. 4. p. 5. Molin. de Just. tr. 2. D. 273. Lugo de Just. D. 23. sect. 11. n. 189.* ratio hujusmodi revocationis est, quia in tali donatione subintelligitur conditio, *si liberi non nascantur.* Hinc liberis natis, ipso jure revocatur donatio. *Gothofred. in l. 8. C. de Revoc. donat.* l. 8. *tit.* 4. *p.* 5. *& ibid. Greg. Lop.* V. *Es revocada.* Et donator etiam ante Judicis sententiam, rem donatam repetere potest: interim tamen donatarius cum Dominus sit non tenetur, nec in foro conscientiæ ad restitutionem rei donatæ, donec repetatur. Quod si liberi jam perfecta donatione nati ante patrem moriantur: adhuc revocatur donatio, quia semel donatione extincta per liberorum nativitatem, amplius non revivilcit, etiam illorum morte; *arg.* L. 98. §. 8. *ff. de Solution.* Aliquando tamen subsistit, nec revocatur, etiam liberis supervenientibus. 1. si donatio sit facta filio etiam emancipato: tunc enim non in totum revocatur donatio, sed solum quatenùs nocet filiorum legitimæ. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 273. *n.* 1. 2. si quis juramento renuntiavit juri revocandi donationem, natis liberis solum quoad eorum legitimam revocatur. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 273. *n.* 6. 3. si habens filios, etiam unicum donationem faciat, postea alijs natis, solum quoad eorum legitimam revocatur. L. 5. *C. de Inofficios. donat.* 4. donatio Ecclesiæ, vel alteri causæ piæ factâ, cum hæc instar filij consideretur, & causa favorabilis sit. *Auth. Si qua mulier, C. de Sacrosanct. Eccles.* solum revocatur quoad legitimam filiorum, qui post talem nascuntur donationem. *Lugo de Just. D.* 23. *n.* 194. quoad cætera vero firma habetur; etiam in foro conscientiæ. Aliquando tamen erit expediens, ut totum ab Ecclesia restituatur filijs de novo natis, ut sic ab omni avaritiæ suspicione purgetur: adhibitis tamen solemnitatibus juris ad alienationem requisitis: juxta text. sic intelligendum in *C. fin.* 17. *q.* 4. *Lugo de Just. D.* 23. *n.* 147. nec item revocatur per filiorum nativitatem donatio ob remunerationem meritorum facta: tunc enim sat erit filijs legitimis non nocere; *arg.* L. 34. §. 1. *ff. h. t.*

226 Huc possunt reduci per modum appendicis contractus sponsionis, & ludi, de quibus saltem obiter hic agendum decrevi, cum propria Sede in nostro Jure Canonico careant. *Sponsio* igitur, quam *Hispanè* dicimus: *Apuesta est contractus, quo in re dubia unus pro una parte, & alius pro alia de veritate, seu eventu alicujus rei certantes, aliquid spondent, sive pecuniam, sive quid aliud, ut id ejus sit, qui eventum, seu veritatem rei attigerit.* Ut autem licitè fiat requiritur. 1. quod uterque in eodem sensu accipiat id, de quo certatur, alias cum ambo possint convenire, non erit concertatio, vel oppositio inter negationem unius, & assertionem alterius. 2. requiritur quod detur æqualitas in re, quæ spondetur, nisi alter huic conditioni voluntariè cedat. 3. & præcipuè requiritur, quod sponsio fiat super re dubia, seu quod eventus respectu utriusque dubius sit: quod si alter de eventu certus, & securus esset, vel per scientiam, vel experientiam certam, vel etiam per Divinam revelationem, vel per notitiam à Diabolo, vel aliundè habitam restituere tenetur, quod sic fuerit lucratus, quamvis aliqui probabile judicent, adhuc eo casu, non teneri ad restitutionem. Et sane nec peccat, nec restituere tenetur, qui protestatur, se esse certum de eventu, vel veritate, & hoc non obstante contrarius contendit, & vult spondere: quia in hoc casu nulla fraus adest ex parte illius, qui certus est, sed totum debet tribui,

&

& imputari temeritati, & pertinaciæ contrarij: cui profectò nulla fit injuria, cum sciens, & consentiens sit: & potius donare, quam in futurum contingentem eventum spondere censetur. C. 27. *de Reg. jur. in* 6. *l.* 53. *ff. eod.* ibi: *Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consultò dati donatio est*. De hoc contractu latius agunt *Machad. in Sum. lib.* 3. *p.* 5. *tr.* 7. *Dian. in Sum.* V. *Sponsio*, *Lacr. lib.* 3. *part.* 2. *ex num.* 1067.

227 Proximus sponsioni ludus est, qui sic communitèr definitur: *Ludus est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit*. Ludo equidem licitè utimur ad animi recreationem, & quietem: ... hominis frangeretur, si nunquam à laboris relaxaretur intensione. Ita tamen eo est utendum, sicut somno, & alijs recreationibus utimur: tunc scilicèt, quando gravibus, serijsque rebus, proprijsque muneribus, & officijs satisfecerimus. Si enim debitè, & moderatè sumatur ad virtutem Eutrapeliæ (quam jucunditatem dicere possumus) spectat: ac proindè non solum per excessum, sed etiam per defectum in hac materia peccari potest. Magis tamen, attenta hominum naturali ad otium, & quietem propensione, in excessu, quam in defectu peccatur. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. 3. & 4. Ludus quidem triplex est: alius merè *ingeniosus*, alius merè *fortuitus*, alius *mixtus*. In ludo ingenioso non fortuna, sed ingenium dumtaxat locum habet, ut in ludo pilæ, scachorum, &c. merè fortuitum dicimus, in quo fortuna tantum, & casus locum sibi vendicant; ut in ludo taxillorum, *Hispanè: Dados*, & in pluribus ludis chartarum. In mixto denique locum habent ingenium pariter; & fortuna; ut in varijs chartarum ludis contingit. Ludus in quo ingenium, vel vires exercentur, certè licitus est. L. 2. §. 1. *ff. de Aleator.* ibi: *Senatusconsultum vetuit in pecuniam ludere, præterquam si quis certet hasta, vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando: quod virtutis causa fiat*. Ludus fortuitus Jure Naturæ neutiquam prohibetur: nec fit quidem gravitèr malus ex sola circumstantia animi principalitèr intenti ad lucrandum aliquid, etiam in magna quantitate ab eo tamen, qui potest donare: neque etiam ex nimio, & ardenti ludendi appetitu, nisi aliquod præceptum gravitèr obligans violetur: vel si ludens exponatur periculo amittendi bona, sine quibus non potest uxorem, filios, & familiam sustentare. Ludus merè fortuitus, & aliquandò etiam mixtus Jure Positivo prohibentur. C. 15. *de Vit. & honest. Cleric. l.* 1. *ff. de Aleatorib. arg. l.* 6. *tit.* 14. *p.* 7. *l.* 2. *& seqq. tit.* 7. *lib.* 8. *R. C.* In Indijs ludus chartarum Senatoribus prohibetur, permittitur autem militibus in locis, in quibus est custodia militaris, *Hispanè: Cuerpo de Guardia*, & quidem ludus taxillorum omnino prohibitus est, ludus autem chartarum ex se est permissus, ubi specialitèr non prohibetur, sed etiam in ludis permissis magnæ summæ exponi prohibentur. In Indijs solum potest exponi quolibet die quantitas decem argenteorum. L. 1. *& per tot. tit.* 2. *lib.* 7. *R. Ind.* ejusmodi tamen Leges non obligant in conscientia, siquidem contraria consuetudine, scientia, & patientia Legislatorum abrogatæ censentur. *Machad. in Sum. lib.* 3. *p.* 5. *tr.* 7. Ludere autem in Ecclesia ludos, qui in ea non sunt specialitèr prohibiti, non est peccatum mortale: imò si fiat causa honestæ recreationis ab illis, qui ad Ecclesiam confugerunt, poterit etiam à veniali excusari. *Lacroix lib.* 3. *p.* 2. *n.* 1094. *Cajet. Navar. & alij.* Ut ergo ludus licitus sit requiritur. 1. quod ludens non utatur dolo, & fraude. 2. quod sit æqualis conditio colludentium. 3. quod ludens possit disponere de re, quam exponit ludo. Hinc, qui fecit contra ludi conditiones, & vicit tenetur sic lucratum restituere: v. g. si fingens se planè ignarum provocavit adversarium ad ludendum, qui cum certè esset imperitior neutiquam luderet, si adversarij nosceret peritiam: non tamen tenetur restituere, si astutijs in ludo consuetis aliquis uteretur: v. g. si ex usu ludi chartas cognosceret: secus est, si antea eas signasset, vel etiam nosset, ignorante adversario. Deindè, potest inferiores chartas habens dissimulare, augereque sponsionem: ut alter metu concussus relinquat, quod appositum erat: sic etiam potest potiores chartas habens, & de victoria securus, sponsionem augere, vel metum simulare, ut adversarius sponsionem augeat. Item potest juvari notitia, quam hausit ex inspectione chartharum adversarij, habita quidem ex sola ipsius negligentia: secus est, si fraude notitiam adquisivit, ita se collocando, ut eas possit videre, vel alium constituendo à quo nutibus, vel alijs signis admoneatur.

228 Solum ludere valent, qui suorum bonorum administrationem habent, quales sunt patresfamilias, & etiam filij, respectu bonorum castrensium, & quasi cas-

tren-

trensium: non tamen potest filiusfamilias bona adventitia, vel profectitia ludo exponere. Uxor de bonis paraphernalibus libere disponere valet, ac proindè, & ludo exponere: generalitèr tamen uxor, & filiusfamilias ultra prædicta bona, aliquid, sed tantum moderate ludo exponere possunt ad licitam recreationem: Sic enim à parentibus, & maritis permissum præsumitur. Servus solum potest ludo exponere pecuniam, quam Dominus ei ad liberam dispositionem permittat. Religiosus potest etiam aliquid, moderatum tamen, ludo exponere, siquidem de Superioris licentia aliquid moderatum donare valet. Regularitèr tamen Religiosi pro psalmo, vel oratione Dominica recitanda ludere solent: quod quidem nec peccatum, nec irreverentia est: quin etiamsi aliqui damnent ludere sub pacto, quod si quis vincatur legat Missam pro victore, & si vincat lucretur pecuniam, nihilominùs licitum hoc esse tenent *Rodrig. Dian. & alij:* nam tunc non datur res spiritualis pro temporali, sed offertur executio rei spiritualis loco rei temporalis, alioquin tradendæ: quæ commutatio non debet, ut illicita damnari. *Lacr. lib. 3. p. 2. n.* 1096. Clericus de suis bonis ludere potest, sicut Laicus, & solum ratione excessus, scandali, vel distractionis peccare potest. Qui ergo ludens cum eo, qui alienare non potest, vicit, restituere tenetur id, quod lucratus est ultra permissum ipsi colludenti alienare: talem namque excessum invito Domino accepit: Deindè, ut æqualitas servetur, etiam ille, qui alienare non potest renetur restituere, si vincat, illum excessum, quem ipse alienare non poterat, nisi fortè collusor sciret, illum non posse alienare: nam tunc nihil est restituendum: quia collusor suo juri renuntiare censetur: nec scienti, & consentienti aliqua irrogatur injuria. Qui ludo, Lege positiva prohibito, perdit, non tenetur in conscientia solvere, nisi solvere juraverit. Si verò vicerit non tenetur restituere ante Judicis sententiam. *Machad. in Sum. lib. 3. p. 5. tr. 7.* Aliquando in nostra Hispania victus, etiam in ludo non prohibito, non tenetur solvere victori, quod lucratus est. *L. 8. tit. 7. lib. 8. R. C.* Ibi enim statuitur, quod qui perdiderit in ludo pecunia credita non tenetur solvere, quin etiam contractus ibidem irritatur, nullamque vim obligandi habere dicitur. Sic enim dicit prædicta Lex: *Mandamos, que de aqui adelante ninguna persona, de qualquier estado, ò calidad que sea, pueda jugar, ni juegue à credito, ni fiado, aunque sea juego de pelota, ni otro de los tolerados, y permitidos en estos Reynos; y si jugaren los dichos juegos à credito, ò fiado, mandamos à las nuestras Justicias, que no condenen, ni executen en las tales personas, ni en sus bienes, ni de sus fiadores, lo que assi debieren de los dichos juegos à credito, ò fiado: y por la presente damos por ningunas qualesquier obligaciones, escrituras, ò promessas, que las tales personas cerca de ello hicieren.* Quod si victus liberè, & voluntariè solvat, sciens, se ad id non teneri: qui victor extitit potest utique sic solutum retinere, donec ab eo, qui solvit repetatur. Et ita viri doctissimi hanc Legem intelligunt, & ita consuetudine, & praxi recepta est. *Salmanticens. tr. 14. cap. 4. n. 63.* & quamvis ludere cum excessu, nisi aliquod violetur præceptum, excusetur à peccato; at verò publicas domus habere, ubi indistinctè omne genus personarum admittatur ad ludendum: quas *Hispanè* dicimus: *Coymerias*, vix à peccato gravi poterit excusari ob plurima inconvenientia, quæ ex earum usu solent oriri, & pullulare, & ab antiquo jam ludorum damna in his versibus ponderantur apud *Aceved. in Rubric. tit. 7. lib. 8. R. C. n. 7. Hæc dum taxillis ludendo crimina fiunt. Ecclesia spretus, usuraque, rixa, rapina: scandala, tum nugæ, blasphemiæ, tum faciendi furti doctrina, violentia, copia falsi, & mortis causa, deceptio, peruitioque temporis, & desiderium, corruptio ingens istis prædictis adulatio utiqui turpis.* Hisque rationibus prohibentur hujusmodi domus in *L. 2. tit. 2. lib. 7. R. Ind.* & quamvis posteà in conventione inita cum Rege super expensione chartarum, *Hispanè*: *Assiento, y Estanco de Naypes.* Videantur tales domus permissæ, his tamen inconvenientibus occurritur in Conditione 26. ibi: *Quedando, como quedan corrientes los juegos de Naypes permitidos, no ha de ser en manera alguna el que ayá Casas de juego, donde se junten à jugar, y conversar hombres, y mugeres juntos: ni donde jueguen hijos de familia, esclavos, y sirvientes, negros, y mulatos, ni otra especie de gente de igual calidad, so pena de que el que lo permitiere, ò tuviere casa para lo referido, será castigado à mi arbitrio.* Nec enim posset Princeps permittere tales domus, si non præcaveret inconvenientia, quæ ex ipsis communitèr sequuntur. Sed de his latius: *Diana in Sum. V. Ludus. Acevedo in tit. 7. lib. 8. R. C. Machad. in Sum. lib. 3. p. 5. tr. 7. Lacr. lib. 3. p. 2. ex n. 1067. & alij.*

TIT. XXV.

De Peculio Clericorum.

229 Peculium sic dictum, quasi *pusilla pecunia*, seu *patrimonium pusillum*. L. 5. §. 3. *ff. de Peculio. Strictè* acceptum *est ea tio bonorum, quam filiusfamilias, vel servus quasi propriam habet permissu patris, aut Domini. Latius* autem sumitur pro *patrimonio, vel bonis alicujus*, etiamsi paterfamilias sit. *L. 16. ff. Ad S. C. Trebellian.* In præsenti tamen nomine peculij bona Clericorum veniunt. *L. 1. tit. 21. p. 1.* ibi: *Pegujar de los Clerigos son todas las cosas, que ellos ganan derechamente por suyas, quier sean muebles, ò raizes.* Duplex est Clericorum peculium, *profectitium*, scilicèt, quod adquirit ab Ecclesia, quasi matre spirituali, & *adventitium*, quod scilicèt, aliundè quærit justè, ex sua persona, vel ex consanguineorum successione, vel ex donatione amicorum, vel quod quærit aliquo opificio, vel industria, ita ut quod in Laico dicitur peculium castrense, vel quasi castrense in Clerico adventitium dicatur. *L. 2. tit. 21. p. 1. & ibid. Greg. Lop.* Et quidem ad faciliorem explicationem ad quatuor classes possunt Clericorum bona reduci. 1. Enim sunt *bona patrimonialia*, quæ scilicèt, habent Clerici ex proprio patrimonio adquisito ex hæreditate, vel donatione, non quidem Ecclesiæ, sed ipsis Clericis facta. *C. 15. de Testament.* quod si dubium sit, an testator, vel donator Ecclesiæ, vel Clerico rem donasset: conjecturis standum est: nam si res donata sit conveniens Ecclesiæ: v. g. Calix, Ecclesiæ adquiritur: si verò res sit magis personæ, quam Ecclesiæ proportionata, v. g. vestis, Clerico adquiritur. Si donans sit consanguineus, vel amicus Clerici, vel Prælati, ipsi adquiritur donatio: Ecclesiæ verò si donans sit persona omninò extranea. *C. 15. de Testament.* Etiam sunt bona patrimonialia ea, quæ Clericus ex quocumque contractu adquirit, vel etiam propria industria independentèr à beneficio, vel ministerio Ecclesiastico: v. g. quia est pictor, vel Medicus. Siquidem Clerici per ordinationem neque fiunt dominij incapaces, nec eo se abdicant. *C. 18. 12. q. 1.* ac proindè in ejusmodi bonis perfectum dominium habent, libereque de eis disponere etiam ad usus profanos, valent, tam inter vivos, quàm in testamento. *C. 19. 12. q. 1. C. 1. c. 9. de Testament. L. 53. tit. 6. p. 1. l. 3. tit. 21. p. 1.* Quod si ex bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, vel etiam de Ecclesiasticis necessarijs ad congruam sustentationem aliquid expendat beneficiarius in causas pias, potest utique sibi ex redditibus Ecclesiasticis superfluis eam summam compensare, etiamsi animo non compensandi expendisset, ut tenent aliqui cum *Lug. de Just. D. 4. n 92.* contra *aliquos*. Deindè: quidquid ex his bonis Clerici adquirunt, emendo, vel vendendo, v. g. sibi adquirunt. *L. 6. tit. 21. p. 1.* 2. Sunt *bona quasi patrimonialia*: quæ scilicèt, Clerici, ut tales adquirunt: v. g. concionando: & quæ de congrua sustentatione, parcè vivendo, sibi reservant, quæ *parsimonialia* solent appellari. Inter hæc bona, etiam numerantur funeralia, & alij reditus, qui *stolæ* dicuntur. Hæc enim tanquam merces laboris Clericis sine ullo onere à fidelibus dantur; ac per consequens de eis ad libitum disponere possunt. Etiam ut bona patrimonialia habentur distributiones quotidianæ, quæ dantur his, qui Divinis intersunt officijs. Et quidem harum dominium ad Clericos pertinere probatur à contrario sensu. Ex *C. un. de Cleric. non resident. in 6.* & tenent communitèr cum *D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. TT. & Canonistæ* contra *Navar. de Redit. q. 1. monit. 30. & alios.* Etiam quidquid his bonis emunt, vel aliter adquirunt Clerici sibi ipsis proculdubio adquirunt. *L. 6. tit. 21. p. 1.*

230 3. Sunt *bona beneficialia*, ut reditus, quos Clerici ex beneficio Ecclesiastico, vel Dignitate annuatim percipiunt: qui *fructus grossi* dicuntur. Horum dominium ad Episcopos, vel Clericos pertinere negant *D. Martin. Azpilcuet. Navar. de Redit. q. 1. & in Apolog. q. 1. monit. 38. & 39. Archidiac. Less. de Just. lib. 2. cap. 4. n. 42. & alij*, qui proindè asserunt, Clericos ex justitia teneri, fructus, qui ad ipsorum congruam sustentationem non sunt necessarij, in opera pia expendere: E contra verò, dominium verum in fruentibus, etiam superfluis beneficiorum Episcopos, & Clericos habere, tenent *D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. Covar. in C. Cum in officijs, 7. de Testament. n. 6. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 20. n. 24. Lug. de Justit. D. 4. sect. 1. n. 2. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 17. n. 9. Gonz. in C. fin. h. t. n. 6. & alij*, & constat ex eo, quod *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1.* ait: Beneficiatos, qui non resident, *prorata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia*

tia illos detinere posse. Et de provisis ad beneficia curata, qui intra duos menses non faciunt publicam fidei professionem in ipso *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. dicitur, *non facere fructus suos*: unde à contrario sensu infertur, quod fructus suos facient, si publicam fidei professionem faciant: quod quidem juxta *Text. in L.* 2. §. 2. *ff. de Rebus credit.* est idem, ac dominium adquirere. Et corroboratur ex *C. fin. de His, quæ fiunt à major. part. Capit. C. un. de Cleric. non resident. in* 6. & etiam ex *C.* 2. *de Fidejussorib.* ubi ex redditibus beneficiarij inopis debita solvi jubentur. Et si non essent Domini ipsi beneficiarij, talium redituum Ecclesia solutum, tanquam indebitum repeteret. *L.* 78. *ff. de Solutionib.* Etiam comprobatur ex *Const. Julij III. Cum sicut.* Edita 3. *Jun. An.* 1550. ubi prædictus Pontifex ait: *Pecunias, & res alias occasione beneficiorum Ecclesiasticorum provenientes, postquam ad manus Beneficiatorum pervenerunt.... non ulterius in Ecclesiasticis; sed potius ipsorum beneficiatorum proprijs, & ab ijs adquisitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro sæcularibus, & profanis haberi*: facit etiam *Lex fin. tit.* 21. *p.* 1. Nec enim debent Clerici esse pejoris conditionis, quam Officiales, & operarij profani Ecclesiarum, ut Cantores, & alij Ministri, quibus stipendia assignata plenissimè adquiruntur: & hæc esse creditur fundatorum, & fidelium voluntas, & intentio: Hinc quidquid his bonis Clerici emunt, vel aliter adquirunt, sibi ipsis adquirunt; *arg. C.* 3. *h. t.* nam subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur. Sic *Azor de Instit. p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 16. *Navar. & alij* contra *Sarmient. & alios.* Sed ut hæc materia clarius percipiatur, & aliquibus textibus, qui contrarij videntur, satisfaciamus, varios status hujusmodi bonorum pro temporum varietate distinguere est necessarium. Tempore enim prædicationis Christi Domini, Apostoli, cæterique Christiani vitam communem agebant, nec aliquid proprium possidere solebant. *Matth.* 6. *v.* 31. *Et C.* 10. *v.* 9. *Et C.* 19. & 29. sed omnia ad Apostolorum pedes deferebant, ut ipsi inter fideles pro uniuscujusque necessitate distribuerent. *Act. Apostol. cap.* 4. *Text. in C. Dilectissimis*, 2. 12. *q.* 1. poterant tamen aliquid proprium retinere. Ex *Can.* 40. *Apostol.* relato in *C.* 21. 12. *q.* 1. Tunc enim si Clerici aliquid ultra sibi necessarium percipiebant, cum adhuc divisio bonorum non esset facta, furtum, & sacrilegium committebant. *C. fin.* 16. *q.* 1. *C.* 7. 10. *q.* 2. *C.* 7. *c.* 23. 12. *q.* 1. *D. Hieronymo in Pr. D.* 41. *D. Bernard. in epist.* 40. Et Clerici dicebantur administratores. *C.* 19. 12. *q.* 2. *C.* 2. *de Donation.* & hoc modo intelliguntur prædicti Textus, & authoritates. Vel etiam possunt intelligi respectu bonorum, quæ non ad Clericos, sed ad Ecclesiam pertinent, quorum, non Domini, sed Administratores Clerici sunt. Et quidem bona Ecclesiastica cum ad cultum, & honorem Dei sint destinata, patrimonium Christi. *C.* 16. *de Præbend. C.* 34. *de Election. in* 6. res Dei. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 1. pecuniæ Christi. *C.* 1. *c.* 6. 12. *q.* 2. & alia hujusmodi dicuntur. Aucto tamen posteà fidelium, & Clericorum numero, jam currente anno 467. Universa Ecclesiæ bona fuerunt à S. Simplicio in quatuor partes divisa: quarum prima Episcopo. 2. fabricæ. 3. Clericis. Quarta denique pauperibus assignata fuit. *C. de Redditibus*, 28. 12. *q.* 2. sed demum hæc divisio antiquata fuit, & portio pauperum Episcopis cum onere eos alendi tributa fuit; & portio Clericorum cessavit. In cujus locum certi, & determinati reditus officijs Ecclesiasticis fuerunt assignati: quibus tanquam rebus proprijs Clerici utebantur, & beneficia Ecclesiastica appellari cœperunt. *Gonz. in C.* 1. *de Præbend. ex n.* 7.

231 In 4. denique classe sunt bona, quæ propriè Ecclesiastica dicuntur: quæ scilicet, fidelium liberalitate sunt donata Ecclesijs, Monasterijs, & alijs pijs locis: & penes ipsas Ecclesias sunt, debentque impendi in fabricam talium locorum, in Ministrorum salaria, in curam infirmorum, & in pauperum eleemosynas. *L. fin. tit.* 21. *p.* 1. & hujusmodi bonorum dominium particulare, est penes ipsa Clericorum Collegia, vel Regularium Capitula: Vel si talia Collegia, & Capitula non sint, penes ipsam fidelium ad talem Ecclesiam spectantium communitatem erunt. *C.* 1. *de Testament.* ibi: *In ejusdem Ecclesiæ dominio conservetur. C.* 11. 12. *q.* 1. *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 3. dominium tamen universale ejusmodi bonorum est penes Universalem Ecclesiam. Quod si Monasteria sint dominij incapacia, Sedes Apostolica habet non solum dominium universale; sed etiam, & particulare rerum ipsis donatarum: vel erit penes locum Religiosum, ut personam fictam, sicut dominium bonorum defuncti in hæreditate jacente conservatur. *Glos. in C.* 13. *V. Ecclesiam, de V. S.* Sic *Cajetan. & alij* contra *Innoc. Navar. & alios*, qui talium bo-

bonorum dominium Christo tribuunt ex testibus supra allatis. Deinde, quidquid Prælati prædictis rebus emunt, vel aliter adquirunt, non solum si nomine Ecclesiæ, sed etiamsi nomine proprio, vel etiam alterius extranei adquirant, Ecclesiæ adquirunt. *C.* 1. *c.* 2. *c.* 4. *h. t.* L. 7. *tit.* 21. *p.* 1. Clericus igitur ex reditibus Ecclesiasticis beneficiorum deducere debet quidquid necessarium est ad ejus congruam sustentationem, hoc est, ut honeste vivat juxta conditionem status, gradus, qualitatis, & regionis: aliter enim debet se gerere Parochus, aliter Canonicus, aliter Episcopus, aliter nobilis, aliter graduatus, &c. *C.* 28. *de Præbend.* Nomine autem sustentationis congruæ veniunt etiam donationes moderatæ ex gratitudine, vel benevolentia, convivia, & alia hujusmodi.

232 Clericus quidem, licet Dominus sit redituum Ecclesiasticorum, qui ad congruam sustentationem superfluunt, eos tamen sub gravi tenetur in pauperes, vel alias causas pias, præcipuè propria Ecclesiæ, erogare. *Trid. sess.* 25. *de Ref. c.* 1. quantitas autem materiæ constituens hanc gravem obligationem, non taxatur, sicut in furto, sed prudentum arbitrio relinquitur taxanda: potest etiam Clericus consanguineis aliquid donare, si verè pauperes, sint, quin etiam eorum debita, etiam ob finem profanum contracta, solvere, vel ad dotem, vel studia, & ad decentem statum conservandum necessaria erogare, & suos filios, non solum legitimos, ante Clericatum habitos, sed etiam spurios alere debet. Ex *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 1. *l. fin. tit.* 21. *p.* 1. ibi: *Bien pueden darlo, ò partirlo à pobres, è à Ordenes, è à otros logares, que sean de mereed, è à parientes, è amigos, ò à los que los sirven en su vida, quier sean de su linage, ò non.* Hanc quidem obligationem expendendi reditus Ecclesiasticos in causas pias ex virtute justitiæ descendere tenent *Navar. de Redit. Eccles. q.* 2. *monit.* 7. *Isaym. & alij.* Ex charitate oriri asserunt *Molin. & alij.* ex virtute religionis procedere dicunt *Lug. de Just. D.* 4. *sect.* 2. *n.* 16. *& alij.* Nullo tamen Jure, nec Divino, aut Naturali, nec ex justitia, charitate, aut religione, sed solum ex Jure Positivo, & præcepto Ecclesiastico hanc obligationem inductam esse tenent *Soto de Justit. lib.* 10. *q.* 4. *art.* 3. *Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 47. *& alij.* nec enim facile apparet ex quo alio capite hæc oriatur obligatio: quin, & nostra sententia satis clarè deducitur ex C. 7. 1. *q.* 1. C. 13. 12. *q.* 2. *C. fin.* 16. *q.* 1. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 1. *l. fin. tit.* 21. *p.* 1. Nec enim ex justitia hæc oritur obligatio, cum ipsi Clerici sint Domini redituum Ecclesiasticorum, nec constat, quod Ecclesia hanc obligationem Clericis imposuerit, nec quod fideles beneficiorum, & præbendarum fundatores sub hoc modo, vel conditione sua bona beneficijs fundandis donassent: ac proindè non est imponenda ipsis Clericis, nec alijs accipientibus, obligatio restitutionis, si fortè in alios usus tales reditus expendantur. Nec etiam ex charitate hæc obligatio provenit, cum charitas solum obliget graviter, in extrema, vel saltem gravi necessitate pauperibus subvenire. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 32. *art.* 5. *in corp. & alij.* & aliunde constet, quod etiam extra hos casus peccent Clerici, bona hujusmodi in usus profanos expendendo. Deindè ipsi satisfaciunt, si in cultum Divinum promovendum, vel ad beneficia fundanda, vel etiam ad alia opera, quæ non sunt charitatis, applicent, ac per consequens liquet, quod non tenetur ex charitate hujusmodi bona pauperibus elargiri. Nec item provenit hæc obligatio ex religione: cum tales reditus sint merè temporales, nec apparet, cur eorum usus, & applicatio ad causas profanas esset contra religionem: vel si hoc diceremus, similiter habenda esset contra religionem applicatio bonorum patrimonialium, & quasi patrimonialium ad usus profanos, cum talia bona ejusdem naturæ sint cum beneficialibus: quod sanè nullus dicit. Restat ergo, & deducitur per legitimam consequentiam, quod hæc obligatio ex præcepto Ecclesiastico descendat, fundato quidem in eo, quod hæc obligatio valdè expediat Clericorum decentiæ, & valdè utilis sit ad Clericos continendos in honestate ad fidelium ædificationem ad cultus Divini augmentum, & maximè conformis fundatorum institutioni. Quando autem dubitatur quo titulo adquisita sunt bona à Clerico relicta, censentur adquisita titulo Ecclesiæ, vel beneficij, nisi probet Clericus ex propria industria adquisisse, vel ex proprio patrimonio ea habere. Quod si patrimonialia habebat, credendum est, quod fructus beneficij applicarit ad congruam sustentationem potius, quam bona patrimonialia: & ad suos hæredes spectabunt ea, quæ non proveniant ex rebus Ecclesiæ, quod si Clericus aliquid ex bonis Ecclesiæ emat, nomine Ecclesiæ debet facere instrumentum: è contra vero debet nomine proprio

instrumentum facere, si ex proprij patrimonij bonis aliquid adquirat, vel emat. *Arg. C.* 21. 12. *q.* 1. *l.* 6. *tit.* 21. *p.* 1.

T I T. XXVI.

De Testamentis, & ultimis voluntatibus.

233 ULTIMA voluntas genericè sumpta quinque species continet: videlicèt: testamentum, codicillum, legatum, fideicommissum, & donationem causa mortis. *Testamentum* sic dicitur, *quasi testatio mentis sit, seu mentis coram testibus declaratio.* Et sic à Modestino definitur: *Est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult.* L. 1. *ff. Qui testament. facere*, quod alij sic explicant: *Est ultima voluntas directam hæredis institutionem continens*: dicitur namque ultima voluntas: quia solum post mortem fit irrevocabilis, facit illud Apostoli ad *Hebr.* 9. *v.* 17. *Testamentum in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.* Et idcircò communitèt vocitatur, quod *ultima voluntas est deambulatoria usque ad ultimum vitæ spiritum.* Etiam solet testamentum supremæ voluntatis *elogium* appellari. *C.* 3. *b. t.* & sanè, cum teste Constantino in L. 1. *C. de Sacrosanct. Eccles. nihil sit, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit arbitrium*: Juri Naturali esse valdè consentaneam testamenti factionem, tenendum est. *Covar.* 3. *Var. cap.* 6. *n.* 7. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 124. Et cum apud omnes ferè Gentes in usu semper fuisset, etiam Juris Gentium esse dicitur. Sed cum nullus possit disponere de aliqua re, quando ejus dominium non habet, & testator in hunc casum disponat, quando scilicèt, morte ejus, dominium, quod in suis rebus habebat, extinctum est: siquidem *mors omnia solvit*: ideò, ut hæc voluntas rata habeatur fuit necessaria Lex Civilis talem dispositionm ex se infirmam, corroborans: hinc & quia plures solemnitates Jus Civile induxit, Juris Civilis testamenti factionem esse, dicendum est: ac per consequens testamenti factio potest abrogari per legem, staturum, vel consuetudinem: nam etiamsi originem ex Jure Naturali trahat, non est Juris Naturalis præceptivi, sed permissivi tantum; quod quidem mutari, & circunscribi à Jure Civili utique potest.

234 Olim quidem duo genera testamentorum in usu fuerunt; quorum altero in pace, & otio utebantur, quod *calatis Comitijs* appellabant; hoc est coram Populo in Comitijs congregato: altero cum in prælium exituri erant, utebantur, & *pracinctum* dicebatur, & coram Commilitonibus fiebat, quibus accessit tertium testamentorum genus, quæ dicebantur *per æs, & libram*: quod quidem per emancipationem, id est, imaginariam quamdam venditionem agebatur, quinque testibus, & libripende, Civibus Romanis puberibus præsentibus, & eo, qui familiæ emptor dicebatur. §. 1. *Instit. de Testament. ordinand.* Testamentum hodie, his jam abolitis cæremonijs est duplex: aliud namque est *solemne*, quod scilicèt, omnes solemnitates Juris Communis habet: aliud *non solemne*, quod scilicèt, prædictis solemnitatibus ex aliquo privilegio, seu favore non indiget: rursus Testamentum aliud est *scriptum*, *nuncupativum* aliud. *Scriptum enim. Hispanè*: *Abierto* est illud, quod in scriptis exhibetur. *Nuncupativum. Hispanè*: *Abierto* est illud, in quo testator coram testibus, non in scriptis, sed viva voce suam voluntatem declarat. Scriptum autem plures solemnitates de Jure Civili requirit: videlicet, quod hæres expressis verbis instituatur, & nomen hæredis scribatur propria testatoris manu, vel si aliena testamentum sit scriptum, testator propria manu subscribat: vel si hoc non fiat, adhibendus est octavus testis, qui nomine, testatoris subscribat. Et sic subscriptum debet testator testibus ostendere, dicendo, in eo suam ultimam voluntatem contineri. Debent insuper adhiberi septem testes, qui non sint Lege prohibiti in alijs causis testificari: debentque esse rogati, seu ad hoc vocati, & invitati: & etiam puberes, id est non minores quatuordecim annis, item masculi, non fœminæ, liberi, non servi. §. 6. *Instit. de Testam. ordinand.* & ita præsentes adesse debent, ut testatorem audire, & videre possint. Deindè testis debet esse sanæ mentis, non mutus, nec surdus, nec cæcus: item hæres ipse testis esse nequit: legatarius tamen benè testis adhiberi valet. §. 10. & 11. *Instit. de Testam. ordinand.* nec testis potest aliquis domesticus esse, nec enim filius in testamento patris testificari potest, nec pater in testamento filij, nec frater in testamento fratris. §. 10. *Instit. de Testam. ordi-*

ordinand. possunt tamen esse testes mariti in testamento uxoris, famulus in testamento Domini, libertus in testamento patroni, frater in testamento fratris emancipati: quin & pater testificari valet in testamento filij sub ejus potestate constituti, si hic dum militat in castris testetur. Insuper pater, necnon is, qui in potestate ejus est: item duo fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt, testes esse in eodem testamento valent: quia nihil nocet ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi. §. 8. *Inst. de Testam. ordinand.* omnes sane, & singuli testes propria manu subscribere debent: quod si aliquis scribere nescit, alius testis ejus loco subscribet, facta tamen alienæ subscriptionis mentione. Et insuper testes sigillum apponent. Totum præterea negotium fieri debet eodem tempore, & loco unoque contextu, hoc est, non interpositio actu extraneo, nisi fortè ad modicum intervallum ex causa urgente: quæ omnia constant *ex L. 9. l. 21. l. 28. C. h. t. l. 21. §. 2. & 3. ff. Qui testament. facer.* Olim etiam adhiberi debebant signacula testium, sed omnes poterant uno annulo testamentum signare. §. 5. *Inst. de Testament. ordinand.* In testamento autem nuncupativo debet testator coram septem testibus idoneis, & rogatis hæredes legata, & alias dispositiones declarare. §. *fin. Inst. de Testament. ordin.* L. 21. §. 2. *C. h. t.* nec est necessaria scriptura, & quamvis à Notario publico, seu Tabellione in scripturam tale testamentum redigatur, hoc non ad ejus valorem, sed ad faciliorem probationem fit: ne fortè decedentibus testibus antequam coram Judice deponant de testatoris voluntate probatio desit.

235 Solemnitates autem de Jure Hispano requisitæ in testamentis clarè patent *ex L. 3. Taur. l. 2. tit. 4. lib. 5. R. C.* ibi: *Pero en el Testamento cerrado, que en Latin se dice* in scriptis, *mandamos, que intervengan à lo menos siete testigos con un Escrivano, los quales ayan de firmar encima de la Escritura del dicho Testamento ellos, y el testador, si supieren, y pudieren firmar; y si no supieren, y el testador no pudiere firmar, que los unos firmen por los otros, de manera, que sean ocho firmas, y mas el Signo del Escrivano: y mandamos, que en el Testamento del ciego intervengan cinco testigos à lo menos.* Debetque præterea testamentum conscribi in charta sigillata, *Hispanè: Papel sellado. L. 45. tit. 25. lib. 4. R. C. l. fin. tit. 23. lib. 8. R. Ind.* in quibus præscribitur, quodnam sigillum adhiberi debeat tam in Hispania, quàm in Indijs pro testamentis conficiendis. In testamento nuncupativo, sive inter extraneos, sive inter liberos fiat, sequens requiritur solemnitas, ut habetur *in L. 1. tit. 4. lib. 5. R. C. Si alguno ordenare su testamento, ò otra postrimera voluntad, con Escrivano publico, deben ser presentes à lo vèr otorgar tres testigos à lo menos, vecinos del Lugar, donde el Testamento se hiciere; y si lo hicieren sin Escrivano publico, que sean ai à lo menos cinco testigos vecinos, segun dicho es, si fuere Lugar donde los pudiere aver; y si no pudieren ser avidos cinco testigos, ni Escrivano en dicho Lugar, à lo menos sean presentes tres testigos, vecinos del tal Lugar: pero si el Testamento fuere hecho ante siete testigos, aunque no sean vecinos, ni passe ante Escrivano, teniendo las otras calidades, que el Derecho requiere, valga el tal Testamento, aunque los testigos no sean vecinos del Lugar, en donde se hiciere el Testamento.* Quæ quidem Lex solum loquitur de testamento nuncupativo. L. 2. *tit. 4. lib. 5. R. C.* Hoc testamentum potest scribi in charta simplici, seu papyro communi, post ejus tamen aperturam redigendum est ad chartam sigillatam. *L. 45 tit. 25. lib. 4. R. C.* Testamentum quidem prædictis solemnitatibus carens, non solum est nullum in foro externo. *L. 21. C. h. t.* §. 7. *Inst. Quibus modis testam. infirm.* sed etiam in foro conscientiæ: ut contra *Less. de Just. lib. 2. cap. 19. n. 12. Molin. de Just. tr. 2. D. 81. & alios* tenent *Covar. in C. 10. h. t. n. 12. Suar. de Legib. lib. 5. cap. 24. n. 4. Gonz. in C. 11. h. t. n. 13. Vazq. Jul. Clar. & alij*: & probatur *arg. Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1.* ubi matrimonium clandestinum ex defectu solemnitatis positivæ, scilicet, assistentiæ Parochi, & testium, nullum est in utroque foro: siquidem Leges Civiles aliquem actum irritantes in utroque foro obligant, & pro utroque censentur irritare, dum alias justæ sint, ut supponitur: & cum Leges talem solemnitatem requirentes testamentum irritent, si talis solempnitas desit, & aliundè justæ sint, pro utroque foro censentur irritare. §. 7. *Inst. Quibus modis testam. infirm.* ibi: *Nam imperfectum testamentum sine dubio nullum est.* L. 21. §. 1. *C. h. t.* & clariùs, quam alibi habetur *in L. 3. Taur. l. 2. tit. 4. lib. 5. R. C.* ibi: *Los quales dichos Testamentos, y Codicilos, si nò tuvieren la dicha solemnidad de testigos, mandamos, que no fagan fè, ni prueba en juicio, ni fuera dèl.* In hoc tamen dubio, utrimque Doctorum authoritate, munito, dicendum est, quod

quod hæres, qui in bonorum possessione inveniatur, sive legitimus, sive testamentarius sit, potest absdubio bona retinere, donec Judex jubeat, ea restitui: quippè in dubio melior est conditio possidentis. Et hanc mediam sententiam tenemus, & in praxi credimus securam cum *Sanch. lib. 4. Consil. cap. 1. dub. 14. Lacr. lib. 3. p. 2. ex n.716.* Quando fidei hæredis committitur aliquid solvere etiam in testamento minus solemni illud tenetur hæres restituere: non quidem vi testamenti, sed quia scit, illam esse defuncti voluntatem. *L. 2. C. de Fideicom.* nec potest sic solutum repetere. *L. 16. C. h. t.* & quamvis, quando constat de voluntate testatoris, cesset præsumptio fraudis in particulari, non tamen cessat in communi fraudis periculum: & cum hoc, & non præcisè periculum in casu particulari fuisset Legis indicendæ causa, neutiquam Lex cessat.

236 In terris R. Pontifici, quoad temporale dominium, subjectis, ut sunt Roma, Ferrara, & Patrimonium S. Petri, vel Ecclesiæ, satis est, coram duobus, vel tribus testibus idoneis, & proprio Presbytero, hoc est, Parocho testamentum facere. *C. 10. h. t.* Extra territorium tamen temporale Pontificis non obligat dicta Constitutio *in C. 10. h. t.* sed debent servari solemnitates ad testamenta requisitæ in singulis Provincijs, non solum si Laici testamenta condant, sed etiam Clerici, si ad causas profanas testentur: ut tenent *Covarr. Gonz. & alij* contra *Abb. Fagnan. & alios*, qui extendunt hanc Constitutionem, etiam ad terras non subjectas Pontifici in temporalibus: non tamen debet extendi, cum dicta Decretalis inscripta, & directa sit Episcopo Hostiensi, cujus Diœcesis est in territorio temporali Papæ. Nec Pontifex vult, nec potest corrigere Leges formam actibus merè profanis præscribentes, si nullum peccatum contineant, quales sunt prædictæ Leges solemnitatem testamentorum præscribentes: quæ quidem in materia merè profana disponunt, & aliunde justæ sunt, cum varijs fraudibus occurrant. *C.13. de Judic. C.7. Qui filij sint legit. C. 6. C. 10. D. 96.* nec urget ratio dictæ Constitutionis *in C. 10. h. t.* scilicet, quod talis solemnitas est aliena à Lege Divina, Sanctorum Patrum institutis, & generali Ecclesiæ consuetudine: quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum: nam hoc non est dicere, quod solemnitas prædicta sit contra Legem Divinam, sed præter illam, quatenus ex Lege Divina duo, vel tres testes sufficiunt: sed non prohibetur Lege Divina, quod aliquandò plures adhibeantur: ut contingit *in C. Præsul, 2. C. Nullam, 3. 2. q. 5.* ubi plures testes requiruntur. Quæ interpretatio satis claré deducitur *ex C. 23. de Testibus*, ibi: *Quia licet quædam sint causæ, quæ plures, quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quæ unius testimonio, quantumvis legitimo terminetur*: ac proindè, quod pluries in Scriptura dicitur, quod in ore duorum, vel trium stat omne verbum, potius debet intelligi negative, quam positivè: id est, quod nunquam minus, quam duo sufficiant, licet aliquando plures, quam duo possint esse necessarij, si non quoad probationem, saltem quoad solemnitatem. Nec enim est per prædictam Constitutionem omninò ablata, sed tantum moderata solemnitas testamentorum. Siquidem non est redactum testamentum ad id, quod præcisè Jure Gentium sufficit ad probationem: nam adhuc ad testamenti valorem ultra duorum, vel trium testium præsentiam, insuper requiritur assistentia Parochi, quæ cum de Jure Gentium necessaria non sit, aliquam includit solemnitatem Juris Positivi, ut patet in matrimonio. *Trid. sess. 24. de Ref. matrim. cap. 1. Gonz. in C. 11. h. t. n. 14. & alij.*

237 Aliquando testamentum non indiget prædictis solemnitatibus. 1. quando fit ad causas pias. *C. 11. h. t.* & tunc quidem ad causas pias fieri censetur, quando tota hæreditas, vel etiam pars ejus ad tales causas destinatur: v.g. ut cultus Deo præstetur, vel ut Ecclesia, Monasterium, vel alius pius locus fundetur: vel quando hæreditas applicatur ad conversionem Gentilium, vel Hæreticorum, vel pro redimendis Captivis, vel pro pauperibus instruendis in litterarum studio, vel etiam Opificijs: vel pro puellis dotandis, vel pro eleemosyna inter pauperes, orphanos, vel incarceratos distribuenda, vel pro alijs hujusmodi rebus, quæ fiunt propter finem supernaturalem. Quando anima defuncti hæres instituitur, etiam censetur testamentum ad pias causas factum. *Molin. de Just. tr. 2. D. 134.* Causa etiam pijssima est aliquid ad fidei propagationem, Evangelijque prædicationem relinquere. Huc etiam reducitur quidquid relinquitur ob publicam utilitatem, scilicet, pro refectione pontium, vel viarum, vel pro munitione Civitatis adversus hostiles incursus, & alia hujusmodi: nam licet tales causæ non habeant finem supernaturalem, ac per consequens non sint propriè piæ, tamen piarum causarum favore ob publicam utilitatem gaudent. Præterea, quod appli-

applicatur ad Mauros, Turcas, vel alios fidei inimicos debellandos, verè est opus pium, & tanquam pro quadam præservativa redemptione relictum potest haberi. Et hac ratione plures gratiæ, & Indulgentiæ conceduntur Hispanis in Bulla Cruciatæ. Utinam Hispani, qui in his Indiarum Regnis facili negotio tot opes adquirunt aliquid ad hunc finem applicarent! quod sanè nostrorum Regum intentioni valdè conforme, & consentaneum esset: ut patet *ex L.52. tit.7. lib. 1. R.Ind.* ibi: *Rogamos, y encargamos à los Prelados, Provisores, y Vicarios Generales, que de las condenaciones, ò multas, que hicieren en sus juzgados, apliquen alguna parte para las guerras contra Infieles, y gastos de nuestras Armadas.* In testamento igitur ad pias causas facto nulla omninò solemnitas requiritur; sed sufficit duorum, vel trium testium præsentia, & depositio. *C. 11. h. t.* nec requiritur, quod sint vocati, nec rogati, possuntque esse non tantum masculi, sed & fœminæ: imò etsi tales sint, quod in alijs negotijs plenam probationem non faciant. Nec est necesse de voluntate defuncti constare, per Scripturam, vel vocem; sed sufficit, quod nutu, vel alio signo testator suam exprimat voluntatem: & executor testamentarius hanc voluntatem in conscientia adimplere tenetur: etiamsi nullo modo probari possit: satis enim est, quod ipsi, etiam privata scientia constet. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D.* 134. quin & testamentum, quoad legata pia valet, etiamsi hoc inchoatum tantum sit, vel etiam irritum, quoad hæredis institutionem: siquidem sine hæredis institutione tale testamentum valet. Similitèr testamentum sustinetur, si hæres institutus mortuus est, vel si hæreditatem repudiet. Et quidem etiam legata profana, si quæ in testamento pio relicta sunt, ex consequentia valent: cum accessorium naturam principalis sequatur. *C. 42. de Reg. jur. in 6. Covar. in C.11. h. t. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D.* 134. *Clar. & alij.* Et licet Constitutio *in C. 11. h. t.* sit inscripta Judicibus Velitrensibus, qui sub dominio temporali Pontificis sunt, cum tamen dispositio ad causas pias finem supernaturalem respiciat, animæ, scilicèt, salutem, cultum Divinum, & alia hujusmodi, causa spiritualis, & Ecclesiastica meritò censetur: ac per consequens, non solum in territorio temporali Pontificis, sed ubique, & etiam in foro sæculari prædicta Constitutio servanda est: & Legibus Civilibus contrarijs, si quæ sunt, derogat; *arg. C. fin. de Præscription.* cum solum ad jurisdictionem, & potestatem Ecclesiasticam spectet, de rebus spiritualibus, etiam inter Laicos cognoscere. *C. 2. c. 8. de Judic.* quæ non habent locum in Constitutione *in C.10. h. t.* nam hæc à Papa, ut Principe, & Legislatore Sæculari prodijt: solumque causam profanam respicit, ac proindè non debet esse generalis ubique, sed tantum in dominio temporali Pontificis obligans. *Molin. de Just. tr. 2. D.* 134. *& alij.*

238 2. Nec prædictis solemnitatibus indiget testamentum Militare: quin valdè privilegiatum est tale testamentum ob Reipublicæ, & ipsorum Militum favorem. Hoc namque à Militibus in expeditione, vel Castris existentibus in clipeo, vel gladio, vel in arena, vel ubi possint, etiam proprio sanguine conscribi potest. *Pr. & §. 1. Inst. de Militar. testam. l.1. l.24. l.35. ff. eod. l.4. tit.1. p.6.* 3. Testamentum parentum, vel aliorum ascendentium inter liberos factum, etiam privilegiatum est: cum enim inter hujusmodi personas, nec dolus, nec fraus præsumatur, ideò non est necessarium tantas solemnitates, & cautelas adhibere, ac proindè ad testamentum nuncupativum duo testes, etiamsi fœminæ sint, sufficiunt: si in scriptis fiebat, satis erat quæcunque schedula à patre subscripta, vel conscripta animo testamenti faciendi. *L.21. §.1. C. h. t.* sed posteà aliquæ conditiones additæ sunt. 4. Si Principi testamentum offeratur, nulla alia requiritur solemnitas, cum Principis authoritas omnes solemnitates suppleat, longeque superet. *L. 19. C. h. t.* 5. Idem accidit, si Judici offeratur testamentum, ut ad acta referatur, etiamsi Judex non sit competens. *L.19. C. h. t.* nam testamenti factio est actus jurisdictionis voluntariæ, & quidem simplicis, & acta judicialia omnem falsitatis suspicionem removent. 6. Cum tempore pestis, ob contagionis metum, difficilè sit, omnes testes simul adhibere, in hac circunstantia, non tamen in numero testium fuit Jus Commune relaxatum. *L.8. C. h. t.* Sed jam ex consuetudine duo, vel tres testes sufficiunt. 7. Rurì degentibus permittitur condere testamentum coram quinque testibus. *L. fin. C. h. t.* 8. In testamentis Indorum sufficit, quod duo testes adhibeantur, sive viri, sive fœminæ: etiamsi non sint rogati: nec est necessarium, quod coram Tabellione fiant hujusmodi testamenta. *Montenegro Paroch. Ind. lib.1. tit. 11. sess. 3. Solorz. & alij.*

239 Cum testamenti factio sit de genere

nete permissorum; & edictum de his, qui testamentum nequeunt facere prohibitorium sit: hinc est, quod omnes illi, quibus specialitèr non prohibetur testamentum condere, possunt utique de rebus, quas in suo habent dominio, vel etiam ante mortem habebunt, liberè testari, & disponere. *L. 1. C. de Sacros. Eccles.* & possunt duo insimul: v. g. vir, & uxor idem, & sub eadem scriptura facere testamentum, & uno mortuo, potest superstes revocare testamentum, quoad partem ad ipsum spectantem. *Molin. de Just. & jur. tr.2. D.152.* Testamentum tamen facere nequeunt impuberes, nequidem Tutore authore; *arg. L. fin. C. de Testament. Milit.* puberes autem, etiam sine Curatore testari valent: siquidem post mortem, quando testamentum effectum habet, jam certè sibi non præjudicant. *§.1. Inst. quibus non est permis.* nec furiosi condere valent testamentum, nisi tempore lucidi intervalli: Testamentum vero ante furorem factum profectò validum est. *§. 1. Instit. quibus non est permis. facer. testam.* similitèr nequeunt testari prodigi, quando scilicèt ipsis à Judice suorum bonorum interdicta est administratio. Mutus, & surdus simul à nativitate nequeunt testari; secus est, si scripto, vel aliter suam possint manifestare voluntatem. Cœcus tantum potest testamentum nuncupativum condere, cum scripturam recognoscere nequeat. *L.8. C. Qui testament. facer.* Servi, sive hominis, sive pœnæ: v. g. damnati ad metalla, nequidem Domino consentiente, possunt testari; nam cum testamenti factio non privati, sed juris publici sit, nequit à voluntate privatorum pendere. *L. 3. ff. Qui testament. facer.* filius familias de castrensibus, vel quasi castrensibus, cum in ipsis tanquam paterfamilias habeatur, testari profectò valet. *L. fin. C. Qui testam.* de bonis autem adventitijs, nequidem cum patris consensu, potest testari. *L.6. ff. Qui testament. facer.* nisi ad causas pias. *C.4. de Sepult. in 6.* Item nequeunt condere testamentum capti in bello, & obsides, qui loco captivorum sunt. *L.8. l. 11. ff. Qui testament. facer.* Hodie tamen bene possunt testamentum facere capti in bello: siquidem eos jam non habemus, ut servos. Nec item valent testari deportati, seu illi, qui igne, & aqua interdicti dicebantur. *L.8. §.1. ff. qui testament.* secus relegati, quia jus civitatis non amittebant. *L.8. §.3. ff. Qui testament.* nec possunt testari damnati ad mortem, vel ad bestias, vel ad metallum. *L.8. §. fin. ff. Qui testament. facer.* nec damnati ob carmen, vel libellum famosum. *L. 18. ff. Qui testam. facer.* nec rei læsæ Majestatis, & repetundarum. *L. 20. ff. de Accusation.* nec illi, qui Lege intestabiles esse jussi sunt. *L.26. ff. Qui testament. facer.* nec hæretici, eorum credentes, fautores, & receptores. *L.4. §.5. C. de Hæretic.* nec excommunicati ob hæresim. *C.13. §. Credentes, de Hæretic.* Alij autem excommunicati, quamvis illicitè, validè tamen testantur. Nec testari item possunt, qui persequuntur hostilitèr, capiunt, vel percutiunt aliquem Cardinalem, vel persequentibus cooperantur. *C. fin. de Pœnis in 6.* Nec Religiosi professi, nequidem cum superioris licentia. *C.7. 19. q. 3. C.2. h. t.* tàm ex voluntatis defectu, qua carent Religiosi, qui nec velle, nec nolle habent. *C.11. 12. q.1.* quàm ob solemne paupertatis votum. Ex privilegio tamen Pontificis bene possunt Religiosi testari: tale autem privilegium defacto habet plures Ordines Militares. Novitij, utique testari valent, quia Religiosi non sunt: item Scholastici, & Coadjutores nondum formati societatis, saltem de superiorum licentia, nam licet verè Religiosi sint, adhuc tamen sunt dominij capaces.

240. Episcopi quidem testamentum facere possunt de bonis patrimonialibus, quasi patrimonialibus, & parsimonialibus; minimè vero ex adquisitis ex reditibus Episcopatus, vel intuitu Dignitatis, quamvis de his omnibus inter vivos disponere, donationes facere valeant. *C.1. c.8. c.9. h. t.* Clerici Sæculares, qui non sunt Episcopi, licet de bonis patrimonialibus, non minùs, ac Laici testari possint, nequeunt tamen testamentum condere de bonis beneficialibus, nec de adquisitis intuitu Ecclesiæ, etiam congruæ sustentationi superfluis. *C.1. c.8. c. 9. h. t.* de privilegio Pontificio possunt prædicti, non solum ad causas pias, sed etiam ad profanas, etiam de bonis beneficialibus testari. Cum enim hæc prohibitio Juris Ecclesiastici sit, tolli absdubio à Pontifice potest. Et sanè hujusmodi privilegio ex concessione Julij III. & Pauli V. Clerici Romani, & Romæ vicini gaudent. Et hinc dicendum venit, quod etiam consuetudine, saltem immemoriali hoc potest introduci; ut contra *Abbat. in C. 7. h. t. n. 5. Molin. de Just. & jur. tr.2. D.147. Navar. Vazq. Laym. & alios* tenent *Covar. in C. 7. h. t. n.23. Sarmient. Gutier. Acced. Matienz. Solorz. Barbos. Gonzal. in C.12. h. t. & alij.* Ratio est, quia cum hujusmodi

prohibitio ex Jure Humano procedat, potest consequenter contraria consuetudine abrogari. *C. fin. de Consuet.* maxime, immemoriali, quippè quæ privilegio communiter æquiparatur. *C. 26. de V. S.* quod quidem præcipuè locum habet in nostra Hispania, & in Indijs, ubi hæc consuetudo roborata, & approbata est jure nostro Regio *in L. 13. tit. 8. lib. 5. R. C.* alijsque Schedulis Regijs. Sic *Solorzan. Polit. Ind. lib. 4. cap. 10. & de Jur. Ind. Gonzal. alijque Regnicola*: & consentientibus Pontifice, alijsque Prælatis Ecclesiasticis, inoffenso pede servatur. Optimè vero facient Clerici, si hac licentia non abutantur disponendo de his rebus in usus profanos, ut absolute possent; sed potius in usus pios, ut Christiane consulit *Greg. Lop. in L. 53. tit. 6. p. 1.* Hæc tamen consuetudo tantum ad Clericos, non autem ad Episcopos extensa invenitur. Deindè in nostra Hispania testamentum facere possunt damnati ad mortem, tàm naturalem, quàm civilem: v. g. ad deportationem, vel triremes. *L. 4. Taur. l. 3. tit. 4. lib. 5. R. C.* Etiam filij familias, si legitimam ætatem habeant testamentum, etiam sine parentum consensu facere possunt. *L. 5. Taur. l. 4. tit. 4. lib. 5. R. C.* etiam mulier testari valet sine consensu mariti. *Espin. in Specul. Testam. Gloss. Rubr. 5. p. n. 8.*

241 Sæpè accidit, quod instante periculo mortis, vel ex alia causa, non possit, vel nolit quis testamentum per se condere, sed ejus factionem alteri committit, & talis *Commissarius* dicitur. Instrumentumque, in quo hæc commissio datur *Hispanè* nuncupatur: *Poder para testar.* In eoque debet interveniri eadem solemnitas, ac in testamento. *L. 39. Taur. l. 13. tit. 4. lib. 5. R. C.* Commissarius ergo non potest instituere hæredem, nec filium defuncti exhæredare, nec hæredem substituere, nec filijs Testatoris Tutorem dare; nisi ad prædicta specialis ab ipso committente concedatur facultas, & quidem tunc debet committens ipse hæredem nominare. *L. 31. Taur. l. 5. tit. 4. lib. 5. R. C.* Quod si defunctus nude commisit testamenti factionem, tunc Commissarius solvet debita defuncti, quintam partem bonorum pro defuncti anima distribuet, & reliqua bona venientibus ab intestato relinquet. *L. 32. Taur. l. 6. tit. 4. lib. 5. R. C.* Deindè Commissarius debet testamentum facere intra quatuor menses, si præsens erat in loco, ubi ei hæc facultas commissa fuit, vel intra sex menses, si absens erat. *L. 33. Taur.* Committentes autem renuntiare procul dubio huic Legi possunt, consequenterque hunc terminum prorogare. valentque ipso termino asignato à Lege, vel defuncto bona ipsius defuncti transeunt ad venientes ab intestato. *L. 33. Taur. l. 7. tit. 4. lib. 5. R. C.* nec potest Commissarius revocare testamentum, si quod à defuncto factum est, nisi ad hoc specialis facultas detur ab ipso testatore. *L. 34. Taur. l. 8. tit. 4. lib. 5. R. C.* imo nec potest Commissarius testamentum, quod semel fecit, amplius revocare, etiamsi in eo hanc sibi facultatem reservasset; nec item potest Codicillum, etiam ad pias causas facere. *L. 35. Taur. l. 9. tit. 4. lib. 5. R. C.* si plures Commissarij collectivè asignentur, debent omnes ad testamenti factionem concurrere, & statur determinationi majoris partis, & si aliter non potest, sorte dirimitur controversia. *L. 38. Taur.*

242 In condendo testamento hæredis institutio præcipuè attenditur: hæc enim est pars præcipua, & quasi testamenti caput, sine qua testamentum non subsistit. L. 3. *ff. de His, quæ in testam. delent.* §. 34. *Inst. de Legatis.* Hæredes quidem institui valent Laicus, Clericus, Religiosus, Ecclesia, Universitas, Monasterium, & omnes, qui specialitèr non prohibentur; quin & ipsi Deo, ejusque sanctis hæreditas relinqui potest in eorum cultum convertenda. L. 1. §. 5. *ff. ad Leg. falcid.* *L. 1. tit. 3. p. 6.* Hæredes autem alij sunt *voluntarij*, quos scilicèt instituere nullo jure cogimur. Sed propria allicimur voluntate: alij sunt *necessarij*, qui scilicèt necessario hæredes sunt: hæc tamen necessitas, vel ex parte hæredum provenit, quia necessario hæreditatem adire debent, ut servi, vel ex parte testatorum, quare, nùs hi debeant tales hæredes necessario instituere: sic ascendentes tenentur necessario liberos hæredes instituere, si non detur justa causa eos exhæredandi: adeò ut si illos omninò prætereant, & silentio omittant, invalidum fit testamentum. Omnes enim descendentes, qui ab alijs non sunt præcessi, sunt hæredes necessarij suorum ascendentium, & etiam ascendentes respectu suorum descendentium. Sed quamvis prædicti hæredes necessarij in sensu explicato dicantur, non tamen sunt necessarij, ita ut omnino hæreditatem adire teneantur ut servi; sed possunt se ab hæreditate abstinere, & à servis institutis distinguuntur in eo, quod servi hujusmodi beneficio abstinendi carent, & ideo filij; & alij descendentes non præcessi, potius sui, quam necessarij dicuntur, & illud

jus,

juis, in quo fundatur n essitas illos instituendi suitas nuncupar .. De quo latissimè Civilistæ. Fratres autem testatoris, alijque consanguinei, nec sui, nec necessarij hæredes sunt, sed voluntarij. Hæres qui prædictis qualitatibus caret, *extraneus* dicitur. Et quidem qui talis est, ut possit institui, debet esse capax institutionis tribus temporibus. 1. tempore testamenti facti: siquidem incapacis institutio neutiquam valet sustineri. 2. tempore mortis testatoris, quippè tunc institutio confirmatur. 3. tempore aditionis hæreditatis: nam tunc propriè hæreditas adquiritur hæredi. §. 4. *Inst. de Hered. qualit.* L. 49. §. 1. *ff. de Hæredib. instituend.* in hæredibus tamen suis, & necessarijs, cum non requiratur hæreditatis aditio, sed ipsa suitas absque alio facto loco aditionis habeatur, solum requiritur in talibus hæredibus capacitas tempore testamenti facti, & mortis testatoris. Incapacitas si quæ est, temporibus intermedijs nullibi nocet. L. 49. *ff. de Hæredib. instituend.* sicut nec testatori nocet ad valorem testamenti incapacitas, si quam habuit inter tempus mortis, & tempus, quo testamentum condidit. §. 6. *Inst. quibus mod. testamnt.* Pater ergo non potest silentio præterire, sed debet necessario, vel instituere, vel nominatim exhæredare filios, vel filias legitimas, vel his præmortuis, nepotes, & neptes. §. 2. *Inst. de Hered. qualit. & differ.* & etiam filios posthumos, hoc est natos post mortem patris, & adoptatos ab ascendentibus, & hodie etiam emancipatos. §. 3. *Inst. de Exhæredat. liberor.* alias testamentum nullum est. L. 10. *tit. 7. p. 6.* In nostra Hispania Mater debet filios illegitimos, dum non sint habiti ex damnabili coitu instituere, si non habeat descendentes legitimos, etiamsi legitimos ascendentes habeat. L. 9. *Taur. l. 7. tit. 8. lib. 5. R. C.* Quando descendentes deficiunt, debent parentes, vel alij ascendentes gradu proximiores à suis descendentibus necessariò instituti. L. 15. *ff. de Inofficios. testam. l. 6. Taur. l. 1. tit. 8. lib. 5. R. C.* sed quamvis hæredes sui, & necessarij necessario sint instituendi, non tamen est necessarium, quod omnia bona defuncti ipsis relinquantur, sed sat est eis legitimam relinquere: & quidem olim eis relinqui poterat fideicomisso, vel alio quocumque titulo. §. 6. *Inst. de Inofficios. testam.* postea vero necessario per institutionem erat talis legitima relinquenda. Quoad legitimam attinet varia tempora consideranda veniunt, siquidem olim legitima erat quadrans, seu quarta pars hæreditatis. §. 3. §. *fin. Inst. de Inofficios. testam.* posteà triens, & aliquando semis assignabatur. *Auth. Novissima, C. de Inoffic. testament.* legitima equidem, quoad substantiam Juris Naturalis est. L. 36. §. 2. *C. de Inoffic. testam. C. 1. h. t. in 6.* à parentibus enim filijs legitima titulo alimentorum debetur: à filijs vero (si liberis careant) parentibus titulo pietatis, & gratitudinis debetur. Quoad quoram verò, seu quantitatem Juris Civilis est: nam à Lege quantitas præstanda taxatur, & ideò legitima, quasi Lege taxata nuncupantur. Hinc provenit, quod cum legitima non dependeat à testatoris arbitrio non debet, nec potest ab eo gravari fideicommisso, conditionibus, aut alio quocumque onere. L. 32. *l. 36. §. 1. C. de Inofficios. testament.* sed debet testator omninò liberam filijs legitimam relinquere, nisi fortè aliquid ultra ipsam illis relinquat, nam tunc in illo excessu gravamen apponere valet. L. 11. *tit. 4. p. 6.* frater non tenetur fratrem, etiam legitimum, & germanum instituere, sed potest eum impunè præterire: quod à fortiori dicendum est de cæteris consanguineis collateralibus. L. 2. *l. 12. tit. 7. p. 6.* impugnari tamen potest testamentum fratris per inofficiosi querelam à fratre, vel sorore præteritis, si fortè frater in testamento personam turpem instituat. Nominè quidem personæ turpis intelliguntur lenones, meretrices, concubinarij, mimi, arenarij, lussores publici, nati ex coitu Legibus damnato, ut adulterini, incestuosi, vel filij Presbyterorum. L. 27. *C. de Inofficios. testam. l. 12. tit. 7. p. 6.* Quamvis enim vi suitatis teneantur parentes instituere filios, non tamen est hæc obligatio adeo indispensabilis, ut semper, & ubique adimplenda sit: siquidem parentes possunt aliquando liberos exhæredare: hoc est, eos hæreditate jure debita privare. L. 1. *tit. 7. p. 6.* non tamen pro parentum libero, & absoluto arbitrio, sed ob aliquam justam causam, quæ quidem in testamento exprimenda est, & ab hærede instituto probanda, & præterea debet esse aliqua ex relatis in *Nov. 115. cap. 3.* L. 4. *& seqq. tit. 7. p. 6.* scilicèt si filius a Religione deficiat, vel si fiat Hæreticus, vel si ingratus erga parentes existat, quod varijs modis accidere solet. Similiter possunt parentes à filijs exhæredari ob causas relatas in *Nov. 115. cap. 4. l. 11. tit. 7. p. 6.* scilicèt, si pater non sit Catholicus, vel si filium ad interitum vitæ tradiderit, vel alijs modis erga filium ingratus existat.

tat. Etiam frater casu, quo debeat à fratre institui, potest ex tribus causis ab eo exhæredari. *Nov.* 22. *cap.* 47. *l.* 12. *tit.* 7. *p.* 6. Hæc de Jure Communi procedunt: pro varietate autem Regionum Municipalia jura inspici debent, præcipuè quoad legitimam portionem filijs, & parentibus debitam.

243 In nostra enim Hispania legitima descendentium sunt omnia parentum bona, quinta bonorum parte deducta, quam Hispanè dicimus: *El quinto.* L. 9. *tit.* 5. *lib.* 3. *For. Leg.* Legitima ascendentium sunt itidem omnia filiorum bona, tertia parte excepta, quam vocamus: *El tertio*, L. 6. *Taur. l.* 1. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C.* consequenterque filius potest in testamento libere de illa tertia parte disponere, prout voluerit: sicut etiam pater potest pro arbitrio de quinta parte disponere, sive in opera pia, sive in donationes; ita tamen ut ex parte quinta patris, vel ex tertia filiorum sumptus funeris defuncti deducantur. Deindè potest pater, præter quintam, etiam de tertia parte disponere, non quidem absolutè, ut potest de quinta, sed tantum inter descendentes: ac proindè potest filio, vel nepoti, etiam præcessio, relinquere quintam, & simul tertiam partem, quod Hispanè dicimus: *Mejorar en tercio, y quinto*, & hoc sive uni relinquatur quinta, & tertia pars: sive uni ex descendentibus tertia, alteri, etiam extraneo, quinta pars relinquatur. Et hæc melioratio potest tam in testamento, quàm per contractum inter vivos fieri. L. 17. *l.* 18. *Taur. l.* 1. *tit.* 6. *lib.* 5. *R. C.* Tertia equidem, & quinta pars deducuntur considerata summa bonorum, quæ pater tempore mortis habuit, non tamen attenta summa, quam fortè tempore factæ dispositionis habebat. L. 23. *Taur. l.* 3. *tit.* 6. *lib.* 5. *R. C.* & potest pater pro hac melioratione seu pro tertia, & quinta parte assignare certum fundum, vel possessionem; & res assignata debet in specie dari filio meliorato, dummodò tertiæ, & quintæ partis bonorum non excedat valorem. L. 19. *l.* 20. *Taur. l.* 3. *l.* 4. *tit.* 6. *lib.* 5. *R. C.* Cum tamen hæc melioratio non sit jure debita filijs, sed ex patris gratiosa liberalitate procedat, potest absdubiò pater in tertia parte gravamen, fideicommissum, vinculum, vel substitutionem apponere; in favorem tamen descendentium legitimorum, vel his deficientibus, etiam illegitimorum, vel etiam in favorem ascendentium, vel aliorum consanguineorum, vel denique in extraneorum favorem alijs omninò deficientibus ordine, & modo præscriptis *in* L. 27. *Taur. l.* 11. *tit.* 6. *lib.* 5. *R. C.* in quinta parte quodcumque gravamen, & in cujusvis favorem potest apponi, cum de ea liberè pater disponere valeat. Quando ergo fit melioratio in tertia, & quinta parte, prius quinta, deindè tertia pars deducitur ex bonorum cumulo. L. 214. *Styli, Gomez in l.* 17. *Taur. n.* 2. quamvis plures limitationes à Doctoribus afferantur; videndæ apud *Paz in l.* 214. *Styli, & alios*, & sic ad praxim potest reduci. Cajus, v.g. habet quatuor filios, & ex ipsis quatuor nepotes, uni filio quintam partem reliquit, & uni nepoti tertiam; mortuo Cajo omnia ejus bona in unum cumulum rediguntur, *Hispanè: Cuerpo de bienes*, & ante omnia solvuntur debita, funeralia, legata, & aliæ donationes, & quod restat ex legatis, & alijs sumptibus, quod quintæ partis nomine venit, filio traditur: posteà tertia pars deducitur, & traditur nepoti, & id, quod restat est, legitima dividenda prorata inter filios testatoris, ita ut etiam illi, cui quinta pars fuit relicta, pars legitima tradatur; pro ampliori notitia vide Regnicolas, præcipuè *Gom. & Aceved.*

244 Ex his autem, qui hæredes esse prohibentur, alij *incapaces*, alij *indigni* dicuntur. Incapaces etenim vocantur, qui ipso jure esse hæredes prohibentur. Indigni tamen, qui licet absolutè valeant hæredes institui, tamen hæreditas illis aufertur, & aliquando fisco, aliquando hæredibus ab intestato applicatur. Præterea inter incapaces alij absolutè tales sunt, alij secundum quid tantum. *Absolutè incapaces* sunt sequentes, videlicet, in metallum damnati, vel etiam in aliud opus publicum. L. 3. *ff. de His, quæ pro non scriptis.* Deportati. L. 1. *C. de Hæredib. instituendis* quibus comparantur damnati ad triremes in perpetuum. Deindè incapaces sunt banniti, Hæretici non tolerati, & eorum credentes, fautores, receptatores, & defensores, *C.* 13. §. *Credentes, de Hæreticis* Apostatæ. L. *fin. C. de Hæretic.* qui scientèr bis baptizantur, Judæi, & Mauri. L. 4. *tit.* 3. *p.* 6. percussores, & hostiles persecutores Cardinalium. *C. fin. de Pœnis in* 6. Collegia illicita, hoc est, quæ à Lege improbata sunt. L. 8. *C. de Hæred. instituendis* filij perduellium, seu reorum læsæ Majestatis. L. 5. §. 1. *C. ad Leg. Jul. Majest.* mulier intra annum luctus nubens. L. 1. *C. de Secund. nuptijs.* Sed jam hæc Lex Jure Canonico, & Hispano correcta invenitur; *arg. text. in C.* 4. *c. fin. de Secundis nupt.*

nupt. l. 13. tit. 1. lib. 5. R. C. & omnes, quibus ob delictum teſtamentum condere prohibitum eſt. *Clar. §. Teſtamentum, q. 34. n. 2.* Hodie autem in noſtra Hiſpania poſſunt hæredes inſtitui, etiam damnati ad mortem naturalem, vel civilem, quamvis aliqui hoc negent. *Gom. in l. 4. Taur. n. 6. & 7. Incapaces ſecundum quid* ſunt, qui non abſolutè, ſed tantum ex aliqua ſuppoſitione, vel in certis caſibus inſtitui nequeunt hæredes: tales ſunt filij naturales, vel nepotes, item naturales ex filio legitimo, vel legitimi ex filio naturali. Hi enim extantibus legitimis ſolum in uncia poſſunt inſtitui, vel tamen deficientibus, etiam in aſſe inſtitui valent. *L. 2. C. de Natural. liber. Auth. Licet, C. eod.* Spurij, ſeu ex coitu damnato nati, neque ex teſtamento, nec ab inteſtato parentibus (ſecus alijs) ſuccedunt. *Auth. Licet, C. de Natural. liber.* ex æquitate tamen Canonica debent parentes eis alimenta neceſſaria relinquere. *C. 5. de Eo, qui duxit.* Servus de adulterio cum Domina ſuſpectus, niſi purgetur, inſtitui nequit. *Pr. Inſt. de Hered. inſtit.* nec Princeps poteſt in cauſa litis inſtitui. *§. fin. Inſt. quibus mod. teſtam. infirm. Indigni* autem ſunt, qui teſtatorem occiderunt. *L. 7. §. 4. ff. de Bonis damnat.* vel ei non ſuccurrerunt, cum facilè poſſent. *L. 3. ff. de His, quæ ut indign.* vel ejus injuſtam mortem non vindicarunt. *L. 17. ff. de His, quæ ut indign.* qui patronum denuntiarunt, ut negotiatorem mercis illicitæ. *L. 1. ff. eod.* qui per calumniam teſtamentum impugnarunt, tanquam falſum. *L. 8. C. de His quib. ut indign. & ibid. Gothofr.* qui promiſit reſtituere relicta in teſtamento perſonis prohibitis. *L. 10. ff. de His, quæ ut indign.* & ſi qui ſunt alij hujuſmodi. In noſtra quidem Hiſpania extantibus deſcendentibus legitimis ſolum poteſt naturalibus quinta pars relinqui, ſicut & cuilibet extraneo. Quod ſi pater non habeat deſcendentes legitimos, etiamſi aſcendentes legitimos habeat, poteſt filijs, vel nepotibus naturalibus omnia bona, vel partem bonorum, prout voluerit relinquere. *L. 10. Taur. l. 8. tit. 8. lib. 5. R. C.* Spurij autem licet nequeant ſuccedere patri, nec alijs aſcendentibus. *L. 9. Taur. l. 7. tit. 8. lib. 5. R. C.* (& hac Lege corrigitur. *L. 11. tit. 13. part. 6. ut ibid. notat Greg. Lop.*) poſſunt tamen alimenta à parentibus ſuſcipere. *L. 10. Taur. l. 8. tit. 8. lib. 5. R. C.* nec matri valent ex teſtamento, nec ab inteſtato ſuccedere, quando ipſa habet filios legitimos: ipſa tamen bene poteſt ipſis quintam bonorum partem, ſicut & cuilibet extraneo relinquere. *L. 9. Taur. l. 7. tit. 8. lib. 5. R. C.* Quod ſi mater filijs careat legitimis, etiamſi legitimos aſcendentes habeat, filij ſpurij ipſi ſuccedunt ex teſtamento, & ab inteſtato tanquam ſi eſſent legitimi, dummodo non ſint nati ex delicto, ob quod mater pœna capitali digna fiat. *L. 9. Taur. l. 7. tit. 8. lib. 5. R. C.* de his autem latè *Gomez in l. 9. Taur. Aceved. in l. 7. tit. 8. lib. 5. R. C. Sanch. lib. 4. Conſ. cap. 3. dub. 4. & 5. & alij.* Deinde circa Religioſos abſdubio tenendum eſt, quod etiam in particulari inſtitui poſſunt hæredes: ſed cum ipſi ſint incapaces dominij, Monaſterio quidem ſive virorum, ſive fœminarum, cujus ipſi, vel ipſæ membra ſunt, etiamſi Mendicantes ſint, hæreditas adquiritur. *Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 3.* Scholaſtici autem, & Coadjutores non formati Societatis, licet verè Religioſi ſint, cum non ſint dominij incapaces, ſibi hæreditatem, ſi hæredes inſtituantur adquirunt, dum bonis non renuntiarunt. Fratres Minores de Obſervantia, & Capuccini, cum nec in communi ſint dominij capaces, ſi hæredes inſtituantur, nec ipſis, nec Religioni, ſeu Monaſterio adquiritur hæreditas, ſed hæc accreſcet cohæredi, ſiquidem habent, vel hoc deficiente, venientibus ab inteſtato adquiretur. *C. 3. de V. S. in 6. Cl. 1. §. Item quod eod.* & prædicti hæredes legitimi poſſunt tuta conſcientia hæreditatem ſic delatam retinere, quin inſtitutis teneantur, nec ejus æſtimationem præſtare, ut contra *Sylv.* tenent *Rodrig. QQ. Regul. tom. 2. q. 78. art. 7. & alij.* Domus Profeſſæ Societatis poſſunt hæreditatem, ſi in bonis mobilibus conſiſtat adquirere: quod ſi conſiſtat in immobilibus, hæc debent vendi, & pecunia ex eis reſultans in uſus neceſſarios converti valet. *Julius III. in Conſt. Expoſcit. An. 1550.* Collegia vero, & Domus Probationis Societatis, cum dominij capaces ſint poſſunt, ſi inſtituantur hæredes, etiam immobilia capere: Profeſſi, & Coadjutores formati, licet in ſe ipſis incapaces dominij ſint, ſi tamen hæredes inſtituantur, etiam in particulari, intuitu tamen Societatis, vel alicujus Collegij teſtamentum valet, ipſique Collegio adquirent hæreditatem: at verò Fratribus Minoribus, Capuccinis, Profeſſis, & Coadjutoribus formatis noſtræ Societatis relinqui utique valent legata: quia cum ſint res ſingulares inſtar eleemoſynæ ſe habent, cujus Religioſi capaces profectò ſunt, non quidem ſibi, ſed Monaſterio adquirendæ, dummodo non adjicia-

ciatur conditio, vel modus eorum professioni repugnans.

245 Testamentum præter hæredis institutionem, etiam continet legata, quæ *Hispanè* dicuntur: *Legados, ò mandas*: & quidem aliqua, saltem in nostra Hispania necessario sunt relinquenda, licet quantitas ab arbitrio testatoris pendeat, & vocantur: *Mandas forzosas*. Horum notitia, & numerus ex cujusvis Diœcesis statutis haurietur. Legatum ergo sic ab ipso Justiniano definitur: *Donatio quædam à defuncto relicta ab hærede præstanda*. §. 1. *Inst. de Legat. L. 1. tit. 9. p. 6.* Regularitèr enim ab hærede, vel executore, non quidem quoad dominium, quod à testatore descendit, sed quoad possessionem, præstatur. Quod si legatarius possessionem rei legatæ propria capiat authoritate, hæredi tenetur legatum restituere. *L. 1. §. 2. ff. Quod Legator, l. 3. tit. 13. lib. 4. R. C.* Legatum differt ab hæredis institutione, & fideicommisso universali in eo, quod per legatum aliqua res particularis, quæ rationem non habet hæreditatis, relinquitur; secus per hæredis institutionem, & fideicommissum. A donatione causa mortis itidem differt: quia per donationem hujusmodi res donata transit adhuc vivente donante in donatarium, licet ante mortem donatio firma non sit: secus est de legato; legata etenim pura, & absoluta post mortem testatoris, & aditam hæreditatem præstanda sunt, & tunc quidem peti possunt. *L. 32. ff. de Legat. 2.* si verò sint conditionata, conditione in futurum pendente, non debentur, nec ante ejus adimpletionem peti valent. *L. 4. l. 5. §. 2. ff. Quando dies legator.* Et quidem facultatem testandi habentes absdubiò etiam legare valent, cum legatum testamento accessorium sit. *L. 2. ff. de Legat. 1.* potestque prætereà, non solum in testamento, sed etiam in codicillo legatum relinqui. *L. 1. tit. 9. p. 6.* Regularitèr quidem potest legari omnibus, & solis, qui possunt institui hæredes. §. 24. *Inst. de Legatis.* Legatum potest relinqui, non solum quando hæres in testamento instituitur, sed etiam quando nullus instituitur hæres: tunc namque creditur, testatorem gravare hæredem ab intestato, ut tale legatum solvat. *L. 3. ff. de Jure Codicil.* Legatum, etiam profanum, potest relinqui, non solum in scriptis, sed etiam sine scriptura, & nudis verbis. *C. 4. h. t.* & quidem quando legatum nudis verbis relinquitur, seu nuncupativè absque hæredis institutione, aut testamento, vel codicillo nulla requiritur solemnitas: sufficit namque, quod de voluntate testatoris constet. Cum legatum sit testamenti pars, si corruit testamentum, quod est principale, corruit, & legatum, ut accessorium. *C. 42. de Reg. jur. in 6.* quod quidem proculdubiò in legato profano procedit. *L. 29. C. de Fideicom.* secus in legato pio: hoc enim etiam in foro sæculari sustinetur, quantumvis testamentum ob aliquam causam, vel defectum corruat: nam ab eo tale legatum independens censetur. Legatum potest relinqui purè, vel sub conditione, ex die, & tempore, & sub modo: & prout relinquitur à testatore, debet ab hærede, vel executore præstari. Quod si conditio impossibilis apponatur legato neutiquam nocet: nam hæc in ultimis voluntatibus pro non adjecta habetur. §. 10. *Inst. de Hæred. instituend.* similitèr insuper habetur conditio: *Si non nupserit*: adjecta legato virgini relicto: ac proindè ipsi, etiamsi nubat, præstandum est: quod ob nuptiarum favorem, & ne libertas primi matrimonii aliquomodo impediatur. *L. 72. §. 5. ff. de Condition. & demonstr.* idem est, quandocumque præsumitur, quod testator legatum relicturus esset, etiamsi non adimpleretur conditio: v. g. si virgini leget centum, *si nupserit*, præstari debent, si Religionem ingrediatur. *Nov. 123. cap. 37.* vel si ipsa moriatur, alteri puellæ maritandæ præstantur, quia non principalitèr ratione personæ, sed intuitu pietatis tale legatum relictum præsumitur.

246 Cum autem legatum sit donationis species, res legata debet esse talis, ut ex ea legatarius aliquod lucrum capiat; ac proindè, si quis suo debitori liberationem legaverit, valet legatum, siquidem ex eo lucrum liberationis à debito capit. §. 13. *Inst. de Legat.* hinc sanè legari nequit res impossibilis, seu quæ in rerum natura esse non possit, quamvis possit legari res, quæ adhuc non est actu, sed esse speratur. §. 7. *Inst. de Legat.* nec item valet legari res, quæ extra hominum commercium est, ut Templum, res sacra, vel publica, nec liber homo: quod si legetur, adeò nullum est legatum, ut nec æstimatio debeatur. *L. 39. §. fin. ff. de Legat. 1.* §. 4. *Inst. de Legat.* nec res legatarij, ipsi valet legari: nam quod alicujus est, ampliùs ejus fieri nequit. §. 10. *Inst. de Legat.* etiam inutile est legatum, quando debitor creditori suo legat id, quod ei debet: si nihil amplius in legato, quam in debito inveniatur: nam tunc legatarius nihil amplius ex legato habet, quam ex debito habebat. Quod si de-

debitor leget creditori purè, quod in diem, vel sub conditione debitum erat, legatum ob lucrum, quod tunc legatarius ex eo capit, absdubio valet propter repræsentationem. §. 14. *Inst. de Legatis.* Quando generaliter servus, vel alia res legatur, electio est legatarij, nisi aliud testator dixerit. §. 22. *Inst. de Legat.* si hæres rem alienam, nesciens alienam esse, legaverit, nullum est legatum: si verò alienam esse sciens, legaverit, legatum validum est; ac proinde hæres rem legatam justo pretio redimere, & legatario tradere debet: quod si Dominus rem vendere nolit, hæres legatario rei æstimationem tradet. §. 4. *Inst. de Legat.* L. 67. §. 8. *ff. de Legat.* 2. quod tamen de Jure Canonico *Abb. & alij* procedere negant *ex text. in C. 5. h. t.* sed etiam de Jure Canonico tale legatum valere, tenent *Covarr. in C. 5. h. t. n.* 10. *Genz. ibid. n.* 13. *& alij. Ex C. 5.* 12. *q.* 5. cum Jus Canonicum debeat Juri Civili concordari, nisi de expressa revocatione, vel Juris Civilis iniquitate clarè constet: & neutrum accidit in nostro casu, siquidem *in C. 5. h. t.* Ideò Ecclesia Mellanensis legatum retinere non potuit, non quidem quia res aliena legata erat, sed quia legato retento præjudicium legitimæ testatoris sequebatur, quæ ut de Jure Naturæ debita quoad substantiam, debet legato prævalere. Si quis rem pignoratam creditori leget, siquidem obligatam esse sciat (secus aliter) legatum valet, debetque hæres eam luere. §. 5. *Inst. de Legat.* Quando alicui optio servorum legatur, ut eligat, quem maluerit; si legatarius moriatur antequam elegisset, potest ejus hæres optare. §. 23. *Inst. de Legat.* si vero legatarius semel optavit, non potest deindè variare, & aliam rem eligere. L. 25. *tit.* 9. *p.* 6. Et si testator erret in nomine, vel cognomine legatarij, dummodò de persona constet, legatum debetur. §. 29. *Inst. de Legat. l.* 9. *tit.* 9. *p.* 6. idem est, si error contingat in demonstranda re legata: nam si aliundè de ipsa constet, valet legatum. §. 30. *Inst. de Legat.* Nec causa falsa legato adjecta illi nocet: hinc si quis Titio, v. g. leget domum, quia ipso absente dictus Titius ejus negotia gessit, valet legatum, etiamsi Titius testatoris negotia non gessisset: non tamen valet, si illa causa conditionalitèr enuntiata sit: nam tunc censetur, non aliter velle testatorem, dare legatum, quam si verè, & in effectu adimpleta sit conditio. §. 31. *Inst. de Legat.* Si testator leget centum Titio, & duo hujus nominis reperiantur, ita ut omninò ignoretur, de quo sit testator locutus, non valet legatum ob legatarij omnimodam incertitudinem. L. 9. *tit.* 9. *p.* 6. æquitas tamen dictat, quod inter eos, siquidem de aliquo ex eis testatorem sensisse constat, legatum dividatur. Et sic juri utriusque, & dubio satis superque fit. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 197. *n.* 2. si testator duobus eandem rem leget, ea inter ipsos dividitur pro æqualibus partibus. Si eadem res legetur duobus filijs Joannis, v. g. & filio Petri, dimidia pars duobus filijs Joannis, & altera dimidia filio Petri tribuetur. Quod si aliquis ex eis moriatur, vel legatum repudiet, ejus pars collegatario accrescit. §. 8. *Inst. de Legatis.* L. 33. *tit.* 9. *p.* 6. Quod si testator leget domum Petro, & postea eandem Joanni leget: si hoc secundo legato primum voluisse revocare credatur, hoc secundum tantum subsistet, ac proindè domus Joanni cedet. Si verò utrique rem insolidum dare voluit ei, qui primo rem petierit, res dabitur, & secundo, quando petat, dabitur rei æstimatio. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 199. *n.* 1. Si autem testator postquam rem legavit Petro, candem Joanni det, legatum revocatum censetur, ac proinde nihil Pétro debetur: si vero rem vendat, Petro rei æstimatio debetur. §. 12. *Inst. de Legat, l.* 40. *tit.* 9. *p.* 6. si testator eandem rem bis, ter, vel pluriès Petro leget, semel tantum debetur, nam si semel rei adquisivit dominium, amplius eadem ejus fieri nequit, nec est fundamentum, ut detur æstimatio ultra rem. *L.* 45. *tit* 9 *p.* 6. Legatum annuum à testatore relictum, durat, vel in perpetuum, vel pro tempore assignato à testatore. Hinc *Alexand. VII.* hanc propositionem, quæ est ordine 43. damnavit. *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos.* Legatum autem non transmittitur, nec debetur legatarij hæredibus, si legatarius ante testatorem moriatur, vel si jam est mortuus, quando testator ei aliquid legat, nam cum nullum jus adhuc sit legatario adquisitum, nihil est quod transmittat. *L.* 35. *tit.* 9. *p.* 6. idem est, si legatarius moriatur, antequam adimpleatur conditio, sub qua legatum est. *L.* 34. *tit.* 9. *p.* 6. si vero legatarius moriatur post mortem testatoris, quamvis hæres nondum acceptaverit hæreditatem, legatum ad suos hæredes transmittit ob jus, quod in eo ex testatoris morte adquisivit. *L.* 34. *tit.* 9. *p.* 6. *l.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *R. C.* nam à morte testatoris, etiam ante aditionem hæredi-

ta-

tatis legatum purum cedit, & per consequens res legata legatario debetur cum omnibus suis fructibus accessionibus, & incrementis. *L.* 34. *tit.* 9. *p.* 6. *l.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *R. C. Salmant. tr.* 14. *cap.* 5. *ex n.* 172. & etiam à morte testatoris transit dominium rei legatæ in legatarium, etiamsi legatum in diem certum sit relictum. *L.* 34. *tit.* 9. *p.* 6.

247 Quando hæreditas legatis nimis gravata invenitur, potest hæres quartam partem bonorum defuncti retinere, etiam diminuendo legata, fideicommissa, & donationes causa mortis, quod favore Legis falcidiæ inductum est: Lex enim *falcidia*, sic ab ejus Authore *Cajo falcidio*, Tribuno plebis nuncupata, hujus quartæ deductionem, quæ idcirco falcidia vocatur, statuit, atque induxit: & quidem hæc quarta deducitur à quocunque hærede, sive extraneo, sive suo, & necessario: imo ascendentes, & descendentes, hæredes instituti, præter suam legitimam, etiam quartam falcidiam deducunt. Ratio hanc quartam inducendi fuit, tum propter testatores, ne repudiaretur eorum hæreditas, ut nimis gravata fideicommissis, vel legatis: tùm propter hæredes, ne solum, & vanum hæredum nomen absque re hæreditatis, haberent: & hinc hodie jure nostro Hispano antiquatam, & abrogatam esse falcidiam, quamvis de Jure Partitarum admissam, tenendum est, quidquid alij repugnent; nam hodie absque hæredis institutione, vel absque hujus acceptatione, vel aditione testamentum, quoad legata sustinetur. Latius disputat *Pichard. Inst. de Lege falcid.* Hæc tamen portio, falcidia dicta, non deducitur, si hoc testator expresse prohibuit, vel si hæres, inventario prætermisso, hæreditatem adijt: tunc enim in foro externo, etiam ultra vires hæreditatis tenetur legata solvere: nam per ipsam inventarij omissionem, huic beneficio renuntiare censetur. *Auth. Sed cum testator. C. ad Leg. falcid.* Nec item deducitur ex legatis pro libertate relictis, nec ex legatis pijs, abrogata jam. *L.* 1. §. 5. *ff. ad Leg. falcid. per text. in Auth. Similitèr, C. ad Leg. falcid.* nisi hæres sit etiam causa pia; cum privilegiatus contra privilegiatum non gaudeat privilegio. Nec item deducitur ex re legata, q... in perpetuum prohibetur alienari, & ... ad successores legatarij est permansura. Quod si hæres aliqua legata, scienter quidem solvit integre, non potest amplius ea repetere, & reliqua solvere tenetur. *L.* 9. *C. ad Leg. falcid.* idem est si ex juris ignorantia solvit ille, in quo talis ignorantia non toleratur: secus est, si quis ex facti ignorantia solvat, quia credebat ad omnium legatorum solutionem hæreditatem sufficere: nam tunc bene repetere valet, & falcidia locum habebit. Falcidia equidem deducenda est ex bonis, quæ testator tempore mortis reliquit, nam tunc hæredi debetur hæreditas. Hinc, quidquid hæreditati accrescit, vel decrescit, hæredis lucro, vel damno cedit, non autem legatariorum. *L.* 30. *ff. ad Leg. falcid.* Quod si hæres nullum ex hæreditate lucrum speret, potest absdubio hæreditatem repudiare, nec potest à legatarijs cogi hæreditatem adire; cum ab hæredis voluntarij arbitrio unicè dependeat hæreditatem adire, vel repudiare: si tamen adeat, salva falcidia, legata solvere, cæteraque omnia adimplere tenetur. Sed cum bona non intelligantur, nisi deducto ære alieno. *L.* 39. §. 1. *ff. de V.S.* priusquam falcidia deducatur, deducenda sunt omnia, quæ debent restitui, omniaque debita defuncti, expensæ funeris, omniaque legata privilegiata, ex quibus non deducitur falcidia, & ex bonis, quæ super sunt quarta deducitur hæredi præstanda, in qua quidem non computatur, si aliquid ipsi legetur. *L.* 91. *ff. ad Leg. falcid.* & hæc de legatis dicta sufficiant, pro ampliori notitia Civilistas consule. De hac legatorum implexa materia Actui majori Præses Salmanticæ adfui, in quo propositiones quas manè affirmativas in Thesibus defendi, Vespere negativas propugnavi.

248 Deindè Episcopis, & alijs Prælatis inferioribus, quasi Episcopalem jurisdictionem obtinentibus in territorium, & populum, ipsis pleno jure subjectum, ratione superioritatis, & communicationis, quam in Ecclesijs, & cum ipsis habent, & ratione oneris pastoralis, quod ipsis incumbit, debetur quædam portio, quæ quia à Sacris Canonibus inducta, & approbata est *Canonica* dicitur, & regulariter est quarta pars obventionum, & bonorum, quæ testatores pro sua anima Ecclesijs legato, hæredis institutione, vel donatione causa mortis relinquunt: Etiam deducitur ex relictis Monasterij, Hospitalibus, & alijs locis pijs Diœcesis. *C.* 16. *de Offic. Ordin.* non tamen debetur ex relictis locis exemptis; ut contra *Hostiens. & alios* tenent. *Barbos. de Offic. Episcop. alleg.* 86. *& alij.* Hæc quidem portio, alicubi tertia, alibi dimidia pars est, quin etiam alibi minor est quarta parte: ubique tamen consuetudo legitima servanda est. *C.* 15. *h. t.*

Nam

Nam cum Juris Positivi sit, bene per consuetudinem potest augeri, vel minui; imo & in totum tolli, ut in nostra Hispania contingit, ubi saltem in pluribus locis hujusmodi portio omninò in desuetudinem abijt: pro quo tamen consuetudo cujusque Diœcesis consulenda est. *Barbos. Solorz. Gonz. in C. fin. h. t. n. fin.* Hæc enim portio, quæ debetur ex relictis Ecclesiæ, solvenda est Episcopo illius Diœcesis, in qua Ecclesia sita est, etsi testator alterius Diœcesis sit. *Barbos. de Potest. Episcop. alleg.86. n.29.* & etiamsi à testatore aliqua portio Episcopo legata sit: nam cum hujusmodi debita ex diversis capitibus procedant, potest quidem Episcopus, & rem legatam, ut dispositionem testatoris petere, & portionem Canonicam, ex relictis Ecclesiæ, ut dispositionem juris exigere. *C.14. h. t.* nisi fortè testator leget Episcopo suam portionem ea conditione, ut ea contentus sit: nam tunc si acceptat legatum, nequit portionem Canonicam petere, quia ei, per ipsam acceptationem legati, renuntiasse creditur: nisi rursus hoc à testatore per fraudem fiat, rem minimam legando, ut à solutione Canonicæ portionis liberetur. Quod si Episcopus legatum repudiet, absdubio Canonicam portionem ex omnibus Ecclesiæ relictis exigere valet. *C.14. h. t.* Non tamen debetur Canonica portio, si Ecclesia, cui aliquid legatur, per privilegium, vel præscriptionem quadragenariam quidem cum titulo ab ea præstanda defendatur. *C. 4. de Præscription.* nec item debetur ex obvenientibus per donationem inter vivos, vel alium contractum, vel si personæ, non tamen Ecclesiæ, vel Dignitati aliquid relinquatur: v. g. si pro studiosis, egenis alendis, vel pro puellis pauperibus dotandis aliqua relinquantur legata. Nec iterum debetur, si non pro anima, sed pro alia causa: v. g. pro obsequio præstito aliquid Ecclesiæ legetur: vel etiam pro ejus ædificatione, vel reparatione, vel pro beneficij fundatione, vel pro supellectili, & Ornamentis Sacris, vel alijs hujusmodi. *Gonz. in C. fin. h. t. & alij Com.* In Hispania quando beneficiarius moritur, Episcopus de mobilibus, aut de se moventibus bonis talis beneficiarij eligit rem unam, quam vult, sive illa mancipium sit, sive equus beneficiarij, aut quævis alia pretiosa res mobilis. Et hanc *luctuosam* vocant, quod ex lugenda defuncti morte proveniat, & *Navar.* hanc luctuosam cum spoliis Clericorum computat, latè *Molin. de Just. tr.2. D.63.* semper tamen consuetudo attendatur.

249 Sæpè quidem testator, ne ejus ultima voluntas reddatur frustranea per repudiationem hæredis instituti, alterum illi subrogat, & substituit. Hujusmodi enim *substitutio est vocatio ad hæreditatem, vel ejus partem in locum hæredis in ea instituti*, sexque ejus numerantur species. Substitutio namque vel est *vulgaris*, vel *pupillaris*, vel *exemplaris*, vel *Breviloqua*, (seu *reciproca*) vel *compendiosa*, vel *fideicommissaria*. 1. Enim *substitutio vulgaris*, sic dicta, quia cuivis ætati, & personæ convenit, *est substitutio directa*, & simplex, qua secundus hæres instituitur pro casu, quo primus hæres institutus hæreditatem non capiat, vel quia noluit, vel quia non potuit. *L. 69. ff. de Adquir. hæredit. l. 1. l. 2. tit. 5. p. 6.* Hæc autem substitutio finitur, & evanescit. 1. Si hæres primo loco institutus hæreditatem adeat: nam tunc deficit conditio, sub qua secundus erat institutus. *L. 5. C. de Impuber. substitut.* 2. Si substitutus moriatur ante institutum, vel antequam adeat hæreditatem: tunc enim nullum prorsus jus hæredibus substituti adquiritur. 3. Substitutio finitur, si institutus Religionem succedendi capacem profiteatur, tunc enim omnia Religiosi jura Monasterio adquiruntur, consequenterque non est locus substituto: secus est, si religio sit succedendi incapax. *Auth. Ingressi. C. de Sacros. Eccles.* 2. *Substitutio pupillaris* est, quando pater, vel avus filio, vel nepoti in sua potestate constituto, qui præterea post substituentis mortem non sit in alterius potestatem recasurus, hæredem substituit sub conditione, vel in casum, quo filius ante pubertatem decesserit, ita ut tale testamentum patris esse intelligatur, ac proindè substitutus filij excludit à succesione legitima matrem, & cæteros consanguineos ascendentes, & laterales pupilli, quin ipsis querela inofficiosi testamenti competat, ut de substitutione pupillari expressa statutum est in *C. 1. h. t. in 6. l. 12. tit. 5. p. 6. l. 45. ff. de Vulgar. & pupill.* ac proindè, ut in materia odiosa non extenditur hæc dispositio ad substitutionem pupillarem tacitam, sive inclusam in vulgari expressa, sic tendente: *Si filius impubes hæres non est*, & per consequens tunc non excluditur mater. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 184. n. 19.* Mater autem, nec avia non possunt filijs, nec nepotibus, cùm eos non habeant in potestate pupillariter

riter substituere. *L.* 5. *tit.* 5. *p.* 6. Hæc pupillaris substitutio finitur, si filius, vivente patre, ad pubertatem perveniat, vel si à patre emancipetur, vel etiam mortuo substituto ante impuberem, vel irrito, vel revocato per novum testamentum, testamento paterno, à quo quidem, tanquam à principali dependet substitutio pupillaris, quæ proindè corruere debet, si fundamentum, in quo consistit, ruat. *C.* 42. *de Reg. jur. in* 6. 3. Substitutionis species est *exemplaris*, quæ sic indigitatur, eo quod ad pupillaris exemplum inducta sit, habetque locum, quando pater hæredem substituit liberis suis puberibus, & emancipatis, qui per se testamentum facere nequeunt, quia furiosi, vel mentecapti sunt. §. 1. *Inst. de Pupil. subst. L.* 9. *C. de Impuber. & alijs. Substitut. l.* 11. *tit.* 5. *p.* 6. & juxta aliquos hæc substitutio fieri valet, quando filij sunt prodigi, vel surdi, & muti à natura. Non solum pater, sed etiam mater potest filio exemplaritèr substituere: quod si diversos nominent substitutos, substitutus à patre ad ejus bona veniet, & similitèr à matre substitutus ab bona materna vocatus censebitur. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 185. Quod si filius amens, cui exemplaritèr substituitur habeat descendentes, hi, & non alij substitui filio debent: quod si fratrem tantum habeat, hic profectò substitui valet; si fratribus careat, quilibet extraneus potest substitui. Patet autem suo filio exemplaritèr substituens, nequit matrem prædicti amentis excludere, ut tenent *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 185. *Anton. Gomez, & alij* contra *Greg. Lop. in L.* 11. *tit.* 5. *p.* 6. Hæc quidem substitutio finitur, & extinguitur, si furiosus mentis, & judicij usum recuperet, ita ut per se testamentum condere valeat. *L.* 9. *C. de Impuber. & alijs substitut.* vel si furioso liberi nascantur, vel si testamentum patris, quod principale est, corruat; vel si hæreditas non adeatur. 4. loco venit *substitutio reciproca*, quæ tunc fit, quando hæredes instituti invicem substituuntur hoc modo: *Instituo Cajum, & Sejum hæredes, eosque invicem substituo. L.* 4. §. 1. *ff. de Vulgar. & pupill. l.* 13. *tit.* 5. *p.* 6. & ob hanc verborum brevitatem, quibus concipitur, *breviloqua* etiam appellatur. 5. est *compendiosa*, quæ scilicèt, secundum diversa tempora, & ætates brevi verborum compendio plures continet substitutiones hoc modo: *Instituo filium meum hæredem, & quandocumque decesserit, Titium ei substituo.* Si enim filius ante testatorem, vel aditam hæreditatem moriatur, venit Titius ex vulgari substitutione. Si jam adita hæreditate, sed tamen intra impubertatem moriatur filius, ex pupillari Titius hæreditatem capiet. Si post pubertatem filius moriatur, dum tamen in furorem incidisset, ex substitutione exemplari Titio substituto cedet hæreditas. Sicque eadem verborum formula plures casus, & substitutiones amplectitur. *L.* 12. *tit.* 5. *p.* 6.

250 Jam denique ad substitutionem *fideicommissariam* accedimus. Hæc etiam *fideicommissum* simplicitèr dicitur, quippè fidei hætedis restitutio hæreditatis committitur: & quidem olim necessario verbis deprecatorijs fieri debebat: sed eum jam magis verborum substantiam, quam eorum scrupulosam solemnitatem meritò inspiciamus: Hodie per quæcumque verba, quin, & per nutum fideicommissum relinqui valet. *L.* 22. *C. de Fideicommiss.* fideicommissum tamen in genere aliud est particulare, universale aliud. *Particulare* de jure novo legatis exequatum est: quare fideicommisso particulari dicta de legatis accommoda. *Universale* autem *est, quando hæres testamento institutus, vel etiam ab intestato veniens gravatur à defuncto, & obligatur, vel expressè, vel saltem tacitè ex conjecturis, purè, vel sub conditione, vel totam hæreditatem, vel ejus partem tradere, vel restituere alteri.* Et sic concipitur: *Lucius Titius hæres esto.* Et postea testator addit: *Rogo te Luci Titi, ut cum primum poteris hæreditatem meam adire, eam Cajo, Sejo reddas, & restituas.* §. 2. *Instit. de Fideicommiss. l.* 14. *tit.* 5. *p.* 6. In hoc institutionis genere hæres restituere gravatus dicitur *directus*, seu *fiduciarius*. Ille autem cui hæreditas est tradenda, *fideicommissarius* dicitur. Et sanè olim hæreditas per fideicommissum relinqui poterat illis, qui institutionis directæ erant incapaces; secus hodie, ne Lex aliquos ex justa causa institutionis directæ incapaces reddens, adeò facili negotio eludatur. Si ergo incapaci aliquid palam relinquatur, hæres nihil tenetur restituere, cum fideicommissum pro non scripto habeatur *L. fin. ff. de His, quæ ut indign.* si verò secreto, fide interposita, aliquid incapaci relinquatur, sic relictum vindicatur fisco. *L.* 1. *C. de Delatorib.* Etiam potest testator relinquere hæredi directo sua bona cum intentione sine pacto tamen, quod suo filio spurio: v. g. ea restituat: quin, & aliqui tenent, quod potest hæredem rogare, ut ea

restituat, dum tamen haeres ad hoc non se obliget. *Salmantic. tr.14. cap.5. ex n.66.* Si hæres directus ingrediatur Religionem capacem successionis hæreditariæ Religio gaudebit hæreditate, donec ille Religiosus naturalitèr moriatur, vel donec adveniat tempus à testatore assignatum ad restitutionem. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D.* 186. *n.* 3. Si hæres directus gravetur totam hæreditatem restituere, postquam eam adijt (secus aliter) potest deducere, & sibi retinere quartam partem hæreditatis, quæ quarta *Trebellianica* dicitur à *Trebellio* Senatusconsulti Trebelliani Authore. Cum enim hæredes directè instituti recusarent adire hæreditatem, quia vel incommodum sentiebant, vel saltem nullum percipiebant lucrum, ne testamenta ex hæredum defectu corruerent, ipsis hæredibus directis ex Senatusconsulto Trebelliano quarta hæreditatis pars conceditur, & ea deducta tenetur hæres directus onera, & actiones hæreditatis pro virili simul cum fideicommissario sustinere. Si verò hæres directus quartam non deduxit, quamvis coactus à fideicommissario hæreditatem adeat, omnes actiones hæreditariæ fideicommissario, & adversus ipsum competunt: fiduciarius autem ab omnibus oneribus liber erit. §. 7. *Inst. de Fideicommiss. hæreditatib.* Sed cum hodie de Jure Hispano testamentum sine hærede subsistat. *L.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *R. C.* jam non est deducenda Trebellianica, quamvis de jure partitarum admissa inveniatur. In *tit.* 11. *p.* 6. quidquid alij sentiant, nam in *d. L.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *R.C.* statuitur, quod si hæres directus nolit hæreditatem adire, transeat hæreditas ad substitutum. *Sic Cevallos, qq. Com.* 30. *& alij*, quamvis *Matienz. in L.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *R. C. Gl.* 19. *& alij*, adhuc in Hispania Trebellianicam vigere putent. Si tamen filius, qui est hæres suus, & necessarius rogatus fuit hæreditatem restituere, potest utique simul cum legitima Trebellianicam deducere, ne sit pejoris conditionis, quam hæres extraneus. *C.* 16. *c.* 18. *b. t.* licet hoc de Jure Civili non sit adeò clarum. *Perez in C. ad S. C. Trebellian. n.* 11. Trebellianicæ tamen deductio cessat, si testatores eam prohibeant, vel si hæres directus tentavit fideicommissum evertere, vel si hæreditatem non adijt, vel etiamsi causæ piæ debeat fieri restitutio, nisi fortè etiam directus hæres causa pia censeatur. Et denique quoties falcidia non deducitur, nec iidem deducenda est Trebellianica.

251 Testamentum hodie nullo temporis lapsu corruit, ut olim corruebat. L. 27. *C. h. t.* dantur tamen in jure certi modi, quibus resolvitur: siquidem vel *rumpitur*, vel *irritatur*, vel *destituitur*, vel *rescinditur*: 1. enim testamentum dicitur *rumpi* quando scilicèt, aliquod vitium in ipsum testamentum incurrit. Si enim mortuo testatore, vel etiam jam condito testamento filius posthumus legitimus testatori agnascatur, de quo nulla mentio in testamento fiat, hoc abldubio corruit. §. 1. *Instit. de exhared. liberor.* etiamsi talis filius in obstetricis manibus decedat, dum tamen non sit monstrum, nec prodigium. L. 3. *C. de Posthum. hæred. instituend.* in Nostra Hispania ut filius succedat, requiritur. 1. quod sit baptizatus. 2. quod vivat per spatium 24. horarum: ita, ut quavis ex his conditionibus deficiente, non quidem possit filius suis parentibus succedere. L. 13. *Taur. l.* 2. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C.* Etiam dicitur rumpi, quando post testamentum conditum testator aliquem ex suis descendentibus adoptat, vel alium, qui sui juris sit arrogat. Sic enim adoptatus, vel arrogatus fit suus hæres arrogatori, ac proindè quasi civilitèr agnascitur, ac per consequens testamentum, in quo est præteritus, rumpitur. §. 1. *Instit. quibus modis testam. infirm.* Deindè rumpitur testamentum, si testator ipsum laceret, rumpat, vel cancellet, vel si tollat sigillum. L. 1. *ff. de His, quæ in testament.* vel si novum testamentum validè condat, etiamsi hæres hæreditatem repudiet, vel si conditio, sub qua est institutus deficiat, vel si moriatur antequam hæreditatem adeat: & quidem tunc non valet primum, quia per posterius rumpitur: nam secundo testamento validè facto, illico corruit primum, & si primum in secundo neutiquam revocetur. Nec item valet secundum in casibus prædictis, cum nullus ex eo hæres extiterit. §. 2. *Instit. quib. modis testam. infirment. L.* 16. *ff. de Injust. rupt. L.* 21. *tit.* 1. *p.* 6. Ut tamen primum testamentum clausula derogatoria secundi munitum, per secundum rumpatur, necesse est, ut in secundo de illa clausula fiat mentio: alias prævalet primum, utpotè tali clausula munitum. *L.* 22. *tit.* 1. *p.* 6. nisi secundum testamentum factum sit inter liberos, vel ad causas pias: tunc enim, etiam nulla derogationis mentione facta, rumpitur primum testamentum ob secundi favorem. *Auth. Hoc inter liberos. C. h. t. L.* 22. *tit.* 1. *p.* 6. Testamentum quidem quantumvis firmissimis clausulis mu-

munitum semper per aliud revocari valet; nam ultima voluntas usque ad ultimum vitæ spiritum deambulatoria est, ut commune proclamat axioma. *L. 25. tit. 1. p. 6.*

252 2. Testamentum *irritatur*, quando, scilicet vitium afficit testatorem, eo quod ipse post testamentum ritè factum, patiatur maximam capitis diminutionem, per quam libertas: vel mediam, per quam Civitas: vel etiam minimam, per quam familia per arrogationem amittitur. *§. 4. Instit. quib. mod. testam. infirm.* Et quamvis *Glos. in Auth. Si qua mulier. C. de Sacrosanct. Eccles. Barthol. & alij* asserant, testamentum irritari, si testator religionem profiteatur, contrarium autem constat ex *Auth. Nunc autem. C. de Episcop. & Cleric.* Et quidem si religio est hæreditariæ successionis incapax, à die professionis, quæ morti æquiparatur, hæreditas, & legata debentur perinde, ac si testator fuisset naturaliter mortuus. Si tamen Religio sit capax successionis hæreditariæ, Monasterium repræsentat professum, dum ipse superstes est, & omnia ejus bona, quoad proprietatem, & usumfructum penes Monasterium manet, & nihil debetur ante ejus mortem naturalem, nisi voluisset testator, suum testamentum à die professionis effectum sortiri. Hinc si hæres, vel legatarij moriantur, antequam Religiosus decedat, non transmittent ad suos hæredes hæreditatem, nec legata, sed tanquam caduca penes Monasterium pleno, & perpetuo jure manebunt. *Arg. l. 48. §. 1. ff. de Jure Fisc.* de hoc tamen latè *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 3. ex n. 23.* 3. *Destituitur* testamentum, quando, scilicèt, vitium hæredem afficit. Deficiente enim hærede, qui est pars præcipua testamenti, hoc per quandam consequentiam corruere est necessarium. Si enim hæres in testamento institutus ante testatorem moriatur, cum verè non fuisset hæres, quia cum testator non fuisset mortuus, hæredem non potuit habere, non quidem potest jus succedendi ad suos hæredes transmittere, ac per consequens testamentum manet hærede destitutum. Idem est, si mortuo testatore hæres institutus repudiet hæreditatem: nam tunc nullum jus ad suos hæredes transmittit: secus est, si hæres moriatur intrà annum datum ad deliberandum, antequam adijsset, nam tunc jus hæreditatem adeundi ad hæredes transmittit. *L. 19. C. de Jure deliberand.* in Nostra tamen Hispania testamentum, etiam sine hæredis institutione subsistit quoad legata, & cætera in testamento relicta, & hæreditas adquiritur illi, qui ab intestato erat successurus, ac proindè ipse debet testamentum exequi, si alius specialis executor a testatore non assignetur. Similitèr valet testamentum, etiamsi hæres in eo institutus hæreditatem repudiet. Quod si hæredi committatur restitutio hæreditatis alteri facienda, & hæres repudiet, hæreditas ad fideicommissarium devolvitur. *L. 12 tit. 4. lib. 5. R. C.* Denique testamentum *rescinditur*, quando, scilicèt, personæ, quæ de jure deberent institui, sunt exhæredatæ, vel præteritæ. Nam in testamento, ut diximus, debent institui filij à parentibus, parentes à filijs, & fratres à fratribus, quando alias turpes personæ instituuntur: quare si prædicti injustè exhæredentur, ipsis competit *querela inofficiosi testamenti, qua quidem est remedium extraordinarium, quod intentatur contra hæredes institutos post aditam ab ipsis hæreditatem: per illam enim petunt filij, parentes, vel fratres injustè exhæredati, quod testamentum, utpotè contra pietatis officium factum, rescindatur, & ipsis agentibus tanquam ab intestato à Lege vocatis, hæreditas restituatur. L. 1. l. 2. l. 21. §. 2. ff. de Inofficios. testament.*

253 Nil prodesset testatoris dispositio, si hæc executioni non mandaretur. *Executio* ergo testamenti, si nullus alius specialis executor à testatore assignetur, ad hæredes ipsos spectat. *C. 3. h. t.* potest tamen testator alijs hujusmodi committere executionem: possuntque executores constitui non solum majores vigintiquinque annis, sed & Minores, dumtamen decimumseptimum annum excedant: siquidem tales possunt esse procuratores ad negotia. *C. 5. de Procurat. in 6.* Deindè possunt esse executores masculi, vel fœminæ, etiam vidua testatoris, Laici, vel Clerici, vel etiam Laicus cum Clerico. *C. 19. h. t.* unus, vel plures: pluribus tamen constitutis, si unus decedat, absens, vel aliter impeditus sit, ne voluntas testatoris nimis differatur, reliqui procedunt, nisi aliud de testatoris voluntate constet. *C. 2. §. Sanè, h. t. in 6.* item Religiosi, habita licentia Superioris immediati, vel mediati, & quidem tantum Prælati Ordinis, si sunt exempti, vel si exempti non sint, etiam cum licentia Episcopi, vel Capituli Sedevacante; possunt utique esse executores testamentorum, etiamsi ad causas profanas condita sint: nam quæcumque voluntatis defuncti executio est

quasi

quasi causa pia. *C.2. h. t. in 6. Cl. un. eod.* Quod si Religiosi sine Superioris licentia testamenta exequantur, quamvis illicitè, quia contra Sacrorum Canonum prohibitionem, valida tamen erit hujusmodi executio, cum nullibi à jure irritata inveniatur: nec talis licentia sit per modum formæ, vel conditionis necessaria. *Greg.Lop. in l. 2. tit. 10. p. 6. V. Frayles. Azor, Martinez. Menoch. & alij cum Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 11. ex n. 43.* contra *Covar. in C. 17. h. t. n. 2. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 247. n. 9. & alios.* Fratres Minores S. Francisci, nequidem Superiore consentiente, possunt constitui executores. *Cl. 1. V. Item, de V. S.* in Nostra Societate solum Generalis, vel cui ab ipso hæc facultas communicatur, potest licentiam concedere, ut Nostri testamentorum Executores sint. Prædicti Executores in Legibus Hispanis vocantur: *Testamentarios, Executores del Testamento, Albaceas, Cabezaleros, y Mansesores. L. 1. tit. 10. p. 6. l. 14. tit. 4. lib. 5. R. C. & alibi.* Ad executionem quidem in praxi sic proceditur. Qui est assignatus alicujus testamenti executor, se coram Judice competente quidem sistit, præstatque sufficientem cautionem ad securitatem bonorum, quæ debet administrare, juratque, se legaliter, & fideliter usurum executoris munere: tunc Judex suam authoritatem, judicialeque Decretum interponit, ut tale munus exerceat, & hoc dicitur *Hispanè*: *Decernido el cargo de Albacea*: postea coram ipso Judice comparet ad conficiendum bonorum inventarium, quod debet inchoari intra triginta dies à die notitiæ assignationis ad tale munus. Et citantur omnes interesse prætendentes: & quidem certi, personaliter; incerti autem voce præconis. Inventariumque conficitur coram publico Tabellione, & in eo omnia bona, jura, & actiones defuncti describuntur: & Judici offertur ab executore, præstito quidem juramento, de eo, quod in ejus notitiam nulla alia bona, nec jura pervenerint, & quod si alia advenerint, ea manifesta faciet: & tunc Judex interposito judiciali Decreto inventarium confirmat. *L. 9. tit. 16. p. 6. l. 5. tit. 6. p. 6. Monteroso p. 1. tr. 7. fol. 172. Ribera, & alij*, qui Tabelliones circa prædicta benè ordinanda, instruunt. Executor quidem à testatore assignatus, regulariter non potest compelli ad hujusmodi munus acceptandum. *C. 19. h. t.* si verò expressè illud suscepit, vel saltem tacitè, quatenùs aliquem actum talis executoris exercuit, v. g. solvendo debita, vel legata: vel si non contradixit, nec protestatus est contra litteras, quibus tale munus ei mandatur, potest usque ad executionem compelli. *Arg. Cl. 1. de Procurator. l. 17. C. eod.* Si executor Clericus sit, etiamsi testator sit Laicus, solum ab Ecclesiastico Judice compelli valet ob exceptionem fori. *Carpio de Executor. lib. 4. cap. 2. n. 8. Solorzan. Polit. Indian. lib. 5. cap. 7.* si verò executor Laicus sit, potest à Sæculari, & ab Ecclesiastico, etiam quoad legata profana, compelli. Talis enim executio est mixtifori, ac proindè præventioni præbet locum. *C. 3. c. 6. c. 17. c. 19. h. t. Trid. sess. 22. de Ref. cap. 8. l. 7. tit. 10. p. 6. Carpio de Executor. lib. 1. cap. 21. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 5. n. 13.*

254 Si testator executori tempus suæ voluntati adimplendæ in testamento assignet, cum ultima voluntas instar Legis oporteat, observari. *C. 4. 13. q. 2.* intra illud debet prorsus adimpleri. Si nullum tempus sit à testatore præscriptum, debet testamentum, quam primum ab executore adimpleri. *L. 6. tit. 10. p. 6.* Et quidem sub gravi executores tenentur, quam prius solvere debita. *Sanch. lib. 4. Cons. cap. 1. dub. 53.* si vero executor, semel saltem monitus à Judice, intra annum, non quidem continuum, sed utilem: tempus enim non currit ignoranti, nec legitimè impedito, nam talis negligens nequit dici, ut ex *C. 3. h. t.* tenent *ibid. Covar. & Barbos.* si intra annum, inquam, non exequatur testamentum, executio saltem quoad legata pia, devolvitur ad Episcopum. *C. 3. h. 3.* si executor, vel etiam hæres, non quidem suus, sed extraneus negligat exequi testatoris voluntatem, privatur legatis à testatore relictis una cum fructibus, & alijs emolumentis. *C. 6. h. t.* quod si legata sint profana, & nihil de eis disposuit testator, applicantur alijs cohæredibus, vel legatarijs, vel venientibus ab intestato: si pia sint, ab Episcopo alijs causis pijs applicantur. *Auth. Licet. C. de Episcop. & Cleric.* Præterea: Testamentarij rationem suæ executionis reddere tenentur Episcopo, seu Judici Ecclesiastico testamentorum, etiamsi executores sint Religiosi exempti, quin & Prælati: in hac quippe causa Episcopis, exemptione posthabita, omnes Regulares subjiciuntur. *Cl. un. h. t.* Episcopus rationem, si executor sit Metropolitanus reddet. *Carpio, & Diana in Sum. V. Executor, n. 28.* Clerici Sæculares exempti rationem reddent, non Episcopo, sed Papæ,

Papæ, vel Nuntio, vel alij legitimo Superiori. *Glos. in Cl. un. h. t.* V. *Tales. ubi. ibid. n.* 8. *Barbos. n.* 5. Hospitalia, Confraternitates, vel Congregationes, quibus est commissa alicujus testamenti executio, ut sæpè accidit Manilæ, quando Confraternitati: Misericordiæ hoc committitur, tenentur profectò reddere rationem executionis Episcopo, etiamsi talis Confraternitas sub immediata Regis protectione esset. Et quidem hæc veritas, quam aliqui hic acritèr impugnarunt, & quam ego acrius defendi, nuper est à Nostro Rege confirmata. Nullus enim à tali ratione reddenda, quantumvis exemptus, excusatur, quin, etiamsi testator in suo testamento expressè jubeat, quod à suis executoribus hæc ratio non exigatur, adhuc eam reddere debent, & ad hoc possunt ab Episcopo compelli. *C.* 17. *h. t.* Et merito, quia nullus potest facere, quod Leges non habeant locum in suo testamento. *L.* 55. *ff. de legat.* 1. & per talem clausulam totum remittitur nimia, & scrupulosa inquisitio, quoad culpam, non tamen quoad dolum. *Carpio de Executor. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 10. Confessarius, vel executor testamenti, cui testator sub secreto commisit aliquam restitutionem, vel dispositionem de aliqua re, vel quantitatem, non tenetur reddere rationem talis executionis, nec declarare personas, quibus testator quantitatem dari, vel restitui jussit; nisi dolus forte præsumatur ex eo, quod res, vel quantitas in ejus potestate reperiatur. *Sanch. lib.* 4. *Consil. cap.* 1. *dub.* 4. *Dian. Concord. tom.* 6. *tr.* 8. *resol.* 104. Attamen, ut fraudes, & lites vitentur securius erit, quod testator disponat, quod talis Confessarius, vel Executor sub eodem secreto reddat rationem suæ executionis Episcopo, vel Judici Ecclesiastico testamentorum. In rebus parvi momenti, si commodè non potest fieri instrumentum, juramento executoris statur. Si testator jussit aliquam pecuniæ summam pauperibus in genere distribui potest executor, si verè pauper sit, aliquam partem, non autem totam summam, sibi applicare, cum in hoc voluntas testatoris adimpleatur: reliqua vero ejusdem summæ alijs pauperibus elargiri debet: nam testator in plurali loquens hoc censetur voluisse. *Barbos. de Potest. Episcop. alleg.* 83. *n.* 21. *Sanch. in Decal. lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 54. & 55. *Menoch.* & alij contra *Sylvest.* & *alios.* Si autem ipse testator pauperes assignavit ipsis, neutiquam autem sibi, debet executor summam, seu eleemosynam dare: cum alias non adimpleatur testatoris voluntas. Executores etenim tenentur omnino ultimas defunctorum voluntates exequi, quin in aliud eas mutare, nequidem de hæredum consensu valeant. *C.* 16. *de For. competent. C.* 3. *h. t. Cl.* 2. *de Religios. domib. Trid. sess.* 22. *de Ref. cap.* 6. nisi forte hæc facultas à testatore ipsis communicata sit, vel nisi mutaverint in melius secundum ipsius testatoris voluntatem, v. g. præveniendo tempus à testatore ad executionem præfixum. *Arg. l.* 12. *C. de Fideicommiss.* Si testator disponit, quod executor det Petro: v. g. aliquam rem in genere, vel disjunctivè hanc, vel illam, potest quidem executor dare quam malit, etiam minus pretiosam intra speciem: quamvis causæ piæ dati debeat. *Salmant. tr.* 14. *cap.* 5. *n.* 177. nisi forte verba testatoris ad legatarium dirigantur, nam tunc ex testatoris præsumpta voluntate, ipsius legatarij erit electio. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 198. Si jubeat testator, quod ex redditibus annuis alicujus quantitatis, quam in testamento relinquit, certa eleemosyna pauperibus alicujus Hospitalis, vel Religiosis alicujus conventus detur arbitrio executorum; possunt utique ipsi statim totam summam Hospitali, vel Conventui elargiri. Denique: mortuo executore assignato, ejus officium finitur: nam mors omnia solvit: Hoc enim munus personale est, quod idcirco adhæredes non transit. *C.* 2. *§.* 1. *h. t. in* 6. si vero testamentaria executio sit alicui sub nomine Dignitatis commissa. V. g. Episcopo, Gubernatori, Prætori, Provinciali, vel Præposito: tunc eo mortuo ad successorem in Dignitate transit executionis munus: siquidem non tàm persona, quam Dignitas censetur electa. Si nomen simul, & Dignitas personæ exprimantur, ex circunstantijs voluntas testatoris conjectari debet. *C.* 14. *de Offic. Delegat.* Si vidua, cui suus maritus testamenti executionem commisit, alteri nubat executricis munus amittit juxta *Espino in Specul. Testam. gloss.* 28. *n.* 36. contra *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 247. *n.* 14.

255 Romanus Pontifex, ut Supremus Administrator rerum, quæ ad finem supernaturalem spectant, potest absdubiò ultimas testatorum voluntates ad pias causas factas commutare. *Cl.* 2. *de Religios. domib.* sicut, & Princeps Sæcularis, ut Administrator Supremus rerum, quæ ad publicam utilitatem Reipublicæ spectant, etiam valet ultimam voluntatem profa-

nam

nam commutare. *L. 4. ff. de Administr. rerum ad Civitat. Suar. de Legib. lib. 2. cap. 14. n. 11.* Et quidem ut legata pia in usum minus pium, & utilem, & sine justa causa ab hæredibus, vel executoribus mutentur, Pontificis authoritas est necessaria. *Cl. 2. de Religiof. domib.* Si verò commutatio fiat in alios usus pios similes ex justa causa: v. g. quia impossibilis, vel valdè difficilis sit executio, prout à testatore est præscripta: vel si mutationem pietas, vel evidens utilitas suadeat, & de hæredum consensu fiat commutatio, potest ab Episcopo, ut Delegato Sedis Apostolicæ fieri. *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 6.* Tunc enim non tam infringitur, quam declaratur, & interpretatur testatoris voluntas. Quin, & hanc commutationem facere valent alij habentes jurisdictionem, quasi Episcopalem, ut S. R. E. Cardinales in suis titulis, quamvis tantum Presbyteri, vel Diaconi sint. Idem est de alijs hujusmodi Prælatis. Idem potest Capitulum Sedevacante, & etiam ejus Vicarius Generalis, etiam sine speciali mandato post Tridentinum: Secus Vicarius Generalis Episcopi, qui sine speciali commissione nequit hanc commutationem facere ob arduitatem materiæ. *Gutier lib. 1. qq. Canonic. cap. 11. n. 10.* In Indijs possunt Episcopi legata pia applicare ad bonum commune Reipublicæ, ut alicui publicæ, & gravi necessitati Reipublicæ occurratur; qualis esset pestis, fames, vel invasio, hostium. *Lacr. lib. 3. p. 2. n. 1146.* Quando verba testatoris in aliqua dispositione sunt dubia, potius interpretatur ejus mens, quam commutatur ejus voluntas: & hanc quidem interpretationem potest etiam privatus facere, dum sit vir doctus, & prudens. *Lugo de Just. & jur. D. 24. sect. 13. n. 306.*

256 Est tandem alia ultimæ voluntatis species, & quidem valdè frequens, quæ appellatur *Codicillus, quasi parvus Codex.* Et aliquando fit ante, aliquando post ipsum testamentum; quin, & nullo testamento facto, Codicillus fieri solet: imo, & ipsum testamentum solet in Codicillum resolvi, adjecta, videlicet, clausula, quam dicunt *Codicillarem*: qua quidem testator disponit, quod ejus ultima voluntas valeat meliori modo, quo possit, vel tanquam testamentum, vel si hoc modo subsistere nequeat, saltem valeat, ut Codicillus: Ac proindè testamentum, quod propria testamenti solemnitate caret, si tamen habeat, quod ad Codicillum requiritur, ut Codicillus utique valebit, & hæres ab intestato veniens legata solvere tenebitur. Codicillus enim non solum in scriptis, sed etiam, ut testamentum, nuncupativè fit: possuntque fieri unus, vel plures, quamvis unicum tantum testamentum consistere valeat. *Est ergo Codicillus quædam ultima defuncti voluntas, non adeò solemnis, ac est testamentum, & sine hæredis directa institutione consistit*: & in hoc præcipuè à testamento differt: nam licet in Codicillis possit dari indirectè, per fideicommissum, scilicèt, hæreditas, quatenus testator rogat hæredes in testamento scriptos, quod restituant hæreditatem assignato in Codicillo; non tamen potest hæreditas in Codicillo directè relinqui, videlicet, aliquem instituendo hæredem in Codicillo. Nec item potest in eo revocari directè testamentum, nec adimi hæreditas hæredi in testamento instituto, nec potest filius in ipso exhæredari. In Codicillis tamen declarantur dubia, si quæ ex testamento emergant; vel aliquid adjicitur, vel legatur, vel mutatur; vel etiam legata aliquibus relicta, adimuntur. Et quidem potest testator post testamentum plures Codicillos facere, quin subsequens antecedentem rumpat per se, sicut accidit in testamentis, nisi expressè Codicillus antecedens per sequentem revocetur. Ad Codicillum faciendum debet vir 14 fœmina 12. annos habere. Codicillus debet habere eandem solemnitatem, ac testamentum nuncupativum, seu apertum. Quæ omnia latius patent *in tit. Instit. de Codicillis.* Et de Jure Regio *in t t. 12. p. 6. l. 2. tit. 4. lib. 5. R. C. & comm. DD.*

257 Denique quandam brevem formam condendi testamenta, apponere Hispano sermone, non injucundum, nec studiosis inutile judicavi, ut sic facilius ad praxim, pro cujusque casus circunstantijs præjacta doctrina reduci valeat: prout jam in fidelium utilitatem typis mandavi.

En el nombre de la Santissima Trinidad, Padre, Hijo, y Espiritu Santo, Tres personas distintas, y un solo Dios verdadero: Yo Pedro Perez, Vecino de la Ciudad de Manila, en las Islas Filipinas, estando sano (ò enfermo) pero en mi juicio natural, creyendo, como verdaderamente creo, todos los Articulos, y Mysterios de nuestra Santa Fè Catholica, en cuya creencia quiero, y protesto vivir, y morir, como fiel Christiano, y verdadero Catholico, y espero en la Divina Magestad, que ha de tener misericordia de mis culpas, y pecados, por los meritos de Nuest-

Nuestro Señor Jesu-Christo, y de su Santissima Madre, à quien elijo por Abogada para el trance en que me hallo, y para que con el Angel de mi Guarda, Santo de mi Nombre, y demàs Santos de mi devocion, me afsistan en el tremendo Tribunal de Dios: hago, ordeno, y establezco este mi Testamento, y ultima voluntad en la forma siguiente.

Primeramente mando, que mi cuerpo sea enterrado en la Iglesia de N. (donde està la sepultura de mis mayores.)

Item mando, que en el lugar, y sitio de la dicha Iglesia, adonde dexo declarado, que sea mi cuerpo enterrado, quiero, y es mi voluntad, que mis herederos hagan edificar una Capilla, segun la orden, y traza, que dexo hecha en poder de N. y se funde una Capellanìa de cien pesos, à la qual sean presentados Clerigos Presbyteros de mi linage, prefiriendo siempre el mas propinquo al otro; y en caso de faltar los dichos mis parientes, sean presentados los Clerigos de esta Ciudad, y su Arzobispado, y Naturales, è hijos de Españoles.

It. Nombro por Patronos de la dicha Capilla, y Capellanìa, à mis hijos Don Bernardo, y Don Juan, para que hagan la presentacion de los Capellanes, y todo lo demàs concerniente al dicho oficio, y despues de sus dias venga à sus hijos legitimos, y descendientes de mi familia, para siempre jamàs.

It. Dexo à las mandas forzosas un peso à cada una.

It. Mando, se dèn de limosna à los pobres de esta Ciudad mil pesos.

It. Mando, se digan mil Missas de à peso cada una.

It. Mando, se dèn quinientos pesos à N. mi criado.

It. Digo, que por quanto siendo soltero tuve à N. en N. soltera, hallandome proximo à la muerte, y en el ultimo articulo de la vida, quiero, y es mi voluntad casarme con la susodicha N. para que en su consequencia sea N. avido, y tenido como hijo legitimo.

It. Declaro, que despues de casado tuve à N. en N. soltera, ò casada, al qual siempre he reconocido por tal, y assi es mi voluntad, que si alcanzare facultad de su Mageestad para legitimarle, se le dèn dos mil pesos de mis bienes; y si no la alcanzare, se le dèn los alimentos necessarios.

It. Declaro deber à N. quinientos pesos.

It. Declarò, que en cierta quenta que tuve con N. quedè en duda de deberle quinientos pesos, mando, que se le entreguen para mayor seguridad de mi conciencia; y en caso de no debersélos, se los dono libre, y espontaneamente.

It. Mando, que de lo mas bien parado de mis bienes se separen mil pesos, y quanto antes se entreguen à N. mi Confessor, ò N. mi Albacea, para que con ellos execute lo que debaxo de secreto le dexo comunicado para descargo de mi conciencia, sin que persona, ò Juez alguno Ecclesiastico, ò Secular le pueda en lo judicial, y publico pedir cuenta de dicha cantidad; y solamente quiero, que el señor Juez de Testamentos, ò Prelado Ecclesiastico competente, le pueda pedir, que debaxo del mismo sigilo muestre mi disposicion, para que le conste averla cumplido, y poner Auto, en que declare estàr cumplida, sin otra expression.

It. Declaro, que quando me casè con Doña Maria Gomez, traxo en dote diez mil pesos, y yo tenia veinte mil de caudal, y le asignè por arras dos mil pesos: y assi dichos Capitales se han de considerar para la particion de los gananciales.

It. Cumplido, y pagado este mi Testamento, mandas, y legados en èl contenidos, en el remanente de todos mis bienes, deudas, derechos, y acciones, nombro por mi heredero universal à N. para que los herede, y aya con la bendicion de Dios, y la mia.

It. Instituyo por mis universales herederos à Pedro, y Juan mis hijos legitimos, los quales partan, y lleven mis bienes por partes iguales, y legitimas porciones.

It. Mejoro à mi hijo Pedro en el tercio, y remanente del quinto de mis bienes, ademàs de la legitima, que le pertenece, y cabe, como à uno de tantos herederos.

It. Instituyo à mi hijo Pedro por heredero, y si muriere dentro de la pupilar edad, se abra la substitucion pupilar, que dexo cerrada, y sellada en poder de N. persona de toda mi confianza; y en caso que passe de dicha edad, es mi voluntad se rompa, como cosa que yà no sirve.

It. Instituyo à N. por mi heredero, y si no pudiere, ò no quisiere serlo, substituyo à N.

It. Instituyo à Pedro mi hijo por heredero, y si muriere en la locura en que ahora està, le substituyo à Antonio su hijo, ò nieto (y no teniendo descendientes legitimos) substituyo à N.

It.

It. Instituyo à N. y N. por mis herederos, y substituyolos el uno al otro, y el otro al otro.

It. Instituyo à Martin Diaz por mi heredero, y le ruego que dentro de seis años entregue, y dè la dicha herencia à Gil Gonzalez.

It. Deshéredo de la porcion legitima à mi hijo Diego, porque atrevidamente me diò una bofetada, me prendiò, me infamò, me acusò de delito, porque me desterraron, y cometio contra mi otras ingratitudes.

It. Nombro por Tutores, y Curadores de mis hijos à N. y N.

It. Dexo por Testamentarios, Albaceas, y Executores de mi Testamento, à N. N. y N. à los quales, y à cada uno de ellos in solidum doy todo mi poder cumplido, quan bastante de Derecho se requiere, para que puedan entrar, y entren en todos mis bienes, y los vendan, y rematen en publica almoneda, como mas juzgaren convenir, para que cumplan lo contenido, y dispuesto en este mi Testamento, y les doy facultad para que puedan substituir en sus oficios, y subrogar otros en su lugar, que lo lleven à debida execucion, à los quales desde luego los doy por nombrados, y les doy la misma facultad, y potestad, que à los dichos.

It. Quiero, y es mi voluntad, que los legados, y mandas, que hasta aqui vàn puestas en este Testamento, se paguen por mis Albaceas, hasta donde alcanzare mi caudal, segun el orden material, y literal de sus clausulas, y que aquellos à quienes no alcanzaren, reciban mi buena voluntad.

It. Por este mi Testamento revoco, anulo, y doy por ninguno otro qualquier Testamento, ò Testamentos, Codicilo, ò Codicilos, que yo aya hecho, y otorgado, para que no valga, ni tenga efecto alguno en juicio, ni fuera de el, ahora, ni en tiempo alguno, que parezca, y sea mostrado, aunque tenga clausulas derogatorias, y palabras particulares, de que se aya de hacer especial mencion, de que al presente no me acuerdo, y si à mi memoria vinieran, las repitiera de verbo ad verbum, todas las quales quiero que no valgan; y assimismo quiero que no valga, ni tenga efecto otro qualquier Testamento, ò Testamentos, que yo de aqui adelante hiciere, sino que haga mencion expressa de esta clausula, que aqui pongo, pues resueltamente quiero, que la presente disposicion valga en todo caso por mi Testamento, Codicilio, ò postrimera voluntad, en la forma, y modo, que mejor aya lugar de Derecho, el qual otorgo en la Ciudad de Manila à 14. de Diciembre del año del Señor de mil setecientos y treinta y seis. *Pedro Perez.*

Este Papel, ò Testamento se cierra, y se entrega al Escrivano, el qual pone assi en la cubierta:

Este Testamento fuè fecho, y otorgado en la Ciudad de Manila à catorce de Diciembre de mil setecientos y treinta y seis años por Pedro Perez, vecino de esta Ciudad, à quien doy fè conozco, y estaba al parecer en su juicio, y razon natural, en el qual Testamento dixo, que dexaba señalada su sepultura, heredero, Albacea, y otras mandas, en presencia, y ante mi Nicolàs Sanchez, Escrivano, uno de los del Numero de esta Ciudad, y en presencia de A. B. C. D. E. F. G. Testigos, que se hallaron presentes, y fueron llamados, y rogados para lo assi vèr, y hacer, y pusieron sus firmas, y subscripciones. Pedro Perez. A. B. C. D. E. F. G. En fè de lo qual, yo el dicho Nicolàs Sanchez hice mi signo. ✠ Nicolàs Sanchez, Escrivano Publico.

Testamento Nuncupativo, ò Abierto.

EN el Nombre de la Santissima Trinidad. Amen. Sepan quantos esta Carta de Testamento, y ultima voluntad vieren, como yo Antonio Ximenez, vecino de esta Ciudad de Manila, estando sano, ò enfermo; pero en mi juicio, memoria, y entendimiento natural, creyendo, como firmemente creo, &c. El qual dicho Testamento fuè fecho, y otorgado por el dicho Antonio Ximenez, en presencia, y por ante mi Gil Gonzalez, Escrivano del Numero de esta Ciudad, por ante, y en presencia de Juan Sanchez, 1. Diego Lopez, 2. y Pedro Diaz, 3. vecinos de dicha Ciudad, que se hallaron presentes à vèr hacer, y otorgar dicho Testamento: los quales fueron llamados, y rogados para lo vèr, y hacer, y pusieron sus firmas, y subscripciones en el dicho Testamento; y por no saber firmar el Testador, ni el primer Testigo, llamado Juan Sanchez, los otros Testigos firmaron por ellos. E yo el dicho Gil Gonzalez, Escrivano, doy fè de que assi se otorgò en esta Ciudad de Manila à catorce de Diciembre, año de mil setecientos y treinta y seis. Por el Testador Antonio Ximenez. Diego Lopez. Por Juan Sanchez,

chez, 1. Testigo. Diego Lopez. Por si mismo, Diego Lopez. 2. Pedro Diaz. 3. Ante mi Gil Gonzalez, Escrivano Publico.

Si instàre mucho la enfermedad, y ay peligro en la tardanza, mandarà el enfermo llamar siete Testigos, y de palabra dirà que señala por su heredero à Juan Fernandez, y por su Albacea à Diego Perez, y que quiere que su cuerpo sea enterrado en la Cathedral, y ruega à los Testigos lo sean de ser esta su ultima voluntad, y Testamento nuncupativo, y abierto.

Omnes aliquod interesse ex apertura testamenti sperantes, possunt, illud aperiri, petere. Ac propterea hoc facere possunt hæredes, legatarij, & executores in testamento nominati. Etiam filius præteritus, & hæredes ab intestato hoc petere possunt, intendendo testamentum nullum declarari: & quidem omnes debent ante omnia mortem Testatoris, ut suæ intentionis fundamentum probate, & insuper probare debent, quod Testator sub illa dispositione, seu testamento decessit. *L. 1. tit. 2. p. 6. & ibid. Gregor. Lop. Monterroso, Ribera, & alij*, qui latius rem prosequuntur.

TIT. XXVII.

De Successionibus ab intestato.

258 Mortuo aliquo ab intestato, (& non aliter) succedunt ei sui consanguinei: quibus quidem non à testatore, sed à Lege defertur hæritas, quæ idcirco *legitima* appellatur: & in hoc sanè differt a testamentaria, quæ non à Lege, sed à voluntate testatoris procedit. Utraque tamen convenit in eo, quod utraque est successio in universum jus defuncti. *L. 62. ff. de Reg. Jur.* & in utraque debet aditio, seu acceptatio intervenire. *L. 9. ff. de Suis, & legitim.* aliàs ad hæredes non transmittitur. *L. 7. C. de Jur. deliber.* ex utraque deducitur Falcidia. *L. 18. ff. ad Leg. Falcid.* & utraque per fideicommissum relinqui valet. §. 10. *Inst. de Fideicomm. hæred. Hæreditas* (ait Justinian. in §. 5. *Instit. de Hæredib. instituend.*) *plerumque dividitur in 12. uncias, quæ assis appellatione continentur: habent autem, & hæ partes propria nomina ab uncia usque ad assem hæc: sextans, quadrans, triens, quincunx, semis, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx, as.* Hujusmodi enim hæreditas, vel ex testamento, ut jam diximus, vel ab intestato defertur. Intestatus etenim dicitur, qui vel nullum condidit testamentum: quia vel noluit, vel non potuit, sive de jure, sive de facto: vel etiamsi quod testamentum fecit, illud fuit invalidum; vel etiamsi validum fuit, ruptum tamen fuit, vel rescissum agnatione posthumi, capitis diminutione, vel querela inofficiosi testamenti: vel etiam quando nullus ex testamento extitit hæres; vel quia adire noluit hæreditatem, vel quia ante testatorem mortuus fuit. *L. 64. ff. de V. S. l. 1. tit. 13. p. 6.* Decedente ergo ab intestato, aliquo ex prædictis modis defuncto, ad ejus successionem sui consanguinei suo ordine vocantur. Et quidem 1. liberi, ita ut eis extantibus cæteri consanguinei cujuscumque sint gradus penitùs excludantur. *L. 6. l. 7. Taur.* nisi fortè jure repræsentationis succedant. Inter liberos tamen præferuntur legitimi, id est, ex legitimo matrimonio, saltem putativo nati. Quod si varij ex diversis nuptijs procreati extent, singuli suis parentibus succedunt: v. g. si patrem habeant communem, non verò matrem, omnes in bona paterna succedent, non vero in materna, quæ filijs ex matre genitis reservabuntur. Idem est, si matrem, non vero patrem, habeant communem. *L. 3. l. 4. C. de Secund. nuptijs.* Etiam parenti succedunt legitimati per subsequens matrimonium; *arg. C. 6. Qui filij sint legit.* legitimati per Principem, & etiam filij adoptivi, qui legitimi tantum dicuntur. §. 2. §. 14. *Inst. de Hæredit. quæ ab intestat.* Descendentes siquidem primi gradus, hoc est, quando à nullis præceduntur, ut sunt filij, in capita succedunt, hoc est, tot fiunt partes æquales, quot sunt capita, seu personæ, quæ succedunt. *Auth. in Successionem, C. de Suis, & legitim.* si ulterioris gradus sunt, ut nepotes, pronepotes, abnepotes, &c. in stirpes succedunt: id est, in locum stirpis, ex qua singuli descendunt, repræsentando, scilicèt, personam sui patris, ac per consequens ejus partem adquirunt, sive soli, sive cum alijs proximioribus concurrant. V. g. si Titius quatuor liberis relictis ab intestato decedat, in quatuor partes ejus hæreditas dividitur, quarum singulæ singulis deferuntur. *L. 3. tit. 13. p. 6. L. 8. Taur.* Deindè: si Titius habuit quatuor filios, & omnibus eis prǽ mortuis, decessit, in quatuor item partes dividitur hæreditas, & nepotibus ex singulis filijs, etiamsi plures ex uno, quam ex alio sint, datur pars, quæ suo patri, quem re-

præ-

præſentant, debebatur. Si autem Titius deceſsit relictis quatuor nepotibus ex filio præmortuo, & tribus filijs, hæreditas in quatuor partes dividitur, & tres tribus filijs dantur, & quarta pars, quæ filio præmortuo debebatur inter quatuor nepotes, qui ipſum repræſentant, & jure repræſentationis ſuccedunt, rurſus dividitur. *L.* 3. *tit.* 13. *p.* 6. *l.* 8. *Taur. l.* 5. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C.* Extantibus quidem filijs legitimis, naturales, qui ſcilicèt, ex muliere ſoluta extra matrimonium geniti ſunt, ab hæreditate paterna excluduntur. Ad maternam tamen hæreditarem cum legitimis æqualitèr admittuntur. Nullis tamen legitimis extantibus ab inteſtato ſuccedunt patri in duabus uncijs, quæ inter ipſos, & eorum matrem, ſi vivit, dividendæ ſunt. Sed qui ex damnato coitu procreati ſunt, omni prorſus beneficio privantur. *Auth. Licet, C. de Natural. liber. L.* 8. *tit* 13. *p.* 6. In noſtra Hiſpania extantibus filijs legitimis matris non ſuccedunt ei filij naturales, poteſt tamen mater eis quintam bonorum partem, ſicut cuilibet extraneo, relinquere. Si verò mater careat filijs legitimis, etiamſi aſcendentes legitimos habeat, ei filij naturales ex teſtamento, & ab inteſtato ſuccedunt, tanquam ſi legitimi eſſent: quin & ſpurij, dum non ſint ex coitu damnato à Lege pœna capitali, matri ſimilitèr ſuccedunt. *L.* 9. *Taur. l.* 7. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C.* filius naturalis patri ab inteſtato in duas uncias hæreditatis ſuccedit, dummodò pater filios legitimos non habeat, etiamſi habeat uxorem. *L.* 9. *tit.* 13. *p.* 6.

259 Nullis deſcendentibus à defuncto relictis (& non aliter) ſuccedunt eidem aſcendentes proximiores, ſecundum ſuum gradum. *L.* 4. *tit.* 13. *p.* 6. *l.* 6. *Taur. l.* 1. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C.* Primo ergo ſuccedunt pater, & mater, æqualitèr quidem, in bona filij, undecunque adquiſita, ſive à patre, ſive à matre, ſive aliundè proceſſerint. *L.* 4. *tit.* 13. *p.* 6. *& ibid. Greg. Lop. Gom. in L.* 6. *Taur. n.* 8. Parentibus tamen deficientibus (non aliter) ſuccedunt avus, & avia: non tamen in capita, ſed in ſtirpes ſuccedunt, ita ut una pars detur aſcendentibus per patrem, altera per matrem aſcendentibus, ſive plures, ſive pauciores ex una, quam ex altera parte extent. *Nov.* 118. *cap.* 2. *l.* 4. *tit.* 13. *p.* 6. *& ibid. Greg. Lop. Gom. in L.* 6. *Taur. n.* 9. & quidem aſcendentes ſuccedunt, licet filius defunctus emancipatus ſit: & etiamſi ſit illegitimus naturalis, dummodò ſit legitimatus, ſaltem Reſcripto Principis: imò etſi poſthumus ſit. Si enim poſt patris mortem filius naſcatur, & 24. horis vivat, baptizatuſque ſit, poſteaque moriatur, de Jure Hiſpano mater ei ſuccedit: ſi mater in puerperio decedat filius ei ſuccedit, etſi hic moriatur poſt baptiſmum, & 24. horas, pater ei ſuccedit in bona materna. Si veto pater concurrat cum avo, vel avia materna defuncti, vel mater cum avo, vel avia paterna, ſolus pater, vel mater, avis excluſis, ſuccedit. *Nov.* 118. *cap.* 2. quia in aſcendentibus non datur repræſentatio. *Gom. in L.* 6. *Taur. n.* 5. Aſcendentes quidem excludunt fratres defuncti ex una tantum parte conjunctos; non tamen fratres germanos, ſeu utrimque conjunctos, ſive mares, ſive fœminas. Hi enim cum aſcendentibus proximioribus defuncti ſuccedunt, & quidem in capita, ſeu in portiones æquales. *Nov.* 118. *cap.* 3. Hodie in noſtra Hiſpania fratres defuncti non concurrunt cum defuncti parentibus, vel alijs aſcendentibus, ſed ab eis penitùs excluduntur, ut conſtat *ex L.* 7. *Taur. l.* 4. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C.* qua corrigitur *L.* 4. *tit.* 13. *p.* 6. *ut ibid. notat Greg. Lop.* pro alijs Regnis vide *Nov.* 127. *cap.* 1. qua quidem derogatum eſt *Nov.* 118. *cap.* 3. Parentes quidem ſuis liberis illegitimis ab inteſtato ſuccedunt eodem modo, eiſdemque caſibus, quibus filij illegitimi ſuis parentibus ab inteſtato ſuccedunt. L. 8. *tit.* 13. *p.* 6. *Gom. in l.* 9. *Taur. n.* 8. ac proindè naturalium hæreditas ad ipſorum filios pertinet: his deficientibus, mater, ſi ſola eſt, erit hæres ex aſſe: ſi pater filij naturalis vivit, ipſe in duas uncias filio, mater in decem uncias ſuccedet. Si ſimul cum matre frater uterinus extet, iſte cum ſua matre fratri ſuo æqualitèr ſuccedet. *Auth. Defuncto, C. ad S. C. Tertyl.* ſi non extant parentes, ſuccedunt fratres uterini, hoc eſt, ex parte matris, excluſis fratribus conſanguineis, ſeu ex parte patris tantum: Non extantibus fratribus uterinis, ſuccedunt fratres conſanguinei: quibus tamen præfertur eorum frater naturalis, & legitimus. *L. fin. tit.* 13. *p.* 6. *& ibid. Greg. Lop.* In noſtra Hiſpania filij naturales vocantur, qui naſcuntur ex parentibus, qui tempore conceptionis, vel partus poterant ſine diſpenſatione contrahere matrimonium, & inſuper requiritur, quod pater eos, ut filios recognoſcat, ſi non habebat domi mulierem, ex qua eos habuit. L. 11. *Taur. l.* 9. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C.*

260. Nullis autem deſcendentibus, nec aſcendentibus defuncti extantibus, ſuccedunt conſanguinei collaterales, ſive viri, ſive

sive fœminæ sint. L. 5. *tit.* 13. *p.* 6. & quidem primo fratres, & sorores ex parte utriusque parentis conjuncti, qui *germani* dicuntur: cum enim duplici vinculo ligentur, meritò fratres ex una parte tantum conjunctos excludunt: sive ex parte patris, qui consanguinei dicuntur, sive ex parte matris, qui uterini nuncupantur, conjuncti sint. *Auth. Cessante, C. de Legit. hæred.* Et quidem si soli sint in capita succedunt, dividiturque hæreditas in tot partes, quot sunt fratres. *Auth. Itaque, C. Commun. de Succession.* si præter fratres germanos ex aliquo fratre germano præmortuo filij supersint, fratres in capita quidem succedunt, fratrum præmortuorum filij in stirpes, repræsentando, scilicèt, patrem præmortuum, proindeque tantum illius partem percipiunt. *Auth. Cessante, C. de Legit. hæred. l.* 5. *tit.* 13. *p.* 6. *l.* 8. *Taur. l.* 5. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C.* Hæc tamen repræsentatio non extenditur ultra filios ad nepotes, nec alios descendentes. Quod si tantum filij fratrum germanorum præmortuorum supersint, ipsi exclusis cæteris agnatis, & cognatis, quamvis in eodem gradu sint succedunt. *Auth. Post fratres fratrum, C. de Legit. hæred.* & quidem in capita. L. 5. *tit.* 13. *p.* 6. Nullis autem germanis fratribus relictis, succedunt fratres consanguinei, & uterini, & horum liberi, alijs remotioribus exclusis. Si enim omnes fratres defuncti sunt consanguinei, vel uterini, omnes quidem æqualitèr in bona defuncti undecumque provenerint succedunt. Si tamen alij consanguinei, alij uterini sint, consanguinei quidem in bona paterna, uterini autem in materna succedent. In aliundè vero adquisita omnes æqualitèr vocantur. L. 6. *tit.* 13. *p.* 6. Si ex fratribus consanguineis, & uterinis præmortuis liberi soli supersint patruo suo, hoc est fratri suorum parentum, in capita succedunt; quia non jure repræsentationis, sed proprio agnationis, vel cognationis jure ad successionem veniunt. L. 5. *tit.* 13. *p.* 6. Si cum fratribus germanis superstitibus defuncti concurrant liberi aliorum fratrum præmortuorum ex una tantum parte conjunctorum omninò à patruis excluduntur, sicut eorum parentes penitus excluderentur, si viverent. Si tamen fratres ex una tantum parte defuncto conjuncti sint, liberi fratrum non germanorum parentes repræsentando, succedunt in stirpes. *Auth. Post fratres autem, C. de Legit. hæred. Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 164. fratres adoptivi, si in patris adoptantis transierunt potestatem, & non emancipentur, sibi invicem succedunt; *arg.* L. 2. §. 3. *ff. de Suis, & legitim.* fratres legitimati per subsequens matrimonium suis fratribus legitimè natis succedunt. Si per rescriptum Principis legitimati sint, sibi ipsis ad invicem succedunt, secus legitimè natis, nisi legitimati sint, antequam alij nascerentur. Fratres illegitimi habentes eandem matrem, etiamsi diversos patres habeant, non extantibus germanis fratribus legitimis, sibi invicem, & cognatis per matrem succedunt. Fratres illegitimi, qui habent solum patrem communem, cum nec agnati sint, quia non ex justis nuptijs procreati sunt, nec item cognati: quia non habent eandem matrem, nec sibi invicem, nec alijs quidem agnatis succedunt.

261 Prædictis quidem deficientibus succedunt in capita, nullo facto discrimine sexus, nec agnationis, nec cognationis, vel quod utrimque, vel ex una tantum parte conjuncti sint, succedunt, inquam, defuncto alij consanguinei collaterales propinquiores gradu, remotioribus exclusis: nec in his locum habet repræsentatio. Et quidem olim usque ad decimum gradum succedebant. L. 6. *tit.* 13. *p.* 6. Hodie tamen saltem in nostra Hispania usque ad quartum tantum gradum defuncto succedunt. L. 9. *tit.* 10. *lib.* 1. *R. C. l.* 3. *tit.* 9. *lib.* 1. *R. C.* & ita tenent *Salmantic. tr.* 14. *cap.* 5. *n.* 102. *Machad. & alij* contra *Solorzan. Polit. Ind. lib.* 5. *cap.* 7. Prædictis consanguineis deficientibus defuncto, si conjugatus erat, sua uxor succedit, licet nondum fuisset matrimonium consummatum, dummodò tempore mortis uxor non sit divortiata à marito: eodem modo maritus uxori succedit, & quidem uterque excluso fisco. L. *un. C. Unde vir, & uxor, l.* 6. *tit.* 13. *p.* 6. Deindè: si matrimonium sine dote scientèr contractum sit, si mulier non habeat unde honestè vivat post mortem viri, succedit quidem ipsi viro, etiam liberos habenti in quartam bonorum partem. Si tamen uxor sit dives, non succedit marito. L. 7. *tit.* 13. *p.* 6. & idem dicendum est de marito paupere respectu uxoris divitis: nam æquum est, ut ei in quantitate prædicta succedat, ut notat *Greg. Lop. in prædicta l.* 7. His omnibus deficientibus, bona censentur vacantia: in quæ interessentibus, si qui sunt publicè vocatis, & non comparentibus, succedit fiscus, si defunctus Laicus sit. L. 12. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C.* in nostra Hispania ex Regia dispositione hujusmodi

di bona applicantur Tribunali Cruciatæ. L. 9. tit. 10. lib. 1. R. C. *Lara lib. 1. de la Santa Cruzad. f.* 281. in Indijs autem non percipiunt Quæſtores Cruciatæ bona ab inteſtato relicta, niſi ſpeciale reſcriptum à Rege obtineant. L. 18. *tit.* 2. *lib.* 1. *R. Ind. l.* 6. *tit.* 12. *lib.* 8. *R. Ind. Eſcalon. Gazoph. Reg. Per. l.* 2. *p.* 2. *cap.* 5. Bona quidem ab inteſtato in Indijs relicta, etiamſi ſint militum, vel externorum, qui ibidem non habent hæredem teſtamentarium, vel deſcendentes, vel aſcendentes notorios, percipiuntur à Judice inteſtatorum, qui eſt quidam Regius Senator, cujus ſententia habet eandem vim, ac ſi eſſet prima ſententia Regiæ Cancellariæ, & ad hanc ſupplicatur, & ſententia Cancellariæ habet vim reviſionis, *Hiſpanè: De reviſta.* Vid. *tit.* 32. *lib.* 2. *R. Ind.* Bona majoratus, etiamſi ultimus poſſeſſor ab inteſtato decedat, ſemper redeunt ad conſanguineum propinquiorem, etiamſi extra quartum, vel decimum: imò & milleſimum gradum ſit: nam hujuſmodi bona ſemper redeunt ad truncum; ut ait *Aceved. in l.* 12. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C. Greg. Lop. in l.* 6. *tit.* 13. *p.* 6.

262 In bona patrimonialia, & quaſi patrimonialia Clericorum non ſuccedit Eccleſia, niſi nullis hæredibus relictis Clericus decedat. *C.* 1. *h. t.* In bonis autem immobilibus Eccleſiaſticis non datur locus ſucceſsioni, cum talia bona non Clerici, ſed Eccleſiæ ſint: in bona tamen immobilia ex reditibus ſuperfluis adquiſita de Jure Communi ſuccedit Eccleſia, excluſis legitimis hæredibus Clerici defuncti. *C.* 1. *c. fin. de Pecul. Clericor. c.* 7. *c.* 12. *de Teſtam.* ſi defunctus Canonicus ſit, talia bona in ſingulos præbendarios dividuntur: vel poſſunt ſervari in menſa communi pro futuris neceſsitatibus. *C.* 12. *de Teſtam.* ſi defunctus erat Epiſcopus, vel Parochus, ejus ſucceſſori dantur cum onere ea diſtribuendi in uſus pios. In aliquibus Regnis *ex Conſt. Jul. III. Paul. III. & IV. & Greg. XIII.* bona beneficialia Clericorum cedunt Cameræ Apoſtolicæ: in Hiſpania tamen Collectores Apoſtolici ſolum percipiunt ſpolia Epiſcoporum, non autem aliorum Clericorum. In Indijs tamen hoc ad Cancellarias Regias pertinet, vel ubi hæ non ſunt ad Regios Prætores, qui talia ſpolia percipiunt, & ſolutis debitis Epiſcoporum, & ſalarijs famulorum, quod remanet Eccleſijs applicatur juxta Jus Commune. *Solorz. Polit. Ind. lib.* 4. *cap.* 10. *Gonz. in C.* 12. *de Teſtam. n.* 2.

263 Novitio quidem ante profeſsionem mortuo, ſi ex teſtamento, quod libere poteſt facere, hæredem non reliquit, ſuccedunt hæredes legitimi, & Monaſterio nec legitima, nec alimenta debentur: nam ſolum ad ipſum bona Religioſorum pertinent, quorum nomine minimè venit Novitius in non favorabilibus. *Molin. de Juſt. tr.* 2. *D.* 140. *Sanch. in Decal. lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 92. *& alij.* Si vero, qui Religionem eſt ingreſſus poſt profeſsionem decedat, nulla antea diſpoſitione de ſuis bonis facta: tunc enim omnia ejus bona, & jura, quorum Monaſterium eſt capax, Monaſterio ipſi, cui ſuam perſonam mancipavit, & à quo alimenta ſuſcepit adquiruntur. *Auth. Ingreſſi, Auth. Si qua mulier. C. de Sacroſ. Eccleſ. c.* 7. *c.* 9. 19. *q.* 3. *l.* 17. *tit.* 1. *p.* 6. Adquiruntur igitur Monaſterio peculium Caſtrenſe, & quaſi Caſtrenſe, & adventitium: Emphyteuſis, & jus patronatus, niſi Monaſterium excludatur in ejus fundatione: item. majoratus adquiritur, niſi ſit Regnum, vel habeat juriſdictionem annexam, vel niſi ſit inſtitutus ad familiam, nomen, & inſignia conſervanda, vel niſi Monaſterium in fundatione excludatur. *Sanchez in Decal. lib.* 7. *cap.* 15. *Molin. & alij.* Legatum, vel hæreditas profeſſo delata, etiam ſine ejus aditione Monaſterio adquiritur. *Sanch. in Decal. lib.* 7. *cap.* 12. *n.* 36. *Covarr. Molin. & alij* contra *Fachin. lib.* 6. *Controv. cap.* 16. *& alios.* Filijs autem talis profeſsi. *C.* 9. 19. *q.* 3. *l.* 17. *tit.* 1. *p.* 6. & probabilius etiam ejus parentibus in ſæculo relictis legitima debetur, & quidem à die profeſsionis, etiam ante mortem naturalem profeſsi; *arg. C.* 14. *de Regular. & ibid. Gonzal. & Greg. Lop. in l.* 17. *tit.* 1. *p.* 6. *& alij* contra *alios.* Si autem Religio ſit ſucceſsionis incapax, ne bona ſine dominio ſint, hæredibus legitimis profeſsi ejus bona adquiruntur, perindè, ac ſi naturalitèr eſſet mortuus. Omnia quidem Monaſteria Regularium, tàm virorum, quàm mulierum, & etiam Mendicantium, præter Monaſteria Fratrum Minorum de Obſervantia, & Capuccinorum, Domoſque profeſſas noſtræ Societatis, poſſunt bona immobilia poſsidere, & conſequentèr in ea ſuccedere. *Trid. ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 3. de quibus latiſsimè *Sanch. in Decal. lib.* 7. *ex cap.* 12. *& alij.* Licet quidem Statuto Municipali non poſsit tolli jus ſuccedendi in bona profeſſorum, quod Monaſterijs competit, cum Magiſtratus Sæcularis non valeat tale Jus Eccleſiaſticum ſine Pontificis conſenſu auferre, ſeu abrogare, poteſt tamen conſuetudine legitimè præſcripta qua-

dra-

draginta annis omninò tollit, & abrogari; cum hujusmodi jus solo jure humano Monasterijs debeatur, ac per consequens per consuetudinem, sicut alia qualibet Lex humana potest utique abrogari. *C. fin. de Consuetud. c.4. c.6. de Praescript.* & quamvis in nostra Hispania ex *L.11. tit. 6. lib.3. fori Reg.* Omnia bona Religiosi ad filios, & consanguineos, excluso Monasterio, pertineant: hoc tamen usu non servatur. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 12. n. 13.* ac proindè talis Lex fori vim non habet. De modo succedendi in bona vinculata, seu majoratus, seu primogeniorum in nostra Hispania, quin & in Regiam Coronam jam satis diximus loquendo de feudis, cum quibus tales majoratus affinitatem habent.

TIT. XXVIII.

De Sepulturis.

224 Ratio ipsa naturalis omnes Gentes edocuit defunctorum corpora sepelire: sed pro varietate temporum, & Nationum diversimodè cadavera speliebantur. Essedones enim quadam barbara, & crudeli pietate parentum edebant cadavera, ut honestius (ajebant ipsi) ab hominibus, quam à vermibus devorarentur. Barcæi vulturibus, quas aves sacras judicabant, devoranda cadavera exponebant. Politiores Nationes ea cremabant, ut sic cineres à corruptione eximerentur, & quidem aliquando magna cum pompa, & solemnitate hoc fiebat, ut depingit Poeta. *Lib. 11. Æneid.* Sed usus frequentior, & communior erat cadavera sub terra collocare: & sic olim Ovidius fuit in Ponto sepultus. *En jacet Euxinis Vates Romanus in oris; Romanum Vatem barbara terra tegit.* Locus autem in quo cadavera sepeliuntur, communitèr dicitur sepultura, vel sepulchrum, vel sarcophagus: & etiam tumulus, quasi tumens humus: quod si sepulchrum sit Regium, vel magnificum, Mausoleum appellatur. Et sanè adeo debita est cadaveribus humanis sepultura, sic ipsa natura suadente, ut cadaver defuncti non debet à sepultura impediri ratione æris alieni, quantuncunque defunctus debitis sit gravatus: imò nec bona ejus occupari possunt per violentiam, vel aliàs: nec ejus hæres, vel familia potest infrà novem dies post sepulturam in jus vocari: si tamen timeatur occultatio, vel dilapidatio bonorum, tenetur hæres fidejussores dare. *L. fin. tit. 13. p. 1.* Jure siquidem Civili quilibet privatus poterat in suo, vel etiam in alieno fundo de Domini consensu cadaver sepelire, & locus ille Religiosus fiebat, & erat extra hominum commercium. §. 7. §. 9. *Instit. de Rerum divis.* Sed Jure Canonico debet accedere authoritas Episcopi, qui aliquem locum ad sepulturam fidelium designet. *C. 4. de Religios. domib. l. 14. tit. 13. p. 1.* & sic ad prædictum effectum sunt deputata Cæmeteria, & Ecclesiæ. *L. 1. tit. 13. p. 1.* postquam tamen aliquis fundus est deputatus ad sepulturam fidelium (secus anteà) nullum pretium potest peti, vel accipi, nec pro ipso fundo, nec pro jure, nec pro actu sepeliendi: quia cum hæc sint spiritualia, simonia committeretur. *L. 1. tit. 13. p. 1.* aliquid autem peti valet pro conservatione, & reparatione Cæmeterij, pro sustentatione Ministrorum, pro loco digniori sepulturæ, pro obligatione non admittendi ad certum locum, nisi defunctos ex tali familia: vel etiamsi per modum eleemosynæ detur. Potest ergo quis de licentia Episcopi, vel Prælati Regularis quoad suam Ecclesiam, sepulturam sibi ædificare, & suæ familiæ, extraneis exclusis deputare: & sepulchrum familiare dicitur. *L. 1. tit. 13. p. 1.* vel sibi, & suis hæredibus, & dicitur *hæreditarium. L. 5. l. 6. ff. de Religios. & sumpt. funer.* & licet tale sepulchrum non possit vendi per se, quia est res Religiosa, vendito tamen Castro, cui est annexum jus sepulturæ hoc per quandam consequentiam transit cum universitate bonorum ad emptorem Castri, sicut in prædicto casu jus patronatus etiam transiret. Ecclesia vero potest sepulchrum familiare, vel hæreditarium alicui concessum, extincta familia, vel nullis relictis hæredibus, quasi jure devoluto alijs concedere; *arg. L. pen. C. de Usufr.* vel etiam ex alia justa causa. *Barbos. de Offic. Paroch. cap.26. n.15.*

265 Quilibet mentis compos potest regularitèr sibi sepulturam eligere in loco, qui jus sepulturæ habeat. *Nulli* (ait *text. in C. 1. h. t.*) *negamus propriam eligere sepulturam, Dominus enim, & Magister alienam elegit ut propriam. L. 5. tit. 13. p. 1.* Uxor enim sine consensu mariti, filius familias, si pubes sit, absque patris consensu possunt quidem sepulturam eligere. Nam in hoc, nec mariti, nec patris potestas locum habet. *C. 4. h. t. in 6.* Novitij, cum propriè Religiosi non sint, præcipuè in odiosis, possunt etiam sepulturam eligere; quod si non eligant, in Monaste-

rio

rio sepeliuntur: sed in hoc est cujusque Religionis servanda consuetudo. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 14. n.* 10. Impuberes autem ob judicij defectum sepulturam non eligunt, sed sepeliuntur in electa à suis parentibus, si hoc permittit loci consuetudo: vel in sepulchro majorum; vel in Parochiali sepeliuntur. Religiosi tamen, cum velle, aut nolle non habeant; nequeunt sepulturam eligere: nisi adeo à suo distent Monasterio, ut illuc ferri non possint: tunc namque eam eligere possunt. *C. fin. h. t. in 6.* quod si non eligant in Parochia sepeliuntur. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 14. num.* 4. Prælati Regulares, etiam Locales, cum in pluribus velle, & nolle habeant, possunt sibi sepulturam eligere, sed juxta sui Ordinis Regulas. *Sanch. in Decal. lib.6. cap.14. n.7.*

266 Sepultura quidem debet fieri tribus saltem cubitis ab altari in tumba profunda, & non in sepulchro extructo supra terram: & non est celebranda Missa in altari, sub quo, vel sub cujus gradibus sunt sepulta corpora defunctorum, ut à S. Congreg. est decretum. *Lacr. lib. 7. n.* 242. & licet olim in Ecclesijs solum sepelirentur Episcopi, Abbates, Presbyteri digni: & ex Laicis Reges, Reginæ, & eorum filij, vel qui erant in magna dignitate constituti, vel pro sanctis habiti. *C.* 18. 13. *q.* 2. *c.* 15. 13. *q.* 2. ibi: *Prohibendum est etiam secundum majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur; sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris Ecclesiæ: intra Ecclesiam verò, & propè altare, ubi corpus, & sanguis Domini conficitur nullatenus sepeliatur. L.* 1. *tit.* 13. *p.* 1. Hodie tamen quilibet Christianus, si Ecclesiastica sepultura non est privatus, in Ecclesia, seu Cæmeterio sepeliri debet. *C.*17. 13. *q.* 2. ibi: *Cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quòd eorum proximi, quoties ad eadem sacra veniunt suorum, quorum sepulchra aspiciunt recordantur, & pro eis Domino preces fundunt.* Deindè: quia diaboli non sic appropinquant Cæmeterijs, sicut alijs locis profanis. Olim tamen sancitum erat, quod sepulchra essent extra urbem propter fœtorem. *L.* 2. *tit.* 13. *p.* 1. ibi: *Porque el fedor dellos non corrompiesse el ayre, nin matasse à los vivos.* Et in *L.*4. dicitur, quod *Cæmeterium* est quasi *cinisterium*: quia ibi *cinis* mortuorum *teritur.* Sed si in rigore Græci sermonis Cæmeterium sumatur, significat *dormitorium*, & ideo sic dicitur: quia mortui in eo dormire dicuntur. *C.* 28. 13. *q.* 2. & pro Cæmeterijs habendis assignabantur Ecclesiæ Cathedrali, vel Conventuali quadraginta passus in circuitu; alijs Ecclesijs triginta passus, nisi aliquod obstaret impedimentum. *C.* 6. 17. *q.* 4. *L.* 4. *tit.* 13. *p.* 1. Jus quidem sepulturæ de Jure Communi Ecclesiæ Parochiales habent: & ex privilegio Ordines Prædicatorum, & Minorum. *Cl. Dudum* 2. *h. t. Extr. super Cathedram, eod. int. com.* & aliæ Religiones ex privilegiorum communicatione: ita tamen, ut de funeralibus, & de quibuscumque obventionibus, & relictis, etiam de quibus aliàs non debetur portio Canonica, quartam, & non ultra, solvant Ecclesiæ Parochiali. *Cl.* 2. *h. t.* famuli domestici Ordinum Mendicantium intra septa Monasterij mortui in eorum Ecclesijs possunt sepeliri, etiam invito Parocho loci ex privilegio concesso fratribus Minoribus, & alijs. Peregrini Sæculares, qui in Monasterijs moriuntur, præscindendo à privilegijs specialibus Ordinum Mendicantium, si quæ adhunc effectum habent post *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 11. *&* 13. non possunt in Monasterijs sepeliri, ut à S. Congreg. declaratum dicitur. Nec possunt Regulares juri sepulturæ in Ecclesia jam erecta quæsito renuntiare, nisi adhibitis solemnitatibus necessarijs ad alienationem rerum Ecclesiasticarum. *Extr. Ambitiosæ, de Rebus Eccles. int. com.* quin nec possunt libere renuntiare pro Ecclesia erigenda, pacto inito cum Parocho: quia licet tunc non jus quæsitum, sed quærendum renuntiatur, latè tamen fit alienatio prohibita in *dict. Constit.* In Ecclesia interiori Monialium nullus potest sepeliri, imo nec in exteriori posse sine S.Congreg. licentia resolutum tenent *Nicol. Flosc. V. Sepultura, Pignatell. tom.* 4. *consf.* 117. *& alij*, posse tamen in Ecclesia exteriori sepeliri tenent *Gonzàl. in C.* 3. *h. t. num.* 5. *& alij.* Imò justa causa potest dari, ut alicujus Principis filia intra Claustrum sepeliatur. *Lacr. lib.* 7. *num.* 236. *Pignat. & alij.* Sepeliendi quidem privilegium non solum Romanus Pontifex, sed etiam Legatus à latere, intra suam Provinciam, Episcopus, & alij Prælati, quasi Episcopali jurisdictione gaudentes intra suam Diœcesim, & territorium concedere possunt. Cum tamen causa sit ardua, & præjudicialis, non aliter hoc potest concedi ab Episcopo, quam ex justa causa, & consensu Capituli. *Abb. in C.* 9. *h. t. Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 214. *n.* 21. Parochus autem non potest alicui concedere jus proprium, & perpetuum sepulturæ in cer-

certo loco, è quo alij possint excludi. *Lacr. lib.7. n.244.*

267 Potest tamen quis relicto majorum, vel Parochiali sepulchro ex justa devotionis causa eligere sepulturam in loco minus Religioso, in quo v. g. tantum semel, vel his quotannis Missa, & Divina Officia celebrantur. *C. 2. §. fin. h. t. in 6.* dummodo talis locus absolutè Religiosus sit, secus, si sit absolutè profanus, & sic intelligitur *Text. in C. 3. h. t.* & concordatur cum *Text. in C.2. eod. in 6. Gonz. in C.3. h. t. n 9.* Si Titius, v. g. in Caji arbitrium, ut potest, electionem sepulturæ retulit, si Cajus non elegit sepulturam, vivente Titio, non potest eam, eo jam mortuo eligere: sed vel in Ecclesia Majorum, vel in Parochiali erit Titius sepeliendus, cum per ipsius mortem sine electione sepulturæ jus sepulchro majorum, vel Parochiæ quæsitum sit; *arg. C. 20. de Offic. Delegat.* ubi morte delegantis re adhuc integra expirat mandatum, vel commissio. Electio autem sepulturæ probatur per testamentum, vel codicillum, etiam invalidum, vel per quamlibet aliam scripturam propriæ manus defuncti, vel per duos, vel tres testes: imò, & per unicum alijs adminiculis concurrentibus; & juxta aliquos, etiam per assertionem confessarij. Quod si Clericus, vel Religiosus (secus si Laicus) aliquem inducat ad eligendam sepulturam, vel ad non immutandam jam electam in Ecclesia, in qua alias sepeliri non deberet, adjecto voto, juramento, vel promissione (secus sine illis) in favorem propriæ Ecclesiæ inducentis: v. g. si Religiosus Franciscanus inducat morientem, ut in sua sepeliatur Ecclesia (secus si non in favorem suum, sed alterius inducat) & aliundè inductio sit causa efficax talis electionis: sic ergo inducens, ipso facto incurrit excommunicationem Summo Pontifici reservatam, & votum, juramentum, vel simplex promissio, irrita, & nulla sunt: ac proindè sic eligentes debent sepeliri in illa Ecclesia, in qua erant de jure sepeliendi, si alia legitimè non electa sepultura forsitàn decesserint. *C. 1. h. t. in 6.* juramentum, vel votum circa sepulturam eligendam independentèr à tali inductione factum servandum est, cum sine peccato valeat servari. *C.28. de Jur. jur.*

268 Qui sepulturam non elegit, sepeliendus est in sepulchro majorum, seu ascendentium ad exemplum veterum Patriarcharum. *Genes. c. 25. c. 49. c. 50. c. Ebron, 2. c 7. c.8. 13. q.2. c.1. h. t. L.3. l.5. tit.13. p.1.* quod si diversa sepulchra diversi habeant ascendentes, sepulturam patris ad instar domicilij sequi debet defunctus; *arg. L.6. ff. ad Municip.* nisi solus pater in eo sepulchro fuerit sepultus: tunc enim aliorum majorum sepulturam sequetur: secus est, si illud sepulchrum sit à patre pro familia electum. Filius adoptivus defunctus vivente patre adoptivo in ejus est sepeliendus sepulchro, si eo mortuo, filius moriatur, in sepulchro patris naturalis sepelietur. Filij naturales, non legitimi cum patre, nisi is in dignitate sit constitutus, sepeliendi sunt; *arg. L. 17. §.4. ff. ad S. C. Trebel.* spurij cum matre, nisi hæc sit familiæ illustris, sepeliuntur. *Sylv. V. Sepultura, q. 8.* Uxor legitima (secus sponsa) si non est separata à marito ob adulterium, & cum sit vidua non vivat impudicè, si sepulturam non elegit, in sepulchro mariti, quando hic præmortuus est, sepelitur: si plures habuit maritos, in sepulchro ultimi sepelietur. *C. 2. c.3. 13. q. 2.* ut quos conjuxit unum conjugium, unum conjungat sepulchrum: quia una caro sunt, & mulier debet sequi virum, sive in vita, sive in morte. Si vivente marito ipsa moriatur, & ille elegerat sepulturam in ea est sepelienda uxor, si non elegerat maritus sepulturam, uxor in suorum majorum sepulchro sepelietur. Sed cum maritus non sequatur domicilium, nec jura uxoris, non debet ipse in sepulchro uxoris præmortuæ sepeliri; *arg. C. 3. 13. q. 2.*

269 Qui nec sepulturam elegit, nec habet proprium majorum sepulchrum, sepelitur in Parochia, ubi domicilium habuit, etiamsi casu alibi mortuus sit, dummodò ad Parochiam absque incommodò, vel periculo deferri possit. *C. 3. h. t. in 6. L.5. tit.13. p.1.* si in duabus Parochijs domicilium habebat, sepeliri debet ubi Sacramenta percepit: quod si in utraque percepit, sepelitur in ea, quæ prævenit: quod si lis oriatur, ab Episcopo componetur. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D.214. n. 13. Greg. Lop. in L.5. tit. 13. p. 1. V. Los Sacramentos.* Etiam potest quis sepeliri, ubi quasi domicilium habet: v. g. studiosus in loco Academiæ, cum ibi ipse Parochianus fiat quoad Sacramenta. *C. 46. 16. q. 1. C. fin. de Paroch. Sanch. de Matrim. lib.3. D. 23. n.13. & alij* contra *aliquos* apud eundem. Canonicus habitans privatim in Parochia urbis, eo quod Curiam non habeat in campo Cathedrali debet recipere Sacramenta à Parocho domicilij: nec Parochus Cathedralis potest in aliena Parochia Sacramenta administrare, licet Cathedralis

sit Matrix, & possit cuicunque ad eam accedenti ministrare Sacramenta: ac proindè debet talis Canonicus solvere suæ Parochiæ quartam funeralium: sed regulariter sepelitur in Cathedrali, quia ibi solet esse locus proprius ad Canonicorum sepulturam deputatus: quod si talis locus non sit, in sepulchro majorum debet sepeliri, vel denique in Parochia, si aliam non eligat sepulturam. *Lacr. lib.7. n.* 245. Beneficiatus, si non elegit, nec habet sepulturam majorum, debet sepeliri in Parochia, in qua habet beneficium, servitium personale, & stabilem residentiam requirens; nam ibi contrahit proprium domicilium. *C.29. de Rescript.* etiamsi in alia Parochia habitationem habeat, & in ea decedat. Qui in carcere moritur in Parochia carceris sepelitur, licet aliqui teneant, quod debet sepeliri in Parochia sui domicilij antiqui. Qui in exilio moritur, ibi sepelitur, nam ibi domicilium necessarium contraxit. *L.22. §.3. ff. ad Municip. Lacr. lib.7. n.* 247. Peregrini, advenæ, vagi, & ad mortem damnati, si non elegerunt sepulturam nec commodè ad sepulchra majorum possunt deferri, sepeliuntur in Parochia, in qua decesserunt, præcipuè si à tali Parocho perceperunt Sacramenta. *L.7. tit.13. p.1. & ibid. Greg. Lop. Molin de Just. tr.2. D.214. n.17.* Quando defuncti sepeliuntur, non debent sepeliri cum vestibus, vel ornamentis pretiosis, vel cum auro, vel argento: cum hoc noceat vivis, & non prosit defunctis: quin & ipsis nocet, cum improbi homines ex hoc ad cadavera exhumanda alliciantur. Reges verò, vel Reginæ, & aliæ personæ valdè illustres juxta Patriæ, vel Regni consuetudinem cum vestibus pretiosis sepeliuntur. Episcopi, & Sacerdotes cum vestibus suæ Dignitatis, & ministerij proprijs sepeliendi sunt. *L.13. tit.13. p.1. & ibid. Gregor. Lop.* Collegæ Majores, etiamsi in aliqua dignitate sint constituti, cum sui Collegij toga sepeliuntur: etiam Doctores cum sui Gradus insignibus, sicut & Milites cum insignibus suæ dignitatis, militarique pompa humantur: possuntque similes personæ in suis sepulchris arma, vel insignia Gentilitia affigere.

270 Jus quidem sepeliendi defunctos competit Parochis, vel alijs Clericis de Parochorum assensu: Clericis tamen deficientibus, possunt Laici mortuos sepelire, sed sine Officio Ecclesiastico; nam inhumanum esset cadaver relinquere insepultum. *L. 3. tit. 13. p. 1.* Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ non possunt levare ex alienis Parochijs corpora defunctorum sine Parochorum consensu. *Lacr. lib.7. n.245. Pignat. tom.6. cons.59. & alij.* Si Religiosi, vel alij Clerici in sua Ecclesia sepeliérunt defunctum, qui in Parochia debebat sepeliri, debent cadaver sepultum illegitimè, restituere, una cum omnibus ratione illius acceptis. *C. 5. & 10. h. t.* etiamsi esset Parochus, qui sepelivit, & tunc privatur portione Canonica. *Barbos. in C. 6. h. t. num.* 3. Si lis oriatur inter Parochiam, & aliam Ecclesiam super jure aliquem sepeliendi, & nequeat citò decidi: cum hominis sepultura dilationem non patiatur. *L. 38. ff. de Religios. & sumpt. funer.* in Parochia defunctus sepeliatur postposita appellatione: & cum Parochia habeat fundatam intentionem, alteri probare incumbit, jus sepeliendi ex privilegio, vel electione sibi competere. Et licet spoliatus, ante omnia, debeat restitui, hoc tamen cessat casu, quo aliqua Ecclesia petat sibi restitui cadaver alibi sepultum, quo se diceret spoliata, ad vitandam cadaveris vexationem, quæ sequeretur ex ejus exhumatione, quæ fortè postea erit repetenda, si Ecclesia obtinens in possessorio postea succumberet in petitorio. *C.6. h. t.* cadavera equidem semel sepulturæ tradita non debent exhumari, & alio transferri. *L. 14. C. de Religios. l. 11. tit. 13. p. 1.* & à *S. Congreg. 11. Sept. 1643.* sunt reprehensi quidam Regulares; quia permisserunt exhumari cadaver sine consensu Episcopi, ut à Magistratu Sæculari recognosceretur. Quod si alicujus cadaver est in aliqua Ecclesia sepultum tanquam in deposito, potest extrahi, etiam sine Episcopi licentia. *L. 11. tit. 13. p. 1.*

271 Cum dignus sit Operarius mercede sua, ut Christus Dominus Discipulos edocuit. *Luc. 10. v.7.* & qui fuerunt socij passionum debeant esse, & consolationum, secundum Apostolum *2. Cor. 1. v.7.* Parocho, qui sustinet onus Sacramenta suis Parochianis ministrandi, debet tribui in hujus oneris compensationem certa *portio*, quæ quia à Jure Canonico statuta est, *Canonica* dicitur: quæ quidem aliquando est quarta, ut in C. 8. *h. t.* aliquando tertia, vel dimidia, ut in C. 1. *h. t.* vel alia juxta locorum consuetudinem, & temporum varietatem. *C. 9. h. t.* quod si nulla certa in loco sit consuetudo, quarta pars dari debet. L. 5. *tit. 13. p. 1.* Hæc quidem portio deducitur ex legatis, oblationibus, & alijs ratione funeris obvenientibus Ecclesiæ, in qua defunctus sepelitur,

C. 1. *h. t.* sive sit sepulchrum majorum, sive sepeliatur in Ecclesia Cathedrali, vel Regularium, etiam exempta. *Cl.* 2. *h. t. l.* 7. *tit.* 13. *p.* 1. sive defunctus ad Monasterium, in infirmitate constitutus, se transtulerit, & ibi moriatur. Secus est, si sanus est Religionem ingressus, & novitius moriatur. *C.* 4. *h. t. l.* 6. *tit.* 13. *p.* 1. debent ergo tales Ecclesiæ solvere Parochiæ propriæ defuncti Canonicam portionem, quam dicunt *mortuariorum*: sed tota hæc portio non spectat ad Parochiam: sed ex ea pars quarta deducitur Episcopo tanquam loci ordinario præstanda. *C.* 16. *de Offic. Ordinar.* sed prius quidem deducenda est portio Parochialis, quam Episcopalis: ac proindè, si Ecclesia, in qua defunctus sepelitur, non sit exempta, ex his, quæ ipsi obveniunt, duas Canonicas portiones solvit: unam Episcopo. *C.* 14. *c.* 15. *de Testament.* alteram Parocho. *C.* 1. *h. t.* si Ecclesia exempta sit, solum portionem Parochialem solvet. In nostra Hispania non tribuitur Episcopo hæc quarta portio, sed loco illius percipit *luctuosam*, quæ pro varietate locorum varia est. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 19. *Gonz. in C. fin. de Testam. n. fin.* Non tamen debetur hæc Parochialis portio, si Ecclesia ab ea præstanda sit exempta per consuetudinem legitimam: talis erit quadragenaria cum titulo, vel immemorialis sine eo. Nec item debetur, si ante electionem sepulturæ illud relictum sit: vel si solum in tali Ecclesia fuit ad tempus depositum cadaver: vel si pro ornamentis, fabrica, vel anniversario aliquid relictum est. *Barbos. de Offic. Paroch. cap.* 25. *n.* 47. vel denique, si Ecclesia Regularis sit munita privilegio, in quo expressè derogetur. *Cl. Dudum,* 2. *h. t. Gonz. in C.* 8. *h. t. n.* 6. Et quidem Parochus nequit impedire, quod quis in hoc, vel illo loco sepeliatur, dummodò ei *quarta pars funeralium* detur: consequenterque potest quis extra Parochiam sepeliri, licet Parochus id nolit, & ideò comitari recuset. *Barbos. de Offic. Paroch. p.* 3. *cap.* 26. *n.* 19. non tamen possunt Regulares, invito Parocho funus è Parochia efferre: quod si Parochi plus petant eo, quod aliquis apud Religiosos sepeliatur, excommunicantur per *Clem. & Urban. VIII.* Quando quis in Ecclesia Regularium Exemptorum sepelitur, non solum potest Parochus prosequi funus, sed etiam ei adstare in tali Ecclesia cum cruce, superpelliceo, & stola: officium autem à Regularibus peragendum est. Regulares tamen non possunt funus, etiam in sua Ecclesia peragendum cum stola prosequi: quippe stola denotat jurisdictionem externam, qua carent Regulares. In funeralibus autem unica tantum crux deferenda est, non quidem Regularium; sed Parochiæ, vel Capituli Cathedralis, si hoc funus comitetur. Sed in his omnibus locorum consuetudo legitima attendenda est. *Lacr. lib.* 7. *n.* 237. *Pignat. & alij*, potest quidem cadaver defuncti de uno in alium locum occultè transferri, ut ibi sepeliatur, quin solvat quartam funeralium Parochis, per quorum Parochias transit: quia talis Lex non censetur habere locum pro foro conscientiæ. *Lacr. lib.* 7. *n.* 236.

272 In sepultura Ecclesiastica nequeunt sepeliri. 1. Judæi, Mauri, Pagani, alijque Infideles. *C.* 28. *de Cons. D.* 1. *l.* 8. *tit.* 13. *p.* 1. etiamsi Cathecumeni sint, nec infantes, qui sine baptismo decesserunt. Si mater moriatur prægnans, & simul proles sit mortua, non est mater exsecanda, sed simul cum ipsa proles sepeliatur: quia fœtus pars matris censetur. *L.* 1. *§.* 1. *ff. de Inspic. ventr.* si partus vivit, vel saltem est dubium, an vivat: tunc postquam mater est mortua, & non antea, nisi posset fieri sine periculo vitæ, mater secanda est, & partus extrahendus, ut baptizetur. 2. Manifesti usurarij, nisi restitutione facta, vel de ea facienda, præstita idonea cautione. *C.* 3. *de Usur. C.* 2. *eod. in* 6. *L.* 9. *tit.* 13. *p.* 1. 3. Maledici, sive blasphemi. *C.* 2. *de Maledicis.* 4. Monachi proprietarij. *C.* 2. *c.* 4. *de Stat. Monach.* 5. Concubinarij, latrones, & alij publici peccatores, qui sine pœnitentia notoriè decedunt. *C.* 16. 13. *q.* 2. *l.* 9. *tit.* 13. *p.* 1. etiam incendiarij, & raptores, si ante restitutionem sine pœnitentiæ signis decedant *C.* 2. *c.* 5. *de Raptorib.* *L.* 9. *tit.* 13. *p.* 1. injustè retinentes decimas Ecclesiæ debitas. *C.* 19. *de Decim.* 6. Communionem Paschalem, & confessionem annuam culpabilitèr omittentes. *C.* 12. *de Pœnitent. & remiss.* 7. In duello, etiam privato, instituto tamen ex condicto certo tempore, & loco, occumbentes. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 19. *juncta Constit. Greg. XIII. Ad tollendam. An.* 1582. 8. In hastiludijs, & torneamentis, ex quibus mortis probabile periculum imminet, occisi. *C.* 1. *& fin. de Torneament.* *L.* 10. *tit.* 13. *p.* 1. 9. Hæretici, & eorum fautores, receptatores, defensores, & credentes. *C.* 13. *§. Credentes, de Hæretic.* quod si ipsis mortuis, eorum hæresis appareat, & probetur, eorum ossa exhumantur. *C.* 3. 24. *q.* 2. *L.* 8. *tit.* 13. *p.* 1. 10. Excommunicati vitandi. *C.* 12. *h. t.* quia quibus vivis

vivis non communicavimus, nec mortuis, communicare debemus: nisi viventes reconciliari perierint, nam tunc possunt post mortem absolvi, & sepeliri. C. 28. *de sent. excom.* si tamen ossa excommunicatorum sunt sepulta in aliqua Ecclesia, vel Cæmeterio, & discerni possunt, debent exhumari, & projici extra Ecclesiam: non tamen debent exhumari, si nequeunt discerni. C. 12. *b. t.* L. 8. *tit.* 13. *p.* 1. in quo enim Ecclesia sequitur exemplum patrisfamilias, apud *Math.* 13. *v.* 29. qui dixit, servis ne colligerent zizania, *ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis, & triticum: sinite utraque crescere usque ad messem.* Dum enim est sepultus in Ecclesia, vel Cæmeterio aliquis excommunicatus non toleratus, vel etiam infidelis, non sunt ibidem celebranda Divina, nec aliquis fidelis sepeliendus, sed debet prius Ecclesia reconciliari, siquidem censetur polluta. *C.* 7. *de Consecrat. Eccles.* L. 8. *tit,* 13. *p.* 1. Imò si in Ecclesia est infidelis sepultus radi debent, & lavari illius parietes, & tigna. C. 28. *de Consec. D.* 1. potest tamen in Ecclesia sepeliri excommunicatus toleratus occultus, quin & publicus, cum sit permissa communicatio cum ipsis *ex Const. Ad evitanda*, si scilicèt, datis pœnitentiæ signis decesserit: expedit tamen, ut prius ab excommunicatione absolvatur. *Suar. de Cens. D.* 12. *sect.* 4. *n.* 5. *& alij.* Et quidem ut excommunicatus possit gaudere sepultura Ecclesiastica in mortis articulo, potest, etsi censura sit Pontifici reservata, absolvi à quocumque simplici Sacerdote, facta tamen prius satisfactione parti læsæ, vel cautione præstita de ea facienda. *C. fin. b. t.* siquidem in articulo mortis omnis cessat reservatio: præcipuè, si non adsit habens jurisdictionem delegatam, vel ordinariam ad absolvendum ab excommunicatione. Nec interdicti notorij, & denuntiati in Ecclesia valent sepeliri, nisi constet, vel rationabilitèr præsumatur, quod dederint signa pœnitentiæ.

273 11. Nequeunt insuper in Ecclesia sepeliri, qui se ipsos sponte occidunt veneno, laqueo, ferro, vel se præcipitando in flumen, vel puteum, & de tali facto non pœnituerunt. C. 12. 23. *q.* 5. Secus est, si furore, vel amentia se occidant, vel casu in puteum prolabantur, vel se præcipites per fenestram dent, ut periculum vitæ, vel pudicitiæ vitent. C. 11. *b. t.* vel si postquam quis se læthalitèr vulneravit, ante mortem pœniteat: vel si inveniatur laqueo suspensus, nec constet, an à se, vel ab alio interfectus sit. *L.* 9. *tit.* 13. *p.* 1. cum in dubio non præsumatur delictum. *L.* 51. *ff. Pro socio.* In his enim, & similibus casibus debent se occidentes sepeliri in Ecclesia. Damnatis ad mortem non est neganda Ecclesiastica sepultura. *B.* 30. 13. *q.* 2. cum ipsis non denegentur Sacramenta. *L.* 7. *tit.* 13. *p.* 1. possunt tamen certorum reorum cadavera in perpetuum, vel ad certum tempus insepulta, & in loco publico suspensa ad aliorum terrorem, & exemplum relinqui, & Medicis tradi ad anotomiæ experimenta, sic suadente Reipublicæ communi bono, & utilitate, & sic fuit responsum ab Universitate Salmantina ad consultationem Caroli V. *Hevia in Cur. Philip. p.* 3. §. 17. *n.* 16. Non tamen debent frequentèr corpora defunctorum sic relinqui, nisi hoc atrocitas suadeat delicti. Et sic sunt intelligendi *Textus in L. fin. C. Si reus. L.* 6. *ff. de Public. judic. l.* 1. *l. fin. ff. de Cadaver. punitor.* Si reus in carcere decedat, postquam ultima sententia condemnatus est, vel si per facti evidentiam, vel judicialem confessionem de delicto constet, ita ut nulla prorsus ipsi competat defensio, potest ejus cadaver, si delictum sit valdè atrox, & perniciosum in furca suspendi: ut sic magis à delictis patrandis homines absterreantur. Si tamen reus nondum erat condemnatus, nec convictus, nec deprehensus in notorio, vel flagranti crimine, non debet post mortem puniri; nam morte omnia crimina extinguuntur. *L.* 3. *l.* 6. *ff. de Public. judic.* Hæretici tamen etiam post mortem puniuntur. Tandem: qui sepeliunt, vel præsumunt, vel mandant, vel procurant sepelire excommunicatos vitandos, vel nominatim interdictos, vel manifestos usurarios, ipso facto excommunicati sunt: gravitèr enim delinquunt hoc facientes voluntariè, scientèr, & spontè in contemptum clavium: itaque, ut absolvantur debent satisfactionem competentem præstare ad arbitrium Episcopi Diœcesani his, quibus injuriam irrogarunt. Et hanc quidem excommunicationem incurrunt etiam exempti. *Cl.* 1. *b. t.* Qui furatur cadaver alicubi sepultum, vel qui demolitur sepulchrum, vel qui amovet insignia, vel arma in aliquo sepulchro affixa, vel aliter jura sepulchrorum violat, infamiam incurrit, & civilitèr, & criminalitèr punitur. *L.* 1. *l.* 8. *l.* 9. *ff. de Sepulchro violat. l.* 14. *tit.* 13. *p.* 1.

TIT. XXIX.

De Parochijs, & alienis parochianis.

274 PArochia olim significabat illud spatium, intra quod peregrinantibus præbebantur necessaria. *Parœcia* tamen sacram viciniam significabat: *Gonz. in C. 2. h. t. n. 7.* Hodie verò utrumque nomen idem sonat, significatque incolatum, seu habitationem, & aliquando *latè* sumitur pro tota *Diœcesi*. *Can. 13. & 33. Apostol. C. 4. c. 5. D. 92. c. 3. h. t.* In præsenti tamen, & in communi sensu significat *alicujus Diœcesis Ecclesiam, quæ habet populum certis limitibus distinctum: & insuper Presbyterum, seu Rectorem, qui ex officio administret Sacramenta, Verbum Divinum, & alia spiritualia.* Etiam frequenter sumitur Parochia pro ipso populi territorio. Limes, linea, seu longitudo distinguens spatium à spatio, *Hispanè: Lindero, ò mojon.* Regulariter designatur per lapides, montes, arbores, vel fluvios; quod si fortè lapides terminales amoveantur, debent alij, quam citius subrogari, ut sic litibus obvietur: nam ut ait Virgilius citatus *à D. Isidoro in C. 10. de V. S. Limes erat positus litem, ut discerneret agris.* Hac ergo ratione limites Diœcesum, & Parochiarum ab Apostolis, & eorum successoribus fuerunt constituti, semperque debent constitui authoritate Ecclesiastica, minimè verò Sæculari. *C. 1. & seqq. D. 80. c. 1. D. 99. c. un. 13. q. 1. c. 8. de Excess. Prælat. Barbos. de Offic. Episc. p. 1. cap. 7. n. 7.* Nam ad Summum Pontificem in toto Orbe, & ad Episcopos in suis Diœcesibus pertinet limites Parochiarum constituere, vel constitutos mutare. In his quidem Insulis proprium territorium unicuique Religioni, quasi pro Parochia assignatum est, ut sic competentijs, & litibus obvietur. *L. 34. tit. 15. lib. 1. R. Ind.* ibi: *Mandamos al Governador, y Capitan General, y encargamos al Arzobispo, que juntos dividan las Provincias de su cargo para la doctrina, y conversion de los naturales entre los Religiosos de las Ordenes, en tal forma, que donde los huviere Agustinos, no aya Franciscos, ni Religiosos de la Compañia donde huviere Dominicos, y assi respectivamente en cada Provincia su Orden.* Et in *L. 13. ejusdem tit.* dicitur, quod si constet evidentèr Vice-Patrono de justa, gravi, & legitima causa removendi aliquam Religionem ab aliqua administratione possit hoc cum Ordinarij Consilio facere. Deindè: quando in administratione alicui Religioni commissa magna invenitur, fortè ob distantiam, incommoditas, potest Vice-Patronus cum Consilio Diœcesani talem administrationem alij Religioni proximiori committere, & additur: *Recompensando en otras à la que las tenia, y procurando el beneplacito de los Superiores; y si no consintieren en ello, suspendan la execucion, y nos avisen en la primera ocasion.* Renuntiatio Parochiarum fit coram Diœcesano, & hic Vice-Patronum de tali renuntiatione debet monere. *L. fin. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* Præterea Capellani Exercituum, Navium; vel triremium sunt quasi Parochi Legionis, vel Navis sibi commissæ, & juxta facultatem ipsis à Pontifice, vel Ordinario, in cujus Diœcesi sunt, concessam, & non aliter, poterunt Sacramenta administrare. *Ex Decl. S. Cong. 29. Jan. 1707. apud Reinfenst. de Clandest. desponsat. n. 96.* In nostra Hispania hujusmodi Capellani ab Episcopo Diœcesis approbantur, & à Vicario Generali exercitus à Rege assignari, deputantur singulis Legionibus pro administratione Sacramentorum. *Ex Const. Innoc. X. 26. Sept. 1644. apud Benitez Montero, Tract. Milit. à fol. 14.* Pro Indijs habemus. *L. 24. tit. 4. lib. 3. R. Ind.* & magis in specie pro his Insulis. *L. 50. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* ibi: *Declaramos, y mandamos, que el nombramiento de Capellan Mayor, y otros Capellanes de las Armadas, Galeras, Navios, y qualesquier Baxeles de nuestra cuenta nos pertenece, y en nuestro nombre à los Capitanes Generales de las Islas Filipinas, y las demas partes de las Indias, donde sea necessario nombrarlos, como se hace en las Galeras de España, Italia, y otras partes: y rogamos, y exhortamos à los Arzobispos, y Obispos, que no los nombren, y solamente intervengan en dar su aprobacion, y licencia para administrar los Santos Sacramentos:* quo facto videntur prædicti Ordinarij Vicarij Generales constitui.

275 Parochia constituitur authoritate Episcopi, qui quidem locum, in quo populus deputatus degit certis limitibus designat, cui præesse debet certus *Rector*, qui *Parochus, proprius Presbyter*, seu *Sacerdos*, & *Plebanus* appellatur. Et quidem debet esse unicus, quia est quasi sponsus illius Ecclesiæ. *C. 4. 21. q. 2.* gaudetque potestate in foro interno conscientiæ ligandi, atque solvendi: ipsique concedi-

tur,

tur, & jure proprio incumbit cura animarum per Sacramentorum administrationem exercenda, & in hoc sensu, & non in alio Parochia beneficium curatum dicitur: gauderque propterea jure administrandi Sacramenta, Confessionem scilicet, Eucharistiam, Extremam-Unctionem, & Baptismum, Matrimonijsque assistendi, & sepeliendi Parochianos. Et licet aliquibus Ecclesijs aliqua ex his, ex privilegio, vel consuetudine competant, tamen omnia simul solum in Parochijs de Jure Communi inveniuntur. Populus autem ad Parochiam constituendam debet constare saltem decem familijs. *C. 3. 10. q. 3.* sicut grex decem ovibus constat. *L. 3. ff. de Abigeis.* Jura igitur Parochiæ sunt sequentia. 1. fontem baptismalem habere: siquidem Parocho competit post Pontificem, & Episcopum jus Parochianos baptizandi; *arg. C. 56. 16. q. 1.* deberque habere librum, in quo notet accuratè diem nativitatis, & baptismi, & parentes baptizati: vel si expositus est, notet ubi fuit repertus: etiam debet notare patrinos, librumque debet sub custodia diligenter servare. 2. ad Parochiam forum pœnitentiale spectat. Nam Parochiani de jure debent semel in anno in sua Parochia confiteri. *C. 12. de Pœnit. & remission. L. 34. tit. 4. p. 1.* & Parochus sub gravi tenetur illis tunc hoc ministrare Sacramentum: siquidem ejus officium est pascere gregem: imò & ministrare tenetur, quoties Parochiani illud rationabiliter petunt: secus si importunè. 3. ad ipsum spectat Eucharistiam administrare: quam semel in anno, tempore, scilicet Paschali, in Parochia tenentur parochiani suscipere. *G. 12. de Pœnit. & remis. L. 34. tit. 4. p. 1.* ibi: *E otrosi debe recebir el Cuerpo de Nuestro Señor Jesu-Christo à lo menos una vegada en el año por dia de Pascua Mayor, que es la Resurreccion: fueras ende si lo dexasse por consejo de su Maestro de Penitencia.* Et quidem olim communicare ex obligatione tenebantur fideles ter in anno; videlicet in Nativitate Domini, in Paschate Resurrectionis, & in Pentecoste. *C. 16. c. 19. de Cons. D. 2.* & si his temporibus non communicabant, non habebantur pro Catholicis: quin, & tempore nascentis Ecclesiæ quotidie fideles communicabant. *C. 59. de Cons. D. 1. junct. Glos.* sed hodie ex Const. *Innoc. XI. An. 1679.* Communio quotidiana sub certis limitationibus moderata est. 4. ad Parochum spectat matrimonia solemnizare; illaque benedicere; adeò ut nulla sint matrimonia quæ Parochi præsentia, vel alterius Sacerdotis de ejus licentia, destituantur. *Ex Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1.* debet item Parochus diligenter notare in libro conjugatorum diem conjugij, nominaque conjugatorum, & patrinorum.

276 5. Parochus debet infirmis Extremam-Unctionem administrare. 6. verbum Dei prædicare per se, vel per alios diebus Dominicis, & festis. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 4.* prædicare namque ex officio Parochis, & Episcopis incumbit; *arg. C. 13. §. Quia verò de Hæretic.* ex privilegio autem Mendicantes prædicare possunt, & præcipuè Societatis: nam hi, dum prima tonsura initiati sint, & aliquando etiam Novitij, prædicare valent. 7. ad Parochum spectat benedicere Cineres in die. 1. Quadragesimæ, scilicet in feria 4. Cinerum: palmas in Dominica Palmarum; cereas in die Purificationis; & fontem baptismalem: deberque Missam in Cœna Domini celebrare, itemque in Sabbato Sancto. Insuper debet denuntiare matrimonia, festivitates, jubilæa, vigilias, quibus jejunandum est, & etiam indulgentias: deberque Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, & processiones per Parochiam deferre: decimas, oblationes, & primitias percipit. Denique debet mortuos sepelire, & in libro defunctorum diem sepulturæ notare, ut semper possit constare de illorum morte ad varios effectus. Sacramentum pœnitentiæ possunt Religiosi ex privilegio, etiam invitis Parochis, ubicumque fidelibus administrare. Imò, & Eucharistiam, excepta Communione Paschali, & sumptione Viatici: in his enim duobus casibus non aliter possunt Religiosi Eucharistiam ministrare, quam de licentia Parochi. Minimè verò possunt Religiosi baptismum, & Extremam-Unctionem administrare extra casum necessitatis, nec possunt matrimonium solemnizare, nisi de licentia, & commissione Parochi. Imò ex *Cl. 1. de Privileg.* Incurrit Excommunicationem Pontifici reservatam Religiosus, qui Clericis, aut Laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, matrimoniave solemnizare, non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali, præsumpserit, præterquam in casibus à jure expressis. Sed licet olim parochiani diebus festis tenerentur sacrum in propria Parochia audire: Hodie tamen per generalem consuetudinem, & Regularium privilegia possunt fideles in quacumque Ecclesia Missam audire. Et sic intelliguntur *Textus in C. 4. c. 5. 9. q. 2. c. 2. h. t. & alij.*

Paro-

277 Parochi autem eliguntur ab Episcopis, vel præcedente concursu oppositorum, vel saltem habito prævio examine de idoneitate subjecti, ita ut possit suas oves pascere verbo prædicationis,& exemplo boni operis, & insuper habeat doctrinam sufficientem ad Sacramenta rite administranda. Parochus ergo debet habere 25. annos, quando actu administrat, potest tamen beneficium conferri ei, qui intra annum possit Sacerdotalem Ordinem suscipere: quod si non suscipiat, legitimo cessante impedimento, ipso jure beneficio privatur: Debetque Parochus professionem fidei facere, & obedientiam Pontifici jurare, vel per se, vel per Procuratorem specialem in manibus Episcopi, vel Vicarij intra duos menses à tempore beneficij obtenti: alias amittit beneficij fructus: quam quidem pœnam probabilitèr incurrit, etiam ante Judicis sententiam. *Trid. seß.* 24. *de Ref. cap.* 12. si tamen ex ignorantia, vel oblivione professionem non fecit, non amittit fructus in foro conscientiæ, secus in foro exteriori. Quod si ad novum beneficium Parochiale promoveatur, iterum faciet professionem fidei. Parochus habet jurisdictionem ordinariam à jure in foro interno, ac proindè non indiget approbatione ad administranda Sacramenta suis Parochianis, potestque illorum confessiones audire, non solum in sua, sed etiam in aliena Parochia ejusdem Diœcesis: Imò, & in toto Mundo juxta aliquos. Potestque suis Parochianis in observatione aliquorum Eclcesiæ præceptorum dispensationem indulgere, si necessitas urgeat, & recursus ad Episcopum difficilis sit: v. g. ut in die festo possint laborare, vel in die veneris carnes edere. In votis autem dispensare nequit, nec ea commutare: nec potest censuras infligere, nisi ubi ex legitima consuetudine hoc introductum sit: nec potest peccata subditorum reservare, nec dispensare in proclamationibus, potest tamen declarare hic, & nunc non obligare proclamationis præceptum, ob aliquam, urgentissimam tamen necessitatem, si Episcopus non possit adiri. *Lacroix lib.* 6. *p.* 3. *n.* 494. Insuper Parochus tenetur in Parochia residere: à qua non potest abesse ultra duos menses, nisi causa cognita, & approbata ab Episcopo: alias graviter peccat, nec facit fructus suos, saltem respondentes neglectæ residentiæ: Debet namque suas oves agnoscere, & aliquando visitare, præcipuè infirmos, pro illis sacrificium offerre, Missas aliquando celebrando: pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam debet gerere paternam, peregrinos, & hospites suscipere: pauperibus eleemosynam dare: ad peste infectos accedere: quin, & cum vitæ periculo tenetur suis Parochianis in gravi necessitate spirituali succurrere. Quæ omnia ex *Trid. Barbosa de Offic. Paroch. & alijs* latissimè constant. In Indijs autem Clerici, qui ad oppositionem, & concursum vi Edictorum accedunt, examinantur ab Episcopo, vel Capitulo, Sedevacante, per Examinatores Synodales, & Assistentem Regium: Hic enim est communitèr quidam vir doctrina conspicuus, qui nomine Regis examini assistit: sed nec examinat, nec suffragium habet. *L.* 37. *tit.* 6. *lib.* 1. *R. Ind.* Examine finito tres ex concurrentibus proponuntur ab Episcopo, vel Capitulo Pro-Regi, vel Gubernatori, qui nomine Regio patronatum exercet: hic unum eligit, seu nomine Regio præsentat, cui quidem datur collatio, seu Canonica institutio ab ipso Episcopo, vel Capitulo. *L.* 24. *tit.* 6. *lib.* 1. *R. Ind.* debetque sic institutus, seu Parochus electus scire, vel addiscere linguam Indorum, quibus est administraturus, alias removetur. *L.* 4. *tit.* 13. *lib.* 1. *R. Ind.* in pluribus Indiarum Provincijs, & præcipuè in his Insulis, ob Clericorum Sæcularium inopiam Religiosi Parochijs præficiuntur. Et in Legibus Regijs *doctrinas, reductiones, y doctrineros* dicuntur. Sed certè tales Religiosi eandem obligationem, ac Parochi Sæculares habent: siquidem non administrant præcisé ex voto charitatis, sed ex obligatione justitiæ: quæ obligatio in alijs ex collatione Canonica, quam suscipiunt: in alijs ex contractu, vel quasi contractu cum Rege inito oritur: siquidem nostri Reges non aliter volunt, tales Religiosos ad has Provincias transire, nec in eis permanere, quam hac obligatione suscepta: in quam ipsi Religiosi consentiunt, eamque libenter, & sponte amplectuntur, & prætereà Regium stipendium percipiunt. Itaque est declaratum in *L.* 30. *tit.* 15. *lib.* 1. *R. Ind.* & ita ego defendi cum Casus Morales in Collegio Manilano resolverem.

278 Cum in quæstione de limitibus Parochiarum agatur de cura animarum, extendenda, vel restringenda, talis quidem quæstio, & causa spiritualis censetur, ac proindè ea, quæ ad jus circa ipsam spectant, non possunt ad Laicorum cognitionem spectare. *C.* 3. *de Probation. C.* 1. *c.* 4. *h. t.* nam Laici sunt incapaces jus

jus spirituale possidendi. *C. 2. de Judic.* Consequenterque nec tempore immemoriali possunt Laici cognitionem limitum Dioecesum, vel Parochiarum præscribere: si vero tantum quæstio de aliquo facto incidat: v.g. si dubitetur, quousque limites Parochiæ extendatur: vel an alicujus populi vicini in hac vel in illa Ecclesia perceperunt Sacramenta, vel obtulerunt decimas, vel primitias: vel an reus conventus Laicus sit: vel quid simile: in his enim casibus potest Judex Sæcularis cognoscere, cum factum, etiam de re spirituali, merè temporale sit. Et quidem licet fundus, vel solum, in quo sunt limites Parochiæ, vel Dioecesis possit præscribi ad hoc ut proprietas illius fundi, vel soli ad præscribentem pertineat ex Text. sic intelligendo *in C. 9. de Præscriptionib.* limites autem qua tales Dioecesum, & Parochiarum, si certi sunt, non præscribuntur, jure ipso tali præscriptioni resistente. *C. 5. c. 6. c. 7. 16. q. 3. C. 4. h. t. L. 3. t. de Fundis limitroph. lib. 11.* Et quidem nec immemoriali præscriptione ob textuum generalitatem, valet præscribi: & meritò, ne facilè confundantur limites authoritate publica, & ob publicam utilitatem constituti: & ut vitentur jurgia, quæ pullularent, si authoritate privata, antiquis limitibus ablatis, non possent constitui. Aliud est, quando limites non sunt certi: siquidem tunc ob præsumptionem in favorem possessoris possunt utique præscribi *C. 4. h. t. C. 2. 16. q. 3. & com. DD.*

TIT. XXX.

De Decimis, Primicijs, & Oblationibus.

279 Tres partes continet præsens Rubrica, de quibus suo ordine agendum est: jam ergo de *Decimis quas Deo, & Sacerdotibus Dei dandas Abraham factis, & Jacob præmissis insinuat: deindè Lex statuit, & omnes Sancti Doctores commemorant. C. 6. 16. q. 7.* & ut *Augustinus* dicit *in c. 66. 16. q. 1. Si decimas dederis non solum abundantiam fructuum recipies; sed etiam sanitatem corporis, & animæ consequeris. L. 20. tit. 20. p. 1.* E contra vero decimantibus infideliter eveniunt fames, paupertas, vermes, locustæ, & tempestates. Et ut ait *D. August.* ubi supra: *Hæc est enim Dei justissima consuetudo, ut si illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris: dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti. Decima igitur Ecclesiastica*, de quibus in præsenti, *sunt decima pars fructuum, & proventuum justè quæsitorum, debita Deo in recognitionem universalis dominij, solvenda quidem Ministris Ecclesiæ propter spirituale ministerium. C. 26. c. 33. h. t. L. 1. tit. 5. lib. 1. R. C. L. 1. tit. 20. p. 1.* ibi: *Diezmo es la decima parte de todos los bienes, que los omes ganan derechamente, è esta mandò Santa Eglesia, que sea dada à Dios, porque èl nos da los bienes, con que vivimos en este Mundo.* Et meritò quidem Sacerdotibus solvuntur: nam juxta Christi Domini doctrinam: dignus est operarius mercede sua: debent namque fideles rebus suis temporalibus alere eos, qui ipsis in spiritualibus inserviunt: & hac ratione dicitur, decimas Jure Naturali, & Divino deberi. *C. 14. c. 25. c. 32. §. 1. h. t. c. fin. 16. q. 1.* Vel etiam quia in Lege veteri debebantur. *Levit. 27. v. 30.* quin & ante Legem Mosaycam fuerunt introductæ. *Genes. 14. v. 20. & c. 28. v. fin.* Consequenterque quoad originem, & quatenùs continent congruam Ministrorum sustentationem Juris Naturalis, & Divini meritò recensentur. *C. fin. 16. q. 1.* & sic intelligendi veniunt *Text. in c. 14. c. 25. c. 32. §. 1. h. t.* non tamen sunt Juris Naturalis, nec Divini, quoad quotam, hoc est, *quoad partem decimam.* Nam hac ratione decimæ juris Ecclesiastici sunt. *Covar. lib. 1. Variar. c. 17. n. 2. Suar. Gutier. & alij.* Nullum enim præceptum extat in Lege Evangelica de decima parte solvenda. Nam quando Christus Dominus solvendas decimas ait apud *Matth. 23. v. 23.* loquebatur de decimis debitis in Lege veteri. Debentur ergo ex puro præcepto Ecclesiastico. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 12.* Et hanc conclusionem tenent *D. Thom. 2. 2. q. 87. art. 1. Abulens. in Matth. cap. 23. q. 149. Suar. de Decimis, cap. 9. n. 10. Soto de Just. & jur. lib. 9. q. 4. art. 1. Covar. Gutier. Solorz. Gonz. in c. 32. h. t. n. 4. & alij* contra *Glos. in c. 1. h. t. in 6. Innoc. & alios*, qui absolutè tenent de Jure Divino deberi. Audiamus *D. Thom.* qui hoc optimè explicat *2. 2. q. 87. art. 1. in corp.* ibi: *Sed determinatio certæ partis exhibendæ Ministris Divini cultus non est de Jure Naturali, sed est introducta institutione Divina, secundum conditionem illius populi, cui Lex dabatur; qui cum in duodecim Tribus esset divisus, duodecima Tribus, scilicèt, Levitica, quæ tota erat*

erat ministerijs Divinis mancipata, possessiones non babebat, unde sustentaretur. Unde convenienter institutum est, ut reliqua undecim Tribus decimam partem suorum proventuum Levitis darent, ut bonorabilius viverent: & quia etiam aliqui per negligentiam erant transgressores futuri:::: Ita, etiam determinatio decimæ partis solvendæ est authoritate Ecclesiæ tempore novæ Legis instituta, secundum quandam humanitatem: ut scilicèt, non minus populus novæ Legis Ministris Novi Testamenti exhiberet, quam populus veteris Legis Ministris veteris Testamenti exhibebat:::: sic ergo patet, quod ad solutionem decimarum homines tenentur, partim quidem ex Jure Naturali, partim etiam ex institutione Ecclesiæ: quæ tamen pensatis opportunitatibus temporum, & personarum posset aliam partem determinare solvendam. Et quamvis Clerici habeant patrimonium, vel artificium, unde sustententur, adhuc illis decimæ ex justitia solvendæ sunt, tamquam merces laborantibus debita: quod si ex redditibus Ecclesiasticis congruam sustentationem Clerici haberent, eis Jure Naturali, & Divino non deberentur decimæ, sed tantum Ecclesiastico, nisi hoc consuetudine abrogatum sit.

280 Decimæ enim, aliæ sunt *reales*, seu *prædiales*, aliæ *personales*. *Reales*, *seu prædiales* sunt, quæ præstantur ex fructibus prædiorum, vinearum, pratorum, arborum, vel animalium: personales, quæ proveniunt ex lucro, industria, vel artificio hominum adquisito, v. g. ex negotiatione, venatione, vel salarijs Militum, vel Magistratuum. Et quidem de Jure Communi decimæ solvuntur ex omnibus fructibus, & proventibus annuatim productis, vel hominum ministerio, vel beneficio naturæ provenientibus. *C.5. c.6. c.21. b. t. L. 2. tit.20. p. 1.* Itaque decimæ solvuntur de tritico, oleo, vino, fœno, herbagio, lignis, piscarijs, gregibus, lana, caseo, molendinis, apibus, sacharo, serico, & alijs hujusmodi, nisi aliud consuetudo legitima suadeat. In Indijs autem non solvuntur decimæ ex piscarijs, nec aucupio, nec venatione *L. 18. tit. 16. lib. 1. R. Ind.* Quod autem semel decimam solvit non debet rursus aliam decimam solvere: quod *Hispanè* dicimus: *Rediezmo. L. 7. tit. 5. lib. 1. R. C. L. 19. tit. 16. lib. 1. R. Ind.* Qui aliquid illicitè lucratus est, ita ut illud restituere debeat: v. g. si aliquid habeat furto, vel usuris adquisitum, quatenus tali pecunia prædium emit, debet utique decimas prædiales ex tali prædio, quod excolit solvere: nam est onus prædio affixum: non tamen debet decimas personales solvere ex sic quæsitis: nam talia bona non sunt possessoris propria. Si vero res illicitè accepta licitè retineri valeat: v. g. adquisita ex homicidio, vel fornicatione, vel sententia injusta: tunc decimæ debentur: ne sit melioris conditionis turpis, quam honestus lucrator. Sed ne videatur, Ecclesiam tale factum approbare, non solet ex tali re acceptare decimas. *L. 12. tit. 20. cap. 1. D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 2. ad 2.*

281 Omnes, & soli fideles baptizati, etiam Reges, & Principes, qui ab aliquo Parocho Sacramenta percipiunt, per se tenentur debito personali decimas solvere; nisi aliqua ratione eximantur. *C. 23. c. 24. b. t. L. 2. tit. 20. p. 1.* potestque accidere, quod Parochi, Episcopi, imò & Pontifex decimas solvere teneantur: quia possideant bona hac obligatione, & onere gravata cum quo ad quemcumque transeunt possessorem. Et nostri Potentissimi Reges se hac obligatione teneri fatentur tam pro rebus, quas in Hispania. *L. 2. tit. 5. lib. 1. R. C.* quam in Indijs habent. *L. 16. tit. 16. lib. 1. R. Ind.* Etiam Hæretici, cum Ecclesiæ subjecti sint, & aliunde Parochi sint parati eis Sacramenta administrare, decimas personales solvere tenentur: Judæi tamen, & alij infideles, cum Ecclesiæ non sint subjecti, decimas personales non debent: tenentur tamen decimas reales prædiorum, quæ in aliqua Parochia habent, solvere. *C. 16. b. t. L. 2. tit. 20. p. 1.* cum sit onus prædijs affixum. Reali ergo obligatione decimas reales solvere tenentur quicumque intra fines alicujus Parochiæ possident prædia, fundos, vel alias res frugiferas titulo, non spirituali. *C. 4. c. 6. c. 8. c. 20. b. t.* nisi aliqua ratione sint immunes. Vendens ergo prædium, quod obligatione decimarum gravatum est, tenetur debitas decimas solvere: emptor autem solum ex tempore, quo illud emit. *Arg. c. 33. b. t.* Item, si ad Dominum fundi conducti perveniant omnes fructus fundi pro certa pensione fructuaria, vel pecuniaria præstita Colono, ipse Dominus solvet omnes decimas: idem dicendum est de Colono, si ad ipsum omnes fructus perveniant certa pensione Domino reservata. *C.24. c.26. b. t. L. 6. tit. 20. p. 1.* Clerici quidem non tenentur decimas solvere de bonis, quæ titulo spirituali beneficij, vel ministerij spiritualis percipiunt: sicut nec Levitæ veteris Legis decimas solvebant: eis tamen

men solvere tenentur de bonis patrimonialibus, & similibus. *C.* 2. *b. t. l.* 2. *tit.* 20. *p.* 1. *l.* 2. *tit.* 5 *lib.* 1. *R. C.* ubi dicitur, quod Episcopi, & alij Clerici tenentur de bonis patrimonialibus decimas solvere: quin, etiam & Religiosi, eorumque Monasteria de Jure Communi decimas solvere tenentur. *C.* 3. *c.* 4. *c.* 10. *b. t. C.* 2. *eod. in* 6. *l.* 2. *tit.* 20. *p.* 1. Quæ quidem solvendæ sunt Parocho, in cujus Parochia sita sunt eorum prædia: non tamen tenentur Religiosi decimas solvere de prædijs, & terris ante Lateranense Concilium adquisitis, si ea proprijs sumpribus, & manibus excolant, prout habetur *in C.* 34. *b. t. l.* 4. *tit.* 20. *p.* 1. à pauperibus quidem ferè nunquam exiguntur decimæ: ipsi tamen, si non integrè, solvant, quod possint. L. 25. *tit.* 20. *p.* 1, Indi Limenses ex fructibus, qui vocantur *de Castilla* unum ex decem, ex his autem qui vocantur *de la tierra* unum ex viginti solvunt. Principales, qui dicuntur *Caciques*, & alij, qui tributa non solvunt, decimas profectò solvere tenentur. Commendatarij Indorum debent decimas solvere de speciebus, quas pro tributis Indorum accipiunt. L. 12. *tit.* 16. *lib.* 1. *R. Ind.* in his Insulis Indi non solvunt decimas, nisi in modica quantitate, simul cum tributo, quod certè fatis leve est. Alij Indi à solutione decimarum exempti sunt. *Alloz. in Sum.* V. *Ind. sect.* 4. & hæc varietas in varijs inducta Provincijs absque novitate servari debet. L. 13. *t.* 16. *lib.* 1. *R. Ind.*

282 Obligatio decimas persolvendi non est adeo inviolabilis, ut nullus ab ea excusari valeat: possunt equidem plures ab hoc onere eximi. Et 1. per privilegium, quod quidem concedere potest, non quidem Princeps Sæcularis, cum hujusmodi causa spiritualis, & fori Ecclesiastici sit. *C.* 25. *b. t.* illud autem concedere valet Romanus Pontifex, & quidem solus, cum de Jure Communi debitæ sint, in quo solus Romanus Pontifex dispensare potest: quia ipse solus est supra Jus Commune Ecclesiasticum, ut illius Legislator Supremus. *C.* 4. *de Concess. præb.* sic a varijs Pontificibus variæ Religiones ab obligatione decimas solvendi fuerunt exemptæ, quinimò, & Laici possunt à decimarum solutione ex privilegio Pontificio eximi. L. 23. *tit.* 20. *p.* 1. sed quia hodie ob continuum clamorem Episcoporum, & Capitulorum Cathedralium multum variarum est circa privilegia non solvendi decimas debet in hoc accuratè attendi, quid privilegio, vel consuetudine, vel partium compositione servetur. Et cum hujusmodi privilegium sit in præjudicium tertij, & contra Jus Commune strictæ interpretationis est: nec debet extendi nisi ad ea, quæ in sensu communi verborum comprehenduntur: minimè vero ultra verborum proprietatem. Hinc est, quod privilegium decimarum ad decimas novalium extendatur. *C.* 12. *b. t.* & prædiorum, quæ post privilegium adquiruntur. *C.* 22. *de Privileg.* cum talia prædia in significatione propria comprehendant etiam novalia, & de novo adquisita. Si vero tale privilegium esset valdè damnosum Ecclesiæ; quia Ministri congrua carerent sustentatione ab Episcopo, quoad excessum corrigi posset, ita ut Ministris congrua relinquatur sustentatio. *C.* 2. §. *Ubi autem*, *b. t. in* 6. imo si in grave damnum personatum, quibus decimæ essent solvendæ, privilegium cedat, hoc amittitur, quasi sub hac conditione concessum. *C.* 9. *b. t.* item privilegium non solvendi decimas per compositionem partium limitatur, vel tollitur. *C.* 8. *c.* 9. *c.* 34. *b. t.* Item amittitur renuntiatione, eo videlicet, non utendo triginta annis: hoc est decimas solvendo. *C.* 6. *de Privileg.* vel etiam per non usum, per modum præscriptionis. Et tunc contra Ecclesiam præscribitur quadraginta annis. *C.* 15. *de Privileg.* 2. potest quis, etiam Laicus à decimis solvendis omninò liberari per consuetudinem contrariam, si aliunde Ministri congruam habeant sustentationem: secus, si ea careant, nec habeant unde alantur: quippè decimæ sunt Juris Naturalis, quatenus ad congruam Ministrorum sustentationem sunt necessariæ. Et sic defacto per consuetudinem ferè omninò sublatæ sunt decimæ personales, & in pluribus locis diminutæ sunt decimæ reales: quin ex hoc alijs decimas persolventibus aliqua irrogetur injuria. Nam nullus ultra decimam obligatur, etsi alij excusentur. Si hæc consuetudo sit inducta per modum conniventiæ, tolerante scilicèt Romano Pontifice, vel alijs, quorum interest, sufficiunt tot actus contrarij, & tempus, ut præsumatur notitia, & consensus eorum, quorum interest. Si per modum præscriptionis inducatur, quadraginta annis hæc immunitas adversus Ecclesiam præscribitur. *C.* 4. *c.* 6. *de Præscription.*

283 Potest immunitas à solutione decimarum præscribi à Communitatibus, & personis particularibus, etiam à Laicis;

nam licet jus percipiendi decimas nequeat à Laicis possideri: quia est jus spirituale: secus immunitas, seu exemptio, quæ nihil spirituale continet: sed tantum commoditatem temporalem, sive libertatem ab onere decimatum, quæ sua natura fundo adhæret. Et quidem si contra privatum hæc immunitas præscribatur, decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes talis præscriptio completur. Si adversus Ecclesiam, non Parochialem quadraginta annis, etiam sine titulo. *C. 4. c.6. de Præscription.* si adversus Parochum, vel Ecclesiam Parochialem, quæ in jure habet fundatam intentionem, præscribitur immunitas quadraginta annis cum titulo, vel tempore immemoriali sine eo. *C. 1. de Præscription. in 6.* sed etiam post consuetudinem non solvendi decimas, & præscriptionem immunitatis completam adhuc potest Pontifex, ut Supremus Legislator, secus Prælatus inferior, de novo imponere decimas solvendi obligationem. 4. Transactione, & amicabili compositione partium possunt remitti decimæ præteritæ: futuræ vero ad tempus triennio longius non possunt remitti sine Episcopi authoritate juxta *Extrav. Ambitiosæ, de Reb. Eccl. int. com.* ut tamen transactio ultra transigentis vitam, vel in perpetuum valeat, est necessaria authoritas Apostolica. *C. 8. de Transaction.* Olim autem antequam Parochiæ essent divisæ, decimæ colligebantur ab Episcopo, & in Clericos Diœcesis pro meritis distribuebantur. *C.1. c. 3. 16. q. 7.* post Parochiarum tamen divisionem, Parochi habent intentionem fundatam pro decimis, etiam contra Episcopum, cui proinde incumbit probare, ad ipsum integras decimas pertinere, vel privilegio Pontificis, vel præscriptione, vel alio modo. *C. 13. c. 29. h. t. L. 7. tit. 20. p. 1.* Ex decimis tamen Parocho solutis deducitur quarta pars Episcopo, ubi non datur contraria consuetudo. *C. 16. de Offic. Ordin. C. 13. h. t.* sicut in Lege veteri Levitæ ex decimis perceptis à populo decimam Sacerdotibus solvebant. *2. Esdr. 10. v. 38.* Decimæ personales, ubi adhuc est consuetudo eas solvendi, debentur Parocho, à quo quis ex obligatione percipit Sacramenta, aliaque spiritualia. *C. 20. h. t. L. 11. tit. 20. p. 1.* ubi additur. *Acostumbraron los Reyes de España de luengo tiempo acà de dàr estos diezmos à sus Capellanes, porque dellos oyen las horas, è resciben los Sacramentos, mas que de otros Clerigos,* prædiales verò solvuntur illi Parochiæ, intra cujus fines sita sunt prædia, etiamsi Dominus alibi habitet. *C. 18. c. 20. c. 29. h. t. L. 8. tit. 20. p. 1.* ibi: *E maguer los omes ayan heredades à muchas partes, cada uno dellos es tenudo de dàr el diezmo en aquella Eglesia, en cuyo termino ha la heredad.* Ubique tamen consuetudo legitimè introducta circa decimationem servari debet. *L. 8. tit. 20. p. 1.*

284 Decimæ animalium debentur illi Parochiæ, in cujus territorio pecora pascunt. *L. 9. tit. 20. p. 1. L. 7. tit. 16. lib. 1. R. Ind.* Si in duarum Parochiarum territorio pascant dividuntur decimæ. *D. Thom. 2. 2. q. 87. art. 3. ad 2.* Si de die in uno Episcopatu pascant, & nocte in alio dormiant, decimæ etiam dividuntur. Ex partu pecorum in transitu non debetur decima illi Ecclesiæ, ubi pecora pariunt, nisi ibidem saltem per mensem manserint: quæ omnia intelliguntur cessante fraude pastorum. *L. 9. tit. 20. p. 1.* Prætereà decimæ prædiales integrè sunt solvendæ, non deductis semine, censu, vel sumptibus: nam ex fructibus terræ debent ejusmodi decimæ solvi: & fructus consideratur quidquid terra producit. *C. 7. c. 21. c. 22. c. 26. h. t. L. 13. l. 14. tit. 20. p. 1.* & sanè statim ac fructus percepti sunt, decimæ debent solvi. *C. 7. h. t. l. 17. tit. 20. p. 1.* ac proindè dies interpellat pro homine, consequenterque decimas debens, patietur casum fortuitum, si fuit in mora solvendi. Si verò Parochus fuit in mora eas colligendi, ipse casum patietur: in quo debet attendi locorum consuetudo. *L. 17. tit. 20. p. 1. & ibid. Greg. Lop.* In decimis verò personalibus expensæ deducuntur. *C. 28. h. t.* Siquidem debentur ex lucro, quod tantum consideratur id, quod deductis expensis, remanet: nam principale jam decimas solverat. *L. 15. tit. 20. p. 1.* Deindè prædictæ decimæ solvuntur sub finem anni, ut alia tributa, si aliud non habeat consuetudo. *L. 17. tit. 20. p. 1. & ibid. Greg. Lop.* Episcopi, & Parochi non tenentur decimas personales solvere: Imò decimæ personales ubique ferè in desuetudinem abierunt, ut notat *Greg. Lop. in l. 1. tit. 20. p. 1. V. Personal.* Et in nostra Hispania varijs pragmaticis est jussum, ne aliqua intentetur novitas circa petitionem talium decimarum, ubi viget consuetudo eas non solvendi: ac propterea erit abrogata. *L. 17. tit. 20. p. 1.* ubi videtur contrarium decisum. Aliter tamen respondet *Greg. Lop. ibid.* quin, & in *L. 20. tit. 16. lib. 1. R. Ind.* dicitur, quod in Indijs non debentur decimæ personales, quia in Diœcesi Hispalensi non solvuntur. Deci-

mæ ergo solvendæ sunt ubi res fructifera sita est, sicut usussfructus: nec solvens tenetur suis expensis in domum Parochi eas deferre: imò si ob ejus moram, postquam monitus est, aliquod detrimentum fructus patiantur, hoc suæ negligentiæ Parochus debet imputare, & sic pro Indijs statutum est. *In L. 10. tit. 16. lib. 1. R. Ind.* In nostra Hispania decretum est, quod decimæ solvantur, & recipiantur tempore, & loco solitis. *L. 4. tit. 5. lib. 1. R. C.* Decimæ quidem licet non sint necessario solvendæ de melioribus fructibus, non tamen sunt de deterioribus, sed saltem de mediocribus solvendæ. *Lev. C. fin. v. 33. c. 4. c. 5. 16. q. 7. l. 18. tit. 20. p. 1.* ubi additur, quod potest partus pecorum ita decimari, ut agnis in ovili inclusis, qui decimus exierit pro decima solvatur. In ordine quidem ad decimas *Novale* dicitur *ager de novo ad culturam redactus, de quo memoria non extat, quod cultus fuerit aliquando. C. 21. de V. S. l. 4. tit. 20. p. 1.* decimæ autem Novalium pertinent ad Parochiam, intra cujus fines sunt Novalia. *C. 13. b. t.* quod si intra nullius Parochiæ terminos sint, eorum decimæ pertinent ad Episcopum: qui alteri Ecclesiæ, vel suis usibus eas applicare valet. *C. 13. b. t.* Si aliquis privilegium habeat, ut de novalibus suis nullas decimas solvat, semper in illis prædijs, quæ semel fuerunt novalia conservat privilegium. *C. fin. de Privileg.* Privilegium quidem concessum absolute alicui de non solvendo decimas ex suis prædijs extenditur ad novalia exculta post privilegium, cum hujusmodi novalia verè, & propriè nomine prædiorum comprehendantur. *C. 10. c. 12. c. 27. b. t.* secus est de privilegio affirmativo concesso Religiosis, vel Laicis, vel alijs personis Ecclesiasticis, ut possint percipere decimas ex prædijs de jure ad Parochiam pertinentibus: quod quidem non extenditur ad decimas novalium, quæ intra terminos talis Parochiæ post privilegij concessionem excoluntur: nisi talium decimarum expressa mentio fiat in privilegio. *C. 2. b. t. in 6.* quod ita est ob majorem universalitatem, quam habet negatio præ affirmatione, & præcipuè ob majus Ecclesiæ Parochialis præjudicium. Privilegium Apostolicum, quod plerisque conceditur, ut novalium decimas pro ea portione percipere valeant, qua veteres eas contingunt, ad illas novalium decimas, quas tempore illo, quo impetratum, vel obtentum extitit hoc indultum, alij possidebant, cum de hoc in ipso nulla mentio fiat, nullatenùs se extendit, nec ad alias nisi in his tantum locis, ubi veteres tunc, quando dictum indultum impetratum fuit habebant, & pro ea solum portione, qua ipsi tempore impetrationis hujusmodi percipiebant antiquas. Et tale privilegium casu, quo decimæ antiquæ ab aliquo percipiuntur, concessum ad percipiendas decimas novalium, non extenditur ultra medietatem decimarum, quamvis integre percipiat decimas antiquas, ne magnum inferatur præjudicium alijs Ecclesijs, quibus de jure decimæ debentur. *C. 2. b. t. in 6. Barbos. in C. 27. b. t.*

285 Parochus, si ipsi decimæ non solvantur, eas petit, si agat petitorio super jure decimandi, ad quem, scilcèt, pertineat, coram Judice Ecclesiastico, cum ad ipsum privativè spectet de causis spiritualibus, & spiritualibus annexis cognoscere. *C. 2. c. 3. de Judic.* & talis est causa de jure decimandi. *C. 15. c. 25. b. t.* quod si lis moveatur contra Laicum (secus contra Clericum) super possessorio decimarum, ita ut nulla misceatur juris causa, poterit ejusmodi lis agitari, coram Judice Ecclesiastico, vel Sæculari: tunc enim est mixti fori, cum de solo facto cognoscendum sit: sicut Judex Laicus potest adiri, ut compellat jurantem, juramentum adimplere. Ex privilegio tamen Apostolico poterit Laicus etiam de jure decimarum cognoscere. Debens quidem, & non solvens decimas certè peccatum grave committit, si gravis est materia. *C. 17. b. t.* peccat enim contra virtutem Religionis, & justitiæ, cum decimæ debeantur, tum ex religione in recognitionem Divini dominij: tum ex justitia, cum ex eis Ministri Ecclesiæ alantur, quibus, ut operarijs ex justitia merces debetur. Hinc non solventes decimas excommunicari possunt. *C. 5. c. 21. b. t. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 12.* Sepultura Ecclesiastica privantur. *C. 19. b. t.* Et in *Cl. 1. eod.* imponitur suspensio à beneficijs, vel excommunicatio Religiosis, qui decimas, quas debent solvere nolunt, vel alios solvere impediunt.

286 Jus decimas percipiendi varijs modis adquiritur. 1. per collationem beneficij curati, cui jus decimandi annexum est. 2. per privilegium Romani Pontificis, qui ex suprema potestate, qua in Jure Ecclesiastico gaudet, etiam Laicis jus decimandi concedere valet. *C. 24. b. t. L. 23. tit. 20. p. 1.* ibi: *E aun puedeles otorgar, que tomen diezmo de algunas Eglesias por tiem-*

tiempo señalado, ò por siempre, segun lo toviere por bien. In nostra Hispania habent nostri Reges jus quoddam in decimis Ecclesiasticis ex concessione Summorum Pontificum, quod *Hispanè*: *Tertias* dicimus. In quibus adeo fundatam intentionem habent contra Prælatos, ut his incumbat probare, se habere titulum, vel præscriptionem immemorialem ad *tertias*; aliter Regi solvuntur. *L.* 1. *tit.* 21. *lib.* 1. *R.C.* In Indijs autem habuerunt nostri Reges ex concessione Apostolica omnes decimas integras. *L.* 1. *tit.* 16. *lib.* 1. *R. Ind.* sed posteà eas Ecclesijs cesserunt, sibi tantum *tertias*, seu duas nonas partes reservando. Hæ siquidem tertiæ sic deducuntur. Omnes enim decimæ rediguntur ad unum cumulum: hic cumulus in quatuor dividitur partes: prima Episcopo defertur. 2. Capitulo. Cumulus restans rursus dividitur in novem partes; duæ cedunt Regi, & hæ dicuntur, *Hispanè*: *Tertias, y Novenos.* Ex septem restantibus tres applicantur fabricæ Cathedralis, & Hospitalibus, aliæ quatuor Parochis dantur. *L.* 23. *tit.* 16. *lib.* 1. *R. Ind. Solorz. Polit. Ind. lib.* 4. *cap.* 4. *f.* 521. Decimas vero auri, argenti, gemmarum, & aliorum Minetalium integra sibi nostri Reges reservarunt. *L.* 14. *tit.* 16. *lib.* 1. *R. Ind.* Cum ergo ex concessione Pontificia decimæ fuissent nostris Regibus concessæ, Regiæ ipsæ, & Sæculares factæ sunt, & inter Regalia computatæ, ac proinde hac qualitate censentur affectæ, etiamsi iterum Ecclesijs sint concessæ: siquidem, ut Regiæ donationes considerantur. Et ideò ipsi Reges, ejusque Senatores de his causis cognoscunt inter quascumque personas lis moveatur circa decimas. Et licet plures Doctores adhuc reclament, teneantque judicium decimarum ad Ecclesiam spectare, tamen contrarium saltem in praxi obtinuit. *Solorz. de Jur. Ind. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *Et. Polit. Ind. lib.* 4. *cap.* 1. *fol.* 502. 3. per præscriptionem adquiritur jus decimandi. Et quidem si sit contra Ecclesiam non privilegiatam, etiamsi præscribat Parochia, quadraginta annis indiget. *C.* 4. *c.* 6. *de Præscr. ption.* sed cum Parochia jus assistat, non quidem indiget titulo; secus est, si alia Ecclesia, cui jus non assistit præscribat. Si contra Ecclesiam Romanam præscribatur, centum anni necessarij sunt. Contra personas privatas decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes cum titulo, & triginta annis sine titulo decimæ præscribuntur; *arg. L.* 4. *& fin. C. de Long. tempor. præscript.* Qui jus decimandi in aliqua Parochia præscripsit, non censetur novalium decimas præscripsisse. *C.* 29. *h. t.* nisi ostendat, eas ad se ex justa causa pertinere. Laici autem non possunt jus decimandi adversus Ecclesiam, nequidem tempore immemoriali, præscribere, cum sint incapaces tale jus, quod quidem spirituale est, sine privilegio Apostolico possidendi. *C.* 7. *de Præscript. L.* 22. *tit.* 20. *p.* 1. si vero jus decimandi ex privilegio Apostolico perpetuò, & irrevocabiliter alicui Laico concessum sit, cum jam à titulo spirituali sit separatum, & inter bona Laici computetur, potest adversus illum Laicum ab alio Laico tale jus præscribi. 4. Laicus, qui justo titulo decimas possidet, potest cuilibet loco Religioso illud jus donare, etiam sine consensu Episcopi. *L.* 24. *tit.* 20. *p.* 1. Imò & alij Laico saltem ex consuetudine. *Greg. Lop. in l.* 22. *tit.* 20. *p.* 1. Si tamen injuste possideat, non potest donare, sed tale jus ab eo debet auferri, & restitui Ecclesiæ, cui debetur. *C.* 7. *de His, quæ fiunt à Prælat.* quod si Laicus non possint ad hoc induci, tunc potest alteri Ecclesiæ, vel loco Religioso de consensu Episcopi donare. 5. jus decimandi ex justa causa, & adhibitis solemnitatibus ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitis, potest vendi, non quidem Laicis, sed Ecclesiæ. Sed tale jus debet esse separatum à titulo spirituali: aliàs committitur simonia. *C.* 1. 16. *q.* 7. *c.* 15. *c.* 17. *c.* 19. *h. t.* 6. Hoc jus adquiritur permutatione decimarum unius Ecclesiæ cum alterius Ecclesiæ decimis. *C.* 6. *de Rerum permutat.* Et quidem cum debitis facta solemnitatibus. *C.* 5. *de Rebus Eccles.* 7. transactione, & amicabili compositione. *C.* 2. *c.* 8. *de Transaction.* de decimis autem præteritis, cum tantum fructus temporales sint, potest fieri transactio, etiam cum Laicis, & sine Episcopi consensu. Si de futuris transactio facienda sit, cum sint Clericorum alimenta, debet fieri cum causæ cognitione, & insuper adesse debet Episcopi licentia. Si cum Clericis fit transactio: vel Pontificis consensus, si cum Laicis fiat; *arg. L.* 8. *ff. de Transaction.* 8. Decimæ de consensu Pontificis Laicis possunt infeudari. In feudatario verò aliter facta est ipso jure irrita. *C.* 1. 16. *q.* 7. *c.* 17. *c.* 19. *h. t.* De quibus latè agitur *in tot. tit.* 20. *p.* 1. alijsque nostri juris locis.

287 *Primitiæ*, de quibus agitur in secunda Rubricæ parte, *sunt primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, primogenita animalium, & alia hujusmodi. Exod.* 23. *v.* 19.

*v.19. Num.*18. *v.*13. *L.*1. *tit.*19. *p.*1. Deo enim hæ primitiæ solvuntur in gratiarum actionem pro primis fructibus. Et in Lege veteri Divinum præceptum de eis solvendis extabat. *Exod.*23. *Num.*18. *Deuter.*18. sed hoc præceptum, ut cætera Legis veteris, morte Christi Domini expiravit. Lege tamen Ecclesiastica suscitatum fuit. *C. 6. D. 32. c. 65. 16. q. 1. c. 1. 16. q. 7. c. 1. h. t. L. 2. tit. 19. p. 1.* ubi dicitur, quod non solum de fructibus, & animalibus primitias Deo dare debemus, sed etiam de diebus, quibus vivimus, & hac de causa jejunamus in quatuor anni temporibus. Et licet in Lege veteri non constaret quantum nomine primitiarum daretur, tamen juxta *D. Hieronym.* de quadraginta quidam, alij de sexaginta, unum solvebant: & ideò fuit antiquitus institutum, ut plus petentes non audirentur. *C. 1. h. t. L. 3. tit. 19. p. 1.* Primitiæ in Indijs debent solvi eodem modo, ac in Hispalensi Diœcesi. *L. 21. tit. 16. lib. 1. R. Ind.* sed jam ferè generali consuetudine primitiæ sunt abrogatæ, ut notat *Machad. in Sum. lib. 2. p. 4. tr.* 10. Aliquando tamen ex devotione fidelium solvuntur: & tunc debent exhiberi Parocho illius Ecclesiæ, intra cujus fines sita sunt prædia, quæ tales produxerunt fructus, cum hoc onus reale sit ipsis prædijs affixum. *C. 21. 16. q. 1. L. 5. tit. 19. p. 1.*

288 Jam ad *Oblationes*, de quibus in tertia parte Rubricæ agitur accedamus. *Oblationes* siquidem *in genere etiam decimas, & primitias* comprehendunt, tamen prout ab eis distinctæ, ut in præsenti sumuntur, *sunt illa dona, quæ à fidelibus ad altare Deo, & sanctis offeruntur Religionis intuitu.* Oblationes enim sua natura spontaneæ sunt: juxta illud *Exod. 25. v. 2. Ab omni homine, qui offeret ultroneus, accipietis eas. C. 69. de Consf. D. 1. L. 8. tit. 19. p.* 1. Hinc est, quod nullo jure fideles eas facere obligentur, nisi fortè voto, vel promissione se obligassent; vel si Ministri aliundè non haberent congruam sustentationem: vel si populi consuetudine, vel præscriptione Parochorum hæc obligatio sit imposita. Et in his casibus sunt intelligendi. *Text. in C. 55. 16. q. 1. L. 7. l. 9. tit. 19. p. 1. & alij*, ubi de præcepto esse videntur. *D. Thom. 2. 2. q. 86. art. 1. in corp. Gonz. in C. 13. de V. S. n. 2.* & hac ratione Pontifex *in C. 42. de Simon.* præcipit servare pias, & laudabiles consuetudines: at verò generaliter non debentur tales oblationes in Lege Gratiæ: licet in Lege Veteri deberentur, juxta illud *Exod.* 23. *v.* 15. *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Et licet hæc verba referantur *in C. 69. de Consf. D.* 1. non afferuntur, ut præceptum, sed per modum consilij. *Gonz. in C. 13. de V. S. n. 2.* Offerre equidem munera ad altare possunt omnes fideles baptizati, si non sunt excommunicati, nec separati ab Ecclesiâ, nec Hæretici: quia talis oblatio, ejusque acceptatio est quædam communicatio Ecclesiastica, quæ excommunicatis prohibetur. Sicque Ecclesia ad vitandum scandalum non recipit oblationes à manifestis usurarijs, à raptoribus, à pauperum oppressoribus, à sacrilegis, à meretricibus publicis, a rebaptizatis, vel qui suos infantes rebaptizari curarunt, nec ab eis, qui per extractionem reorum ex Sacro asylo immunitatem Ecclesiæ violarunt. Nec ab alijs hujusmodi: nec item ex rebus, quæ injustè sunt adquisitæ, vel alij ex obligatione, vel ex charitate, vel ex pietate debentur: ne Ecclesia cum talibus hominibus communicare videatur, vel res male adquisitas, vel alij debitas accipere. *L. fin. tit. 19. p. 1. ubi Gregor. Lop.* affert textus Canonicos concordantes. Oblationes quidem factæ in Ecclesia Parochiali alicui Capellæ illius, vel altari, vel in Oratorio, vel Capella intra fines illius Parochiæ sita, vel ad imaginem in pariete pictam, etiam alicujus domus privata, vel etiam factæ Sacerdoti in tali Parochia celebranti, ad Parochum pertinent. *L. 6. tit. 19. part. 1. & ibid. Gregor. Lop.* nisi aliud de offerentium constet voluntate (quæ omninò servanda est) vel etiam ex consuetudine. Sic non ad Parochum, sed ad Sacerdotem, novam Missam celebrantem, pertinent ea, quæ in nova Missa offeruntur. Et quæ alicui Imagini, Altari, vel Sacello, etiam domus privatæ, offeruntur, ibi sunt relinquenda, si voluntas offerentis credatur esse, quod in ejus honorem, & cultum insumantur. Oblationes, quæ in Ecclesijs Regularium fiunt, non Parocho, sed Monasterio, ex privilegio, adquiruntur. Laici tamen sunt incapaces, nisi ex Privilegio Pontificio, juris oblationes percipiendi, utpotè spiritualis. *C.17. h. t.* Denique oblationes sunt convertendæ in usus ab offerentibus designatos. *Cl. 2. de Religiof. domib.* quod si nullus est designatus in cultum Ecclesiæ, ornamenta, & fabricam: vel si eis Ecclesiæ non indigeat, converti debent in bonum publicum, & commune ipsius Ecclesiæ: quæ quidem conversio non solum authoritate Pontificis. *Cl. 2. de Religiof. domib.* sed etiam Episco-

23. v.q pi

pi fieri poteſt. *Trid. ſeſſ. 22. de Ref. cap. 6.* non tamen authoritate Magiſtratus Sæcularis, quæ ad res ſpirituales, finem ſupernaturalem reſpicientes, non extenditur. *C. 7. c. 10. de Conſtitution.*

TIT. XXXI.

De Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem.

289 D. *Hieronymus in C. Duo ſunt, 7. 12. q. 1.* Cætum Chriſtianorum in duas partes diviſit: In Clericos, ſcilicèt, & Laicos, nomine generali Clericorum Religioſos comprehendens, prout hi à Laicis, id eſt, Sæcularibus contradiſtinguuntur. Idem fecit *Rex noſter Alfonſus in princip. tit. 7. p. 1.* ibi: *E eſtos à tales ſon llamados Religioſos, porque cada uno de ellos han reglas ciertas, porque han de vivir, ſegun el ordenamiento que ovieren de Santa Egleſia en el comienzo de ſu Religion, é por ende ſon contados en la Orden de la Clerecia.* Et in *L. 1. ejuſd. tit.* dicit, quod appellantur *Religioſi*, quaſi *religati*: quia ſe ipſos obedientiæ voto ligant. In præſenti ergo Religio ſumitur pro *ſtatu Religioſo*, hoc eſt, *pro quodam ſtabili vivendi modo in communi, quo fideles votis emiſsis paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ ad Chriſtianam tendunt perfectionem, juxta ſtatuta approbata ab Eccleſia.* Aliquando etiam in latiori ſignificatione *Religio* ſignificat *omnium fidelium Congregationem.* Aliquando *preſsius* ſumitur *pro virtute, qua cultus Deo debitus exhibetur.* In Jure vero Civili *Religioſum* dicimus *locum, in quo aliquis homo ſepelitur. §. 9. Inſt. de Rerum diviſ. Regulares* appellantur Religioſi, quia juxta *regulas vivunt.* Ad Religionis eſſentiam varia requiruntur. 1. Obſervatio trium Conſiliorum Evangelij, caſtitatis videlicèt, paupertatis, & obedientiæ. *C. 6. in fin. de Stat. Monach. C. 22. h. t. l. 2. tit. 7. p. 1.* nam in his conſiſtit perfectio juxta illud Chriſti Domini apud *Matth. 19. v. 21. Si vis perfectus eſſe, &c.* ad perfectionem igitur aſſequendam debent Religioſi ex ſuo ſtatu aſpirare: & licet ſit neceſſarium, quod quælibet Religio tribus, prædictis conſtet votis, tamen plures ſunt Religiones, quæ quartum votum peculiare inſuper addunt, ut Mercenarij, Minimi, & noſtræ Societatis Profeſsi. Præter dictos Religioſos, votis Religionis ligatos, ſolent admitti tàm in Monaſterijs virorum, quàm fœminarum quidam Fratres, qui habitum Religionis cum aliqua levi immutatione induunt, ſed nulla emittunt vota, & nuncupantur *oblati*, ſeu *commiſſi Hiſpanè*, dicimus: *Donadas.* Hi enim Religioſi non ſunt, cum nullis votis adſtringantur, habentur tamen pro perſonis Eccleſiaſticis, quoad privilegium Canonis. *Machad. in Sum. lib. 5. p. 4. tr. 3. Ponce de Matrim. lib. 9. cap. 8. n. fin. Converſi tamen, Hiſpanè: Legos*, verè Religioſi ſunt, cum verè vota emittant. Sed quia hæc nomina converſorum, & oblatorum non eodem modo in omnibus Religionibus accipiuntur, de ipſis juxta cujuſque vocabularium philoſophandum erit *Vid. Caramuel in Theolog. Regul. Ponce, & alios.* 2. Ad Religionem eſt neceſſarium, quod obſervatio talium Conſiliorum perpetua voti obligatione firmetur. *L. 2. tit. 7. p. 1. D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 6.* quia ſtatus dicit perpetuitatem, & regularitèr ex parte utriuſque, tàm ſcilicèt Religionis, quàm voventis; *arg. C. fin. h. t. l. 3. tit. 7. p. 1.* vel ſaltem ex parte voventis, licet Religio non habeat abſolutam obligationem Religioſum perpetuò retinendi: ac proindè vota ſolemnia non ſunt de eſſentia Religionis, ut patet in emittentibus vota in noſtra Societate poſt biennium, qui verè Religioſi ſunt, quin vota emittant ſolemnia, & quin obligatio ſit mutua: quia licet ipſi non poſſint deſerere Religionem, tamen à Religione poſſunt utique dimitti, juſta cauſa hoc ſuadente: ut declaratum eſt à *Julio III. Gregor. XIV.* & afferunt latius *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 14. n. 12. Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 1. n. 26. & alij.* Nec ipſis fit in hac dimiſsione injuria, cum ab ipſis hoc pactum in ingreſſu acceptetur, & contractus à voluntate contrahentium Legem accipiant. *L. 23. ff. de Regul. jur.* & ſcienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus. *C. 27. de Reg. jur. in 6. Gonz. in C. 9. h. t. n. 6.* ubi notat, quod olim non ſtatim ac vota emittebantur in Religionibus antiquis, oriebatur mutua obligatio ex parte utriuſque, ſed aliæ, & aliæ probationes, ſicut in noſtra Societate, fiebant. 3. Requiritur, quod hæc vota emittantur in aliqua Religione, neceſſario, ut tali approbata. *L. 2. tit. 7. p. 1.* nec ſufficit, quod modus vivendi approbetur, ut pius. Et quidem ante Concilium Lateranenſe. Epiſcopo authoritas ad Religiones approbandas ſufficiebat. *C. 10. c. 16. 18. q. 2.* & ſic approbatæ fuerunt Religiones SS. Baſilij, Auguſtini, & Benedicti, ut probat *Ponce de Matrim. lib. 7. cap. 11. n. 4.* ſed

poſt

postea ob gravitatem materiæ Summo Pontifici est reservata Religionum approbatio, *C. fin. de Religios. domib. C. un. eod. in 6.* 4. Requiritur ad Religionem, quod talis Religiosus sub alicujus superioris Ecclesiastici jurisdictione constituatur, qui quidem per se, vel per alium talia vota acceptet; possitque talem Religiosum ad regulam, & disciplinam regularem observandam cogere, & potestatem clavium in ipsum exercere. *C.13. b. t. l.2. tit. 7. p. 1.* nec tamen ex natura status Religiosi requiritur vita communis: nam antiquitus Religiosi erant Anachoretæ, & etiam aliquæ virgines, & viduæ Religionis statum profitebantur, quin vitam agerent communem. Hæc namque non est necessaria ad vitæ perfectionem, quæ quidem in observatione votorum consistit: Nec item requiritur ad statum constituendum, qui sanè consistit in vitæ stabilitate firmata per votorum emissionem. Hodie tamen omnes Religiones vitam communem profitentur. *L. 1. tit. 7. p. 1. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 4.*

290 Audiamus Divum Thomam optimè, pro suo more, hæc declarantem. 2. 2. *q. 186. art. 7. in corp. Religionis status consideratur secundum, quod est quoadam holocaustum, per quod aliquis totaliter se, & sua offert Deo, & secundum hoc ex his tribus votis integratur Religionis status. Primò enim quantum ad exercitium perfectionis requiritur; quod aliquis à se removeat illa, per quæ posset impediri, ne totaliter ejus affectus tendat in Deum, in quo consistit perfectio charitatis. Hujusmodi autem sunt tria. 1. quidem cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis. Secundum autem est concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes venereæ, quæ excluduntur per votum continentiæ. Tertium autem est inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ. Similiter autem solicitudinis Sæcularis inquietudo præcipuè ingeritur homini circa tria. 1. quidem circa dispensationem exteriorum rerum: & hæc solicitudo per votum paupertatis homini aufertur. 2. circa gubernationem uxoris, & filiorum: quæ amputatur per votum continentiæ. 3. circa dispositionem propriorum actuum: quæ amputatur per votum obedientiæ, quo aliquis se alterius dispositioni committit. Similiter, & holocaustum est cum aliquis bonum, quod habet, offert Deo, ut Greg. dicit super Ezechiel: habet autem homo triplex bonum; secundum Philosoph. 1. Ethic. Primo quidem exteriorum rerum, quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntariæ paupertatis. Secundo autem bonum proprij corporis, quod aliquis præcipuè offert Deo per votum continentiæ, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis. Tertium autem bonum est animæ, quod aliquis totaliter Deo offert, per obedientiam, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentijs, & habitibus animæ; & ideò convenienter ex tribus votis status Religionis integratur.* Et 2. 2. *q. 186. art. 6. in corp.* ait: *Dicendum, quod ad Religiosos pertinet, quod sint in statu perfectionis: ad statum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea, quæ sunt perfectionis; quæ quidem Deo fit per votum: manifestum est autem, quod ad perfectionem Christianæ vitæ pertinet paupertas, continentia, & obedientia; & ideò Religionis status requirit, ut ad hæc tria aliquis voto obligetur.*

291 Status quidem religiosus, quoad substantiam; & tria consilia Evangelica institutus est à Christo Domino in Lege Gratiæ, atque ita potest dici, esse de Jure Divino, non quidem præcipiente, sed tantum consulente. Nam 1. votum Obedientiæ ab ipso consultum fuisse, quando dixit apud *Matth. 16. v. 24. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* 2. votum Castitatis constat ex eo, quod dixit apud eundem, *cap. 19. v. 12. Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum:* & de voto Paupertatis paulo inferius constat *v. 21.* quando dixit: *Si vis perfectus esse vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo.* At vero quoad modum peculiarem, & regulam vivendi, Juris sanè Ecclesiastici est Religiosus status, & quidem adeò pendet ab Ecclesiæ approbatione Religionum institutio, ut sine ea nullus ordo Religiosus subsistat. *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3.* & est omnium Catholicorum sententia, teste *Suar. de Relig. t. 3. lib. 3. cap. 2.* Apostolos quidem verè Religiosos fuisse tribus prædictis votis adstrictos, docent *com. DD.* Religionisque statum vovisse, quando relictis omnibus secuti sunt Christum, *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 3. cap. 2. n. 8. Ponce de Matrim. lib. 7. cap. 2.* ubi hoc varijs Patrum testimonijs probant, & illustrant. Et hi fuerunt primi Legis Gratiæ Religiosi. Omnes certè Christiani debent tendere, unusquisque juxta suum statum, ad christianam perfectionem, quæ essentialis dicitur, & est simpliciter necessaria ad vitam

spi-

spiritualem animæ, juxta illud Christi Domini apud *Matt. 5. v. fin. Estote ergo vos perfecti*: nec aliter potest quis vitam æternam, & gloriam obtinere. Hæc enim perfectio consistit in mandatorum Legis observatione ex ipsius Christi testimonio, *Matth. 19. v. 17. Si vis ad vitam ingredi serva mandata*: & in talis Legis violatione stat animæ spiritualis mors, juxta illud: *Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem*. Sed ultra prædictam perfectionem omnibus Christianis communem, & necessariam datur alia perfectio, quæ est ad melius esse, & simpliciter appellatur *perfectio*: nam ultra præceptorum observationem, insuper addit observationem consiliorum Evangelij. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 1. cap. 10.* Religiones quidem sunt in triplici differentia. Nam aliæ profitentur *vitam activam*, quæ consistit in exercitio operum misericordiæ temporalium, & spiritualium, ut Religiones Militares, & Hospitalariæ. Aliæ *vitam contemplativam* profitentur, & ex suo instituto Divinæ contemplationi, & orationi vacant: ut Religiones Monasticæ SS. Basilij, Benedicti, Bernardi, Carthusianorum, &c. & hæc vita contemplativa est priori perfectior, juxta illud Christi Domini apud *Luc. 10. v. fin. Maria optimam partem elegit*. Aliæ denique profitentur *vitam mixtam*: quia utrique æqualitèr incumbunt, ut Religiones SS. Augustini, Dominici, Francisci, Societatis, & similes: & hæc est duabus prioribus perfectior. *D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 6. in corp.* ibi: *Sicut enim majus est illuminare, quam lucere Solem: ita majus est contemplata alijs tradere, quam solum contemplari: Sic ergo summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum: quæ propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum.* Præterea ex his Religionibus, aliæ sunt *Monachales*, aliæ *Clericales*, aliæ *Mendicantes*, aliæ *Hospitalariæ*, & *Militares* aliæ. *Monachales* sunt, quæ principalitèr vitam contemplativam, & solitariam profitentur. C. 4. c. 5. 16. q. 1. ubi dicitur: *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium. Si cupis esse, quod diceris, Monachus, id est, solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum.* Monachi etiam *Eremitæ* dicuntur, quia in Eremo degebant, licet Eremitæ propriè Monachi non essent. Nunc tamen in favorabilibus nomine Monachorum omnes Religiosi, etiam non Monachales continentur. *Clericales* sunt, quæ principalitèr ministerijs spiritualibus vacant, ut nostra Societas. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 16.* & aliæ. *Mendicantes* sunt, quæ vitam mixtam profitentes eleemosynis fidelium vivunt, & ex suo instituto possessionem immobilium excludunt. Tales sunt Religiones SS. Dominici, Francisci, Augustini, & Carmelitarum. *C. un. §. Sanè, de Religiof. domib. in 6.* Societas nostra, etiam quoad Scholasticos, & aliæ, ex diversorum Pontificum concessione. *Hospitalariæ* sunt, quæ primo ad hospitalitatis exercitium, peregrinos recipiendos, & infirmos curandos ordinantur, ut sunt Religiones S. Joannis de Deo, S. Hipoliti, & aliæ hujusmodi. Prætereà, conveniens est, aliquas Religiones instirui, quæ studio bonarum Artium, & Scientiarum vacent: quia studium illuminat, prodestque ad contemplandum, removetque errores, qui in contemplatione Divinorum frequentèr accidunt his, qui Scripturas ignorant. Deindè: studium est necessarium ad prædicandum, & alia hujusmodi exercenda: unde Apostolus dicit ad Titum de Episcopo, ad cujus officium hujusmodi actus pertinent: *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, contradicunt arguere.* Etiam studium litterarum Religioni congruit, quantum ad id, quod est omni Religioni commune: valet enim ad vitandam carnis lasciviam: unde & *Hieronym.* dicit ad Rusticum Monachum: *Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Sic *D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 5. in corp.* Et ipse *art. 3.* ait; *Potest officium militare ordinari ad subventionem proximorum, non solum quantum ad privatas personas, sed etiam quantum ad totius Reipublicæ defensionem: unde de Juda Machabæo 1. Machab. 3. dicitur: quod præliabat prælium Israel cum lætitia, & dilatavis Populo suo gloriam. Ordinari etiam potest ad conservationem Divini cultus: unde ibidem subditur, Judam dixisse: Nos pugnabimus pro animabus nostris, & Legibus nostris. Et infrà 13. dicit Simon: Vos scitis, quanta Ego, & fratres mei, & domus Patris mei fecimus pro Legibus, & Sanctis prælia. Unde convenientèr potest institui aliqua Religio ad militandum, non quidem propter aliquid mundanum, sed propter defensionem Divini cultus, & publicæ salutis, vel etiam pauperum, & oppressorum, secundum illud Psalmi 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Et sic in nostra Hispania instituti sunt Ordines Militares S. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ: quorum nostri Catolhici Reges ex concessione Pontificia sunt perpetui Magistri, aliæ,

aliæque plures Religiones Militares alibi sunt institutæ. In his igitur Religionibus summum gradum tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum: secundum verò, quæ ad contemplandum: tertium autem, quæ ad opus extrinsecum ordinantur. Et in singulis præeminent; quæ sunt ad altiorem actum in eodem genere; vel ad plura, vel quæ habent statuta convenientiora ad suum finem consequendum: non autem, quæ est arctior. Religio enim principalitèr est melior, cujus finis est potior, id est, ad majus, vel ad plura: secundario autem, quæ melius proportionatur fini. Religio autem tanto perfectior est secundum paupertatem; quanto habet eam magis proportionatam suo fini: adeò ut Religio ordinata ad actiones corporales esset imperfecta, si careret divitijs in communi. Religio solitariorum est perfectior, quam Socialis; sed est periculosissima imperfectis. Quæ omnia afferunt *D. Thom. Suar. & com. DD.*

292 Ad Religionem igitur potest quis transire, vel per novitiatum; vel per professionem. Nullus tamen tenetur Religionem ingredi, nisi ad hoc voto se obligarit: hic enim status ob ejus arduitatem, non præcepti; sed tantum consilij est. *Matth. 19. v. 21. Si vis perfectus esse. C. 1. h. t.* ibi: *Nullus tondeatur, nisi in legitima ætate, & spontanea voluntate.* Et *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 18.* excommunicat eos, qui fœminam invitam Religionem ingredi cogunt. Possunt tamen Religionem ingredi omnes Christiani, qui specialitèr non prohibentur: nam quilibet potest ad christiani aspirare perfectionem. Et quamvis filij ex honestate debeant parentum licentiam requirere, non tamen est necessarium: quia in hoc liberum habent arbitrij sui usum, & in electione propositi, hoc est, status, sequi parentum non coguntur voluntatem. *C. 12. h. t.* nam ut noster Salvator dicit apud *Luc. 14. v. 26. Qui non odit patrem, & matrem,* (intellige; quando impediunt salutem æternam, vel Dei facere voluntatem) *non potest meus esse Discipulus.* & tunc percalcandus est pater, nam genus pietatis est hac in re esse crudelem, teste *D. Hieronym. in Epist. ad Heliodor.* Qui enim sic à Deo vocantur, & à parentibus, vel cognatis impediuntur, possent ipsis dicere, quod olim Petrus, & Joannes dixerunt Scribis, & Sacerdotibus, *Act. 4. v. 19. Si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum judicate.* Prohibentur autem Religionem ingredi. 1. Furiosi, infantes, & amentes ex defectu consensus. *C. 15. h. t.* 2. Liberi, quando eorum parentes constituti sunt in extrema, vel gravi necessitate. *C. 1. D. 30.* si filij possunt eorum succurrere necessitati: secus est, si non possint: vel aliundè ipsi filij periculum proximum peccati timerent: nam tunc non debent differre ingressum. Si fratres, vel sorores extremam paterentur necessitatem, si eorum frater Religionem ingrederetur, tenetur ingressum differre: si tantum gravem, potest differre ingressum, sed non semper tenetur. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 6. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 20. n. 30.* 3. Parentes debent ab ingressu abstinere, quando eorum opera indigent filij, quos alere, & educare tenentur. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 6. ex n. 1. D. Thom. D. Anton. & alij.* 4. Servi ex defectu libertatis, si non accedat Domini consensus, illicitè Religionem ingrediuntur; & à Domino intra triennium, cum omnibus, quæ ad Monasterium detulerunt, repeti valent: sed in restitutione fidem Domini facient, quod illos non punient ob talem ingressum: & etiamsi servi in Monasterio remaneant, eo quod intra triennium non sunt repetiti, tamen ab ipsis Monasterio allata Domino restituuntur. *C. fin. 17. q. 2. L. 6. tit. 7. p. 1. Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 42. & alij.*

293 5. Religionem ingredi nequeunt criminosi, quibus, scilicèt, imminet pœna mortis, fustigationis, exilij, vel alia similis eos infames reddens. 6. Obnoxij reddendis rationibus ex quacumque administratione, donec rationes reddant. *C. un. D. 53. ex Const. Sixti V. Cum de omnibus, 1558.* qui illegitimos, criminosos, vel suspectos de crimine; & obnoxios reddendis rationibus inhabiles ad Religionem declaravit. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 7. ex n. 15.* 7. Magno ære alieno gravati, si manentes in sæculo sperent, posse creditoribus satisfacere: tunc enim, etiam post biennium, debent ingressum differre: nam obligatio solvendi debita, præcipuè orta ex contractu oneroso, vel delicto, & non ex mera liberalitate donatoris, cum Juris Naturalis sit, consilijs utique præferenda est. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 7. n. 2. Less. & alij.* Et quamvis professio debitoris non solventis illicita sit, valida tamen est ex *Const. Clem. VIII.* nec tunc tenetur professus bona quærere, ut creditoribus satisfaciat, siquidem ipse non creditorum, sed Religionis est. *Sanch. in Decalog. lib. 4. cap. 19. n. 14. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 41. n. 32. Sylv. & alij* con-

tra *Suar. de Relig. tom.3. lib.6. cap.10. n.7.* Constitutio tamen *Sixti V.* postea fuit per *Clem. VIII.* moderata, quoad hoc, ut professio hominis criminosi, sive ære alieno gravati valeret, quamvis illicita sit: nec dicta Constitutio Sixti V. comprehendit Moniales. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 7.* potest autem sic gravatus Religionem ingredi, si non speret, posse solvere, etiamsi in sæculo maneat; *arg. C. 16. de Restit. spoliator.* cum frustra expectetur eventus, cujus nullus futurus est effectus. Etiam ingredi valet, si creditores consentiant, vel ipse bonis cedat in creditorum favorem, vel si debita sint incerta. 8. Conjux nequit Religionem ingredi sine alterius conjugis consensu, vel si non sequatur perpetuum divortium. *C. 3. c. 12. de Convers. conjugator.* 9. Episcopus consecratus, vel saltem confirmatus, etiam Titularis, & etiam relegatus sine licentia Papæ non potest, etiam prætextu ingrediendi Religionem, suam deserere Ecclesiam propter vinculum spiritualis matrimonij. C. 18. *h. t. c. 2. de Translat. Episcop. c. 10. de Renuntiat.* nec alitèr valet professio. *L.9. tit. 7. p. 1.* Et solum potest talis licentia peti, & tantum solet, & debet concedi, ex causis contentis in C. 10. *de Renuntiat.* scilicèt ex debilitate corporis, defectu scientiæ, conscientia criminis, malitia plebis, scandalo populi, vel irregularitate personæ; ex alijs causis non solet hujusmodi licentia concedi. *D. Thom. Suar. de Relig. tom.3. lib.1. cap. 20. n. 7. & alij.* Episcopus tantum electus, vel qui legitimè Episcopatui renuntiavit, potest etiam sine Papæ licentia Religionem ingredi, quippè nullo vinculo detinetur. *Suar. de Relig. tom.3. lib. 6. cap. 8. n.1.* si vero Episcopus confirmatus sine Papæ licentia Religionem profiteatur: quamvis illicita sit talis professio, quia prohibita in C.2. *de Translat. Episcop.* valida tamen erit, siquidem nullo jure irritatur: non tamen habebit effectum dissolvendi vinculum inter Episcopum, & Ecclesiam. Sic contra alios *Suar. de Relig. tom.3. lib.6. cap.8. ex n. 7.* Parochi, & alij Clerici, quamvis sine licentia Episcopi Religionem ingredi possint. *C.un. 19. q.1. l.9. tit.7. p.1. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap.4. n.14.* debent tamen saltem post ingressum Episcopum monere, ut de alio Parocho, vel Beneficiario provideat. 10. Qui legitima ætate carent ingredi nequeunt Religionem. Et quidem jure antiquo Masculus 14. annorum, & fœmina 12. poterant Religionem profiteri. C. 8. *c.11. c.12. h. t. c. 2. eod. in 6. l.4. tit.7. p.1.* sed hodie ex *Trid. sess.25. de Regul. cap.15.* Nec mas, nec fœmina possunt ante decimumsextum annum expletum validè in Religione profiteri. In ordinibus autem Militaribus, qui hoc Decreto non comprehenduntur, solet emitti professio post decimumtertium annum. Novitiatus tamen etiam hodie completo decimoquarto anno potest inchoari. *Sanch. in Decal. lib.5. cap.4. n.22.* in nostra Societate Provincialis nullum ad novitiatum validè admittere potest ante decimumquintum annum completum sine dispensatione Generalis, qui solus potest admittere Novitios ante decimumquintum, vel post quinquagesimum annum completum. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap.4. n. 26.* Jure antiquo, quod hodie jam non servatur, in insulis nemo ad professionem ante decimumoctavum annum inchoatum, admittebatur, quia ibi durior, & difficilior considerabatur habitatio. *C. 6. h. t.* Prætereà: antiquitus solebat Pater, vel Mater, etiam patre vivente, filios impuberes, etiam infantes, religioni offerre, ubi habitum induebant, & proptereà *oblati* dicebantur. *C. fin. 20. q. 2.* & licet aliquomodo Religiosi dicerentur. *C.3. 20. q.1.* verè tamen tales non erant, quippè vota Religionis substantialia non emittebant, tàm ex defectu discretionis, quàm ex defectu probationis austeritatum, præcipuè castitatis. *Sanch. in Decal. lib.5. cap.4. n. 24.* ita tamen oblati, sive inviti, sive volentes oblati fuissent, olim non poterant sine infamia egredi è Monasterio. Hodie tamen post pubertatem, secus ante eam, liberum est ipsis egredi, nisi fortè suam oblationem expressè, vel tacitè ratificarunt. *C. 14. h. t. l.4. tit. 7. p. 1.* sed hodie talium oblationum, vel nullus, vel rarissimus usus est.

294 Ante professionem debet profecto Novitiatus præcedere, ut possit Novitius regularem disciplinam experiri, & vicissim possit Religio probare, an ipsi futurus sit idoneus ille Novitius. Tempus Novitiatus antiquitus erat arbitrarium, aliquando quidem biennium requirebatur, ut in *C.6. 19. q.3.* aliquando autem triennium, ut in *C. un. D. 53. c. fin. 17. q. 2.* posteà vero annus fuit ad probationem, & Novitiatum statutus. *C.1. 17. q 6. c. 16. h. t. c. 2. eod. in 6. l.3. tit. 7. p. 1.* & olim quidem poterat renuntiari consensu Novitij, & Prælatorum. *C.16. h. t. l. 3. tit. 7. p.1.* sed ex *Trid. sess.25. de Regul. cap. 15.* hæc renuntiandi facultas sublata est, & annus à momento in momentum computan-

tandus est: nec sufficit, quod annus probationis, & ætatis sint moraliter integri, sed debent compleri de momento ad momentum: itaque qui hora decima Matutina diei est admissus anno sequenti post eandem horam completam, & non ante, potest professionem emittere. *Suar. de Relig. tom.3. lib.5. cap. 15. n. 1.* & colligitur ex *Trid. sess.25. de Regul.cap.15.* Commendatarij Monasteriorum, qui capita, ac primates ordinum sunt, debent intra sex menses profiteri, aut cedere commendæ. *Trid. sess.25. de Regul. cap. 21.* in Ordinibus Militaribus, cum in Trid. non censeantur comprehensi. *Sanch. in Decal. lib.5. cap.4. n.17.* nondum expleto anno potest fieri professio. In nostra tamen Societate ob arduitatem ministeriorum, quæ viros undique probatos, & in virtutibus exercitos requirunt, biennium Noviratus, & probationis est adeo necessarium, ut solum Generalis validè possit in illo dispensare. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap.4. num.20.* Insuper annus Novitiatus debet esse continuus, ita, ut si Novitius, quatuor mensibus expleris exeat, & posteà rursus ingrediatur, debet de novo annum inchoare dummodò non tantum habitum exuisset: v. g. de licentia Prælati, sed verè illum dimisisset, animo non amplius illum induendi: & quidem dimissio debet esse perfecta, & consummata, & cum talis sit, etiam modico intervallo facta Novitiatum interrumpit. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap.15. Sanch.in Decal. lib.5.cap.4. ex n.31. & alij.* & sic propriè est intelligendum. *Trid. sess.25. de Regul. cap. 15.* requirens annum integrum à die susceptionis habitus, vel ingressus.

295 Novitijs tamen in ultimæ ægritudine constitutis, etiam ante annum completum, potest dari professio solemnis saltem ad lucrandas indulgentias, ex privilegio Pontificio varijs Religionibus concesso: imò & Sæcularibus in propria domo degentibus, posse professionem dari in articulo mortis, varijs item Religionibus concessum est, pro quo tamen cujuslibet privilegia consideranda sunt. *Gonz. in C.16. h. t. n.2.* Qui vero post expletum Novitiatus tempus, egressus est ante professionem, si posteà iterum recipiatur non debet Novitiatum repetere, nisi aliqua notabilis mutatio ex parte Novitij, vel Religionis quoad asperitates contigerit. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 34.* alios citans, nec item debet Novitiatus repeti, si professio posteà appareat invalida, sufficit enim, quod hæc ratificetur, illam de novo emittendo. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D.37. ex n. 45.* qui idem tenet, quando Novitiatus est nullus, cum etiam per illum adimpleatur finis Legis, & probetur Novitius à Religione, & ipse vicissim Religionem probet: qui ante annum fuit ejectus injustè, posteà admissus continuat, quod anno deest, quia hic non censetur interruptus; *arg. C. 41. de Reg. jur. in 6.* ibi: *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non fiat, quod per eum erat faciendum.* Secus est, si fuit justè ejectus: quia annus verè fuit interruptus, ac proindè de novo debet inchoari. Qui post expletum Novitiatum in una Religione ad aliam transit non minus strictam, novum Novitiatum habere debet, ut novam probet Religionem, & vicissim ab ipsa probetur: secus est, si ad aliud Monasterium ejusdem ordinis transeat: quippè jam ab ea Religione probatus est. *Sanch. in Decal. lib.5. cap.4. n. 12. & 34.* Regulariter quidem Novitiatus in Monasterio Religionis debet fieri. *C. 1. h. t. in 6.* quia hoc ad probationem Novitij spectat: potest tamen Novitius de licentia Superioris, etiam per majorem anni partem extra Monasterium degere: nam ibi sub obedientia, & ex obedientia Prælati existit, & in hac ipsa obedientia, modoque vivendi probatur Novitius *Suar. de Relig. tom.3. lib.5. cap.14. n. 13. & 14. Gonz. in C. 13. h. t. & alij* præcipuè, si causa ægritudinis exeat de licentia Prælati; quin etiam si causa recreationis exeat. *Dian. in Sum. V. Novitiatus, num. 2.* Deinde *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 15.* requirit probationem per annum post habitum susceptum, & cumgestatio habitus, quando hic est proprius Novitiorum, pertineat ad austeritatem vitæ, laborem, & difficultatem Religionis, expedit, annum Novitiatus in habitu proprio Novitiorum peragi. *L.3. tit. 7. p. 1.* non tamen est de Religionis, seu professionis substantia, ut cum alijs tenent *Suar. de Relig. tom.3. lib.5. cap. 14. ex n. 9. Greg. Lop. in l.3. tit. 7. p. 1. gloss. fin.* imo olim probatio in habitu Sæculari solebat fieri. *C. un. D.53. c.23. D. 54.* Hodie tamen est necessarium, habitum Religionis deferre, ut in Trid. videtur decisum. In nostra tamen Societate, ubi nullus habitus est determinatus, potest utique Novitiatus, etiam in veste Sæculari peragi. *Sanch. in Decal. lib.5. cap.4. n.29.* & potest quidem Novitiatus adimpleri, etiamsi nulla fiat probatio: sufficit enim, quod Novitius paratus sit, ut probetur: ac proindè, si statim ac ingreditur incidat ægrotus in lec-

lectum, & ita per annum persistat, eo transacto poterit Novitius profiteri. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 14. n. 8. & fin.*

296 Novitijs siquidem, quamvis Religiosi non sint, in favoravilibus Religiosorum nomine veniunt, cum Religionis suo modo membra sint, & ipsius Prælatorum subditi, ac proindè pro personis Ecclesiasticis habentur, quippè ad Religiosum statum ordinantur, & privilegio Canonis gaudent. *C. 21. §. Quamvis, de Sentent. excom. in 6.* & etiam fori privilegio gaudent; ut tenent *Hostiens. Joann. And. Navar. in Sum. cap. 12. n. 65 Sarmient. Gutierr. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 10. ex n. 10.* nec vectigalia ex bonis patrimonialibus tenentur solvere: & ab Episcopo Diœcesis, in qua est Monasterium possunt ordinari, nam ibi domicilium habent. Etiam lucrantur Indulgentias, & privilegia Religioni concessa, & Religionis Prælati cum ipsis dispensant in votis, recitatione horarum, observatione festorum jejuniorum, eosque à reservatis absolvunt. Et si Prælatus exemptus sit habet in Novitium jurisdictionem, quasi Episcopalem in utroque foro: quia illam Novitius per habitus susceptionem in se prorogavit, vi cujus potest Prælatus sub censuris Novitio præcipere, quæ posset Parochus, vel Episcopus, & Novitius obedire tenetur, & quidem sub gravi, si talis sit materia præcepti. Non tamen tenetur Novitius vi voti obedientiæ suo obedire Prælato, sed ratione jurisdictionis, quam habet in ipsum: Nam Prælatus loco Episcopi, & Parochi substituitur; potest itaque Prælatus Novitium punire, & corrigere: item potest aliquos casus Novitiorum in foro conscientiæ sibi reservare: regularitèr tamen casus reservati in Religione non ligant, nec comprehendunt Novitios. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 10. ex n. 10. Barbos. & alij.* Valde congruum rationi, maximeque decens est, Novitios regulas, & præcepta Ordinis servare: alias quomodo ipsi Religionem probabunt, & ab ipsa probabuntur? Quanta enim scandala, & perturbationes in Ordine sequerentur, si Novitij potius contra regulam, quam secundum regulam viverent? *Qui enim similem cum alijs vitam suscipiunt, similem sentiant in Legibus disciplinam. C. 3. de Statu Monachor.* Cum vero votum obedientiæ nondum emiserint ad talem obdservationem in rigore, & conscientia non tenentur. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 16. n. 2. & 18. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 10. n. 7.* qui *n. 8.* ait. Novitios Societatis, qui ex devotione, expleto anno vota emittunt, teneri obedire sub gravi Prælato præcipienti in virtute obedientiæ: quia ad hoc per votum se sponte obligarunt. Quando aliquis beneficiatus Religionem ingreditur non vacat beneficium per ingressum, ut Novitio omninò libertas egrediendi servetur indemnis: non enim vacat, donec ipse profiteatur, etiamsi tempus Noviatus ex justa causa prorogetur. *C. 4. h. t. in 6.* in Societate autem non vacat beneficium etiam post vota bienij à beneficiato facta, donec sequatur professio, vel formatio coadjutorum, nisi ut solet, post biennium renunciatio fiat: interim tamen debet Vicarius assignari ab Ordinario, cum debita pensione, ut beneficio inserviat: fructus tamen grossos ipse Novitius lucratur, vel sibi, si egrediatur, vel Religioni, si profiteatur, si tunc Religio sit successionis capax. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 4.* & cum jus eligendi inter fructus beneficij consideretur, si hoc illius beneficio annexum est, tali jure gaudet Novitius, & ideò si electioni velit interesse excludi nequit: non tamen debet necessario ad electionem vocari, nisi jure speciali sui beneficij ipsi jus eligendi competeret. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 4. ex num. 10.*

397 Ne igitur libertas egrediendi à quacumque Religione, etiam exempta dum verè, & propriè Religio sit impediatur, *in Trid. sess. 25. de Regular. cap. 16.* statuitur, *ut nulla renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, & in favorem cujuscumque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarij, intra duos menses proximos ante professionem: ac non alias intelligatur effectum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiam cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus: Per hæc tamen Sancta Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Jesu, juxta pium eorum institutum à S. Sede Apostolica approbatum Domino, & ejus Ecclesiæ inservire possint.* Et addit *Barbos. ibid. n. 41.* quod obligationes, & renuntiationes à Novitijs Societatis, quandocumque, & sine cujusvis licentia factæ hujus Decreti nullitati minimè subjaceant. Donatio, vel renuntiatio bonorum in Societate facta, juxta ejus Constitutiones, etiam in Societatis favorem, post primum Noviciatus annum, vel post biennium, ut communitèr fit, est absoluta, & irrevocabilis, nec debet restitui donatum renuntian-

tianti, si dimittatur. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 1. ex n. 34.* debent tamen alimenta dari dimisso, ita ut habeat, unde alatur: quod si nihil ipsi tribuatur potest talis donatio ab hujusmodi dimisso ob ingratitudinem revocari. *Sanch. ubi supr. n. 39.* in hoc enim Trid. Decreto continentur, ac proinde invalidantur omnes contractus lucrativi, & onerosi, in quibus non tantum recipitur, quantum datur. Etiam quæcumque obligationes, seu renuntiationes quoruncumque bonorum, non solum quoad jura de præsenti, sed etiam in futurum, sive in Monasterij, vel propinquorum, vel alterius tertij favorem fiant. Beneficij renuntiationem in hoc Decreto contineri ob ejus verborum generalitatem, tenent *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 16. n. 12. Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 5. num. 37. & alij* contra *alios.* Non tamen comprehenduntur in hoc Decreto, & consequentèr valent, contractus emptionis, & venditionis, permutationis, societatis, & alij, in quibus tantum recipitur, quantum datur. Item valent testamenta, codicilli, & donationes causa mortis: quia liberè possunt revocari, quin etiam valent eleemosynæ, & donationes, etiam ipsi Monasterio à Novitio factæ, si modicæ sint; nam parum pro nihilo reputatur; nec egrediendi nocent libertati. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 5. n. 13. & 31. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 16. n. 11. & alij.* Donationes factæ alicui Monasterio ab eo, qui postea talem ingreditur Religionem, non solum si alio respectu, sed etiamsi intuitu ingressus, & facta de eo mentione, fiant, cum non sint factæ à Novitio, de quo loquitur *Trident.* non comprehenduntur in ejus Decreto: & ut sic correctiorum vitetur; & sic contra Navar. & alios tenent plures cum *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 5. n. 4.* ubi concludit, & in hoc Regio Granatensi Prætorio, hoc anno, lite utrimque agitata, sic pronuntiatum est per sex Regios Judices, nemine eorum discrepante. Et cum Novitiatus incipiat à susceptione habitus, donatio facta post ingressum, ante habitus tamen susceptionem valida est, & sæpè ita decisum à *S. Congreg. Concil.* præsertim 22. *Junij* 1613. testantur *Petra, & alij.* Bimestre enim, intra quod debet fieri renuntiatio ex Constitutione *Trident.* ut sic majori, & maturiori judicio, & deliberatione fiat, computatur de momento ad momentum, & secundum quod occurrit mensis in Kalendario: nec est necesse, quod integro bimestri ante professionem fiat renuntiatio, sed sat est toto eo bimestri fieri, quamvis immediatè ante professionem: Imò & valebit donatio, quæ fit à Novitio currente jam undecimo mense sui Novitiatus, etiamsi ultra bimestre differatur professio, cum jam Novitius non renuntiet inconsultè. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 5. ex n. 80.* Cum autem Trident. requirat ad donationis valorem, quod sequatur professio, consequentèr dicendum est, quod si hæc ob ætatis defectum, vel aliam causam nulla sit, nulla etiam sit donatio. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 5. num. 55.* Si postea ratificetur professio, ratificatur & donatio: nisi professio fuisset irrita ex defectu ætatis, nam tunc non censetur ratificata renuntiatio. Similitèr evanescit renuntiatio, si Novitius ante professionem moriatur: censetur enim hanc imbibitam habere conditionem, & videtur talis renuntiatio excludi à Trid. dum dicit: *Ac non aliàs intelligatur effectum sortiri, nisi secuta professione. Sic Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 5. n. 49. Barb. & alij* contra *Suar.*

298 Novitius igitur, qui bona fide ingressus est Religionem, etiam animo, & proposito mutandi vitam, si ipsi talis Religio non expediens credatur, potest liberè, & licitè, nulla allegata causa, nec Prælati requisita licentia, Religionem deserere, & ad sæculum redire. C. 23. *h. t. c. 1. eod. in 6. l. 3. tit. 7. p. 1.* ibi: *E si ante del año quisiere de alli salir, puedelo facer. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 11. n. 6. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 10. n. 1.* nec tenetur Monasterio expensas in ejus sustentatione factas refundere; *arg. C. 23. h. t. c. 1. eod. in 6. Suar. n. 5. Sanch. n. 4.* si vero ex promissione, vel voto aliquis ad ingrediendum se obligavit, non potest liberè Religionem deserere. *C. 20. c. 23. h. t. c. 2. eod. in 6.* qui quidem Textus sic intelligendi sunt, ut clarè constat ex *L. 3. l. 7. tit. 7. p. 1.* & sanè potest Novitius, relicta Religione, manere in sæculo, vel ad aliam, etiam laxiorem Religionem transire. Si vero promiserat aliquam Religionem in genere ingredi, etiamsi in illa, quam est ingressus non teneatur perseverare, non tamen potest in sæculo manere, nec matrimonium contrahere, sed debet ad aliam Religionem pro voti adimpletione transire. *L. 8. t. 7. p. 1.* Prælatus autem non potest liberè, & sine causa Novitium dimittere, cum ex officio teneatur aptos retinere, & ex charitate non exponere eum salutis æternæ periculo. *Gregor. Lop. in l. 3. tit. 7. p. 1. V. A ellos. Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 59. & alij,* si Novitius perseverare eli-

eligat, & inveniatur Religioni aptus professionem emittit. *Professio* quidem *latè sumpta* est *contractus sacer, per quem homo fidelis voluntariè se tradit Deo in Religione approbata, quoad certum modum, & institutum vivendi, editis tribus votis castitatis, paupertatis, & obedientiæ, authoritate Prælati Regularis interveniente, qui nomine Dei, & Religionis talem traditionem acceptet. C. 16. h. t. L. 2. tit. 7. p.* 1. vi hujus professionis fit eam emittens verè, & propriè Religiosus. Sic in nostra Societate Scholastici post vota simplicia biennij sunt verè, & propriè Religiosi: ut est declaratum *à Greg. XIII. in Bull. Ascendente.* Hinc licet plures Doctores antiquitus tenerent, vota solemnia esse de Religionis essentia: quia eo tempore Ecclesia non acceptabat Religionem nisi cum votis solemnibus. C. 13. *h. t. c.* 21. §. *fin. de Sent. excom. in* 6. Hodie tamen indubitatum est, sufficere vota simplicia ad Religiosum statum. Solemnitas enim votorum ex Ecclesiæ institutione dependet. Sic potest hodie, eam non requirere, sicut olim eam non requirebat in Religionibus SS. Basilij, Augustini, Benedicti, ubi non solemnia, sed tantum simplicia vota edebantur: ac proindè nostræ Societatis institutum, quoad vota simplicia, non est novum, sed primævum in Religione servatum vovendi genus. Sic tenet expressè *Basilius Ponze de Leon*, Ordinis Divi Augustini ornamentum nobilissimum. *Lib. 7. de Matr. cap.* 22.

299 *Professio* tamen *strictè* accepta professioni hucusque explicatæ insuper addit *obligationem irrevocabilem ex utraque parte facta per vota solemnia.* Professio autem est duplex, alia *expressa*, *tacita* alia. *Expressa* est, quæ fit verbo, scriptura, vel alijs signis voluntatem profitendi declarantibus, juxta cujusque Religionis constitutiones, potestque fieri in Ecclesia, vel extra eam, imò & in lecto: vespere, vel mane, in sanitate, & in infirmitate. C. 13. *h. t.* etiam in articulo mortis dummodò eam emittens sit compos mentis. *C. 15. h. t. junct. Gloss. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 12. n. 24.* Etiam fieri valet per procuratorem, cum speciali tamen mandato; *arg. C. 68. de Reg. jur. in 6.* hoc tamen in praxi periculosum est. In nostra Societate professio in scriptura, & coram testibus est necessario facienda. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 12. ex n. 3.* Imò & de Jure Communi debet in scriptis fieri, saltem ad probationem. *C. fin. 20. q. 1. L. 2. tit. 7. p. 1. & ibid. Greg. Lop. Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 3. n. 5.* Professio autem *tacita* est, quæ neque verbo, neque scripto fit, sed aliquo actu professorum proprio: v. g. si post annum Novitiatus gestet Novitius habitum professorum. *C. 9. c. 22. h. t. c. 1. eod. in 6.* vel si actum professorum proprium exerceat: v. g. ferendo suffragium in Capitulo. *C. 4. h. t.* dummodo hæc fiant à Novitio legitimam ætatem habente, & non vi, vel metu, sed sponte. *C. 4. h. t.* quin etiam debent fieri cum vero, & positivo animo profitendi: scite namque debet, per eum actum professionem induci: & quidem legitimi Prælati consensu, & authoritate interveniente, vel saltem eo sciente, & patiente. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 3. ex n. 14.* Hujus tacitæ professionis hodie nullus, vel rarus est usus: non tamen est ablata per Trident. sed tanquam casus omissus manet sub dispositione juris antiqui. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 3. ex n. 36. Gonz. in C. 4. h. t. n. 8.* in Societate autem nullus est talis professionis usus, nisi in casu ratificationis professionis, & votorum simplicium nulliter editorum.

300 Ad valorem ergo professionis requiritur 1. quod eam emittens non sit illius incapax: qualis esset, qui haberet impedimentum essentiale. Si verò eam acceptans sciat, profitentem tali impedimento laborare, & potest in eo dispensare, dispensare profectò censetur; *arg. L. 2. ff. de Jurisdict.* 2. sicut in matrimonio carnali est necessarius contrahentium consensus. *C. 14. de Sponsalib.* ita in profitente requiritur animus, & consensus profitendi. Unde si quis metu gravi, fraude, vel vi ad professionem injustè inducatur, professio nulla est: nec enim sufficit voluntas, utcunque, sed sicut in matrimonio major libertas, & spontaneitas requiritur. *C. 4. 20. q. 3. c. 1. de his, quæ vi. C. 1. c. 15. h. t. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 19. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 4. n. 3.* Quod si Prælatus metu gravi inducatur, professionem acceptare, hæc non est irrita, cum nullum jus talem irritationem inducat, & aliundè de Jure Naturali talis professio valeat. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 4. n. 21. & alij* contra *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 41. n. 61. & alios.* Quod si professio fuit invalida, etiam ob profitentis fictionem, & etiamsi impedimentum, ob quod est nulla, non possit in foro externo probari, non tenetur sic professus eam ratificare, cum id quod nullum est, nullum producat effectum: & aliàs non omninò relinqueretur Novitius in sua libertate, ut de-

debet ob arduitatem materiæ. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 37. *n.* 38. *& 39.* Cum ergo sic professus sciat, professionem à se factam esse nullam, & de tali nullitate ipsa Religio notitiam habeat, saltem in generali, debet, si eam ratificare vult, novum consensum, impedimento prius ablato, ponere: & similiter Religio debet novam apponere acceptationem, cum illa ratificatio nova professio sit. *C.* 11. *h. t. c.* 1. *eod. in* 6. *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 19. *Suar. de Relig. tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 1. *n.* 4. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 37. *n.* 57. *& alij.* 3. requiritur, quod profitens tria vota substantialia emittat, & quidem in Religione approbata. 4. quod nullam conditionem substantiæ Religionis contrariam apponat. Talis esset, si profiteretur eo pacto, ut pro suo arbitratu viveret, vel proprium retineret, vel quid simile: potest tamen fieri professio sub conditione Religioni non contraria, qua quidem impleta professio erit absolutè facta, sicut accidit in matrimonio. *Sanch. in Decal. lib.* 5. *cap.* 4. *ex n.* 87. 5. requiritur, quod professio acceptetur expressè, vel tacitè à Prælato legitimo. *C.* 13. *c.* 16. *h. t.* nec interest, an sit mediatus, vel immediatus juxta cujusque Religionis Constitutiones, & etiamsi sit excommunicatus vitandus, vel suspensus. Etiam potest ab Abbatissa recipi Monialium professio. *C.* 4. *Qui Cleric. vel vovent. L.* 2. *tit.* 7. *p.* 1. Item potest Prælatus professionem recipere, vel per se, vel per alium. Sic in Societate Provinciales ex generali commissione acceptant vota biennij: vota tamen professorum, vel coadjutorum formatorum solus Generalis, vel ab eo delegatus acceptat. *Sanch. in Decal. lib.* 5. *cap.* 4. *ex n.* 62. 6. requiritur, quod profitens habeat ætatem legitimam, scilicèt, 16. annos, & quidem omninò physicè completos: nec malitia, seu prudentia supplet ætatem, cum hoc non sit dispositum in hac materia, sicut est dispositum in matrimonio. *Sanch. in Decal. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 2. *& alij com. cum D. Thom.* & insuper requiritur annus novitiatus, ut supradiximus. In nostra Societate ad professionem quatuor votorum necesse est, quod professus habeat 25. annos completos. Sed jam consuetudo à Generalibus introducta, approbata est, citra novam tamen obligationem, & multo minus necessitatem ad valorem professionis, si secus fiat: ut scilicèt expectandus sit 33. annus completus: & prætereà decem anni Religionis requiruntur, dempto tempore studiorum; quod si impletur in Societate in decem annis non computatur: ac proindè, qui studia omnia in Societate peregit, non facit professionem ante decimumseptimum annum. Generalis tamen potest dispensare, ut etiam non expleto novitiatus biennio, & ante 25. ætatis annum possit quis ad professionem admitti.

301 Professio equidem profitentem verè Religiosum constituit, eumque obligat perpetuo vinculo ad votorum observationem: quæ quidem obligatio, nec mutuo consensu Religionis, & professi valet dissolvi. *Suar. de Relig. tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 2. *&* 3. nec contra eam potest à Religioso præscribi, imo quanto tempore extra vitam religiosam mansit, est majoris transgressionis argumentum. *C.* 17. *h. t.* potest tamen, justa causa, & legitima hoc exigente, dissolvi à Pontifice hujusmodi vinculum: ita ut qui Religiosus erat postea Religiosus non sit, nec ampliùs votis teneatur: sicut etiam in votis simplicibus dispensat Pontifex, cum utrobique eadem militet ratio. *C. un. de Voto, in* 6. dispensat etenim Pontifex etiam in votis solemnibus ob universalem potestatem Divo Petro, & ejus Successoribus à Christo concessam apud *Matth.* 16. ubi dixit: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cœlis.* Sic *D. Antonin. Cajetan. Suar. de Relig. tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* 16. *&* 17. *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 8. *Greg. Lop. in L.* 4. *tit.* 8. *p.* 1. qui dicit, hanc esse communem opinionem Theologorum, & Canonistarum: alijque plures Doctores afferuntur contra *Albert. Magnum. D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *Abulens. & alios*: & defacto Pontifices dispensarunt in Religionibus Militaribus S. Jacobi, Alcanteræ, & Calatravæ, ut possint matrimonium contrahere earum Religiosi. Etiam dispensarunt cum Ramiro Monacho, Sacerdote, & Episcopo, & cum alijs pluries dispensatum est: consequentèrque jam non licet de Pontificia potestate in hoc puncto dubitare. Si justa causa desit illicitè faciet Pontifex dispensando, consequentèrque hoc modo non potest dispensare, & sic debet intelligi *Text. in C.* 6. *de Stat. Monach.* vel potest dici, quod Pontifex nequit cum Monacho in observatione votorum dispensare in sensu composito Monachatus, quatenus Pontifex nequit facere, quod Religiosus talis manens votis Religionis non obligetur. *L.* 2. *tit.* 7. *p.* 1. ibi: *E asi son allegadas estas cosas* (id est, los votos) *al que toma la orden, que el Papa non puede dispensar con él, que las non guarde; & ibid. Greg. Lop.* quod est idem ac dicitur

tur *in C.6. de Statu Monachorum*, ibi: *Quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ Monachali, ut contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Deinde nec per Episcopatum dissolvitur Religionis vinculum, sed tribus votis adstrictus adhuc manet Religiosus, etiam Episcopus factus: quamvis in pluribus ejus obligatio varietur: siquidem ipse jam non suæ Religioni, sed suæ Ecclesiæ adquirit. *C. un. 18. q. 1.* nec Prælatis Regularibus, utpote in altiori gradu constitutus, obedire tenetur, sed Romano Pontifici: deferet tamen Religionis habitum cum cæteris insignibus Episcopalibus. *L.26. tit.7. p. 1.* quod si renunciet Dignitati simul, & gradui ad Monasterium redire, & ut prius Prælatis obedire tenetur. Si Religiosus fiat Parochus Ecclesiæ Sæcularis tenetur habitum deferre, castitatem ex voto servare, & non habere proprium: & si Ecclesia est totalitèr Monasterio subjecta tenetur suis Prælatis obedire, eisque rationem reddere. Si tamen Ecclesia est subjecta in spiritualibus Episcopo, ipsi Parochus Religiosus obedire debet, eique rationem reddere: & Horas Canonicas secundum Episcopatus consuetudinem, dicet, & recitabit: sed sive Episcopo, sive Abbati talis Parochus subjectus sit, eximitur à jejunijs, silentio, & vigilijs per regulam indictis. *C. 2. 16. q. 1. l. 26. tit. 7. p. 1. & ibid. Greg. Lop. V. Tres cosas.* Deinde: professio tollit irregularitatem ex defectu natalium ortam, quoad Ordines, & beneficia, secus quoad Prælaturas. Etiam extinguit omnia vota, & juramenta pia, quæ non sunt facta in favorem tertij. *C. 4. de Voto.* Professio item dirimit matrimonium contrahendum, & dissolvit, etiam quoad vinculum jam contractum, dummodo tantum ratum sit. *C. 2. c. 7. c. 14. de Converf. conjugat.* quod si post matrimonium consummatum conjux in casu permisso Religionem ingrediatur, inducit divortium inter professum, & conjugem in sæculo relictam. *C. 19. h. t.* non tamen vinculum solvit. Si Religiosus, quando profitetur in gratia sit, plenam peccatorum, quoad pœnam, consequitur remissionem; *arg. C. 87. §. His auctoritatibus, de Pœnit. D. 1.* Et quoad hunc effectum vocatur professio secundum baptisma à *D. Hieronym. D. Bernard. & alijs:* quæ quidem remissio non fit per indulgentiam plenariam concessam à Pontifice: sed professio ipsa hac virtute condonandi pœnas potitur ex vi, & meritò ipsius operis excellentissimi, quod excedit quamcumque satisfactionem peccatis debitam. Sic ex *D. Bernardo, D. Thoma, & alijs* affert *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 5. ex n. 1.* & idem effectus obtinetur per vota simplicia biennij in Societate.

302 Plures equidem incipiunt ædificare, qui secundum fragilitatem humanam ædificium, vel opus incœptum perficere, & consummare non valent: quin, & *D. Hieronymo* teste, cœpisse multorum est, paucorum autem ad culmen pervenisse. Solet profectò accidere, quod aliqui manum mittunt ad Religionis aratrum, & posteà retro respicientes Religionem deserant. Quatuor igitur modis deseritur Religio. 1. reclamando contra valorem professionis. 2. voluntariè deseritur per transitum ad aliam Religionem. 3. necessariò, per expulsionem. 4. sacrilege, per apostasiam. Et quidem 1. quilibet Religiosus, qui suam professionem nullam dicere intendit, vel quia per vim, & metum dicat, se Religionem ingressum, vel ante ætatem legitimam fuisse professum, vel quid simile: & velit habitum dimittere, religionemque deserere, potest ex *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 19.* adversus suam professionem coram suo Superiore Regulari immediato, & simul coram Ordinario, hoc est, Episcopo, in cujus Diœcesi est situm Monasterium, vel ejus Vicario Generali, reclamare intra quinquennium, numerandum à die professionis, & etiam ultra quinquennium reclamare valet, si legitima causa subsit: v. g. quia professus ignoravit suæ professionis nullitatem, vel alio justo impedimento obstante, non potuit reclamare: cum legitimè impedito tempus non currat. *C. 5. de Concess. præbend. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 7. cap. 4. n. 6. Machad. in Sum. lib. 4. p. 7. tr. 3. & alij contra Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 37. n. 19. Rodrig. & alios.* Quod si anteà talis professus habitum sponte dimiserit, nullatenùs ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium cogatur redire, & tamquam apostata puniatur: interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 19.* Si verò sciens suæ professionis nullitatem, eam ratificavit, reclamare amplius non potest. Si autem intra quinquennium non ratificavit professionem, non tenetur posteà eam ratificare, nec perseverare in Religione, sed potérit secluso scandalo occultè Religionem deserere, poteritque matrimonium contrahere: imò, & Prælatus, qui de nullitate conscius est, potest hoc ei permitte-

re. *Machad. in Sum. lib. 4. p. 7. tr. 3. Sanch. & alij.* Religionem etiam posse reclamare contra invalidè professum declaratum testatur *Fagnan. in C. 1. h. t.*

303 Aliquando, etiam licitè deseritur Religio, per transitum scilicèt ad aliam Religionem. In Concilio enim Triburiensi in C. 1. 20. *q.* 4. & posteà in C. 18. *h. t.* Concessum fuit, quod Religiosus de una ad aliam Religionem transire posset, si zelo sanctioris vitæ, non ex inordinata passione, vellet ad strictiorem Religionem, secundum statum præsentem transire, petita, quidem prius licentia sui Prælati, vel immediati, vel mediati, juxta cujusque Religionis constitutiones: qui licentiam, si justa causa allegetur, profectò concedere debet, ne propositum Divinitus inspiratum videatur impedire: & tunc dimissorias ad Prælatum alterius Religionis concedet: quod si Prælatus injustè licentiam neget, non obstante proterva, & indiscreta ejus contradictione, poterit Religiosus ad aliam Religionem liberè transire. C. 18. *h. t. l. 9. tit. 7. p.* 1. à Religione verò strictiori ad laxiorem non potest transiri, essetque professio nulla. *C.* 10. *h. t.* nisi à Pontifice dispensaretur. *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 19. ad æqualem verò potest quis transire, de consensu tamen Abbatis. *L.* 10. *tit.* 7. *p.* 1. Si Religiosus de facto transeat ad Religionem strictiorem, non censetur Apostata, nec excommunicationem incurrit, etsi licentia non præcessisset: restituendus tamen est priori Prælato, donec cognoscatur, an Religio, ad quam vult transire, sit strictior, vel non. *C.* 5. *c.* 7. *h. t. Gonz. in* C. 18. *h. t. n.* 6. ubi notat, quod non requiritur, quod nova Religio sit perfectior, sed sat est, si strictior sit. Imò, & si transeat ad Religionem laxiorem sine legitima licentia, non est Apostata: siquidem non simplicitèr à vitæ Religiosæ, sed à certæ Religionis instituto talis Religiosus recedit: peccat tamen gravitèr, & sub Judice est, an excommunicationem incurrat. *Sanchez in Decal. lib. 6. cap.* 8. *n.* 8. *Gonzal. in C. fin. de Apostat. n.* 4. *& alij* contra *Suar. de Cens. D.* 31. *sect.* 6. *n.* 4. Regularis autem Mendicans non potest, nec licitè, nec validè ad Ordinem Monasticum, præter Carthusianorum transire: & nulliter, si transiret, profiteretur. *Extr. un. h. t. int. com.* Item: nullus è societate potest sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, transire ad Carthusiam, nisi petita, & obtenta licentia à Generali, & de ejus licentia potest etiam professus transire ad quemlibet Ordinem Mendicantium, vel non Mendicantium. Qui verò non petita licentia à suo Prælato, vel etiam petita: sed justè negata, ad aliam Religionem, etiam strictiorem transit, non solum illicitè: sed etiam invalidè in ea professionem emitteret: quia tunc non videtur à jure concessa licentia, cum non censeatur, talem Religiosum ad frugem meliotis vitæ transmigrare velle. *C.* 18. *h. t. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 7. ex n.* 88. *& alij* contra *aliquos* apud eundem. Et quidem ex die, quo quis Novitiatum novæ Religionis ingreditur, secura posteà professione ei adquirit, si aliquid adquirit: nam cum nova Relgio sentiat onus eum alendi, consequens, & justum est, quod adquisitionis commodum sentiat. Ex *L.* 10. *ff. de Reg. jur. Zabarel. in Cl.* 1. *h. t.* & alij contra *Sanch. in Decal. lib.* 7. *cap.* 32. *ex n.* 8.

304 3. Solet Religio, aliquando necessario deseri, quando scilicèt Religiosus ab ea expellitur, & ejicitur. Siquidem ex *Divo Hieronymo in C.* 16. 24. *q.* 3. *Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ovis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est totum Orbem ejus flamma populata est.* Ideò Religiosus si incorrigibilis, & intolerabilis, perniciosusque Religioni sit, etiam invitus potest, & debet, non obstante professione, quantumvis solemni, à Religione expelli. *C.* 10. *de Majorit. & obed. C. fin. de Statu Monach. C.* 7. *Ne Cleric. vel Monach.* Et quidem olim Religiosi liberi à suis Prælatis dimittebantur, relaxatis scilicèt Religionis votis, ut probat *Ponze de Matr. lib.* 7. *cap.* 12. variâ testimonia *SS. August. Gregor. Basil. & Bened.* referens. Facit, quoad talem expulsionem optima ratio quam affert *Ovid. Metam. lib.* 1. *Cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.* Hodie Religiosus incorrigibilis tantum censetur, si per annum jejunio, & pœnitentia in carcere probatus non resipiscat. Ex Decreto *Congreg. Cardin.* jussu *Urbani VIII.* apud *Barbos. in C. fin. h. t. n. fin.* ubi ad litteram Decretum refert. Moniales tamen ob majus periculum scandali, & sexus fragilitatem non sunt expellendæ inconsulto Romano Pontifice; *arg. C.* 11. *c.* 17. 27. *q.* 1. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap.* 9. *n.* 6. Sic tamen ejectus, Religiosus manet, & consequentèr tribus votis substantialibus Religionis li-

gatus perseverat: non tamen jejunijs, vigilijs, obligatione horarum, & alijs Regulis Ordinis. Nec item ad quartum Votum Ordinis proprium, si quod habet tenetur: siquidem talia solum viventes sub Regula obligant, tenetur tamen habitum deferre, nisi ut tegulariter accidit, eo spolietur. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. ex n.* 24. Hinc si ejecti contrahant matrimonium, hoc erit nullum ob solemne votum castitatis, & puniuntur ab Inquisitoribus. *Gonz. in C. fin. h. t. n.* 7. Qui verò è societate post vota simplicia dimittuntur, possunt matrimonium, si in sacris non sint constituti, validè, & licitè contrahere. Non tamen erit liber à votis, quin, & pro apostata habetur, & apostatarum pœnis subjacet ille societatis Religiosus, qui pravis moribus de industria dimissionem extorsit, vel falsis allegationibus obtinuit. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap.* 7. *ex n.* 60. Prælatus autem potest talem ejectum, utpotè suum subditum ratione votorum censuris, & alijs pœnis ad redeundum cogere. *C. fin. h. t.* & ipse in conscientia tenetur se corrigere, ut dignus redire inveniatur. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. n.* 25. & potest utique Religio eum, si plenè resipiscat, nec aliquod timeatur inconveniens rursus admittere; *arg. C.* 16. *h. t.* nec tunc nova professione hujusmodi ejectus indiget. Non tamen tenetur Religio justè dimissum, etiam emendatum, de novo admittere: quia talis justa sententia ex parte Religionis in perpetuum ejectus est: sicut innocens non tenetur adulterum, etiam emendatum, admittere. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. n.* 32. *Rodrig. Azor, & alij* contra *Navar. Molin. & alios.* Quod si jam nulla spes reditus sit ejecto, potest hic, vel in sæculo manere, vel aliam Religionem ingredi, etiam invito antiquo Superiore. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. ex n.* 34. Ex Motu proprio *Greg. XIII. in Const. Officij nostri* 21. *Jan. An.* 1577. bona ab ejectis adquisita ad Cameram Apostolicam pertinent.

305 Denique per Apostasiam deseritur Religio. Religiosus enim aliquando *fugitivus*: aliquando *apostata* efficitur. *Fugitivus* est ille, qui sine Superioris licentia à Religione recedit, sive habitu retento, sive dimisso, vel ita alio cooperto, ut exterius non appareat, sed animo quidem tantum vagandi, non verò Religionem deserendi: & in hoc differt ab *apostata*: quippè talis est, qui recedit à Religione habitu dimisso, vel etiam retento, animo tamen excutiendi omninò jugum Religionis, & numquam ad ipsam redeundi. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 8. n. 2. Apostata siquidem à Religione est, qui postquam in aliqua Religione verè tali, & approbata emisit tria vota substantialia, non tantum causa devotionis, ut solet fieri a Novitijs, sed ea, quæ verè Religiosum ea emittentem constituunt, licet simplicia sint, ut post biennium in Societate fiunt, sine Superioris licentia recedit à Religione, verè, & propriè, non animo tantum, sed opere secuto, sine proposito redeundi, vel cum proposito non redeundi, sive dimisso, sive retento habitu talis recessus fiat; nam sicut habitus non facit Monachum. C.* 13. *h. t.* ita nec ejus retentio ab Apostasia excusat. *Gonz. in C. fin. de Apostat. n.* 4. *Sanch. & alij com.* Qui diutius v. g. per tres, vel quatuor annos extra Religionem vagatur, pro Apostata habetur, donec probet, se animum habuisse redeundi. Beatæ Tertij Ordinis S. Dominici, & S. Francisci, si ab eo statu, etiam post tria vota emissa, in perpetuum recedant, matrimonioque copulentur, non sunt verè Apostatæ. Prætereà, fugitivus censetur *à Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 4. Ille, qui recedit à Monasterio sine Superioris licentia, etiam prætextu adeundi Superiorem mediatum, si ab ipso non vocetur; adeò, ut etiam Religiosus perpetuò ad carcerem, vel triremes justè damnatus non possit à carcere, vel triremibus fugere, ut se Superiori præsentet; nisi hoc faciat, ut pœnam mortis effugiat: nam tunc certè licitum est à carcere fugere: quod si inique ab immediatis Superioribus tractetur, & aliud remedium non habeat, potest Superiorem mediatum adire. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 8. ex n.* 1. Religiosus, qui ad Urbem rectò tramite accedit, & ibi Secretario S. Congreg. se præsentat, etiam sine Superioris licentia, ut à gravaminibus sibi à suis Prælatis illatis conqueratur, non est Apostata: Si tamen temerè, vel levitèr ad Curiam accederet, ad suos Superiores puniendus deberet mitti. Variæ enim adversus Apostatas pœnæ infliguntur in jure, de quibus in *tit. de Apostatis.* Contra fugitivos qua tales nullæ sunt Jure Communi statutæ pœnæ. Ut contra aliquos tenent *Suar. de Relig. tom.* 4. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 10. *Navar. & alij*, potest tamen, & debet Prælatus Regularis non solum Apostatas, sed, & fugitivos capere, ob ipsorum spiritualem salutem. *C. fin. h. t.* Et quidem eos apprehendere valet, non solum in territorio proprio, sed etiam in alieno: quia vi obedientiæ adeò personalitèr subduntur

Præ-

Prælato, ut ubicumque inveniantur hujusmodi Religiosi, possint apprehendi ut accidit in servis. *L. 1. l. 3. C. de Servi. fugitiv.*

306 Hucusque locuti sumus de his, quæ Jure Communi, & aliquibus constitutionibusPontificijs statutum est circa Religiosos. Sed cum in singulis Religionibus, variæ constitutiones, & privilegia uniuscujusque propria reperiantur, hæc ante omnia pro resolutione casuum occurrentium examinari debent. Et hac ratione in gratiam Missionariorum Indiarum placuit hic inserere privilegia à SS. Pontificibus Nostræ Soci tati pro his Indiarum partibus concessa in celebri constitutione *Animarum saluti*, cujus tenor talis est.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Animarum saluti paternâ charitate intenti, supplicationibus dilecti filij Michaelis Angeli Tamburini, Societatis Jesu Præpositi Generali nomine, nobis super hoc humilitèr porrectis inclinati; ac multorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigijs inhærentes; de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri,& Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi: Omnibus Christifidelibus in quibuscumque Occeani Indijs, aut Sinarum Regione, vel Brasilia constitutis præsentibus, & futuris, verè pœnitentibus, & confessis; ac Sacra Communione refectis, quoties aliquem ex infidelitate, & idolatria ad veri Dei cognitionem reduxerint, plenariam, necnon eisdem etiam verè pœnitentibus, & confessis, S. Thomæ Apostoli in Indijs præfatis, vel aliquam ex certis dilectorum filiorum Presbyterorum Societ. Jesu Ecclesijs illarum partium Deo, vel in honorem Sanctorum erectis: necnon omnes, & singulas hujusmodi Ecclesias, Collegiorum, Domorum, & Residentiarum ejusdem Societatis Regionum præfatarum, saltem inter se, per centum milliaria distantes, ut supra erectas, singulis annis quatuor diebus Festis Domini nostri, B. Mariæ Virginis, aut Sanctorum per dictæ Societatis Præpositum Generalem designandis, visitantibus, & inibi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumentibus, & pro Gentilium, & Hæreticorum conversione pias ad Deum preces fundentibus; etiam plenariam: Omnibus etiam, & singulis, tàm Presbyteris, quàm alijs de dicta Societate existentibus, quos in qualibet utriusque Indiæ Regione, vel Occeani Insula, aut navigatione pro Fidei negotio eundo, vel redeundo mori contigerit, in cujuslibet eorum mortis articulo, saltem contritis, & confessis, si communicare nequiverint; plenariam pariter; Scholaribus verò in utraque India existentibus; ac confraternitati B. Mariæ Virginis ibi Canonicè institutæ adscriptis, qui in Annuntiationis, & Assumptionis ipsius B. Mariæ Virginis Festis dictum SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & Coronam, vel tertiam partem Rosarij recitaverint, necnon utriusque sexus Christifidelibus aliquam ex confraternitatibus canonicè erigendis ingressis, qui in Festivitate SS. Corporis Christi, & illius Octava pœnitentes similitèr, & confessi, idem SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & in cujuslibet eorum utriusque sexus Christifidelium mortis articulo, etiam pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, aut saltem contritis, si confiteri, & communicare non potuerint, plenariam similitèr omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditèr inDomino concedimus. Insuper dictis Scholaribus hujusmodi confraternitati adscriptis, qui in singulis ejusdem B. Mariæ Virginis, ac Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Festivitatibus, si confessi, & contriti præmissa peregerint, decem annorum de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs: Eis quoque, qui in singulis diebus Veneris cujuslibet Quadragesimæ devotè Processionibus publicis in partibus, & locis transmarinis ad orandum pro conversione Gentilium, & Hæreticorum præfatorum, juxta Ritum Ecclesiæ Romanæ institutis interfuerint, trium annorum: Reliquis verò omnibus eisdem Processionibus præsentibus contritis, & confessis unius anni indulgentiam elargimur. Quodque pro animabus eorum Christifidelium, qui in præfatis utriusque Indiæ navigationibus pro negotio fidei instituendis, ab humanis in charitate Christo conjuncti decesserint, confessi, ac Sacra Communione refecti, tertiam partem Rosarij, aut unam Coronam recitaverint, quoties id agunt, totics per modum suffragij unam ex dictorum animabus à pœnis Purgatorij liberare valeant. Quodque Scholares utriusque Indiæ hujusmodi, qui in Scholis Presbyterorum dictæ Societatis dant operam litteris in Presbyterorum eorundem Ecclesijs Missas, vel alia Divina Officia tempore interdicti, & cessationis à Divinis, ipsique Presbyteri eisdem Scholaribus præsentibus, jannis clausis, & non pulsatis campanis, & dummodo

do ipsi causam hujusmodi Interdicto non dederint, ac interdictis, & excommunicatis exclusis, audire, & celebrare respectivè possint, concedimus, & indulgemus. Insuper præfatis omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in Indijs, & Regionibus præfatis existentibus, qui contriti, & confessi quamlibet Ecclesiam, & Cappellam in eisdem partibus dictorum Presbyterorum Societatis Jesu cura, & opera, ut supra erectam, aut in futurum erigendam devotè visitaverint, & ut supra oraverint, quadraginta dies, & semel quolibet anno, aliquo die festo D. N. Jesu-Christi, B. Virginis Mariæ, aut Sanctorum, quem Provincialis dictæ Societatis constituerit, septem annos, & totidem quadragenas. Eisdem, qui aliquam ex præfatis Ecclesijs dictorum Presbyterorum Societatis Jesu Quadragesimæ, & alijs temporibus Stationum Urbis Dominicis, & feria sexta diebus visitaverint, easdem omnes, & singulas indulgentias concedimus, quas consequerentur, si Ecclesias, & Basilicas Urbis in diebus stationum hujusmodi devotè visitarent, illisque, qui singulis diebus feriæ sextæ primæ hebdomadæ cujusque mensis easdem Ecclesias devotè visitaverint, & ibi quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam, pro exaltatione fidei Catholicæ recitaverint, septem annos: in festis verò D. N. Jesu-Christi, ac B. Virginis, Apostolorum, sub cujus titulo Ecclesia consistit, decem annos: His autem, qui aliquam ex dictis Ecclesijs, postquam confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint visitaverint, toties viginti annos: ac iisdem Christifidelibus utriusque Indiæ, & transmarinorum limitum, qui Processionibus, & precibus juxta Ritum S. R. E. à præfatis Presbyteris de Ordinariorum licentia instituendis, & agendis Indorum & Æthiopum, seu quorumvis aliorum Neophytorum, & aliorum Christianorum interfuerint, & eas associaverint, Christianam Doctrinam cum eisdem Presbyteris, vel ab eis deputatis recitaverint, vel privatim docuerint, quoties id fecerint, septem annos, & totidem quadragenas: invisentibus autem infirmos, & præsertim Indorum Hospitalia Xenodochia, & alia similia loca pia, ipsis etiam infirmis per se, vel alium ministrando singulis diebus, quibus id fecerint, vigintiquinque, qui verò ad infirmos accedentes, ibi pernoctaverint quinquaginta. Eis etiam, qui coram B. Mariæ Imagine ab Alma Urbe ad Collegium Civitatis Limæ in Peru (ut asseritur) delata tertiam partem Rosarij, vel Coronam recitaverint, centum similitèr dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Ecetesia consueta relaxamus, ac respectivè concedimus, & indulgemus.

Dispensationes hujusmodi intelligendæ sunt juxta formam, & tenorem duorum Brevium Smi. Clementis XI. datorum 10. Aprilis, & 11. Junij, 1701.

Prætereà ejusdem Societatis Jesu Provincialibus, vel ab eis deputatis Presbyteris cum Neophitis Provinciarum utriusque Indiæ, aliarumque Maris Oceani Regionum, in quibus inter Infideles, fideles existunt, & non adsunt Ordinarij, similem facultatem habentes, vel ultra duas dietas, juxta Constitut. fel. rec. Pauli III. editam existunt in quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel alias conjunctis, seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scientèr contractu, remanere valeant in foro conscientiæ tantum gratis tamen dispensandi: & insuper ibidem locorum Ordinarijs, ut de Presbyterorum eorundem, tanquam adjutorum, & Assessorum suorum in locis præfatis, & ubi eorum commodè potuerit haberi copia, consilio, & cum illis etiam in judiciali foro, in reliquis autem Provincijs, præfatis Ordinariorum præsentia destitutis, vel ab eis ultra duas dietas præfatas, non minus ducentis millibus passuum remotis Provincialibus, & deputatis Presbyteris præfatis, cum eisdem Neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro gratis dispensandi: & eos, qui in gradibus prohibitis hujusmodi, etiam scientèr contraxerint, ab excessibus, & excommunicationis, alijsque censuris, & pœnis Ecclesiasticis in utroque foro gratis paritèr absolvendi, ac prolem inde susceptam legitimam decernendi. Nècnon ipsis Presbyteris in eisdem Indijs, & locis præfatis constitutis, quibus aliqua Eucharistiæ fragmenta, seu minutiæ pro tempore inciderint, etiam post per actum Sacrificium, absque ullo conscientiæ scrupulo, juxta Rubricas Missalis Romani reverentèr sumendi. Insuper Presbyteris ejusdem Societatis Jesu, quos in Saracenorum, & aliorum Infidelium terras, & alias utriusque Indiæ, & Transmarinas Regiones Maris Oceani ad quas Hispani, & Lusitani penètrant, ac Provincias remotissimas, ubi non est Inquisitio, & fideles degunt, neque Ordinarij saltem intra duas dietas existunt hujusmodi facultatem habentes Præpositus Generalis miserit Christianos in eisdem Provincijs, Indijs, & Regionibus commorantes ab omnibus peccatis, sententijs, & censuris, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, & reservatis, etiam gratiosè absolvendi facultatem, eisdemque, ut semel ab aliquo illarum partium Episcopo approbati ad prædicandum, confessiones audiendas, & Missas celebrandum in Ecclesijs, & Oratorijs Societatis Jesu præfatæ pro ministeriorum

rum hujusmodi exercitio ulterius licentiam, & approbationem ab alijs Episcopis, quatenùs distent ultra duas dietas, petere; seu habere, minimè teneatur; sed absque illis præmissa facere possint. Si verò Episcopus ab Ecclesia, vel loco; ubi prædicatur; vel confessiones audiuntur; non distet ultra præfatas duas dietas, tunc licentia, etiam alterius Ordinarij, ita vicini prius obtineri debeat, quæ tamen per Epistolam; etiam impetrari possit. Possint etiam extra Ecclesias consecratas super altaribus portatilibus in loco tamen decenti, ubi non est commoditas Ecclesiarum, & in casu necessitatis tantum, etiam per horam ante lucem; vel etiam post meridiem in eisdem Regionibus, cum opus fuerit, celebrare, & in Maluco; Jappone, & alijs Insularum, terrarum, Provinciarum, & locorum præfatorum partibus, & locis, à quibus valdè remoti sunt Episcopi, Oleis Sanctis per duos; vel tres; aut quatuor annos ante consecratis libere uti possint. Necnon ut quicunque ex præfatis Presbyteris Societatis præfatæ tantum sacrosanctum Missæ Sacrificium defunctorum pro animabus Christifidelium, qui ex hac vita in charitate Christo conjuncti decesserunt, in singulis Ecclesiis Societatis Jesu ad unum illorum superiorum arbitrio semel deputandum altare celebraverint per modum suffragij iisdem animabus prosint. Postremo iisdem Presbyteris a Præposito Generali ex dicta Societate deputandis, ut in præfatis Regionibus, Provincijs; & locis, in quibus similiter fideles, cum Infidelibus vivunt, & non adsunt Ordinarij, qui hujusmodi facultatem habeant, qui distant ultra duas dietas; cum Neophytis, alijsque ad fidem reductis ex rationabili causa, & legitima, super voto castitatis non tamen solemni, quomodolibet, etiam per Ordinis Sacri susceptionem, vel professionis Regularis in Religione per Sedem Apostolicam approbata emissionem facto, & super matrimonio defacto, & in facie Ecclesiæ, sive scienter, sive ignoranter contracto, & quovis occulto impedimento, præter primi gradus propter quod tale matrimonium in conscientia esset invalidum, & contrahentes sine scandalo separari non possent; dispensandi; gratis tamen, & in foro conscientiæ tantum: ac super bonis male adquisitis, ad quæ restituenda ipsi Neophyti, & alij præfati incertis personis obligati extiterint, cum eis ad opera pia componendi, vel si ipsi indigerent in toto, vel in parte remittendi: necnon cum Indis in foro conscientiæ tantum, & cum Neophytis in utroque foro super jejunijs, gratis tamen dispensandi: necnon ab onere petitionis debiti matrimonialis, quando non esset licitum illud ratione voti castitatis, vel alia rationabili causa petere in foro conscientiæ tantum, & gratis liberandi: licentiamque legendi libros infidelium, ac Hæreticorum, necnon quoruncumque aliorum; tàm in Indice Romano, quàm alias quomodolibet prohibitos, & damnatos ad finem, & effectum dumtaxàt hujusmodi libros, vel hæreses, & errores in eis contentos confutandi ad breve tempus, vel quousque ejusmodi librorum confutandorum lectio necessaria fuerit personis dignis concedendi facultatem, & potestatem, Apostolica authoritate; tenore præsentium tribuimus; & impertimur. Missas quoque per horam ante Auroram ipsi Patres Societatis celebrare possint, & cum suis Regularibus, ut ad Sacros; etiam Presbyteratus Ordines per annum ante legitimam ætatem promoveri possint, dispensare valeant, similitèr concedimus: & insuper, quia à nonnullis dubitatum, seu hæsitatum fuit, an omnes indigenæ illarum Regionum oriundi, & naturales, & Christianorum indigenarum, etiam baptizatorum filij, etiam in eorum infantia baptizati jure Neophyti appellari possint: ideireò tenore earundem præsentium decernimus, & declaramus, omnes oriundos; seu naturales supradictorum omnium, tam Orientalium, quam Occidentalium partium, imò etiamsi Æthiopes, Angulani; vel quarumvis aliarum Transmarinarum Regionum, etiamsi Christianorum filij, & in infantia baptizati, vel etiam inter se, vel cum Europæis mixtim progeniti sint, ad concessionis hujusmodi effectum esse, & intelligi debere Neophytos: dictosque Presbyteros cum hujusmodi, ut vel matrimonio conjungi, vel in jam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum, sive etiam uterque indè oriundus; ac propriè indigena sit in locis, & alias ut supra in quibuscumque consanguinitatis, vel affinitatis gradibus Jure Divino, ut supra non prohibitis, primo excepto, & alias, ut præfertur, gratis tamen dispensare posse concedimus, & indulgemus. Quin etiam, quia de mixtim progenitis, quos mixtos vocant, majus dubium esse accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter adhunc effectum Neophytos censendos esse decernimus, in gradibus, & matrimonijs contractis, & contrahendis præfatis gratis tamen; dummodò non ita facile id fiat; dispensare, eisdemque Presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam: Decernentes Presbyteros dictæ Societatis super præmissis, & alijs juxta facultates præfatas, & illarum vigore [illegible] rum forma, exequen[illegible]

textu, vel quovis colore per quoscumque loci Ordinarios, seu alios Superiores, & Judices Ecclesiasticos, & Saeculares quavis authoritate fungentes, molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus posse. Sicque in praemissis per quoscumque judices, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit nostra de non concedendis Indulgentijs ad instar, statutis, & consuetudinibus, caeterisque contrarijs quibuscumque. Praesentibus ad viginti annos a fin. aliorum viginti annorum, ad quos similes gratiae a fel. rec. Clemente PP. XI. praedecessore nostro concessae fuerunt inchoandos, tantum valituris. Volumus autem ut ipsorum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici, vel Secretarij dictae Societatis subscriptis, & sigillo Praepositi Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubicumque locorum habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 12. Decembris M.DCC.XXIX. Pontificatus nostri anno sexto. Deinde *Clem. XI. in Brevi. Alias pro parte 11. Jun.* 1701. declaravit, appellatione Neophytorum non comprehendi illos, qui ab Indis pro una dumtaxat parte originem trahunt, quos *quarterones* dicimus: multoque minus qui octavam partem per proavum, vel proaviam, sive ab alterutro, sive ab utroque habent, quos *Puchueles* nuncupamus. Et addit: *Necnon eisdem Presbyteris, & Ordinarijs servatis locorum circunstantijs, & limitationibus hujusmodi cum eisdem Neophytis in primo gradu, etiam rectae lineae affinitatis ex copula illicita resultantis se attinentibus, ut matrimonium quoque inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere similitèr valeant, in occultis tamen, & in foro conscientiae tantum, ac urgentibus justis causis, gratis etiam dispensandi, & eos, qui in primo affinitatis gradu hujusmodi, etiam scienter contraxerint, ab excessibus, & excommunicationis, alijsque censuris, ac poenis ... in foro conscientiae tantum gratiter ... : Dicisque Ordinarijs idoneos, ab ipsis prius ubi non adsint Missionarij similem facultatem habentes, quoad praemissa in sui locum subdelegandi licentiam, & facultatem authoritate Apostolica, tenore praesentium concedimus, & impartimur.* Etiam declarat, quod in illis verbis: *Vel alias conjunctis*, comprehenditur facultas dispensandi in cognatione spirituali.

TIT. XXXII.

De Conversione conjugatorum.

307 Conversio conjugatorum in praesenti, est ingressus alicujus conjugati in Religionem. Si enim matrimonium sit ratum tantum, hoc est, non consummatum copula perfecta, vel quia alter non petijt debitum, vel quia alter negavit, sive justè intra bimestre, sive etiam injustè extra illud, potest quilibet ex eis, etiam bimestri elapso Religionem ingredi. *C.* 2. *e. Ex publico*, 7. *C.* 14. *b. t. Trid. sess.* 24. *de Matr. Can.* 6. *L.* 13. *tit.* 7. *p.* 1. ubi mulieri post diu contractum matrimonium, non tamen consummatum ingredi Religionem conceditur. *D. Bonav. in* 4. *D.* 27. *art.* 3. *q.* 2. *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *D.* 24. *n.* 27. *& alij com.* Ratio enim hujus permissionis est, quia in matrimonio rato in favorem matrimonij spiritualis, quod per professionem contrahitur subintelligitur haec conditio: *Nisi conjux Religionem profiteatur.* Professio namque Religiosa, ob sui excellentiam, habet vim dissolvendi matrimonium ratum, & plures ex Divina revelatione hoc jure usos fuisse, constat *ex C.* 2. *h. t. & ibid. Gonz. n.* 6. ac proindè hanc matrimonij solutionem, non tàm humana, quàm Divina authoritate fieri, probari videtur. *Ex C.* 2. *c.* 14. *h. t.* & ita tenent *Scot. Abulens. Sot. Gonz. in C.* 2. *h. t. n.* 7. *in fin. Sanch. de Matrim. lib.* 2. *D.* 19. ubi plures citat Doctores variè sentientes. Ad hujusmodi ingressum faciendum bimestre assignatur à jure. *C.* 7. *h. t.* hic tamen terminus potest prorogari, vel etiam restringi à Judice. *L.* 13. *tit.* 7. *p.* 1. *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *D.* 24. *n.* 12. *Ponze de Matrim. lib.* 9. *cap.* 9. *n.* 8. *&* 9. intra talem terminum potest conjux deliberare, an posthabito matrimonio Religionem ingredi velit. Et idcirco intra illum non tenetur matrimonium consummare, nec debitum reddere: etiamsi non habeat animum ingrediendi Religionem: nam suo utitur jure, & potest fortassè mutare propositum, & Religionem ingredi. *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *D.* 24. *n.* 25. *Ponze de*

de Matrim. lib. 9. cap. 9. n. 7. & alij contra *Navarr. & alios.* Hoc quidem bimeſtre computandum eſt à die contracti matrimonij: quod ſi Judex certum terminum præſcribat, ab eo tempore, quo aſsignavit terminum, menſes computantur, & quidem eo modo, quo in Kalendario occurrant, & de momento ad momentum. *Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 24. n. 21. Ponze de Matr. lib. 9. cap. 7. & alij* contra *Barboſ. in C. 7. b. t. n. 9.* ſi intra bimeſtre conjux Religionem eligat, eam poteſt ingredi, ut per annum novitiatus probet, an velit, vel non profiteri; *arg. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 15.* ac per conſequens bimiſtre tantum datur ad deliberandum. *Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 24. n. 40.* Profeſsione tamen emiſſa in effectu, & non antea, in aliqua Religione approbata, etiam Militari, dum vere Religio ut, qualis eſt Melitenſium, diſſolvitur matrimonium ratum, etiam quoad vinculum, & conjux in ſæculo relictus, poteſt poſt alterius profeſsionem, & non antea, novum conttahere matrimonium. *C. 2. 14. b. t. Trid. ſeſſ. 24. de Matrim. Can. 6. Gonz. in C. 2. b t. & alij com.* & licet vota ſimplicia ſocietatis poſt biennium emiſſa conſtituant verè, & propriè Religioſum, ea emittentem, cum tamen non inducant profeſsionem ſolemnem, cui vis matrimonium ratum dirimendi conceſſa eſt, & aliundè nullo privilegio hujuſmodi habeant vim, dicendum eſt, quod matrimonium ratum non dirimunt. Ita *Suar. Vazq. Enriq. Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 18. n. 6. Gonz. in C. 2. b. t. n. 6. & alij* contra *Ponze de Matr. lib. 9. cap. 6.* Quod ſi poſt bimeſtre, vel tempus à Judice aſſignatum mulier ſit cognita à conjuge, etiam per vim, cum hic ſuo jure utatur, nec ipſe peccat, nec jam amplius fœminæ conceditur tranſitus ad Religionem, quippe jam matrimonium deſinit eſſe tantum ratum per talem conſummationem. *C. 13. b. t.* quod à fortiori locum habet, quando copula per metum, etiam gravem, fuit extorta. Sic *Ponze de Matrim lib. 9. cap. 10. & alij* contra *Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 22. n. 6. Greg. Lop. & alios*, qui inſuper valdè probabiliter tenent, fœminam per vim præciſam intra bimeſtre cognitam, poſſe Religionem ingredi, ne jure ſuo, ſine ſuo conſenſu per alterius injuriam privetur: ac proindè dicunt, virum illam per vim cognoſcentem peccare; quia aufert corporis fœminei integritatem, ad quod non habet jus intra bimeſtre. Contrarium tamen tenent *Sylv. Covarr. & Ponze de Matrim. lib. 9. cap. 10. n. 3.*

308 Licet conſummato matrimonio de Jure Civili adhuc liberum eſſet conjugibus ad Religionem convolare: de Jure tamen Canonico, quod proculdubio in hac materia ſervandum eſt, non licet conjugi poſt talem conſummationem, invita parte ad Religionem tranſire. *C. 1. b. t.* quod ſanè provenit ex reciproca poteſtate, quam conjux in alterum conjugem habet, & ideò nequit altero renuente mutare ſtatum, nec ipſum jure per matrimonij conſummationem quæſito privare: nam ut ait Apoſtolus *1. ad Cor. 7. v. 4. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem, & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*: quæ quidem reciproca poteſtas præcipuè datur conjugibus per commixtionem corporalem: nam tunc fiunt una caro, & inde nullus poteſt Deo offerre corpus, quod jam non eſt ſuum. Ut deducitur ex *C. 2. b. t.* Prætereà, matrimonium ratum ſignificat charitatem, quæ inter Deum, & animam juſtam intercedit: conſummatum ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia per humanitatis aſſumptionem. *C. 5. de Bigam.* ideo matrimonium ratum diſſolvitur per Religionis ingreſſum: ſecus conſummatum; ſicut illa unio per charitatem ſolubilis eſt: ſecus unio per incarnationem. *Gonz. in C. 2. b. t.* Tribus nihilominus caſibus poteſt conjux poſt conſummationem matrimonij Religionem ingredi. 1. Si alter committat adulterium, cum enim jus petendi debitum perpetuò amittat; niſi innocenti reconcilietur, poteſt innocens adulteró invito Religionem ingredi. *C. 21. 27. q. 2. c. 15. b. t. L. 11. tit. 7. p. 1.* 2. Si alter in hæreſim, vel apoſtaſiam incidat; & monitus in errore perſiſtat. Tunc poteſt innocens ingredi Religionem. *C. fin. b. t. L. 13. tit. 7. p. 1.* 3. & præcipuè ſi ambo conjuges mutuo conſenſu Religionem ingrediantur: vel saltem unius conſentiat, quod alter fiat Religioſus: ſed tunc conjux relictus, ſi juvenis, & ſuſpectus de incontinentia ſit, debet etiam Religionem ingredi. *C. 21. 27. q. 2. c. 1. c. 13. b. t. L. 40. tit. 6. p. 1. L. 11. tit. 7. p. 1.* Si tamen conjux relictus ſenex, & de incontinentia non ſit ſuſpectus, ſat eſt, quod votum ſimplex continentiæ emittat. *C. 4. c. 9. c. 18. b. t.* Quod ſi ſenex de incontinentia ſuſpectus ſit, ingredi Religionem prorſus debet: & idem eſt de juvene, quantumvis honeſtæ vitæ ſit, & periculum abſit incontinentiæ. *C. 1. b. t. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 32. ex n. 9.* & hodiè in praxi ſervatur, quod ad talem mutationem licentia Epiſcopi accedat. *C. 23. 27. q. 2.*

q. 2. non tamen requiritur ad professionis valorem. *Sanch. ubi supr. n.* 3. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 5. sed quamvis requiratur, quod conjux in sæculo manens, vel Religionem ingrediatur, vel continentiam voveat modo dicto, non tamen adeò necessarium est, ut si non fiat, professio alterius invalidetur, cum nullo jure talis nullitas probetur: quin de ejus valore constat *in C.* 21. 27. *q.* 2. *c.* 9. *b. t. Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 33. *n.* 4. *& alij.* Si uxor, de cujus licentia maritus est professus, votum continentiæ emisit, cum suo juri jam cesserit, nequit maritum postea revocare. *C.* 1. *b. t.* si tale votum non emisit, & scit, virum non posse profiteri, quin ipsa, vel continentiam voveat, vel Religionem ingrediatur: per ipsum factum licentiam concedendi marito, censetur, se obligasse ad id, quod ad talem professionem est necessarium, scilicet, vel continentiam vovere, vel Religionem ingredi; ac per consequens, ad id tenetur, nec potest maritum revocare; *arg. L.* 2. *ff. de Jurisdict.* Si tamen hujusmodi juris ignara extitit, cum non credatur ei renuntiatum, potest maritum revocare, qui proindè poterit debitum reddere, non autem petere: quin & uxore mortua, tenetur ad Monasterium redire, cum professio adhuc liget. *C.* 9. *b. t. D. Bonav. Greg. Lop. & alij* cum *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 33. *ex n.* 5. Ut tamen alter conjugum post matrimonium consummatum possit Religionem ingredi, & in ea profiteri, non sufficit consensus tacitus ob arduitatem materiæ, & ob magnitudinem præjudicij. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 35. *n.* 13. licet contrarium dici videatur *in L.* 40. *tit.* 6. *p.* 1. Requiritur ergo consensus expressus, & quidem omninò liber à metu gravi, & dolo: sicut ad ipsum matrimonium requiritur. *C.* 14. *de Sponsalib.* nam contrariorum eadem est ratio. *L.* 1. *ff. de his, qui sui.* Si enim gravi, & injusto metu, vel dolo extorqueatur consensus, professio in vim professionis invalida est. *C.* 2. 33. *q.* 5. *c.* 17. *b. t.* & post talem professionem, utpotè nullam liberè ad sæculum talis Religiosus redire potest. Valet tamen in vim simplicis voti continentiæ. *C.* 3. *c.* 12. *b. t.* quia præsumitur, nisi aliud probetur, talem voluisse, se obligare in quantum potuit, ac proindè simplici voto continentiæ; *arg. C. fin. de Desponsat. impuber.* & sic professus, ne jure suo privet conjugem invitum, potest ab eo revocari; sed cum voto continentiæ præsumatur ligatus, licet debitum teneatur reddere, non tamen illud petere valet. *L.* 40. *tit.* 6. *p.* 1. *l.* 11. *tit.* 7. *p.* 1. Quod si ambo conjuges mutuo consensu voto simplici castitatis ligati inveniantur, adhuc neuter potest altero invito Religionem ingredi; *arg. C.* 4. 33. *q.* 5. nam per tale votum solum liberantur ab obligatione reddendi debitum, non tamen à mutua cohabitatione, & alijs conjugalibus obsequijs: aliud est, si & his cesserunt, ut in *C.* 20. *b. t.* Quod si ambo conjuges, non obtenta mutua licentia, Religionem profiteantur; si alter alterius professionis conscius fuit, neuter alterum revocare potest, cum facto ipso mutuam facultatem sibi ambo dedisse censeantur. Si tamen uterque fuit inscius alterius professionis, cum utraque professio fuisset invalida ex defectu licentiæ, uterque potest Religionem dimittere, & conjugem repetere. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 34. *n. fin.*

TIT. XXXIII.

De Conversione infidelium.

309 NOmine infidelium veniunt in præsenti illi, qui nunquam baptismum susceperunt, ut Mauri, Judæi, & Pagani: nam hi verè ad fidem Christianam dicuntur converti. Hæretici tamen qui fidem in baptismo susceptam deseruerant, ad fidem reverti dicuntur. De his igitur in præsenti statuitur: quod si vir infidelis maritum uxoris fidelis occidat, ejusdem uxoris machinatione cooperante, & ad fidem posteà convertatur, non potest talis infidelis occidens cum tali muliere contrahere: quippè inter eos impedimentum dirimens invenitur. Et quidem etiamsi adulterium non præcesserit, & etiamsi hoc fiat, ut infidelis per tale matrimonium ad fidem convertatur: *nam tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non vult. C.* 1. *b. t.* Si vero infidelis sine machinatione, sed in bello, vel rixa alium occidat nullum est impedimentum, ut posteà ad fidem conversus cum tali muliere contrahat matrimonium. *C.* 1. *b. t. arg. L.* 19. *tit.* 2. *p.* 4. Profectò; licet Jure Civili filij potestati, & curæ patris, non vero matris subjaceant. §. *fin. Inst. de Patr. potest.* tamen Jure Canonico attento, parenti fideli, sive pater, sive mater sit, relinquenda est proles communis (quæ adhuc non est doli capax) in favorem Religionis, & fidei, ne ab infideli parente pervertatur: Nam summa est ratio, quæ pro Religione facit, *L.* 43. *ff. de Religiof.* & po-

potest talis filius à parente fideli, etiam altero reclamante, baptizari. *C. fin. b. t. c.*10. 28. *q.*1. si doli capax sit in sua relinquitur libertate: quippè nemo invitus fidem suscipere cogitur. *C.*5. *D.* 45. *c.* 9. *de Judæis.*

TIT. XXXIV.

De Voto, & voti redemptione.

310 VOtum aliquando sumitur pro *voce, seu suffragio*, quod aliquis habet in Capitulo ad electionem: *C.*2. *de Election. in* 6. aliquando pro *desiderio*, quod quis habet. *L.*15. *ff. de Inoffic. testam.* aliquando pro *proprio velle* juxta illud. *Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.* In præsenti tamen accipitur *pro quadam Lege privata, quam quis sibi imponit ad aliquid faciendum, vel omittendum, dandum, vel præstandum*: & id, quod promittitur dicitur materia voti, & secundum eam dicitur votum *affirmativum*, vel *negativum, temporale*, vel *perpetuum.* Sed præcipuè dividitur *in reale, personale, & mixtum. Reale igitur est, quo res externa promittitur, ut eleemosyna. Personale* est illud, quo actio; vel omissio actionis homini propria promittitur; ut peregrinatio; vel jejunium. *Mixtum* est, quando utrumque promittitur. Votum etiam *commune*, & *necessarium* solet appellari quale scilicet est, quando materia voti ab omnibus ex necessitate præcepti observanda est: tale dicitur quod fit in baptismo Legem Christi servandi. *L.* 1. *tit.* 18. *p.* 1. licet hoc in rigore non sit votum: ad cujus distinctionem dicitur votum *singulare*, & *liberum*, quando materia voti solum ex consilio debetur: v. g. votum castitatis, vel peregrinationis; & hoc sanè propriè votum est: nam ut ait *D. Thom.* 2. 2. *q.*88. *art.* 1. *ad* 2. *Voluntas movet rationem ad promittendum aliquid circa ea, quæ ejus voluntati subduntur: & pro tanto votum a voluntate accipit nomen, quasi à primo movente.* Votum ergo sic communitèr *definitur*: *est deliberata promissio Deo facta de meliori bono. L.* 1. *tit.* 8. *p.* 1. ibi: *Voto tanto quiere decir, como promessa, que omê face à Dios: E estonce ha este nome verdaderamente, è debe ser guardado, quando es fecho por algun bien, que se torne à servicio de Dios. D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. *&* 2. dicitur promissio: quia ex voto nascitur obligatio illud adimplendi. *Deut.*23. *v.*21. *Psalm.*75. *v.*12.*Num.*30.*v.*3.*Eccles.*5. *v.*3. ibi: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio.* Quia licet nemo vovere teneatur, post votum tamen illud adimplere tenetur. *C.*6. *b. t. L.* 1. *tit.*8. *p.* 1. *D.Thom.* 2. 2. *q.*88. *art.*3. ibi: *Maximè autem debet homo Deo fidelitatem, tùm ratione dominij: tùm etiam ratione beneficij suscepti: & ideò maximè obligatur homo adhoc, quod impleat vota Deo facta: hoc enim pertinet ad fidelitatem, quam homo debet Deo. Fractio autem voti est quædam infidelitatis species. Undè Salomon rationem assignat, quare sint vota reddenda: quia displicet Deo infidelis promissio.* Et quidem hæc obligatio erit gravis, si materia gravis sit, & talis sit voventis intentio: erit tamen levis, si materia levis sit; vel talis sit voventis intentio. Votum etenim, sicut & contractus ab initio voluntatis est, ex post facto tamen necessitatis. *L.* 5. *C. de O. & A.* si enim homini fides servanda est, quanto magis Deo? ut nervosè ponderat Rex N. Alfonsus *in Pr. tit.*8. *p.*1. *E si esto es en las promissiones, que los omes facen entre si, quanto mas en las que facen à Dios?* In hac igitur obligatione differt votum à proposito; nam hoc quantumvis efficax obligationem non inducit. *C.* 3. *b. t.* nisi fortè propositum non sit simplex, sed conjunctum cum intentione se obligandi: nam tunc utique obligat. *C.* 20. *de Regularib. Suar. de Vot. lib.*1. *cap.*2.

311 Qui votum emittit, & solum vult se obligare ad veniale, ad id solum tenetur; etiamsi materia gravis sit: quod si nec ad veniale obligari velit, sed tantum ad pœnam, ad pœnam tantum tenebitur: quia cum votum sit quædam Lex privata potest quis modo, quo velit se obligare; nec actus agentium ultra agentium intentionem operari valent. *L.*19. *ff. de Rebus credit.* in dubio tamen obligatio voti cum gravitate, vel levitate materiæ commensuratur. Non tamen posse voventem sub gravi se obligare quando materia est levis ob materiæ improportionem tenent communitèr DD. nisi ratione circunstantiarum fiat gravis. *Sanch. in Decal. lib.* 4. *cap.* 12. *n.*6. Qui vovit quotidiè recitare *Salve Regina*, cum materia sit parva non peccat gravitèr, si semel, vel iterum omittat: imo etsi toto anno omittat, esse tantum veniale, quia materiæ non coalescunt, tenent *Diana, Soto, & alij.* Ob contrariam tamen rationem, qui singulis diebus vovit eleemosynam, etiam modicam, dare, gravitèr peccat si pluribus diebus non det eleemosynam: quia materiæ coalescunt.

cunt. Si votum, etiam grave, non adimpleatur in parte materia non erit peccatum grave. *Alloz. in Sum.* V. *Votum, sect.* 1. *num.* 34. Dicitur in definitione voti *promissio deliberata*: nam voti promissio non debet esse ficta, sed vera, animo se obligandi facta: nec sufficit ad votum motus primo primus, nec secundo primus, sed est necessaria deliberatio plena. *L.* 1. *tit.* 8. *p.* 1. ibi: *Pero el que esto ficiere, debe ante pensar en ello, e non lo facer arrebatadamente. Alloza* V. *Votum, sect.* 1. *n.* 2. sufficit tamen ad votum si vovens habeat animum se obligandi, licet sine animo adimplendi, cum hæc separabilia sint. Qui vero votum emisit sine animo se obligandi peccat, sed non manet obligatus: quia cum a ponat conditionem contra voti substantiam censetur nolle vovere; *arg. C. fin. de Condition. apposit.* intervenire igitur in tali promissione debet ea advertentia, & deliberatio, quæ ad peccatum mortale sufficeret: qui enim potest se per culpam diabolo obligare, non poterit se obligare Deo per votum? *Suar. de Voto, lib.* 1. *cap.* 4. *& 6. Navar. & alij.* Dicitur *Deo facta*: quippè votum est actus latriæ, seu Religionis, quo Deum immediatè colimus: sicque vota, quæ Sanctis fiunt, Deo in memoriam talium Sanctorum fieri censentur, sicut Templa, & Altaria quæ nomine eorum eriguntur. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 5. *Suar. de Vot. lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 5. *Sanch. in Decal. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 41. vota etenim non solum Christiani, sed etiam Ethnici suis Dijs faciebant, & solvebant, tanquam suæ Religionis obsequia. Sic apud *Virgil. Æneid. lib.* 5. *Cloanthus* ait: *In littore taurum constituam ante aras voti reus, extaque salsos porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.* Ubi obiter notandum est, quod voti reus dicitur, qui suscepto sub conditione voto, se Numini obligat: qui illud solvit, dicitur absolutus, qui illud non solvit damnatus nuncupatur. Additur præterea in definitione voti: *de meliori bono*: quia materia voti non solum debet esse possibilis, licita, & honesta, sed etiam de meliori bono, hoc est, quod sit melior, ac Deo gratior, quam ejus oppositum. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. Et licet matrimonium secundum se non sit materia voti, cum impediat majus bonum, religionem videlicet, & cœlibatum; tamen quando hic, & nunc est majus bonum matrimonium, quam oppositum, potest abldubio matrimonium voveri: v. g. si puellæ corruptæ data sit fides de matrimonio, vel quando ob carnis ardorem inextinguibilem hoc medium censetur convenientius ad vitanda peccata: vel quando matrimonium ob bonum religionis, fidei, & pacis inter Principes Christianos expedit celebrari. Vel quando alias contracturus matrimonium vovet cum puella paupere ad ejus inopiam sublevandam matrimonium contrahere. *C.* 20. *de Sponsalib. Suar. de Voto, lib.* 2. *cap.* 9. *ex n.* 8. *Sanch. in Decal. lib.* 4. *cap.* 8. *n.* 51. si res per votum promissa sit indifferens, non valet votum, nisi fortè sumatur, ut medium ad finem bonum. Vota, quæ sunt de rebus vanis, & inutilibus sunt magis deridenda, quam servanda. Votum nullo genere venialium peccandi, ut de materia moralitèr impossibili non valet: votum, quod S. Theresia emisit efficiendi semper quidquid perfectius esse intelligeret, fuit maximè arduum, & Deo consiliante fuit factum, ut in Breviario notatur: quod cum specialis gratiæ impulsu fuisset emissum, non debet ad consequentias trahi; *arg. L.* 14. *ff. de Legib.* Validum tamen est votum non peccandi gravitèr, nec etiam venialitèr in aliquo genere: nam hoc per vires gratiæ possibile est, non tamen facile consulendum ob transgressionis periculum. *Suar. de Voto, lib.* 2. *cap.* 3. *ex n.* 2. *Sanch. in Decal. lib.* 4. *cap.* 5. *ex n.* 10. quando vero materia ex se est capax voti magis meritorium est, ex voto facere, quam sine illo, quia sic pertinet ad divinum cultum, fitque ille actus religionis, & latriæ, quæ est præcipua inter virtutes morales. Et sic vovens plus se Deo subjicit, quam ille qui sine voto facit. Subjicit enim se Deo, non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem; quia de cætero non potest aliud facere, sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum, ut dicit. *D. Anselm.* sic *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 6. *in corp.*

312 Si quid malum, vel turpe promittatur, non obligat votum, teste D. Isidor. *in C.* 5. 22. *q.* 4. ibi: *In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum: quod incautè vovisti ne facias: impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.* *L.* 1. *tit.* 8. *p.* 1. quod optimè explicat *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *ad* 2. ibi: *Quædam sunt, quæ in omnem eventum sunt bona, sicut opera virtutis, & talia bona, quæ possunt absolutè cadere sub voto: quædam vero in omnem eventum sunt mala, sicut ea, quæ secundum se sunt peccata, & hæc nullo modo possunt sub voto cadere: quædam verò sunt quidem in se considerata bona (& secundum* hoc

hoc possunt cadere sub voto) possunt tamen habere malum eventum, in quo non sunt observanda: & sic accidit in voto Jeptè qui, ut dicitur Judic. 11. votum vovit Domino, dicens, si tradideris filios Amòn in manus meas, quicunque primus egressus fuerit de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti in pace eum offeram holocaustum Domino, hoc autem poterat malum eventum habere, si occurreret ei aliquod animal non immolandum, sicut asinus, vel homo, quod etiam accidit: undè, & Hieronym. dicit: in vovendo fuit stultus, & in reddendo impius. Præmittitur tamen ibidem, quod factus est super eum Spiritus Domini: quia fides, & devotio ipsius, ex qua motus est ad vovendum fuit a Spiritu Sancto: propter quod ponitur in Catalogo Sanctorum, & propter victoriam, quam obtinuit, & quia probabile est, eum pœnituisse de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum figurabat. Quando finis rei promissæ est malus non valet votum, cum sumatur, ut medium ad finem malum: v. g. si quis eleemosynam voveat, ut injustam rem consequatur: valet tamen, si finis tantum voventis malus sit, cum ejus malitia in rem promissam non refundatur: v. g. si quis voveat eleemosynam ob vanamgloriam. *Suar. de Voto, lib.2. cap.4. n.3. & 4. Sanch. in Decal. lib.4. cap.6. n.13.*

313 Votum ex parte promissionis est vel *absolutum*, quod scilicet statim, independentèr ab aliquo eventu obligat: vel *conditionale*, cujus obligatio ab impletione alicujus conditionis futuræ, & contingentis dependet. Item: aliud est *expressum*, quod scilicèt, voce, signo, vel nutu declaratur. Aliud *tacitum*, quod scilicèt emittitur aliquid faciendo, cui est annexum votum: v. g. qui Sacros Ordines suscipit, votum continentiæ ipsis annexum emittere censetur. Sed celeberrima voti divisio est *in solemne*, & *simplex*. *Solemne* siquidem est, quod ab Ecclesia ut tale acceptatur: & in hac acceptatione, seu dispositione Ecclesiæ ejus solemnitas stat. Estque perpetuum, si ab Ecclesia non dispensetur, & voventem inhabilem reddit ad actus voto oppositos. Tale est votum solemne professionis religiosæ, & votum continentiæ Sacris Ordinibus annexum. *C.1. h.t. in 6. L.2. tit.8. p.1. & ibid. Greg. Lop.* Votum *simplex* est, quod prædicta caret solemnitate; cujusmodi sunt, cætera omnia vota. *L.2. tit.8. p.1.* Et certè quilibet potest Deo votum facere, nisi specialitèr prohibeatur, cum hoc sit obsequium, quod tanquam Religionis actus Deo Authori omnium bonorum justè præstatur. Vovere tamen ex defectu rationis prohibentur furiosi, amentes, & mente capti. Item infantes in foro externo, in interno autem, secundum eorum capacitatem discurrendum est. Episcopus nulla vota realia, nec personalia, quæ ejus officio obstent, ut longa peregrinatio, vel ingressus Religionis, emittere valet sine Pontificis licentia, cum non possit solvere etiam prætextu pietatis vinculum, quo Ecclesiæ adstringitur, nec sui muneris adimpletioni deficere valeat. *C. 18. de Regularib. L.3. tit. 8. p. 1.* Votum professionis emissum à Novitio ante decimumsextum annum ætatis, & ante completum probationis annum à jure irritatur. *Trid. sess.25. de Regular. cap. 15.* Impuberes, Minores, Conjugati, & Religiosi, licet possint validè vovere de materia non prohibita sine licentia parentum, Tutorum, Curatorum, Conjugum, & Superiorum, non tamen prædicta vota sine prædictorum licentia habent omnimodam firmitatem ex defectu liberæ voluntatis, ac proinde possunt irritari. *L.3. tit. 8. p. 1. & ibid. Greg. Lop.* ubi textus Canonicos concordantes cum varijs limitationibus ponit.

314 Qui facta sufficienti inquisitione adhuc dubitat, an emiserit votum, ad illud non tenetur: siquidem suam possidet libertatem, & in dubio melior est conditio possidentis. *C. 65. de Reg. jur. in 6. Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 41. n. 32.* si verò quis certus sit de voto, dubitet tamen, an habuerit animum se obligandi, vel sufficientem deliberationem, vel an votum valeat: cum jam de facto constet, & possessio pro voto sit, præsumitur legitimè factum; *arg. C. 8. de Probation. Sanch. n. 13.* idem, ex eadem ratione, dicendum est, si cum de voto, & ejus valore constet, dubitet vovens, an adhuc obliget. Qui rem in genere vovit, non exprimendo nec quantitatem, nec qualitatem, licet attento Jure Civili, talis promissio ob incertitudinem vitiaretur. *L. 94. l. 95. ff. de V. O.* de Jure tamen Canonico ob favorem causæ piæ sustinetur, cum jam de voto constet, & sit honestum, & possibile: sufficit tamen, quod præstetur res in quantitate, vel qualitate utili, licet non sit major, nec melior in illa linea. Sic *in C. 18. de Censib.* cum S. Pontifex consuleretur circa mensuram tribuendam ob votum factum Divo Jacobo Compostellano, respondit, sufficere ad votum adimplendum, si minima mensura tritici reddatur, cum in ea votum verificetur; *arg. L.75. ff. de Legat.3. & C.30.* de

de Reg. jur. in 6. ibi: *In obscuris minimum est sequendum*: nisi aliud consuetudine sit introductum, nam secundum eam mens voventis interpretatur; *arg. C. 8. de Consuetud.* Quod si votum pro tempore designato fiat, tempore adveniente implendum est, nisi justa causa excuset. *C. 5. h. t.* v. g. si ex dilatione facilius, & melius speretur adimplendum. *Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 14. n. 8.* si absque temporis designatione fiat, impleri debet cum primum potest, prudentis judicio, sine incommodo notabili, attentis circumstantijs. *Deut. 23. v. 21.* ibi: *Cum votum voveris Domino Deo tuo non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 3. Suar. de Vot. lib. 4. cap. 12. ex n. 6. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 14. ex n. 4.* Nam *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur. L. 14. ff. de Reg. jur.* spatium tamen, in quod adimpletio possit differri prudentis judicio, taxandum est. *L. 13. l. 105. ff. de Solutionib.*

315 Obligatio voti adeò personalis est, ut solum voventem ad voti impletionem obliget, cum sit Lex privata, quam ipse sibimet ipsi imposuit. Hinc non potest voveri factum alienum, sed tantum diligentia, vel conatus, ut fiat. *Suar. de Voto, lib. 2. cap. 1. n. 7. Sanch. & alij*: & licet votum personale, in quo actio voventis propria est promissa, non possit per alium adimpleri, tamen quando votum est reale, potest per Procuratorem adimpleri, vel per alium, qui loco voventis hoc facere velit. Idem est de voto mixto, quatenùs votum reale continet: quia cum materia voti sit voventi extrinseca, eodem modo satisfit obligationi voti, si ab ipso vovente, vel ab alio adimpleatur, sicut accidit in solutione debiti. Si verò vovens ex aliqua causa, etiam sua culpa non possit votum adimplere, etiamsi hoc reale sit, non tenetur illud per alium adimplere, nisi ad hoc faciendum se voluit obligare. *Suar. de Voto, lib. 4. cap. 10. n. 10. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 15. ex n. 3.* Nec alij præter voventem voto tenentur: v.g. filij, hæredes, vel successores, nisi ipsi voto se obligassent, ut in *C. 6. h. t.* Quando Magistratus, vel major pars communitatis aliquod votum emittunt, subditi, vel successores non consentientes voto non tenentur ad ipsum; si tamen authoritas Episcopi accedat, omnes, non ad votum, sed ad materiam voti ex Lege Ecclesiastica obligantur. Infans, dum baptizatur, non tenetur ex voto ad Fidem Catholicam, sed ex Lege Divina obligante ex suppositione susceptionis in baptismo. Hæres non tenetur testatoris vota personalia, nec mixta, quatenùs actionem personalem continent, adimplere, nisi, & ipse in hoc consentiat: siquidem eo quod sint personalia personam tantum naturalem, non verò personam civilem testatoris ligant. Tenentur tamen hæredes vota realia testatoris, & etiam mixta, quatenùs realia adimplete. *C. 18. de Censib. C. 6. de Testam. C. 6. h. t. L. 2. ff. de Pollicit.* nam adeundo hæreditatem suscipiunt obligationes, & onera realia ipsi annexa, inter quæ sunt talia vota. *Suar. de Voto, lib. 4. cap. 11. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 15. ex n. 22.*

316 *Redemptio* voti, de qua in secunda parte Rubricæ, licet propriè commutationem significet, latius tamen sumitur pro quocumque modo, quo obligatio voti cessat. Et quidem 1. cessat voti obligatio per *dispensationem* à legitimo Superiore factam, consensu tertij, cui jus per votum adquisitum est, interveniente: debetque adesse causa justa verè talis, nec sufficit, bona fide credi justam; aliter non tenet dispensatio: *nam cum sit remissio nomine Dei facta*, non potest Deo placere, si irrationabilis sit, rectæque gubernationi præjudicet. Nec enim Prælatis conceditur, teste Apostolo, potestas ad destruendum, sed tantum ad ædificandum. Qui vero facultatem dispensandi habet, etiam habet ad commutandum, cum commutatio sit pars dispensationis; non verò è contra. Pontifex sanè ex absoluta potestate ligandi, atque solvendi Divo Petro, & ejus in Cathedra successoribus concessa, potest in omnibus votis dispensare. Et quidem solus in quinque reservatis, videlicèt: castitatis, Religionis, peregrinationis in Terram Sanctam, ad Limina Apostolorum, & ad Sanctum Jacobum Compostellanum in Hispania. *C. 7. h. t. L. 4. l. 5. tit. 8. p. 1.* Nam hæc quinque vota specialitèr R. Pontifici sunt reservata. *Extrav. fin. de Pœnitent. int. com.* possunt tamen inferiores Prælati, vel etiam Confessarij in his votis dispensare ex privilegio Apostolico, vel ex delegatione, vel ex consuetudine legitimè præscripta, vel etiam quando necessitas urget, vel est periculum in mora, nec datur facilis ad Papam recursus, vel ad alium hac facultate gaudentem, vel si vovens tantum sub veniali se obligavit: vel si dubitetur, an verè sit reservatum, vel non. Quod si prædicta vota non sint in suo genere perfecta, non censentur reservata.

v.g.

v.g. si quis vovit castitatem ad tempus certum, vel ex certo tempore: vel si vovit non peccare contra castitatem, vel si disjunctivè castitas, vel jejunium promittatur: vel si fiat votum ingrediendi Religionem non approbatam, vel peregrinandi Romam, Terram Sanctam, vel Compostellam alio, quam devotionis fine: vel si metu, etiam levi, injustè incusso aliquod ex his votis extorqueatur. Talia enim vota non sunt perfecta in sua linea, ac proindè nec reservata. *Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 40. ex n. 24.* eadem ratione non sunt reservata hæc vota, si sub conditione contingente in futurum (secus, si sub conditione necessaria, vel contingente quidem, sed de præterito, vel præsenti) emittantur: nam majori affectu in conditionem, sub qua, quam in materiam, de qua fiunt, emitti creduntur: nec reservata manent adhuc impleta conditione: ut contra *Sot. de Just. lib. 7. q. 2. art. 1. Gutierr. qq. Canon. lib. 2. cap. 22. n. 51. Ponz. de Matrim. lib. 8. cap. 9. n. 7.* tenent *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 10. n. 8. Toled. in Sum. lib. 4. cap. 18. Palacios, Medin. Valent. & alij:* quia conditionis impletio obligationem perficit; non verò consensus, nec modi promittendi imperfectionem mutat. Episcopi, aliique Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, possunt in votis non reservatis dispensare cum suis subditis, non vero cum alijs. Prælati Regulares, etiam dispensare possunt cum Religiosis: imò & cum Novitijs: Nam licet non habeant in ipsos potestatem dominativam, habent tamen jurisdictionem spiritualem Ecclesiasticam, in qua potestas dispensandi fundatur. Sic contra alios tenent *Suar. de Voto, lib. 6. cap. 11. n. 8. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 39. n. 17. Navarr. & alij.* Causæ justæ ad dispensandum sunt defectus libertatis in vovendo, vel ex puerili ætate, vel ob passionis vehementiam, vel metum: vel si ex voto timeatur ruina spiritualis ipsius voventis ob ejus fragilitatem: vel si ejus intentio sit dubia, vel si erravit in causa impulsiva, vel si hæc, vel etiam finalis ex parte cesset. *Suar. de Voto, lib. 6. cap. 17. ex n. 8. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 45. ex n. 26.*

317 2. Cessat voti obligatio per *commutationem*: sicut enim in Lege veteri, in qua non minus præceptum Domini obligabat, quam votum hodie obligat in Ecclesia, primogenita, quæ Domino mandabantur offerri, quædam redimebantur, & quædam commutabantur in aliud, sicut primogenitum asini, qui pro ove commutabatur; sic etiam hodie votum commutari in aliam rem potest. *C. 7. b. t. commutatur* siquidem, quando loco rei promissæ alia subrogatur. Et cum hæc sapiat naturam ejus in cujus locum sufficitur, loco ejus profectò debet adimpleri; *arg. C. 3. e. 4. Ut lite pendent*, quod si vovens primum votum adimplere velit, etiam post commutationem hoc valet facere: cum commutatio sit facta in ejus favorem, ac proindè ita intelligitur fieri, si ei placuerit; potestque illi hac ratione renuntiare. *L. 29. C. de Pactis*: quod si materia, in quam fuit commutatum votum, fiat impossibilis, vel indifferens, non tenetur vovens adimplere primum votum; siquidem ejus obligatio per commutationem fuit extincta. Quilibet potest propria authoritate votum in melius commutare. *C. 4. b. t. L. 3. tit. 8. p. 1.* nec *enim promissum infringit, qui in melius illud commutat. C. 3. de Jur. jur.* quia sic censetur melius voluntatem Dei adimpleri, qui certè vult homines in virtutibus crescere. *L. 3. tit. 8. p. 1. Suar. de Voto, lib. 6. cap. 18. ex n. 4. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 49. n. 4.* Hinc votum castitatis non potest propria authoritate commutari, quia non commutaretur in melius bonum. *L. 4. tit. 8. p. 1.* Nam ut dicitur *Eeclesiast. 26. v. 20. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*, & castitati antonomasticè attribuitur decor, & virginitati attribuitur excellentissima pulchritudo. *D. Thom. 2. 2. q. 152. art. 5. in corp.* cum ergo quodlibet votum in melius valeat commutari, omne votum absdubiò commutari valet in votum Religionis. Nam tunc temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam commutatur. *C. 4. b. t. L. 7. tit. 8. p. 1.* ibi: *Porque sin duda ninguna tal prometimiento es mejor que otro.* Et ex hac regula deducunt *Rodrig. Henriq. & alij*, eum qui Religionem vovit, posse hoc voto non impleto, acceptare Episcopatum: nam tunc in melius commutaret votum, cum Episcopatus sit perfectior statu Religioso. Episcopus enim perfectus esse debet, Religiosus tamen ad perfectionem debet aspirare. *C. 18. de Regular.* sed hoc non obstante, dicendum est, quod Religionem vovens, Religionem ingredi debet, etiamsi in Episcopum sit electus, sed nondum vinculo conjugij spiritualis ligatus: secus si est consecratus, vel etiam confirmatus à Sede Apostolica. Et quidem Religionem debet ingredi, non ex consilio tantum, ut tenent *Rodrig. & alij*, sed ex præcepto, ut constat *ex C. 10. b. t.* ibi: *Si tuam sanare desideras conscientiam.*

Et

Et ibid. Gonz. nam licet Episcopatus secundum se perfectior sit statu Religioso. C.18. *de Regular.* non tamen est perfectior secundum media : nam in Religione media ad perfectionem consequendam sufficientia, & efficacia apponuntur, secus in Episcopatu, in quo jam supponitur perfectio. *Suar. de Relig. tom.3.lib. 1. cap. 19. n. 3. Sanch. in Decal. lib. 4. cap.17. n.5.* imò ex humilitate potest quis votum facere non admittendi Episcopatum, ut faciunt nostræ Societatis professi. Ut verò votum in minus bonum commutetur, Superioris authoritas requiritur, & quidem illius, cui hæc competat facultas. Tales sunt R. Pontifex, Episcopi, alij Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, vel etiam illi, quibus ex privilegio, commissione, vel consuetudine hoc sit concessum. C. 1. *c.* 7. *h. t. L.* 6. *tit.* 8. *p.* 1. Si in bonum æquale, votum commutetur, ne minus bonum pro meliori substituatur, cum hoc distinguere, sit difficile, requiritur superioris authoritas. *Suar. de Voto, lib.6. cap.19. n.3. Sanch.in Decal. lib.4. cap. 49. n. 12. & alij*, contra *Rodrig. Henriq. & alios.* Nostræ Societatis Religiosi, & qui horum privilegiorum communicatione gaudent, possunt in confessione, vel extra, omnia vota, etiam jurata, absque tamen præjudicio tertij commutare, quinque reservatis exceptis. Præterea quilibet confessarius approbatus potest in confessione, vel extra commutare (non verò dispensare) omnia vota, etiam jurata, vel etiam ipsa juramenta sine voto, virtute Bullæ Cruciatæ, tribus exceptis, videlicet, castitatis, Religionis, & ultramatino in Terram Sanctam peregrinandi. Nec est necessaria alia causa ad hanc commutationem, præter eam, quæ imbibitur in ipsa facultate, seu exercitio commutationis, scilicèt, quod tribuatur aliqua eleemosyna, taxanda arbitrio confessarij ad subveniendum ipsi Cruciatæ : quod si eleemosyna non sit possibilis voventi, potest aliud opus imponi : v. g. oratio in subsidium Cruciatæ : potest etiam commutari per Bullam votum aliquid faciendi, & non petendi commutationem illius, & etiamsi fiat cum intentione tale votum reservandi R. Pontifici. Siquidem privatus non potest derogare juri, quod pro his casibus concedit Cruciata ; *arg. L.38. ff. de Pactis,* clausula Bullæ sic loquat: *Podrà tambien dicho Confessor comutarles qualesquiera votos, aunque sean con juramento, dando la limosna que pareciere, en favor, y beneficio de la Bula de la Santa Cruzada, exceptos los de Castidad, Religion, y Ultramarino:* de quo latè *Mendo in Bull. Cruciat. D. 20. & alij.*

318 3. Irritatione, etiam cessat obligatio voti. Hæc irritatio *est* duplex alia *directa*, *indirecta* alia : *directa* est, quæ votum tollit ob subjectionem voventis ad irritantis voluntatem, & hæc propriè est irritatio : *indirecta* est, quæ impedit rei promissæ executionem, & potius, quam irritatio est suspensio. Pater igitur, & in ejus defectu, avus paternus, ob patriam potestatem ; & in utriusque defectu, Tutor, qui loco patris succedit : & in hujus defectu, mater possunt impuberis vota directè irritare. *C.* 2. 20. *q.* 2. impuberes enim ob judicij imbecillitatem in obligationibus assumendis patris gubernationi subjiciuntur. *L.* 3. *tit.* 8. *p.* 1. possuntque prædicti impuberum vota irritare, etiam tempore, quo jam sunt puberes, nisi tunc vota ratificent. Siquidem in his obligationibus principium inspicitur. *Sanch. in Dec. lib.* 4. *cap.* 30. *ex n.* 7. E contrario autem cum puberes jam sufficiens animi judicium habeant in votis emittendis nullius voluntati subjiciuntur, nisi quatenùs talia vota juri patris, ac gubernationi domesticæ præjudicant, ac proindè tunc non directè, sed indirectè tantum à parentibus valent irritari. *C.* 2. 20. *q.* 2. *L.* 56. §. 1. *C. de Episcop. & Cleric.* Hinc est, quod non possint à patre irritari vota castitatis, Religionis, jejunij, & alia hujusmodi à filijs facta, nec ea quæ de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus à filijs emittuntur, nec alia, quæ filij jam extra patriam potestatem constituti emittunt: siquidem in his patri non subjiciuntur, nec patris juri præjudicium generant. *Sanch. in Decal. lib.* 4. *cap.* 35. *n.* 41. Prælati Regulares, scilicèt, Provinciales, Guardiani, Abbates, Priores, vel Rectores (secus Subpriores, Ministri, & alij, qui non proprio, sed alieno nomine gubernant) omnia vota suorum subditorum possunt irritare directè ; quia Religiosus velle, & nolle non habet. *C. fin. de Testam. in 6.* Sed hoc pendet à voluntate Superioris, quem Vice Dei tanquam caput accepit. *C.* 27. *de Elect. in 6. L.* 3. *tit.* 8. *p.* 1. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *ad* 3. *&* 4. *Suar. de Voto, lib. 6. cap.* 7. *n.* 3. *Sanch. in Decal. lib.* 4. *c.* 33. *ex n.* 4. tamen non potest Superior irritare vota substantialia Religionis, vel si aliquod votum speciale habet Religio : cum potius in eorum observatione tanquam pro-

bonus Pastor, & diligens Paterfamilias debeat in vigilare: nec item irritare valet votum transeundi ad Religionem strictiorem, cum in hoc non dependeant subditi à suo Superiore. Abbatissæ tantum irritant vota Monialium, quatenùs domesticæ gubernationi præjudicant. *Sanch. in Dec. lib. 4. cap. 33. n. 19.* Vota omnia, quæ fuerunt emissa à Religioso ante ingressum, in votum Religionis ipso jure commutantur, quando fit professio. *C. 4. h. t. & ibid. Gonz.* rationem affert *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1.* ibi: *Omnia alia vota sunt quorumdam particularium operum; sed per Religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat: particulare enim in universali includitur, & ideò Decretalis dicit, quod reus voti fracti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam commutat: nec tamen Religionem ingrediens tenetur implere vota vel jejuniorum, vel orationum, vel aliorum hujusmodi, quæ existens in sæculo fecit, quia Religionem ingrediens moritur priori vitæ. Et etiam singulares observantiæ Religioni non competunt, & Religionis onus satis hominem onerat, ut alia super addere non oporteat.* Prælati non possunt irritare vota Novitiorum, siquidem in Novitijs deest subjectio ex obligatione obedientiæ, in qua fundatur directa irritatio votorum: possunt tamen probabilitèr Novitiorum vota indirectè irritare, quatenùs præjudicant rectæ gubernationi, & convenienti Ordini Religionis. *Suar. de Voto, lib. 6. cap. 7. n. 11.* Similitèr Domini solum possunt irritare servorum, etiam impubetum vota, quatenùs potestati dominativæ præjudicant. *L. 3. tit. 8. p. 1. & ibid. Greg. Lop.* v. g. vota Religionis, Ordinis Sacri, peregrinationis, & similia; secus alia; v. g. vota continentiæ, jejunij, orationis, & similia. *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. ad 2. Sanch. in Dec. lib. 4. cap. 36. n. 2. & alij.* Similitèr maritus potest irritare vota uxoris; & uxor vota mariti, quatenùs mutuæ cohabitationi, & usui conjugali præjudicant. *L. 3. tit. 8. p. 1. & ibid. Greg. Lop.* v. g. vota longæ peregrinationis, abstinentiæ immoderatæ, & similia. Maritus tamen etiam valet irritare vota, quæ domesticæ gubernationi obstant, & prolis educationi præjudicant: quia ipse est caput familiæ: neutiquam tamen valet irritare illa, quæ nullum ipsi afferunt præjudicium. *Suar. de Voto, lib. 6. cap. 4. n. 2. Less. de Just. lib. 2. cap. 40. n. 87. & alij* contra *Sanch. in Dec. lib. 4. cap. 34. n. 3. & alios.* Hæc facultas vota irritandi ex Jure Positivo videtur provenire, quatenùs non aliter ipsis firmitatem tribuit, quam si consentiat Superior, vel alius, cujus interest. Satis aptè *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. in corp.* ibi: *Dicendum, quod sicut supradictum est. Votum est promissio quædam Deo facta: nullus autem potest per promissionem se firmitèr obligare ad id, quod est in potestate alterius, sed solum ad id, quod est omninò in sua potestate. Quicumque autem est subjectus alicui, quantùm ad id, in quo est subjectus non est suæ potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius: & ideò non potest se per votum firmitèr obligare his, in quibus alteri subjicitur, sine consensu sui Superioris.* Et posteà *ad 3. Nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati: sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec uxoris, nisi sit de consensu viri.* Et *ad 4.* ait: *Quod licet votum eorum, qui sunt alterius potestati subditi non sit firmum sine consensu eorum, quibus subjiciuntur; non tamen peccant vovendo, quia in eorum voto intelligitur debita conditio, scilicèt, si suis Superioribus placuerit; vel non renitantur.*

319 4. Cessat obligatio voti, si materia ipsius mutetur, ita ut fiat impossibilis: vel defacto, quatenùs physicè non possit adimpleri: vel de jure, quatenùs jam non sit licitum tale votum exequi: vel etiam, si materia omninò inutilis facta sit. Nam *quod pervenit ad casum à quo incipere non potest vitiatur. L. 140. §. 2. ff. de V. O.* Si voto superveniat impedimentum perpetuum, & ejus materia erat individua, omninò ejus obligatio cessat. Nam tunc censetur impossibilis, cujus nulla est obligatio. *L. 185. ff. de Reg. jur. C. 6. eod. in 6.* Si verò materia voti erat dividua, ut est peregrinatio cum quadam eleemosyna, tunc una parte reddita impossibili, obligatio manet, quoad aliam: ac proindè, si vovens ob aliquod impedimentum nequit peregrinari, eleemosynam profectò dare tenetur: quippè *utile per inutile non vitiatur. C. 37. de Reg. jur. in 6.* nisi fortè alia sit voventis intentio: Hinc qui vovit jejunium unius diei, si non potest integrum diem jejunare, etiamsi per dimidium diem jejunare possit, ad nihil tenetur. Nam actio est individua. Si verò vovit quadragesimam jejunare, & si per totam non possit, pro parte, qua potest jejunare tenetur. Si verò impedimentum voto superveniens, non impossibilem, sed tantum difficilem ejus adimpletionem reddat, tunc votum redimitur, seu commutatur, & sic intelligendus est Textus in *C. 8. h. t.* ubi pere-

peregrinatio in Terram Sanctam, quæ facta fuit impossibilis, hoc est difficilis, præstatione expensarum redimitur. *L. 5. tit. 8. p. 1. Sanch. in Dec. lib. 4. cap. 2. n. 25.* Si impedimentum superveniens temporale sit, non extinguitur, sed tantum suspenditur voti obligatio: & quidem sola authoritate ipsius voventis differri valet voti adimpletio, si impedimentum certum sit: quando verò est dubium, cum nullus sua debeat interpretari vota, debet Superioris authoritas accedere. Quando votum est conditionale, cum intentio voventis, ac proindè tota obligatio voti ab eventu conditionis dependeat, si conditio deficit, deficit votum. *L. 7. tit. 8. p. 1.* Si multiplex conditio copulativè adjecta sit voto, omnes implendæ sunt, ut votum obliget: quia ad veritatem propositionis copulativæ hoc requiritur. Secus ex contraria ratione, si disjunctivè conditiones apponantur; nam per quamlibet verificatur votum. *Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 23. n. 20.* Votum cessare, etiam quando per malitiam voventis, conditionis impeditur eventus, cum certè non verificetur votum, tenent contra alios *Suar. de Voto, lib. 4. cap. 17. n. 20. & alij.* 5. Cessante causa finali, quæ ad vovendum movit, cum pro eo casu intentio vovendi deficere credatur, cessat, & votum; *arg. C. 60. de Appellat.* Sic, qui pro filij salute eleemosynam vovit, filio mortuo non tenetur eam præstare: vel qui vovit non ingredi certam domum, quia ibi peccandi aderat periculum, hoc cessante, cessat, & obligatio; *arg. L. 7. tit. 8. p. 1. Suar. de Voto, lib. 4. cap. 18. ex n. 3. Sanch. in Dec. lib. 4. cap. 2. n. 42. & alij.* 6. Votum, cujus obligationi finiendæ certus terminus præfixus est, eo elapso cum jam desit se obligantis intentio, cessat, & obligatio. Nam actus agentium non operantur ultra eorum voluntatem. *L. 19. ff. de Rebus credit.* Si tamen terminus est præfixus ad ejus executionem, etiam termino elapso, manet obligatio: quia adhuc potest impleri. Et sic vovens duas contrahit obligationes, alteram, qua tenetur rem præstare; alteram, qua non differre tenetur, & licet hæc per temporis lapsum facta sit impossibilis, non tamen prima. In dubio autem ex circunstantijs cognoscetur an terminus ad executionem faciendam, vel ad finiendam obligationem adjectus sit.

***

TIT. XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

320 STatus in præsenti non latè pro quacumque vitæ conditione, sed *strictè pro conditione vitæ stabili, & perpetua sumitur.* Et sic in Ecclesia tres sunt status, Conjugatorum scilicèt, Clericorum, & Religiosorum. Et de hoc quidem in præsenti: nam de alijs alibi agitur. Religionis ergo statum constituunt tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quæ propterea ad Religiosum statum substantialia habentur. Agitur ergo in præsenti de Religiosis, sive Regulares, sive Monachi vocentur. Si enim in Monasterijs habitent *Synoditæ*, seu *Cœnobitæ* appellantur: si soli in Eremo degant *Eremitæ*, & *Anachoretæ* dicuntur, & nomine generali *Monachi*, id est, *solitarij*, appellantur. Eorum Superiores *Abbates*, quasi *Patres*, generalitèr vocabantur: specialius autem nuncupabantur *Archimandritæ* Superiores Monachorum, qui in speluncis, & cavernis delitebant. Et jam nomine generali omnes, qui Religionem profitentur *Religiosi*: & quia regulam sequuntur *Regulares* nuncupantur. Etiam hic agitur de Canonicis Regularibus, nam cum tria vota Religionis emitant, verè Religiosi sunt. *C. 4. h. t. L. 1. tit. 7. p. 1.* ibi: *E estos atales son dichos Religiosos, que quiere tanto decir, como omes ligados, que se meten so obediencia de su Mayoral: assi como Monges, ò Calonges de Claustra, à que llaman Reglares, ò de otra Orden qualquier, que sea.* Et quidem olim omnes ferè Clerici erant Canonici Regulares. *C. 7. c. 8. c. 9. 12. q. 1. l. 1. tit. 7. p. 1. Gonz. in C. 5. h. t. n. 2.* Qui verò non emittunt tria vota substantialia Religionis non sunt verè Religiosi, ac proindè sub præsenti titulo non comprehenduntur. Tales sunt aliquorum Ordinum Militarium professi, quales sunt equites Divi Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ in Hispania. Status igitur Religiosus est status, in quo Religiosus debet tendere ad perfectionem, licet non requiratur, quod actu sit perfectus: tenetur tamen tendere ad perfectionem per media essentialia suæ Religionis: hoc est observando vota, & regulas: quod, si ex contemptu violet regulas, etiam non gravitèr obligantes, eas habendo, ut frivolas, vel nolendo se Superio-

periori subjicere; vel si ex violatione grave sequeretur detrimentum Religioni, graviter proculdubio peccaret. Si omnia monita, & regulas negligat; eo quod sub mortali non obligent, multoque magis si directè nolit perfectionem; graviter peccat. Si quis non tantum intendat non esse solicitus in regulis servandis; sed etiam nunquam servare, & si facile possit; cum hoc vix possit stare sine formali contemptu, peccatum grave est. Si verò ex remissione animi, & negligentia sine aliquo titulo justo velit per directam intentionem non servare aliquam regulam, saltem erit peccatum veniale, quia esset venialis contemptus. Si tamen Religiosus habeat animum nullam regulam servandi, dummodo paratus sit ad pœnam sustinendam transgressoribus impositam; cum se submittat regulæ uti lata est (nam hoc supponimus) id est, subeundo pœnam, si transgrediatur, non peccat graviter: quia in objecto illius actus non est materia contraria ulli voto, vel præcepto: quamvis in his allj strictius discurrant. *Lacroix, lib. 4. ex n. 57. Suar. de Relig. tom. 4. lib. 1. cap. 4. Sanch. in Dec. lib. 6. cap. 5. Elizald. in doctr. Moral. lib. 8. q. 14. & alii omninò videndi.* Scholasticus Societatis peccat graviter, si non adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos prævidet, se dimittendum.

321 Nunc explicandum venit, quænam obligatio vi votorum Religionis insurgat. Et quidem ex voto paupertatis quilibet Religiosus se abdicat in perpetuum dominio bonorum temporalium, quæ fortunæ dicuntur, ut constat ex famigerato, & capitali in hac materia, *Text. in C. Non dicatis, 11. 12. q. 1. ibi: Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur, atque convincitur, secundum arbitrium Presbyteri, vel Præpositi gravius emendetur. Cum hujus nostræ Congregationis fratres non solum facultatibus, sed voluntatibus proprijs in ipsa Ordinationis susceptione renuntiaverint, & se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati, & imperijs in Christo, & pro Christo subdiderint; certum est, eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine Superioris licentia. Quod si propinquus, vel amicus, vel quilibet fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primo quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandaverit: de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit. C. 2. c. 4. c. 6. h. t. L. 2. l. 14. tit. 7. p. 1. D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. in corp. ibi: Inde est, quod ad perfectionem charitatis adquirendam, primum fundamentum est voluntaria paupertas, ut aliquis absque proprio vivat, dicente Domino Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & sequere me.* Potest tamen Religiosus retinere bona spiritualia, & eis annexa; ut beneficia, jus eligendi, vel conferendi. *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 4. n. 25.* Etiam retinet Religiosus honorem, & famam, potest tamen ex humilitate aliquomodo eis renuntiare v. g. vovendo non acceptare dignitates, & contentum se ostendendo ut ejus defectus, etiam sine prævia monitione, nec correctione fraterna ad Superiorem deferantur à quocumque, qui eorum notitiam extra confessionem habeat. Non est de essentia paupertatis religiosæ abdicare se dominio radicali, sed tantum ejus usu. Sic Scholastici, & Coadjutores non formati nostræ Societatis, cum verè Religiosi sint; dominium suarum rerum possunt retinere; non tamen eo possunt uti absque Superioris consensu: quod quidem sufficit; ut verè paupertatis Religiosæ voto ligati credantur. Cæteri verò Religiosi in particulari se abdicant dominio rerum suarum. Hinc dispositio Religiosi absque Superioris licentia de bonis, quæ habebat, ut de re aliena, siquidem illorum dominio se per paupertatem abdicavit, erit absdubio invalida. Et ob contrariam rationem dispositio Scholastici Societatis, quamvis illicita, & revocabilis à Superiore, utpotè contra votum paupertatis facta, valida tamen erit ob dominium radicale; quod talis Religiosus retinet. *Suar. de Relig. tom. 4. tr. 10. lib. 4. cap. 6. ex n. 12. Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 8. n. 25. & cap. 18. n. 28. & alij contra Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 4. n. 28. Molin. de Just. tr. 2. D. 139. & alios.* Religio in communi potest bona, etiam immobilia, possidere, nisi fratres Minores de Observantia, & Capuccini, qui neque mobilia possidere possunt. Domus Professæ Societatis non possunt immobilia, præter habitationem, & hortum: mobilia tamen possidere possunt.

322 Peculium, in quo Religiosus dominium haberet independens à Superioris arbitrio clarè pugnat cum voto paupertatis; secus peculium, quod tantum Religioso administrationem tribuit, dependentem quidem à Superiore. *C. 2. h. t.* sed

Trid. 25. de Regular. cap. 2. in hac parte derogavit juri antiquo, ut contra *Sanch. lib. 7. cap. 22. n. 11. Navar. Barbos. & alios* tenent *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 14. n. 8. Less. de Just. lib. 2. cap. 4. n. 30. & alij.* Consuetudine tamen valdè temperatum est Tridentino, cum Religiosis aliqua moderata peculia ad usus necessarios, & honestos a Superioribus permittantur. Similitèr permittuntur annuæ pensiones vitalitiæ, quæ Religiosis assignantur, ita tamen ut hoc de licentia superioris fiat, & redditus tradantur superiori, ut per se, vel alios administret. Et quamvis deceat, quod præbentur illis, pro quibus tales pensiones constitutæ sunt, ipsi tamen nullum jus, tanquam proprium prætendere debent: sed possunt Superiores in alios usus expendere. *Less. de Just. lib. 2. cap. 4. n. 31.* Si tamen hujusmodi vitalitium ab ipso Religioso, pro quo fundatum est, administretur, etiamsi revocabilitèr, & ad usus honestos concessum sit, censetur revocatum per *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 2.* Ut ergo Religiosus de aliqua re, sine paupertatis violatione, disponere valeat, requiritur Superioris licentia, & quidem talis, quam Superior concedere possit, scilicèt, juxta præscriptum Sacrorum Canonum, & Religionis Constitutiones. Superior quippè, quia non Dominus, sed tantum est dispensator bonorum Religionis, non potest concedere licentiam, nec sibi ipsi accipere, ad expendendam pecuniam in usus turpes, vanos, vel superfluos. *Less. de Just. & jure lib. 2. cap. 41. n. 78.* Prætereà licentia Superioris debet esse libera à metu, coactione, dolo, & fraude; & licet sit necessarium exprimere ea, quibus expressis, non concederetur licentia, non requiritur ea exprimere, quibus expressis licentia, quamvis difficilius, concederetur. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 11. n. 14. Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 19. n. 16.* Sufficit tamen aliquando tacita Superioris licentia; si v.g. hic alicui subdito concedat licentiam, ut accipiat aliquas imagenes, rosaria, numismata benedicta, vel alia hujusmodi, quibus subditus non indiget, & ipsi dantur, ut distribuantur inter fideles. Nam tunc creditur, Superiorem licentiam alijs donandi, subdito concedere. Vel quando subditus aliqua re temporali utitur conscio Superiore, & non contradicente, secus si ex verecundia Superior taceat. Idem est, quando quis iter agit: nam tunc potest aliquas moderatas eleemosynas, vel modicas donationes amicis facere. Vel si necessitas urgeat ad aliquid accipiendum, vel expendendum, & Superior nequit adiri: potest enim subditus illud accipere, sed posteà debet Superiorem adire, ut tutò retinere valeat. Sed si res jam sit consumpta, adire Superiorem non est opus. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 11. n. 3.* In hoc enim casu ex benigna interpretatione sufficit præsumpta Superioris licentia: imò, & sufficit etiam casu, quo possit absolutè Superior adiri, pudor tamen, vel aliqualis respectus humanus, vel alia difficultas obest, quominùs adeatur; *arg. L. 46. §. 7. ff. de Furtis*, dummodo probabilitèr saltem præsumatur, Superiorem non esse absolutè invitum. Secus est, si ipse, licet facilè licentiam concederet, si peteretur, vult, ut actu petatur. *D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. ad 1. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 11. ex n. 4. Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 19. ex n. 4. Less. de Just. lib. 2. cap. 41. n. 79.* non tamen sufficit, ut licentia censeatur concessa, quod eam Superior deberet concedere, & eam irrationabilitèr neget, cum eam alij Superiores semper concesserint; sicut non absolvitur voto castitatis ille, cui imprudentèr negatur dispensatio. Tunc etenim nomine proprio, & sine Superioris licentia, nec dependentia ab eo, talis subditus ageret, ac propterea votum paupertatis violaret. Aliud esset, si ipsum jus, vel natura ipsa subdito usum rei tribuat; v.g. si subdito non ministret Prælatus necessaria ad victum, & vestitum, & juxta Ordinis morem: Nam tunc potest absque licentia ab externis accipere, quasi ipsa Religionis constitutione licentiam concedente. *Arg. L. 2. ff. de Jurisdict.* vel si Superior neget licentiam ad eleemosynam pauperi extremè indigenti elargiendam; Nam tunc potest sine Superioris licentia eleemosynam, etiam ex ipsis Monasterij bonis, dare, ipsa natura ad hoc licentiam concedente. Talis enim necessitas profectò Lege caret. *C. 4. de Regul. jur.*

323 Paupertas religiosa violatur, si subditus sine licentia expressa, vel tacita, vel præsumpta, prout in casu sit necessaria, aliquid, etiam comestibile, quod per usum consumitur, accipiat, absumat, vel retineat nomine proprio: vel si donet, vel alienet, etiam res, quas de licentia Superioris possidet, & retinet: nam ex licentia retinendi non illico infertur alienandi licentia: imò nec potest subditus res suo usui permissas alteri mutuare, nec commodare, cum eas tanquam usuarius,

&

& præcario ad nutum Superioris habeat: *arg.* §. 1. & 2. *Inst. de usu, & habit.* sed in his rebus, etiamsi alicujus momenti sint, commodandis major conceditur amplitudo: cum non tanti æstimetur commodare, ut materia peccati mortalis facile censeatur. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 19. n. 57. & cap. 20. n. 6.* Si Religiosus usurpet rem Monasterij, vel etiam rem sibi concessam in alium usum præter intentionem Superioris convertat, vel eam dolo, vel lata culpa destruat, vel amittat; vel si Superiori rem abscondat, vel ipsum aliquomodo murmure, vel querelis impediat liberam rei dispositionem: cum hæc omnia sint actus proprietatis, & dominij, votum paupertatis violat. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 19. n. 60. & 115. Less. de Just. lib. 2. cap. 41. ex n. 78. & alij.* Violatio equidem paupertatis in materia gravi peccatum grave est; leve tamen in materia levi. Et quidem ea quantitas, quæ furtum constitueret grave secundum se, & independenter ab alijs circumstantijs, est sufficiens ad violandam graviter paupertatem, ea verò, quæ illud constitueret leve, leviter violat paupertatem. Si Religiosus sine Superioris licentia rem sibi, cum exclusione Monasterij donatam, accipiat, tantum sacrilegium committet, quia contra votum accipit: non vero committet furtum: quia ipse donans, qui manet Dominus rei donatæ (cum donatione cum tali exclusione sit invalida) non est invitus. Aliud est, si res accepta sit Monasterij, nam tunc præter sacrilegium, etiam furtum committitur. Qui contra paupertatis votum aliquid retinet (secus si jam consumpsisset) privatur voce activa, & passiva per biennium. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 2.* Et olim à Monasterio expellebatur. *C. 6. h. t. L. 14. tit. 7. p. 1.* sed hodie pro qualitate delicti in carcere punitur, ne si tales expellantur occasio vagandi eis detur. *C. fin. de Regularib.* quod si proprietas apud aliquem Religiosum inventa fuerit in morte, pecunia cum tali proprietario in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur, secundumquod B. Gregorius narrat in Dialogo, se fecisse. *C. 6. h. t. L. 14. tit. 7. p. 1.* Et *Gregor. Lop. ibid. cum Joan. And.* notat, quod non debet sepeliri tota pecunia, sed sat erit triginta denarios in signum damnationis apponere: imò & minor quantitas ad hoc sufficiet, quod si post mortem hoc proprietatis peccatum sciatur, debet proprietarius exhumari, si potest sine magno scandalo hoc fieri. Hæ tamen pœnæ non incurruntur ante sententiam Judicis. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 20. ex n. 11. Machad. in Sum. lib. 5. p. 2. tr. 1. & alij.*

324 Votum castitatis absolutæ, & perpetuæ est etiam substantiale ad Religiosum statum, nec sufficit castitatem conjugalem vovere, qualem plures Ordines Militares vovent; nam tales non strictè, sed tantum latè sunt Ordines Religiosi. *C. 6. in fin. h. t.* ibi: *Quia abdicatio proprietatis, sicut, & custodia castitatis adeo est annexa regula Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. L. 2. tit. 7. p. 1. D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 4. in corp.* ibi: *Ad statum Religionis requiritur subtractio eorum, per quæ homo impeditur, ne feratur totaliter in Dei servitium: usus autem carnalis copulæ retrahit animum, ne totaliter feratur in Dei servitium: uno modo propter vehementiam delectationis, ex cujus frequenti experientia augetur concupiscentia, ut etiam Philosophus dicit in 3. Ethicor. & inde est, quod usus venereorum retrahit animum ab illa perfecta intentione tendendi in Deum. Et hoc est, quod August. dicit in 1. Soliloquiorum: Nihil esse sentio, quod magis ex arce deijciat animum virilem, quam blandimenta fœminea. Alio modo propter sollicitudinem, quam ingerit homini de gubernatione uxoris, & filiorum, & rerum temporalium, quæ ad eorum sustentationem sufficiant: unde Apostolus dicit: qui sine uxore est sollicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est solicitus est, quæ sunt Mundi, & quomodo placeat uxori. Et ideo continentia perpetua requiritur ad perfectionem Religionis, sicut & voluntaria paupertas. Unde sicut damnatus est Vigilantius, qui adæquavit divitias paupertati, ita damnatus est Jovinianus, qui adæquavit matrimonium virginitati. Suar. de Relig. tom. 4. tr. 9. lib. 1. cap. 4. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 16. n. 11. & alij com.* Adeo est annexa castitas Religioso statui, ut nec Pontifex possit facere, quod Religiosus, talis manens, sit voto castitatis solutus. Et hoc, & non amplius probat *Text. in C. 6. h. t.* ibi: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regula Monachali, ut contra eam nec Pontifex possit licentiam indulgere.* Non tamen probat, Pontificem in voto castitatis, etiam solemni, non posse dispensare, dando licentiam, & facultatem Religioso, ut desinens esse talis, matrimonium contrahat: quod quidem negant *Albert. Magn. D. Thom. 2. 2. q. 88.*

art. 11. *Sylv. Soto, & alij.* posse tamen Pontificem dicto modo dispensare tenent *D. Thom. in* 4. *D.*28. *q.*1. *art.*4. *q.*1. *ad* 3. (unde saltem est dubia ejus mens *D. Antonin. Durand. Joan. Andr. Gutier. & plurimi*, quos citat, & sequitur *Sanch. de Matrim. lib.* 8. *D.* 8. *n.* 7. Et bene quidem: nam cum possit Pontifex absdubiò in voto simplici castitatis dispensare, & solemnitas voti oriatur tantum ex Lege Ecclesiastica, qua Papa superior est, evestigio infertur, posse in castitate solemni dispensare. Et sic Innoc. III. dispensavit cum Ramiro Aragoniæ Rege antea Monacho, Sacerdote, Abbate, & Episcopo, ut posset matrimonium contrahere, & alij cum alijs dispensarunt, de quibus passim Historiæ. Et sic dispensatus, etiam prole suscepta, non tenetur ad Religionem regredi invita uxore. Hoc enim contra matrimonij substantiam, & indissolubilitatem esset. *Sanch. de Matrim. lib.* 8. *D.* 8. *n.* 9. nec obligatione Divinum Officium recitandi, nec alijs Religionis oneribus tenetur. *Sanch. n.* 11. Ad talem vero dispensationem, non utique sufficit quæcumque utilitas privata, sed requiritur publica utilitas, & quidem valde urgens; v. g. Religionis in aliquo Regno propagandæ, vel conservandæ, vel pacis publicæ, vel conservandæ Regiæ stirpis. Et nunquam aliter Pontifices dispensarunt. *Sanch. de Matrim. lib.* 8. *D.* 8. *n.* 8. contra *Ricard.* si tamen sine justa causa dispensetur, illicita erit dispensatio, valida tamen, & sic dispensatus reddere debitum tenetur, illud tamen petere non valet. *Sanch. de Matrim. lib.* 8. *D.* 8. *n.*10. Tunc etenim censetur, Pontificem in solemnitate, quæ est Juris Ecclesiastici dispensare; non tamen in voto, quod Juris Naturalis est: ac proindè illud votum solemne in vim simplicis obligat; *arg. C. fin. de Desponf. impuber.* Votum igitur castitatis obligat ad abstinendum ab omni actu venereo, tàm externo, quàm interno, & etiam ab actu conjugali. Si contra fiat, duplex culpa, altera incontinentiæ, altera sacrilegij committetur. Illudque peccatum induet alias species militiæ, quibus actus vestitus sit. Non tamen erit necessarium in confessione distinguere, an votum castitatis sit solemne, vel simplex; nam tota solemnitas est quid voto extrinsecum; ac proindè sat erit dicere: violavi votum castitatis etiamsi sit Sacerdos, & Religiosus simul. *Sanch. de Matrim. lib.*7. *D.* 27. *ex n.* 23. contra *alios.* Et licet peccatum contra votum castitatis possit aliquando esse veniale ex defectu deliberationis plenæ, vel advertentiæ, nunquam tamen potest esse veniale ob parvitatem materiæ, si delectatio sit plenè, & advertentèr admissa. Oppositam sententiam ex prohibitione speciali sub præcepto, censura, & alijs pœnis nullus Jesuita docere valet. *Lacr. lib.* 3. *p.* 1. *ex n.* 910. *Sanch. in Decal. lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 12. *& alij com.* Arma ad castitatem defendendam ab inimicis undique eam incessantèr, hostiliter, & vehementèr invadentibus, & impugnantibus, sunt contemplatio Divinorum, mortis cogitatio assidua, oratio frequens, studium, & lectio scripturarum, exercitium contra otium, vigilia, labor, angustia, occasionum vitatio, solitudo, abstinentia, & non habet ultimum locum maceratio carnis. Nam castitas à castigando nominatur: hoc enim lilium vix nisi inter spinas invenitur.

325 Tertium votum substantiale Religionis est obedientiæ. *C.* 11. 12. *q.* 1. *L.* 2. *tit.* 7. *p.* 1. per obedientiam namque Religiosus propria se abdicat voluntate; ita ut deinceps nec velle, nec nolle credatur habere. *C. fin. de Testam. in* 6. sed solum velle Superioris sit subditi velle. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 186. *art.* 5. *in corp.* ibi: *Status Religionis est quædam disciplina, vel exercitium tendendi in perfectionem: quicumque autem instruuntur, vel exercitantur, ut perveniant ad aliquem finem, oportet, quod directionem alicujus sequantur, secundum cujus arbitrium instruantur, vel exercitentur, ut perveniant ad aliquem finem, quasi Discipuli sub Magistro. Et ideo oportet, quod Religiosi in his, quæ pertinent ad religiosam vitam alicujus instructioni, & imperio subdantur: unde in C. Nequaquam, 7. q. 1. dicitur: Monachorum vita subjectionis habet verbum, & discipulatus: imperio autem, & alterius instructioni subjicitur homo per obedientiam: & ideo obedientia requiritur ad Religionis perfectionem.* Votum igitur obedientiæ obligat ad servanda in regulis contenta, gravitèr, vel levitèr juxta tenorem verborum, Legis intentionem, & Ordinis consuetudinem. Imò aliquæ regulæ ad nullam culpam obligant transgredientes, sed tantum ad pœnam pro transgresione impositam. Violans obedientiæ votum peccat contra Religionem, & contra justitiam ob jus Prælato adquisitum ex professione. Religiosi etenim vi voti tenentur obedire Prælato immediato, & mediato, ita tamen, ut si contraria præcipiant, mediato, ut Superiori, non immediato, qui in-

fe-

ferior est mediato, obedire teneantur. Sicque gradatim obedire tenentur. 1. Ministro, vel Subpriori. 2. Rectori, Priori, Guardiano, vel Abbati, seu Præposito. 3. Provinciali. 4. Generali, & denique Supremo Ecclesiæ Prælato R. Pontifici. *C. 2. D. 8. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 11. ex n. 6. & alij com.* Moniales vi voti obedire tenentur Abbatissæ, & Priorissæ. Nam licet hæ in Moniales non habeant jurisdictionem spiritualem, habent tamen potestatem domesticam, & dominativam in ipsas vi traditionis in professione factæ cum voto obedientiæ. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 11. n. fin. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 1. n. 17. & alij.* Regulares exempti utriusque sexus non tenentur Episcopo obedire, siquidem ob exemptionem non est illorum Superior: non exempti tamen, licet ipsi obedire debeant tanquam proprio Episcopo, in ipsos jurisdictionem Ecclesiasticam habenti, non tamen ipsi vi voti tenentur obedire, nisi ipsi specialiter tales Religiosi voveant obedientiam. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 1. ex n. 11.*

326 Debent ergo Superioribus Religionis subditi obedire, quando licita, & honesta præcipiunt: imo, & quando præcipiunt indifferentia, vel etiam ridicula, si ex bono fine, & ad subditos in obedientia exercendos præcipiantur: secus si turpitèr, vanè, vel ridiculè præcipiant. Impossibilia tamen non cadunt sub votum. *L. 185. ff. de Reg. jur. C. 6. eod. in 6.* nam talium nulla est obligatio licet aliquando Sanctissimi Viri suis subditis, ut in simplicitate obedientiæ probarentur, impossibilia præcipiebant, & ipsi ex instinctu Spiritus Sancti, & Dei speciali adjutorio executioni mandarunt. Sic S. Maurus jussu S. Benedicti lacum est ingressus, & ex eo fratrem extraxit. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 2. n. 4.* quando subditus dubitat, an res præcepta sit licita, vel an detur justa causa percipiendi, obedire tenetur, quia cum ipse habeat obligationem obediendi, & Superior jus, & facultatem præcipiendi, & in ejus possessione sit, in dubio non debet Superior tali jure spoliari. Sed cum actus agentium non operentur ultra agentium voluntatem. *L. 19. ff. de Rebus credit.* & obedientia religiosa oriatur à voluntate voventis, & ejus voluntas sit tantum obedire secundum Regulas, & Constitutiones Religionis, quam profitetur; consequens est, quod Prælatus Regularis, imò nec S. Pontifex possit Religioso vi voti præcipere id, quod sit contra regulam, nec supra, nec extra ipsam, saltem tacitè comprehensum, quatenùs, scilicèt, conducat, vel connexionem habeat cum ipsius regulæ observatione. *D. Thom. 2.2. q. 104. art. 5. ad 3.* ibi: *Sic ergo potest triplex obedientia distingui: una sufficiens ad salutem, qua scilicèt obedit in his, ad quæ obligatur: alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis: alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 8. n. 5. & alij com.* potest tamen Pontifex, ut Pastor Universalis Ecclesiæ, & ut Supremus Legislator plura ultra regulam præcipere, in quibus Religiosi obedire tenerentur. *C. 1. de Constit. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 8. n. 11.* Religiosi ergo ex voto tenentur ad asperitates primævæ regulæ, quæ continentur in tenore votorum: etiamsi cursu temporis aliquatenùs consuetudine, vel non usu sint relaxatæ: quia hæc consuetudo nequit prævalere contra votorum obligationem, quæ est Juris Naturalis: secus est, si tales asperitates non contineantur in votorum tenore. Similitèr, qui professus est Religionem, cujus rigor mitigatus est negligentia Superiorum, si posteà reformetur, & ad pristinam observantiam, quæ sit juxta regulam, reducatur, ad ipsam talis professus tenetur, cum semper Prælati, habeant jus, disciplinam regularem secundum regulam promovendi, ac proindè in subditis manet obligatio obtemperandi: secus est, si ille rigor fuit mitigatus authoritate legitima Pontificis, vel ipsius Ordinis, cum tunc subditus solum se obligasset ad observantiam regulæ, quatenùs mitigata erat à primævo rigore. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 8. ex n. 14. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 2. n. 35. & alij*, contra *varios variè sentientes.* Religiosis potest præcipi inservire alijs ejusdem Ordinis fratribus peste infectis, etiam cum vitæ periculo ob publicum Religionis bonum: sicut potest Princeps subditis imperare militare, vel navigare cum tali periculo ob Reipublicæ temporale bonum: imò & potest Religiosis præcipi, exteris, & sæcularibus infestis peste servire, Sacramenta ministrando in defectu, & supplemento Parochorum, ad quos ex munere primo hoc incumbit, dum tales Religiosi ex instituto proximorum saluti spirituali incumbant; secus si vitam Monachalem profiteantur. Nam hoc omninò esset extra eorum regulam, juxta quam tantum propriæ saluti attendunt. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 2. ex n. 56.* Si Prælatus actus merè internos præcipiat: v.g. ora-

orationem, si hoc Religiosi voverunt, tenentur obedire: ut contra *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 2. n. 6. Azor, & alios*, tenent *Suar. de Legib. lib. 4. cap. 12. n. 15. & seq. & alij*. Sed hoc vix in aliqua Religione erit consuetum.

327 Religiosi de Jure Communi, seclusis privilegijs specialibus, subjiciuntur Episcopo, à quo possunt corrigi, visitari, & puniri. *C. 1. h. t.* in defectum Prælati Regularis, ad quem prima correctio spectat. *C. 7. de Officio Ordin.* Monachi non possunt pro pretio in Monasterio admitti: nec Prioratus, vel alia officia pro pretio dari valent sub varijs pœnis. *C. 2. h. t. L. 22. tit. 7. p. 1.* nec singuli in Parochijs, sed in Conventu majori, vel cum aliquibus fratribus esse debent. *C. 2. h. t. L. 24. tit. 7. p. 1.* si Canonici Regulares Parochiæ præficiantur socium ejusdem Ordinis debent habere, si commodè fieri potest. *C. 5. h. t. L. 25. tit. 7. p. 1.* Hodie tamen nec Religiosi, nec Canonici Regulares sine Pontificis licentia valent Parochijs præfici ex *Const. Greg. XIII.* in pluribus tamen Indiarum Provincijs, & præcipuè in his Insulis, Religiosi ob Clericorum inopiam sunt Indorum Parochi. *L. 30. tit. 15. lib. 1. R. Ind.* Deindè: in *C. 6. h. t.* agitur de vestibus Monachorum, de abdicatione proprietatis, de silentio continuo servando, maximè in Oratorio, Refectorio, & Dormitorio. *L. 14. tit. 7. p. 1.* etiam agitur de cibis, ubi esus carnium in refectorio prohibetur. *L. 15. tit. 7. p. 1.* item de officijs, & beneficijs. In *Cl. 1. h. t.* præscribitur Monachis modestia in victu, & vestitu servanda. Item confessio, & communio mensalis: etiam prohibentur aucupationes, & venationes clamorosæ, accessus ad Curiam Principum, & ne singuli in singulis administrationibus, vel Prioratibus Monachi habitare præsumant, de alijsque hujusmodi providetur. In *C. 7. h. t.* agitur de Capitulis Provincialibus quolibet triennio in Monasterio, æqualis ab omnibus distantiæ, celebrandis, in quibus de Observantia Regulari agatur: & Capitulo quatuor Abbates præsint. *L. 17. tit. 7. p. 1.* In *C. fin. h. t.* agitur de correctione, visitatione, & de modo eas faciendi. *L. 18. & seqq. tit. 7. p. 1.* In *Cl. 2. h. t.* per *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 9.* confirmata: agitur de visitatione Monialium.

328 Ut ergo Moniales, quæcumque sint, etiam Ordinum Militarium, post emissionem trium votorum (secus est de Novitijs) à publicis, & mundanis conspectibus separatæ omninò, servire Deo studeant liberius, & lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda sua, & corpora in omni sanctimonia diligenter custodire valeant, perpetuam clausuram in Monasterijs servare tenentur. *C. un. h. t. in 6. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5. Suar. de Relig. tom. 4. tr. 8. lib. 1. cap. 8. ex n. 11. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 15. ex n. 10. & alij com.* Claustrum igitur, extra quod ipsæ exire nequeunt, & quod extranei ingredi non valent, intelligitur omnis ille locus, sive conclave sit, sive hortus, sive area, ubi Moniales sunt, & solent ingredi: possunt tamen ex causa legitima egredi: v. g. ob incendium, lepram, vel epidemiam, ex *Const. S. Pij V. Decori, An. 1569.* aliàs præterea causas assignant *Suar. de Relig. tom. 4. tr. 8. lib. 1. cap. 9. n. 3. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 15. ex n. 60. Barbos. de Pot. Episc. alleg. 102. & alij.* Si Moniales sint Ordini subjectæ, & exemptæ, ultra Prælati licentiam ad egrediendum ex clausura, indigent etiam licentia Episcopi: qui cæteris omnibus Monialibus non exemptis tanquam Ordinarius licentiam egrediendi concedit; & etiam exemptis immediatè Pontifici subjectis, sed tanquam Sedis Apostolicæ delegatus. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5. Suar. de Relig. tom. 4. tr. 8. lib. 1. cap. 9. & alij.* Si necessitas manifesta urgeat, & periculum sit in mora, non est necessaria licentia Superioris ad exeundum è Monasterio: nam necessitas, quæ Lege caret, licentiam concedit. *C. 4. de Reg. jur.* Moniales clausuram violantes, & eis faventes, & eis contra dictam Constitutionem S. Pij V. concedentes licentiam, ipso jure, absque alia declaratione, incurrunt excommunicationem majorem, & privationem dignitatum, administrationum, & officiorum; & inhabilitatem ad illa in posterum obtinenda. Hæc tamen pœna requirit sententiam criminis declaratoriam, licet non declaratoriam pœnæ. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 15. n. 65.* Etiam prohibetur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ingressus in Monasteria Monialium, non solum viris, sed etiam fœminis. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5.* ibi: *Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire è Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda: indultis quibuscumque, & privilegijs non obstantibus. Ingredi autem intra septa Monasterij nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœ-*

pœ-

ea ipso facto incurrenda. Possunt tamen ingredi pueri, & puellæ ante usum rationis, secus puberes, etiam amentes: etiam possunt ibidem esse aliquæ famulæ sæculares, vel puellæ educandæ usque ad 25. ann. de licentia Episcopi. Item possunt talia Monasteria ingredi, non solum fœminæ, si aliqua sufficienter apparens necessitas moralis detur; sed etiam viri, ex majori tamen necessitate; v.g. Medicus, Chirurgus, Faber, & alij hujusmodi: *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 16. ex n. 40. Suar. Barbos. & alij.* Licentiam autem ingrediendi ex justa causa possunt alijs dare, sibique ipsis accipere Episcopus, & ejus Vicarius: & quidem Jure Ordinario, si Monasterium non est exemptum: quod si sit exemptum, & immediatè subjectum Papæ dat licentiam Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus. Si sit ordini subjectum, sufficit licentia Prælati Regularis mediati, vel immediati juxta Ordinis Constitutiones: quæ licentia specialis debet esse; & in scriptis dari. *C. un. n. t. in 6. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 16. ex n. 13.* quamvis, ut diximus ad egressum Monialium, & licentia Prælati Regularis, & Episcopi necessaria sit. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 15. ex n. 24.* Antiquitus quidem, non solum ingressus, sed & accessus ad Monasteria Monialium, extra casus necessarios erat prohibitus. *C. 8. de Vita & honest. Cleric. C. un. h. t. in 6.* & præcipuè Religiosis: hodie tamen hujusmodi Constitutiones usu sunt temperatæ. Præterea, sub pœna excommunicationis in ipsas fœminas ingredientes, & in recipientes eas prætextu alicujus privilegij, & non aliter, prohibetur fœminis Monasteria virorum ingredi. Ingredi tamen possunt Reginæ, & earum filiæ, & fœminæ ipsas comitantes, & fundatrices, si ita ferat consuetudo, vel constitutio. Et cum reliquo Populo possunt admitti intra septa Monasterij fœminæ ad Divina Officia, & ad funus: dum tamen in officinas interiores non admittantur. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 17. ex n. 5.* nec possunt ingredi hortos vicinos Monasterio, in quibus Religiosi intra clausuram esse censentur: possunt tamen ingredi Sacristiam, in quam datur ingressus è Templo, ut contra *Sanch. & Barbos.* tenent *Lacr. lib. 4. n. 89. & alij.* Etiam ingredi valent Grangias Religiosorum, *Hispanè: Granjas, ò Casas de Campo.* In Indijs *Estancias* appellamus. *Machad. in Sum. lib. 5. p. 2. tr. 3. doc. 7. Villalob. Bonacin. & alij:* non tamen possunt ingredi Residentias Societatis, si hæ sint perpetuæ, & in eis vivatur ut in Collegijs, ut in Residentijs harum Insularum accidit. Secus est, si tantum sint ædes Missionariorum, & velut privatæ. Exterius Collegij atrium: *Hispanè: Portal,* in quo est prima porta, quæ toto die sæcularibus patet non censetur intra clausuram: hæc enim incipit ab ea porta, in qua est sedes Janitoris ad clausuram servandam. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 17. Lacr. lib. 4. n. 90. & alij.* Nomine tamen mulierum in hac prohibitione veniunt solæ habentes usum rationis, & etiam fatuæ puberes, quæ ad peccatum possent cooperari. Præterea, in Monasterijs non sunt recipiendæ plures Moniales, quam quæ commodè possunt sustentari. *C. un. §. 1. h. t. in 6. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 3.* quod etiam ad Monasteria virorum extenditur: nec item hæc possunt fundari, quin alij Mendicantes in illo Oppido, vel Civitate existentes, & alij quorum interest citentur ex *Const. Clem. VIII. 23. Jul. An. 1603.* si Moniales dotem pro congrua sustentatione afferant, utique possunt admitti. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 23. ex n. 4.* Denique, olim multiplex velum Monialibus ad benedictionem, & consecrationem dari solebat, ut habet *Gloss. in C. 11. 20. q. 1.* Et quidem velum consecrationis solum ab Episcopo confertur, *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 27. n. 57.* velum Prælationis, quod olim sexaginta annis completis, hodie 40. vel saltem 30. datur. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 7.* Ex hucusque dictis patet, qualiter Religiosus votis Religionis, ejusque Regulis ligatus inveniatur, in quo statu, si fidelis perseveret, accipiet coronam vitæ; si vero retro respiciat, non erit aptus Regno Cœlorum: & quamvis *venire ad Eremum* (teste Casiano) *summa perfectio sit, non perfectè in Eremo vivere summa damnatio est. Verùm siquidem Religiosus*, sic depingitur ab *Eusebio; debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia.* Fateor equidem cum *D. Bernard.* quod *vitâ religiosa est quoddam martyrium, illo quidem, quo membra caeduntur ferro, horrore mitius, sed diuturnitate molestius.* Sed nostros animos spes præmij erigere debet. Sic olim Æneas suos socios ad perferendos labores animabat: *Per varios casus, per tot discrimina rerum tendimus in Latium, sedes ubi facta quietas ostendunt; illic fas Regna resurgere Trojæ. Durate, & vosmet rebus servate secundis.*

TIT.

TIT. XXXVI.

De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

329 **D**Omus *religiosa* in genere comprehendit omnem locum deputatum ad divinum cultum, & opera pietatis, & misericordiæ exercenda; sive consecratione Episcopi sit dedicatus ad Missarum solemnia, & officia divina celebranda, ut sunt Ecclesiæ, Basilicæ, vel Templa: sive absque consecratione Episcopi ad prædicta munera deserviat, ut sunt Monasteria, Xenodochia, Oratoria, Capellæ domesticæ, Hospitalia, Confraternitates, & Congregationes. *L.* 1. *tit.* 12. *p.* 1. Et quidem Episcopus habet in jure fundatam intentionem super omnium harum domorum in sua Diœcesi sitarum subjectione illius spirituali jurisdictioni (secus quoad temporalia) nisi fortè tales domus probentur exemptæ. *C.* 10. 16. *q.* 7. *c.* 17. 18. *q.* 2. *c.* 7. *b. t. l.* 2. *tit.* 12. *p.* 1. Etiamsi locus Religiosus sit Monasterio exempto incorporatus, nisi etiam talis locus probetur exemptus. *C.* 6. *b. t.* Et licet aliqui idem credant de quacumque Parochia respectu Ecclesiarum, quæ intra suos limites sunt sitæ: tamen dicendum est, tales Parochos non habere in jure fundatam intentionem super jurisdictione talium Ecclesiarum, vel Capellarum, sed tantum obtinebunt, quantum probent, & non amplius, ut deducitur ex *C.* 2. *de Capell. Monach. C. fin. de Offic. Archid. Barbos. in c.* 2. *de Capell Monach. n.* 1. Omnia igitur loca authoritate Episcopali, vel alia Ecclesiastica erecta, (secus, quæ absque tali authoritate sunt erecta, etiamsi oratorium habeant, dummodo Missa non celebretur; *arg. C.* 4. *b. t. & ibid. Barbos. num.* 3.) subsunt Episcopi jurisdictioni, qui proindè ea visitare potest, quantumvis exempta sint: sed tunc tanquam Sedis Apostolicæ delegatus procedit: & etiamsi per Laicos administrentur. Non tamen potest prohibere jus visitandi Judicibus Laicis ibidem adquisitum. Non tamen potest visitare. 1. Loca pia, & Hospitalia, quæ sunt sub immediata Regum protectione, sine horum licentia. *Trid. sess.* 22. *de Ref. cap.* 8. Nostri tamen Catholici Reges concesserunt jam generaliter suam licentiam, ut Hospitalia, quæ sunt in Hispania, & Indijs sub Regia protectione, etiamsi ex Regio Ærario fundata sint, visitentur simul à Judice Ecclesiastico, seu Episcopo, vel ejus Vicario, & à Judice destinato à Rege. *L.* 4. *tit.* 6. *lib.* 1. *R. C. l.* 5. §. 21. *tit.* 4. *lib.* 1. *R. Indiar. & alibi sæpè. Solorz. Polit. Ind. lib.* 4. *cap.* 3. 2. Nec possunt Episcopi visitare illa pia loca, in quorum fundatione expressé cautum est, ut non subsint Episcopo. *Trid. sess.* 22. *de Ref. cap.* 9. 3. Nec Hospitalia Ordinum Militarium, & aliorum Regularium. *Gl.* 2. *b. t.* Præterea Episcopi possunt exigere rationem ab Administratoribus Hospitalium, & aliorum piorum locorum, etiamsi erecta sint absque Ecclesiastica licentia, & etiamsi alijs ad id deputatis ex consuetudine, privilegio, vel constitutione ratio reddenda sit. *Cl.* 2. *b. t.* solumquè excusari possunt à tali ratione Episcopo reddenda, si ita expressé in fundatione cautum sit. *Trid. sess.* 22. *de Reform. cap.* 9. *Barbos. de Pot. Episc. alleg.* 75. *n.* 57. *Gutier. Canon. qq. lib.* 1. *cap.* 35. *ex num.* 19. Si una Ecclesia, vel Monasterium unitur ex justa causa, & dispensativè attento *Trid. sess.* 14. *de Ref. cap.* 9. Ecclesiæ, vel Monasterio alterius Diœcesis, manet adhuc sub jurisdictione Episcopi, in cujus Diœcesi Ecclesia unita sita est; *arg. C.* 10. 16. *q.* 7. *c.* 2. *b. t. L.* 4. *tit.* 12. *p.* 1. ibi: *E si fueren de dos Obispados, cada una de ellas debe obedecer à su Obispo, è facerle aquellos derechos, què le facian ante que fueßen ajuntadas.* Si dubitetur in cujus Diœcesi sit locus, in quo est ædificata Ecclesia, pertinet jurisdictio ad Episcopum, qui unum, vel alterum actum jurisdictionis Episcopalis in quacunque linea exercuit: nam hoc tunc sufficiet ad totam jurisdictionem possidendam, cum nullus alius sit in possessione alterius juris, ut accidebat in *C.* 18. *de Præscript. Barbos. in C.* 1. *b. t. n.* 6. qui testatur sæpè à Rota decisum.

330 *Innoc. X. in Const. instaurandæ. Ann.* 1652. statuit, *ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium ::: Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare præsumat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali*: ac proindè nihil obstant anteriores Constitutiones. *C.* 12. 18. *q.* 2. *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 3. requirentes solam Ordinarij authoritatem: imò dicendum est, quod ultra Episcopi licentiam insuper licentia Pontificis requiritur. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 26. *n.* 4. *Gonz. in C. fin. b. t. n. fin.* Præter Ordinarij, & Pontificis licentiam ad nova Monasteria Mendicantium, vel non Mendicantium ubique erigenda, est necessarium, quod saltem duodecim Religiosi ibidem pos-

possint degere, & quod citentur alij Conventus, si qui ibi sunt, & quod ipsi consensum capitulariter præbeant. Similiter accedere debet consensus Principis illius territorij: item Parochi, & incolarum *Clem. VIII. in Const. Quoniam, 23. Jul. An. 1603. Greg. XV. in Const. Cum alias, 27. Aug. An. 1622.* Etiamsi Monasterium de novo erigendum cautionem præstet de non petenda eleemosyna: quippe non tantum in hoc stat præjudicium, sed etiam in concursu, & oblationibus. In erectione Monasterij Monialium, quæ non quærunt ex eleemosynis victum, non est necesse prædictos citari, cum eis nullum præjudicium sequatur. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 41. n. 217. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 7. n. 116.* In Provincijs Indiarum nulla Ecclesia Cathedralis, nec Parochialis, nec Monasterium, nec alius pius locus potest erigi, quin Regis nostri præcedat expressa licentia, vel illius, qui patronatum Regium exerceat, & habeat hanc facultatem: ita, ut si absque licentia debita aliqua Ecclesia erigatur, demoliri debeat. *L. 1. tit. 2. l. 1. tit. 3. l. 2. tit. 6. lib. 1. Rec. Ind, Gonz. in C. fin. h. t. n. fin. Solorz. Polit. Ind. lib. 4. cap. 23.* ubi dicit, quod in Indijs Religiones sola cum Regis licentia, etiam sine licentia Episcopi nova ædificant Monasteria, & quod sic in praxi servatur, non obstantibus varijs Constitutionibus Pontificijs in contrarium. Sed in hoc debent attendi unius cujusque Ordinis privilegia. Sed cum prædictæ Constitutiones loquantur de Monasterij erectione, dicendum est, eas non habere locum, quando Monasterium ampliatur, vel alio transfertur, vel postquam destructum est reædificatur, etiamsi ex his alijs præjudicium sequeretur. *Gonz. in C. fin. h. t. n. fin.*

331 *Omnis res* (ait *Text. in C. 1. de Regul. jur.*) *per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Hinc Hospitalia, vel loca, quæ accedente authoritate Ecclesiastica Religiosa facta sunt, nequeunt ad usus profanos converti sine Ecclesiastica authoritate. *C. 4. h. t. Quod enim semel Deo dicatum est non est ad humanos usus convertendum. C. 51. de Reg. jur, in 6. L. 3. tit. 12. p. 1.* imò, neque ad alium usum, etiam pium præter destinatum. *Cl. 2. h. t. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 8.* Si vero sine authoritate Ecclesiastica aliquis locus ad usum pium est destinatus: v. g. ad Oratorium, potest privata authoritate ad usum profanum converti, v. g. in cameram; *arg. C. 4. h. t.* si tamen fundator alicujus operis jam decessit, illius hæres nequit ejus voluntatem mutare, sed eam tenetur adimplere. Præterea in *C. fin. h. t. & in C. un. eod. in 6.* prohibet Pontifex, ne ulla Religio sine Sedis Apostolicæ approbatione instituatur, ut sic tollatur confusio, quam nimia diversitas Religionum parit, & tollatur erroribus inducendis occasio ac proindè professio in Religione sine Pontificis licentia constituta erit nulla ac per consequens nullius momenti erunt pacta circa illam inita, & vota obedientiæ, & castitatis, si tantum dependenter à tali Congregatione sint facta. Suadendi tamen sunt votum castitatis hoc modo emittentes, castitatem servare; quod si nolint, valent matrimonium contrahere. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 16. n. 24.* Deindè Ecclesia Regularis solum Pontificia authoritate potest in Sæcularem Clericorum converti, nisi forte non inveniantur Religiosi, etiam alterius Ordinis, per quos restauretur disciplina regularis collapsa: tunc enim authoritate Episcopi hæc mutatio fieri valet. *C. 5. h. t. & ibid. Gloss. & Barbos.* Sub prohibitione novarum Religionum, etiam comprehenduntur Congregationes virorum, vel mulierum, etiamsi tria vota substantialia Religionis non emittant, si tamen sub certa regula, ritu, & habitu in communi vivant; cum eadem sit ratio, & idem periculum ex eis possit oriri. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 16. n. 22.* Non tamen comprehenditur vita solitaria, & non in communi degentium: quin potius possunt fœminæ non suspectæ simul habitare in suis, vel conductitijs ædibus, obediendo Ordinarijs, & Parochis, & ibi Deo servire, & agere pœnitentiam. *Cl. 1. in fin. h. t. Extr. un. int. com. h. t.* in nostra Hispania severe prohibetur, ne fiant Congregationes, vel Confraternitates, quocunque prætextu, etiam pio, & sancto sine Regis, & Prælati Ecclesiastici licentia. *L. 3. tit. 14. lib. 8. R. C.*

TIT. XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

332 CApella aliquando significat *aliquod altare* in Ecclesia extructum, præcipuè aliquo cancello ligneo, vel ferreo clausum. Aliquando *Oratorium*, seu *sacram ædiculam* ab Ecclesia separatam. Sed in præsenti *Parochialem*, seu *Ecclesiam, quæ non sit Collegiata* signi-

ficat. Quocumque tamen modo sumatur, si in ea Missa est celebranda, cum ex hoc locus sacer, & Religiosus fiat, non aliter, quam Episcopi authoritate erigi debet. *C. 25. de Conf. D.* 1. Olim quidem in Ecclesijs unitis Monasterijs, sicut in ipsis Monasterijs, Capellani, seu Sacerdotes Sæculares præficiebantur. *C.* 1. *h. t. L.* 24. *tit.* 7. *p.* 1. Siquidem Monachi regulatiter erant Laici. Tripliciter ergo potest Ecclesia Parochialis Monasterio uniri. 1. *plenissimo jure*, ita ut Monasterium exerceat jurisdictionem, quasi Episcopalem in populum ejus Parochiæ; & tunc Regularis, vel Sæcularis Parochus juxta loci consuetudinem præfici potest; quin Episcopus possit in administrationem se immiscere, cum Superior Monasterij sit loco Episcopi. *L.* 26. *tit.* 7. *p.* 1. *Rodrig. t.* 1. *qq. Regul. q.* 36. *art.* 4. 2. *potest pleno jure* uniti quoad temporalia, scilicèt, & spiritualia, ita ut Monasterium exerceat curam animarum, & tunc si Vicarius perpetuus ibi ponatur; à Monasterio est præsentandus, sed institutio, visitatio, correctio, destitutio, seu depositio ad Episcopum spectant. Si Vicarius Sæcularis temporalis ad nutum à movibilis ponatur, institutio, & destitutio, ut quæ nullum titulum dicunt, fiunt à Prælato Regulari: tota alia jurisdictio in spiritualibus in Clericum pertinet ad Episcopum. Si Vicarius Regularis ponatur, visitatio, & correctio ad Episcopum, & Abbatem cumulativè spectant, in his quidem, quæ ad officium Parochi pertinent, etiamsi aliundè Monasterium exemptum sit. *C.* 16. *de Privileg.* ibi: *Quo circa mandamus, quatenùs in quantum exempti sunt* (*Capellani Ducis Burgundiæ*) *ejusdem ratione Capellæ Apostolicis privilegijs deferas reverentèr; sed in quantum ratione Parœcialium Ecclesiarum, vel alias jurisdictionem tuam recipere dignoscuntur, officij tui debitum in eosdem liberè prosequaris. Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 11. *Greg. XV. in Const. Immutabili, An.* 1622. *Barb. in C.* 1. *h. t. n.* 5. *L.* 28. *tit.* 15. *lib.* 1. *R. Ind.* 3. potest uniri quoad temporalia tantum, quatenùs Monasterium reditus talis Ecclesiæ percipiat: & cum nullam tunc jurisdictionem spiritualem habeat Monasterium, Clericus Sæcularis ad Monasterij præsentationem Ecclesiæ unitæ præficitur: ita ut Episcopus habeat omnimodam jurisdictionem. *L.* 26. *tit.* 7. *p.* 1. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 4. Denique, licet *in C.* 2. *de Statu Monach. in C.* 3. *& fin. h. t.* sit statutum, quod Monacho, qui Ecclesiæ Parochiali, extra Monasterium præficitur, aliqui Socij Regulares adjungantur. *L.* 24. *tit.* 7. *p.* 1. ibi: *Ha de estàr con otros Frayles*: tamen ex *Const. Greg. XIII.* sufficit, si unus adjungatur. *Garc. de Benef. p.* 11. *cap.* 2. *n.* 13. sed hoc vix usu unquam videtur receptum. Sed tunc tantum solet Socius assignari, saltem in Indijs, quando est sufficiens Religiosorum copia (quod vix unquam accidit). & commodè fieri potest, ut de Canonicis Regularibus disponitur *in C.* 5. *de Statu Monachor.*

TIT. XXXVIII.

De Jure Patronatus.

333 **J***US patronatus* aliquando pro *Advocatia*; ut in *L.* 14. §. 1. *C. de Judic.* aliquando pro *Libertorum patronatu*; ut in *C.* 61. 12. *q.* 2. sumitur; sed in præsenti est *jus, sive potestas præsentandi Clericum instituendum, ad Ecclesiam, vel beneficium. Patronus* ergo dicitur, quasi *pater oneris*, quia onera Ecclesiæ sustinere debet in consequentiam honoris. *L.* 1. *tit.* 15. *p.* 1. In primis quidem Ecclesiæ Sæculis non agnoscebatur jus patronatus, *C.* 3. *c.* 6. 10. *q.* 1. *c.* 10. 16. *q.* 7. sed posteà gratia, & privilegio Apostolico hoc jus cœpit etiam Laicis concedi, ut ad Ecclesias, & beneficia fundanda allicerentur. *C.* 32. 16. *q.* 7. *c.* 25. *h. t. Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 9. *L. fin. tit.* 15. *p.* 1. *& ibid. Greg. Lop.* V. *Gracia.* Et quidem ex tribus capitibus oritur patronatus, ex *fundatione*, scilicèt, *constructione*, *vel dotatione* Ecclesiæ, vel beneficij. *C.* 31. *c.* 32. 16. *q.* 7. *c.* 25. *h. t.* juxta illud *Gloss. in C.* 26. 16. *q.* 7. *Patronum faciunt, dos, ædificatio fundus*: quæ insuper debent fieri animo patronatum adquirendi: non tantum animo condonandi, nam tunc potius diceretur benefactor, quam Patronus. *Garc. de Benef. p.* 5. *cap.* 9. *n.* 60. Non tamen est necessaria expressa reservatio juris patronatus; sat enim erit, quod actu contrario non remittatur. *Garc. n.* 62. prædicta clarè habentur *in L.* 1. *tit.* 15. *p.* 1. ibi: *Patronadgo es derecho, ò poder, que ganan en la Eglesia, por bienes que facen los que son Patrones della: è este derecho gana ome por tres cosas: la una, por el suelo que dà à la Eglesia, en que la facen: la segunda, por que la facen: la tercera, por heredamiento que la dàn, à que dicen dote. Greg. Lop. ibid. fundare* enim dicitur, qui fundum, vel solum, in quo Ecclesia construatur, dat. *Construere* dicitur, qui dat sumptus ad

ad Ecclesiam ædificandam, vel restituendam collapsam, si Ecclesia forte totaliter injuria temporum, vel aliter destruatur. *Dotare* dicitur, qui sufficientes reditus tribuit ad usus Ecclesiæ necessarios, & ejus Ministrorum sustentationem congruam. *L.* 1. *tit.* 15. *p.* 1. ibi: *La tercera por heredamiento, a que dicen dote, onde vivan los Clerigos que la sirvieren, è que puedan complir las otras cosas. Et ibid. Greg. Lop.* Si non sufficientes ad prædicta reditus tribuat, potius benefactor, quam patronus dicitur. Jus tamen patronatus construentis, vel dotantis extinguitur destructa Ecclesia, vel ejus amissa dote, ac proinde non reviviscit, si alias construat, vel dotet; *arg. L.* 98. §. 8. *ff. de Solution.* sed ædificanti de novo, etiam ex antigua materia, vel de novo dotanti totum jus patronatus adquiritur. *Garc. de Benef. p.* 5. *cap.* 9. *n.* 51. si tamen Ecclesia non esset omnino diruta; sed per partes reædificata sit, etiamsi tota sit de novo facta, cum censeatur esse eadem Ecclesia moraliter cum antiqua, antiquus extructor patronus manet; *arg. L.* 10. §. 1. *ff. Quibus mod. ususfr. amit.* nec ad jus patronatus adquirendum est necessarium, quod ab eodem copulativè fundetur, construatur, & dotetur Ecclesia: sed sufficit quilibet ex his titulis disjunctivè. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 9. & sic est intelligenda copulativa. *Trid. sess.* 14. *de Ref. cap.* 12. *L.* 12. *tit.* 15. *p.* 1. Unde possunt respectu ejusdem Ecclesiæ plures concurrere patroni; si alius scilicet, fundet, alius construat, alius dotet. Tamen talis fundatio, constructio, vel dotatio debet approbari ab Ordinario. *C.* 25. *h. t.* videlicet ab Episcopo, vel ejus Vicario, si specialem commissionem habeat: vel à Capitulo, Sedevacante, vel ejus Vicario, etiam sine speciali commissione: vel ab alio jurisdictionem quasi Episcopalem habente: sufficit tamen consensum à prædictis, etiam ex post facto præstari. *Barb. de Offic. Episcop. alleg.* 70. si Ordinarius requisitus sine justa causa (secus si justam habeat causam) recuset consensum præstare ad constructionem, vel dotationem potest compelli à Papa; *arg. C.* 17. *h. t.* Si Titius: v. g. in fundo Sempronij eo invito, vel inscio Ecclesiam extruat, patronatus adquiritur Titio extructori, non verò Sempronio Domino fundi, nisi hic ratam habeat ædificationem, & tunc ambo sunt patroni: potest tamen Dominus fundi, etiam propria authoritate occupare, vel destruere talem Ecclesiam; *arg. C.* 1. & 2. *de Novi oper. nuntiat. L.* 29. §. 1. *ff. ad Leg. Aquil.* dummodò talis Ecclesia non sit consecrata. Si enim jam est consecrata destrui nequit; sed Domino fundi est præstanda fundi æstimatio, si fundum nolit donare; *arg. C.* 2. 14. *q.* 6.

334 Jus patronatus, nec est absolutè spirituale, nec merè temporale: sed esse spiritualibus annexum expressè dicitur in *C.* 3. *de judic. c.* 16. *h. t. L. fin. tit.* 15. *p.* 1. ibi: *Llaman el derecho del Patronazgo como espiritual, è ayuntado a espiritual. L.* 1 *hom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. Et ratio est, quia ordinatur ad institutionem Canonicam, quæ tribuit jus spirituale, & quam præcedit præsentatio vi patronatus facta. Sicut Calices, & Patenæ, quatenùs ad Sacrificium Missæ ordinantur, spiritualibus accensentur. *C.* 42. *c.* 44. *de Consecr. D.* 1. *L.* 43. *ff. de Rei vendicat.* Hinc quidquid Patronus Laicus habet in præsentatione ad beneficia totum ex gratia, & privilegio Ecclesiæ oritur. *L. fin. tit.* 15. *p.* 1. jus quidem patronatus multipliciter distinguitur. Aliud enim est *hereditarium*, quod scilicèt, ad quoscumque hæredes, etiam extraneos transit, & cum frequentiùs ita intimuatur jus patronatus, in dubio hæreditarium præsumitur; *arg. C.* 18. *de Censib.* Aliud est *familiare*, seu *Gentilitium*, quod scilicèt, transit tantum ad eos, qui de aliqua familia sunt. Aliud potest dici *mixtum*, quod scilicèt, tantum transit ad cognatos fundatoris, si simul hæredes sint. Præterea: aliud est *personale*, quod scilicèt pattono independenter ab aliqua re competit. Aliud *reale*, quod quidem competit ratione rei, cui adhæret: v. g. ratione Castri, Villæ, vel prædij. Celeberrima tamen divisio juris patronatus est in *Ecclesiasticum, Laicum, & mixtum. Ecclesiasticum* siquidem est, quod personæ, vel Collegio Ecclesiastico competit ratione Ecclesiæ, Dignitatis, vel beneficij Ecclesiastici. Tale est, quod Episcopo, vel Abbati competit ratione dominij temporalis pertinentis ad Ecclesiam: item, quod competit Religiosis, etiam Laicis, vel etiam Rectoribus Hospitalium, etiamsi absque authoritate Ecclesiastica erecta sint. *Garc. de Benef. p.* 5. *cap.* 1. *ex n.* 600. vel etiam Congregationibus Laicorum, si alicui Ecclesiæ sint annexæ: vel Collegijs Laicorum, si ratione alicujus Ecclesiæ, vel loci pij, ipsis competat: vel etiam Magistris S. Joannis ratione suarum commendarum: imò, & quod competit Equitibus, etiam Conjugatis S. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ. *Garc. de Benef. p.* 9. *cap.* 2. *n.* 263. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 8.

Mascard. & alij. Laicum, seu *Sæculare* est quod competit Laico, vel etiam Clerico, non ratione Ecclesiæ, sed ratione proprij patrimonij. Hinc ad cognoscendam patronatus naturam, non persona, sed titulus, ex quo competit, inspici debet: siquidem Laico potest patronatus Ecclesiasticus, & similitèr Clerico, Laicalis competere. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 12. Garc. de Benef. p. 5. cap. 1. ex n. 553. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 34. ex n.* 18. ac proinde, etiamsi à Clerico fundetur beneficium, si hoc ex bonis ipsius patrimonialibus fiat, erit patronatus Laicalis: quin etiamsi fundetur ex bonis adquisitis à Clerico intuitu beneficij, de quibus privilegio, vel consuetudine immemoriali, ut in Hispania, liberè disponere valet, adhuc erit patronatus Laicalis: secus erit si tali facultate disponendi liberè, careat. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 1. n. 594.* Etiam est patronatus Laicalis, quando Princeps, vel Magistratus Sæcularis Clericum nominat, quem posteà Ecclesia Episcopo præsentare debet: nam qui eligit, ut in tali casu facit Magistratus, censetur præsentare: Ecclesia tamen non liberè, sed necessariò præsentat, ac proindè hoc facit tanquam Procurator, vel Executor nomine alieno; *arg. C. 32. 16. q. 7. Garc. de Benef. p. 5. cap. 1. n. 616.* Hinc erit etiam Laicalis, si Laicus præsentare debeat, non solùm cum consilio, sed etiam cum consensu Clerici: sicut erit Ecclesiasticus, si Clericus cum consilio, vel consensu Laici debeat præsentare. Si non constet, an ratione patrimonij, vel beneficij Ecclesiastici patronatus competat, videndum est, an jure hæreditariæ successionis competat: nam tunc censendus est Laicalis. Nam jus Ecclesiasticum non defertur successione hæreditaria. *C. r. de Prabend.* si neque hoc constet, regulatur secundum qualitatem personæ possidentis: si Laica sit, Laicalis censetur, si Clericus possideat, patronatus Ecclesiasticus existimatur. *Jus patronatus mixtum* est quod competit, partim ratione Ecclesiæ, partim ratione patrimonij, sive eidem, sive diversis personis: & tale jus naturam patronatus Ecclesiastici sequitur: quippè minus dignum magis dignum sequi oportet; *arg. L. 43. ff. de Rei vindic.* nisi quoad eos effectus, qui patrono præjudicarent: nam tunc naturam patronatus Laicalis sequetur. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 12. n. 18.* Si hoc jus ita competat Clericis, & Laicis, ut alternent in præsentando: quando Laici præsentent Laicale, quando Clerici, Ecclesiasticum erit. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 1. n. 614. Barbos. n. 17. & alij.* Inter jus patronatus Laicale, & Ecclesiasticum plures sunt differentiæ. Nam. 1. Patronus Laicus habet quatuor menses tantum ad præsentandum, Ecclesiasticus autem sex. *C. un. §. Verum, h. t. in 6.* 2. Laicus potest variare, plures præsentando, antequam aliquis instituatur: vel simul, vel successivè, dum tamen semel præsentatum non excludat. *C. 5. t. 24. h. t. l. 6. tit. 15. p. 1.* Ecclesiasticus tamen variare nequit. *L. 7. tit. 15. p. 1.* 3. Papa non solet patronatui Laicali derogare, nisi expressè: secus Ecclesiastico. 4. Concursus, qui requiritur à *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 18.* ad beneficium Ecclesiasticum curatum: non requiritur, quando tale beneficium est patronatus Laicalis. Jus tamen patronatus Ecclesiasticum, quod ad Laicum transfertur naturam Ecclesiastici exuit, & induit naturam patronatus Laicalis: non solum quando titulo oneroso, ut concedit *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 12. n. 16.* sed etiam, quod ipse negat, quando ex titulo lucrativo transit ad Laicum.

335 Fundans, construens, vel dotans Ecclesiam non Cathedralem, nec Collegiatam, seu Conventualem, jus patronatus, quoad omnes ejus effectus adquirit; *C. 32. 16. q. 7.* Si verò Ecclesia sit Cathedralis, vel Collegiata, Patronus Ecclesiasticus potest adquirere omnes patronatus effectus, etiam quoad eligendum Prælatum: secus si Patronus Laicus sit: quia est hujusmodi juris incapax; ac proindè nec in fundatione potest illud sibi reservare. *C. 1. D. 63. c. 51. de Elect.* nisi privilegium Pontificium obtineat. *C. 25. h. t. l. 1. tit. 15. p. 1.* potest tamen sibi reservare jus præsentandi ad Præbendas, Canonicatus, & Beneficia. *L. 1. tit. 15. p. 1.* Imò accedente Episcopi authoritate, potest sibi reservare jus præstandi assensum electioni: qui quidem requirendus erit post electionem, ante ejus publicationem. *C. 25. h. t. c. 51. de Elect. l. 1. tit. 15. p. 1.* sed hoc potius ex honestate, quam ex necessitate requiritur: siquidem etiam invito patrono, electio, si Canonica sit, est à Superiore confirmanda. *Barbos. in C. 25. h. t. n. 5.* Quicumque igitur, qui fundat, vel construit, vel dotat Ecclesiam, quæcumquè sit, etiam Conventualis, Parochialis, vel Cathedralis, est juris patronatus capax, si aliundè non specialitèr prohibeatur. *C. 32. 16. q. 7. l. 1. l. 4. tit. 15. p. 1.* Hinc possunt patronatum adquirere non solum Clerici; sed etiam Laici; quibus generalitèr ex Indulgentia Pontificia

hoc

hoc concessum est. C. ... h. t. C. *fin. de Concess. præbend.* possunt etiam patronatum obtinere; non solum legitimi; sed etiam spurij; cum patronatus, licet sit honor; non sit publicus, cujus est incapax spurius. Item patronatum habere possunt, non solum viri; sed etiam fœminæ: Et tam Regulares. *C. 7. h. t.* quam Seculares: *C. fin. de Concess. præbend. Barbos. in C. 7. h. t. n. 12. Garc. de Benefic. p. 5. cap. 9. n. 142.* si tamen fœmina matrimonium contrahat, licet retineat jus patronatus personale, & quod est annexum bonis paraphernalibus: tamen jus patronatus doti annexum, tanquam fructus dotis, & quid ipsi accessorium pertinet ad maritum, matrimonio durante, ad quem spectant dos, & ejus fructus. *C. 7. de Donation. int. vir. C. 16. de Usuris*: Et sic contra alios tenent *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 12. n. 223. Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 177. & alij.* Conductor ad longum tempus Villæ; vel Castri; cui jus patronatus est annexum; cum in re conducta dominio utili gaudeat, etiam commoditas, & jus præsentandi ipsi videtur concessum: secus est, si locatio ad breve tempus fiat. *C. 7. h. t. & ibid. Gonz. L. 9. tit. 15. p. 1. & ibid. Greg. Lop. V. Arrendando. Lambert. Azor, & alij* contra *Barbos. in C. 7. h. t. n. 4. & alios.* Similiter infeudato; vel in emphyteusim dato prædio; cui jus patronatus annexum est; hoc transit ad vassallum; vel emphyteutam; tanquam quid accessorium prædij; *arg. C. 7. h. t. L. 9. tit. 15. p. 1.* Quando à debitore oppignoratur Villa; cui est jus patronatus annexum; etiam transit in creditorem jus præsentandi. Ita expresse habetur *in L. 9. tit. 15. p. 1.* ubi *Greg. Lop.* alios citat, quamvis ipse cum pluribus dissentire videatur. Infames igitur, & furiosi, licet juris patronatus sint capaces, illud tamen nequeunt per se exercere: sed Tutores, & Curatores debent ad beneficia præsentare. Impuberes tamen, licet expediat, ut cum authoritate Tutoris præsentent, non tamen est necessarium; sed sine ea, imò contra præsentationem à Tutore factam prævalebit præsentatio pupilli: Siquidem in spiritualibus Tutoris authoritas, quin nec Patris potestas attenditur. *C. fin. de Judic. in 6.* Puberes verò non indigent Curatorum authoritate ad præsentandum. Pater pro filio impubere benè potest præsentare, cum habeat administrationem filij toto tempore impubertatis, secus post pubertatem. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. ex n. 193.* Non tamen sunt capaces juris patronatus, siquidem expressè à jure excluduntur, Judæi, & Gentiles, quia non sunt Christiani: nec item Hæretici, quia sunt Infideles. *C. 30. 16. q. 7.* Patronus excommunicatus validè præsentat, ut contra alios tenent *Ugolin. de Cens. tab. 2. cap. 13. §. 2. n. 13. Garc. de Benef. p. 5. cap. 4. n. 317.* Si excommunicatus est vitandus non potest Episcopus talem præsentationem admittere; ne cum eo videatur communicare: si est toleratus, potest eam, sed non tenetur, admittere.

§. 336 Patronus tria habet ex patronatu; *honorem* scilicet, *utilitatem*, & *onus*. *L. 1. tit. 15. p. 1.* juxta illud: *Patrono debetur honos, onus, utilitasque.* Ipsum enim Jus Naturale dictat, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda, & è contra. *L. 10. ff. de Reg. jur. C. 55. eod. in 6.* & sic olim quidam canebat: *Semifer intereà Divinæ stirpis alumno lætus erat: mistoque oneri gaudebat honore.* 1. ergo ratione *honoris* Patrono debiti potest hic in Ecclesia patronata arma, & insignia suæ familiæ ponere. Etiam Patronus Laicus præferri debet alijs Laicis in pace suscipienda: danda tamen est, non à beneficiato; sed ab alio Ministro, non osculo; sed instrumento, & quidem post datam pacem omnibus de Choro. Item ipsi datur sedes in loco digniori; sed extra Chorum, & sine baldochino, nisi Dominus territorij sit. Ipsi datur honoratior locus in processione. *L. 1. tit. 15. p. 1.* ibi: *Quando viniere à la Eglesia le deben poner encima de la procession, quando la ficieren, assi como Mayoral.* Et alijs Laicis; excepto Domino temporali territorij, præfertur in thurificatione, & oblatione candelarum; & palmarum. Si Patronus sit Rex; vel magnus Princeps solet processionaliter excipi; & olim sic excipiebantur nostri Potentissimi Reges: sed hodie hoc magna ex parte, moderatum, & correctum est. *L. 7. tit. 1. lib. 1. R. C.* ibi: *Y que las Cruces no salgan à Nos de la puerta de la Iglesia afuera; pero que la Procession de los Clerigos salga de la puerta adelante ::: y este recibimiento con Cruces no debe ser hecho à Señores temporales, salvo à Rey, ò Reyna, ò Principe heredero.* Et hac ratione non debent in Indijs excipi sub pallio Pro-Reges. *L. 19. tit. 3. lib. 3. R. Ind.* nec Archiepiscopi. *L. 4. tit. 15. lib. 3. R. Ind.* 2. ratione *utilitatis* debet patronus ab Ecclesia patronata sustentari. Si enim patronus ad inopiam vergat, ita ut non habeat ex officio, vel alio modo, unde commodè, & pro decentia sui status, & attentis ejus nobilitate, & gradu, se & suam familiam sustentare possit,

po-

potest ab Ecclesia patronata ex justitia petere alimenta, quæ profecto ab ipsa Ecclesia, si superflua habeat, scilicet, ultra necessaria ad cultum Divinum, & sustentationem Parochi, & Ministrorum, præstanda erunt; & in hoc patronus alijs pauperibus præferendus est. *C. 25. h. t.* L. 2. *tit.* 15. *p.* 1. *& ibid. Greg. Lop. Barbos. in C.* 25. *h. t. n.* 11. *& alij.* Imo potest patronus de consensu Episcopi in limine fundationis (secus post fundationem factam) sibi moderatam pensionem reservare; ita tamen, ut Ecclesiæ competens dos remaneat. Nam quilibet in sua re potest conditiones honestas, & licitas apponere, qualis præsens est. C. 23. *h. t.* L. 2. *tit.* 15. *p.* 1. nullo tamen modo permittitur patrono, etiamsi fundet Ecclesiam Cathedralem, vel Conventualem accipere decimas, & obligationes Ecclesiæ. C. 23. *h. t.* L. 4. *tit.* 15. *p.* 1. 3. ratione *oneris* incumbit patrono cura, & defensio Ecclesiæ. C. 31. 16. *q.* 7. *c.* 23. *c.* 24. *h. t.* ac proindè debet eam a potentioribus defendere, ne opprimatur. C. 60. 16. *q.* 7. solentque patroni advocatiam, sed sine jurisdictionis exercitio habere: & si Clerici res Ecclesiæ dissipent, vel non bene administrent, patroni debent de hoc Episcopum certiorare: quod si ipse non corrigat, conqueri debent Archiepiscopo. L. 3. *tit.* 15. *p.* 1. Et sanè licet jus patronatus æquale sit respectu plurium patronorum; quando alius fundavit, alius dotavit, alius construxit Ecclesiam: quamvis alius plus, alius minus dedisset: tamen illi, qui plus contulit potius, & prius est in suis necessitatibus subveniendum ab Ecclesia: & etiam honoratior locus, quam reliquis præstatur. Item si in discordia unus præsentat unum, alias alium, si præsentati sunt æquales, debet Episcopus instituere præsentatum ab eo, qui plus contulit Ecclesiæ. L. 12. *tit.* 15. *p.* 1.

337 Præcipuum patroni jus est *præsentatio.* C. 32. 16. *q.* 7. C. 8. *c.* 14. *h. t.* *L.* 1. *tit.* 15. *p.* 1. quæ sane nihil aliud est, quam *exhibitio personæ idoneæ ad Ecclesiam, vel beneficium vacans legitime facta Episcopo, vel alij, ad quem pertinet institutio.* Si hæc tempore legitimo sit acceptata, tribuit jus ad rem pro institutione: & in hoc differt à Collatione, quæ jus in re tribuit Collatario. Adeo est necessaria præsentatio in beneficio patronato, ut si collatio fiat ab Episcopo, patrono reclamante, nulla omnino sit. C. 8. *h. t. L.* 5. *tit.* 15. *p.* 1. Et potest patronus, etiam absens, per litteras, vel per Procuratorem præsentare. C. 6. *de his, quæ fiunt.* similitèr potest præsentatus, se instituendi per litteras, vel per Procuratorem præsentare; *arg.* C. 72. *de Reg. jur. in* 6. *Azor p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 21. *q.* 6. *& alij* contra *Barbos. de Potest. Episcop. alleg.* 72. *ex n.* 110. *Garc. & alios.* Si plures patroni discordent in præsentando, ille præfertur, qui plurium habet suffragia: si hoc sine scandalo fieri nequit, Episcopus liberè, etiam absque præsentatione, quem velit, instituet. C. 3. *h. t.* si hoc nequit absque scandalo fieri, claudenda est Ecclesia ab Episcopo, & reliquiæ tolluntur; donec patroni conveniant. C. 1. *c.* 2. *h. t.* Et quidem in paritate meritorum, & vocum gratificationi locus est. C. 24. *h. t.* nec potest à tali gratificatione appellari. *Vallens. hic,* §. 5. *n.* 5. Patronus tamen nequit se ipsum, per se, nec per Procuratorem præsentare, cum inter præsentantem, & præsentatum debeat dari distinctio personarum. C. 26. *h. t.* C. *fin. de Institut. L.* 7. *tit.* 15. *p.* 1. potest tamen præsentari ab alijs Compatronis, & ipse utique valet tali præsentationi consentire. *L.* 7. *tit.* 15. *p.* 1. *arg.* C. 33. *de Election.* vel potest Episcopo supplicari, ut ipsi beneficium patronatum conferat, & Episcopus valet illud supplicanti deferre. *Barbos. in cap.* 26. *h. t. n.* 5. potest absdubio patronus suum filium præsentare. *L.* 7. *tit.* 15. *p.* 1. sicut potest in electione suffragium pro filio conferre; *arg. L.* 5. *ff. Quod cujusq. Univers.* Qui tamen ad beneficium præsentatur, debet esse capax, ut in eo instituatur. Hinc præsentari nequeunt irregulares, excommunicati, servi, neophyti, illegitimi, nec Laici. At verò Laicus, si post breve intervallum, ante institutionem Clericali tonsura insigniatur, non penitùs inhabilis erit. *Lambert. lib.* 2. *p.* 3. *q.* 2. *Barbos. de Pot st. Ep:sc. alleg.* 72. *n.* 73. *&* 78. debet insuper præsentari, qui habeat qualitates in fundatione requisitas: v. g. gradum Doctoris, vel quod sit de tali familia, vel patria. Si tamen præsentetur, qui tali careat qualitate, si ea sit in favorem Ecclesiæ, vel beneficij inducta, præsentatio talis irrita est, etiamsi nullus eam contradicat; *arg.* C. 12. *de Foro compet. L.* 38. *ff. de Pact.* Si in alicujus privati favorem: v. g. consanguineorum talis qualitas exigatur, si ipsi, cum sciant, præsentatum tali qualitate carere, non contradicant præsentationem, suo juri renuntiare censentur; *arg.* C. 43. *de Reg. jur. in* 6. ac proindè valet præsentatio. *Garc. de Benef. p.* 7. *cap.* 15. *ex n.* 1. *Gutier. Canon. qq. cap.* 11. *n.* 37. Si fundator in fundatione propinquiorem consanguineum ad beneficium vocet, hic præsentandus erit;

erit: & quidem propinquitas, non secundum computationem Canonicam, ut vult Cevall. Com. qq. 39. n. 29. sed secundum civilem erit computanda: siquidem hæc vocatio species successionis habetur. Garc. de Benefic. p. 7. cap. 15. n. 25. Etiamsi fundator solum vocet aliquem de consanguineis in genere, debet præsentari proquinquior: quippè talis præsumitur vocatus à fundatore, cum hic vocetur à Lege ad hæreditatem. Lambert. Gutierr. Garc. de Benefic. p. 7. cap. 15. n. 17. contra Rodrig. & alios: potest quidem præsentari illegitimus, Rescripto Papæ legitimatus, quin & legitimatus Rescripto Regis, si propinquior sit legitimo consanguineo. Garc. de Benefic. p. 7. cap. 15. n. 46. & in defectu legitimorum possunt præsentari illegitimi, etiam non legitimati, habilitati tamen ad beneficia. Sed in his tenor fundationis accuratè inspici oportet.

338 Patronus Laicus præsentans indignum graviter peccat. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 18. quoad præsentatum tamen nihil agit, ac proindè intra quadrimestre potest alium, sed dignum quidem, præsentare. L. 5. tit. 15. p. 1. & ibid. Greg. Lop. V. Otro. Ecclesiasticus autem præsentans ignoranter indignum, potest intra semestre, alium dignum præsentare: quod si scienter præsentavit indignum, jure præsentandi pro ea vice privatur, vel ipso facto, vel saltem post sententiam, & ad Episcopum devolvitur collatio. C. 2. de Concess. Præbend. Less. de Just. & jur lib. 2. cap. 34. n. 29. Tenentur igitur patroni absolutè dignum præsentare, & Ecclesiasticus ad beneficium curatum digniorem præsentare tenetur. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1. & cap. 18. ad beneficium simplex, sufficit, si dignum præsentet, saltem in foro externo. Trid. sess. 7. de Ref. cap. 13. Patronus Laicus, etiam ad curatum, solum dignum præsentare tenetur. C. 5. c. 22. c. 24. c. 29. h. t. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 18. in foro tamen conscientiæ digniorem tenetur præsentare, saltem sublevi ad beneficia curata. Episcopus quidem potest repellere præsentatum à patrono, si dignus non sit: tamen tenetur Episcopus probare talem præsentatum dignum non esse, cum quilibet idoneus præsumatur. L. 5. tit. 15. p. 1. quod si præsentatus sit idoneus debet ab Episcopo institui, si hoc facere recuset, potest patronus Archiepiscopum, vel Superiorem adire, ut Episcopum, institutionem facere compellat. L. 5. tit. 15. p. 1. Deindè Patronus debet præsentare intra tempus à jure præfixum. Patronus Ecclesiasticus intra sex menses. C. 22. h. t. c. un. eod. in 6. Laicus tamen intra quatuor menses. C. 3. c. 27. h. t. Et quidem hoc tempus currit, cessante legitimo impedimento, non à die vacationis, quippè si detur ignorantia, non datur negligentia: currit ergo à die notitiæ vacationis, & sanè continuo, & à momento ad momentum. C. 5. de Concess. Præbend. Barbos. de Pot. Episc. alleg. 72. ex n. 217. Garc. de Benef. p. 10. cap. 2. n. 42. quod si intra prædictum tempus, vel terminum patroni non præsentent, pro ea vice jure præsentandi privantur in negligentiæ pœnam: & collatio devolvitur ad Episcopum, vel alium, qui habeat jus instituendi: qui proindè potest beneficium libere, cui velit, conferre. C. 3. c. 22. c. 27. h. t. & hoc dicitur, conferre beneficium jure devoluto. Si tamen præsentatio tempore debito, & legitimo facta sit, sed non habeat effectum, vel ob impedimentum occultum, vel quia præsentatus non acceptavit præsentationem, vel quia post eam acceptatam renuntiavit: vel quia ante institutionem mortuus est, vel ex facto Episcopi, vel alio simili casu, dummodò in prædictis nulla intercesserit fraus, patrono aliud semestre, vel quadrimestre ad novam præsentationem faciendam conceditur: qui quidem novus terminus a tempore impedimenti cogniti currere incipit; arg. C. 26. de Election. in 6. possunt tamen fundatores in ipsa fundatione hunc terminum prorogare, vel coarctare, accedente quidem Episcopi consensu. Nam prædictus terminus solum statutus est, quando alius non est determinatus: non tamen possunt fundatores post perfectam fundationem talem terminum prorogare, vel coarctare: nam ut dicitur in Text. in L. 4. C. de Donation. quæ sub mod. perfecta donatio conditiones postea non capit. Potest vero patronus, etiam post prædictum tempus, præsentare. 1. si vacationem ignoravit: nam tunc non datur negligentia, in cujus odium fuit introducta devolutio. C. 5. de Concess. Præbend. Hæc tamen ignorantia præsumitur, ac proindè patroni contrario incumbit probare, patronum notitiam habuisse. Barbos. de Potest. Episc. alleg. 72. n. 136. 2. si Patronus abfuit Reipublicæ causa, vel si incarceratus, vel excommunicatus, vel alio legitimo impedimento detentus fuit: quippè tunc non potest negligens dici, ac per consequens valet post tale tempus præsentare. C. 5. de Concess. Præbend. sed cum prædicta impedimenta in facto consistant, ac proindè non præsumatur,

tur, patrono, eorum incumbit probatio. Quod si Laicus sit Ecclesiastici Compatronus, sex mensibus Ecclesiastici ad præsentandum gaudet. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n.*210. Quod si lis pendeat super patronatu, ille, qui est in ejus possessione debet tempore præfixo præsentare: & sic institutus non debet posteà removeri, etiamsi præsentans fuisset in judicio victus: & declaretur ipsi jus patronatus non competere. *L.9. tit.*15. *p.*1. Si neuter litigantium sit in possessione, tempore elapso, licet nondum finita lite, jure devoluto potest Episcopus libere beneficium conferre: ut sic lites nimis non differantur. *C. 3. c. 12. c.22. c.27. b. t. l.11. tit. 15. p.1.* nisi fortè Episcopus malitiosè differat litem definire; ne ex suo delicto, & malitia commodum capiat. Tunc enim Episcopo à patronis requisito litis finis expectatur. Similiter litis eventus expectatur, si lis versetur inter patronum intendentem, beneficium, esse patronatum, & Episcopum intendentum, esse liberæ collationis. *C.4. de Offic. Ordin. l.11. tit.15. p. 1.* quod si lis versetur inter duos præsentatos super prælatione, de utriusque jure cognoscitur, & pro eo, qui meliori jure gaudet pronuntiatur. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.72. n.*140. & quidem potest Episcopus intra tempus à jure ad præsentandum concessum, illud patronis litigantibus prorogare: secus illo elapso, tunc enim ipso jure ad Episcopum devolvitur collatio. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.72. n.*143.

339 Patronus Laicus, vel Ecclesiasticus potest simul duos, vel plures præsentare ad beneficium, quia hoc non est variare. *C. fin. b. t. Gonz. in C.5. b. t. n. fin.* & quidem si facta præsentatione sequatur Institutio Canonica, etiamsi non detur realis traditio possessionis, talis institutus plenum jus in beneficio obtinet, ac per consequens nulli patrono jam amplius licet alterum præsentare. Si tamen adhuc non sit facta Canonica Institutio, potest utique Patronus Laicus, vel ejus successor (secus Ecclesiasticus) variare, & post primam præsentationem aliam facere, non quidem excludendo primum præsentatum, sed tantum ei secundum adjungendo, & cumulando. *C.5. c.24. c.29. b. t. L.6. tit.15. p.1.* Cum enim Ecclesiasticus melius possit Clericos idoneos cognoscere, & ipsi sex mensium tempus detur, non debet permitti variatio, sicut Laico permittitur ob rationem contrariam, quia nec bene Clericos idoneos cognoscit, & brevius tempus conceditur. Accedit, quod variatio aliquam notam inconstantiæ secum trahit, quæ maximè Clericos dedecet. Si patronus Laicus non variare juravit, hoc juramentum servandum profectò erit, cum nec in salutis æternæ dispendium, nec in tertij vergat præjudicium. *C. 28. de Jurejur. Gutier. de Juram. Conf. p. 3. cap.*13. *n.*13. Si verò defacto alium præsentet, & Ordinarius approbet, illicita quidem, valida tamen erit secunda præsentatio: sicuti validum est matrimonium contractum contra sponsalia cum alia inita, quamvis illicitum sit. *C.22. de Sponsal.* si Ecclesiasticus sit Laici Compatronus adhuc variare nequit: imò nec Laicus, si idem ab ipso, ac ab Ecclesiastico præsentatus sit: secus est si diversos præsentassent. Tunc enim Laicus alium posset cumulare. *Barb. de Potest. Episc. alleg.72. ex n.* 166. Patronum Laicum sæpius variare posse tenent, *Gloss. in Cl.2. b.t. & alij.* Sed verius est, semel tantum illi variare permitti; *arg. Text. in C.5. c.24. c.28. c.29. b. t.* nam cum variatio sit odiosa, non debet multiplicari. *C. 15. de Reg. jur. in 6. L. 6. tit. 15. p. 1.* ibi: *Si el Patron fuesse Lego, è presentasse Clerigo para alguna Eglesia, si ante que el Obispo lo recibiesse, quisiesse el mismo presentar otro, bien lo puede facer. Et Greg. Lop. ibid.* V. *Otro*, ait: *Videtur velle Lex ista, quod semel tantum liceat variare in præsentando cum dicit. otro, & non otros. Gonz. in C. 5. b. t. num. fin.* si idem patronus plures simul præsentet; & omnium merita sint æqualia, potest Ordinarius quem malit, è præsentatis (non alium) præferre, instituere: cum tunc locus gratificationi detur. *C. 24. b. t. L. 6. tit. 15. p. 1.* Etiamsi ex duobus præsentantis neuter dignior appareat, debet Episcopus unum ex eis instituere, nec potest tertium non præsentatum eligere; *arg. C. 32. 16. q. 7. C. 8. c. 14. b. t.* Si unus ex præsentatis cæteris sit dignior, ille eligendus, & instituendus est ab Ordinario; *arg. L. 10. tit. 15. p. 1.* Si à diversis patronis plures sunt præsentati numero pari; dignior præferendus est; si omnes sint æquales gratificationi est locus. *L.10. tit.15. p. 1.* Si numero impari sint præsentati, ille, pro quo plura sunt suffragia, præferendus est, etiam digniori, dummodo ipse dignus sit. Si verò indignus, præfertur dignus, etiam paucioribus præsentatus suffragijs. Si verò tempus ad præsentandum nondum sit elapsum: patroni Laici alium dignum præsentare possunt. L. 10. *tit. 15. p. 1.* Si Episcopus repulit primum à patrono præsentatum, qui verè dignus erat, & instituit

tuit secundum præsentatum: etiamsi primus appellatione interposita, ostendat injuriam sibi factam; secundus tamen, cum sit in possessione, meliorem proculdubiò habet conditionem, ac propterea in beneficio erit relinquendus. Episcopus tamen alia viâ tenetur priori præsentato, & rejecto satisfacere. *C.5. t.29. b.t. L.6. tit.15. p.* 1.

340 Jus patronatus in alium quatuor modis transfertur: 1. successione hæreditaria. 2. donatione. 3. permutatione. 4. venditione. Sic expressè L. 8. *tit.* 15. *p.* 1. juxta illos versus: *— Jura patronatus transfire facit novus heres.— Res permutata, donatio, venditioque*: ac proindè de illis suo ordine nobis agendum est. 1. igitur, successione hæreditaria transfertur patronatus: hoc etenim jus transit cum ipsa hæreditate ad hæredes universales (non ad legatarios) fundatoris, sive sint extranei, sive sui, sive ex testamento, sive ab intestato, sive viri, sive fœminæ. *C.*1. *c.*3. *t.*7. *b.t.* L.8. *tit.*15. *p.* 1. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.*71. *n.*3. & etiam ad Monasterium. *Garc. de Benef. p.* 5. *cap.* 1. *n.* 555. Et quidem ad omnes, & singulos hæredes pro indiviso, quoad substantiam transit jus patronatus; dum hæreditas indivisa est: possunt tamen hæredes, ut faciliùs Ecclesiæ provideatur, & ut tollantur discordiæ inter se convenire, ut alterius vicibus, vel pro diversis Ecclesijs, vel beneficijs præsentent. *Cl.* 2. *b. t.* facta hæreditatis divisione patronatus pertinebit ad illum (sive legatarium, sive hæredem) ad quem perveniat res, cui patronatus est annexus. Hinc, si hæres fiduciarius retineat ratione Trebellianicæ fundum, cui patronatus est annexus, non solum gaudebit patronatu personali, sed etiam reali: quod si fundus Jure Patronatus gravatus transeat ad fideicommissarium, ad ipsum consequentèr transibit Patronatus Realis. *C.* 7. *b. t. Garc. de Benef. p.* 5. *cap.* 9. *ex n.* 17. Et sic concordantur sententiæ contrariæ, quas defendunt *Covar. & Barbos.* contra *Gutier. Molin. & alios.* Similitèr, si bona alicujus, quibus patronatus sit annexus, ad fiscum perveniant, cum ipsis Patronatus Realis transit: patronatus verò personalis apud patronum delinquentem, manebit, donec ideò à Judice privetur. *Garc. de Benef. p.* 5. *cap.* 9. *n.*26. Hæredes hæredum patroni, etiam in patronatus jus succedunt, non tamen in capita, sed in stirpes, quatenùs repræsentant personam illius, cui succedunt. *Cl.* 2. *b. t.* ac proindè, si duo patroni decedant, quorum unus relinquat decem hæredes, alius verò duos, vel etiam unum tantum, æquè potens erit vox illorum duorum, vel unius, sicut aliorum decem. *Greg. Lop. in l.* 8. *tit.* 15. *p.* 1. Et expressè habetur in L. 12. *tit.* 15. *p.* 1. Jus Patronatus Realis, etiam transit ad usumfructuarium universalem, ut hæreditatis fructus: usufructuario tamen mortuo redit ad hæredem proprietatis. *Lambert. de Jur. Patron. p.*2. *lib.* 1. *q.* 10. *art.* 3.

341 2. Jus Patronatus transfertur donatione. *C.*8. *b.t. c.un. eod.in* 6. L.8. *tit.*15. *p.* 1. primus enim fundator potest per donationem in alium jus patronatus transferre: vel si hoc aliquis habeat ex privilegio, vel ex ipsa fundatione. Si verò aliquis patronatum reliquit Sejo: v. g. & ejus filijs, non potest Sejus in præjudicium suorum filiorum alteri patronatum donare, ut contra *Lambert. de Jur. Patron. p.*2. *lib.*1. *q.* 2. *art.* 6. *&* 8. tenent *Covar. lib.* 2. *Var. cap.* 18. *n.*9. *Garc. de Benef. p.*5. *cap.* 9. *n.*9. *&* 70. *& alij*: quod si Ecclesia jus patronatus, etiam alteri Ecclesiæ velit donare, intervenire debent solemnitates à jure requisitæ ad rerum Ecclesiarum alienationem. Si tamen aliquis particularis donare velit patronatum, si hic sit realis, sufficit, sine alia licentia, donare rem, cui est annexus; *arg. C.* 13. *b. t.* si patronatus personalis est, & Ecclesiæ, vel Monasterio donetur, non requiritur Episcopi consensus. *C.*8. *b.t. C. un. eod. in* 6. nec item quando alteri compatrono, quicumque sit donatur; *arg. Cl.* 2. *b. t.* quod si personæ extraneæ donetur, utique licentia Episcopi necessaria est. Et etiam post donationem, vel legatum accedens sufficit: quin etiam probabilitèr sufficit tacitus Episcopi consensus, si donationem sciens non contradicat. *L.*8. *tit.*15. *p.* 1. *& ibid. Greg. Lop.* 3. licet patronatus personalis non possit cum re temporali permutari sine labe simoniaca, benè tamen permutari cum alio valet patronatu, vel etiam alia re spirituali, accedente consensu Episcopi. *L.* 8. *tit.*15. *p.*1. ibi: *Un patronadgo por otro bien lo puede cambiar, con otorgamiento del Obispo.* Deinde, licet patronatus non possit per se permutari cum re temporali, tamen Patronatus Realis Castro, vel rei annexus, permutari utique valet cum re temporali, cum qua Castrum permutatur. *C.*40. 16. *q.*7. *l.* 8. *tit.* 15. *p.*1. 4. Jus Patronatus cum sit spiritualibus annexum, nequit sine labe simoniæ, & sub gravibus pœnis vendi. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 9. quando vero est Patronatus Realis alicui Villæ, vel Castro annexus, vendito Castro in emptorem per quan-

quandam consequentiam, & per modum accessionis transit jus reale, non tamen jus personale patronatus. *C. 7. b. t. L. 8. tit. 15. p. 1. Suar. lib. 4. de Simon. cap. 28. Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 16.* sed illud Castrum, vel Villa ratione annexi patronatus nequit pluris vendi, quam si non haberet annexum patronatum: nec obest, quod venditor dicat: *Vendo tibi Castrum cum jure patronatus, vel Castrum, & jus patronatus*, si nullum pretium pro patronatu recipiatur: nam magis substantiam rerum, quam verborum scrupulosam formam inspicimus. Deinde, etiam patronatus transferri valet ex Pontificis privilegio ob supremam potestatem, quam hic in beneficia obtinet. *C. 2. de Præbend. in 6. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.* Etiam præscriptione adquiritur patronatus: & quidem si Laicus præscribat, possessio requiritur immemorialis. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.* si tamen Ecclesiasticus præscribat patronatum in Ecclesia antea libera, si titulo quidem caret, indiget possessione immemoriali: si titulo muniatur, quadragenaria requiritur præscriptio: quod si Ecclesia jam erat patronata, & Ecclesiasticus adversus Ecclesiasticum præscribat, itidem quadragenaria præscriptio requiritur; adversus Laicum tamen, si præsens sit, sufficit decem annorum præscriptio, titulo munita. Si absens sit, viginti annorum præscriptio necessaria est: quod si Ecclesiasticus præscribens titulo careat, triginta indiget annis. Sic *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 70. & alij.*

342 Cum beneficia Ecclesiastica in dubio collativa præsumantur, patronus ad aliquod beneficium præsentare intendens, probare debet, beneficium patronatum esse: & sane Magnates, & Universitates, in quibus hujusmodi juris usurpatio facile præsumitur, si velint jus patronatus probare, & non per scripturam autenticam, sed tempore immemoriali allegato: non aliter eorum probatio admittitur, quando alius intendit tale beneficium esse liberum, (secus si alter, etiam patronatum intendat) quam si præter reliqua ad temporis immemorialis probationem necessaria, *præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint authenticis scripturis probentur. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.* Particulares tamen possunt patronatum probare instrumentis authenticis, præscriptione quadragenaria cum titulo, vel immemoriali sine titulo. *C. 1. de Præscript. in 6.* vel per famam cum alijs adminiculis, vel ex præsentationibus continuatis, saltem tribus: vel si Episcopus fateatur, alicui patronatum competere. Etiam probatur ex monumentis antiquis: v. g. si insignia familiæ alicui Ecclesiæ, vel Capellæ sint affixa: vel etiam ex loco honoratiori patronis concedi solito: & alijs hujusmodi. Judex tamen attentis circumstantijs, arbitrabitur, quantam vim hæ probationes habeant ad probandum. *Lambert. de Jur. Patron. lib. 3. q. 5. art. 4. Garc. de Benefic. p. 5. cap. 9. n. 91. Barbos. de Potest. Episc. alleg. 72. ex n. 50.* Si authenticæ scripturæ sint deperditæ, potest fieri probatio per testes, etiam respectu præsentationum à Magnatibus factarum; *arg. C. 12. de Privileg. Garc. de Benefic. p. 5. cap. 9. n. 113.* Si quæstio juris circa patronatum moveatur, cum hoc jus sit spirituale, vel spiritualibus annexum, solum de eo Ecclesiasticus Judex cognoscit. *C. 3. de Judic.* Si quæstio sit meri facti, posse etiam Sæcularem judicem cognoscere, tenent plures, ut pluries repetitum est, & praxi celebriorum Curiarum Europæ comprobatum invenitur.

343 Pontifex absdubiò potest cuicumque patronatui derogare: cum enim hoc jus ex ejus procedat concessione, contra ejusdem nequit consistere voluntatem. Ut tamen licitè derogetur, causa justa respiciens Ecclesiæ utilitatem est necessaria. Et licet in clausula generali, qua Pontifex sibi omnia beneficia reservat, derogatum censeatur patronatui Ecclesiastico: non tamen Laico, vel mixto: nisi de his expressa fiat mentio, nisi forte jus patronatus, quod nunc est Laicum, ex privilegio, vel consuetudine, fuisset Ecclesiasticum in sua origine: quia magis requiritur ad derogationem privilegij onerosi, ut est concessio patronatus Laicalis, quam ad derogationem privilegij gratiosi, quale est concessio patronatus Ecclesiastici. Si Principi competat patronatus, in derogatione requiritur ejus mentio specialis, nec nomine generali patronatus Laicalis comprehenditur: siquidem jus Principum, cum de Ecclesia benemeriti sint, fortius absdubiò est. *Gonz. ad Reg. 8. Cancel. Gloss. 18. Covarr. Pract. qq. cap. 36. & alij.* Legatus à latere potest beneficia patronatus Ecclesiastici sibi reservare, derogando patronatui Ecclesiastico: secus beneficia patronatus Laicalis, vel mixti. Siquidem ipsi nequit derogare. *C. 28. b. t.* nisi forte patronatus Laicalis non ex fundatione, dotatione, vel constructione, sed tantum ex privilegio sit. *Barbos. in C. 28. b. t. n. 3.*

Sanch.

Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 29. ex n. 169. sed jam omnes reservationes cujuscunque beneficij prohibitæ sunt. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 19.* Episcopus nequit juri patronatus derogare: sed omnino tenetur instituere præsentatum à patrono: alias institutio erit irrita. *C. 32. 16. q. 7. c. 8. c. 14. h. t.* Nec potest beneficium; vel Ecclesiam patronatam non patronatæ unire sine patroni consensu, quia tunc amitteret patronus jus præsentandi *C. 20. h. t.* nec item potest qualitates, seu conditiones in fundatione beneficij appositas, etiam de consensu successoris patroni mutare. *Cl. 2. de Religios. domib.* potest tamen per Epikiam voluntatem successoris fundatoris interpretari, ut contra *Garciam* tenent *Laym. & alij* Patronatus amittitur varijs modis: scilicet, si patronus fiat Hæreticus, apostata, schismaticus, vel fautor Hæreticorum. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 13. n. 260.* vel si committat crimen læsæ Majestatis, vel aliud ob quod bona patronata confiscentur, vel si vendat simoniacè patronatum. *C. 6. h. t. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 19.* vel si illicitè fructus beneficij percipiat, vel si temerè ejus bona usurpet: vel si per se, vel per alium occidat Rectorem Ecclesiæ patronatæ. *C. 12. de Pœnis*, quod habet locum, saltem post sententiam declaratoriam. *Barbos. in cap. 12. de Pœnis, n. 3.* Etiam sine patroni delicto patronatus amittitur: si scilicèt Papa supprimat patronatum, vel si patronus expressè, vel tacitè cedat juri præsentandi in favorem Ecclesiæ, ita ut hæc libera remaneat à tali jure. *C. un. h. t. in 6.* vel si Ecclesia patronata uniatur de consensu patroni, & sine hujus juris reservatione Ecclesiæ non patronatæ. *C. 8. de Constitut.* vel si patronus non utatur longo tempore jure præsentandi, ita ut saltem bis sit institutus Rector sine patroni præsentatione: vel si Ecclesia totalitèr destruatur, vel ejus dos pereat: vel si extinguatur familia, pro qua fuit patronatus constitutus. Denique scire oportet: quod nostræ Potentissimæ Hispaniæ Reges habent patronatum omnium Cathedralium Hispaniæ, & aliorum Regnorum ipsi adjacentium in Europa, & Africa: ac proindè præsentant R. Pontifici omnes Archiepiscopos, & Episcopos ad prædictas Ecclesias eligendos, vel confirmandos. Etiam habent patronatum, & præsentant ad Abbatias, & Prælaturas Consistoriales. Præterea in Regno Granatensi habent patronatum omnium omninò beneficiorum omnium Ecclesiarum. *Bobad. Polit. lib. 2. cap. 18. n. 221.* In Indijs habent patronatum omnium Cathedralium, & aliarum quarumcunque Ecclesiarum novi Orbis, & Philippinarum. Et hic patronatus est undequaque latissimus, & profundissimus: siquidem nostri Reges non solum præsentant Archiepiscopos, Episcopos, Dignitates, Canonicos, Parochos, Beneficiatos, & Capellanos, sed etiam cognoscunt de pluribus causis, quæ ad patronatum reducuntur. Et sine nostrorum Regum licentia nulla Ecclesia erigi potest: habentque consequentèr generalem protectionem omnium Ecclesiarum novi Orbis. Qui plura de hoc velit, videat *Tit. 6. lib. 1. R. C. & ibid. Aceved. tit. 6. lib. 1. R. Ind. Solorz. Villaroel. Bobadill. Cevall. Salgad. & præcipuè D. Petrum Frasso, qui duos integros tomos habet de Regio Patronatu Indiarum.*

TIT. XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

344 AGIT præsens Rubrica, & Nos ejus ordinem sequendo agemus, de *Censibus, Exactionibus, & Procurationibus. Census* igitur à verbo *censeo* dictus, significat *æstimationem patrimonij, & matriculam universorum civium*, qui tam Romæ, quàm in Provincijs degebant: *Hispanè: Padròn, ò encabezamiento.* Aliquandò etiam census significat id, quod præstatur quotannis in certa summa, & quantitate, & sic comprehendit tributum: *L. 3. ff. de Censibus* sic apud Joannem legimus, *tributum dare Cæsari*, quod apud Matthæum dicitur; *Censum dare Cæsari.* Aliquando, etiam ipsum patrimonium, & opes significat juxta illud: *Dat census honores, census amicitias, pauper ubique jacet.* Aliquando sumitur pro *pensione*, quæ pro contractu: qui census dicitur, solvitur. Etiam significat *pensionem, seu canonem*, quem præstat emphyteuta Domino directo in dominij recognitionem. Etiam significat contractum, quo res alicui pleno jure conceditur, ita ut solum reservetur concedenti talem censum aliqua pensio annua persolvenda ipsi in recognitionem dominij, translato tamen in accipientem directo, & utili dominio. Et in hoc sensu loquuntur *Text. in C. 1. de in Integ. rest. C. 6. de Religios. domib.* & dicitur *census reservativus*,

de cujus justificatione nullus movet scrupulum. Denium sumitur, & quidem frequentissimè pro *contractu, quo quis emit jus percipiendi ab alio pensionem aliquam ad certum terminum solvendam, & illum censum consignativum nuncupamus. Hispanè, Juros, y Censos.* Qui vendunt jus percipiendi, venditores, & *censuarij* appellantur, qui verò tale jus emunt emptores, & *censualistæ* dicuntur. Talis igitur contractus non continet mutuum, nec usuræ iniquitate coinquinatur, continet namque præcisé emptionem, & venditionem: nam emitur, non quidem pensio, sed jus pensionem percipiendi, quod cum longè minus pensione valeat, minoris emitur, quamvis pretium post aliquos annos longè superet pretium rei, in qua census fundatur. Potestque talis census constitui super aliqua re utili, & fructifera, ex cujus utilitate pensio extrahatur: v.g. super fundo, vel domo. Et census talitèr illi rei inhæret, ut cum ea adquemcumque ejus possessorem transeat: seu quod idem est: res censui subjecta cum tali onere adquemcumque possessorem transit. Potest itidem census constitui super persona, quæ quidem sua opera, & industria utilis sit, & fructum aliquem afferat, unde pensio extrahi valeat. Et quidem aliquando census est *vitalitius*, itaut tantum duret, dum vivit emptor. Et cum mortis tempus adeo incertum sit, hic contractus licitus est, & ad sortem potest reduci, cum ex parte utriusque contrahentis æquale immineat periculum. Aliquando census *perpetuus* est, quando scilicèt, nullum tempus in ejus constitutione determinatur, ad ejus extinctionem. Insuper census est *irredimibilis*, & *redimibilis. Irredimibilis* erit, quando nequit venditor illum pro suo arbitrio, & libitu redimere. *Redimibilis* è contra erit, quando venditor illum redimere valet, reddendo scilicèt emptori eandem summam, quam in ejus acceperat constitutione, tanquam ipsius pretium. *Utrimque redimibilis* est, quando tàm venditor, quàm emptor illum potest redimere. Et valet proculdubio addi pactum, quod census non redimatur per partes, sed totus simul, & non aliter; item, quod non possit redimi, nisi in eadem præcisè moneta, quæ data est, sive valor crescat, sive decrescat, dummodo æquale utrimque periculum adsit. Item potest addi pactum commissorium, scilicèt, quod res in censum data, cadat in commissum, seu fiat ejus, qui censum emit, si pensio intra certos annos non solvatur. Si res in censum data in totum, vel ex parte pereat, vel in perpetuum reddatur infructuosa, non debetur pensio, vel prorata deteriorationis minuenda est, cum correunte re, debeat jus illi inhærens etiam corruere. Si vero uno, vel altero anno res non ferat fructum, adhuc pensio debetur, potest etiam censui pactum assecurationis adjici, ut si res censui subjecta pereat, id fiat venditoris damno, sitque obligatus, vel censum constituere super alijs bonis, vel eodem pretio, restitura sorte redimere: hoc tamen pactum debet compensari venditori augendo pretium census, vel quod idem est, designando minorem pro censu pensionem. Etiam potest adjici pactum rescisorium, ut scilicèt, venditor teneatur emptori, rescisio contractu, totum pretium restituere, si intra certos annos non solvat pensionem. Omnium horum ratio est, quia contractus ex partium conventione, quæ contra jus non sit, Legem accipiunt. Interim tamen notandum est, quod census redimibilis ex parte emptoris in foro externo usurarius censetur, ac proinde prohibitus est à *Martino V. & Calixto III.* Ut igitur contractus census justus sit, debet in eo servari pretium à consuetudine, vel Lege statutum. In nostra Hispania pro pretio justo census designando sic decernit *Leg. 12. tit. 15. lib. 5. R. C. No se pueda imponer, ni constituir, ni fundar de nuevo juros, ni censos al quitar à menos precio de veinte mil maravedis el millar; y los de por una vida, à razon de diez mil maravedis el millar; y los de por dos vidas, à doce mil maravedis el millar; y que los tratos de juros, y censos, que en otra manera se hicieren, sean en sì ningunos.* Et quamquam variæ Constitutiones à Summis Pontificibus, & præcipuè à *S. Pio V.* sint editæ, in quibus conditiones variæ assignantur ad census constitutionem, in nostra tamen Hispania sufficit, quod census habeat quidquid de Jure Naturali ad ejus justificationem est necessarium, videlicèt. 1. quod constituatur in re frugifera. 2. quod res subjecta censui non alienetur, ita, ut fiat præjudicium Censualistæ, vel emptori. 3. quod pereunte re census petire censeatur. 4. quod regularitèr non possit peti solutio anticipata. 5. & præcipuè, quod census justo pretio constituatur: quod probatur *L. 10. tit. 15. lib. 5. R. C.* ibi: *Declaramos, que el proprio motu sobre que los censos se impongan, y sitien con dineros de presente, no està recibido en estos Reynos, antes se ha suplicado de èl por el Fiscal del Consejo,*

Tejo; donde se ha hecho justicia en los casos, que se han ofrecido, y se harà adelante, y con su Santidad la instancia, que pareciere necessaria. Ita com. DD. qui plura velit adeat *Felicianum, Solis, Avendaño, & alios,* qui velis expansis de censibus egerunt. Interim tamen nos à non impertinenti diverticulo redeamus ad viam.

345 In præsenti equidem *census est onus reale, vel pensio annua, quæ ex proventibus Ecclesiæ, Monasterij, vel Beneficij Ecclesiastici solvitur Prælatis, vel Superioribus in subjectionis recognitionem, vel ex alia justa causa. C. 8. de Privileg. C. 6. de Religios. domib. L. 8. tit. 22. p. 1.* Et quidem si census fuit solutus tempore immemoriali tanquam debitus, & non præcisé tanquam voluntaria præstatio cum protestatione, non est necesse alium titulum, vel causam legitimam allegare ad censum petendum, præter ipsam temporis diuturnitatem. *Arg. L. 3. §. 4. ff. de Aqua quotid. l. 12. tit. 22. p. 1.* Si non tanto tempore sit solutus, ad eum petendum causa præstationis alleganda, & insuper probanda est. *Arg. C. 5. b. t. L. 12. tit. 22. p. 1.* possessor tamen etiamsi ignoret titulum census, si probet sibi longo tempore censum esse solutum, est manutenendus in sua possessione. *L. 12. tit. 22. p. 1.* Et si ea spolietur, est ante omnia restituendus. *Arg. C. fin. de Ordin. cognit.* Et quidem non solum, quando census est realis, sed etiam quando obligatio eum præstandi est personalis. *Arg. C. 24. de Election. Gonz. in C. 5. b. t. cum alijs.* Si tamen census ex liberalitate, non vero ex obligatione præstabatur, etiamsi longo tempore fuisset præstitus, non potest, qui illum præstabat cogi illum in posterum solvere. Nam sicut liberè concedebatur, liberè negari valet, cum ea quæ sunt meræ liberalitatis, & facultatis nunquam præscribantur. *L. 12. tit. 22. p. 1.* Et sanè cum census solvi possit, vel in signum fundationis, si reservatus fuisset à patrono, vel in signum exemptionis, quam Episcopus concessit Ecclesiæ respectu aliorum servitiorum. *L. 8. tit. 22. p. 1.* Hinc solum ex ejus præstatione probabitur subjectio Ecclesiæ solventis censum, si in solutione exprimatur, eam vi subjectionis fieri, vel si ex circunstantijs hoc appareat: & cum hac limitatione intelligendus est *Text. in C. 2. b. t.* Deindè census solvendus est in specie monetæ, de qua convenitur, etiamsi ejus valor tempore solutionis auctus, vel diminutus sit. *Arg. L. 99. ff. de Solution.* Nam contractus ex conventione partium Legem accipiunt. *L. 23. ff. de Regul. jur. C. 85. eod. in 6. Gonz. in C. 26. b. t. n. 5. Molin. & alij.* Si tamen bona fide præscriptum sit in alia moneta solvere, vel si major quantitas census in moneta conventa sit soluta, & unus, vel alter nummus ejusdem rationis deest, vel si ea species monetæ difficilè possit haberi, & alterius præstatio nullum incommodum inferr creditori; vel si jam sit authoritate publica reprobata illa moneta; vel si forte jam omninò perijt: in his enim casibus potest census in alia moneta ejusdem æstimationis solvi. Quando absque certæ speciei, & numeri designatione est in pactum deducta certa quantitas pecuniæ: v. g. centum aurei, quorum singuli valent quatuor argenteos, si postea valor extrinsecus mutetur, quia singuli aurei tres, vel quinque argenteos valeant: commodo, vel damno debitoris id contingit, cui quidem augmentum, vel detrimentum monetæ accrescit, vel decrescit. *Soto de Just. & jur. lib. 6. q. 1. art. 2. & q. 12. art. 1. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 312. & alij contra Covar. Azor de Instit. p. 3. lib. 10. cap. 7. q. 2. & alios,* qui tenent augmentum, vel decrementum esse creditoris. Quando absque designatione certæ speciei, nec numeri, certa quantitas, v.g. centum aurei debentur, si ejus valor intrinsecus mutetur in melius, vel deterius ob puritatem, vel impuritatem metalli, solutio facienda est in moneta currente, & secundum ejus præsentem valorem: & id præcipiunt Principes, quando ob justas causas valorem monetæ mutant: ac proindè huic bono publico cedere debet damnum hujus, vel alterius privati: nec enim pecunia tàm ex materia, quàm ex valore publica authoritate imposito æstimatur. *L. 1. ff. de Contrah. empt. Gonz. in C. 26. b. t. n. 6. Menoch. & alij contra Layman lib. 3. tr. 3. p. 1. cap. 5. n. 19. Covar. & alios.* Sed cum ex mutatione valoris monetæ gravissima sequantur incommoda: siquidem talis mutatio magnopere perturbat commercia, alijsque fœneratorum fraudibus occasionem præbet, est consequenter necessaria causa gravis, & urgens Reipublicæ bonum respiciens, ut talis mutatio fiat; & potius debet fieri mutatio in valore extrinseco, quam in intrinseco monetæ: & solum à Principe, vel Republica non recognoscente Superiorem fieri valet. *L. 1. l. 2. C. de Falf. monet. Covar. de Collat. vet. num. cap. 7. n. 6. & alij com.* Qui aliquam summam in moneta aurea, vel argen-

argentea recepit, poteft utique in alia moneta: v.g. ærota ejuſdem tamen valoris ſolvere. Nam in moneta non tam materia, quam pretium attenditur. *L.* 1. §. 1. *ff. de Auro, & argent.* niſi aliter ſit pacto conventum, cui profectò ſtandum eſt. L. 23. *ff. de Reg. jur. Gutier. lib.* 2. *Pract. qq.* 179. *n.* 1. *Gonz. in C.* 26. *b. t. n.* 5. *& alij.* Qui ex voto, vel legato debet aliquam, non tamen determinatam menſuram, v.g. tritici, ſi ex circunſtantijs, vel loci conſuetudine, non colligatur de qua menſura debitor locutus fuit, ſatisfacit, minimam ſolvendo *C.* 18. *b. t. l.* 50. §. *fin. ff. de legat.* 1. quia in obſcuris minimum eſt ſequendum. *C.* 30. *de Reg. jur. in* 6. *l.* 9. *ff. eod.* & ſic pro menſura, in qua votum Divo Jacobo Hiſpaniæ Patrono ſolvendum erat, deciſum eſt in *C.* 18. *b. t.* ubi latè hiſtoriam, & cauſam voti refert ea eruditione, qua aſſolet Doctor *D. Emman. Gonzalez Tellez*, noſtri Conchenſis Collegij non periturum decus.

346 Cenſum Eccleſijs, vel beneficijs Eccleſiaſticis imponere poſſunt. 1. Patroni de conſenſu Epiſcopi, in limine namque fundationis ipſi ſibi cenſum reſervare poſſunt. *C.* 23. *de Jur. Patronat. C.* 24. *de Electien.* poſt conſtitutionem tamen beneficij nequit novus cenſus imponi, nec antiquus augeri. *C.* 7. *c.* 15. *b. t.* etiam juramento, vel fidejuſſione accedente, cum acceſſorium ſequatur principale. 2. Epiſcopus cenſum imponere poteſt, quando aliquam Eccleſiam à ſua eximit juriſdictione. *C.* 21. *b. t. C.* 6. *de Religioſ. domib.* L. 9. *tit.* 22. *p.* 1. quando tamen eam eripit à Laicorum manibus, nequit cenſum imponere. *C.* 9. *b. t.* in fundatione, vel dotatione Eccleſiæ poteſt Epiſcopus penſionem reſervare patrono, *C.* 23. *de Jur. Patronat.* vel alteri. *C.* 16. *b. t.* imò & ſibi *C.* 7. *b. t.* vel etiam quando Eccleſiam dedicat, vel conſecrat. *C.* 30. 18. *q.* 2. vel quando de ſuorum Capitularium conſenſu pijs locis Eccleſias concedit. *C.* 9. *de bis, quæ fiunt à Prælat.* nequit tamen beneficijs, vel Eccleſijs, poſtquam jam conſtituta ſunt, novus cenſus imponi, nec antiquus augeri, niſi talis penſio alijs, non ſibi ſit obventura, & quidem de conſenſu Capituli, & juſta cauſa, v. g. pro neceſſitate Cathedralis, vel Seminarij. *C.* 3. *c.* 7. *c.* 13. *b. t. L.* 11. *tit.* 22. *p.* 1. 3. Prælati, qui jure pleno habent Eccleſiam ſibi ſubjectam, ipſi cenſum imponere poſſunt. *C.* 23. *de Jur. Patronat. L.* 9. *tit.* 22. *p.* 1. Alij Eccleſiarum Rectores licet poſsint ſe perſonalitèr obligare ad cenſus ſolutionem, non tamen poſſunt Eccleſias cenſuales facere, præcipuè poſt ſuum deceſſum. *C.* 5. *de Tranſact. n. l.* 9. *tit.* 22. *p.* 1. Qui tamen Eccleſiam per colluſionem judicialem, vel extrajudicialem facit cenſualem, ea privatur. *C.* 11. *b. t.* ut tamen poſsint beneficiati ſuper rebus ſui beneficij cenſum perpetuum conſtituere, cum ſit ſpecies alienationis ultra juſtam cauſam requiritur conſenſus Epiſcopi. *C.* 8. *b. t.* idem dicendum eſt de penſione augenda. *C.* 7. *eod.* nec penſio Eccleſiæ augetur, etiamſi ejus facultates augeantur. 4. & præcipuè, Pontifex inſignum exemptionis alicujus Eccleſiæ ab alijs Superioribus, & immediatæ ſubjectionis Sedi Apoſtolicæ, vel etiam inſignum protectionis ſpecialis, cenſum tali Eccleſiæ imponere poteſt. *C.* 8. *de Privileg. l.* 8. *tit.* 22. *p.* 1. quin, & poteſt concedere Principibus Sæcularibus facultatem recipiendi aliquam exactionem ab Eccleſijs. Sic noſtri Potentiſsimi Reges ab Eccleſijs ſuſcipiunt exactiones, quas dicimus *ſubſidio, y eſcuſado.*

347 *Exactio*, de qua in ſecunda Rubricæ parte, eſt contributio, vel collecta pecuniaria, quæ alicui ſolvitur: Tales ſunt in jure noſtro portio Canonica Epiſcopalis, & Parochialis, & quarta decimarum, de quibus jam dictum eſt: nunc ergo de alijs agendum reſtat. Eccleſiæ etenim, & Capellæ Sæculares tenentur Epiſcopo præſtare ſingulis annis duos ſolidos. *C.* 16. *de Offic. Ordinar.* vel plus, vel minus prout conſuetudine ſit taxatum: quod quidem præſtatur in ſubjectionis ſignum, & Cathedræ honorem, & hinc dicitur *Cathedraticum*, & quia in Synodis ſolebat præſtari, etiam *Synodaticum* appellatur. Et licet non poſsit abſolutè tolli præſcriptione hoc jus, manente ſubjectione, ſicut nec tributum poteſt præſcribi. *L.* 6. *C. de Præſcript. trigint.* nec item præſcribi valet procuratio, quæ à viſitato ſolvitur viſitanti. *C.* 11. *c.* 16. *de Præſcription.* poteſt tamen hujuſmodi jus diminui; *arg. C.* 20. *b. t.* Hoc tamen Cathedraticum non tenentur ſolvere Monaſteria, nec Eccleſiæ Regulares, quia hoc pertinet ad Legem Diœceſanam Epiſcopi à qua Regulares exempti ſunt. Alia eſt *exactio*, & quidem extraordinaria, quæ dicitur *ſubſidium charitativum*, & ſolvitur in ea quantitate, quam in qualibet Provincia taxavit legitima conſuetudo, vel Prælatus, juxta circunſtantias neceſsitatis prætentis, & quantitatis redituum beneficiorum: appellatur quidem ſubſidium charitativum; quia ſubditi ex charitate præſtare illud Superioribus

bus

bus debent, & hi similitèr potius illud charitate, quam per vim extorquere debent. *C. 6. §. 1. b. t. l. 3. tit. 22. p. 1.* possunt tamen, necessitate urgente, subditos etiam invitos ad illud præstandum compellere. *Barbos. de Potest. Episcop. alleg.* 87. *n.* 5. nec aliter potest peti, quam si justa, & manifesta causa adsit: v. g. pro Ecclesiæ fabrica, vel pro bonis Ecclesiæ recuperandis, & non tantum semel exigi valet, sed quoties justa causa urgeat; *arg. C. 6. b. t. Barbos. de Potest. Episcop. alleg.* 87. *ex n.* 26. Summus equidem Pontifex ob ejus Supremam potestatem, potest hoc subsidium ab omnibus Clericis, & Ecclesijs exigere. Item possunt à suis subditis hoc subsidium petere Episcopi, saltem confirmati, licet non sint consecrati, cum hæc exactio non ad Ordinem Episcopalem, sed ad ejus jurisdictionem pertineat. Item Capitulum, Sedevacante, Cardinales in suis Ecclesijs, Generales, & perpetui commendatarij Cathedralium, Legatus Papæ in sua Provincia, Præpositi Generales Religionum possunt hujusmodi subsidium à suis subditis petere. E contra tamen illud petere nequeunt Vicarius Episcopi sine speciali mandato; nec Prælati inferiores Episcopo, nisi hoc ex privilegio, vel ex consuetudine habeant, nec Priores, vel Abbates illud valent exigere ab Ecclesijs Sæcularibus, vel Regularibus, quæ ipsis non sunt pleno jure subjectæ. *Barb. de Potest. Episc. allg.* 87. Hoc igitur subsidium est onus mixtum, quod debetur Episcopo Diœcesis à Clericis suis subditis, ratione fructuum ex beneficijs, vel pensionibus, vel Hospitalibus beneficiatis provenientium: Hinc ad illud non tenentur Laici; *arg. C. 6. 10. q. 3. C. 16. de Offic. Ordinar.* nec Monasteria, quippè exempta sunt à Lege Diœcesana, ad quam hujusmodi pertinet exactio: nec item aliæ Ecclesiæ plenè exemptæ nec Clerici pauperes, nec carentes beneficio Ecclesiastico, licet bonis patrimonialibus abundent. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 87. *ex n.* 39. Si in una Diœcesi sita est Ecclesia, vel beneficium, & in altera prædium, debetur subsidium Episcopo Diœcesis, ubi est Ecclesia, vel beneficium: Nam ejus est onus, non prædij. Si in confinio duarum Diœcesum est Ecclesia, possunt Episcopi utriusque Diœcesis alternare in subsidij exactione; *arg. Cl. 2. de Jur. patronat.* quod si convenire renuant possunt cogi ut conveniant. *Barb. de Potest. Episcop. alleg.* 87. *n.* 51. Et quidem licet non currat præscriptio ordinaria contra subsidium charitativum, currit tamen immemorialis, qua una, vel altera Ecclesia potest eximi, sicut etiam posset privilegio ab onere hoc subsidium præstandi, cum non detur in signum subjectionis. Si aliqua lis circa hoc subsidium moveatur inter Episcopum, & Clericos, ne Episcopus sit in causa propria Judex, possunt ipsi litigantes arbitros ad talem causam eligere, vel eam Metropolitano, vel alij Superiori Ecclesiastico, non tamen Laico, trasmittere decidendam. *C. 6. 10. q. 3.*

348 Hac occasione non potest omitti aliquid in præsentiarum addere de exactionibus, quas Principes Sæculares imponere solent. Et quidem si de fundis, alijsque immobilibus præstentur, dicuntur *Census, & tributum*: Si ex mercibus evectis ex Provincia, vel in eam invectis per mare, vel flumina, vel vias, vel pontes dicuntur *vectigalia, & portoria*: in nostra Hispania, & præcipuè in Indijs dicuntur *Almojarifazgo* de quibus latè agitur *in tit. 23. & seqq. lib. 9. R. C. tit. 15. lib. 8. R. Ind. L. 25. tit. 9. p. 2.* ibi: *Almojarife es palabra de Arabigo, que quiere tanto decir, como Oficial, que ha à recabdar los derechos de la tierra por el Rey; que se dàn por razon de portadgo, è de diezmo, è de censo, de tiendas.* Domus, quo merces deferuntur ad exactionem, & repetitionem vectigalis Hispanè dicuntur *Aduanas* à verbo Arabico *Divanum*, quod significat domum ubi exactiones reperiuntur: Huc reducuntur portus sicci, *Hispanè*: *Puertos secos*, de quibus agitur in *tit. 31. lib. 9. R. C. & tit. 14. lib. 8. R. Ind.* videatur *Solorzan. Politic. Indian. lib. 6. cap.* 10. Si tales exactiones solvantur de patrimonio, habita ratione ejus quantitatis, dicuntur *Collecta, præstantia, & tallia.* Si pro securitate transitus solvantur, vel pro vectura dicuntur *guidagia, & pedagia.* Si de rebus venditis, vino, sale, & alijs hujusmodi præstentur, *gabellæ*, *Hispanè*: *Alcavalas*, aliquando *Sisas* dicuntur: si imponantur personis, sine respectu ad bona *Capitationes*. *Hispanè*: *Pechos*, possunt appellari. Omnes tamen hujusmodi exactiones, etiam Capitatio, justè imponuntur, si ita exigat necessitas, vel utilitas Reipublicæ. Et tanè quando, & quantum exigit, & non ultra debent imponi; *arg. C. 60. de Appellat.* Talem siquidem ingerunt necessitatem defensio, & munitio Urbis, Hostium propulsatio, reparatio pontium, & viarum; & aliæ causæ hujusmodi; & non adest aliud remedium Ordinarium, quia scilicèt deest pecunia publici Ærarij. Nec item de-

debent vassalli, & subditi ultra vires suarum facultatum gravari : qua de causa debet inter ipsos proportio Geometrica servari : ita ut si in alicujus partis peculiare commodum exactio cedat : v. g. Mercatorum, his præ alijs ipsa exactio imponatur; *arg. C.55. de Reg. jur. in 6.* de quibus conditionibus pro ampliori notitia consule *D. Thom. Doctorem eximium. Molinam, & alios* latè de hoc agentes : Has ergo exactiones solum imponere possunt Supremi Principes, & Respublicæ, non recognoscentes Superiorem in temporalibus, & quidem sine consensu Populi, nisi in aliqua Provincia ita conventum, & juratum sit à Principe. *L. 1. tit. 11. lib. 6. R. C. Suar. de Legib. lib. 5. cap. 17. ex n. 3.* Imponere enim tributa ad Principum Regalia spectat, ideò ipsi, & ipsi soli ea imponere valent. Tributum siquidem Principibus est persolvendum pro obligatione, & onere, quo tenentur in pace, quietè, & justitia conservare vassallos, eosque tueri, & defendere ab eos inique, & injustè invadentibus. *C. 22. 23. q. 8.* Et quidem ipsi Principes possunt jus tributa exigendi alijs inferioribus concedere. *C. 10. h. t. C. 26. de V. S. L. 10. ff. de Public. & vectigal. l. 1. tit. 11. lib. 6. R. C.* Et cum hoc possit ex privilegio concedi, possunt etiam ex immemoriali consuetudine non solum antiquæ exactiones ab inferioribus hac consuetudine fulcitis exigi. *C. 26. de V. S.* sed etiam novæ possunt præscriptione adquiri, vel antiquæ augeri. *L. 1. tit. 11. lib. 6. R. C.* præscriptio tamen debet esse immemorialis, ut probat *Acved. in d. L. 1. tit. 11. lib. 6. R. C. ex n. 6.* Privati imponentes nova pedagia, seu vectigalia tenentur Lege Julia de ambitu, & de vi publica, quin, & Principes vectigalia nova injustè imponentes excommunicationem incurrunt. *C. 10. h. t.* Et nunc in Bulla Cœnæ Pontifici reservatam. *Suar. de Censur. D. 21. sect. 2. ex n. 35.* Tributorum tamen Legibus solum tenentur subditi, non exempti, siquidem hæc obligatio ex jurisdictione ea imponentis oritur : quæ quidem solum subditos non exemptos ligat. Hinc Clerici, & loca Ecclesiastica, cum gaudeant exemptione à jurisdictione Sæculari, etiamsi Clerici, vel Monachi subditi, & vassalli Principis sint, non obligantur tributa, & exactiones solvere. *C. 4. h. t. in 6. C. 2. c. 7. de Immunit. Eccles. C. 1. eod. in 6. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 20. Auth. Item nulla. C. de Episcop. & Cleric.* quod si aliquis particularis à Clericis exigit tributum, vel vectigal excommunicationem; si universitas exigat, interdictum ipso facto incurrit. *C. 4. h. t. in 6.* nisi fortè huic privilegio derogatum sit à Pontifice quoad aliquas exactiones : tunc enim illæ præcisè quidem, & non aliæ exigi possunt. Quod si Clerici suas res deferunt ad negotiandum ex eis debent vectigalia solvere. *C. 4. h. t. in 6.* Nec item exteri solvere vectigalia tenentur, cum non sint subditi jurisdictioni ea imponentis: Si tamen in illius Principis Regno emant, vel vendant, vel aliter negotientur, cum commoda lucri negotiationis percipiant, & incommodum, onusque vectigalium fas est eos sentire. *L. 10. ff. de Reg. jur.* præcipuè cum ratione contractus, & quasi domicilij Legibus illius territorij, in quo degunt, subdantur. Nec pauperes, & cæci solvere exactiones tenentur : quia nimis inhumanum videtur, eos in collectione affligere, quibus debuerat, ex collectis, si esset necessitas misereri. *C. 4. h. t.* Et profectò Leges tributorum, si justa sunt, in conscientia ligant : secus est si injustè sint imposita tributa : in dubio tamen debent utique solvi; *arg. C. 3. D. 19.* nam Princeps est in possessione hujus facultatis, ac per consequens melior est ejus conditio. *C. 65. de Regul. jur. in 6.* Confessarius tamen in dubio, ante factum, pœnitentem inclinabit ad solvendum, post factum verò non nimis urgebit ad restitutionem tributi non soluti. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 674. ex n. 4. & alij*, apud Hebræos autem Judas Gaulianista, seu Galilæus in errore fuit, quod solus Deus erat recognoscendus tanquam Princeps, & Dominus, & quod omnes Principes ercati, ac proindè omne Regnum Politicum repellendum erat. Ut habent *Joseph. lib. 18. Antiq. cap. 1. D. Hieronym. in Epist. ad Tit. cap. 2.* ut ergo Christus Dominus, & Apostoli talem exterminarent errorem, ex quo varia scandala poterant oriri sæpè prædicarunt, tributum Cæsari esse reddendum, & homines debere obedire Regi, tanquam præcellenti. Quod latè explanant *Bellarm. Gonzalez in C. 2. h. t. n. 4. & alij.* De Indis solutis, & filijsfamilias habetur in *L. 7. tit. 5. lib. 6. R. Ind. Y los que passaren de diez y ocho años de edad, tributen hasta que cumplan cinquenta, sino estuviere introducido en algunas Provincias mas, ò menos tiempo de exempcion.* De Indijs Philippinis habetur in *L. 65. tit. 5. lib. 6. R. Ind. Que paguen diez reales, quedando à eleccion de los Indios el pagarlo todo en dinero, ò en frutos, ò en uno, y otro.*

349 Jam ad tertiam Rubricæ partem acce-

accedamus, ubi de *procurationibus* agitur. Episcopo namque, si visitet (secus aliter; nisi ad hoc habeat privilegium) vel etiam alij cuicunque Diœcesim visitanti procuratio debetur: hæc enim consistit in subsidijs, & expensis, quæ pro congrua sustentatione præstantur: quo nomine venit victus cum habitatione, seu diversorio pro visitatore, & ejus comitatu moderato. *C.23. b. t. c.6. de Offic. Ordin. in 6.* & quidem antiquitus solum in victualibus præstabatur. *C. 1. §. Procurationes, b. t. in 6.* Hodie tamen in his, vel in pecunia, si malit visitator, solvi debet procuratio. *C. 3. b. t. in 6. Trident. sess. 24. de Ref. cap. 3.* Episcopi enim, si Diœcesim visitent, vel quicunque visitant, etiamsi in hoc suum officium, & munus adimpleant, non tenentur proprijs sumptibus visitationem facere: nam juxta Apostolum *1. Cor.9. v.7. Quis militat suis stipendijs unquam?* Imò cum sic visitantes, in Ecclesiæ utilitatem spiritualia seminent, debent temporalia metere: sed moderatè quidem, & secundum Ecclesiæ facultates: nec enim debet esse nimius comitatus, & apparatus visitatoris. *C. 6. b. t. L. 2. tit. 22. p. 1.* ubi assignatur numerus equorum, quos debent visitatores ferre. Nec pluries, quam bis debet visitans procurationes exigere. *C. 21. b. t.* regulariter tamen semel in anno, vel biennio debet fieri visitatio. *C. 7. de Offic. Ordin. L. 2. tit. 22. p. 1. Trid. & com. DD.* quando visitat Ecclesias, & Clericos Civitatis, in qua habet Cathedram, vel etiamsi Ecclesia sit extra Civitatem, si commodè ad suam domum redire eodem die valeat, non potest procurationem exigere. Et licet visitator possit procurationem, quando actu visitat, remittere pro illo particulari casu *C. 21. b. t.* quia ipsi talis procuratio debetur, & ejus est moderator, & arbiter. *L. 21. C. Mandat.* non tamen eam potest generaliter, & in posterum remittere, ita, ut subditus ab eo onere eximatur, & per consequens Visitatoris successoribus præjudicium generetur: quippè illa procuratio in genere est juris publici, ac proindè privatorum pactis tolli nequit. *C. 12. de Foro compet. L. 38. ff. de Pactis.* Et quidem procurationem solvere tenentur omnes Clerici, Ecclesiæ, & Monasteria, si beneficium Ecclesiasticum habeant, & non sint specialiter exempta: nec sufficit, Monasteria exempta esse à Lege Diœcesana Episcopi; nam si visitentur, tenentur consequenter procurationem solvere: ad id etiam tenentur Ecclesiæ ad exemptos pertinentes. *Cl.1. b. t.* Laici tamen licet visitentur, procurationem non solvunt, consuetudine sic interpretante. *Gloss. in C. 1. b. t. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 22. n.14.* nec item eam solvunt oratoria privata. *C. fin. b. t.* nec Hospitalia, vel alia pia loca, etiam authoritate Ecclesiastica erecta, etiam si beneficij titulum habeant. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.3. cap. 22. n. 15.* nec item Ecclesiæ, vel Clerici notoriè pauperes; *arg. c.7.10.q.2.* Procuratio igitur præterita, & debita præscribi utique potest à subdito: secus jus ad procurationem in futurum ratione visitationis debitam; aliud esset, si ex alio capite deberetur. *C. 17. b. t. c.11. c.16. de Præscription.* quia alias visitatores à visitatione absterrerentur cum publico Ecclesiarum præjudicio. *Barbos. in C. 17. b. t. n. 4.* potest tamen procuratio, quoadmodum præscribi: v. g. quod pro victualibus præstetur pecunia. *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 22. n. 25.* unus tamen Prælatus adversus alium jus visitandi præscribere potest, ac proindè procurationem ratione visitationis debitam. *C.16. de Præscription.* etiam subditos adversus Prælatum posse saltem tempore immemoriali præscribere libertatem à procuratione ratione visitationis, sicut adquiri valet privilegio. *Cl.1. b. t.* tenent *Abbas, & alij* contra *Barbos. in C.16. de Præscript. n.6. & alios.*

350 Denique notare convenit, quod fundus in dotem Ecclesiæ assignatus, qui in *C. 1. b. t.* dicitur: *Mansus*, debet esse liber ab omni censu, servitio, seu tributo temporali, non tamen Ecclesiastico: si verò talis fundus ab antiquo est tributarius, cum hoc onere ad Ecclesiam transit, saltem, quando dos ita abundans constituitur, ut omnibus his oneribus sufficiat, scilicèt, & antea constitutis, & congruæ sustentationi Ministrorum Ecclesiæ. Congrua profectò sustentatio censetur, quidquid est necessarium ad ipsum beneficiatum honestè alendum, suamque familiam, scilicèt, famulos, ancillas, parentes, fratres, sorores, & filios, non tantum legitimos, sed & spurios. Nomine alimentorum veniunt victus, vestitus, medicamenta, libri, hospitalitas, convivia moderata, & donationes, & sanè non tantum remuneratoriæ, sed etiam meræ liberales; dummodo tamen sint moderatæ, juxta suum statum, debetque in his attendi id, quod solent homines ejusdem qualitatis communitèr facere.

***

TIT. XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

351 SAtius (inquit *felix* Papa *in* C. 11. *de Consecr. D.* 1.) *est Missam non cantare, aut non audire, quam in illis locis, ubi fieri non oportet. L.* 5. *tit.* 10. *p.* 1. Missa siquidem in Ecclesia debet celebrari. Ecclesia tamen aliquando *mysticè* sumitur, prout est cœtus omnium fidelium, tàm hominum, quàm Angelorum, quorum caput Christus est. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 8. *art.* 4. *in corp.* ibi: *Ubi est unum corpus, necesse est ponere unum caput. Unum autem corpus similitudinariè dicitur una multitudo ordinata in unum, secundum distinctos actus, sive officia: manifestum est autem, quod ad unum finem, qui est gloria divinæ fruitionis ordinantur, & homines, & Angeli: unde corpus Ecclesiæ mysticum non solum consistit ex hominibus: sed etiam ex Angelis: Totius autem hujus multitudinis Christus est caput: quia propinquius se habet ad Deum, & perfectius participat dona ipsius, non solum, quam homines, sed etiam quam Angeli, & de ejus influentia non solum homines recipiunt, sed etiam Angeli.* Ecclesia tamen in præsenti pro ædificio materiali sumitur, & sic appellatur, *quasi cœtus, Congregatio, vel Concilium*: & Athenienses hoc nomine vocabant Conventum Civium, qui Reipublicæ causâ conveniebant. Et quidem Ecclesiæ variis nominibus solent appellari, scilicet, *Templa, Oracula, Oratoria, Martyria, Memoriæ, Confessiones, Tituli, &c. Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 6. sæpe tamen Ecclesia appellatur *Basilica. C.* 4. *D.* 42. *c. fin. de Eccles. ædificand.* licet Basilica soleat appellari, quæ Princeps est: *Basilica*, teste Nebrissensi, *Græcè idem est ac Regia. Hispanè: Palacio Real, vel* etiam *locus publicus*, ut in *L.* 1. §. *fin. ff. de Adquir. possess. & ibid. Gotbofr.* Præterea, hic obiter notare convenit, quod *Ecclesia Parochialis* in Diœcesi venit nomine *Matricis Lacroix lib.* 6. *p.* 2. *n.* 2055. *Decr.* 129. & quod Collegiata quamvis omnem præcedentiam habeat supra Matricem, non tamen potest in Sabbato Sancto prius pulsare campanas. Item Collegiata insignis ab ejus erectione præcedit alias Collegiatas antiquiores. *Decr.* 141. Collegiata simplex præcedit Parochiales. *Decret.* 153. in Collegiata organum debet haberi. *Decr.* 225. in Cathedrali, Collegiata, & Conventuali, ubi est competens numerus Sacerdotum, quotidiè una saltem Missa privata celebrari, & altera cantari debet. *Lacroix lib.* 6. *p.* 2. *n.* 1.

352 Ut ergo Divina Officia dignè celebrentur debet esse Ecclesia, saltem benedicta, & licet non sit necessario consecranda, consecrari tamen debet, & oportet, cum fieri potest: quippe ex consecratione specialem Dei protectionem consequuntur fideles. *L.* 15. *tit.* 10. *p.* 1. *Consecratio* siquidem *Ecclesiæ, vel Altaris est illius Dedicatio Deo facta à legitimo Ministro, intervenientibus materia, & forma debitis.* Materia est Oleum, & Christma, forma consistit in verborum solemnitate. Consecratio quidem differt à benedictione in eo, quod *benedictio* potest committi ab Episcopo simplici Sacerdoti, & plures Regulares ex privilegio Pontificio possunt benedicere Ecclesias, Altaria, & Cæmeteria ad suum tantum usum, nequeunt tamen Ecclesias, nec Altaria consecrare. Item benedictio non per inunctionem, sicut consecratio, sed per aspersionem aquæ benedictæ cum certis precibus fit. Præterea consecratio parietibus, & quidem parti exteriori, seu superficiei, in qua Crux apponitur: benedictio tamen pavimento adhæret: ac proinde hæc solum deficit, Ecclesia diruta superioris authoritate, & sine reædificationis spe: consecratio tamen dirutis parietibus deficit. Quando Ecclesia consecratur, debet dies consecrationis notari, ut quotannis illius Dedicatio celebretur. *C.* 1. *de Consf. D.* 3. *L.* 19. *tit.* 10. *p.* 1. Hæretici quidem irridem Ecclesiarum consecrationem: sed inepte: cum consecrationis usus jam in Lege Naturæ receptus fuisset, ut constat ex *Genes.* 28. ubi Jacob erexit lapidem in titulum fundens oleum desuper. Et in Lege scripta Dominus præcepit Moysi. *Exod. cap.* 30. *Omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint Sancta Sanctorum.* Et in Lege Gratiæ jam ab antiquo fuit recepta Ecclesiarum consecratio. Et quamvis Episcopus debeat consecrari in die Dominica, tamen Ecclesiæ, vel Altaris consecratio quolibet die fieri potest. *L.* 13. *tit.* 10. *p.* 1. decet tamen, ut fiat die Dominica, aut festo. *C.* 2. *h. t. & ibid. Gonz.* debet autem saltem ex honestate, & decentia fieri inter Missarum solemnia. *C.* 3. *de Consf. D.* 1. sed non est necessarium, quod ipse Episcopus consecrans Missam celebret: sufficit namque, si ab alio Sacerdote celebretur. *L.* 13. *tit.* 10. *p.* 1. Ritus, & modus Ecclesiam consecran-

di

di luculentèr explicantur à Rege nostro Alfonso in *L.14. tit.10. p.1. Bellarm. Barb. Gonz. & alijs.* In Templo enim consecrando depinguntur duodecim Cruces in circuitu parietum, in parte interiori Ecclesiæ, in tali distantia ut nullus possit eas manu tangere, & ita collocari debent, ut tres respiciant Orientem, tres Occidentem, tres Meridiem, & tres Septentrionem: sicut à Joanne in Apocalypsi portæ Civitatis Cœlestis depinguntur. In singulis Crucibus candelæ cereæ accensæ appenduntur, ita ut clavi in medio Crucis sint defixi. Episcopus tèr circuit Templum, & cum accedit ad ejus portam tèr baculo superliminare percutit, & porta aperitur, & Episcopus Ecclesiam ingreditur, ibique Baculo Pastorali scribit Alphabetum Latinè, & Græcè super cinerem conspersum per pavimentum Templi: qui quidem cinis debet esse admixtus vino, sale, & aqua benedicta. Incipitque Episcopus scribere in modum crucis à cornu Altaris sinistro, usque ad dexteram partem ostij, & à cornu Altaris dextro, usque ad sinistram ostij partem. Et chrismate, oleoque sacro inunguntur duodecim Cruces in parietibus interioribus Ecclesiæ depictæ. Deindè potest Episcopus eodem die, si vult, Altare consecrare, vel potest alio die hoc facere. Vel potest unus Episcopus Ecclesiam, alter Altare consecrare, vel eodem, vel diversis diebus. *L. 12. tit. 10. p.1. & ibid. Greg. Lop.* ubi affert Textus Canonicos concordantes.

353 Episcopus ergo providere debet, ut Ecclesia consecranda competentem dotem habeat. *C.26. 16.q.7.* nisi sint Ecclesiæ Religiosorum. *Barbos. de Jure Eccles. lib.2.cap.2.n.34.* nec potest aliquid pro Ecclesiæ consecratione exigere. *C. 106. 1.q.1. C.10. de Simon.* sponte tamen oblatum recipere profectò valet. Et quidem Episcopus Diœcesis, in qua sita est Ecclesia consecranda, etiamsi exempta sit, illam debet consecrare, vel licentiam alteri Episcopo concedere. *C.26. 16.q.7. c.2. h.t. L.12. tit.10.p.1.* nec potest simplici Sacerdoti committi, siquidem consecratio est actus Ordinis Episcopalis. *C. 4. D. 68. L.12. tit. 10. p. 1. Gonz. in C.9.h.t. n.2.* Episcopus tamen sine expressa Diœcesani licentia illicitè, quamvis validè Ecclesiam consecrat; sed per annum privatur à celebratione Missarum. *C.28.7.q.1.* & quia Pontificalia in aliena Diœcesi exercet ipso jure suspenditur à Pontificalium exercitio. *Trid. sess.6. de Ref. cap.5.* Consecratio Ecclesiæ, vel Altaris regularitèr non est iteranda. *C.20. de Cons. D.1. c.6. h.t.* nisi fortè in consecratione non fuisset adhibita debita forma. *L.19. tit. 10. p. 1. & ibid. Greg. Lop.* vel si Ecclesia execretur; quod fit, si parietes, vel major eorum pars corruerit, vel etiam ipsis manentibus, si crusta interior incendio tollatur, vel aliter abradatur: in ea etenim superficie, in qua Crux apponitur stat consecratio. *C.20. de Cons. D. 1. L.19. tit.10.p.1.* Si parietes permaneant, etiamsi tectum corruat, non deficit consecratio: vel etiam si parietes modica ex parte destruantur. *C. 6. h. t. L.19. t.10. p.1.* Nec item execratur Ecclesia, quando successivè reparantur parietes, ita ut nunquam major pars destruatur: vel quando Ecclesia ampliatur, & aliqua pars minor accedit veteri, cum semper remaneat pars major Ecclesiæ, quæ consecrationem retinet. *L.19. tit. 10. p.1. C.3. h.t. l. 76.ff. de Judic. Barbos. in C.6. h.t. n.3. Suar. & alij* contra *Innoc. Abbat. & alios.* Aliud tamen est, quando Ecclesia casu, vel ex industria diruta de novo fit ex eadem materia: nam moralitèr censetur nova Ecclesia, ac proinde consecrationem creditur amisisse; *arg. L. 10. §. 7. ff. Quibus modis ususfr.* ubi navis, & domus ex antiquis materialibus refectæ, censentur novæ, ita ut ususfructus antiquus pereat Si ignoretur, vel dubitetur, an Ecclesia sit consecrata, cum consecratio sit qnid facti, quod non præsumitur, potest iterari consecratio. *C. 16. c. 18. de Conf. D. 1. l. 19. tit. 10. p. 1.* Cathedrales autem antiquæ consecratæ præsumuntur, nisi contrarium probetur: quia hæ dedicari solent statim, ac earum fabrica perfecta est. *C. 3. de Cons. D. 1.* & sanè consecratio per unicum testem probatur, qui dicat, se vidisse, vel etiam audivisse, Ecclesiam esse consecratam. Etiam probatur per cruces in pariete factas, vel ex scriptura in aliqua columna, vel alijs hujusmodi probationibus, etiamsi non sint omninò perfectæ, & plenæ: cum ex hoc nulli sequatur præjudicium. *Barb. de Jur. Ecclesiast. lib. 2. cap. 2. ex n. 43. Mascard. de Probat. concl. 415. n. 4. & alij.* Præterea: sciendum est: quod execrata Ecclesia non intelligitur execratum Altare consecratum, nec è contra, cum una ab altera consecratio independens sit. L. *19. tit. 10. p. 1. & ibid. Greg. Lop. V. Otra vez.* licet Ecclesia polluta, etiam Altare polluatur, & è contra; quia pollutio afficit indivisibilitèr omnia in Ecclesia contenta. *Barbos. in C. 1. h. t. n. 4. & ibid. Gonz. n. 14.* Et proculdubio Altare fixum execratur, si la-

pis superior, seu mensa enormitèr frangatur, vel separetur à structura, vel columnis, quibus firmitèr inhæret. *C. 19. de Conf. D. 1. c. 3. c. 6. h. t. L. 19. tit. 10. p. 1.* secus est, si tota, & integra mensa de uno in alium moveatur locum. *Barbos. in C. 1. h. t. n. 2.* Nam in ea structura, & conjunctione stat substantia Altaris fixi. Nec Altare portatile consecrationem amittit, si à tabula, cui est inclusum separetur, Altare portatile nunc dicimus tabulam quadratam lapideam, quam aram nuncupamus. *L. 19. tit. 10. p. 1.* execratur tamen Altare, etiam portatile, si sit enormitèr læsum, quia fractura est in medio lapidis, ubi Calix collocatur: vel quando in nulla parte integra potest Calix cum patena collocari. *C. 1. c. 3. c. 6. h. t.* vel etiam, saltem ex consuetudine, si locus reliquiarum tollatur, vel frangatur. Cum semel Altare fractum est, non possunt fragmenta lapidis iterum conjungi. Si verò ex modica tantum parte Altare frangatur, non amittitur consecratio. In dubio tamen decisio ad Episcopum spectat.

354 Missæ igitur in Ecclesijs celebrandæ sunt. *C. 11. de Conf. D. 1.* non tamen extra eam in domibus privatis: licet quilibet possit in sua domo Oratorium ad orandum habere. Potest tamen aliquando Missa extra Ecclesiam celebrari. 1. Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi, etiam extra suam Diœcesim, & etiamsi tantum Titulares sint, & quidem non solum causa infirmitatis, vel necessitatis, sed etiam tantum causa majoris commoditatis, vel devotionis, quando iter agunt, possunt in Altari Viatico celebrare. *C. fin. de Privil. in 6. L. 4. l. 5. tit. 10. p. 1. Lacr. lib. 6. p. 2. n. 258.* 2. Episcopus potest concedere licentiam ad celebrandum in Altari portatili, etiam hodie post *Trid. seff. 22. in Decr. de Observand. in celebr. Missar.* sed non liberè, & sine aliqua causa, ut antiquitus. *C. 12. c. 14. de Conf. D. 1. L. 4. l. 5. tit. 10. p. 1.* sed ex aliqua justa causa: v.g. alicujus necessitatis, quando scilicèt, aliqua persona gravis ægrotat, vel tempore pestis, vel etiam quando necessitas est dubia. *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 23. n. 9. Suar. & alij* contra *Navar. Man. cap. 25. n. 81. Gutier. Canon. qq. lib. 1. cap. 30. n. 25. & alios*, qui tenent post Trid. esse Summo Pontifici hanc facultatem reservatam. Non tamen possunt Episcopi concedere Oratoria privata sæcularibus, ut ibi semper, & per modum habitus Missa celebretur. Capellæ carcerum publicorum non comprehenduntur in Decreto tollente Oratoria privata. Illa verò, quæ sunt in Aulis publicis Civitatis, ubi Senatores conveniunt, privata sunt. Episcopus tamen potest dare licentiam, ut per modum habitus Missa celebretur, si Oratorium privatæ domus ingressum publicum, per viam publicam habeat: Nam eo ipso publicum censetur. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex 263.* 3. ex privilegio Apostolico potest Missa celebrari in Altari portatili, & quidem concessio post revocationem antiquorum privilegiorum factam à *Trid. seff. 22. in Decr. de Observ. in celebr. Missar.* ut constat ex *Const. Clem. XI. Ann. 1703. & Decr. Cong. 17. Nov. Ann. 1607.* Hoc privilegium datum à Papa, durat, etiam mortuo Papa, ad vitam privilegiati: & si ipse mutet domicilium in aliam Diœcesim secum fert privilegium Papæ, quia est privilegium personale, quod personam semper comitatur: requiritur tamen ad hujus privilegij usum inspectio loci, & approbatio novi Episcopi. In his tamen Oratorijs sæcularium, non licet celebrare Festis Nativitatis Christi Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Annuntiationis, Assumptionis, & in Festis Apostolorum Petri, & Pauli, & Omnium Sanctorum. Fratres Prædicatores, & Minores ubicumque fuerint, non requisito Ordinariorum assensu, sine præjudicio tamen Juris Episcopalis, possunt celebrare in Altari portatili. *C. 30. de Privileg.* Provinciales nostræ Societatis possunt, nullius requisita licentia, Oratoria erigere, in quibus possunt plures Missæ, etiam à sæcularibus celebrari: non tamen debent ibidem cantari Missæ solemnes ob rei novitatem. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 258.* 4. In casu necessitatis potest Missa extra Ecclesiam subdio celebrari à quocumque Sacerdote, etiam sine Episcopi licentia, si notoria sit necessitas: requirenda tamen est saltem ex decentia. *C. 11. de Conf. D. 1.* si ob defectum Ecclesiæ, vel ob ejus angustiam Populus nequeat sacrum audire, extra Ecclesiam Missa celebrari potest. *C. 30. de Conf. D. 1.* vel si Missa coram exercitu dicenda sit, vel si navigantes nequeant navim deserere, potest in litore Missa celebrari, vel in ipsa navi, si non sit periculum sanguinis effundendi ob tempestatem, vel inquietudinem maris. *L. 5. tit. 10. p. 1.* & sic jam non semel, sed frequentèr Missæ celebrantur in navigationibus, quæ fiunt ab Hispania in novum Orbem, & ab Acapulco in has Insulas Philippinas, & ego non semel practicavi.

355 Licet tamen aliquando possit extra Ecclesiam Missa celebrari, nunquam

tamen valet sine Altare dici: Altare quidem, vel est *fixum*, quod scilicet, stabile est, & in Ecclesia firmitèr perseverat, vel *portatile*, quod scilicèt, de uno in alium locum portari potest, & propriè est *ara consecrata*, licet sæpè *pro tota Altaris*, quod extra Ecclesiam erigitur, *structura* sumatur. Et quamvis olim Divus Petrus, & aliqui ejus successores ob persecutiones Tyrannorum Altari ligneo uterentur, tamen aliquantulùm persecutionibus sedatis S. Sylvester statuit, Altare debere esse lapideum. *C.* 31. *de Conf. D.* 1. *L.* 12. *tit.* 10. *p.* 1. ut sic designetur, Sacerdotes sacrificantes mortem Domini in sepulchro lapideo sepulti annuntiare. Et consuetudine generali receptum est, quod Altare ex uno tantum lapide sit confectum, non ex duplici, etiam colligato, ut sic aptius repræsentetur unitas personæ, quæ est in Christo. Ejus figura debet esse quadrangularis, nec ejus latitudo minor uno palmo potest esse, ita ut calix cum patena absque periculo dilabendi possit in eo collocari. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 27. *n.* 21. *Nicol. in Flosc. & alij.* Omnia Altaria debent habere sepulchrum, & sigillum, hoc est, aliquam cavitatem ad recludendas reliquias Sanctorum. *C.* 26. *de Conf. D.* 1. *L.* 12. *tit.* 10. *p.* 1. Omne Altare, sive fixum, sive portatile debet esse consecratum. *C.* 19. *c.* 31. *de Conf. D.* 1. *C.* 1. *h. t.* & gravissimum peccatum est, absque hujusmodi Altari Missam celebrare, debetque ab Episcopo consecrari, nec potest à simplici Sacerdote consecrari, cum hoc ad ordinem pertineat Episcopalem. *C.* 4. *D.* 68. *C.* 5. *h. t.* Sacerdotalis tamen benedictio, de qua in *C.* 32. *de Conf. D.* 1. intelligitur Episcopalis. Solus enim Summus Pontifex potest simplici Sacerdoti concedere facultatem consecrandi Altaria. Præterea: calix, & patena etiam consecrari debent unctione chrismatis ab Episcopo de Jure Communi: & ex consuetudine, etiam ab Abbate habente usum baculi, & mitræ. Et ex privilegio etiam à nostræ Societatis Sacerdotibus in partibus Indiarum, ubi nullus est Episcopus Catholicus. Materia calicis assignatur in *C.* 45. *de Conf. D.* 1. ibi: *Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omninò ex argento fiat: si quis autem tam pauper est, saltem, vel stanneum Calicem habeat. De ære, aut auricbalco non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat: Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præsumat Missam cantare.* Licet olim quando Sacerdotes aurei erant, ligneis calicibus uterentur. *C.* 44. *de Conf. D.* 1. Nunc tamen solùm ex tribus assignatis materijs calix fieri potest, & debet, saltem quoad cuppam: nam pes ex ferro, vel alia materia fieri potest. Calix igitur, & patena execrantur per amissionem formæ, & usus. Calix namque execratur, si cuppa per fractionem à pede separetur: secus est, si pes tornatilis sit. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 27. *n.* 39. Si deauratio temporis diuturnitate absumatur non execratur calix: amitti tamen consecrationem, quando calix de novo deauratur, tenent *Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 27. *n.* 38. *Azor in Instit. p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 7. *q.* 3. *& alij*, contra *Durand. Conink, & alios.* Etiam debent benedici vestes, & paramenta, sine quibus Missa non potest celebrari. *C.* 39. *c.* 40. *c.* 42. *de Conf. D.* 1. & cum in eorum benedictione chrisma non requiratur, potest fieri, & fit à Prælatis Regularibus, sed tantum ad usum suarum Ecclesiarum. *Joan. Gallemart. ad Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 10. *n.* 1. *& alij*: prædicta tamen paramenta benedictionem amittunt, si propriam figuram non retineant, vel si non deserviant ad usum destinatum: v. g. si ex planeta fiat stola, vel ex stola manipulus, vel ex alba amictus, vel quid simile. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 27. *n.* 45. Non tamen amittunt benedictionem, si priorem formam, seu figuram retineant, etiamsi aliquid addatur; *arg. C.* 3. *h. t.* Si jam ad usum sacrum non deserviant, debent comburi, non tamen ad usum profanum applicari. *C.* 39. *de Conf. D.* 1. Et idem statuitur de lignis Ecclesiæ dedicatæ, vel consecratæ, in *C.* 38. *de Conf. D.* 1. Præterea: Cæmeteria consecrari, vel benedici debent, quia aliquando Divina Officia in eis peragebantur: & quia magis immunes censentur animæ defunctorum à spiritibus immundis. *Gonz. in C.* 7. *h. t. n.* 2. ubi notat, quod *Cæmeterium*, sic dicitur, quasi *dormitorium*, quia Christiani ibi sepulti ob spem gloriosæ resurrectionis non tàm mortui jacere, quàm dormire dicuntur, juxta illud Apostoli 1. *Cor.* 5. *v.* 20. *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium.* Etiam aliquando Cæmeteria dicuntur *areæ*, *tumbæ*, *catatumbæ*, *cryptæ*, *& arenariæ*. Campanæ etiam consecrari solent, & nomen illis imponi, ut ex more antiquo observat Ecclesia, non quia baptizentur, ut Hæretici calumniosè fingunt, sed ut illi Sancto, cujus nomen habent, specialitèr dedicentur. Et hac etiam ratione Navibus nomen alicujus Sancti solet imponi. Consecrantur ergo campanæ, ut illo, quasi sacrato sono Po-

populus

pulus ad divinas laudes vocetur, Dæmonesque, & tempestates fugentur. Campanarum usus satis aptè his versibus explicat *Glossa in Extrav. un. de Officio Custod. int. com.*

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum:
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.

Et quamvis communitèr non possit Populus ad arma per campanas convocari: quia talis usus profanus est, tamen hoc profectò fieri valet, & communitèr fit in casu necessitatis, quando aliud signum ad hanc convocationem faciendam non datur: vel etiam in casu pietatis, alijsque similibus, quos usus optimus interpres apud fideles admisit. Campanæ tamen nequeunt in privatis Oratorijs apponi, sed in Ecclesijs publicis collocantur. C. 10. *de Privileg.* in Ecclesijs autem Mendicantium unica tantum campana de jure potest apponi. *Extr. un. de Offic. Custod. int. com.* Sed per generalem consuetudinem, Prælatis scientibus, imò & ipso Romano Pontifice hoc vidente, huic juri derogatum censetur, cum omnes Regulares pluribus utantur campanis in suis Ecclesijs. At verò in refectorijs, Capitulis, & alibi plures campanulas de jure possunt habere Religiosi ad suarum functionum usum. *Extrav. un. de Offic. Custod. int. com. Durand. & alij,* sex campanarum species distingunt: siquidem quæ pro Refectorio servit vocatur *Squilla*; quæ in Claustro pendet, dicitur *Cymbalum*: quæ est in Choro *nola* appellatur: quæ in horologio pulsat *nolula* dicitur: quæ in campanili sonat nuncupatur *Campana*, & denique, quæ pulsatur in Turri *signum* vocatur.

356 Accidit aliquando, quod Ecclesia ad celebrationem Divinorum instituta polluatur, & quasi deturpetur, ita ut debeat de novo quasi purificari ad prædictum effectum: Et sanè polluitur Ecclesia, non quatenùs in se coinquinetur. C. 7. *de Cohabit. Cleric.* Sed quatenùs, cum integra omnino maneat, aliquid evenit, quod fidelibus horrorem ingerit, in cujus detestationem nequeunt in ea Divina celebrari, donec reconcilietur. L. *fin. tit.* 10. *p.* 1. & quidem polluta Ecclesia polluitur cæmeterium contiguum, cum Ecclesiæ accessorium sit: non tamen è contra ob rationem contrariam. Et per Ecclesiæ reconciliationem, etiam ejus cæmeterium contiguum reconciliatur. C. *un. b.t. in 6. Barb. de Jur. Eccles. lib.2. cap.9. n.11.* Ecclesia ergo polluitur. 1. homicidio voluntario, & injusto. C. 19. *de Consf. D.* 1. C. 4. *b. t.* etiamsi occisio sine vulnere, vel sanguine fiat: v. g. suffocatione: & etiamsi extra Ecclesiam fuisset occisor, vel etiamsi extra eam moriatur in ea vulneratus; & etiam si quis ex desperatione se ipsum in Ecclesia occidat: quin & occisione martyris polluitur: quia actio occisoris est Ecclesiæ injuriosa. Similitèr polluitur, etiamsi occisus sit bannitus, vel nocens, nam licet occisio sit justa, est tamen injuriosa Ecclesiæ: prolatio tamen sententiæ mortis in Ecclesia facta licet nulla sit, & Ecclesiæ inferat injuriam non tamen eam polluit, cum hoc non sit expressum in jure. *Barb. in C. 4. b. t. Gonz. in c. 7. b. t. n. 6.* nec item polluitur Ecclesia, si vulneratus extra eam, in ea tandem moriatur: vel si in Ecclesia existens occidat extra eam existentem: vel si quis supra, vel infrà Ecclesiam occidatur: solum namque polluitur, quando aliquis intra Ecclesiam occiditur: scilicèt, quando occisus est in loco, qui est à pavimento usque ad tectum interiùs, & ab ara maxima usque ad parietem oppositum. Nec tamen polluitur, si quis ad se defendendum jure in Ecclesia aggressorem occidat, vel etiamsi illicitè: non tamen actione ex se determinata ad occidendum: vel si occisio facta sit à furioso, vel ebrio; *arg. Cl. Si furiosus, de Homicid.* vel ab animali, vel trabe, vel lapide casu decidente. *Barbos. in C. 4. b. t. Gonz. in c. 7. b. t. n. 6.* Siquidem in prædictis, & similibus casibus non concurrunt, quæ ad Ecclesiæ pollutionem sunt necessaria: scilicèt quod occisio sit voluntaria, & Ecclesiæ injuriosa, & quod intra Ecclesiam, vel cæmeterium sit facta. 2. polluitur Ecclesia per vulneris inflictionem, ita ut in ea sanguis effundatur humanus. C. 20. *de Consf. D. 1. c. 4. c. fin. b. t. c. un. eod. in 6. L. fin. tit.* 10. *p.* 1. Non tamen est necessarium Ecclesiam sanguine maculari: quippè ipsa polluitur, etiamsi sanguis in ea effusus in veste vulnerati detineatur, quin ad pavimentum pertingat. Et è contra non polluitur. 1. Si sanguis non effundatur, etiamsi gravis sit percussio. 2. Si aliquot tantum effundantur guttæ, non verò quantitas notabilis, quæ quidem nomine effusionis significatur. 3. Si percussio non sit gravis, ut percussio in naribus ex rixa puerorum, licet magna sanguinis copia effluat. 4. Si effusio sanguinis non sit in Ecclesia, quamvis in ea sit facta percussio. 5. Si effusio non sit voluntaria, quia facta est ab amente. *Gonz. in C. 7. b. t. n. 6.* 3. polluitur Ecclesia si humanum semen, sive vi-

tile,

rile, sive muliebre voluntarie; & illicite cum complice, vel sine eo effundatur intra Ecclesiam: C. 20. *de Conf. D. 1. c. 5. de Adulterijs, c. fin. b. t. L. fin. tit.* 10. *p.* 1. non tamen polluitur. 1. Si in tecto, Sacristia, campanili; vel extra januam fiat effusio. 2. Si in modica effundatur quantitate: 3. Non polluitur per distuationem; vel emissionem menstruorum; vel per feminis corrupti effusionem. 4. Si conjuges advitandum incontinentiæ periculum sibi mutuo debitum redderent: secus esset, si extra casum necessitatis hoc facerent. 5. Si non sit voluntaria feminis effusio: v. g. in somnis, vel etiam in vigilia præter intentionem effluens. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 28. *ex n.* 43. *Gonz. in C. 7. b. t. n.* 71 *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n.* 279. 4. polluitur Ecclesia, si in ea sepeliatur infidelis, etiam infans. *C. 27. c. 28. de Conf. D. 1.* Infans etenim non baptizatus non debet in Ecclesia sepeliri: nam in Ecclesiam nondum per baptismi januam est ingressus: quod si sepeliatur, pollui Ecclesiam tenent. *Abb. Bonac. Dian. & alij*, quod tamen aliqui non improbabiliter negant cum *Ugolino*; quando autem infans adhuc in matris utero est, ut pars ejus licite cum ea sepelitur; quin ex hoc Ecclesia polluatur. *Gonz. in C. 7. b. t. n* 8. nec sepultura Cathecumini in Ecclesia eam polluit, quia latè potest dici fidelis. *Barb. de Potest. Episcopi alleg. 28. n.* 53. 5. Ecclesia polluitur, si in ea excommunicatus sepeliatur: *C. 7. b. t.* dum tamen sit vitandus: & ratio est, quia cum quibus vivis non communicavimus, etiam mortuis communicare non debemus: non tamen polluitur, si excommunicatus sit toleratus ob contrariam rationem. *Gonz. in C. 7. b. t. n.8. Barb. & alij*: quod si excommunicatus vitandus defacto sit in Ecclesia sepultus debet exhumari, si ejus ossa discerni possint ab ossibus aliorum fidelium, qui non fuerunt excommunicati. Si non possint discerni, omnia in pace requiescere sinantur ne ob excommunicati culpam ossa servorum fidelium debita sepultura priventur. *C. 27. de Conf. D. 1.* si possint discerni exhumantur, & reconciliatur Ecclesia. Interdictus personaliter nequit in loco sacro sepeliri. *C. 20. de Sent. excom. in 6.* ac proinde si sepeliatur debent ejus ossa exhumari: non tamen per ejus sepulturam polluitur Ecclesia, cum hoc in jure non exprimatur. Per alia crimina etiam attrociora præter dicta non polluitur Ecclesia: nam hæc Lex, seu dispositio, utpote odiosa non debet ad non expressa extendi; *arg. C. 15. de Reg. jur. in 6. Azor in Instit. p. 2. lib. 9. q. 3. & alij* contra *Hostiens. & alios.* Imo nec per crimina dicta polluetur, si sint occulta, dum talia maneant: quod si per evidentiam facti, vel condemnationem rei, crimen confessi, vel de eo convicti; vel per probationem legitimam sint, vel fiant publica profectò polluitur Ecclesia; *arg. C. 5. de Adulter. Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 28. *n.* 37. *Gonz. in c. 7. b. t. n. 7. & alij.* Et quamvis *in L. fin. tit.* 10. *p.* 1. videatur Ecclesiam reconciliandam esse, etiamsi delictum sit occultum, non debet hoc de necessitate; sed tantum de consilio fieri; quia hoc tutius est: *Gregor. Lopez ibid. V. Encubierto.* Et quidem per hucusque dicta polluitur, vel execratur Ecclesia strictè talis, & non quilibet locus sacer. Ecclesia strictè talis est locus consecratus; vel benedictus ab Episcopo, & deputatus ad Divina communiter celebranda:

357 Ecclesia igitur polluta debet reconciliari, ut in ea possint Divina licitè celebrari: *L. fin. tit. 10. p. 1.* aliter nequeunt celebrari Divina; adeò; ut etiamsi incoepta Missa, ante consecrationem tamen polluatur Ecclesia; debeat Missa abrumpi: secus est; si post consecrationem polluatur: Et profectò reconciliari debet sumptibus eam violantis; vel profanantis, si sciatur, quis sit; & possit: quod si nesciatur quis sit, vel non possint, reconcilianda erit sumptibus Parochianorum, & in omnium defectu, Episcopus suis sumptibus eam reconciliare debet: *Barbos. in C. 9. b. t. n. 2.* Quando Ecclesia est violata, seu polluta per infidelis sepulturam, debet prius ejus corpus foras ejici; ut dictum est, & parietes; & ligna Ecclesiæ radi debent: *C. 28. de Conf. D. 1.* quando tantum est benedicta. Si est consecrata, sufficit iterum dealbari ad vitandam execrationem: Non reconciliatur præcisa Missæ celebratione, ut contra *Sa, V. Ecclesia, n. 19. & Castro*, tenet *com. DD. ex C. 4. c 9. b. t.*: Nam cum ibidem apponatur modus, & forma Ecclesiam reconciliandi nihil dicitur de reconciliatione per Missæ celebrationem, ac propterea talis modus gratis confictus censetur: *Latr. lib. 6. p. 2. n. 295.* Si ergo Ecclesia est consecrata, & violetur; debet reconciliari à proprio Episcopo; vel etiam ab alio Episcopo, de proprij tamen licentia: nunquam verò à simplici Sacerdote: quia est actus Ordinis Episcopalis, quem sine privilegio Pontificis nequeunt simplices Sacerdotes exercere. *C. 9. b. t. L. fin. tit. 10. p. 1.* Superiores Regularium habent privilegium suas Ecclesias reconciliare

liandi. Quod si Ecclesia violata, seu polluta tantum sit benedicta, potest reconciliari per simplicem Sacerdotem, aspersione, scilicet, aquæ benedictæ etiam sine licentia Episcopi. *C. fin. h. t. L. fin. tit.* 10. *p.* 1.

TIT. XLI.

De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Divinis Officijs.

358 Eucharistia Græcè, Latinè, significat *gratiam optimam, seu gratiarum actionem.* Est igitur *Sacramentum*, quatenus est signum visibile invisibilis gratiæ: est *Testamentum*, quarenùs est instrumentum authenticum Divinæ voluntatis, & promissionis vitæ æternæ: est *Sacrificium*, quatenùs Deo offertur in agnitionem supremi ejus dominij. Et quidem Eucharistia olim habuit plures figuras in Lege veteri, quarum præcipua fuit *Agnus Paschalis*. In Missa tamen comparatur Sacrificio Abel, Abrahæ, & Melchisedech. Signa quidem Eucharistiæ sunt oblatio Melchisedech, respectu ejus, quod est Sacramentum tantum: manna respectu ejus, quod est res tantum, & Agnus Paschalis respectu ejus, quod est res, & Sacramentum. Profectò Sacramentum tantum stat in materia, scilicèt in pane, & vino. Res tantum est effectus hujus Sacramenti, scilicèt, gratia. Res & Sacramentum est Corpus verum Christi Domini. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 73. *art.* 6. & fanè inter omnia Sacramenta Legis veteris, & novæ excellentissimum, Sacrosanctum, mirabile, venerandum, maximeque Divinum Sacramentum Eucharistiæ habetur. Eucharistia namque dicitur, quia cum gratiarum actione offertur Æterno Patri, principalitèr quidem à Christo, à Sacerdote tamen ministerialitèr. *Trid. sess.* 22. *de Sacrific. Missæ, cap.* 1. & 2. Et licet hoc Sacramentum sit posterius baptismo in perceptione, est tamen prius in intentione, quin omnium Sacramentorum perfectio est: pluribus insuper nominibus Eucharistia indigitatur, sed frequentiora sunt sequentia: *Synaxis, communio, sacrum convivium, panis Angelicus, Cœna Dominica, memoriale Passionis, Hostia, Victima, Viaticum*, & alia, de quibus com. DD. Præterea: Eucharistia est Sacrificium, & Sacramentum: qua Sacrificium pertinet ad primam Rubricæ partem; quà Sacramentum ad secundam spectat. Et quando Eucharistia absolutè dicitur, ut Sacramentum significatur, & sic apte describitur: *Est Sacramentum continens sub specie panis, & vini, vel alterius eorum, Corpus, & Sanguinem Christi ad refectionem spiritualem animarum, Divinitus institutum. Joan.* 6. *Trid. sess.* 13. *de Euchar. cap.* 2. quatenùs *Sacrificium* est, dicitur *Missa*, quod nomen Hebræum est; teste Nebrissensi, à verbo *Missaeh*, quod oblatum significat, deductum. Vel sic dicitur à verbo *Mitto*: quia olim Cathecumeni ante oblationem dimittebantur, & fideles hodie dimittuntur, Sacrificio peracto, per illa verba: *Ite Missa est*, id est, ite, nam Hostia ad Cœlos Missa est. *L.* 58. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *Missa tanto quiere decir, como cosa embiada. D. Thom. in* 3. *p. q.* 83. *art.* 4. *ad* 9. ibi: *Et propter hoc, etiam Missa nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut Populus per Sacerdotem: vel quia Christus est Hostia nobis Missa à Deo. Unde & in fine Missæ Diaconus in festis diebus Populum licentiat dicens: Ite Missa est, scilicèt Hostia ad Deum per Angelum, ut scilicet, sit Deo accepta. Missa ergo est actio, quæ ex institutione Christi Domini in memoriam Passionis ejus, panis, & vinum in ejusdem Corpus, & Sanguinem consecrantur, & sub eorum speciebus Deo offeruntur.* Et est verum, & excellentissimum novæ Legis Sacrificium. *Trid. sess.* 22. *Can.* 1. superans omnia Legis veteris sacrificia; sed ut clariùs hæc percipiatur materia, aliquid de Sacrificijs prænotare oportet.

359 *Sacrificium equidem in genere est oblatio Deo super altari facta in recognitionem dominij, & Majestatis ipsius cum aliqua destructione, vel immutatione notabili, saltem moralitèr rei oblatæ.* Sacrificia enim apud enim omnes Gentes in usu fuerunt. Sic apud *Virgil. Æneid.* 2. habetur: *Hanc pro Palladio moniti pro numine læso, effigiem statuere, nefasque triste piaret.* Sic etiam apud *Ovid. lib.* 12. *Metam.* Aggamenon filiam Dianæ sacrificare intendit: *Castumque datura cruorem flentibus ante aram stetit Iphigenia Ministris.* Deo etenim verò à tempore Abel sacrificia offerri cœperunt: & à Moyse cœpit sacrificium Agni Paschalis. Sacrificium autem, vel est *cruentum*, in quo scilicèt, sanguis effunditur; vel *incruentum*, in quo non effunditur sanguis. Et quidem aliquando offerebatur aliquid animatum, ut bos, & dicebatur *Hostia*, vel *Victima*: aliquando, quid inanimatum, & solidum offerebatur, & dicebatur *immolatio*; aliquando offerebatur quid inani-

animatum, & liquidum, ut vinum, & dicebatur *libamen*, quamvis sæpe prædictæ voces confundantur, & aliæ pro alijs usurpentur. Sacrificium in Lege veteri ratione formæ erat triplex. 1. quidem erat *Hostia pro peccato*, quæ partim Sacerdoti tribuebatur, & partim comburebatur, offerebaturque ad obtinendam peccatorum remissionem: quod si offerebatur sacrificium pro peccato Populi, vel specialiter pro peccato Sacerdotis, totum comburebatur: & hoc sacrificium conveniebat statui pœnitentium in satisfactionem peccatorum. 2. *erat Hostia pacifica*: quæ offerebatur Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro salute, & prosperitate offerentium; & quidem ex debito beneficij, vel accepti, vel accipiendi: & hoc convenit statui proficientium in impletione mandatorum: & talis Hostia dividebatur in tres partes: una enim pars incendebatur ad honorem Dei, alia pars in usum Sacerdotum cedebat: tertia verò offerentibus applicabatur: ad significandum, quod salus hominis procedit à Deo, dirigentibus Ministris Dei, & cooperantibus ipsis hominibus, qui salvantur. 3. sacrificium *holocaustum* dicebatur, quasi *totum incensum*, in quo scilicèt tota victima, pelle excepta, concremabatur, eratque sacrificium unicè in honorem supremæ Majestatis Divinæ oblatum, & conveniebat statui perfectionis in impletione consiliorum, & ideo totum comburebatur, ut sicut totum animal resolutum in vaporem, sursum ascendebat; ita etiam significaretur, totum hominem, & omnia, quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subjecta, & ei esse offerenda. His omnibus succelsit in Lege Gratiæ unicum Missæ sacrificium, cujus cætera omnia figura erant. *Trid. sess.* 22. *de Sacrof. Missæ, cap.*1. *D. Thom.* 1. 2. *q.*102. Ratione tamen finis quadruplex distinguitur sacrificium. 1. *Latreuticum*, quod purè ad Dei cultum. 2. *Eucharisticum*, quod specialitèr in gratiarum actionem. 3. *Propitiatorium*, quod ad remissionem culpæ, & pœnæ. 4. *Impetratorium*, quod ad aliquid à Deo obtinendum offertur. Holocaustum erat pro Latreutico: Hostia pacifica pro Eucharistico, & impetratorio, Hostia tamen pro peccato, pro propitiatorio. *D. Thom.* 1. 2. *q.* 102. *art.* 3. Missa verò est sacrificium Latreuticum, Eucharisticum, impetratorium, & propitiatorium, ac proindè omnibus Legis veteris sacrificijs superabundè æquivalet. *Trid. sess.* 22. *Can.* 3. Hinc effectus Missæ sunt quatuor. 1. est Dei complacentia: siquidem Christus Dominus, qui est principalis offerens, & victima oblata per hoc sacrificium Deo exhibet perfectissimum Latriæ cultum, in quo Deus complacentiam habet. 2. est gratiarum solutio pro Dei beneficijs: nam beneficia Dei recognoscuntur cum oblatione hujus Hostiæ pro debito gratiarum solvendo: Et respectu horum effectuum, hoc sacrificium causat simplicitèr infinitè in actu secundo: quia Deus infinitè, & summè sibi complacet in hoc sacrificio, & bonum infinitum pro gratijs redditur. 3. est remissio peccatorum, quoad culpam, & pœnam: diversimodè tamen: nam pœnæ remittuntur immediatè per applicationem satisfactionum Christi: peccata vero, saltem mortalia, non remittuntur immediatè, sed solum mediatè, quatenùs Deus propter hoc sacrificium auxilia peccatoribus confert ad contritionem, & confessionem, ut hoc modo peccata deleantur. Sic *ex Trid. sess.* 22. *cap.* 2. *& Can.* 3. *D. Thom. Suar. & alijs.* 4. denique effectus est impetratio omnis generis beneficiorum, etiam temporalium, quatenus hæc ad æternam salutem conducunt. Respectu horum effectuum, hoc sacrificium causat actu simpliciter finite: quia Deus illud non acceptat, nisi ad remissiones, & impetrationes actu finitas. Hinc est, quod pro eodem fine multiplicentur sacrificia, & plus pluribus, quam uno obtineatur, & minus prosit unum sacrificium pro pluribus, quam pro uno oblatum. *Lacr. lib.*6. *p.* 2. *ex num.* 45. *Suar. & alij communiter.* Longiorem de his texere disputationem ad Theologos pertinet. Christus enim Dominus, qui in Cruce semel fuit victima cruenta, sæpiùs in Missa victima incruenta offertur: imò & ipse est Minister principalis hujus sacrificij. *C.*1. *de Sum. Trinit.* ibi: *Ipse Sacerdos est sacrificium Jesus-Christus. Trid. sess.* 22. *de Sacrif. Miss. cap.* 2. Sacerdos verò est secundarius hujus sacrificij Minister, qui personam Christi repræsentans, Deo hoc sacrificium offert, & est quasi Vicarius Ecclesiæ. Profectò hoc Missæ sacrificium est idem numero cum sacrificio Crucis quoad substantiam rei oblatæ, & principalem offerentem: quia utrobique idem est principalis offerens, & victima oblata, nempè Christus: different tamen quoadmodum, tempus, locum, ritus, cæremonias, & alias circunstantias. *Trid. sess.*22. *de Sacrif. Miss. cap.*2. ait: *Una enim, eademque est Hostia: idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Et li-

licet in ſacrificijs Legis Veteris non ſumeretur caro animalium, in hoc tamen ſacrificio caro Chriſti offertur: quia oportet, quod veritas figuram excedat. Et merito quidem caro humana offertur. 1. quia ex eo, quod eſt humanæ naturæ caro, congruè offertur pro hominibus, & ab eis ſub Sacramento ſumitur. 2. quia ex eo, quod erat paſsibilis, & mortalis, apta utique erat immolationi. 3. quia per hoc, quod erat ſine peccato, efficax erat ad peccata emundanda. 4. quia ex eo, quod erat caro ipſius offerentis erat Deo accepta propter ineffabilem charitatem ſuam carnem offerentis. *D. Thom. in 3. p. q.48. art.3.*

360 Quoad obligationem hoc ſacrificium offerendi, ſciendum eſt, quod in ſingulis Eccleſijs Cathedralibus, Parochialibus, & Conventualibus debet quotidiè celebrari Miſſa, ſi conveniens, ſeu mediocris numerus Sacerdotum ſit. Inſuper Sacerdos ratione ordinis aliquoties tenetur hoc ſacrificium ſub gravi offerre, ne in vacuum gratiam Dei recepiſſe videatur, *arg. C.9.b.t. D.Thom. in 3. p. q.82. art.10. Suar. in 3. p. D. 80. ſect. 1. & alij*, contra *D.Bonavent. Cajet. & alios.* Parochi tamen ex officio ſaltem ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis, ut Populus præceptum adimpleat, tenentur Miſſam celebrare. *Trid. ſeſſ. 23. de Ref. cap.* 14. ibi: *Curet Epiſcopus, ut ij* (id eſt, Presbyteri) *ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus: ſi autem curam habuerint animarum, tam frequentèr, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent.* Itaque ubi Tridentinum eſt receptum, tenentur Sacerdotes ex mandato Epiſcopi ſub gravi culpa, ſaltem Dominicis, & Feſtis celebrare: ſi verò nullum Epiſcopi mandatum extet, excuſantur. Alij Sacerdotes Beneficiari, juxta tenorem fundationis ſui Beneficij, vel Capellaniæ Miſſam celebrare debent. Cæteri omnes, etſi nulla Lege quotidie celebrare obligentur, valdè decens, maximeque proficuum eſt quotidie celebrare: nam cum quotidie peccemus, quotidie oportet Chriſtum pro nobis immolari. *C. 71. de Conſ. D.* 2. Miſſa equidem dicenda eſt in Eccleſia conſecrata, vel ſaltem benedicta: & quidem in Eccleſia, vel Altari electo à fundatore, & non alibi, niſi de fundatoris, vel præbentium ſtipendium conſenſu. Sic *S. Cong. Conc.* 17. *Auguſt. Ann.*1647. *apud Pignatel.* Et ſolum de licentia Sedis Apoſtolicæ poſſunt alibi dici Miſſæ, niſi locus deſignatus eſſet impeditus, vel Eccleſia diruta: quippè tunc Epiſcopus alium locum deſignare poteſt. Si enim Eccleſia incenſa, vel diruta ſit, in Capellis cum tabula conſecrata interim Miſſas celebrari jus ipſum permittit. *C.* 30. *de Conſ. D.* 1. ubi additur: *In itinere verò poſitis, ſi Eccleſia defuerit, ſubdio, ſeu intentorijs, ſi tabula Altari conſecrata, cæteraque ſacra miniſteria ad id officium pertinentia ibi affuerint, Miſſarum ſolemnia celebrari concedimus, aliter omninò interdicimus.* In Oratorijs privatis ex privilegio Apoſtolico poteſt ſanè Miſſa celebrari. In Oratorio Palatij Epiſcopalis Miſſa celebrari nequit, quando Epiſcopus non eſt præſens, quippè non eſt privilegium locale, ſed perſonale. *Macri Hierò Lexic. V. Oraculum.* Præterea *Clemens XI. in Decr. 15. Dec.* 1703. declarat: *Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu clauſi in corpore juris, neque alio quocumque titulo, nullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus Laicis, etiam in propria Diœceſi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrari facere: ac pari modo in Oratorijs privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non licere Regularibus cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcumque Ordinis Militaris etiam Sancti Joannis Hieroſolimitani, aut alijs quibuſcumque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi in ijs celebrare in diebus Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis Chriſti Domini, alijſque anni Feſtis ſolemnioribus, ac diebus in indulto exceptis: in reliquis verò diebus prædictis Regularibus, & Sacerdotibus quibuſcumque, etiam Epiſcopis in præfatis Oratorijs celebrare non licere, ubi etiam unica Miſſa, quæ in indulto conceditur, fuerit celebrata, ſuper quo celebraturus teneatur diligentèr inquirere, & de eo ſe optimè informare: atque illa, etiam in caſibus præmiſsis celebrari nequeat poſt Meridiem, demandando ulterius, & declarando in omnibus hujuſmodi caſibus perſonas quaſcumque dictas Miſſas audientes nullatenùs præcepto Eccleſiæ ſatisfacere.* Quo verò ad Altare portatile, iterum *inhærendo declarationibus ſupradictis, cenſuit, licentias, ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in C. In his, de Privileg. Et per aliquot Summos Pontifices alijs Regularibus communicata utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omninò revocata eſſe per idem Concilium* (Tridentinum) *atque ideircò eoſdem Regulares pro-*

bi-

bibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinarijs locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, tanquam Sedis Apostolicæ delegati ad pœnas præscriptas per idem Sanctum Concilium in Dec. sess. 22. cap. un. usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam iisdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde, ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset. Et ita Sanctitas sua declarat, & servari mandat. Et quamvis ex prædicto Decreto inferri videatur, quod non possint Episcopi non solum privata oratoria concedere, ut ibidem celebretur semper, & per modum habitus, sed quod nec possit concedere licentiam, ut aliquoties in anno ex aliqua justa causa celebretur, ut aliqui tenent: nihilominùs alij hoc quidem concedunt, & sæpè usus confirmat. *Laer. lib. 6. p. 2. num.* 263. qui *n.* 275. *ex privileg. Comp. Societ.* V. *Oratoria*, ait, quod possunt nostræ Societatis Provinciales, nullius requisita licentia, privata Oratoria erigere: neque Regularium Oratoria indigent Episcopi designatione, vel approbatione, possuntque in illis legi plures Missæ eodem die, non tantum à Regularibus, sed etiam à quocumque alio Sacerdote, cum hoc privilegium potius locale, quam personale censeatur, ac proindè immunitate gaudent, non autem sæcularia. *Lezana, Diana, & alij.* Commissarius Cruciatæ potest facultatem celebrandi Missam in privatis ædibus concedere, ut ex eorum instructione constat, ibi: *Item, que podamos dàr licencia para celebrar, y hacer decir Missa en Oratorio particular, siendo primero visitado por el Ordinario, y en Altar portatil.* Idem possunt subdelegati in Indijs. *L.* 22. *tit.* 20. *lib.* 1. *R. Ind.* item ex eorum instructione constat: *Que podamos dispensar con los Nobles, y otras personas, que nos parecieren de calidad, para que puedan celebrar, ò hacer decir Missa una hora antes de la luz, y otra despues de medio dia, aunque sea en Oratorio privado, y en tiempo de Entredicho, en su presencia, y de sus familiares, domesticos, y parientes.*

361 Olim quidem tempore Apostolorum, & proximè sequenti nulla hora præfinita erat pro conficiendo sacro, propter sævas Tyranorum persecutiones: quibus postea sedatis, statutum fuit, ut Missa ante horam diei tertiam, minimè celebranda esset, quia & eadem hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus Sanctus descendisse legitur. *C.* 48. *de Conf. D.* 1. In diebus autem jejunij, præcipuè Quadragesimalis, olim sacrificium Missæ non offerebatur, nisi ex hora nona, Vespertino expleto officio. *C.* 50. *de Conf. D.* 1. unde derivatum est, ut post horam nonam cantetur Missa in diebus jejunij, & in Quadragesima vesperæ ante prandium dicantur. Sic *D. D. Emmanuel Gonzalez Tellez in C.* 1. *h. t. n.* 11. *&* 12. Hodie tamen *in Trid. sess.* 22. *in Decr. de Observand. in celebr. Missæ*, dicitur: *Ne superstitioni locus aliquis detur, Edicto, & pœnis propositis caveant* (Episcopi) *ne Sacerdotes alijs, quam debitis horis celebrent, ne ve ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti, & laudabili usu receptæ fuerint*: ac proindè Missa privata est dicenda, teste universali Ecclesiæ consuetudine, ex Rubricæ præscripto *ab Aurora usque ad Meridiem*, nisi aliud privilegium, necessitas, vel aliqua specialis consuetudo suadeat. Regulariter igitur Missa debet celebrari in die, & non in nocte, quia ipse Christus est præsens in hoc Sacramento, qui dicit *Joan.* 9. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari: quamdiu in Mundo sum lux sum Mundi.* Et ratio humana, & litteralis esse videtur: quia ante tempus Auroræ, communitèr loquendo, non sunt homines convenienter dispositi ad hujusmodi Religionis opus, quod publicè, & cum debita reverentia fieri debet: & quia totum illud tempus matutinum usque ad Meridiem aptissimum est ad hujusmodi ministerium. Missa ergo debet in die celebrari, ait *D. Thomas*, ita tamen, quod principium diei non à media nocte, nec ab ortu Solis, id est, quando substantia Solis apparet super terram accipiatur, sed quando incipit apparere Aurora. Tunc enim quodam modo dicitur Sol ortus, in quantum claritas radiorum ejus apparet. Unde, & *Mar.* 16. dicitur, quod mulieres venerunt ad monumentum orto jam Sole, cum tamen venerint, cum adhuc tenebræ essent ad monumentum, ut dicitur *Joann.* 20. Et sic hanc contrarietatem solvit August. in lib. de Conf. Evang. per Auroram siquidem intelligitur initium crepusculi; hæc in Martio circa æquinoctium præcedit Solem per horam cum quadrante: in Junio circa Solstitium per duas horas cum quadrante: in Februario, & Septembri per horam, & mediam: in alijs mensibus aliquando per duas horas, vel per unam cum tribus quadrantibus: ac proindè excepto Martio semper durat per horam, & di-

dimidiam, ut ex alijs affert *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 226.* Et cum Missa possit inchoari tanto ante Auroram, ut finiatur sub ejus initium, licebit utique cuilibet Sacerdoti Missam incipere duabus horis ante Solis ortum: & Religiosi, qui ex privilegio una hora ante Auroram possunt celebrare, tribus quidem horis ante Solis ortum dicere Missam poterunt. *Suar. in 3. p. D.80. sect. 4. Filiuc. & alij.* Nec item potest post Meridiem differri inchoatio Missæ: sed debet in puncto horæ duodecimæ saltem inchoari Missa, ut praxis docet, nisi ratione magnæ solemnitatis, vel alia justa causa differri oporteat. Presbyteri Societatis in utraque India possunt ex concessione *Gregor. XIII. facta 5. Maji* 1578. per Bullam. *Quanta in vinea Domini.* Celebrare Missam per horam ante Auroram, & infrà horam post Meridiem. Et ex concessione *Alex. VI. 23. April.* 1499. *& Clem. VIII.* 30. *Sept.* 1592. celebrare à duabus horis post mediam noctem usque ad Nonam inclusivè, ut constat *ex Comp. privil. Soc.* V. *Missa.* In nocte quidem Nativitatis Domini Nostri Jesu-Christi Missa celebrari valet statim post mediam noctem. *C.* 48. *de Conf. D.* 1. Et olim etiam in Vigilia Paschæ Resurrectionis Missa de nocte celebrabatur. *C.* 4. *D.* 75. propter hoc quod Dominus nocte resurrexit, cum adhuc tenebræ essent, ante manifestum Solis ortum, ut ait D. Thomas, sed hoc jam hodie non licet, cum hæc consuetudo cessarit. In Capella Papali Missa Nativitatis per duas circitèr horas ante mediam noctem celebratur, teste *Jacobo Macri in Hiero-Lexic.* V. *Missa Nativitatis*: & idem esse asserit in Ecclesia Veneta S. Marci. Et rationem reddit, ex eo quod Bethlehem, ubi natus est Christus est fere 31. gr. longitudinis, Roma verò fere 60. gr. hinc differentia, quæ inter utriusque longitudinis Zenith interjacet est fere 30. gr. Et cum Sol 15. gradus in singulis horis percurrat, Bethlehemitica media nox per duas circitèr horas præcedit noctem Romanam, ac proindè, quando in Capella Papali, & in Ecclesia S. Marci (nam fere idem accidit) Missa Natalis celebratur per duas circitèr horas ante mediam noctem, imitantur physicam mediam noctem Bethlehemiticam: in alijs autem Ecclesijs in media cujusque propriæ Regionis nocte Missam celebrant. In illis autem climatibus, in quibus naturalis Aurora non apparet, attendenda est moralitèr, & politice Aurora, quæ proindè tunc erit, quando communitèr, quies terminari solet, ut est declaratum à *S. Cong. Rit.* 18. *Sept.* 1634. Et hæc quidem de Missis privatis intelliguntur, non de Missis Conventualibus, quas nempè Ecclesiarum Rectores quotidiè celebrari facere tenentur, sive cum cantu, sive privatim juxta temporis conformitatem. Missa equidem Conventualis, & solemnis sequenti ordine dici debet. In festis duplicibus, & semiduplicibus, in Dominicis, & infraoctavas, dicta in Choro hora tertia. In festis simplicibus, & ferijs per annum, dicta sexta. In Adventu, Quadragesima, quatuor Temporibus, etiam infraoctavam Pentecostes, & Vigilijs, quæ jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa solemnis debet cantari post Nonam. *Ex Rubr. Missal.* Sicque hodie omnes Missæ dicuntur postquam horologium nonam horam usualem diei ante meridiem (*Hispanè: A las nueve del dia*) designat. Dicta tamen prius in Choro correspondenti hora. Licet olim prædictæ Missæ respectivè dicerentur, vel hora tertia (quæ correspondet horæ nonæ usuali diei) vel hora sexta (quæ respondet duodecimæ usuali) vel hora nona (quæ tertiæ post Meridiem respondet) rationem hanc affert. *D. Thom. in 3. p. q.83. art.2. à nobis*, inquit, celebratur Missa hora Dominicæ Passionis, scilicèt, diebus festis; in Tertia, quando Jesus crucifixus est linguis Judæorum, & quando Spiritus Sanctus descendit super Discipulos. Vel diebus profestis in sexta, quando crucifixus est manibus Militum. Vel diebus jejuniorum in Nona, quando voce magna clamans, emisit spiritum. Per Missam siquidem solemnem semper intelligimus ait Suarez, Missam illam, quæ Missa diei dicitur: non enim quæcumque Missa, quæ cum cantu dicitur appellatur solemnis: hæc namque juxta varias consuetudines, & devotiones ferè indifferentèr potest, sicut privata dici toto tempore matutino.

362. Licet olim plures in die Missæ potuissent celebrari. *C.* 11. *de Conf. D.* 2. cum & Leo novem in die aliquando celebrasset: posteà tamen ad pauciores, & denique ad unicam fuit restricta facultas. *C.* 53. *de Conf. D.* 1. ibi: *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare: quia Christus semel passus est, & totum Mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere: & valdè felix est, qui unam dignè celebrare potest. C.* 12. *b. t. l.* 49. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *Bienaventurado es el que una puede decir dignamente.* Una ergo sufficit, quia Christus semel passus est, & totum Mundum redemit, ut ait Textus, & ex eo D. Thomas. Et potest quidem quotidie re-

peri,

peti, licet semel in anno scilicèt in Hebdomada Sancta Passio Christi recolatur: quia in hoc Sacramento recolitur Passio Christi, secundum quod ejus effectus ad fideles derivatur: tempore ramen Passionis recolitur Passio Christi solum secundum hoc, quod in ipso Capite nostro fuit perfecta: quod quidem factum est semel: quotidie autem fructum Dominicæ Passionis fideles percipiunt: & ideò illa commemoratio fit semel in anno, hæc autem quotidie, & propter fructum, & jugem memoriam. Non ergo licet plures in die Missas dicere, nisi urgeat necessitas: v. g. quando unus Parochus duas habet Ecclesias distantes. Nam tunc potest Parochus utrobique Missam dicere, debet tamen esse jejunus ad celebrandum: raro autem licebit plusquam bis celebrare. *L.* 50. *tit.* 4. *p.* 1. *Et ibid. Greg. Lopez.* Crescente verò necessitate etiam tres Missæ dici valebunt. *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *n.* 239. In nocte quidem Nativitatis Christi tres profectò cuiliber Sacerdoti Missas dicere licet. *C. Nocte Sancta* 48. *de Consf. D.* 1. *Et ibid. Glos.* Celebretur una ante diem, quæ significat tempus ante Legem, quando eramus in tenebris: Secunda dum diescit, & significat tempus in Lege, quando nondum plena agnitio Dei habebatur: Tertia in die, & significat tempus gratiæ, quando jam plena cognitio habebatur. *L.* 49. *tit.* 4. *p.* 1. quod in his Versibus panditur. *Nocte prior sub luce sequens, in luce suprema — Sub Noe, sub David, sub Cruce sacra nota* — vel aliter — *Quarum prima tibi tempus, quo Lege carebant — Altera dat Moysen, designat tertia Christum.* — Alij verò sic discurrunt. *Tres in Natali debent Missæ celebrari — quarum prima Sacram Christi signat genituram — Altera venturi designat gaudia Christi — Tertia jam factum quod Lex fore Sacra figurat. D. Thom. in* 3. *p. q.* 83. *art.* 2. ait, has tres Missas denotare triplicem Christi nativitatem: quarum prima est æterna nobis occulta, & ideo cantatur in nocte. 2. est spiritualis, quia Christus oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris, & propterea cantatur in Aurora. 3. est Corporalis, secundum quam nobis visibilis apparuit, natus ex Virgine: & ideò cantatur in die, & clara luce post tertiam. Sed hoc intelligitur de Missis Conventualibus non de privatis, cum consuetudo libere celebrandi simul, & post mediam noctem tres Missas jam longo usu Urbis, & Orbis confirmata sit. Et licet tali nocte non debetet fidelibus Eucharistia ministrari: tamen ex consuetudine plures tunc solent communionem accipere. Nullus quidem Sacerdos, etiam Parochus, tres Missas tunc dicere tenetur, cum hoc per modum privilegij concedatur, quo quis potest, non tamen tenetur uti. *C.* 6. *de Privileg.* Si ergo unam tantum Sacerdos dicat, tertiam, utporè officio respondentem dicere debet, vel etiam dicere valet Missam tempori, quo celebrat respondentem: si in nocte, primam; si in Aurora, secundam, si verò jam in die claro, tertiam dicet: & quamcumque dicat, de Sancta Anastasia commemorationem faciet. Non tamen potest Sacerdos bis celebrare, & semel more laico communicare: solum namque conceditur facultas triplicandi sacrificium, non tamen ter, extra illud, communicandi. Parochus autem habens duas Parochias, potest in una unam Missam, & alias duas in alia celebrare: quin etiamsi velit, potest in qualibet, privilegio utendo, tres Missas dicere ad fovendam utriusque Populi devotionem. *Suarez.* Deindè in Regno Valentiæ possunt Sacerdotes Sæculares in die Defunctorum duas Missas, Regulares autem tres celebrare, ut afferunt *Trullenc. Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *n.* 235. *& alij*, qui etiam alia similia privilegia referunt. Qui verò extra casus à jure permissos bis, vel pluries celebrat, gravitèr puniendus est ab Inquisitoribus, ad quos hujusmodi delicti punitio spectat. *Gonzal. in C.* 3. *h. t.* Prætereà in nocte Nativitatis benedicuntur à Pontifice gladius, & pileus, qui solent ad Principes, vel Duces mitti, ad significandum, quod potestas Sæcularis, & administratio justitiæ recipi debet à Rege Regum. Si Dux quidem præsens sit quintam lectionem officij illius noctis, superpelliceo indutus, canere debet: super quod cingit gladium, & pluviali albo insuper induitur, quod à latere dextro apertum est, pileumque in capite habet, quem cum lectionem canit, aufert, & adstanti Ministro consignat. Sed antequam benedictionem petat, evaginato gladio ter percutit terram, terque in aerem vibrat, & super sinistro brachio illo deterso, in vaginam reponit, & lectionem canit: qua finita prædictis exuitur paramentis. Si verò Imperator adsit, sicut Federicus IV. Ann. 1468. tempore Pauli II. adfuisse dicitur, non tegitur pileo: quia Ducale insigne est, sed ejus scutiferi in manu ferunt, & pluviale more solito gerit, evaginatoque gladio modo dicto, canit lectionem septimam nempè: *Exijt Edictum à Cæsare Augusto.* Et ipsi duo Cardinales Diaconi assistunt, & sat est, quod usque ad homi-

miliam cantet, si integram lectionem canere nolit, quam unus ex Diaconis assistentibus prosequetur. Sic *Jacob. Marri. & alij.*

363 In Cœna Domini, seu die Jovis Sancto, vel Feria V. Majoris hebdomadis (quæ omnia idem significant) cuilibet Sacerdoti privatim celebrare licebit saltem ante inceptam Missam solemnem, ut tenent *Suarez, Vazquez, Lugo, & alij cum Lacroix lib. 6. p. 2. n.* 231. Habens quidem plures Parochias debet in Cœna Domini Missam in principaliori dicere, & ibidem erigere sepulchrum. Sanè consuetudo ubique est introducta, quod Presbyteri, & Diaconi uniuscujusque Ecclesiæ in Cœna Domini de manu sui Pastoris communicent in solemni Missa propter repræsentationem Christi Domini, qui eo die primam Missam celebravit, & Apostolos communicavit, in cujus facti memoriam solum primarius Sacerdos celebrat, & alij communicant. Quæ consuetudo licet non esset obligatoria, ubique servari deceret. Sed hodie major urget obligatio ex *Decr. S. Cong.* 17. *Sept.* 1608. *& est n.* 133. inter Decreta posteà apponenda in hoc titulo sub n. 397. In die Parasceves, seu die Veneris Sancto, seu Feria VI. hebdomadæ majoris, vel Sanctæ, cum Ecclesia colat Sacrificium Christi cruentum, non celebratur Missa, in qua incruente immolatur. *C.* 13. *de Consf. D.* 3. *& D. Thom. in* 3. *p. q.* 83. *art.* 2. *ad* 2. ait: quod veniente veritate cessat figura: hoc autem Sacramentum est signum quædam, & exemplum Dominicæ Passionis, & ideò in die, quo ipsa Passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus Sacramenti: ne tamen Ecclesia, ea etiam die, sit sine fructu Passionis per hoc Sacramentum nobis exhibito, Corpus Christi consecratum in die præcedenti reservatur sumendum: non autem Sanguis ob effusionis periculum, & quia Sanguis specialius est imago Dominicæ Passionis. Et ne eodem die Christus vivens, & loquens repræsentetur, quo primo mortuus recolitur. Sumptio Eucharistiæ in illo die à celebrante accepta non est propriè sacrificium. Quando ipse dicit: *Sic fiat sacrificium nostrum, &c.* Sacrificium sumitur pro re sacrificata, quæ est Christus sumendus ab officia celebrante. Idem est, quando ipse dicit: *Orate fratres, ut meum, ac vestrum Sacrificium, &c.* Sic *Suarez, & alij cum Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 13. In Parasceve olim communicabant fideles, hodie tamen prohibetur ex Decreto S. Cong. 19. Feb. 1622. pro Viatico autem debet dari. Si Parochus in die Cœnæ non relinquat hostiam pro die Veneris, debet potius officia omittere, quam tali die Sacrificium conficere. *Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 233. In Sabbato Sancto olim non dicebatur Missa, sed in ipsa nocte legebantur Prophetiæ: quippè tunc per totum diem Sabbati Ecclesiá repræsentabat requiem Christi in Sepulchro, & solitudinem suam; & erat quasi in mœrore posita Christi Resurrectionem expectans: & ideò toto illo die usque ad mediam noctem, & initium diei Dominicæ ab oblatione Sacrificij cessabat: posteà verò anticipavit tempus illud, & ab illa hora, in qua officium Sabbati celebrat, incipit jam cum gaudio, & alacritate recolere Christi Resurrectionem. Hinc jam ab illa hora cessavit ratio, ob quam Sacrificium prohiberi poterat, consequenterque nunc censetur revocata prohibitio sacrificandi, ut de facto Ecclesia jam ex tunc Sacrificium offert in ipso die Sabbati tempore ante meridiano. Sed non licet alias Missas, etiam privatas, præter unam solemnem, dicere, quacumque consuetudine non obstante, ut à *Sacr. Cong. Rit.* 11. *Mart.* 1690. Pontifice approbante Decretum est. *Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 234. Nec item (ut aliqui dixerunt) in Sabbato Sancto, etiam post Missam solemnem, & die Jovis ante Missam solemnem, potest Missa solemnis de corpore præsenti dici, nec etiam Missæ privatæ. *Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 507. Si festum Annuntiationis occurrit in feria 6. in Parasceve, aut in Sabbato Sancto ex Decr. S. Congregationis 11. Marr. 1690. approbato ab Alex. VIII. non modo in Choro, id est, quoad officium, & Missam de ipso recitanda, sed etiam in foro, id est, quoad præceptum, & obligationem audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus, transfertur in secundam feriam post Dominicam in Albis, translato ad aliam diem quocumque alio festo in ea feria forsán occurrente, nisi hoc fuerit altioris Ritus. Si festum Annuntiationis incidat in Dominicam Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè, tantum transfertur in Choro, id est, quoad officium, & Missam de ipso recitanda, in feriam 2. post Dominicam in Albis: non tamen transfertur in foro, seu quoad obligationem audiendi Missam, ac abstinendi ab operibus servilibus: sed quoad hæc duo observandum omninò est eo ipso die, in quem cadit: Imò si post primum triduum Paschæ intra hujus Octavam occurrat, potest ea die una Missa solemnis voti-

va caniari ubi Annuntiatio est titulus, vel concursus Populi ad celebrandum ejus festum. *Halden. p. 2. tit. 3. f. 91.* Si festum S. Joseph, vel Annuntiationis venerit in feria V. in Cœna Domini non solum observandum est præceptum vacandi ab operibus servilibus, sed etiam præceptum audiendi Missam, ideoque per Ordinarios locorum providendum est; ut eo die aliquæ Missæ privatæ ante celebrationem solitæ Missæ Conventualis non desint. *S. Cong. 13. Sept. 1692.*

364 Jam à primis Ecclesiæ temporibus Missæ pro defunctis offerebantur, & usque nunc offeruntur, licet contra hanc piam consuetudinem Hæretici de more latrare non cessent. Quin, & in quotidianis Missæ, & Divini officij precibus non cessat Ecclesia requiem pro ipsis deprecari: & in quolibet mensis principio officium, ac Missam pro illis recitat ex antiquissimo instituto, ut testatur Alcuinus: Et insuper in quocumque primo hebdomadis die variæ à fidelibus pro ipsis funduntur preces; & sic in his Insulis pie, & universaliter servatur. Item non solum in die obitus Missa pro defunctis celebratur; sed etiam post diem tertium obitus: qui dies à die sepulturæ numeratur: & hoc fit ob memoriam Resurrectionis Christi, quæ fuit tertio die post ejus mortem. Item Missa dicitur die septimo in symbolum æternæ quietis, & die trigesimo, quia in *numer. 20. v. fin.* habetur, mortem Aaronis per triginta dies fuisse à Populo deploratam: Idcircò D. Gregorius lib. 4. Dialog. ordinavit Abbati speciolo, ut per triginta dies continuos pro anima Justi Monachi Missam celebraret. Et in anno post sepulturam etiam annis etsatia celebrantur, quæ Hispanè dicuntur: *Cabo de año.* Tandem pro omnibus defunctis anniversaria generalia ad diem 2. Novemb. stabilita sunt à Bonifacio IV. An. 607. licet alij aliter de origine sentiant. Tali enim die Missa potest applicari tunc in genere pro omnibus, tum in specie pro aliquibus defunctis. Ex Declaratione *S. Cong. 4. Aug. 1663. Laer. lib. 6. p. 2. n. 515.* prima die post festum animarum legitur in nostra Societate Missa pro nostris defunctis, prout in die animarum; sed omisso *famularumque.* Officium funerale exequiæ nuncupantur, vel quia defuncti voluntas executioni mandatur, vel quia post ipsum defunctum morituri subsequuntur, vel more Priscorum funebrem pompam prosequebantur ut air Nebrissensis. Et licet Carolus V. Albertum Magnum imitando, sibi exequias, dum viveret, celebrari jusserit, & hoc licitum, & pium judicent *Navar Fagund. & alij.* nihilominus *Laym. Castropal. Garc. Dian. Macri*; & alij hoc licere negant. Et hoc quidem est conformius sensui communi; & praxi Ecclesiæ; ut ait *Laer. lib. 6. p. 2. n. 516.* In exequijs fit aspersio aquæ benedictæ super cadaver, vel tumulum, incensoque benedicto thurificatur in symbolum fidei, quod in die judicij ea corpora incorrupta resurgent. Missa defunctorum, vel Officium nequit fieri in festis primæ classis à primis Vesperis usque ad completorium diei sequentis inclusivè, etiam corpore præsente, & insepulto *Sacr. Cong. 6. Jan. 1677.* In Octavis tamen Epiphaniæ, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, feria 4. Cinerum, feria 2. & 3. & 4. majoris, hebdomadæ, in Vigilijs Nativitatis, & Pentecostes solum permittitur Missa solemnis defunctorum corpore præsente, & insepulto. Nec Missa defunctorum privata permittitur in Dominicis, & festis duplicibus, etiam translatis, sed solum una solemnis de corpore præsenti. *S. Cong. Rit. 16. Jan. 1677.* quod confirmatum *Alex. VII. An. 1562. & Clem. XI. 30. Aug. 1706. Laer. lib. 6. p. 2. n. 507.* Insuper principio Missalis Romani ex dispositione Summi Pontificis *die 29. Sept. 1714.* sic habetur: Missæ pro defunctis, sive de Requiem in festis duplicibus contra præscriptum Missalis Romani, nullatenus celebrari debent: quod si ex Benefactorum institutione Missæ hujusmodi celebrandæ incidant in festum duplex, tunc ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minimè transferantur, sed dicantur de festo currenti cum applicatione sacrificij juxta mentem eorumdem benefactorum *die 5. Aug. 1662.* approbatum ab eodem Alexandro VII. Prædictum Decretum ab ipso Alex. VII. speciali Brevi: *Credite nobis*, denuo fuit confirmatum, ac insuper statutum, idem servandum esse, quoad Missas in altaribus privilegiatis ex obligatione celebrandas, & indulgentias per ejusmodi privilegia concessas animabus in Purgatorio existentibus suffragari perinde ac si celebratæ fuissent Missæ defunctorum: ac denique declaratum, Anniversaria, & Missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis in prædicto Decret. 5. Aug. edicto minimè comprehendi, prout antea in una Novariensi 22.

No-

Nov. 1664. eadem S. Cong. declaraverat: *die 22. Jan. 1667.* Deindè fel. rec. Clem. IX. eadem Sac. Cong. Decreta alio Brevi, cujus initium: *Cum felic. record.* iterum confirmavit, & prædictam Alex. VII. dispositionem ad altaria non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, nunc, & in futurum, quomodocumque privilegiata extendit. *die 23. Sept. 1669.* Tandem proposito dubio: an supradictæ *Alex. VII. & Clem. IX.* declarationes sibi locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis, & infraoctavas Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque anni diebus, quibus licet à festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missæ defunctorum juxta ritum Ecclesiæ celebrari nequeunt, quatenùs nimirum Missæ, quas iisdem diebus celebrare licet, servata cæteroquin privilegiorum forma ad altaria privilegiata celebrentur. Eadem S.Cong. Rit. 3. Aprilis 1688. prædictorum Pontificum declarationes pro omnibus diebus quibus juxta Rubricas Missæ defunctorum celebrari non possunt, intelligendas esse respondit: ejusque Decretum subinde confirmatum fuit à felic. record. Innoc.Pap.XI. speciali Brevi, quod incipit: *Aliàs postquam*, dato *die 4. Maij 1688.* Etiam prohibitum est, celebrari Missas votivas, vel pro defunctis infraoctavam Corporis Christi die 21. Jun. 1670. approbatum à Clem. X. & infraoctavam Nativitatis Domini. Olim quidem Missa defunctorum solum in agonia dicebatur, & sic facilè intelliguntur verba offertorij hujusmodi Missæ, nempè: *Ne absorbeat eas Tartarus, nec cadant in obscurum*: & ea: *fac eas Domine de morte transire ad vitam.* Quæ sanè hodie difficilè de Animabus Purgatorij intelligi possunt: nisi nomine Tartari, & Obscuri Purgatorium intelligamus, deprecantes, ne diu ibi absorbeantur, & ne cadant (secundum nostrum modum intelligendi) in obscuritatem oblivionis, alia plura satis difficilia inveniuntur, quæ solvit Suarez. In Missa defunctorum concio fit post finitam Missam, nec Episcopus in hujusmodi Missis debet uti septima Candela. *19.Maji 1607.*

365 Profectò aliquando Missæ pro celebrantis devotione extra præscriptum Calendarij solent celebrari, *quæ votivæ*, quasi *voluntariæ* appellantur: in quibus regulariter Gloria, & Credo omittuntur. *C. 4. h. t.* Non tamen possunt celebrari in diebus festo duplici, vel octavis solemnibus duplicia excludentibus impeditis. *S. Cong. Rit. 28. August. 1627.* nisi aliqua causa gravis, & publica aliud suadeat; & tunc *Gloria*, & *Credo* dicetur, & semper legitur in fine Evangelium S. Joannis. Quando in Octava alicujus Sancti de eodem, cujus est Octava, Missam votivam celebrari contingat, tunc currentem debere celebrari asserit Gavantus. Item si contingat alicujus Sancti Missam votivam celebrari in ejusdem die natalitio, de quo tamen non fit Officium, tunc dicitur Gloria cum tribus orationibus, quarum secunda erit de Sancto, de quo fit Officium, ut solet accidere in Titulo alicujus sacelli, vel sancti simplicis in die de Officio duplici, aut semiduplici impedito: quæ Missa semivotiva appellari solet. In Missis votivis B. Virginis non dicitur Gloria, nisi in Sabbato, in quo die, etiamsi de ea non fiat Officium, si Missa de ea dicatur, semper cum Gloria dici debet: quippè Sabbatum B. Virgini sacrum est: quia sicut Sabbatum est janua diei Dominicæ, & hæc symbolum æternitatis, ita B. Virgo æterni refrigerij, & quietis pia janitrix est, unde merito B. Virgini dicatur. Graves siquidem causæ ad Missam votivam, etiam in diebus Dominicis, & festis duplicibus, exceptis festis majoribus Paschatis, Ascensionis, & similibus, celebrandam censentur quæcumque bonum commune respiciunt: ut necessitas belli, pluviæ, aut cujuslibet mali communis, salus Summi Pontificis, Episcopi, aut magni Principis periclitantis: Expositio Sanctissimi tam in diebus Baccanalium, quam in oratione 40. horarum, gratiarum actio pro gratia communi: Item comitia tàm Generalia, quàm Provincialia Regularium, sicut in his casibus potest institui processio. In Sacra Lauretana Domo in quacumque Missa votiva B. Virginis semper dicitur *Gloria*, licet non sit in Sabbato. Et ex privilegio potest ibidem per totum annum celebrari Missa Annuntiationis, & quando legitur Evangelium, dicitur: *Missus est Gabriel Angelus in hanc Civitatem.* Et in finali Evangelio dicitur: *Verbum Caro hic factum est. Macri. Hiero Lexic.* V. *Evangelium.* In his Insulis singulis anni Sabbatis dicitur Missa solemnis votiva de B. Virgine temporis propria pro Constantia Indorum in Fide, & pro Religionis conservatione in his partibus, quæ causa gravissima sanè: & publica est, quippè maxima est ratio, quæ pro Religione militat, *L. 43. ff. de Religios. & sumpt.* Hincque

que die non impedito festo duplici 1. classis celebratur, diciturque Gloria, Credo, unica oratio, & in fine Evangelium S. Joannis: nec Festi, Vigiliæ, vel Feriæ occurrentis commemoratio fit. *Lacr. lib.6. p. 2. n. 499.* Deindè novem diebus Nativitatem Christi Domini præcedentibus eodem modo, & ex eisdem causis Missa celebratur, est tamen de tempore Adventus, quin & indulgentia plenaria interessentibus his Missis, quas *Hispanè* dicimus *de Aguinaldo* à Sixto V. concessa est juxta *Grijalbam.* Insuper *S. R. Cong.* prohibet omninò Missas a *S. R. Cong.* non approbatas, & signantèr Missas nuncupatas S. Gregorij pro vivis, & defunctis, quindecim Auxiliatorum, Missam de Patre æterno, & quascumque alias, ut supra non approbatas, exceptis tamen Missis Rosarij, & de Monte Carmelo, quæ sunt permissæ Regularibus quibusdam, & ijsdem dumtaxat; nec possunt ab alijs celebrari, etiam in ipsorum Regularium Ecclesijs. Quod approbatum est ab Urban. VIII. ut constat ex principio Missalis. In omnibus tamen debent attendi concessiones speciales ut juxta ipsas dirigamur. Demum olim quando aliquis sæculari more se purgabat ab aliqua calumnia celebrabatur Missa, quæ *judicij* dicebatur, cujus ritus, & cæremonias affert *Macri. Hiero-Lexic.* V. *Missa judicij.* Et sic factum legitur de S. Cunegunda, alijsque fœminis dolosé calumniatis.

366 Nunc pro praxi oportet, ut Sacerdotem ad Missam celebrandam manuducamus. In Missali igitur Romano in *Tit. de Præpar. Sacerd. celebrat.* ita habetur. *Sacerdos celebraturus Missam prævia confessione Sacramentali, quando opus est, & saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet, & orationes inferiùs positas pro temporis opportunitate dicat.* Expiari per confessionem Sacerdotem in misero gravis peccati statu jacentem, quando confessarij copiam habet, de præcepto proculdubio est. *Trid. sess. 13. cap. 7.* reliqua potius ad consilium, quam ad præceptum spectant: de quo latius disputant DD. Sacerdos ergo Missam celebraturus ad Sacristiam, quæ etiam Sacrarium appellatur, accedit, ut vestibus Sacris, mundis quidem, & integris, induatur. Hic enim locus ventrem Virginalem, ubi Verbum Divinum nostram induit naturam, repræsentat juxta Durand. & alios. Nec licet paramenta sumere de altari, cum id competat tantum Episcopis sive solemnitèr, sive privatim celebrent. Inferioribus verò habentibus usum Pontificalium, non nisi quando in Pontificalibus celebrant. Ut declaravit S. Cong. & approbavit Urban. VIII. & constat ex principio Missalis. Ubi Sacristia non est, ut aliquando accidit, poterit Sacerdos juxta altare paramentis indui. Et quidem debet esse decentèr vestitus, ita ut superior vestis talum pedis attingat, quatenùs commodè fieri possit: item calceatus, non nudis pedibus celebrare debet: nam ut ait *Durandus* per pedes convenientèr affectus intelliguntur: debent namque Sacerdotes habere affectus, & desideria calceata, ne pulvere terrenorum, seu temporalium maculentur. Per hujusmodi quoque calceamentorum prohibitio pedum congruè intelligitur, ne videlicet ad illicita festinent. Prælati quidem in Pontificalibus sandalijs utuntur, & illud Dominicæ Incarnationis calceamentum significant, de quo ipse in Psalmo *In Idumæam*, inquit, *extendam calceamentum meum.* Id est, Gentibus notam faciam Incarnationem meam. Pontifex sandalijs rubeis utitur: in pede dextero habet crucem auream. *Cald. de Eccles. Romæ, f.* 133. sed non est necesse, calceos, vel sandalia esse benedicta, cum hujusmodi consuetudo, tantum sit exquadam decentia introducta. In Episcopis autem sandalia necessaria sunt, sicut forte, & olim in Sacerdotibus. Sacerdos celebraturus manus lavat corporalitèr, quod fit in significationem spiritualis, & etiam corporalis munditiæ: Deindè sacras induit vestes, quæ ad similitudinem Legis antiquæ sunt admissæ. *Exod. 28. Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem*: quin & suo modo erat in usu, etiam apud Gentiles juxta illud *Virgil. puraque in veste Sacerdos.*

367 Primo ergo assumit amictum, quo olim caput tegebatur, & quem Pontifex loco Ephod, seu superhumeralis, & rationalis juxta aliquos habet, de quo posteà. *Amictus* juxta Alcuinum dicitur à quodam verbo Græco, quod *induor* significat. Denotat equidem velum, quo in Passionis nocte Milites Redemptoris faciem velabant: & spineam coronam ejus capiti impositam, vel etiam humanitatem, qua tecta erat Divinitas: ipsoque significatur fiducia, seu spes, qua debet Sacerdos accedere ad offerendum Deo tantum sacrificium: Hinc dicit: *Impone Domine capiti meo galeam salutis.* Galea enim salutis metaphoricè spem significat: sub spe autem fides intelligitur: quippè quæ est sperandarum substantia rerum.

Amictus aliquando appellatur *Ambolagium*, *Anabolagium*, *Anaboleum*, & *Humerale. Macr. Hiero-Lexic.* V. *Amictus.* Secunda Sacerdotalis vestis est *Alba*, quæ tunica talaris, quia usque ad talos descendit, & hac ratione etiam *poderis* appellatur: quia usque ad pedes descendit, ait *D. Isidorus*: *podos enim Græci pedes dicunt*: alludit juxta *D. Thom.* ad vestem candidam, qua fuit Christus inconspectu Herodis delusus. Et juxta *Durand. Innocent.* & *Suar.* ob speciem candoris munditiam, quam in anima, & operibus Sacerdos habere debet, significat. Et hinc ipse orat: *dealba me Domine*, & *munda cor meum*, *ut in sanguine agni dealbatus gaudijs perfruar sempiternis.* Etiam dicitur *Camisia*, *tunica linea*, *supparum*, & *linea Dalmatica.* 3. Debet autem Alba circa lumbos Sacerdotis, seu Pontificis *zona*, *seu cingulo*, (quod in Lege, & apud Græcos *zosit*, sive *balteum* dicebatur) præcingi; ne defluendo, incessum impediat. Alluditque juxta *Innoc.* ad id, quod *Joan. in Apocal.* 1. ait: *Vidi septem candelabra aurea*, & *in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere*, & *præcinctum ad mamillas zona aurea.* Denotatque funes, & flagella, quæ Corpus Christi ambierunt. Item carnis continentiam, & castitatem: nam circa lumbos, in quibus luxuria dominatur, debet accingi. Et hinc in oratione dicitur *præcinge me Domine cingulo puritatis*, & *extingue in lumbis meis humorem libidinis*, *ut maneat in me virtus continentiæ*, & *castitatis.* Nec cingulum Sacerdotis debet habere fascias pendentes, quod abusum reputat aliqui. At vero in sinistro latere Pontificis duplex cingulum succintorium pendet: quia duo sunt, quibus castitas roboratur, & sine quibus difficile conservatur. Oratio nempe, & jejunium. 4. indumentum est *Manipulus.* Olim quidem in usu erat linteum, vel sudariolum ad extergendum sudorem, seu lacrymas, eratque proprium Subdiaconi indumentum, quod ipse ferebat, præcipue ad sacra vasa polienda: alluditque ad funem, qua Christus in Passione fuit ligatus, vel ad humanitatem Christi, seu ejus pugnam pro justitia: & moraliter fletum, veram pœnitentiam, & cordis compunctionem indicat, qua Sacerdotes ad altare accedere debent: cui sane pœnitentiæ postea respondet manipulus retributionis, juxta illud *Psalm.* 125. *Qui seminant in lacrymis in exultatione metent.* Et sic in oratione dicitur; *Merear Domine portare manipulum fletus*, & *doloris*, *ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.* Manipulus nunquam in Processionibus, etiam Corporis Christi, ferri debet: nec ad Vesperas, quamquam celebrans sit inductus pluviali: quia extra sacrificium ordinario sudariolo lacrymæ, ac sudor abstergi possunt. Indui quidem debet ita ut brachij cubitum non excurrat, sed juxta manum, nam manipulus à manu dicitur. Græci, & Maronitæ duos manipulos gestant, unum nempè in uno quoque brachio. Episcopo, quando celebrat, imponitur manipulus facta jam confessione, quando dicit: *Indulgentiam*, &c. Olim quidem manipulo calix purificabatur, & ideo linteus erat: & præcipuè ille, quem gestabat Subdiaconus. Sed hodie quodam linteolo calix tergitur, & purificatur: & hac de causa *purificatorium* dicitur, & quamvis non benedicatur debet in ejus medio crux acu depingi, ut a cæteris linteolis pro sacrificio præparatis distinguatur. Etiam aliquando manipulus appellatur *Brachiale*, *Brandeum*, *Epimanicion*, *fanon*, *linteum*, *manica*, *mantile*, *orarium*, & *sudarium. Macr. Hiero-Lexic.* Apud Poetas Manipulus erat pars centuriæ ita dicta, quod sub Romulo pauper adhuc Romanus exercitus manipulos fœni, ac herbarum hastis alligatos in bello pro signis, aut vexillis gerebat. Ut canit *Ovid. Pertica suspensos portabat longa maniplos: unde manipularis nomina Miles habet.* 5. Vestis sacra est *stola*, sic appellata à verbo Græco, quod talarem vestem, seu togam significat. Allusivè repræsentat funem, qua Christus fuit ligatus, & ejus crucem: idcirco ante pectus in modum crucis eam collocant Sacerdotes, aliter vero Episcopi, qui ex utraque parte pendentem habent, eo quod ante pectus crucem deferant. Item denotat juxta *Durandum*, stolam primam, quæ fuit innocentiæ significativa. Hinc juxta *Suarez* ad Christum per obedientiam restituendus est homo in eum statum, quem per inobedientiam amisit, ideo Sacerdos, quando sibi stolam imponit, orat dicens: *Redde mihi Domine stolam immortalitatis*, *quam perdidi in prævaricatione primi parentis*, & *quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium*, *merear tamen gaudium sempiternum.* Stola quidem à concionatoribus deferri solet: non vero Romæ ob Summi Pontificis reverentiam: qui ea continuo, etiam in vijs publicis utitur: quin, & olim, etiam Sacerdotes cum Stola incedere tenebantur. Quando Papa celebrat privatim,

in aliqua Ecclesia, priusquam paramentis ad celebrandum induatur, debet illi Stolam auferre primus Cardinalis Diaconus, & in ejus defectu ultimus Cardinalis Presbyter. Deindè, Cardinalis potest uti Stola, quando prædicat in Ecclesia sui tituli, sub mozeta tamen ad differentiam Papæ, qui illam supra mozetam defert: at extra Urbem Cardinales, & etiam Episcopi Stolam supra mozetam in concionando deferre valent. In *Textu in C. 9. D. 23.* sub excommunicatione prohibetur, ne Sacerdos ad solemnia Missarum accedat, aut per se Deo Sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu-Christi sumpturus, quam orario, id est, Stola utroque humero circumseptus. Nihilominùs sine Stola communicare à mortali excusant *Bonacin. Macri, & alij* sicut etiam sine ea communionem infirmo porrigere. *Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 335. Benedictiones fructuum, candelarum, aliarumque rerum, quæ cuiliber Sacerdoti permittuntur, debent ab ipso fieri superpelliceo, & stola induto: quæ debet esse violacei coloris in omnibus benedictionibus, ubi exorcismi habentur, vel saltem coloris currentis diei, ut in Rituali præscribitur: Diaconus nequit sine Stola canere Evangelium, quia profert Christi verba: ipse tamen Stolam in sinistro humero defert, ut sciat, Ministrum Evangelij esse, non præpositum: Sacerdos verò utroque humero circumseptus esse debet. Demum Stola etiam dicitur *Orarium*, eo quod Oratoribus, seu Prædicatoribus concedatur ut ait *Alcuinus.* Etiam *Epitrachelion* à Verbo Græco, quod torquem vel collare significat, aliquando dicitur. 6. Ornamentum est *Casula* sic dicta à *Casa* juxta *Raban.* Eo, quod totum hominem tegat, quasi parva Casa: à Græcis dicitur *planeta*, quasi stella errans, quia antiquitus cum latissimo initio, & sine manicis erat, ejusque limbus super brachia, & scapulas projectus errabundus totum circumdabat corpus, & hinc planeta ab errore dicebatur. Indicatque vestem coccineam, seu purpuream, qua Christus ob Militum irrisionem indutus est. Item juxta *Suarez* Casula significat, sicut, & Stola jugum Domini, ut ex oratione liquet, ubi dicitur: *Domine, qui dixisti, jugum meum suave est, & onus meum leve, fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam.* Sed diversa ratione, ac Stola: hæc namque significat jugum Crucis Christi, planeta jugum amoris: Stola patientiam, & fortitudinem, quæ ad jugum illud ferendum necessaria est: Casula suavitatem, & dulcedinem jugi hujus, quæ ex charitate provenit, significat. Casula etiam dicitur *Casubula, Penula, Superhumerale, & Phelonium.* Episcopus, quando in Pontificalibus celebrat, calceatur caligis, exuit cappam, manus lavat, induit Amictum, & Albam, Cingulum ponit, accipit Crucem pectoralem, Stolam, Tunicellam, Dalmaticam, Chirotechas, planetam, mitram, annulum cordis, & manipulum, pro quibus omnibus, formis in Missali præscriptis utitur. Hæc quidem sunt vestimenta sacra, & benedicta, quibus Sacerdos tanquam Advocatus, & pugil cum antiquo hoste pugnaturus, quasi armis præcingitur. Sandalia enim pro croceis assumit, amictu pro galea caput contegit, pro lorica totum corpus Alba cooperit, Cingulum assumit pro arcu: cum Stola collum circumdat, quasi hastam contra resistentem hostem vibrat, manipulo pro clava utitur, Casula quasi Clypeo protegitur, manus armatur Libro pro gladio, atque ita instructus ad postremum per confessionem diaboli renuntiat dominio. Sic *Joan. Belet. in suo Ration.* Sex prædictæ vestes sunt benedicendæ ad Sacrificium Missæ; *arg. C. 42. de Conf. D. 1.* Alba, Stola, & planeta dicuntur paramenta majora; amictus, cingulum, & manipulus paramenta minora nuncupantur. Sine aliquo majorum voluntariè Missam dicere grave est. Sine aliquo minorum celebrare si necessitas excuset, nullum peccatum, extra necessitatem veniale erit ob materiæ parvitatem, quamvis alij rigidius discurrant. Sine omnibus omninò celebrare solum ob mortis metum potest excusari si non cedat in fidei, vel Religionis contemptum: quippè tunc nullo modo posset fieri. Juxta omnes.

368 Sunt prætereà aliæ vestes propriæ Clericorum de quibus hac occasione, nullibi melius, quam in præsentiarum, aliquid dicere expedit. Superpelliceum equidem est Ecclesiasticum indumentum universo Clero commune. Italice *Cotta*, vel ex quadam voce Græca, tunicam significante, vel ex Arabico *Kittan*, id est, *linum*, nuncupatur, quippè ex hac materia superpelliceum conficitur. Et quidem sic appellatur, quia antiquitus super tunicas pelliceas de mortuorum animalium pellibus factas, induebatur: quod adhuc in quibusdam observatur Ecclesijs, ad repræsentandum, quod Adam per peccatum pellibus vestitus est. Superpelliceum etenim per suum candorem, vitæ inno-

centiam, munditiam, & puritatem castitatis, qua Status Ecclesiasticus resplendere debet, designat: Et eo quidem omnes Clerici ad Sacra ministeria uti valent. Præterea: Diaconus in Missis solemnibus, in Processionibus, & benedictionibus solemnitèr factis *Dalmatica* utitur, sic quidem dicta *à Dalmatia*, ubi primo inventa fuit juxta *D. Isidor.* & in signum lætitiæ affertur. *C.* 3. *D.* 76. & tunicam inconsutilem designat. Ea quidem uti cœperunt, ob incommoditatem *Colobij*, quo anteà veteres utebantur teste *Alcuino*. Erat autem *Colobium* vestis sine manicis. Deindè Subdiaconi propriam vestem habent, quæ *tunicella* dicitur, & debet esse longior, & strictior, quam Dalmatica: sed hodie præcipuè in nostra Hispania, utraque in distinctè Dalmatica nuncupatur, & ejusdem formæ sunt. Et olim quidem Sacerdotes Dalmaticis ante Casularum usum induebantur, posteà verò, cum Casulis uti cœpissent, Dalmaticas Diaconis S. Sylvester Papa concessit. Quandoque tamen in Ecclesia nedum Diaconis, sed neque ipsis Episcopis absque Papæ permissu Dalmaticis uti licebat. *C.* 10. *D.* 23. verum posteà Episcopi omnes sub Casula passim Dalmaticis usi sunt, quin, & hodie Episcopus simul utitur, & Dalmatica, & tunicella, & omnium ornamentis, ut ostendat, se perfectè omnes habere ordines, tanquam qui eos alijs confert. Minores verò Sacerdotes, cum eos non conferant, ideò illa non portant: prærerquamquòd cum Pontifex magis expressè quam simplex Sacerdos, in ornamentis, atque in officio similitudinem gerat Salvatoris, ideò illa deferre debet. Regularitèr Dalmatica, & tunicella utuntur Diaconus, & Subdiaconus in Missa solemni, & Processionibus, & benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant. In diebus jejuniorum (prætterquam in Vigilijs Sanctorum) & in Dominicis, & ferijs Adventus, & Quadragesimæ, ac in Vigilia Pentecostes ante Missam, (exceptis Dominica: *Gaudete*. Etiamsi ejus Missa infra hebdomadam repetatur, & Dominica: *Lætare*. Vigilia Nativitatis Domini, Sabbato Sancto in benedictione Cerei, & in Missa, ac in quatuor Temporibus Pentecostes: Item in benedictione Candelarum, & in processione in die Purificationis B. Mariæ, & in benedictione Cinerum, & Palmarum, & Processione, in Cathedralibus, & præcipuis Ecclesijs utuntur planetis plicatis ante pectus: quam planetam Diaconus dimittit, cum lecturus est Evangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super Stolam complicatur, aut ponitur aliud genus Stolæ latioris in modum planetæ plicatæ: Et facta communione, resumit planetam, ut prius. Similitèr Subdiaconus dimittit eam, cum lecturus est Epistolam, quam legit in Alba, & ea finita, osculataque celebrantis manu, planetam resumit ut prius. In Minoribus autem Ecclesijs, prædictis diebus jejuniorum Alba tantum amicti ministrant, Subdiaconus cum Manipulo, Diaconus cum Stola ab humero sinistro pendente subdextrum. *Sic Rubric. Missal.* in Capella quidem Pontificia Diaconi, & Subdiaconi præter Manipulum gestant in Albæ manicis frustilla coloris currentis festi expansa juxta antiquum Ritum. Est, & alia vestis, quæ in Processionibus, solemnibusque benedictionibus defertur, & vocatur. *Cappa* eo, quod cætera indumenta, totumque hominem capiat, contegatque: habet caputium, quod est superum gaudium: & quia à pluvia defendit jam communitèr *pluvialis* appellatur, crediturque à Legali tunica mutuata, de qua in *Exod.* 28. ibi: *Facies, & tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, in cujus medio supra erit capitium: deorsum vero ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies ex hyacintho, & purpura.* Non tamen benedicitur, cum non ordinetur ad Sacrificium Missæ, & omnibus ordinibus Ecclesiasticis communis est. Nomine itidem Cappæ etiam Cappa magna intelligitur, seu Cappa longa cum caputio, pellibus, vel serico subsuto secundum temporum exigentiam, qua quidem utuntur Cardinales, Episcopi, & in multis Cathedralibus, etiam Canonici. Cappa etenim Sacerdotalis dignitatis eminentiam significat, caudæ longitudo denotat, quod Sacerdotalis dignitas usque ad diem Judicij erit duratura: pellis, quæ in collo ejusdem, & circa pectus subsuta est, Prælatum monet, peccatorem esse, vel etiam ob mortis memoriam ponitur. In Maturino quidem etiam solemnissimo non est utendum pluviali, vel alio paramento, nisi tempore nonæ lectionis, quæ ab hebdomadario dicitur, qui una cum duobus præcantoribus paratur pluvialibus, & continuabunt deindè recitationem Laudum ijsdem solemnitatibus fieri solitis ad ejusdem diei Vesperas. Cum celebrans utitur pluviali semper deponit manipulum, & ubi pluviale habere non potest in benedictionibus, quæ fiunt in altari celebrans stat sine planeta cum Alba, & Stola. Præterea paramenta altaris, celebran-

brantis, & Ministrorum debent esse coloris convenientis officio, & Missæ diei secundum Romanæ Ecclesiæ usum: hæc namque quinque coloribus uti consuevit: nempè, albo, rubro, viridi, violaceo, & nigro prout in Rubricis singulis temporibus, & festivitatibus præscribuntur. Et juxta *Durand.* cortina alba significat vitæ munditiam, rubea charitatem, viridis contemplationem, nigra carnis mortificationem, livida, seu violacea tribulationem: quandoque panni sunt varij coloris ad denotandum, quod cor nostrum purgatum esse debet à vitijs, & in eo debent esse cortinæ virtutum, & varietates bonorum operum. Color aureus, seu croceus æquivalet omni colori, quippè ad ipsum omnes concurrunt. Rubrica autem de coloribus non est præcepti, sed directionis. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n.* 340.

369 Est & aliud ornamentum proprium Cardinalium, & Episcoporum quod dicitur *byrrus*, *byrrum*, *burrum*, seu *mozeta*. Romæ solus Pontifex fert byrrum, seu mozetam super tunicam lineam, seu rochetum absque manteleto, quod etiam Dalmatica, seu tunica appellatur, quod profectò signum est jurisdictionis, nam cum aliquis propriæ domi moratur non indiget manteleto uti. Pontifex in hebdomada in Albis albo, alias rubro byrro utitur. Cardinales in Ecclesijs suorum Titulorum, in Congregationibus, quas in proprijs Palatijs habent, & in Sedevacante utuntur byrro, & rocheto absque mantelero: quippè tunc jurisdictionem exercent. Episcopi extra Diœcesim propriam nequeunt deferre mozetam. Roquetum equidem linea vestis est peculiaris Episcoporum, sic à quibusdam verbis, Græcis mollem tunicam significantibus, dicta: habet manicas obstrictas ad significandum debere Prælatum manus promptas, & expeditas ad elargiendam eleemosynam habere. Prælatus enim usum rocheti habens eo uti debet, dum obsequium Regijs Oratoribus præstat in audientia Summi Pontificis, seu in visitatione Cardinalis novelli, sive à Legatione redeuntis, & quando visitat aliquem habentem titulum Serenissimi. Prælati Regulares non rocheto, sed superpelliceo in Missa induuntur. Usus quidem rocheti solùm debet permitti illis, quibus de jure competit, nec alicui licet inservire, aut assistere in celebratione Missarum, aut Divinorum Officiorum cum rocheto, neque cum contrahabente manicas angustas adinstar rocheti: & idem servandum est in concionibus. Sic à *S. Cong. Rit.* declaratum est, & approbatum ab *Urbano VIII.* ut constat ex principio Missalis. Deindè: *Camelaucium* est byrretum Monachale Græcorum, & Benedictorum, cujus limbus binas appendices parabolicis figuris desinentes habet, quæ faciei tempora contegunt, ejus suturæ in quatuor partes æquales fiunt, & aliquantulum elevatæ quatuor crucis angulos efformant. Et ita est byrretum Papæ ex purpureo holoserico raso pro æstate: & villoso armellina pelle subsuto in hyeme, & *Camaurum* communitèr appellatur, licèt aliquando Camaurum pro Tiara usurpetur. *Galerus* insuper, vel *Galerum* hodie pro Cardinalitio pileo, *Hispanè*: *Capelo*, accipitur, & eo in solemnibus equitationibus, & alias Cardinales utuntur: quin & olim in Concilijs, & Consistorijs galero, non tamen byrreto utebantur. *Macri Hiero-Lexic.* V. *Cardinales Innoc.* enim *IV.* pileum rubrum Cardinalibus concessit. *Bonifacius VIII. Ann.* 1249. eis vestes dedit purpureas ad Consulum Romanorum imitationem, qui hujusmodi vestibus in anno Consulatus utebantur. *Gregor. XIV. Ann.* 1590. etiam Cardinalibus Regularibus rubrum pileum concessit. Episcopi autem galero, serico viridi, subsuto utuntur. *Pallium* equidem, quod est insigne plenitudinis officij Pontificalis. *Cap.* 23. *de Privileg.* aliquibus Episcopis ex privilegio, & omnibus Archiepiscopis de Jure Communi conceditur. Etiam appellatur *stola Apostolatus*, *stola Archiepiscopatus*, & *stola Pontificalis*, successitque loco Ephod, ut alibi insinuatum est: *Ephod* enim Hebraica vox est, significatque superhumerale, quo Summus Hebræorum Pontifex induebatur. Aliquandò dictio *Bad*, id ex, *lini* additur. Et hujusmodi vestis erat tàm Sacerdotibus, quàm Levitis communis, quin & tertium Ephod Politicum erat, quod & ipsis Laicis permittebatur, sicut erat illud, quod David deferebat, quando ante Arcam saltabat. 2. *Reg.* 6. *v.* 14. sed certè Ephod Summi Sacerdotis omnibus alijs erat nobilius. Sic Aaronis Ephod depingitur in *Exod.* 28. *ex n.* 6. *Facient autem superhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta opere polymito: duas oras junctas habebit in utroque latere summitatum, ut in unum redeant. Ipsa quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta: sumesque duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel, sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis*

tatis eorum. Summus tamen Catholicorum Sacerdos loco Ephod fanone utitur. *Fanon* in Cæremoniali significat subtilissimum velum sericum variegatum, quo quidem utitur Papa, quando Pontificalitèr celebrat; & post Albam induitur, & circa collum ligatur ad modum caputij, ac supra caput ejus imponitur usquequo planeta induatur, supra quam deindè ad modum mozetæ adaptatur, & pallium superimponitur: itaque pars fanonis inferior sub planetam concluditur. Variegatio etenim est quatuor colorum, qui in Ephod Legis Veteris reperiebantur, erantque quasi quatuor Elementorum symbolum. Fanon item aliquando significat velum hasta pendens veluti brandeum, & vexillum, quod Confanon, & *Italicè*: *Confalon* dicitur. Etiam significat velum in manica pendens, manipulum nempè, qui olim nil aliud erat, quam velum lineum ad sudorem, & lacrymas abstergendas.

370 *Mitra* est Episcopale capitis ornamentum à quodam verbo Græco sic dicta, quasi ligamen, quo mitra ligabatur: quod & olim apud Gentiles adumbratum legitur: *Cererisque Sacerdos Amphicus albenti velatus tempora vitta.* Mitra pileum Phrygium significat, quo capita Virgines, & aliæ Matronæ ornabant: ac proindè inter vestimenta muliebria numeratur in *L.* 23. §. 2. *ff. de Auro, & arg. legat.* ad quod alludit illud *Virgil. Æneid.* 4. *v.*215. *Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu, Mæoniamentum mitra, crinemque madentem subnixus rapto potitur.* Mitra verò Episcopalis Christi magnificentiam significat, duo cornua denotant scientiam utriusque Testamenti, quæ debet resplendere in Ecclesiasticorum Pastorum capite, duæ fasciæ superhumeros pendentes symbolum sunt spiritus, ac litteræ in Divina Scriptura absconditæ, qua Præsul debet superhumeros portare totum id, quod ore docet. Sic *Innocent.* Cardinales quidem, mitræ usum ex serico albo ex concessione Pauli II. habent. Episcopi Græci, excepto Alexandrino Patriarcha, mitra non utuntur. Aliquibus Abbatibus usus mitræ conceditur, quin & aliquibus Canonicis, & Dignitatibus indulgetur. Prædicti tamen in distributionibus candelarum, cinerum, atque palmarum, licet habeant mitram debent nihilominùs surgere, ac stare, ad differentiam Episcopi, quem sedere decet. *S. Congreg. Episc.* 18. *Febr.* 1650. Mitra à varijs appellatur *apex, sertum, vitta, corona, pileum, Galea, & Tiara*: & jam communitèr *infula* indigitatur. Etiam *pectorale* est proprium Episcoporum: est enim illa crux gemmis formata ante pectus pendens (undè pectorale dicitur) qua Episcopus in Pontificali celebratione utitur, significatque antiquum Summi Sacerdotis Rationale, & sic aliquando vocatur, & in Cæremoniali Episcoporum *formalium* dicitur, & ab alijs *Encolpium*, & *phylacterium* nuncupatur. *Rationale* equidem antiquum ex opere polymito erat juxta texturam superhumeralis ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, quadrangulum erat mensuram palmi habens tàm in longitudine, quàm in latitudine, & quatuor ordines lapidum habebat, & in quolibet ordine tres lapides erant nomina filiorum Israel inscripta habentes. *Exod.* 28. *ex n.* 15. eratque junctum superhumerali, ita ut non possent separari. In Rationali quidem Aaron erant scripta hæc verba: *Doctrina, & Veritas. Exod.* 28. *n.* 30. Insuper *Chirothecis* ad manus regendas Episcopus in Pontificalibus utitur, & ideo Latinè *manicæ* dicuntur: alluduntque adhædinas pelles Jacob, quibus ab Isaac deceptò benedictionem paternam obtinuit: debent esse inconsutiles, quippè Pontificis actiones debent fidei rectæ esse concordes. Etiam significant nostræ mortalitatis spolia à Verbo Incarnato desumpta. In die Veneris majoris hebdomadæ, nec in Missis pro defunctis, debet Episcopus Chirothecis uti. *Baculus* etiam est Episcoporum insigne, & Latini Episcopi baculum curvatum invertice gestant, cujus significationes his versibus, quos affert *Gloss. in C. un. de Sacra Unction.* continentur: *In baculi forma, Præsul, datur hac tibi norma — Attrahe per primum, medio rege, punge per imum — Attrahe peccantes, rege justos, punge vagantes — Attrahe, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.* In Missis defunctorum Episcopus baculo non utitur: nec eo, saltem hodie, Pontifex utitur. *C. un.* §. *fin. de Sacr. Unct.* quamvis aliquos Romanos Pontifices baculo usos constet ex varijs picturis, quas afferr *Jacobus Macri in Hiero-Lexic.* rationem reddit, *D. Thom.* quia Petrus, ait, dedit ipsum ad resuscitandum quendam Discipulum suum, qui postea factus est Episcopus Treverensis, & ideò in Diœcesi Treverensi Papa baculum portat, & non in alijs locis. vel etiam in signum, quod non habet coarctatam potestatem, quod curvatio baculi significat. Licet alij aliter. Baculus etiam appellatur *Cabuta, Gambuca, Ferula, Virga, & Croccia. Macri.*

An-

371 *Annulus* item est Episcoporum, & Pastorum animarum ornamentum, quem tanquam suarum Ecclesiarum sponsi gestant: aureusque, & pretiosa gemma ornatus esse debet, sed sine figura, vel cælatura aliqua. Unde ait *Hugo* Cardinalis: Prælatus debet esse annulus alios signando exemplo suo, & debet esse rotundus propter æternorum contemplationem. Et *Innoc.* ait, quod est signaculum fidei, juxta quod pater filio revertenti dare annulum in manu præcepit, ut videlicet Ecclesiam sibi commissam Prælatus ipsius in temerata fide custodiat, ad quam fideliter observandam per visibilem speciem jugiter admonetur. Et licet olim in dextro indice collocaretur, hodie tamen in Pontificali celebratione in annulari digito ponitur, in quo ferri continuò usus invaluit. Aliquibus etiam Abbatibus annulus conceditur, quin & Doctoribus: hic tamen non est Sacer cum benedictione careat. Prohibetur Protonotarijs, non participantibus, & Doctoribus celebrare cum annulo *Sacr. Rit. Cong.* 11. *Febr.* 1623. item & Cathedralium Canonicis. 20. *Nov.* 1628. sub quo nomine intelligumur, etiam Canonicales Dignitates. Pontifex quidem, ait *Optat. Milevit.* annulum portat, ut se sponsum Ecclesiæ agnoscat, & pro illa animam, si necesse fuerit, sicut Christus ponat, mysteria Scripturæ à perfidis sigillet, secreta Ecclesiæ resignet. Inter sigilla equidem Romani Pontificis *Annulus Piscatoris* numeratur, quo scilicet in ceta rubra signat Brevia: ita dictus ab imagine D. Petri in actu piscationis. Aliud sigillum Bulla dicitur, quo videlicet in Cancellaria Apostolica plumbeæ Bullæ signantur, & ex una parte habet amborum Apostolorum capita, quibus interposita est crux, ex altera parte regnantis Pontificis nomen opponitur. Tertium denique dicitur *Signum*, in quo nempe aliqua sententia Sacræ Scripturæ inscribitur: apponiturque in Bullis Pontificijs Consistorialibus, quæ manu ipsius Papæ, & à cunctis Cardinalibus, seu à majori parte subscribuntur. In his enim præter plumbum dictum depingitur crux, aliquaque circumscribitur sententia. Sic Lucij III. erat hoc signum ✠ *Adjuva nos Deus salutaris noster.* Urbani III. hoc ✠ *Ad te Domine levavi animam meam.* Alexandri III. hoc ✠ *Vias tuas Domine demonstra mihi.* *Macri Hiero-Lexic.* V. *Annulus*, *&* *Bulla.* Episcopi aliquando in Throno sedent. Hic namque varie pro diversitate situs Altaris collocatur, ita tamen, ut tribus gradibus ad ipsum ascendatur, qui pannis, aut tapetibus tegantur. Forma sedis erit præalta, & sublimis, & super eam umbraculum, seu baldachinum appenditur, & sic Episcopus Missam solemniter celebrat: aliquando sedet in faldistorio. Hoc enim est certa humilis sedes, cujus forma adinstar antiquæ sellæ curulis est, & sic *à falda strato* dicitur. Itaſicè namque fimbriæ, & pedes montium *faldes* appellantur, eodem fere modo, ac in Hispania: Hinc sella ista, quia in extremitate strati, quod à throno, & extremitate Cathedræ dependet, solet collocari, idcircò ita nuncupatur. Ponitur que in cornu Epistolæ ob reverentiam Cathedræ, quæ digniorem in Evangelij parte locum obtinet. In hoc igitur faldistorio solemniter celebrant Episcopi ubi jurisdictione carent: quin & in proprijs Diœcesibus, quando aliqua major Dignitas præsens est, seu quando in collatione Ordinum sedent ante Altare: non tamen debent uti faldistorio, in Ecclesijs Regularium, sed debent Cathedram, & baldachinum apponere. *Cl. fin. de Privileg.* celebrans in faldistorio, eo etiam pro genuali utitur. Hæc magno cum labore à varijs Doctoribus, qui de Ecclesiasticis ritibus, & ornamentis latè agunt, decerpta sunt: nec major claritas è caligine antiquitatis quoad ritus, & nomina prædictorum facile hauriri valet: cum sæpè à diversis Authoribus eadem res diversis nominibus appelletur, idemque nomen diversis applicetur rebus. Et hac regula debes uti cum aliqualem differentiam, vel etiam contrarietatem in prædictis apparere videas. Demum: Amictus, aliaque sacra, seu benedicta instrumenta nequeunt ad usum profanum converti, sed ea, si consumpta sint, comburi debent, quia non licet ea, quæ in Sacrario fuerint malè tractari. Cineres quoque eorum in baptisterium inferantur, ubi nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur. Sic Clemens Papa in *C.* 39. *de Conf. D.* 1. Nec prædicta possunt pretio commutari, nisi in casu necessitatis, alijs Ecclesijs. Ornamenta benedicta, quæ non tangunt immediatè Corpus Christi, tangi possunt à Laicis, & fœminis. Calicem consecratum, vel lapidem manu nuda tangere, seclusо contemptu, non excedit veniale. Calices cum Sanguine solum à Sacerdote, vel Diacono tangi possunt: si vacui sint, etiam à Subdiacono, & Ministro in Sacrificio, etiam Acolyto: idem est de Corporali. Sic ex varijs *Textibus*, *D.* 23. Sacristis hujusmodi

di vasa, & vestes tangere ob officij necessitatem permittitur. Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula debent benedici. Idem est de Corporali, & pyxide Eucharistiæ: & prædictorum benedictio de jure pertinet ad Episcopum, ex privilegio autem ad Guardianos, & Rectores, quibus id concesserint Provinciales. *Innoc. X. An.* 1654. Regularibus prohibuit, vasa sacra, & altaria, similia consecrare, in quibus Chrismatis Unctio est necessaria. Nostri tamen Presbyteri, qui mittuntur a Præposito Generali in loca remotissima, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica, vestes Sacerdotales, pallas, Corporalia, Calices, Altaria, Ecclesias, Cæmeteria, & omnia paramenta Ecclesiastica possunt benedicere in illis partibus, si non adsit Episcopus. Sic *Paul. III.* 16. *Octob.* 1549. *Urban. VIII.* 10. *April.* 1634. & constat *Comp. privileg. Soc.* V. *Benedictio.* Ubi additur: Hac facultate possunt uti Provinciales, & reliqui Superiores de illorum licentia. Si tamen ea, quæ benedicenda sunt, sint externorum, non benedicantur, nisi instanti aliqua gravi necessitate, aliave magni momenti causa. Aqua, ova, fructus, rosaria, rami, & similia à quolibet Sacerdote possunt benedici. Præterea Romani Pontifices solent in Dominica 4. Quadragesimæ rosam auream benedicere, & illam post Missarum solemnia alicui Magno Principi si Romæ est, dono dare, vel si ibi non est, mittitur ad aliquem Regem, vel Principem de Consilio Sacri Collegij. Sicut, & nocte Nativitatis etiam solent ensem benedictum cum quodam Capello Ducali ornatum candidis Margaritis in formam columbæ alicui Magno Principi date.

372 Jam ergo cum Sacerdote vestibus sacris ornato progrediamur. A loco igitur, in quo Sacerdos vestes induit ad publicum procedit, sicut Christus ex utero Virginis procedens in Mundum venit. Sed antequam sacrificium incipiatur, expediens erit, saltem per transennam Ecclesiam, ejusque partes perscrutari: quippè in ea, ejusque parietibus, columnis, trabibus, lapidibus, januis, tecto, pavimento, fenestris, turribus, & alijs plures, mysticæ significationes comprehenduntur. Turris quidem in Templis Ecclesiam Militantem significat, ejusque Prælatos, & Prædicatores juxta illud *Cant.* 4. *v.* 4. *Sicut Turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Er ut notat *Titelm.* per collum istud sponsæ intelligimus invictam illam fortitudinem, & insuperabilem constantiam Ecclesiæ: per propugnacula accipere possumus ipsos Sanctos Apostolos, eorumque successores, Episcopos, & Doctores, cæterosque Ecclesiæ Prælatos, qui sunt veluti propugnacula Ecclesiæ: Imò singuli quasi singulæ sunt turres. *Pinnaculum* Turris vitam, vel mentem Prælati, quæ ad alta tendit, repræsentat juxta *Durandum*, qui addit, quod *gallus* supra Ecclesiam positus Prædicatores designat: Gallus namque profundæ noctis pervigil horas suo cantu dividit, dormientes excitat, diem appropinquantem præcinit: sed prius se ipsum alarum verbere ad cantandum excitat: quæ singula mysterio non carent. Nox enim est hoc sæculum: dormientes sunt filij hujus noctis in peccatis jacentes. Gallus Prædicatores, qui distinctè prædicant, & dormientes excitant, ut abjiciant opera tenebrarum, clamantes istis dormientibus, exurge, qui dormis, lucem venturam prænuntiant, dum diem judicij, & futuram gloriam prædicant. In Turri quidem collocatur *horologium*, per quod horæ leguntur, indicatque diligentiam, quam Sacerdotes in dicendis horis debito tempore habere debent. Ibidem etiam *Campanæ* apponuntur: quæ sunt vasa ænea in Nola Campaniæ primo inventa: sicque majores dicuntur Campanæ à Campaniæ Regione, minores verò à Nola Civitate Nolæ indigitantur juxta *Durandum*, quod potest saltem de majori perfectione intelligi, cum jam ab antiquo earum usus fuisse credatur. Et quidem fuerunt in Ecclesia introductæ ad similitudinem tubarum, quas Deus Moysi facere jussit. *Numer.* 10. ubi earum usus, sonorumque varietas apponitur. Campanæ quidem Prædicatores significant, qui fideles ad similitudinem Campanæ ad fidem vocare debent. In tribus diebus majoris hebdomadæ, non Campanis, sed *crotalis ligneis*, *Hispanè*: *Matraca*, in signum mæstitiæ utitur Ecclesia: & quia Apostoli, quos Campanæ repræsentant in Salvatoris Passione præ timore siluerunt. In Parochia, & in Regularium Ecclesijs nequeunt in Sabbato Sancto pulsari campanæ *pro Gloria in Excelsis* ante Ecclesiæ Matricis signum sub pœna centum ducatorum *ex Const. Leon. X. An.* 1518. *Et S. Cong. Rit.* 19. *Febr.* 1608. Campana in elevatione Hostiæ in Missa, & quando Eucharistia defertur ad infirmos pulsari debet, ut Populus ad Christi Sacramenti adorationem moneatur. *Marri.* V. *Campana.* Sanè in capite, seu eminentiori Ecclesiæ parte *Altare majus* collocatur, quod

Chris-

Christum caput Ecclesiæ repræsentat. *Altare* quidem sic appellatur, quasi *alta ara*, vel *area*. *Ara* tamen sacratum, & portatile altare significat, sic dicta ab *ardore*, quippè Hostiæ, & victimæ ibi comburebantur. Et juxta *Durandum* Capella major, quam *Cancellum* appellat, debet esse humilior reliquo Corpore Ecclesiæ: quod mysticè significat, quanta humilitas debeat esse in Clero, & in Prælato. Capellam enim majorem à corpore Ecclesiæ cancelli dividunt, qui multas mansiones in domo patris esse designant. Et à *D. Cornelio*, *& Cypriano* dicitur *presbyterium*: ab alijs *Sanctuarium altaris*, *Sancta Sanctorum*, *& propitiatorium* appellatur, saltem lato modo: licet *propitiatorium* strictius operculum arcæ Testamenti juxta *Theophylactum*: & juxta *Æcumenium* erat tabula aurea quadrata perpendiculariter super Arcam pendens sine contactu, ita appellata, quia ex eo propitiationes accipiebantur. Et quia ibi dabantur Divina responsa, etiam dicebatur *Oraculum*. Altaria lapidea esse debent, nec aliter erunt consecranda. *C. 31. de Consf. D. 1.* licet ante S. Sylvestrum ob continuas persecutiones lignea essent, quale est altare Apostolorum, quod Romæ asservatur, & in quo solus Pontifex celebrare valet. Hodie tamen saltem Ara debet esse lapidea, quod quidem convenit: quia altare significat Christum, qui petra dicitur ab Apostolo, & quia Corpus Christi in sepulcro lapideo fuit reconditum: convenit etiam quoad usum Sacramenti: quippè lapis solidus est, & de facili potest ubique inveniri: quod non erat necessarium in Lege Veteri, ubi in uno loco altare fiebat. *D. Thom. in 3. p. quæst. 83. art. 3.*

373 In Ecclesiæ quidem altari majori communitèr collocatur *Tabernaculum*, in quo Corpus Christi custoditur ad imitationem Legis Veteris, ubi sic habetur, *Exod. 25. Briges Tabernaculum Testimonij, & pones in eo Arcam. Et 3. Reg. 8. v. 6. Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, in Oraculum Templi, in Sanctum Sanctorum subter alas Cherubim. — In Arca autem non erat aliud nisi duæ Tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepegit fœdus Dominus cum filijs Israel, cum egrederentur de Terra Ægypti.* Et hinc ejusmodi Arca appellatur Arca fœderis Testimonij, & Testamenti. *Et Apost. ad Hebr. 9. v. 4.* ait: *Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum aureum habens thuribulum, & Arcam Testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua Urna aurea habens manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabulæ Testamenti.* Arca quidem Dominum repræsentabat: & expressius manna erat figura Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti. Tempore autem S. Sylvestri, ait *Durandus*, Constantinus Imperator, construxit Basilicam Lateranensem, in qua posuit Arcam Testamenti, quam Titus Imperator asportaverat de Jerusalem, in qua quidem Arca sunt hæc: annuli, & vectes aurei, Tabulæ Testimonij, & Virga Aaron, manna, panes hordacei, Urna aurea, vestis inconsutilis, & arundo, & vestimentum S. Joannis Baptistæ, & forfices, quibus tonsus fuit S. Joannes Baptista. Tabernaculum equidem, in quo Eucharistia asservatur dicitur *Ciborium*, quod propriè fabæ ventriculum, & translativè vas significat, & jam hodie pro Tabernaculo usurpatur, ubi habetur *pyxis*, id est, vas in quo Eucharistia reconditur: quod sane super Corporale collocari, ut usus admisit, valde decens est. Et olim quidem in foramine muri servabatur. Hoc vas non debet consecrari, sed sufficit, quod benedicatur ab habente potestatem benedicendi corporalia, ac proindè potest benedici à Superioribus Mendicantium: quamquam aliqui tantum de congruentia benedicendum dicant *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 348.* Nec est necesse pyxidem adinstar Calicis deaurare juxta *Suarez*. Tabernaculum *Cophinus* aliquando dicitur, & Ciborium sæpè pro vase, in quo Eucharistia habetur usurpatur. *Lunula*, in qua apponitur Hostia in *Monstrantia*, saltem decet, quod benedicatur eadem benedictione, qua pyxis: Monstrantiæ verò benedictio non est necessaria. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 350.* Olim quidem tempore persecutionum Eucharistiam secum deferre concedebatur Christianis, ut si ad martyrium raperentur in promptu Eucharistiam suscipere valerent. Quod posteà meritò prohibitum fuit *in C. 29. de Conf. D. 2.* Hodie tamen in longinquis itineribus Romani Pontificis per brevem diætam præcedentem Eucharistia defertur super album mannum undique ornatum, luminibus quidem circumdata, atque nobilissimo comitatu obsequente: quod jam à tempore Stephani III. in usu erat, teste *Macri Hiero-Lexic. V. Papa.*

374 In Ecclesijs, præcipuè Cathedralibus *Chorus* utique invenitur, ubi Canonici, vel Clerici ad Divinum Officium canendum, congregantur. Significatque An-

gelos, & Spiritus justorum, quasi reciproca voluntate Deum laudantes. Sedilia Canonicorum in Choro *stallum* appellantur: unde *installare* est in possessionem mittere per sessionem stalli in Choro. Sedes propria Episcopi, & quæ primum locum in Choro occupat, *Cathedra* dicitur. Et hinc Ecclesiæ, quibus Episcopi præsunt, Cathedrales appellantur. Cathedra enim à verbis Græcis *Chatos*, quod est sedes, & *Edra*, quod est sponda, quasi spondata sedes dicitur, significatque altam, & excelsam sedem Judicis præsidentis: & hinc pro dignitate, vel jurisdictione usurpantur, ut in *Cl. fin. de Sepult.* pro Summi Pontificis dignitate sumitur. Sæpè tamen pro sede Doctorum, & Magistrorum accipitur, juxta illud: *Rex Solium, Doctor Cathedram, Judexque Tribunal,— possidet, ac sedem Præsul, Prætorque curule. Gloss. in Clem. fin. de Sepult.* Primum Chori inventorem Moysen fuisse, ait *D. Isidor.* Tubal autem fuit primus pater canentium, ut ex *Genes.* 4. *v.* 21. constat. Chorus enim à concordia canentium, seu à corona circumstantium dicitur: quippè olim in modum coronæ stabant cantantes ante aras. In Choro quidem Officium Divinum tempori, & ritui Ecclesiæ correspondens quotidiè debet dici, quod jam ab Apostolis ad imitationem Synagogæ introductum esse ex *SS. Clement. & Basil.* colligitur. Officium etenim constat præcipuè ex psalmis, hymnis, & canticis. *Psalmus* à verbo Græco cantum significat. Psalmorum coordinatorem fuisse Esdram, ait *Anastbasius*, sed *Sanctus Damasus* jussit in universali Ecclesia recitari. Sunt numero 150. constantque ex 2606. versibus à David metro Hebraico compositis. Et per Canonicas horas, ut nunc habentur ipsius Damasi jussu dispositi sunt. *Hymnus* à verbo Græco metricum versum significat. Hymni differunt à threnis, quia *threni* cantica lamentationis, hymni autem cantica sunt laudis. Primus hymnorum Author Moyses fuit. *Cantica* vero à psalmis differunt: quia canticum sola voce, psalmus vero instrumento musico psalterio appellato, canebatur. Primus item canticorum Author Moyses habetur, quando mare Rubrum cum Populo electo pertransijt. Hodie decem cantica in psalmodia recitantur, septem ex veteri Testamento per septem hebdomadæ dies ad Laudes distributa: tria vero ex Novo Testamento: scilicèt. *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*. *Horæ Canonicæ* sic dicuntur, quia regulares sunt, vel quia sunt Canonis pensio, quam tenentur quotidiè Deo persolvere Ecclesiastici: psalmodia namque noster Canon dicitur: Et hinc fortè *D. August.* dicere solebat, nomen Sacerdotis haud mereri, qui omnes psalmos memoritèr non teneret. *Matutinum* ergo à voce *Matuta*, quæ Auroram significat appellatur, & olim quidem in qualibet noctis vigilia unum nocturnum recitabant Ecclesiastici, ad diluculum Laudes persolvebant: posteà vero tepescente fervore tres Nocturni simul cum Laudibus recitari cœperunt. Prima ad Solis ortum recitanda est. Tertia vero hora nona Solis. Sexta in hora usuali duodecima, seu in Meridie, nona in hora tertia pomeridiana recitari oportet. Vesperæ post Solis occasum, postea vero completorium dicebatur. Sed in his cujuslibet Ecclesiæ laudabilis consuetudo servetur. Mysteria quidem in singulis horis contemplanda sequentibus versibus continentur. *Matutina ligat Christum qui crimina purgat.— Prima replet sputis, dat causam tertia mortis. — Sexta cruci nectit, latus ejus nona bipertit. — Vespera deponit, tumulo Completa reponit.* Cantus in Choro instrumentis musicis sociatur, quæ *Organi* nomine comprehenduntur, licet jam hæc vox ad hydraulum, cui folles adhibentur, communitèr applicetur. Juxta *D. Isidorum.* Et ait *Durand.* quod à David, & Salomone introductum est, hymnos, in Sacrificio Domini organis, & alijs instrumentis musicis decantari, & Laudes à Populo conclamari. Et de eis fit mentio *in* 2. *Reg* 6. *Et* 2. *Paralip.* 5. *&* 7. Et juxta illud David *Psalm.* 150. *Laudate eum in tympano, & Choro, laudate eum in chordis, & organo.* Hujusmodi quidem instrumenta triumphantem Ecclesiam denotant. juxta illud. *Apocal.* 14. *Et vocem, quam audivi sicut cytharædorum cytharizantium in cytharis suis, & cantabant quasi canticum novum ante sedem.* Cantus Ecclesiasticus, sive Gregorianus dicitur planus, & firmus prout contradistinguitur à figurato. Cantus enim festivam alacritatem demonstrat, & jam ab antiquo in majoribus solemnitatibus Nationum cantus, & instrumentorum usus invaluit. Sic alter *Poeta. Metamorph.* 3. *Liber adest, festisque fremunt ululatibus agri.— Turba ruit, mistæque viris, matresque, nurusque.— Et vulgus, proceresque ignota ad sacra feruntur.* Profectò: tres Nocturni Divini Officij triplicem Ecclesiæ statum designant, naturalem videlicèt, Legalem, & Evangelicum: idcircò in tertio Evangelium dicitur: vel etiam tres Christi orationes in horto. In diebus

fe-

ferialibus unicum Nocturnum 12. psalmorum recitatur: quia olim Monachis Angelus apparuit 12. psalmos canens, quos sigillatim cum Antiphona Alleluya (quæ Hebraicè laudate Deum significat) terminabat. C.15. *de Conf. D.*5. *Laudes* ita denominantur, quia in eis dicuntur psalmi Laudate Dominum 148. & 150. Et secundum communem opinionem non distinguuntur à Matutino, & juxta noctis divisionem sic hujusmodi partes denominantur ab *Hug. de S. Victor.* Canticinium, intempestum, gallicinium, & antelucanum. *Te Deum laudamus*, quod juxta communem cum Bellarmino compositum fuit à D. Ambrosio, & S. Augustino, quando hic ab illo fuit baptizatus in Ecclesia Mediolanensi, An. 388. pertinet ad Matutinum, ut patet in nocte Nativitatis Domini: qua Matutinum cum hoc cantico terminatur. Et licet in *C.*4. *h.t.* habeatur, quod Te Deum dicatur in Laudibus Matutinis, intelligitur de Matutino cum Laudibus conjuncto. Quæ omnia ut facilius comprehendantur scire oportet, quod dies naturalis olim in octo partes dividebatur: partes quidem diei, dicebantur horæ, noctis vero partes Vigiliæ appellabantur. Orto enim Sole hora prima usque ad tertiam, tertia usque ad sextam, seu Meridiem, sexta usque ad nonam, nona usque ad duodecimam in Solis occasu protendebatur. Tunc vero incipiebat prima Vigilia, quæ durabat usque ad horam noctis nonam, secunda Vigilia usque ad horam duodecimam protendebatur quæ erat in medio noctis., & gallicinium dicebatur: tunc sequebatur tertia Vigilia à media nocte usque ad canticinium, seu nostram tertiam horam Matutinam. Et hinc quarta Vigilia usque in mane, seu ortum Solis: ita ut singulæ partes in æquinoctijs tres horas continerent: in alijs vero temporibus, prout longiores sunt dies, vel noctes hora prima, & nona, prima, & quarta Vigilia protrahebantur. Officium ergo variè dividitur. nam 1. est *Duplex*, & sic denominatur, quando tota antiphona ante, & post psalmum recitatur: scilicèt in utrisque Vesperis Matutino, & Laudibus, non vero in alijs horis. 2. est *Semiduplex*, quod quidem officium integrum, sicut duplex habet, scilicèt primas, & secundas Vesperas, & regularitèr tres Nocturnos, cum novem psalmis, & totidem Lectionibus, in unoquoque nempè Nocturno tres psalmos, & tres Lectiones, sed non dicitur tota antiphona in principio psalmi. *C.* 15, *de Conf. D.* 5. 3. est *Simplex*, quod tantum habet primas Vesperas, in quibus dicuntur psalmi feriales, & à Capitulo fit de festo, nisi cum eo concurrat Officium novem Lectionum: quia de eo tunc fit commemoratio tantum: & ejus Officium terminatur ad nonam, & nihil amplius, nec commemoratio de eo fit. Ad Matutinum post invitatorium, & hymnum de festo unum Nocturnum cum 12. psalmis dicitur, ut in psalterio secundum feriam, quæ occurrit, & tres Lectiones leguntur. 4. est *Dominica*, quæ semiduplex reputatur, incipitque à primis Vesperis, ad Matutinum tres Nocturni cum psalmis, ut in Psalterio, & novem Lectiones recitantur. 5. est *Feria*, quæ fit secundum tempus occurrens, & est simplex cum uno Nocturno, 12. psalmis, & tribus Lectionibus. *C.*15. *de Conf. D.* 5. 6. est *Vigilia*, cujus officium incipit à Matutino, & terminatur ad nonam: quippè Vesperæ sunt de sequenti festo, & totum fit de feria occurrenti, & tres Lectiones leguntur de Homilia in Evangelium Vigiliæ. Vigilia equidem inter Christianos dies præcedens alicui solemnitati intelligitur: quia antecedenti die fideles pernoctare solebant in Ecclesia illius Sancti, cujus festivitas die sequenti erat celebranda, & noctem in sacris, Divinisque cantionibus, ac psalmodijs totam noctem occupabant: & idcircò nocturnæ convocationes à *Tertulliano* dicuntur. Hic deindè ritus in jejunium fuit commutatus, retinens tamen nomen Vigiliæ. In Vigilia Pentecostes ex antiqua consuetudine jejunatur, in qua etiam antiquitus, sicut in Sabbato Sancto baptizabantur Catechumeni, & ideò adhuc in Missa non dicitur tractus, & ad Evangelium non afferuntur luminaria, quia eorum fides adhuc obtenebrata erat, & ob eandem rationem non dicitur Credo. Si Vigiliæ S. Joannis Baptistæ, vel SS. Petri, & Pauli venerint infraoctavam Corporis Christi, tunc in Missa dicitur Præfatio communis de feria. *S. Cong.* 12. *Dec.*1626. si Vigilia S. Joannis venerit in die Corporis Christi, anticipatur Vigilia ad feriam 4. *S. Cong.* 23. *Sept.* 1638. quoad jejunium tantum, secus quoad officium de quo nihil fit eo anno. Aliquæ festivitates cum octava celebrari solent, hoc est, quod talis solemnitas per octo dies prorogetur. Græci octavam vocant discessum, seu dissolutionem, quia die octavo dissolvebatur festum. Infraoctavam fit officium semiduplex, & in Vesperis omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis festi, non fiunt suffragia consueta de Sanctis, nec dicuntur pre-

preces ad Primam, vel Completorium, etiamsi fiat officium de Dominica, vel semiduplici. In die autem octavæ est duplex, & in primis Vesperis octavæ, fit sicut in primis Vesperis festi. Et cum festum intelligatur inchoare à primis Vesperis, primæ Vesperæ secundis sunt nobiliores, & ideò in Capella Pontificia solum primæ cantantur, quod etiam Græci observant. Duplicia primæ, & secundæ classis, Dominicæ majores, & secundæ classis, duplicia majora per annum, & feriæ majores constant ex Rubricis Breviarij, & specialibus cujusque Diœcesis, vel Religionis Directorijs *Hispanè*: *Quadernillos*, ubi invenientur, quæ hic desiderantur. Rubricæ quidem sic à litteris rubris quibus scribebantur hujusmodi regulæ, nuncupantur. Fueruntque compositæ à Joanne Burcardo, Magistro Cæremoniarum Pontificis. Et licèt sæpè Rubrica, Ritus, & Cæremonia pro eodem sumantur, distinguuntur tamen: Rubrica enim est regula dirigens, Ritus est modus, quo fit functio, vel actio sacra, cæremonia demum est ipsa actio sacra cum exteriori Religionis cultu. Dicitur enim *Cæremonia* à Cete Hetturiæ Civitate, ad quam Vestales confugerunt. Unde omnis Divinus cultus à Romanis cæremonia dici cœpit, vel etiam sic appellatur à verbo *Careo*: nam *D. Augustinus* agens de aliquibus observationibus Judæorum à quibusdam escis secundum Legem abstinentium, eas cæremonias, quasi *Carimonias* appellavit, eo quod observantes his rebus carerent. Rubricæ, quæ sunt circa aliquid ad valorem sacrificij, vel substantiale officij sunt præceptivæ, & gravitèr obligant, sicut, & illæ, quæ gravitèr præcipiunt, aut expressè dicuntur esse observanciæ sub mortali: plures aliæ sub veniali tantum obligant, quin & aliæ tantum sunt directivæ. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n.* 407. Qui verò non recitaret officium juxta Kalendarij præscriptionem, si fruitur beneficio Ecclesiastico tenetur ad restitutionem emolumentorum illius diei. *S. Cong.* 8. *April.* 1628. quod ab *Urbano VIII.* fuit approbatum. Qui est adscriptus alicui Ecclesiæ recitare debet Officium secundum Ritum in Choro ejusdem Ecclesiæ observatum, non obstante adscripti alibi degentia. 8. *Sept.* 1602. Regulares tenentur recitare Officium Sancti Patroni illius loci, in quo morantur, licet non teneantur ad Octavam illius Officij. In Festo Dedicationis Cathedralis de Octava fieri debet tantum in ea Civitate, ubi Cathedralis residet, per Diœcesim verò sit Officium sine Octava 2. *Maji* 1619. Deindè sciendum est, quod quando Ecclesia consecratur, vel benedicitur *Titulare* assignatur, sive sit Mysterium aliquod: v. g. Incarnationis, vel Conceptionis, sive Sanctus aliquis, ut Sanctissima Deipara, sub cujus Titulo plures Ecclesiæ in Orbe Christiano militant, sive alius Sanctus particularis, & Titulus antiquus Ecclesiæ non potest mutari à confraternitate, ut habetur declaratum à *S. Congr.* 16. *Octob.* 1604. Patronus autem est ille Sanctus, qui vel ab Ecclesia, vel Populo in protectorem eligitur, & sæpè voto adjecto, ob aliquam necessitatem, vel motivum.

375 Deindè *Confessio* in Ecclesia dicitur locus ubi Corpora, seu Reliquiæ Sanctorum reponuntur. Insuper, *& pulpitum* in Ecclesijs ad verbum Domini fidelibus annunciandum, introductum est ad similitudinem fortè basis æneæ, quam fecit Salomon in medio Basilicæ, & super quam oravit coram multitudine, ut orantium in eo Templo vota Deus exaudiret. 2. *Parah* 6. *v.* 13. sic etiam Esdras gradum ligneum fecit ad loquendum. *Esdr.* 2. *cap.* 8. *v.* 4. Propè januam Ecclesiæ solent jam ab antiquo apponi Conchæ lapideæ ubi *Aqua benedicta* habetur. Hujusmodi autem aqua benedicta à S. Matthæo Apostolo instituta creditur: quæ cæremonia constat in *C.* 20. *de Conf. D.* 3. ubi sic *Alex. V.* ait: *Aquam sale conspersam Populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur. Quod, & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si tinis vitula sanguine aspersus Populum sanctificabat, atque mundabat: multò magis aqua sale aspersa, Divinisque precibus Sacrata Populum sanctificat, atque mundat. Et si sale asperso per Helisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis Divinis precibus Sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat, atque mundat, & purgat, & cætera bona multiplicat, & insidias diaboli avertit, & à phantasmatum versutijs homines defendit*? Hoc enim salurare elementum unionem hypostaticam Christi significat: sal enim infusum est mysterium increatæ Sapientiæ: aqua verò Symbolum humanæ naturæ, quæ sicut aqua dilabitur. Diebus quidem Dominicis in Ecclesia Latina Populus benedicitur aqua benedicta in memoriam lavacri regenerantis, quod olim solum in Dominica Paschæ conferebatur. Altare trina aspersione benedicitur: quod non fit, quando Sanctissimum expositum est. Hujusmodi enim

aqua

aqua juxta Ecclesiæ januas apponitur, ut ea in Ecclesiæ ingressu lustrati mundo corde ante Divinam Majestatem nostras fundamus preces. In Ecclesijs benedicendis, & altaribus purificandis hyssopo utimur, sicut olim in Veteri Testamento talis herba in benedictionibus adhibebatur, & illa nostras conscientias mundare admonemur: nam ut *D. Ambrosius* ait: Hyssopus herba humilis est, & in petra nascens, qua Christi humilitas significatur. Et hinc aspergillum apud *Hispanos hysopo* appellatur. Græci tamen frondibus Ocymi utebantur: quia in loco ubi Christi Crux erat sepulta Ocymum olescebat. Superiori Ecclesiæ non porrigitur aqua benedicta aspergillo, sed hoc in illius manu prius illud osculando traditur. Et in ingressu Ecclesiæ, si Clericus, vel Sacerdos adsit, ipse, non vero Sæcularis, debet aspergillum Magnatibus porrigere. Etiam in domibus privatis piè, & laudabiliter aqua benedicta habetur, cum valeat ad dæmones pellendos, morbosque fugandos, & præcipue ad peccata venialia delenda. Etiam convenientèr, & jam à tempore Apostolorum *usus Imaginum*, & picturarum in Ecclesia invaluit: sunt quippè Laicorum lectiones, & scripturæ: nam quod litteræ legentibus hoc cernentibus præstat pictura: quin, & plus pictura animum, etiam sapientis aliquando movet, quam scriptura juxta illud Horatij: *Segnius irritant animos demissa per aurem, quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.* Imaginum profectò usus à Lege Veteri sumpsit exordium: nam *Exod.* 25. sic jus sit Deus Moysi: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte Oraculi, Cherubim unus sit in latere uno, & alter in altero.* Et quamvis in Concilio Illiberitano *Can.* 37. dicatur: *Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere. Nec quod colitur, aut adoratur in parietibus depingatur*: hoc quidem intelligitur de picturis, non portatilibus, sed de fixis in pariete depictis propter persecutionum pericula, ne venerabiles picturæ ad ludibria fidelium exponerentur: quod hodie jam omninò cessavit. Ita *Azor, Bellarmin. & Platel.* In Ecclesia quidem viri a fœminis segregandi sunt. *L.* 1. *tit.* 2. *lib.* 1. *R C.* ibi: *Y encargamos à nuestros Jueces, que no consientan, que en las iglesias, y Monasterios los hombres estèn entre las mugeres, ni hablando con ellas, quando los dichos Oficios, y Horas se celebraren.* Vir item non debet velare caput, quoniam imago, & gloria Dei est, mulier debet caput velare propter Angelos, ut loquitur *Apostolus* 1. *Cor.* 11. Nec Sacerdos in celebratione Missæ potest pileolo uti sine licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contraria consuetudine. *C.* 57. *de Conf. D.* 1. apud sinas tamen licitum est celebrare capite tecto quia apud ipsos caput tegere honoris signum est: Nec item licet coma fictitia, seu petruca celebrare. *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *ex n.* 400. Et Missionarij Sinici Societatis possunt in eo Imperio Missas celebrare tecto capite, non vulgari, & communi pileo, sed alio proprio, & si fieri poterit ejusdem cum paramentis coloris. *Paulus V.* 26. *Martij* 1615. Et licet fideles possint in Ecclesia stare, vel sedere, semper tamen debent se circumspectè, modestè, & devotè gerere. In Missa, præcipuè tempore, quo Christus est in Altari præsens, non solum genu, sed genua flectere debent. Sic Salomon genua flectens adoravit. 3. *Reg.* 8. *v.* 54. eodem modo orabant D. Petrus, & D. Paulus. *Act.* 9. *v.* 40. *Et cap.* 10. *v.* 36. Et S. Stephanus positis item genibus clamavit voce magna dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum. Act.* 7. *v. fin.*

376 Semper debet in Ecclesia, ubi Sacratissima Eucharistia asservatur, lampas ardere. Sic enim in *Exod.* 27. *v.* 20. habetur *Præcipe filijs Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum, ut ardeat lucerna semper in Tabernaculo Testimonij extra velum, quod oppansum est Testimonio.* Sanè, ut Missa dignè in Ecclesia celebrari valeat, sequentia requiruntur. 1. Altare, & quidem consecratum, vel saltem habens Aram consecratam, debetque esse ornatum antipendio serico, argenteo, ligneo, vel marmoreo. Sicut olim Moysi fuit præceptum, quod ornaret Altare. *Exod.* 25. 2. Candelabra in altari saltem duo cum candelis accensis hinc, & indè in utroque ejus latere apponuntur, ad similitudinem candelabrorum, quæ Salomon in Templo posuit. 3. *Reg.* 7. *v.* 49. Et de quibus sæpè in scriptura fit mentio. Hoc duplex lumen debet esse cereum, in necessitate tamen præciso scandalo, sufficit una candela, etiam ex sebo, vel lucerna, aut lampas ex oleo: nunquam tamen licet sine omni lumine celebrare. *C. fin. h. t.* adeò ut Missam esse relinquendam, etiam in necessitate consecrandi Viaticum pro moribundo, si ante consecrationem lumen extingueretur, & aliud non posset haberi, asserant *Fagund. Quintanad. & alij.* 3. *Crux* debet in Altari, juxta Rubricam, apponi ad Missam celebrandam in memoriam Passionis:

nis: non tamen erit grave peccatum hoc sine contemptu omittere. Alij, praxi ipsa confirmante, crucifixum esse apponendum dicunt: & sat erit, si crucifixus pro icone altaris depictus, aut sculptus sit. Et quamvis aliqui dicant, non esse necessarium Crucem apponere, dum SS. Eucharistiæ Sacramentum expositum est, tunc etiam requiri decrevit *S. Cong. Ann.* 1707. teste *Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 321. Præterea Crux apponenda est in Amictu, Manipulo, Stola, & Casula: quam quidem, quando eis induitur, & exuitur Sacerdos osculari debet. Crux quidem à cruciatu dicitur. *C. 5. 3. q.* 1. estque nostræ Redemptionis inæstimabile instrumentum. *Arbor decora, & fulgida, ornata Regis purpura, electa digno stipite, tam sancta membra tangere*, ut concinit Ecclesia. Quatuor causas, quare Christus mortem Crucis elegerit, assignat *Glos. in Cl. un. de Sum. Trinit.* 1. enim, ut in ea pendens in aere, se inter Deum, & hominem mediatorem ostenderet. 2. ut damna, quæ per lignum vetitum primis parentibus obvenerant per lignum Crucis restauraret. 3. ut diabolum, qui per lignum vincebat, per lignum superaret. 4. ut evidenter ostenderet pro quibus restaurandis patiebatur, scilicèt, pro superis Angelorum ruinis replendis, pro justis, è limbo educendis, pro amicis colligendis, & adjuvandis, pro inimicis reconciliandis. Primum designatur per brachium superius, secundum per inferius, tertium per dextrum, quartum per sinistrum. Fertur etiam quatuor genera lignorum Crucem habuisse, scilicèt cedrum in stipite, palmam in palo per longum, cupressum in ligno ex transverso, olivam in tabula super Crucem loco quarti brachij. Undè versus: *Ligna Crucis palma, cedrus, cupressus, oliva.* In primitiva quidem Ecclesia, ob debilem adhuc credentium fidem, nuda Crux depingebatur, & in ejus base agnus mansuetus, Christi typus, figurabatur. Ob Crucis reverentiam Theodosius, & valens prohibuerunt Crucem in terra effigiare. Idem in nostra Hispania jussum est. *L. 3. tit. 1. lib. 1. R. C.* ibi: *Pues por la Santa Cruz fuè redimido el humanal linage, mandamos, que ninguno faga figura de Cruz, ni de Santo, ni de Santa, en sepultura, ni en tapete, ni en manta, ni en otra cosa para poner en lugar donde se pueda hollar con los pies.* Ob cujus reverentiam quotiescumque Ministri ante altare transeunt, Cruci debent genuflectere. Presbyter, etiam sicut, & cæteri, in die Veneris Sancti in adoratione Crucis genuflectit, ob salutiferæ redemptionis memoriam tali die peractæ. Et à primis Vesperis Dominicæ Passionis Crux velo tegitur, quippè ex tunc Christus se abscondere cœperat: qui in feria sexta comparuit in Calvario denudatus: quo quidem actu nobis Divina revelavit mysteria, quæ erant Populo Hæbraico abscondita: & quia insuper non de repente Christus se manifestavit, idcircò tunc paulatim detegitur. Jam quidem ab antiquo mos invaluit ferendi Crucem cum luminibus accensis in Processionibus: Ita tamen debet ferri ut Crucifixi Imago terga vertat ad Clerum. Sed quæ ante Pontificem, & Archiepiscopos defertur debet Antistitem respicere, licet Canonici intermedient. Ritus sanè Crucem ante Pontificem deferendi antiquissimus est, quod, & Regi Hungariæ S. Stephano concessum fuit à Sede Apostolica. Regulares nudam Crucem nequeunt in Processionibus ferre: sed cum velo quidem pendenti. *S. Cong. Rit.* 14. *Jan.* 1617. Præterea ex Apostolica traditione *processiones* originem ducere creditur: quæ quidem adinstar exercitus modestè, ac devotè coordinantur vexilla, & Crucem præferendo ad imitationem quidem Israelitici Populi ante conductionem arcæ proficiscentis. Vexilla sanè portantur ad repræsentandam victoriam Resurrectionis, & Ascensionis Christi, qui cum ingenti præda Cœlos ascendit, & sic Ecclesia concinit. *Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis mysterium, qua vita mortem pertulit, & morte vitam protulit. Tulitque prædam Tartari. Processio* ergo à *procedendo* dicitur. Et ait *D. Bernard.* meritò sanè bini, & bini procedimus: sic enim ad commendationem fraternæ Charitatis, & Socialis vitæ missos à Salvatore Discipulos Evangelia Sacra testantur: turbat processionem, si quis solitarius incedere curat. Huc pertinent *Litaniæ* sic à Verbo Græco dictæ, significantque supplicationes, & rogationes. Litania major dicitur, quæ fit die S. Marci à D. Gregor. instituta dum Romæ pestis grassaretur, & septiformis dicebatur, eo, quod Populus in septem partes deprecaturus erat divisus.

377 4. requiritur *Calix*, hic quidem est vas Sacrum, in quo Sanguis Christi consecratur, atque offertur. Ita dictus quia in eo calida absorbebantur, juxta Cassiodor. qui sic ait. *Calix à calida potione dictus est, quia sicut ille cor hominis exhilarat bibitus; ita hic Sanctas Animas jucundat haustus.* Olim Calix cum vino, & aqua ad dextram rei oblatæ collocabatur ad denotandum, Sanguinem aqua mixtum à late-

latere Christi dextro emanasse. Et licet olim Calices ex vitro, marmore, ligno, vel etiam alijs fierent materijs, hodie tamen solum ex auro, vel argento fiunt. Vel saltem debent habere cuppam argenteam, intus deauratam , juxta Rubricam. Ex stanno aliquando ...tri permittitur. C. 45. *de Conf. D.* 1. ibi: *Ut Calix Dominicum Patena, si non ex auro omninò ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum Calicem habeat: De ære, aut orichalcho non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo aut vitreo Calice præsumat Missam cantare.* Jam enim à tempore Bonifacij Episcopi, & Martyris usus Calicis aurei vigebat, quippè ipse de hoc interrogatus respondit: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus utebantur: nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus.* C. 44. *de Conf. D.* 1. In Regno Sinensi, & alijs Orientis Regionibus utuntur Missionatij Calicibus ferè stanneis, *Hispanè*: *De Azofar, ò Calainblanco.* Calix, in quo Dominus in ultima Cœna consecravit, juxta Baronium fuit argenteus. Valentiæ tamen Calix achatæ lapidis conservatur, in quo Dominum creditur consecrasse. 5. requiritur Patena, quæ sicut, & Calix, debet esse ab Episcopo consecrata, & ex auro, argento, vel stanno facta. *Patena* quidem nuncupatur, quippè patens, & spatiosa est: & licet non sit adeò necessaria ut Calix, quia poterat Corporali, vel manibus suppleri, est tamen valdè commoda, & ejus usus perantiquus est fundatus in exemplo Christi, qui in Catino, seu Patena panem consecrasse creditur. *Innoc. III. lib. 2. de Myster. Miss. cap.* 19. ait, Patenam solemnitèr celebrando involvi in velo, vel privatim sub Corporali reconditam Apostolorum fugam tempore Passionis denotare: ac detectam deindè, & Sacerdoti traditam Christum resuscitatum, ejus gregem jam dispersum revocantem, significare. Forma Patenæ orbicularis est, poslet tamen alterius esse figuræ, v. g. quadratæ. 6. Altare debet, juxta Rubricam, operiri tribus mappis, vel tobaleis mundis ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus alijs brevioribus, vel una duplicata, pallio quoque ornetur coloris quoad fieri potest, diei festo, vel officio convenientis. In *C.* 27. *de Conf. D.* 2. quatuor lintea in altari supponuntur, quod potest intelligi de tribus mappis, & Corporali. Et quamquam soleant hujusmodi mappæ benedici, non tamen est necessarium. Una tobalea in necessitate sufficiens erit. 7. requiritur Corporale, lineum quidem, saltem quoad partem, qua Hostiam, vel Calicem tangit. C. 46. *de Conf. D.* 1. ibi: *Consulto omnium statuimus, ut Sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto quisquam celebrare præsumat: sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicèt lino procreato, atque contexto: sicut Corpus Domini Nostri Jesu-Christi in sindone linea munda sepultus fuit.* In extremitatibus tamen potest esse sericum, vel auro elaboratum. 8. necessaria item est *palla linea*, quæ pars Corporalis reputatur, & olim cum ipso erat conjuncta, & Calici superponitur, estque quadrata, & *Hispanè* dicitur *Hijuela.* Significatque Sudarium, quo caput Christi fuit involutum. Etiam est alia palla parva etiam linea, & rotunda, qua Hostia cooperitur, non tamen indiget benedictione. Corporale, & pallam posse esse ex cannabe probat usus, quin, & ex gossipio docent. *Verricel, & Lacroix l. 6. p. 2. n.* 333. *cum alijs.* Calix panno serico coloris diei cooperitur, & *velum* appellatur, & *Corporalium bursa* super imponitur. 9. requiritur *purificatorium* lineum, quod non est necesse benedici, & olim quidem cum manipulo purificabatur. 10. *Missale* necessarium est. Et quidem inter nos Romanum, jussu S. Pij V. editum, cui sanè nec detrahere, nec addere aliquid licet: quin Sacra Congregatio renovando Decreta alias facta mandat, in omnibus, & per omnia servari Rubricas dicti Missalis, non obstante quocumque prætextu, & contraria consuetudine, quam abusum esse declarat: Quod approbatum est ab Urbano VIII. ut constat ex principio Missalis: Et hoc apponitur in cornu Epistolæ, eique cussinus, *Hispanè*: *Atril* supponitur, Missale quidem saltem Canonem habere debet: in gravi tamen necessitate ille, qui est moralitèr certus, se non erraturum, poterit sine Missali celebrare. *Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 363. 11. apponitur quædam pelvicula cum duabus ampullis vitreis vini, & aquæ: sed jam ampullæ, vel urceoli hujusmodi etiam ex auro, vel argento conficiuntur. Item apponitur manutergium mundum in fenestella, seu parva mensa ad hæc præparata. 12. in altari ad pedem Crucis ponitur tabella, quam Secretarum dicunt. 13. requiritur Minister, saltem unus: olim tamen duo erant necessarij, ut verè posset dicere Sacerdos: *Dominus vobiscum*, aliasque deprecationes, quæ

quæ in plurali sonant. *C. 61. de Conf. D.1.* Minister autem mas debet esse, non fœmina. *C. 1. de Cohabit. Cleric.* Moniales verò ex Choro respondere possunt; dum tamen vir, etiamsi respondere nesciat, circa altare ministret. In necessitate verò gravi: v. g. diei festi, vel dandi Viaticum possit Sacerdos sibi ipsi respondere. Similiter, quando post Missam cœptam, Minister abijt, & aliquantulum expectatus non revertitur, tunc quidem sine Ministro prosequi poterit. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n.* 385. Denique super altare, ait Rubrica, nihil omninò ponatur quod ad Missæ Sacrificium, vel ipsius altaris ornamentum non pertineat. Flores apponi devotio fidelium jam communiter induxit; & D. Hieronymus commendat. Juxta *Gavantum in Rubr. Missal. p. 1. tit. 20.*

378 In Missa ergo dicenda debet Sacerdos, quicumque sit, & in quacumque Ecclesia celebret, omninò sequi Rubricas, & directionem Missalis Romani editi jussu S. Pij V. etiamsi eædem Ecclesiæ quovis modo exemptæ Apostolicæ Sedis indulto, consuetudine, privilegio, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alijs quibusvis facultatibus munitæ sint, nisi ab ipsa prima institutione à Sede Apostolica approbata, vel consuetudine: quæ, vel ipsa institutio super ducentos annos Missarum celebrandarum in eisdem Ecclesijs, assidue observata sit, à quibus præfatam celebrandi constitutionem, vel consuetudinem nequaquam auferimus, ait S. Pius V. in Const. quæ est in principio Missalis. Græcus tamen suum ritum, sicut suum Latinus servat. Sacerdos Ritus Romani non potest, nequidem in Ecclesia Regularium, Missali proprio talis Ordinis uti: nec Missæ, quæ non sunt in Missali communi, vel tantum certis Religiosis, vel in certis locis conceduntur, dici valent ab alijs, vel alibi, nequidem in Ecclesijs talium Regularium. *S. Cong. 19. Nov.* 1622. Peregrinus qui Missali Romano utitur, sive Sæcularis, sive Regularis licitè utitur Missali Diœcesis, in qua est. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n.* 367. in Capella Pontificia Epistola, & Evangelium Latinè, & Græcè leguntur. Et idem est de Prophetijs Sabbati Sancti. *Macri.* Aliquando in nostra Hispania Ritu Gottico, seu Mozarabico celebratur. *Hispanè: Mozarabe* dicitur, quasi mixti Arabibus, quippè tunc Christiani cum Arabicus mixti erant: vel quasi mos Arabicus, quod in idem recidit. Et ego vidi Toleti, & Salmanticæ tali ritu celebrare. Sinici Sacerdotes ibidem nati possunt Sacra ministrare, & alias Sacras functiones peragere juxta Ritum S. R. E. in lingua erudita Sinarum ex concess. *Pauli V. 26. Martij* 1615. ut constat ex *Compend. privileg. Soc.* V. *Miss.* Jam ergo ad partes Missæ principaliores explicandas accedamus. Olim quidem hoc sacrificium in consecratione, & oratione Dominica consistebat; sed posteà Apostoli Epistolam, & Evangelium, summique Pontifices reliqua successivè pro temporum, & Ecclesiæ necessitate, addiderunt. Ante altare igitur incipit Missam Sacerdos, qui si Regularis sit, quando dicit Confiteor, nomen sui Sancti fundatoris addit, si ab Apostolica Sede hoc privilegium habeat; sicut varij habere dicuntur: & Hispanos posse ex privilegio, Sancti Jacobi nomen addere fertur: idemque ob correlationem poterit Minister facere: ascendit Sacerdos ad altare, & in cornu sinistro incipit Missam ab introitu, qui sic appellatur, quia canitur, dum Sacerdos ad altare ingreditur. Posteà sequitur *Gloria*, seu hymnus Angelicus, sic dictus, quia in nocte, qua noster Redemptor natus fuit Angeli intonuerunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc.2.v.14.* à Græcis dicitur *Doxologia*, id est, *Glorificatio.* Olim quidem Gloria à solis Episcopis, in Dominicis, & festivitatibus SS. Martyrum (quæ tunc solemniores erant) canebatur, à Sacerdotibus autem in die Paschæ tantum. Hodie vero Gloria dicitur quando in Officio *Te Deum laudamus* recitatur, nisi in feria in Cœna Domini, & in Sabbato Sancto, in quibus Gloria dicitur, etto *Te Deum* in Officio non recitetur. Post Gloria oratio sequitur, quæ etiam *collecta* nuncupatur, quia nomine totius Populi in unum collecti dicitur, vel eo quod omnium petitiones compendiosè colligat, vel quia per eam omnium audientium animi ad Deum colligantur: unde Sacerdos præmittit: *Oremus*; & est una, tres quinque, vel ad summum septem: post orationem *Amen* dicitur, quod est, ita fiat. Dein *Epistola* sequitur, quæ sic à verbo Græcò dicta mandatum, seu commissionem significat, & ex traditione Apostolica in Missa dicitur. Et licet solum Lectiones Apostolorum Epistolæ essent nuncupandæ, jam hoc nomine omnes lectiones, quæ ante Evangelium leguntur, veniunt. Olim Epistolam canere erat Lectoris munus, quod hodie Subdiaconus facit. Finita Epistola, dicitur *Graduale*, quod ab aliquibus *membrana* appellatur. Vocatur

Gra-

Graduale, quia dum Diaconus petit benedictionem à celebrante, & dum per gradus ambonis ascendit ad Evangelium canendum, ne in silentio vacet totum illud tempus sine cantu in Choro, Graduale canitur. Posteà *Evangelium*, quod à verbo Græco, significat faustam annuntiationem, sequitur. Omnes Epistolas, & Evangelia, quæ per annum leguntur distributa fuisse à D. Hieronymo, & à S. Damaso confirmata, creditur. Diaconus antequam Evangelium cantet, celebrantis manum osculatur: Subdiaconus è contra post Epistolam lectam: quippè Lex vetus terminata est in Christo, à quo nova sumpsit exordium: hæc enim in Diacono, sicut illa in Subdiacono figuratur: quod sanè nec in Missis privatis deest. Nam cornu Epistolæ Legis veteris, cornu Evangelij novi Testamenti sunt symbola. Deindè, quando legitur Evangelium ait *D. Hieronymus*, accenduntur luminaria jam sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad lignum lætitiæ demonstrandum: unde, & Virgines illæ Evangelicæ semper lampades habebant accensas. Diaconus, ait *Innocentius*, signare se debet in fronte, in ore, in pectore: ac si dicat. Ego crucem Christi non erubesco, sed credo corde, quod ore prædico. Osculatur Evangelium, quippè eo mediante pacem à Christo recipimus. Quando Evangelium legitur, debent audientes stare in Evangelij reverentiam. *C. 68. de Conf. D. 1.* Rex si est sacra unctione delibutus, non solum osculatur Evangelium, sed & illud potest in Missa canere, sic fecisse Basileæ in nocte Nativitatis Carolum IV. testatur *Macri*. Evangelium etiam significat nuntium, & prædicationem, & sic intelligendus est *Apostol. ad Rom. cap. fin. n. 25.* ibi: *Ei qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicationem Jesu-Christi.* Si est concionandum, tunc post Evangelium fieri debet. Et quidem concioni omnibus interesse permittitur *C. 67. de Conf. D. 1.* ibi: *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum usque ad Missam Cathecumenorum.* Concione finita clamabat Diaconus: *Si quis Cathecumenus est, procedat foras.* Et hæc pars Missæ Missa Cathecumenorum dicebatur.

379 Post Evangelium *symbolum*, seu *Credo* dicitur, ut quod audito Evangelio corde creditur, per symbolum ore confiteatur. Hoc nunquam dicitur omnibus Dominicis, & alijs festivitatibus, de quibus in Rubricis. Symbolum quidem appellatur à verbo Græco, quod signum significat. In eo continetur doctrina fidei ab Apostolis, & Ecclesia tradita. In Missa canitur alta voce ad denotandam publicam sanctæ fidei prædicationem. In prima vero, & in completorio secreto dicitur: quia in primordio Ecclesiæ nondum erat divulgata fides, & in fine sæculorum obscurabitur ob Antichristi persecutiones. Olim Romæ non dicebatur in Missa ad denotandam firmitatem fidei, & stabilitatem illius christianitatis Principatus, jugiter immunem ab omni hæreticali labe. Sed *Benedictus VIII.* ad petitionem Henrici Imperatoris ibidem recitari jussit juxta Baronium. Olim symbolum Apostolorum dicebatur in Missa, posteà jussu S. Marci Papæ symbolum Nicænum, hodie Constantinopolitanum, in quo est additum *filioque*, dicitur, prout S. Damasus statuit. In Officio Divino sæpè dicitur symbolum Apostolorum, & in Prima Dominicarum symbolum S. Athanasij recitatur. Post symbolum sequitur *offertorium*, quod in quadam brevi antiphona consistit, quæ tempore oblationis canebatur, ad imitandum Israeliticum Populum, de quo in *2. Paralyp. 29. v. 27.* legitur. *Et jussit Ezechias, ut offerrent holocausta super altare, cumque offerrentur holocausta cœperunt laudes canere Domino.* In Sabbato Sancto non dicitur offertorium: quia in eo die non fiebat oblatio, cum adhuc Resurrectio Salvatoris in eo Missæ termino non celebretur: vel quia tacent Cantores imitantes mulieres, quæ Dominum in taciturnitate quærebant, nam illæ unguenta Salvatori nocturni silentij favore attulerunt. Offertorium etiam offerenda appellatur. Oratio secreta Sacerdotis est commemoratio quædam secreta orationis Christi, vel in horto, vel in cruce. Posteà sequitur *Præfatio*, quæ est precatio præcedens ad Sacrum Missæ Canonem. Sacerdos enim fidelium mentes præparat ad sacrificium dicendo sursum corda, ut dum respondet plebs, habemus ad Dominum, admoneatur, se nil aliud, quam Dominum cogitare debere. Novem Præfationes in *C. 71. de Conf. D. 1.* numerantur, quibus posteà Præfatio de B. Virgine addita est. *C. fin. D. 70.* Infraoctavam solet dici Præfatio ejusdem Octavæ, etiamsi non fiat de Octava, nec de ea commemoratio, aliquibus casibus exceptis. In Præfationis fine bis dicitur ossanna, quod significat salva nos, semel Angelorum voce, & ite-

rum hominum nomine. Præfatio in Missali Mozarabico *illatio* appellatur.

380 *Canon* Missæ incipit ab oratione. *Te igitur*, vocaturque Canon, quia est regula consecrationis, & hinc à varijs *regula*, ab alijs vero *legitimum*, *ordo precum*, *secretum*, & *actio* nuncupatur, ac proinde oratio: *Communicantes, infra actionem*, quasi infra Canonem vocatur. Mentio, quæ de Pontifice in Canone fit, jam à tempore S. Clementis in usu erat. Et Pontifex, dum celebrat ait: *Unà mecum indigno famulo tuo*: posteà nominatur Episcopus loci, ubi celebratur in Abbatijs, quæ nullius Diœcesis sunt, non fit mentio de Abbate, sed de viciniori Episcopo, ad quem solet pro ordinibus recurri. Nec possunt Religiosi suum Generalem nominare. *S. Cong. 12. Nov. 1615.* Romæ nullius Episcopi fit mentio, nec Sedevacante. Tertio loco fit mentio Regis in Provincijs, in quibus hoc privilegium invenitur, ut in Hispania ex *Constit. S. Pij V. Ad hoc nos.* 1570. de quo nec extranei dubitant. *Lucr. lib. 6. p. 2. n. 369.* Quin & prætereà potest post primam orationem, secretam, & post communionem addi collecta. *Et famulos tuos* ab omnibus Sacerdotibus tàm Regularibus, quàm Sæcularibus, & tàm in Missis privatis, quàm cantatis, & Conventualibus, quantumcumque solemnibus ex concess. *S. Pij V. & Greg. XIII.* & denique ex Decret. *S. Rit. Cong.* 13. *Jul.* 1675. ut ex ipsis Missalibus constat. In Memento habentur hæ litteræ *N. N.* quia olim nomina offerentium in Missa recitabantur, vel etiam nomina Episcoporum, & virorum illustrium, qui in diptichis descripti erant. *Diptichum* ergo erat duplex tabella, quæ in forma libri claudebatur, ubi hujusmodi viri describebantur, & magnum dedecus erat, si delebantur, ut fiebat cum hæreticis, schismaticis, & excommunicatis.

381 Jam ergo ad consecrandum venimus: Consecratio panis sic fit. *Hoc est enim corpus meum.* Et vini sub his verbis. *Hic est enim calix sanguinis mei, novi, & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quæ sanè verba debet Sacerdos in persona Christi pronuntiare, ita ut intendat asserere, quod verba ipsa significant, & quod Christus per illa asseruit: nec enim sufficit, quod ea proferat recitativè, hoc est tantum illa recitando, ut à Christo dicta absque intentione asserendi id quod significant: quippè in hoc sacrificio principalis Sacerdos offerens est Christus: & Sacerdos celebrans tantum est ministerialis Sacerdos, in quantum, ut proximus Minister in persona Christi operatur. *Trid. sess. 22. cap. 2.* ibi: *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Sed non omnia prædicta verba sunt de essentia formæ consecrationis, licet sint de necessitate præcepti. Et sic debet intelligi Concilium Florentinum *in Decret. de Sacramentis.* Pronomina *hoc*, & *hic* non significant panem, & vinum, quæ consecrantur, nec species panis, & vini, cum neque panis, nec ejus species sint Corpus Christi: nec item vinum, nec ejus species sint Sanguis Christi. Demonstrant ergo prædicta pronomina Corpus, & Sanguinem Christi, non quidem sub explicita, & distincta ratione Corporis, & Sanguinis, quia sic tales propositiones essent identicæ, hoc modo: *Hoc Corpus meum est Corpus meum, &c.* Demonstrant ergo Corpus, & Sanguinem sub confusa ratione contenti sub speciebus panis, & vini in fine prolationis verborum formæ consecratoriæ. Et quamquam *Matth. 26. v. 28.* Solum habeatur. *Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: nec in ipso, vel alio Evangelista inveniantur hæc verba: *Æterni, & Mysterium Fidei.* Cum aliunde constet *Joan. cap. fin.* V. *fin.* non omnia esse in Evangelij scripta, absdubiò credimus, quod formam verborum, sicut in Canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab Apostolis acceperint successores, ut ait Summus Pontifex *Innocent. III. in C. 6. h. t.* quem tanti mysterij dignum profectò Interpretem habemus: ibi: *Non solum scriptura, sed etiam promissio dicitur Testamentum, juxta quod Apostolus ipse scribit: ideò Novi Testamenti mediator est, ut promissionem accipiant, qui vocati sunt hæreditatis æternæ. Sic ergo intelligi debet, quod in ipso Canone reperitur: Hic est enim Sanguis meus novi, & æterni Testamenti, id est, novæ, ac æternæ promissionis, scilicèt, confirmator, sicut Dominus repromittit: qui manducat, (inquiens) carnem meam, & sanguinem meum bibit, habet vitam æternam: : : : dicitur tamen mysterium fidei, quoniam aliud ibi creditur, quam cernatur, & aliud cernitur, quam credatur. Cernitur species panis, & vini, & creditur veritas Carnis, & Sanguinis Christi, ac virtus unitatis, & charitatis. Distinguendum est tamen subtilitèr inter tria, quæ sunt in hoc Sacramento discreta,* vide-

videlicèt formam visibilem, veritatem corporis, & virtutem spiritualem. Forma est panis, & vini, veritas carnis, & sanguinis, virtus unitatis, & charitatis. Primum est Sacramentum, & non res: secundum est Sacramentum, & res: tertium est res, &, non Sacramentum, sed primum est Sacramentum geminæ rei: secundum est Sacramentum unius, & alterius res existit. Tertium est res gemini Sacramenti. Et addit Glossa: primum scilicèt forma panis, & vini est Sacramentum geminæ rei, id est, Corporis Christi, & unitatis, & ita est figurans tantum. Secundum, id est, Corpus Christi est Sacramentum, scilicèt unitatis, & est res Sacramenti, scilicèt specierum panis, & vini: & ita est signans, & signatum. Tertium scilicèt, unitas est res, sive signatum gemini Sacramenti, id est, duorum Sacramentorum præcedentium, id est, Corporis Christi, quod est Sacramentum unitatis, & specierum panis, & vini, quæ sunt Sacramentum Corporis Christi: & ita istud tertium est tantum signatum per illa duo Sacramenta. Sed quia prædicta aliquali tenebrarum nube offusa videntur, sciendum est, quod Eucharistiæ Sacramentum adæquatè consistit, & intrinsecè constituitur ex speciebus, & simul ex Corpore, & Sanguine Christi. *C. 48. de Conf. D. 2. Hoc est quod dicimus: hoc modis omnibus approbare contendimus, Sacrificium scilicèt Ecclesiæ duobus confici, duobus constare: visibili elementorum specie, & invisibili Domini Nostri Jesu-Christi Carne, & Sanguine; Sacramento, & re Sacramenti, id est, Corpore Christi; sicut Christi persona constat, & conficitur Deo, & homine.* Nam licet species sint signum sensibile, non tamen sanctificant, quod est de ratione Sacramenti Novæ Legis. Et Corpus, & Sanguis licet sanctificent, non tamen sunt signum sensibile, quod est de ratione Sacramenti. Hoc ergo stat inadæquatè in quolibet, & adæquatè in conjuncto. Et in hoc sensu dicitur in *C.6. h.t.* quod species sunt Sacramentum tantum. Ibi namque Sacramentum sumitur præcisè pro eo, quod significat rem sacram, & non significatur. Et similitèr in *C. 42. de Conf. D. 2.* ut Berengarius suam hæresim revocans dicit, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus, & Sanguinem Domini Nostri Jesu-Christi esse. E contra verò quando in *Trident. sess. 13. cap. 1. Et Can. 3.* dicitur in Sacramento Eucharistiæ Corpus Christi contineri, Sacramentum sumitur adæquatè, & in eo Corpus Christi continetur, tanquam pars in toto, sicut in homine anima continetur. Deinde, quando SS. PP. dicunt, hoc Sacramentum esse Corpus Christi, partem accipiunt pro toto. Species namque sunt Sacramentum tantum modo dicto, nam significant rem sacram, scilicèt Corpus, & Sanguinem Christi, & non significantur. Gratia est tantum res, quia significatur, & non significat. Corpus, & Sanguis Christi sunt simul res, & Sacramentum: quia per species significantur, & fidelium significant unitatem, & spiritualem refectionem animæ per gratiam sanctificantem.

382 In elevatione hostiæ campanula pulsari debet, & olim aliquæ acclamationes decantari solebant, teste *Macri Hierolexic. V. Hostia*, quod in his Insulis accuratè servatur. In Papali Sacello ad elevationem hostiæ, & calicis non pulsatur campana, nec in Missa privata ejusdem Pontificis *ad Sanctus*, quod etiam observatur, quando idem Pontifex privatim audit sacrum, ut testatur *Macri*, V. *Campana*. Sacerdos hostiam in tres partes dividit: quod triplicem Ecclesiæ statum significat: particula enim, quæ in calicem mittitur, Ecclesiam Militantem in calice tribulationis agitatam denotat: aliæ duæ partes Ecclesiam Triumphantem, in Purgatorij scilicet, & Paradisi statu designant. Sed juxta D. Thomam, particula in Sanguine immersa Christum triumphantem significat: & illa, quam Sacerdos absumit, Corpus Christi conversantis designat: tertia denique, quæ in transactis sæculis usque ad finem Missæ conservabatur, quod & Græci adhuc observant, Christi Corporis in Sepulchro symbolum est. Item hæ tres hostiæ partes significant Divinitatem, Animam, & Corpus Christi. In Missa Mozarabica hostia in novem partes dividitur in memoriam novem præcipuorum mysteriorum Vitæ Christi. Ex parte inferiori hostiæ debet sumi particula in calicem mittenda, ut praxis docet, quamvis alij dicant, debere sumi ex parte superiori. In feria 6. Parasceves, quando Sacerdos mittit prædictam particulam in calicem, non debet facere consuetas cæremonias in illius orificio. *S.Cong.Rit.* 28.*Aug.* 1627. Honorius III. Ann. 1220. jussit, ut in hostia imago Crucifixi imprimeretur. Posteà Sacerdos communicat sub utraque specie, juxta illud *Joann. 6. v. 54. Nisi manducaveritis Carnem Filij hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et licet aliquando etiam non Sacerdoti-

bus fuisset præcepta Communio sub utraque specie. *C.* 12. *de Conf. D.* 2. in odium hæresis Manichæorum, qui abstinebant à calice, eo quod dæmoni originem vini, ut rei perniciosæ tribuerent, postea verò, ut aboleretur hæresis asserentium utriusque speciei sumptionem esse Juris Divini: & ut magis declararetur sub qualibet specie totum Christum contineri, Ecclesia Laicis, & non Sacerdotibus usum calicis prohibuit. *Trid. sess.* 21. *cap.* 1. *Et Can.* 1. & patet ex communi Ecclesiæ praxi, licet Græci adhuc calicis usum habeant, & Romæ eo utantur in Ecclesia proprij Ritus. Et hujusmodi calices fortè sunt, qui aliquando *minores*, seu *ministeriales* appellantur. Posteà sequitur quædam Antiphona à D. Gregorio instituta, olim *transitorium*, & hodie *Communio* dicta, & in choro canebatur, dum communio distribuebatur fidelibus. Et quidem tunc, & non alias distribui debet, ut cavetur in Rituali Romano, ibi: *Communio autem Populi intra Missam statim post communionem sacerdotis celebrantis fieri debet, nisi quandoque ex rationabili causa, post Missam sit facienda, cum orationes, quæ in Missa post communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.* Et ideò in Sabbato Sancto, quia communio Populo non fit hæc antiphona non dicitur. Quando Episcopus dat fidelibus communionem, priusquam eam accipiant ejus manum osculantur. Licet Sacerdos, quando celebrat seipsum communicet, tamen quando Papa solemnitèr celebrat, ei Sacrosancta hostia defertur à Subdiacono stante ad lævam Pontificis, qui in sublimi throno, incurvatus tamen, communionem sumit. De quo ait *D. Bonavent.* Christus in communi, & omnibus videntibus passus est, unde Papa, quando sumit Corpus Christi in Missa solemni, sumit omnibus videntibus: nam sedens in Cathedra convertit se ad Populum. Deinde, quadam fistula aurea (quæ benedicenda est) Sanguinem consecratum attrahit, & sumit. Communio Laicalis, ad quam ob pœnitentiam aliquando Clerici damnabantur. *C.* 1. 1. *q.* 7. vel est communio sub una tantum specie, panis scilicèt, vel est sola participatio in orationibus Laicorum, cum quibus Clerici pœnitentes in Ecclesia collocabantur. *Macri, V. Communio Laica.* Populus postea dimittitur per ea verba: *Ite Missa est*, quæ denotant dimissionem Apostolis ab Angelis factam, quando illi post Ascensionem Christi stabant admirantes in Cœlum. *Act.* 1. *v.* 10. Hæc aliquando omittuntur, dicto eorum loco: *Benedicamus Domino*, quando scilicèt non dicitur Gloria. Vel quia Populus non credebatur adesse, ut in ferijs, vel ratione mœstitiæ. Olim tamen *Ite Missa est* post benedictionem Sacerdotis dicebatur. In fine quidem Evangelium S. Joannis dicitur, nisi forte in Matutino sit recitata nona Lectio de Evangelio cum homilia, v.g. de Dominica: quippè tunc illud Evangelium in fine Missæ dicitur.

383 Defectus in Missa ex varijs capitibus procedunt, quibus proindè sic in Rubricis providetur. Si celebrans ante consecrationem advertit, hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa hostia, aliam ponat, & facta oblatione, saltem mente concepta, prosequitur ab eo loco ubi desivit. Si adverterit post consecrationem, etiam post illius hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, & à consecratione incipiat, scilicèt, ab illis verbis: *Qui pridie, quam pateretur*: & illam priorem, si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis, & Sanguinis: vel alij sumendam tradat, vel alicubi reverentèr conservet. Si autem sumpserat: nihilominùs sumat eam, quam consecravit: quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis, quam quod à jejunis sumatur. Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis, & vinum cum aqua: & facta prius oblatione, ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie*: ac statim sumat utrumque, & prosequatur Missam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, & ut debitus servetur ordo. Si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri, tunc altera consecretur ab eò loco, incipiendo: *Qui pridie, quam pateretur*, facta prius oblatione, ut supra. Si celebrans ante consecrationem Sanguinis, quamvis post consecrationem Corporis advertat, aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in calice, debet statim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo.* Si post verba consecrationis advertat, vinum non fuisse positum, sed aquam, deposita aqua, in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, & consecret, resumendo à verbis prædictis: *Simili modo.* Si hoc advertat post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ, apponat aliam hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in calice

offe-

offerat utrúmque, & consecret, & sumat, quamvis non sit jejunus. Vel si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere, & prosequi cætera. Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel aliàs corruptum, idem servetur quod supra, ac si deprehenderet, non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in calice. Si autem celebrans ante consecrationem calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti. Si materia, quæ esset apponenda ratione defectus, vel panis, vel vini non posset ullo modo haberi, si id fit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet. Si post consecrationem Corporis, aut etiam vini deprehenditur defectus alterius speciei altera jam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, & Missa absolvenda, ita tamen, ut prætermittantur verba, & signa, quæ pertinent ad speciem deficientem. Quod si expectando aliquamdiu, haberi possit, expectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum. Si celebrans non recordetur, dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certò ei constet, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, & cætera prosequatur per ordinem. Si verò valdè probabiliter dubitet, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione. Si autem non sit de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius. Si Sacerdos putans, se tenere unam hostiam post consecrationem invenerit, fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. Quod si deprehendat post sumptionem Corporis, & Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem Sacrificium spectant. Si verò relicta sit hostia integra consecrata eam in Tabernaculo cum alijs reponat. Si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo in altari supra corporale decenter opertam, sumendam una cum altera, quam est consecraturus, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso calice, seu patena decenter conservet, quousque in Tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur. Quod si non habeat, quomodo honestè conservetur, potest eam ipsemet sumere. Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur, se esse in peccato mortali; conteratur cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Si recordetur se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum; similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam incœptam deserere. Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os degluttiatur stilla aquæ præter intentionem. Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, & in ultima tantum percipiat purificationem.

384 Si Sacerdote celebrante, violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa: si post consecrationem corporis tantum, ante consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato id acciderit, Missa per alium Sacerdotem expleatur, ab eo loco, ubi ille desijt, & in casu necessitatis, etiam per non jejunum. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeò tamen ut possit communicare, & non adsit alia hostia consecrata, Sacerdos, qui Missam supplet, dividat Hostiam, & unam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma corporis obijt Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur. Si verò obierit semiprolata forma sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, & super eundem Calicem repetat integram formam ab eo loco: *Simili modo postquam cœnatum est.* Vel posset super aliam Calicem præparatum integram formam proferre, & Hostiam primi Sacerdotis, & sanguinem à se consecratum sumere, ac deinde Calicem relictum semiconsecratum. Si quis autem extra hujusmodi casus necessitatis integra Sacramenta non sumpserit, gravissimè peccat. Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante consecrationem projiciat vinum in locum decentem; & aliud ponat in Calice, misceat

ceat parum aquæ, offerat, ut supra, & prosequatur Missam. Si post consecratio, nem ceciderit musca, aut aliquid ejusmodi; & fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, & lavet cum vino, finita Missa comburat, & combustio, ac lotio hujusmodi in Sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum sanguine. Si aliquid venenosum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum, & finita Missa sanguis repositus in panno lineo, vel stuppa tandiu servetur, donec species vini fuerint desiccatæ, & tunc stuppa comburatur, & combustio in Sacrarium projiciatur. Si aliquid venenatum contigerit Hostiam consecratam, tunc alteram consecret, & sumat modo, quo dictum est, & illa servetur in Tabernaculo, loco separato, donec species corrumpantur, & corruptæ deindè mittantur in Sacrarium. Si sumendo sanguinem particula remanserit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, & sumat ante purificationem, vel infundat vinum, & sumat. Si Hostia ante consecrationem inveniatur fracta, nisi Populo evidentèr appareat, talis Hostia consecretur: si autem scandalum Populo esse possit, alia accipiatur, & offeratur: quod si illius Hostiæ jam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quod si ante oblationem Hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit. Si propter frigus, vel negligentiam Hostia consecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo cæremonias, & signa consueta cum residua parte Hostiæ, quæ non est madefacta sanguine, si commodè potest: si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat, omittendo signa, & sumat pariter Corpus, & Sanguinem signans se cum Calice dicens, Corpus, & Sanguis Domini Nostri, &c. Si in hieme Sanguis congeletur in Calice involvatur Calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodò in Calicem non intret, donec liqueliat. Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, siquidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, & locus ipse radatur quantum satis est, & abrasio comburatur, cinis vero in Sacrarium recondatur. Si vero super lapidem Altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, & locus bene abluatur, & ablutio in Sacrarium projiciatur. Si super linteum Altaris, & aliud linteum stilla pervenerit, si usque ad tertium: lineamina tèr abluantur, ubi stilla ceciderit Calice supposito, & aqua ablutionis in Sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solo corporali, aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ceciderit, debet similitèr ablui, & ablutio in Sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ut supra. Si contingat, totum sanguinem post consecrationem effundi, siquidem aliquid, vel parum remansit, illud sumatur, & de effuso reliquo sanguine fiat, ut dictum est: si vero nihil omninò remansit, ponat iterùm vinum, & aquam, & consecret ab eo loco: *Simili modo postquam cœnatum est*. Facta prius tamen Calicis oblatione, ut supra. Si Sacerdos evomat Eucharistiam, si species integræ appareant reverentèr sumantur, nisi nauseat fiat, tunc enim species consecratæ cautè separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & postea in Sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in Sacrarium mittantur. Si Hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, & locus ubi cecidit mundetur, & aliquantulum abradatur, & pulvis, seu abrasio hujusmodi in Sacrarium immittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa, vel linteum hujusmodi diligentèr lavetur, & lotio ipsa in Sacrarium effundatur. Hucusque Rubricæ. Si fragmentum Hostiæ in interiores partes vestis mulieris cadat, ipsa mulier modestè invenire curet; si non inveniat, Sacerdos Deo fragmentum commendet, & Missam prosequatur; si inveniat, proprijs digitis in pyxidem mittat, lavet digitos, & lotionem projiciat in Sacrarium, si supra pectus mulieris cadat, ipsa modestè lavet. Si solus Sacerdos fragmentum cecidisse advertat, & probabilitèr prævideat mulieris notabilem turbationem, vel offensionem adstantium, nihil Sacerdos dicat, sed Deo commendet. Si Sacerdos post sumptionem advertat, species à se sumptas esse veneno infectas, potest vomitum provocare, posteaque vomitum servare, & comburere. Sic *Felix Potestas, tom. 1. p. 1. ex n. 373.* Defectus vero, qui non sunt circa Missæ substantiam non sunt supplendi, si jam Sacerdos longè est progressus, vel debeat Missæ ordinem invertere. Hinc, qui

... Gloria, vel Credo omittit, cum dici deberet, non repetet, etiamsi statim post *Dominus vobiscum, vel oremus* advertat, quamvis alij longiorem requirant; & meritò, progressionem. In dubio tamen an aliquid non essentiale omiserit; nihil repetet, consultum autem est repetere; si aliquid grave est, & non longè processit. Demum tanquam regula generalis habendum est, quod tunc Sacerdos consideret, quidnam videatur esse minus incommodum, & hoc bona fide faciat. Sic ex *D. Thom. Suar. & alijs. Lacr. lib. 6. p. 2. num. 533.*

385 Audiamus nunc Theologiæ lumen splendidissimum, Divum Thomam scilicèt, qui mirabili comprehensione, & modo sanè Angelico, prout solet, altissima hujus sacrificij mysteria exSacra Scriptura, Patribus, & Doctoribus accuratissimè explanat, ejus verba ad litteram dabo, quippè nec luculentiùs, nec breviùs tanta arcana valent explicari: & quia vix sine injuria tàm præclaro Magistro aliquid detrahi potest. Sic enim *in 3. p. q. 83. art. 4.* ait. *Respondeo dicendum, quod, quia in hoc Sacramento totum mysterium nostræ salutis comprehenditur, ideo præcæteris Sacramentis cum majori solemnitate agitur. Et quia scriptum est Eccles. 4. Custodi pedem tuum ingrediens domum Domini. Et Eccles. 18. Ante orationem præpara animam tuam: ideò ante celebrationem hujus mysterij, primo quidem præmittitur præparatio quædam ad digne agenda ea, quæ sequuntur. Cujus præparationis prima est laus Divina, quæ fit in introitu, secundum illud Psalm. 49. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. Et sumitur hoc, ut pluries de psalmis, vel saltem cum psalmis cantatur: quia ut Dionysius dicit in tertio cap. Eccles. Hierarch. Psalmi comprehendunt per modum laudis quidquid in Sacra Scriptura continetur. Secunda pars continet commemorationem præsentis miseriæ, dum misericordia petitur dicendo: Kyrie eleison, tèr quidem pro persona Patris, tèr autem pro persona Filij, cum dicitur Christe eleison: & tèr pro persona Spiritus Sancti, cum subditur Kyrie eleison, contra triplicem miseriam ignorantiæ, culpæ, & pœnæ. Vel ad significandum, quod omnes personæ sunt in se invicem. Tertia autem pars commemorat cœlestem gloriam, ad quam tendimus post præsentem vitam, & miseriam dicendo: Gloria in excelsis Deo: quæ cantatur in festis, in quibus commemoratur cœlestis gloria. Intermittitur autem in officijs luctuosis, quæ ad commemorationem miseriæ pertinent. Quarta autem pars continet orationem, quam Sacerdos pro Populo facit, ut digni habeantur tantis mysterijs. Secundo autem præmittitur instructio fidelis Populi: quia hoc Sacramentum est mysterium fidei. Quæ quidem instructio dispositivè quidem fit per doctrinam Prophetarum, & Apostolorum, quæ in Ecclesia legitur per Lectores, & Subdiaconos. Postquam lectionem cantatur à Choro Graduale, quod significat profectum vitæ: & Alleluya, quod significat spiritualem exultationem. Vel tractus in officijs luctuosis, qui significat spiritualem gemitum. Hæc enim consequi debent in Populo ex prædicta doctrina. Perfectè autem Populus instruitur per doctrinam Christi in Evangelio contentam, quæ à Summis Ministris legitur, scilicèt, à Diaconibus. Et quia Christo credimus, tanquam divinæ veritati (secundum illud Joannis 8. si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?) lecto Evangelio, symbolum fidei cantatur, in quo Populus ostendit, se per fidem Christi doctrinæ assentire. Cantatur autem hoc symbolum in festis, de quibus fit aliqua mentio in symbolo, sicut in festis Christi, & Beatæ Virginis, & Apostolorum (qui hanc fidem fundaverunt) & alijs hujusmodi. Sic igitur Populo præparato, & instructo, consequentèr acceditur ad celebrationem mysterij, quod quidem, & offertur, ut sacrificium, & consecratur, & sumitur, ut Sacramentum. Unde primo peragitur oblatio, secundò consecratio materiæ oblatæ, tertio ejusdem perceptio.*

Circa oblationem vero duo aguntur, scilicèt laus Populi in cantu offertorij (per quod significatur lætitia offerentium) & oratio Sacerdotis, qui petit, ut oblatio Populi sit Deo accepta: unde 1. Paralipom. 29. dixit David. Ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc, & Populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Et posteà erat dicens: Domine Deus custodi hanc voluntatem. Deindè circa consecrationem, quæ supernaturali virtute agitur, primo excitatur Populus ad devotionem Præfatione: Unde, & monetur, sursum corda habere ad Dominum. Et ideò finita præfatione Populus devotè laudat Divinitatem Christi cum Angelis dicens: Sanctus, Sanctus, Sanctus: & humanitatem cum pueris dicens: benedictus, qui venit. Deindè Sacerdos secretò commemorat, primo quidem, pro quibus hoc sacrificium offertur, scilicet, pro universali Ecclesia, & pro his, qui in sublimitate sunt constituti. Timot. 2. & specialitèr quosdam, qui offerunt, vel pro quibus offertur. Secundò commemorat Sanctos, quorum patro-

clnia implorat pro prædictis cum dicit; communicantes, & memoriam venerantes, &c. Tertio petitionem concludit, cum dicit, ut hæc oblatio sit illis, pro quibus offertur, salutaris. Deindè accedit ad ipsam consecrationem, in qua primo petit consecrationis effectum, cum dicit: quam oblationem tu Deus, &c. Secundo consecrationem peragit per verba Salvatoris, cum dicit: qui pridiè, &c. Tertio excusat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cum dicit: Unde & memores. Quartò petit, hoc sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cum dicit: supra quæ propitio, &c. Quintò petit hujus sacrificij, & Sacramenti effectum. Primo quidem, quantum ad ipsos sumentes, cum dicit. Supplices te rogamus. Secundo, quantum ad mortuos, qui jam sumere non possunt, cum dicit: Memento etiam Domine, &c. Tertio specialitèr quantum ad ipsos Sacerdotes offerentes, cum aiet: Nobis quoque peccatoribus. Deindè agitur de perceptione Sacramenti. Et primò præparatur Populus ad percipiendum: primò quidem per orationem communem totius Populi (quæ est oratio Dominica, in qua petimus panem quotidianum nobis dari) & etiam privatam, quam specialiter Sacerdos pro Populo offert, cum dicit: Libera nos, quæsumus Domine, &c. Secundo præparatur Populus per pacem, quæ datur, dicendo: Agnus Dei. Est enim hoc Sacramentum unitatis, & pacis, ut supradictum est. In Missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur, non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur. Deindè sequitur perceptio Sacramenti, primo percipiente Sacerdote, & postmodum alijs dante: quia ut Dionysius dicit tertio cap. Eccles. Hierarc. Ille, qui alijs Divina tradit, primo debet ipse particeps esse. Ultimo autem tota Missæ celebratio in gratiarum actione terminatur, Populo exultante pro sumptione mysterij (quod significat cantus post Communionem) & Sacerdote per orationem gratias offerente, sicut & Christus celebrata Cœna cum Discipulis hymnum dixit, ut dicitur Matth. 26.

386 Et posteà in art. 5. ait: Resp. dicendum, quod in Sacramentis dupliciter aliquid significatur, scilicet, verbis, & factis, ad hoc quod sit perfectior significatio. Significantur autem verbis in celebratione hujus Sacramenti quædam pertinentia ad Passionem Christi, quæ repræsentantur in hoc Sacramento: vel etiam ad Corpus mysticum, quod significatur in hoc Sacramento: & quædam pertinentia ad usum hujus Sacramenti, qui debet esse cum devotione, & reverentia. Et ideò in celebratione hujus mysterij quædam aguntur ad repræsentandam Passionem Christi, vel etiam dispositionem Corporis mystici: & quædam aguntur pertinentia ad devotionem, & reverentiam hujus Sacramenti. Ad 1. ergo dicendum, quod ablutio manuum fit in celebratione Missæ propter reverentiam hujus Sacramenti: & hoc dupliciter. 1. quidem quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus, nisi manibus ablutis: unde indecens videtur, quod ad tantum Sacramentum aliquis accedat manibus, etiam corporalitèr inquinatis. 2. propter significationem, quia ut Dionys. dicit. 3. Eccles. Hierar. Extremitatum ablutio significat emundationem, etiam à minimis peccatis secundum illud Joan. 3. qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet. Et talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad hoc Sacramentum. Quod etiam significatur per confessionem, quæ fit ante introitum Missæ. Et hoc quidem significabat ablutio Sacerdotum in Veteri Lege, ut ibidem Dionis. dicit. Nec tamen Ecclesia hoc servat tanquam Cæremoniale Veteris Legis præceptum: sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut quiddam secundum se conveniens. Et ideò non eodem modo observat, sicut tunc: prætermittitur enim pedum ablutio, & servatur ablutio manuum, quæ potest fieri magis in promptu, & quæ sufficit ad significandam perfectam mundationem, cum enim manus sit organum organorum (ut dicitur 3. de Anima) omnia opera attribuuntur manibus, unde in Psalmo 23. dicitur. Lavabo inter innocentes manus meas. Ad 2. dicendum, quod etiam thurificatione non utimur, quasi cæremoniali præcepto Legis, sed sicut Ecclesiæ statuto: unde non eodem modo utimur, sicut in Lege Veteri erat statutum: pertinet autem ad duo. 1. quidem ad reverentiam hujus Sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporalitèr pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem. 2. pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ, qua sicut bono odore Christus plenus fuit (secundum illud Genes. 27. Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni) & à Christo derivatur ad fideles Officio Ministrorum, secundum illud 2. Corint. 2. odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco: & ideò undique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem. Ad 3. dicendum, quod Sacerdos in celebratione Missæ utitur Cruce signatione ad exprimendam Passionem Christi, quæ ad Crucem est terminata. Est autem Passio Christi quibusdam quasi gradibus peracta. Nam 1. fuit Christi traditio, quæ facta est à Deo Juda, & Judæis, quod signi-

nificat trina Cruce signatio super illa verba : Hac dona , hac munera , hac sancta sacrificia illibata. 2. *fuit Christi venditio: est autem venditus Sacerdotibus , Scribis , & Pharisæis : ad quod significandum fit trina Cruce signatio super illa verba: Benedictam, adscriptam , ratam. Vel ad ostendendum pretium venditionis , scilicet triginta denarios. Additur autem , & duplex Crux super illa verba : Ut nobis Corpus , & Sanguis , &c. ad designandam personam Judæ venditoris , & Christi venditi.* 3. *autem fuit præsignatio Passionis Christi facta in Cœna : ad quod designandum fiunt tertio duæ Cruces, una in consecratione Corporis , alia in consecratione Sanguinis , ubi utrobique dicitur benedixit.* 4. *autem fuit ipsa Passio Christi: unde ad repræsentandum quinque plagas Christi fit quartò quintuplex Cruce signatio super illa verba : Hostiam puram , Hostiam sanctam , Hostiam immaculatam , panem sanctum vitæ æternæ , & Calicem salutis perpetuæ.* 5. *repræsentatur extensio Corporis , & effusio Sanguinis , & fructus Passionis per trinam Christi signationem , quæ fit super illis verbis: Corpus, & Sanguinem sumpserimus omni benedictione , &c.* 6. *repræsentatur triplex oratio , quam fecit in Cruce : unam pro persecutoribus , cum dixit: Pater ignosce illis. Secundam pro liberatione à morte , cum dixit : Deus meus, Deus meus , ut quid dereliquisti me? Tertia pertinet ad adeptionem gloriæ , cum dixit : Pater , in manus tuas commendo Spiritum meum. Et ad hoc significandum fit trina Cruce signatio super illa verba : Sanctificas , vivificas, benedicis , &c.* 7. *repræsentantur tres horæ, quibus pependit in Cruce , scilicet , à sexta usque ad horam nonam : & ad hoc significandum fit iterum trina Cruce signatio ad illa verba per ipsum , & cum ipso , & in ipso.* 8. *repræsentatur separatio Animæ à Corpore per duas Cruces subsequentèr extra Calicem factas.* 9. *autem repræsentatur Resurrectio tertia die facta per tres Cruces, quæ fiunt ad illa verba : Pax Domini sit semper vobiscum. Potest autem brevius dici, quod consecratio hujus Sacramenti , & acceptatio hujus sacrificij , & fructus ipsius procedit ex virtute Crucis Christi , & ideò ubicumque fit mentio de aliquo horum Sacerdos Cruce signatione utitur. Ad.* 4. *dicendum , quod Sacerdos post consecrationem non utitur Cruce signatione ad benedicendum, & consecrandum , sed solum ad commemorandam virtutem Crucis , & modum Passionis Christi , ut ex dictis patet. Ad* 5. *dicendum, quod ea , quæ Sacerdos in Missa facit , non sunt ridiculosæ gesticulationes : fiunt enim ad aliquid repræsentandum. Quod enim Sacerdos brachia extendit post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in Cruce , levat etiam manus orando ad designandum , quod oratio ejus dirigitur pro Populo ad Deum secundum illud Thren.* 3. *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in Cœlos. Exod.* 17. *dicitur , quod cum levaret Moyses manus,vincebat Israel. Quod autem manus interdum jungit , & se inclinat , est suppliciter , & humilitèr orantis, & designat humilitatem , & obedientiam Christi , ex qua passus est. Digitos autem jungit post consecrationem , scilicet , pollicem cum indice , quibus Corpus Christi consecratum tetigerat , ut si qua particula digitis adhæserit , non dispergatur , quod pertinet ad reverentiam Sacramenti. Ad* 6. *dicendum , quod quinquies se Sacerdos vertit ad Populum ad significandum , quod Dominus die Resurrectionis quinquies se manifestavit. Salutat autem septies Populum , scilicèt , quinque vicibus , quibus se convertit ad Populum , & bis , quando se non convertit (scilicèt cum ante Præfationem dicit, Dominus vobiscum : & cum dicit , Pax Domini sit semper vobiscum) ad designandam septiformem gratiam Spiritus Sancti. Episcopus autem celebrans in festis in prima salutatione dicit : Pax vobis : quod post Resurrectionem Discipulis dixit Dominus , cujus personam repræsentat præcipuè Episcopus. Ad* 7. *dicendum , quod fractio Hostiæ tria significat.* 1. *quidem ipsam divisionem Corporis Christi , quæ facta est in Passione.* 2. *distinctionem Corporis mystici secundum diversos status.* 3. *distributionem gratiarum procedentium ex Passione Christi, ut Dionysius dicit* 5. *cap. Eccles. Hierarc. unde talis fractio non inducit divisionem Christi. Ad* 8. *dicendum , quod sicut Sergius Papa dicit (&* habetur *in C. Triforme , de Cons. D.* 2.) *triforme est Corpus Domini , pars oblata in Calicem Missa Corpus Christi , quod jam resurrexit , monstrat , scilicèt , ipsum Christum , & B. Virginem , vel si qui alij sancti cum Corporibus jam sunt in gloria : pars comesta ambulans adhuc super terram , quia scilicèt , viventes in terra Sacramento utuntur , & passionibus conteruntur , sicut , & panis comestus conteritur : pars in altari usque ad finem Missæ remanens est corpus in sepulchro , quia usque in finem sæculi corpora sanctorum in sepulchris erunt , quorum tamen animæ sunt , vel in Purgatorio , vel in Cœlo. Hic tamen Ritus non servatur modo , ut scilicèt una pars servetur usque in finem Missæ propter periculum , manet tamen eadem significatio partium , quam quidam*

dam metricè expresserunt dicentes: Hostia dividitur in partes tincta beatos plenè sicca notat vivos servata sepultos. Quidam tamen dicunt, quod pars in Calicem Missa significat eos, qui vivunt in hoc Mundo: pars autem extra Calicem servata significat plenè beatos, scilicèt, quantum ad animam, & corpus, pars autem comesta significat cæteros. Ad 9. dicendum, quod per Calicem duo possunt significari. Uno modo ipsa Passio Christi, quæ repræsentatur in hoc Sacramento: & secundum hoc per partem in Calicem Missam significantur illi, qui adhuc sunt participes Passionum Christi. Alio modo potest significari fruitio beata, quæ etiam in hoc Sacramento præfiguratur. Et ideò illi, quorum corpora jam sunt in plena beatitudine significantur per partem in Calicem Missam. Et est notandum, quod pars in Calicem Missa non debet Populo dari in supplementum Communionis, quia panem intinctum non porrexit Christus, nisi Judæ proditori. Ad 10. *dicendum, quod vinum ratione suæ humiditatis est ablutivum, & ideò sumitur post sumptionem hujus Sacramenti ad abluendum os, ne aliquæ reliquiæ remaneant, quod pertinet ad reverentiam Sacramenti. Unde in C. Ex parte,5. de Celebrat. Missar. Semper Sacerdos os perfundere debet postquam totum percepit Eucharistiæ Sacramentum, nisi cum eodem die, aliam Missam debuerit celebrare, ne fortè vinum perfusionis acciperet celebrationem aliam impediret. Et eadem ratione perfundit vino digitos, quibus Corpus Christi tetigerat. Ad* 11. *dicendum est, quod veritas, quantum ad aliquid debet respondere figuræ: quia scilicet non debet pars Hostiæ consecratæ; de qua Sacerdos, & Ministri, vel etiam Populus communicat in crastinum reservari. Unde ut habetur in C. Tribus gradibus, de Cons. D.* 2. *Clemens Papa statuit, quod tanta holocausta in altari offerantur, quanta Populo sufficere debeant: quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore, & tremore Clericorum diligentia consumantur. Quia tamen hoc Sacramentum quotidie sumendum est, non autem agnus Paschalis quotidie sumebatur, ideò oportet, alias Hostias consecratas pro infirmis conservare. Unde in C. Presbyter, de Conf. D.* 2. *legitur. Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine Communione moriatur. Ad* 12. *dicendum, quod in solemni celebratione Missæ plures debent adesse: Unde Soter Papa dicit, ut habetur in C. Hoc quoque, de Conf. D.* 2. *Hoc quoque statutum est, ut nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur: Dominus vobiscum: & illud in secretis, orate pro me apertissimè convenit, ut ipsius respondeatur salutationi. Unde & ad majorem solemnitatem ibidem statutum legitur, quod Episcopus cum pluribus Missarum solemnia peragat. In Missis tamen privatis sufficit, unum habere Ministrum, qui geris personam totius Populi Catholici, ex cujus persona Sacerdoti pluralitèr respondet. Sic Angelicus Praeceptor.* Insuper sciendum est, quod oratio: *Libera nos quæsumus.* Secreto dicitur ad denotandum silentium tempore sepulturæ Christi. In die tamen Veneris Sancti alta voce pronuntiatur ad significandam manifestam Salvatoris victoriam. Hæc oratio aliquando *Embolismus* dicitur. Latius hæc mysteria prosequitur Magnus Suarez, *fama super æthera notus*, qui & ab ipso Ecclesiæ Capite Doctor Eximius indigitari meruit, & certè Theologorum nostræ Societatis Coriphæus habetur, maximè hodie, quando ejus doctrina in monte sapientiæ, id est, Universitatis Salmantinæ collocata publice pro rostris legitur, & quaqua versus irradiat.

387 Sed ne cæremoniæ, quibus nostri Reges, Pro-Reges Indiarum, quin & Philippinarum Gubernatores utuntur, dum Missis solemnibus assistunt, ne inquam penitus ignorentur, apponere necessarium duxi litteram. *Text. in L.* 10. *tit.* 15. *lib.* 3. *R. Ind.* ibi: *A los Virreyes de las Indias, por su cargo, y dignidad es debido el uso, y observancia de las mismas ceremonias, que se hacen à nuestra Real persona dentro, y fuera de nuestra Capilla. Y para que tengan noticia de las que son, mandamos, que sean expressadas en la forma siguiente. Quando vamos à alguna Ciudad, ò Villa, donde huviere Iglesia Cathedral, ò Colegial, la primera vez, que entramos en ella, sale el Cabildo de la Iglesia con Cruz alta a recibirnos, y no permitimos que salgan fuera de la Iglesia, sino que dentro de ella seis, ò siete passos de la puerta principal està el Obispo con Capa, y Cruz en la mano, y se pone una alfombra, y almohada, donde nos arrodillamos para besar la Cruz de mano del Obispo, ò Presidente, y de alli và el Cabildo en Procession, llevando Cruz alta hasta el Altar, y lo demas se hace conforme al Ceremonial, y lo mismo se guarda en los Conventos de Religiosos. Este recibimiento no se hace mas que la primera vez, que entramos en una Iglesia; y aunque despues vamos*

mos muchas veces à ella, no somos recebido en esta forma, sino despues de alguna ausencia de largo tiempo, que entonces nos hacen el mismo recibimiento. Quando vamos à Missa à nuestra Capilla, no salen los Capellanes à recibirnos, ni hacen mas que levantarse de sus assientos, y hacer genuflexion profunda, sin llegar à tierra, quando vamos passando à la cortina. Para la confession de la Missa salen dos Capellanes, y haciendo genuflexion en la misma forma, sin llegar à tierra, se ponen de rodillas junto à la cortina, y nos dicen la confession: y si es Prelado el que la dice, esta en pie, aunque estemos de rodillas. La Gloria nos la vienen à decir. Al Credo de la Missa estamos en pie, y los Capellanes, que salen à decirle, llegan à la cortina; y haciendo genuflexion profunda, dicen el Credo en pie, porque Nos estamos assi; y al Et Homo factus est, *nos ponemos de rodillas con los Capellanes, aunque alguno sea Prelado, y se levantan luego, y acabado el Credo, haciendo la misma genuflexion, buelven à su assiento. Al Evangelio trae el Diacono el Missal abierto; y por llevar el Texto descubierto, sin hacer humillacion mas de parar un poco antes de la cortina, llega, y nos le da à besar; y dando dos passos atràs, por haverle cerrado, hace su humillacion profunda. El Ministro, que nos trae la paz, no hace mas humillacion, que baxarse à darla, por estar Nos de rodillas; y dada, se retira dos passos atràs, y en lugar de humillarse, se para un poco, y và al Altar. Esto se hace por la Imagen, ò Cruz, que està en el Portapaz. Los dias de la Purificacion, y Domingo de Ramos, se dàn las Candelas, y palmas primero à todo el Clero, y despues salimos de la cortina hasta la grada del Altar a recibir del Preste la Candela, ò Palma; y haciendo reverencia nos bolvemos à la cortina. El dia de Ceniza la toma primero el Clero, hasta los Cantores, que vàn en habito Clerical, y despues salimos de la Cortina a la grada del Altar, donde nos tienen puesta una almohada, y nos ponemos de rodillas à tomar la Ceniza, y haciendo la reverencia, nos bolvemos a la Cortina; y luego la toman el Principe, si està alli, y los Grandes, y Cavalleros que se hallan presentes. El Viernes Santo, para la adoracion de la Cruz, và primero el Clero, y luego Nos, y los Grandes, y Cavalleros, que alli estàn, ordenamos, y mandamos, que assi se haga, y observe con los Virreyes del Perù, y Nueva España. Et in L.* 23. ejusdem Tituli, dicitur: *En las concurrencias de Obispo, y Governador à los Divinos Oficios dentro de la Iglesia; declaramos, que la aspersion de la Agua bendita antes de la Missa Mayor, se debe hacer primero al Obispo, y Clero juntos, y despues al Governador; y si el Obispo estuviere en la Capilla Mayor, se le darà la paz, y despues al Governador; y estando el Obispo en el Coro, saldran juntos dos Eclesiasticos, quales dispone el Ceremonial, y daran la Paz uno al Obispo, y otro al Governador.*

388 Missa sæpe dicitur *Liturgia* nomine Græco, quod publicum munus significat. Etiam appellatur *Anaphora*, *Doxologia*, *Mystagogia Thysia*, *Prosphera*, & *Ceremonia*. Deinde nomine Missæ aliquando non Missa, sed solemnitas, vel alia Divina officia significantur, ut notat *Macri in Hiero-Lexic.* V. *Missa*. Frequentissimè tamen *oblatio*, & *sacrificium* Missa nuncupatur. Et merito: nam hoc unicum sacrificium Legis novæ omnes sacrificiorum rationes perfectissimè continet. Est enim holocaustum, quia potissimum fit in recognitionem Divinæ excellentiæ: est propitiatorium, quia fit in satisfactionem peccatorum: est Eucharisticum, quia fit in recognitionem, & gratiarum actionem Passionis Christi, quæ fuit summum Dei beneficium, & fons omnium beneficiorum: est etiam impetratorium, quia in eo Christum offerimus in quo, & per quem omnia Divina beneficia sperare debemus. Sic *Doctor Eximius*. Sanè *Hostia* in genere dicitur, quod offertur, & sic nuncupatur ab hoste victo, nam post victoriam obtentam offerebatur. Hostia equidem in hoc sacrificio oblata est Corpus, & Sanguis Christi: quippè *una eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit sola offerendi ratione diversa. Trid. sess. 22. cap. 2. idem enim Christus continetur, & incruente immolatur, qui in Ara Crucis semel se ipsum cruente obtulit.* Offertur quidem prout existit sub speciebus panis, & vini, sub quibus habet rationem hostiæ Deo oblatæ. Unde species ad hoc sacrificium solum spectant tanquam id, sub quo offertur Hostia, & per quod redditur sacrificium sensibile: non vero tanquam pars rei, quæ offertur, cum verè non sint pars rei oblatæ, quamquam hujusmodi species intrinsecè pertineant ad rationem Sacramenti Eucharistiæ, cum sint pars signi sensibilis, tanquam per se significantes. Nec substantia panis, & & vini ad hoc sacrificium spectant tanquam res oblata, sed solum tanquam materia ex qua, transeunte, & destructa fit res oblata, & sine qua non fieret consecratio, & con-

conversio. Et in hoc sensu sunt intelligendi Patres, qui hoc sacrificium in materia, scilicèt, pane, & vino cum sacrificio Melchisedech convenire dicunt. Sacrificium vero formalitèr sumptum pro ipsa actione offerendi, & sacrificandi præcisè, & adæquatè stat in ipsa consecratione, sub utraque specie, quatenùs est positio Corporis, & Sanguinis Christi vi verborum sub speciebus panis,& vini. Ita ex *SS. Ambros. Cyprian.D.Thom.& alijs* probat *Suarez.* Nam sacrificium est externa, & sensibilis actio, qua res aliqua offertur, ut legitimo, ac solemni ritu in Dei honorem, & cultum aliquomodo immutetur à publico, & legitimo Ministro. Unde cum principalis offerens sit Christus, in illa actione hoc sacrificium consistet, quam Sacerdos ministerialis in persona Christi exercet:ac proindè consecratio, in qua solum Sacerdos in persona Christi loquitur, erit formalitèr, & præcisè sacrificium. Nec rationi sacrificij obest, quod consecratio non supponat, sed ponat ipsam hostiam, Christum nempè sub speciebus, ut ex sacrificio Thymiamatis liquet, in quo suffitus, seu vapor suave olens ipsa sacrificatione productus offerebatur. *Exod.* 25. & 35. Deindè: sola consecratio maximè sacrificium Crucis repræsentat,cum vi verborum Corpus Christi seorsim sub specie panis ponatur, velut occisum, & Sanguis sub specie vini, velut effusus. Unde à Patribus hæc separatio, quantum est vi verborum, mystica mactatio, & immolatio Christi nuncupatur, aptaque proindè,ut in ea ratio sacrificij consistat. Hinc cum Corpus, & Sanguis Christi per modum cibi, & potus ordinati ad consumptionem ponantur, & quidem eo fine, ut speciebus consumptis, vel corruptis ibi Christus esse desinat, datur utiquè sufficiens mutatio hostiæ ad rationem sacrificij; nec productiva tantum, sed aliquomodo destructiva, cum ponatur modo quodam mortuo, & ordinato ad destructionem, non quidem physicam, & perfectam, sed moralem, & imperfectam: quod sanè ad rationem sacrificij satis esse, constat ex libamine, quo vinum libabatur, & sacrificari solebat, non per physicam, sed per moralem destructionem, quatenus in terram effusum moralitèr destructum ad humanos usus censebatur. Quod sufficientèr efficit mutationem externam, & sensibilem ratione verborum, quibus constat, & vi quorum ponitur Corpus, & Sanguis Christi, sicut ratione specierum, sub quibus Corpus, & Sanguis Christi latent,fiunt sensibilia Corpus ipsum, & Sanguis, Prætereà: materia, ex qua fit res oblata, scilicèt, panis, & vinum realitèr mutantur, & convertuntur in Corpus, & Sanguinem Christi, unde resultat immutatio realis mediata rei oblatæ: quin & ipsa hostia immediatè immutatur, & quasi anihilatur, quatenùs novum modum existendi accipit, vi cujus ad punctum redigitur, quod quidem animo sacrificandi fieri debet ex institutione Christi, & cum intentione saltem confusa faciendi, quod Christus instituit. Et licet consecratio non sit oblatio explicita, & in actu signato, est tamen oblatio implicita, & in actu exercito, quod profectò ad sacrificium sufficit, ut in Lege veteri jugulatio, & combustio erat realis, & exercita oblatio ad rationem sacrificij certè sufficiens. Insuper sola consecratio aptissimè Deum demonstrat Authorem vitæ, & mortis, seu existentiæ, & non existentiæ omnium rerum, quippè qua adeò mirabilis fit conversio, ut Christus esse Sacramentale, quo antea carebat, accipiat. Et cum aliundè hæc consecratio vi suæ institutionis hanc mutationem faciat ad Dei cultum, & potestatem ejus supremi dominij in omne esse, & non esse rerum creatarum in memoriam cruenti sacrificij Crucis, habet quidquid ad rationem sacrificij communitèr necessarium censetur. Nec enim de absoluta ratione sacrificij est realis immutatio, vel destructio materiæ oblatæ: quia ex *Levit. cap.* 23. & 24. aliqua sacrificia sine tali immutatione facta constant. Et ipsum nomen sacrificij solum postulat, ut circa rem oblatam fiat aliquid factum: quippè sacrificium, juxta *Divum Isidorum*, est quasi *sacrum factum*; quo nempè recognosci valeat Divina Excellentia: quod non repugnat alio modo, quam per realem mutationem fieri. Sufficit namque aliquid sacrum fieri circa rem oblatam, quo censeatur moralitèr sanctificata, & destinata ad sacros usus. Hinc est, quod sacrificium non consistit in oblatione vocali consecrationem præcedente: quippè quæ non à Christo,qui juxta Trid.est offerens principalis, sed ab Ecclesia (& in qua non semper fuit) instituta est tanquam cæremonialis quædam præparatio. Neque item consistit in elevatione hostiæ, neque in oblatione post consecrationem facta, quippè quæ tantum ab Ecclesia, ut extrinseca deprecatio est instituta: nec in mixtione, aut fractione hostiæ: nam Christus mixtionem non fecit, & fractionem solum fecit ad usum distributionis, & verosimilius ante consecrationem, ut ex ordine Missæ deduci videtur. Nec item in consump-

sumptione, seu communione Sacerdotis: quippe sacrificium debet consistere in actione, per quam Sacerdos aliquid offerat, & per communionem solum accipit: præterquamquod sacrificium debet stare in actione, quam Sacerdos in persona Christi faciat per potestatem directè vi ordinationis acceptam, quod sanè in tali sumptione deest, licet aliunde hæc communio sit extrinsecum sacrificij complementum ex Christi præcepto necessarium: quod proindè non potest à Sacerdote omitti. *C. 11. de Conf. D. 2.* Et certe hæc actio non fit in persona Christi, sed fit à Sacerdote, ut membro Christi victimam oblatam participante. Unde Sacerdos Eucharistiam sumpturus eodem modo pro se, & pro alijs orat dicendo: *Ut quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus, omni benedictione Cœlesti, & gratia repleamur*, idcirco statim in propria persona dicit: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum*: consequenterque non repræsentat personam Christi, ac proindè nequit in tali actione sacrificium stare. Unde ait *D.Thom. in 3.p. q. 79. art. 5. Hoc Sacramentum simul est sacrificium, & Sacramentum: sed rationem sacrificij habet in quantum offertur, rationem autem Sacramenti in quantum sumitur.* Nec denique sacrificium stat in distributione, quæ fit communicantibus: siquidem ex *Trid. sess. 22. Can. 8.* & ex usu frequenti Ecclesiæ in pluribus Missis deest hæc distributio, in quibus dicere rationem sacrificij deficere, profectò esset insanire. In Parasceve quidem sacrificium non fit, cum consecratio desit, & tantum consumatur hostia sacrificio præcedentis diei immolatæ: sed ratione cæremoniarum, quæ cum cæremonijs sacrificij aliquomodo conveniunt, sacrificium objectivè, & impropriè tali die fieri dicitur. Demum jam in Lege veteri, & nunc sæpè in Ecclesia, præcipuè in Missis solemnibus thurificatur. Olim quidem incensatio altaris virtutem Altissimi supervenientem in Virginem significabat. Incensatio verò hostiæ unctionem Christi à Magdalena ante passionem factam denotat. Quin & Gentiles thure jam utebantur in Numinum reverentiam. Sic apud *Ovid. Metam. 14. Numinis instar eris semper mihi, meque fatebor, muneris esse tui, Templa tibi statuam, tribuam tibi thuris honores.* Thurificatio debet esse secundum majorem partem ex incenso, ut verificentur verba in benedictione, & incensatione prolata. Quando SS. Eucharistiæ Sacramentum incensatur non benedicitur incensum: secus si occasione Missarum celebrationis, aut Vesperarum altare incensetur, tunc enim incensum benedicitur, licet sit expositum Sacramentum. Nullus equidem, neque Legatus, neque Cardinalis, neque Episcopus; si non sint mitrati, incensantur in Missa, nisi semel, scilicèt, post oblata. Quando debet Papa sedendo incensari, tunc à Cardinali assistente genuflexo ob reverentiam Cathedræ, quæ est prima sedes, thurificatur. Quando verò erectus incensatur tunc idem Cardinalis, etiam erectus incensat. Trina incensatio uni tantum præstari debet, nempè digniori. *S. Cong. 11. Dec. 1604.* Quando incensatur altare à cornu sinistro incipitur. Deindè in *L. 13. tit. 15. lib. 3. R. Ind.* dicitur: *Si estuviere en uso incensar el Diacono à los Presidentes, quando assistieren à la Iglesia à los Divinos Oficios, se continue con los Successores, y guarde la costumbre: y en ningun caso se aya de incensar a las mugeres de los Presidentes, ni Oidores, ni darles la Paz.* Sacerdos etiam Sacramento exposito incensatur, juxta *Gavantum.*

389 Sacerdotes quidem Regulares non possunt ab Ordinarijs impediri, quominus in suis Ecclesijs Missas, & Divina Officia celebrent, etiam diebus Dominicis, & festis, etiam quando Parochi in suis celebrant Ecclesijs *ex Const. S.Pij V. Etsi Mendicantium*: possuntque campanæ pulsatione Populum convocare, etiam antequam Matricis campana pulsetur, Sabbato Sancto exceptò. Item fideles Missam in Regularium Ecclesijs audientes, præcepto utique satisfaciunt, quin obstet *Trid. sess. 22. in Decret. de Observand. in celebrat. Missæ*: nec possunt Regulares prohiberi in quibuscunque Ecclesijs celebrare. Exteri tamen, & peregrini Sacerdotes non debent ad celebrandum admitti, nisi exhibitis literis suorum Superiorum, vel Regularium, vel Episcopi, vel Vicarij Generalis, vel foranei. *Trid. sess. 22. in Decret. de Observ. in celebr. Missar.* Si Missa ex dispositione fundatoris in Ecclesia Regulari est celebranda, & non consentiat Superior, de Ordinarij licentia alibi celebrabitur. Nec potest Episcopus, nisi ad hoc speciali gaudeat privilegio, compellere Regulares ad exhibendos libros, in quibus Missæ annotantur, ut possit constare de adimpletione ultimæ voluntatis, vel legati pij. *S. Cong. 10. Mart. An. 1663. apud Pignat. tom. 3. consf. 9. n. 7.* cum à suis Superioribus visitentur. Nam *Cl. un. de Testament.* in qua Regulares Episcopo subjiciuntur, præcisè loquitur de Religiosis executoribus ulti-

ma-

marum voluntatum, minimè vero de illis, quibus executores committunt aliquas Missas celebrandas. Nec *Trid. sess.22. de Ref. cap.8. & 9.* Regulares comprehendit, sed ad alia loca pia exempta restringitur. *Pignat. n.9.* Sacerdos igitur Missam celebrans variè consideratur. 1. ut instrumentum Christi, qui est principalis consecrans, & cujus personam in sacrificio gerit Sacerdos. 2. prout est publicus Ecclesiæ Minister, nomine Ecclesiæ orans, & Deo hoc offerens sacrificium. 3. prout est persona privata suo nomine orans, & offerens, vel nomine illorum, qui ad hoc sacrificium specialitèr concurrunt, ut dantes eleemosynam, Ministri, adstantes, & audientes. Præterea in Missa multiplex invenitur fructus. 1. fructus personalis, quem ipse Sacerdos percipit ex ipsa celebratione, quem quidem alijs applicare non debet, nec potest. 2. fructus generalis, quem participant omnes fideles iàm vivi, quàm defuncti, præcipuè Missæ assistentes, nec aliter à Sacerdote potest applicari. 3. fructus medius, quem sanè applicat Sacerdos pro eo, pro quo offert sacrificium. Et licet pro hujus æstimatione nequeat pecuniam percipere. C.tot. 1. q. 1. potest tamen eleemosynam tanquam sustentationis stipendium recipere: quippè qui Altari servit, de Altari vivere debet. *C. 16. de Præbend.* Et regularitèr potest accipere id, quod Lex, consuetudo, vel fundatio taxavit. Et profectò hoc sacrificium potest offerri pro fidelibus vivis, & defunctis. *Trid. sess.22. de Sacrif. Missæ. Can. 3.* & quidem pro fidelibus, etiam peccatoribus, quin etiam pro Energumenis: nam *in Conc. Illiberit. Can. 3.* Solum prohibetur, ne prædicti huic sacrificio ministrent, aut eorum nomina inter Missarum solemnia recitentur. Potest item offerri pro catechumenis, & infidelibus, cum non sint incapaces fructus hujus sacrificij per modum impetrationis. Et licet publicè non possit pro excommunicatis vitandis offerri, potest tamen in memento fieri privata oratio pro ipsis. Certeque potest offerri pro defunctis in Purgatorio existentibus, ut ab illis pœnis solvantur: pro damnatis tamen nequit offerri, siquidem ipsi incapaces sunt omnis fructus, & effectus hujus sacrificij. Pro Beatis vero potest, ut Eucharisticum in gratiarum actionem offerri, non tamen ut propitiatorium est. Latè *Suar. in 3. p. D.78. sect. 3. & alij com.* Beneficiatus ergo, cui in fundatione aliquarum Missarum applicatio taxata est, non potest eas alteri applicare: quod utique potest, si ipsi nulla sacrificandi obligatio insit, vel si ipsi à fundatore libera applicatio relinquatur. Imò quando ex fundatione obligatio inest certo tempore, vel loco, celebrandi pro commoditate fidelium, si pro certa, vel certis Missis stipendium assignatum non sit, nec mentio intentionis, vel applicationis in fundatione fiat, potest utique pro quo voluerit, etiam stipendio accepto libere applicare. *Suar. in 3. p. D.86. sect.3. Lugo de Sacram. D.31. ex n.19. & alij*, contra *Pignatel. tom. 3. conf. 61. n.9. & 15. Gavant. & alios.* Parochi non possunt prædictum fructum accepto stipendio libere applicare diebus Dominicis, & festis, sed pro suis ovibus illum applicare debent, ut colligitur ex *Trid. sess.23. de Ref. cap.1.* ibi: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est oves agnoscere, pro his sacrificium offerre, &c.* & ita declaratum est *Const. Innoc. XII. Nuper, 24. April.1669.* quamvis plures tenuerint contrarium. Item, sacrificium, quod quis ex charitate, vel obedientia, vel regula debet pro defuncto applicare, nequit pro alio, stipendio accepto, applicari: nam tunc non totus fructus pro dante stipendium applicaretur contra ejus intentionem. Imò, etiamsi quis stipendium non sufficiens congruæ sustentationi offerat, pro eo solum offerenda est Missa, quia possit Sacerdos eam pro alio offerre, nec ab eo restans stipendium accipere: quia Missam primo offerendo, videtur Sacerdos stipendium congruæ sustentationi deficiens spontè remittere. *Ex Const. Innoc. XII. to. Kal. Jan. 1697. Suar. & alij cum Barbos. de Potest. Episc. alleg.24. n.5.* contra *Sot. Can. Rodrig. & alios.* Et eadem constitutione statuitur, quod Sacerdos, cui plus Ordinario stipendio pro Missa datum est, non possit alij Sacerdoti Missam committere, minus stipendium, licet consuetum sit, dando, sed stipendium acceptum debet tribuere; quod si retineat, gravitèr peccat, quia quasi mercaturam, & negotiationem ex sacrificio facit: & insuper restituere tenetur, cum dantis voluntas sit, lucro celebrantis, quicunque sit, illud stipendium cedere. *Lugo de Sacram. & alij cum Pignat. tom. 4. conf.227. n.7.* ubi ait ita à S. Congreg. Decretum, & declaratum esse. Parochi tamen, & Beneficiati, cum ratione beneficiorum sint Domini fructuum, possunt per alios, si id ipsis non sit expressè prohibitum, Missas dicere, dando eis consuetum stipendium, licet minus illo, quod ipsi ex beneficio per-

percipiunt. *Suar. in 3. p. D.* 86. *sect.* 3. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 24. *n.* 11. *& alij.* Tot autem Missæ à Sacerdote celebrandæ sunt, quot à fundatore, vel dante stipendium sunt præscriptæ, etiamsi stipendium incongruum sit, si tamen certus numerus non est designatus, ab Ordinario juxta Diœcesis morem assignabitur. Si Missa pro aliqua necessitate sit offerenda, celebrari debet sub mortali, & obligatione restitutionis, tempore congruo ad impetrandum à Deo auxilium pro ea necessitate. Extra hunc casum celebrari debet intra breve tempus prudentis arbitrio. Ex Const. Innoc. XII. itaque administratores Ecclesiæ magni concursus non possunt tot Missas accipere, quibus nisi post longum tempus nequeunt satisfacere nisi tribuentes stipendium consentiant. Nec potest Sacerdos offerre anticipato Missam pro primo, qui stipendium dabit, quia cum hoc nimiam lucri cupiditatem redoleat, tanquam scandalosum à *Clem. VIII. & Paul. V.* prohibitum est. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 24. *n.* 12. Quæ omnia magna ex parte comptobantur ex damnatione sequentium propositionum facta ab *Alex. VII.* scilicèt. 8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem, etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem: idque post Decretum Urbani VIII.* 9. *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio alia parte stipendij sibi retenta.* 10. *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificijs stipendium accipere, & sacrificium uni offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

390 Si relicta pro Missis, anniversarijs, vel Officijs Divinis quotannis, vel singulis mensibus dicendis sint adeò diminuta, ut non sufficiant ad celebrationem Missarum in numero præscripto, possunt ad minorem numerum reduci, non quidem à potestate sæculari, sed ab Ecclesiastica, & sanè non solum à Romano Pontifice, sed etiam ab Episcopo in Synodo Diœcesana, vel etiam extra eam, præsertim in illis Provincijs, ubi tales Synodi rarò congregantur. *Cl.* 2. *de Religios. domib. Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 4. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 29. *n.* 15. Prælati inferiores Episcopo, si territorium habeant, possunt, sicut, & Episcopi diminuere Missarum, vel officiorum numerum. Prælati Regulares territorio carentes solum in Capitulo, vel Congregatione Generali hanc reductionem facere valent. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 4. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 29. *n.* 15. potest etiam hæc reductio fieri, etsi reditus non sint diminuti, si stipendium Lege, vel consuetudine sit auctum, ita, ut reditus nunc non sufficiant ad numerum Missarum præscriptum: hæredes tamen teneri pretium ex ipsa hæreditate supplete, ut ita non diminuatur numerus Missarum tenent *Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 29. *n.* 7. *Dian. & alij*: quod rectius negant *Pellìz. tom.* 1. *Man. Regul. tr.* 6. *q.* 18. *n.* 45. *& alij*: quia cum non constet de hac obligatione, non debent ea hæredes onerari. Si verò reditus cettò ex toto perierint, ita ut nihil ad beneficiatum, Ecclesiam, vel Monasterium perveniat, omitti possunt suffragia, seu Missæ; *arg. C.* 3. *de Locat.* quippè cessante beneficio, propter quod fit officium, *C. fin. de Rescript. in* 6. debet, & officium cessare; *arg. C.* 60. *de Appellation.* & sic declaratum dicitur à *S. Cong.* 8. *Aug.* 1705. si tamen reditus augeantur industria, v. g. beneficiatorum, non debet ex hoc numerus suffragiorum augeri; *arg. C. fin. de V. S.* augeri tamen debet, si ex casu fortuito reditus augeantur. *Pelliz. tom.* 1. *Man. Regul. tr.* 6. *c.* 3. *q.* 17. *n.* 41. Denique Missa solum à Sacerdote celebrari potest, itaque si non Sacerdos Missam celebret, gravissimum crimen committit: quod quidem in nostra Hispania puniendum reservatur S. Inquisitionis Tribunali, ut constat ex *Edict. Gener. Inquis. n.* 8. ibi: *O que no siendo Sacerdote aya dicho Missa, ò confessado à alguna persona.* Sicque delinquentes fustibus cæduntur, & mittuntur ad triremes, non tamen traduntur Curiæ Sæculari, non obstantibus Constitutionibus *Greg. XIII. Clem. VIII. & Urban. VIII.* quæ in hoc puncto non sunt admissæ in Hispania. Et sanè prædictas violat Constitutiones qui semel Missam celebrat, aut celebrare incipit, quamvis non perficiat, non tamen si vestibus sacris induitur celebrare intendens, si posteà non celebrat. *Sous. in Aphor. S. Inquis. Diana in Sum. V. Inquisitores, n.* 165.

391 Nunc de Eucharistia, quatenùs est Sacramentum, agere, ipse Rubricæ ordo suadet. Christus enim Dominus hoc mirabile Sacramentum instituit in nocte Cœnæ. *Matth.* 26. *ex v.* 26. *Cl. un. de Reliq. & venerat. Sanct. Trid. sess.* 13. *de Euchar. cap.* 2. *l.* 54. *tit.* 4. *p.* 1. Et quidem *Trid. sess.* 13. sub anathematè contra varios Hæreticos definivit. 1. Verum Corpus,

pus, & Sanguinem Christi realitèr in hoc Sacramento contineri. 2. nihil substantiæ panis, & vini post consecrationem remanere, & hanc conversionem Catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat. 3. totum Corpus, & Sanguinem Christi sub qualibet specie, & sub qualibet parte separata contineri. 4. in hoc Sacramento esse idem Corpus, & Sanguinem Christi, non solum, dum sumitur, sed etiam ante, & in hostijs, quæ post communionem remanent. 5. anathematizat eum, qui dixerit, vel præcipuum fructum Sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire. 6. Esse adorandam latria definit, publiceque adorandam, & Populo proponendam, festumque peculiare illius decernit celebrandum, & in processionibus deferendam. 7. licitè in Sacrario reservari, & ad infirmos deferri. 8. Christum in Eucharistia exhibitum, non tantum spiritualitèr manducari, sed etiam sacramentalitèr, & realitèr. 9. Adultos teneri communicare saltem semel in anno. 10. Sacerdotem celebrantem licitè, se ipsum communicare. 11. non sufficere solam fidem ad benè communicandum. Hæreses, quas contra hoc Mysterium infernus evomit, latè afferunt *Bellarmin. & alij*, breviter eas refert *Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 405.* Sacramentum igitur Eucharistiæ non est illius consecratio, nec sumptio, nec solum Corpus Christi, sed Corpus Christi sub speciebus contentum, adeo, ut tàm species consecratæ, quàm Corpus, & Sanguis Christi intrinsecè, & essentialitèr hoc Sacramentum constituant. Sumptio tamen est applicatio, seu conditio ad hoc ut hujusmodi Sacramentum causet suum effectum. Et quidem quælibet species; imò, & quævis particula speciei est integrum Sacramentum, moralitèr tamen, & in ratione Sacramenti est unum Sacramentum specie infima: quia ad finem speciei infima unum ordinatur, & est unum signum rei sacræ: Nam, etsi physicè loquendo, tot sint numero Sacramenta, quot sunt numero species, vel etiam specierum partes; tamen quod per modum unius proponitur, & sumitur, cum ad unam spiritualem refectionem referatur, moralitèr unum numero Sacramentum habetur. Si enim Sacerdos plures Hostias simul sumat, vel unam in plures partes divisam, non tamen ideò dicitur plura numero Sacramenta suscepisse. Hostiæ verò in diversis altaribus, ut distincta Sacramenta rectè concipiuntur: Nam tunc in qualibet parte verificatur, adesse Corpus, & Sanguis Christi sub speciebus consecratis, in quo stat Sacramenti essentia: Hinc rejiciendus venit Ualdensis, qui docuit in solo Corpore, & Sanguine Christi stare Sacramentum: nam quatenùs continetur non est sensibile: Deindè: quia Trid. docet, Corpus, & Sanguinem Christi hoc Sacramento contineri; similitèr sunt rejiciendi Sotus, & Marsilius, qui tenent, solas species hoc Sacramentum constituere: quia Eucharistia est cibus cœlestis, & prætereà cultu latriæ debet adorari. In hoc siquidem Sacramento, sicut in alijs, duplex materia invenitur, proxima scilicèt, & remota, sed ordine inverso: Nam in alijs Sacramentis materia remota est res permanens, proxima vero est ejus usus, qui transit: in Eucharistia verò materia remota transit, scilicèt panis, & vinum, proxima autem remanet, scilicèt species panis, & vini. Materia igitur remota Eucharistiæ est panis, videlicet, triticeus, non hordaceus, vel alius hujusmodi: Et quidem debet esse aqua elementari, non rosacea, vel alia hujusmodi confectus, igni coctus, non oleo, vel butyro, &c. Insuper est materia hujus Sacramenti vinum, scilicèt, de vite: non agresta, nec acetum, nec quid simile. Ut ex *Matth. 26. Luc. 22. C. 1. de Sum. Trinit. Trid. sess. 22. de Sacrif. Missæ cap. 1. l. 52. tit. 4. p. 1.* credunt Catholici. Vino quidem debet ex præcepto, non Divino, sed Ecclesiastico, & certè sub gravi obligante, non quidem ad valorem Sacramenti, sed ad ejus licitudinem, debet, in quam, admisceri pusillum aquæ in quantitate modicissima, id est, una, vel altera gutta, ita tamen ut sit sensibilis, & aliundè non excedat tertiam partem vini. Quod quidem fit ad significandam aquam, quæ cum Sanguine è latere Christi effluxit. *C. 6. h. t.* vel unionem fidelium cum Christo. *C. 7. de Conf. D. 2. Trid. sess. 22. de Sacrif. Missæ, cap. 7.* ibi: *Monet S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent: tum, quod Christum Dominum ita fecisse credatur: tum etiam, quia è latere ejus aqua simul cum Sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius Populi fidelis cum Capite Christo unio repræsentatur. l. 52. tit. 4. p. 1.* In Ecclesia autem Latina debet fieri consecratio in pane azymo: in Græca tamen in pane fermentato. *L. 52. tit. 4. p. 1.* ibi: *E este pan, à que llaman hostia, de ser fecho de farina de trigo, amasada tan solamente con agua, sin leva-*

levadura, & ibid. Greg. Lopez. In utroque tamen fit validè consecratio in qualibet Ecclesia. *D. Thom. & comm. DD.* Ex præcepto Ecclesiæ hostia consecranda debet esse in Ecclesia Latina forma orbiculari, & integra, ita ut in diametro circiter quatuor pollices adæquet. Ea namque, quæ pro communione Sacerdotis consecratur in Missa suscipienda debet esse quasi quadruplo major ea, quæ pro Laicis consecratur. Græci verò quadratam hostiam adhibent, & in particulis triangularem, ut habet Arcudius. Et quidem de Jure Divino est, quod Sacerdos simul consecret panem, & vinum, & nunquam ei licet ex intentione unam speciem sine altera consecrare: validè tamen una sine altera semper consecratur. Papam posse dispensare, quin, & de facto Innocent. VIII. dispensasse, ut in Noruegia solum panis sine vino consecretur: quia ibi vinum statim congelatur, vel in acetum convertitur, refert *Machado.* Alij tamen hoc communitèr negant. Per accidens tamen potest una tantum species consecrari. 1. si Sacerdos post unam consecratam moriatur, & nullus alius adsit Sacerdos, qui perficere possit Sacrificium: si alius adsit potest supplere, & Sacerdos si fortè sit infirmus, possitque communionem suscipere debet hostia dividi, eique pars dari. Idem est, si Sacerdos in amentiam, vel aliud impedimentum incidat. 2. si quis pro vino aquam, vel alium liquorem consecrasset, & non intelligeret defectum nisi diu post, vel non possit haberi aliud vinum, vel etiamsi posset haberi aliud vinum, non posset jam eo uti sine periculo vitæ, vel gravi scandalo. 3. si hostia jam consecrata, subitum periculum mortis ab hostibus, vel incendio timeretur: debet tamen abesse scandalum, & contemptus fidei. Forma hujus Sacramenti pro Corporis consecratione in his verbis stat: *Hoc est enim Corpus meum*, pro consecratione Calicis, seu vini, hæc est forma: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei: qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Matth. 26. v. 26. & 28. l. 54. tit. 4. p. 1.* Essentialitèr tamen solum hæc verba requiruntur: *Hoc est Corpus meum. Hic est Calix Sanguinis mei.* Vel. *Hic est Sanguis meus.* Cætera autem sine gravi peccato nequeunt ommitti: sed non sunt ad valorem necessaria. *D. Bonav. Suar. Bellarm. & alij.* Et sanè prædicta verba, vel alia eis æquivalentia, non solum recitativè, seu historicè, sed formalitèr, significativè, & affertivè debent in persona Christi proferri. Quamvis verba præcedentia tantum historicè, sive recitativè dicantur, ut ex eorum serie constat: *Fregit, deditque Discipulis suis dicens: accipite, & manducate, &c.* In sequentibus formis non fit mutatio substantialis, ac proindè quamvis illicita, valida tamen erit consecratio. 1. si Sacerdos dicat: *Hic cibus, hic potus, hic Calix, vel hæc res, vel contentum sub his speciebus est Corpus meum, vel Sanguis meus.* 2. *Hic Calix est novum Testamentum in Sanguine meo.* 3. *Hoc est meum Corpus: Hic meus est Sanguis, vel hoc est Sanguis meus*: vel si addat. *Hoc est Corpus meum quod de Virgine sumpsi: Hic est Sanguis meus infiniti valoris.* Vel quid simile. Dubia erit consecratio sub his formis: *Illud est Corpus meum: Iste est Sanguis meus:* Vel: *Hæc est Caro mea.* Invalida erit consecratio sub his formis: *Hoc sit Corpus meum: Hic panis convertitur in Corpus meum: Hic ponitur Corpus meum: Hoc est substantia mea: Hoc est Corpus Christi.* Vel. *Ecce Corpus meum: Ecce Sanguis meus: Hoc Corpus est meum: Hic Sanguis est meus: Hic* (advertialitèr) *est Corpus meum*: Si tamen *hic* ponatur masculinè pro neutro, valida erit consecratio. Pronomina etenim *Hoc*, & *Hic* designant ipsum Corpus, & Sanguinem Christi, quod sub speciebus continetur finita forma. Quasi dicatur: quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, est Corpus Christi. *D. Thom in 3. p. q. 78. art. 5. in corp.* Substantia verò panis, & vini non annihilatur in hoc Sacramento, & sed convertitur in Corpus, & Sanguinem Christi, & quidem statim, ac propositio incipit esse vera: & licet vi verborum solum in panis consecratione directè ponatur Corpus Christi, & in consecratione Calicis solum Sanguis directè ponatur: tamen in qualibet specie, imo, & in qualibet particula est totus, & integrè Christus Dominus, quin, Pater, & Spiritus Sanctus per concomitantiam. Et sane Christus manet in speciebus, etiam divisis, & sub quavis earum particula, licet minima, & imperceptibili; donec tanta fiat earum mutatio, ut consueta substantia panis, & vini corrumperetur. In Laico quidem species regularitèr corrumpuntur intra minutum, in Sacerdote tamen intra medium quadrantem, vel saltem intra quadrantem: si aliud non suadeat infirmitas, vel stomachi debilitas. *Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 469. & alij com.* Materia consecranda debet esse certa, & ab intentione consecrantis, & in individuo determinata: hoc namque requirunt pro-

pronomina *Hic*, & *Hoc*. Deindè debet materia esse moralitèr, & sensibilitèr præsens Sacerdoti: alias non possent verificari pronomina *Hic*, & *Hoc*: quæ quidem demonstrativa sunt. Hinc non potest consecrari materia posita post parietem, nec à tergo, nec clausa in tabernaculo, vel quæ valdè distans, & procul est: v. g. ad centum passus, etiamsi videri possit: nec item materia tam modica, quæ sensu nequeat percipi: si scilicèt non sit in toto, sed extra illud, quia tunc non posset demonstrari; tum etiam, quia Sacramentum debet esse signum sensibile: si tamen sit in toto, quælibet, etsi minima particula, consecratur. Validè tamen consecrantur vinum in calice cooperto, vel in vase clauso, panis in canistro, hostiæ in ciborio, vel in cumulo sub alijs latentes, vel tectæ sub corporali, vel mappa, vel in Missali. Item à Sacerdote in tenebris, vel cæco validè consecratur materia, præsens.

392 Solus equidem Sacerdos est hujus Sacramenti Minister quoad confectionem. *Luc. 22. v. 19.* ibi: *Hoc facite in meam commemorationem. C. 1. de Sum. Trinit. Trid. sess. 22. de Sacrific. Missæ, cap. 1. L. 57. tit. 4. p. 1.* Et quidem etiamsi excommunicatus, vel degradatus sit, potest validè panem, & vinum consecrare. Deindè, ipse solus Minister, quoad dispensationem ex proprio officio. *C. 29. de Cons. D. 2. Trid. sess. 13. de Euchar. Sacram. cap. 8.* ex commissione tamen etiam aliquando Diaconus potest Eucharistiam administrare. Clericus Diacono inferior, & à fortiori Laicus solum in casu extremæ necessitatis possent hoc Sacramentum ministrare. *Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 480. & alij com.* Semper equidem in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent, quæ quidem consuetudo tanquam ex traditione Apostolica descendens jure, ac meritò retineri debet. *Trid. sess. 13. de Euchar. cap. 8.* Et quidem Laici solum sub una specie, panis scilicèt, communicare debent: & ita ab antiquo observat Ecclesia, & à *Trid. sess. 21.* definitum est, non debere omnes, & singulos Christi fideles, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis Eucharistiam sub utraque specie sumere. Longiorem de hoc disputationem controversistis relinquimus, dum ad alia properamus. Eucharistia etenim tripliciter potest à fidelibus sumi. 1. *purè spiritalitèr*, si, scilicèt, quis viva fide excitatus hoc Sacramentum dignè suscipere desideret. 2. *purè materialitèr*, scilicèt, præcisè hostiam accipiendo, quomodo eam sumerent homines non baptizati, vel etiam ipsæ bestiæ, si hostiam consecratam manducarent. 3. *sacramentalitèr*, scilicèt, si homo viator, & baptizatus ore sumat hostiam, & in stomachum trajiciat: potestque hoc fieri sine fructu, si scilicèt talis indignè sumat, & tunc purè sacramentalitèr sumet, vel potest fieri cum fructu, si scilicet, dignè sumat, & tunc sacramentalitèr, & spiritualiter sumet. *Trid. sess. 13. de Euch. cap. 8.* Eucharistia insuper solum Christianis debet ministrari, non tamen infidelibus, etiam cathecumenis; quia nondum per januam baptismi sunt in Ecclesiam ingressi. Olim, etiam infantibus solebat tribui *Trid. sess. 21. de Commun. cap. 4.* secus hodie, quia nec est absolutè necessaria, nec eam debita possunt recipere reverentia: imò ex hac ratione, nec pueris debet tribui, etiamsi ad annos discretionis pervenerint, & præcepto confessionis obligentur, quousque decem habeant annos: Vel potius hoc arbitrio confessarij relinquendum est. In articulo tamen mortis, cum ad annos discretionis pervenerint, & præcepto confessionis obligantur, etiam Eucharistia per modum Viatici ipsis debet ministrari. Nec item tribui debet perpetuo amentibus: si autem post usum rationis in amentiam inciderunt, & nunc constat gravitèr peccasse solum per modum Viatici in mortis articulo tribuitur. *C. 7. c. 8. 26. q. 6.* Semifatuis, mutis, & surdis, si illum cœlestem cibum à profano discernant, etiam in Paschate debet tribui. *Arg. C. 12. de Pœnitent. & remission.* Energumenis, quando non torquentur, & abest irreverentiæ periculum sæpiùs potest concedi communio. Et sic vidi Salmanticæ practicari cum quadam muliere, cujus corpus Lucifer, alijque Dæmones miserabilitèr possidebant. Dispositio quidem ex parte animæ ad Eucharistiam suscipiendam est status gratiæ: unde qui conscientiam peccati gravis habet, sacrilege accedit, nec satis est, per contritionem procurare gratiam, sed est necessaria confessio. Ut *ex 1. ad Corinth. 11.* decidit *Trid. sess. 13. cap. 7.* ibi: *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Idem est de Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, modo non desit illis confessoris copia. Si tamen necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit in morra-

si existens, quam primum confiteri debet. *Trid. sess.* 13. *de Euchar. cap.* 7. & quidem sub gravi præcepto, ut constat ex *prop.* 38. inter damnatas ab *Alex. VII.* quæ sic ajebat: *Mandatum Trid. factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi, quam primum, est consilium, non præceptum. Lacr. lib.* 6. *cap.* 1. *ex n.* 543. *Suar. & alij eom.*

393 Ex parte corporis, debita etiam requiritur dispositio, ad Eucharistiam suscipiendam: Et quidem ex constitutione ab Apostolis profecta requiritur, quod communicans sit jejunus, non quidem jejunio tantum Ecclesiastico, sed naturali, quod quidem à media nocte usque ad Eucharistiæ sumptionem progreditur: Profectò hoc jejunium frangitur per quamcumque trajectionem cibi, vel potus in stomachum, etiamsi res minima sit; v. g. gutta vini, aquæ, olei, vel medicinæ. *C.* 49. *de Conf. D.* 1. *C.* 54. *de Conf. D.* 2. *C.* 5. *h. t.* non tamen frangitur hoc jejunium, si saliva, vel sanguis à naribus, vel capite defluat in stomachum, vel si frustulum ligni, vel unguis deglutiatur, vel si reliquiæ cibi remanentes in ore casualitèr transglutiantur: nec illud frangit sumptio fumi ex tabaco, vel pulvis ejusdem per nares attractus: nec si gutta aquæ salivæ immixta in ablutione ad stomachum perveniat: & juxta aliquos nec gutta jusculi salivæ admixta. Si aromata, vel folium tabaci, vel herbæ, quæ hic dicitur *buyo*, quis ori ex causa imponat, masticet, vel gustet, si nihil transmittat non frangitur jejunium, sed buyum masticare, præterquamquòd indecens est, magnum periculum frangendi jejunium affert. Uno verbo nihil potest ante Eucharistiam sumi, quod habeat rationem potus, cibi, vel medicinæ: quod si hanc rationem non habeat, utique potest absolutè sumi, licet certò melius sit abstinere, quia aliquam habet indecentiam, ut sumptio fumi ex tabaco. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 80. *art.* 8. *ad* 4. *& cum ex com. DD. Lacr. lib.* 6. *p.* 1. *ex n.* 550. Potest tamen aliquando non jejunus Eucharistiam sumere. 1. per viam Viatici in articulo mortis, & non solum quando mors ex morbo provenit, sed etiam quando est ex judicis sententia infligenda. Nam si Judex nolit, vel non possit expectare, donec reus jejunus sit, potest hic etiam non jejunus Eucharistiam suscipere: nam tunc præceptum Divinum Ecclesiastico prævalet. *C.* 9. 26. *q.* 6. *C.* 93. *de Conf. D.* 2. imò toties quoties solebat infirmus extra necessitatem communicare potest in ea non jejunus Eucharistiam sumere; adeo ut Sacerdos quotidie eam sumere valeat, ut aliqui tenent cum *Gobat* ob textuum generalitatem. Ego certè hoc affirmare non audeo præcipuè post Decretum *Innocent. XI. An.* 1679. modificans communionem quotidianam: sed cum valdè varient Authores in tempore designando pro repetitione sumptionis Eucharistiæ per modum Viatici: optima regula erit, seclusa necessitate, sequi timoratorum consuetudinem. *Lug. de Euchar. D.* 15. *sect.* 3. *& alij.* 2. si Eucharistia sit in sacrilegas infidelium manus deventura, vel incendio sit absumenda potest à non jejuno, etiam Laico, sumi. 3. Sacerdos non jejunus potest Eucharistiam sumere, si ad id sacrificij perficiendi necessitas compellat: v. g. si post Canonem Sacerdos deficiat, tunc namque potest alius non jejunus, si jejunus non inveniatur Missam prosequi, vel si loco vini in calicis consecratione ponatur aqua: nam tunc ea absumpta debet Sacerdos vinum consecrare, & non obstante violatione jejunij per sumptionem aquæ, prosequi Missam. Etiam eam prosequetur, si post consecrationem recordetur, non esse jejunum: secus est, si ante consecrationem recordetur, nam tunc si potest sine gravi scandalo abrumpet Missam. Deindè, si post ablutionem aliquæ reliquiæ hostiæ remaneant in corporali, vel patena, imò & integræ hostiæ ex eodem; & non improbabilitèr, etiam ex diverso sacrificio, possunt sumi à Sacerdote cum idem moralitèr sacrificium, vel communionem compleat. Et *Card. de Lug. de Euchar. D.* 14. *p.* 4. *n.* 82. *& alij:* non damnant Sacerdotem, qui particulam inventam absumit priusquam sacras vestes exuat. Regularitèr tamen si hæ particulæ inveniantur, postquam Sacerdos ab altari recessit, cum jam convivium finitum sit, non debent à Sacerdote sumi, sed servari, donec à jejuno sumantur, nisi periculum indecentiæ subsit: quia plures Missæ eodem die non essent futuræ, & Sacramentum, non solet servari: nam tunc minor indecentia erit sumere, quam asservare. Si pars hostiæ post sumptam ablutionem adhæreat palato, aut calici, quamvis Missale permittat, quod ad labium calicis digito attrahatur, & sumatur ante ablutionem, potest etiam nova ablutione propelli, & hac ratione excusantur, qui diu hostiam in ore retinentes, casu aliquid ablutionis præmittunt: spontè tamen id facere non licet. Non tamen potest Sacerdos non jejunus, ut moriturum communicet Eucharistiam consecrare, teste universali praxi Ec-

Ecclesiæ, nec præceptum Viatici obligat, quando ritè dari nequit, cum potius ratio Sacramenti, quam aliqualis necessitas proximi habenda sit, quidquid alij sentiant: quamvis Sacerdos morti proximus possit non jejunus celebrare, sicut posset ab alio non jejunus Viaticum accipere. Etiam posset non jejunus celebrare, ad vitandum mortis periculum, sicut posset sine altari, vel calice consecrato, vel sacris vestibus celebrare: dum hoc non in fidei contemptum exigatur. Sic *tom. DD. cum Lacr. lib. 6. p. 1. ex n.* 550. ubi Doctores hoc latius tractantes, videri possunt. Pollutio tamen, etiam voluntaria, si confessione expietur non debet à communione arcere: & à fortiori nec involuntaria, vel etiam licita inter conjuges habita. Aliquando tamen ob decentiam judicio confessarij abstinebunt: & sic intelligitur *Text. in C.* 1. 33. *q.* 4. ibi: *Si panes propositionis non poterant abijs, qui uxores suas tetigerant, comedi, quanto magis panis ille, qui de Cœlo descendit non potest ab his, qui conjugalibus paulò ante hæsere complexibus violari, atque contingi? non quod nuptias condemnemus (hoc enim non dicimus) sed quod tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.* Vel potest hic Text. intelligi cum D. Thoma de Ecclesiæ Ministris conjugatis, quales sunt Græci. Latè de hoc *Sanch. de Matrim. lib.* 9. *D.* 13.

394 Venimus tandem ad tertiam Rubricæ partem, in qua de *Divinis Officijs* agitur. Nomine ergo Divini Officij in præsenti *Horæ Canonicæ* intelliguntur: quæ quidem jam à tempore Apostolorum in Ecclesia recitantur. *S. Clement. Constit. Apost. lib.* 8. *cap.* 30. Nomine autem Divini Officij, vel Horarum Canonicarum non veniunt Officium parvum B. Virginis, nec Officium Defunctorum, quod in Breviario præscribitur pro 1. die mensis non impedita, nec Psalmi Pœnitentiales, nec Graduales: nec ad prædicta quis extra Chorum tenetur, ut constat ex *Bulla S. Pij V. Quod à nobis*, quæ extat in principio Breviarij. In die vero Animarum, seu Defunctorum est obligatio gravis ad Officium Defunctorum, etiam respectu illorum, qui utuntur Breviario Romano, quia pars illius diei censetur. *Sic com. cum Suar.* contra *aliquos*. Etiam (probabilius) est mortale omittere Litanias in festo S. Marci, & diebus Rogationum. *Lacr. lib.* 4. *ex n.* 1239. Officium igitur Divinum in *Nocturnum* dividitur, & *Diurnum*, eo, quod Antiqui noctem dividebant in quatuor Vigilias, & diem in quatuor Stationes, quarum singulæ tres horas diei naturalis continebant: prima siquidem Vigilia, quæ à prima nocte incipiebat, primum Nocturnum dicebatur: secunda, quæ usque ad dimidiam noctem excurrebat, secundum dicebatur Nocturnum: tertia, quæ post dimidiam noctem incipiebat, tertium Nocturnum dicebatur: quarta jam propè Auroram Laudes recitabantur. Ab ortu tamen Solis *prima* statio, sive hora incipiebat, & post tres horas *tertia* sequebatur, quæ protendebatur usque ad Meridiem, à Meridie incipiebat *sexta*, & post tres horas *nona*, quæ usque ad Solis Occasum pertingebat. Orto enim Sole *primam*, postea que cæteras horas Officij Divini recitabant fideles. *Vespere* pauló ante Occasum Solis: denique *Completorium* in crepusculo diei dicebatur. Sic deducitur ex *Matth.* 27. *ex n.* 46. *Luc.* 12. *n.* 38. *Censor. & alijs. Septem* igitur horæ sunt ab Ecclesia præscriptæ: scilicèt. *Matutinum cum Laudibus. Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ*, & *Completorium.* Analogia quadam mystica ad *septem Sacramenta*, ad *septem petitiones*, quæ in oratione Dominica continentur: ad *septem dona Spiritus Sancti.* Et quia viri Sancti ut David, & alij in hoc numero orabant. Nam cum septies in die cadat justus, expedit septies etiam orare, & præter alia hujus numeri mysteria, septem horæ merito censentur statutæ, quia hic numerus Passioni Dominicæ aprime correspondet: nam Christus Dominus nocte captus est, hora prima illusus, tertia ad crucem damnatus, sexta crucifixus, nona mortuus est, vespere depositus est de cruce, hora denique completorij sepultus fuit. Præterea adoratio, seu oratio ad Deum in quocumque loco, & quocunque situ Corporis fieri potest. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 84. *art.* 2. *ad* 2. ibi: *Sicut oratio primordialitèr est in mente, secundario autem verbis exprimitur, ita etiam adoratio principalitèr quidem in interiori Dei reverentia consistit, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis: sicut genuflectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum: prosternimus autem nos, quasi profitentes nos nihil esse ex nobis.* Et *art.* 3. *ad* 2. ait: *Quod determinatus locus eligitur ad orandum, non propter Deum, qui adoratur, quasi loco concludatur, sed propter ipsos adorantes. Et hoc triplici ratione.* 1. *quidem propter loci consecrationem, ex qua spiritualem devotionem concipiunt orantes, ut magis exaudiantur, sicut patet ex adoratione Salomonis.* 3. *Reg.* 8. 2. *propter sacra mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur.* 3. *prop-*

propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, secundum illud Matth. 18. *ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et posteà ad 3. ait: *Secundum quandam decentiam, adoramus versus Orientem.* 1. *propter Divinæ Majestatis indicium: quod nobis manifestatur in motu Cœli, qui est ab Oriente.* 2. *propter Paradysum in Oriente constitutum, ut legitur Genes.* 2. *secundum litteram Septuaginta Interpretum, quasi quaramus ad Paradysum redire.* 3. *propter Christum, qui est lux Mundi, & Oriens nominatur Zach.* 6. *& qui ascendit super Cœlum Cœli ad Orientem, & ab Oriente etiam expectatur venturus, secundum illud Matth.* 24. *sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque ad Occidentem, ita erit, & adventus filij hominis.* His suppositis cum horæ Canonicæ publicè dicuntur; in Ecclesia, cum hæc præcipuè in hunc finem sit constituta, recitari debent. *C. fin. D.* 92. & horis quidem competentibus. *C.* 1. *h. t. L.* 34. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Los Clerigos deben decir las horas en la Eglesia, è los que no pudieren y venir, non deben dexar de decir las horas por donde estuvieren.* Et sic fit in Cathedralibus, Collegiatis, & Conventualibus Ecclesijs: privatim tamen debent dici inquovis loco decenti, dici tamen possunt, inquovis, etiam sordido loco, non tamen decet, nisi causa urgeat. *Suar. de Orat. lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 9. *Lacr. lib.* 4. *n.* 1320. Item potest quis horas recitare, stando, sedendo, vel deambulando, etiam quando juxta rubricas debet genuflectere: nam tales rubricæ tantum dant consilium ad devotionem habendam. *Suar. de Orat. lib.* 4. *cap.* 27. *n.* 2. *Lacr. lib.* 4. *n.* 1321. Quoad tempus recitandi attinet, ad vitandum peccatum grave sufficit, quod officium dicatur à media nocte diei usque ad alteram mediam noctem: quod si causa urgente differantur, vel anticipentur horæ tempore consueto, nullum erit peccatum: si hoc sine causa fiat, erit veniale, si gravis inversio sit: talis censetur Matutinum sine causa ad Vesperam differre, vel dicere Vesperas, & Completorium ante prandium, & alia hujusmodi. Accuratum autem tempus recitandi sic communitèr statuitur. Pro Matutino, & Laudibus à pridie Vespere usque ad horam post ortum mane Solem: pro prima, à tempore Auroræ usque ad horam undecimam: pro tertia ab ortu Solis usque ferè ad Meridiem: pro sexta, & nona, etiam ferè usque ad Meridiem: quamvis pro nona olim fuerit tempus circa prandium, aut etiam post illud. Vespere à Meridie usque ad Occasum Solis possunt recitari: pro completorio ab hora tertia post Meridiem usque ad medium noctis statuitur. Aliqui dicunt Matutinum pro die sequenti posse inchorari ab hora secunda diei antecedentis. Alij aliter; sed certè potest inchoari, quando Sol est propinquior ad Occasum, quam ad Meridiem: & jam juxta praxim timoratorum ab hora tertia incipi valet: Etiam in Vespere Animarum potest dici Matutinum cum Laudibus de Officio Defunctorum. Missam dicere, antequam Matutinum cum Laudibus recitetur, probabilitèr nullum peccatum est; maximè si aliqua causa, licet non omninò gravis, sub sit: nunquam tamen est peccatum grave. *Suar. Sot. Sanch. & alij cum Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *n.* 230. Vesperæ in Quadragesima, tribus primis diebus exceptis, recitantur ante Meridiem: sed hæc rubrica solum Chorum obligat, ac proindè privatim possunt post prandium dici sine peccato: imò congruentius nunc esset, sic fieri. *Lacr. lib.* 4. *n.* 1316.

395 *Innoc. III. in C. Dolentes,* 9. *h. t.* districtè præcipit virtute obedientiæ, ut Divinum Officium Nocturnum, pariterque Diurnum, quantum eis dederit Deus (scilicèt hac obligatione oneratis) *studiosè celebrent pariter, & devotè.* Studiosè equidem recitabitur, non transcurrendo undique continuata syncopa officium, sed integrè proferendo versus, & sensum, sine omissione, concisione, truncatione, nec interruptione. Devotè itidem recitabitur, si cum attentione, & intentione debita recitetur: ad debitam igitur recitationem plura requiruntur, & quidem 1. pronuntiatio vocalis exterior. Ea etenim est de præcepti substantia. Si cum socio quis recitet, (quod licitè fit, etiamsi ille ad horas non obligetur, nec interiùs attendat) debet pronuntiare ita, ut à socio audiatur: si solus recitet, debet sic pronuntiare, etiam summissa voce, ut possit se audire *Suar. & alij cum Lacr. lib.* 4. *n.* 1294. non tamen esse necessarium, quod se audiat, nec percipiat, quod recitat, sed sufficere solam verborum articulationem tenent *Azor. in Instit. p.* 1. *t.* 10. *cap.* 11. *q.* 4. *Diana, Bonac. & alij.* pronuntiatio tamen debet esse integra, & faciliùs ob hunc defectum potest gravitèr peccari in Choro, ratione scandali, quam in recitatione privata. Si quis mutilet, vel absorbeat syllabas ex inadvertentia, vel balbutie, vel inveterata consuetudine, quæ valdè difficultèr possit corrigi, excusatur à peccato: quando mutilatio fit tantum in ultimis syllabis rarò peccabitur: quia

raro

raro mutabitur sensus. *Suar. Less. Lacr. lib.* 4. *n.* 1302. *& alij.* 2. requiritur intentio saltem virtualis orandi, quæ scilicet aliquando extitit, & adhuc non est revocata, sed perseverat saltem in virtute sua, scilicet, in applicatione potentiarum. 3. requiritur attentio, non quidem solum externa, id est, quod quis abstineat ab omni occupatione externa incompossibili cum attentione interna: sed insuper aliqua attentio interna est necessaria: hoc est, applicatio, & advertentia animi ad hoc, quod fit. Nam ab Ecclesia præcipitur oratio, quæ sane nequit sine aliqua attentione interna consistere: & hoc pro praxi suadendum, & tenendum est: sed cum hoc valde controvertatur utrimque, alijs negantibus, affirmantibus alijs, utrumque per consequens probabile reputo, scilicet, & attentionem internam requiri, & sufficere solam externam; licet non æquali probabilitate: potest tamen hæc sententia solam externam attentionem requirens, quam defendunt Navar. Sylv. & Coninnc, deservire pro scrupulosis, & etiam Confessarijs, ne ad restitutionem fructuum obligent beneficiatos sine attentione horas recitantes. Debet ergo recitans aliquam attentionem internam adhibere, saltem superficialem ad verba: melius erit attentionem litteralem ad sensum verborum habere: perfectius denique erit attentionem spiritualem ad Deum, ad quem oratio dirigitur, apponere. Hinc gravitèr peccat, qui spontè distractus nullam harum attentionum habuit: teneturque repetere, nec facit fructus suos, cum non potuisset opus præceptum, quod erat, ut oraret devotè. Qui ob mentis evagationem dubitat, an aliquid omiserit, si habeat probabilem conjecturam, se dixisse: quia v. g. in fine psalmi se reperit, vel quia initio attendere proposuit, se dixisse præsumerè potest, si ex libro, vel memoria non solita errare dixit, proindèque non tenetur repetere, ut sic totum officium expeditius decurratur. *Lacr. lib.* 4. *ex num.* 1332. ubi plures Doctores citat, diversasque sententias refert. 4. requiritur, quod una hora non interrumpatur notabili tempore; quod si fiat sine causa, erit tantum veniale, quia singuli psalmi, imò & fere versus, suam compleram significationem habent. Si fiat ex justa causa, nullum erit peccatum, nec priora erunt repetenda, etiamsi animo repetendi interrupisset. Matutinum potest etiam sine causa tota nocte dividi à Laudibus, etiamsi unam horam constituant: hocque laudabile esse judicant. *Suar. Navar. Sanch. Lacr. lib.* 4. *ex n.* 1304. Denique non debet ordo horarum inverti: quod si cum causa fiat, nullum erit peccatum, sine causa tamen veniale erit: v. g. si quis recitet Vesperas ante primam; vel primam, aut tertiam, vel Vesperas ante Matutinam. *Lacr. lib.* 4. *ex n.* 1309. Præterea: Horæ sunt recitandæ in lingua, & Breviario Diœcesis, vel Religionis, in qua recitans est, debetque recitare officium proprium sumptum ex Breviario, & de die, quo orat, & eo ritu, qui præscribitur. Non tamen est licitum recitare de Sancto, nisi sit in Breviario S. Pij V. vel à Papa, vel à S. Congreg. concesso. Si vero alicubi habeatur reliquia approbata insignis alicujus Sancti, uti sunt caput, brachium, crus, vel pars, in qua passus est Martyr modo sit integra, & non parva, potest de ea recitari, non tamen est præceptum. Et quidem Sanctus debet esse in Martyrologio Romano descriptus, & aliundè debet constare de identitate corporis, seu reliquiæ insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio descriptus: nec aliter satisfit præcepto recitandi, licet alias talibus reliquijs in Ecclesijs debita exhibeatur veneratio, ut constat ex *Decr. S. Cong. Rit.* approbato à R. Pontif. 19. *Octob.* 1691. & etiam in nostra Hispania admisso, & in Germania, ut affert *Lacr. lib.*6. *p.*2. *n.* 2074. pars creditur adhuc integra, licet pluribus fragmentis constet, si per unionem artificialem, ita partes copulentur, ut appareat integra. *Lacr. lib.*4. *ex n.*1246. Qui die Palmarum recitat officium Paschale non satisfacit præcepto, ut constat ex prop. 34. inter damnatas ab *Alex. VII.* in alijs diebus officium mutare, etiam sine causa, & pro libitu, dum non frequentèr, sed raro fiat non esse peccatum mortale alij contra alios tenent. Si tamen per errorem inculpatum quis unum officium pro alio recitet, etiam officium de festo pro Dominica non tenetur quidquam repetere. Nam substantiam præcepti implevit. *Lacr. lib.*4. *ex n.* 1250. Si quis per errorem incœpit indebitum officium recitare, posse continuare errorem dicunt. *Quintan. & alij*: sed certius est, debere illum corrigere. Qui per errorem legit hodie de Sancto, qui cras colitur, non debet cras legere de Sancto hodierno: quia melius est semel, quam bis errare. Qui unam integram horam omittit, graviter peccat, etiamsi hora parva sit: v. g. si omittat Vesperas Sabbato Sancto. Idem videtur esse, si interruptim per totum officium omittatur quantum est una par-

parva hora integra: qui minus omittit, quam totam parvam horam, non peccat graviter. Saltem tutum est, tertiam partem unius horæ parvæ, non esse materiam gravem: nec mortale erit omittere unum psalmum, Lectionem, vel quid simile. *Lacr. lib.4. ex n.* 1201. Innoc. XI. damnavit hanc prop. quæ est 54. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Divinum officium recitare tenentur. 1. Clerici, qui Sacros Ordines sponte receperunt. *C. 1. c.9. h. t.* etiamsi irregulares, excommunicati, depositi, & degradati sint. Quia adhuc characterem retinent, & quidem à puncto Subdiaconatus suscepti incipit Clericus obligari ad horas respondentes horæ, qua ordinatur. In minoribus autem constituti, si beneficio careant, non tenentur ad horas. 2. obligantur Clerici beneficium Ecclesiasticum habentes, cum beneficium detur propter officium. *C. fin. D.91. c.1. h. t. c. fin. de Rescript. in 6.* & quidem tantum post adeptam beneficij possessionem, ut contra *Navar.* tenent *Suar. Les. & alij*, nec interest, quod beneficium tenue sit, nec congruam præbeat sustentationem: quia hoc onus satis, superque alijs honoribus, & privilegijs Ecclesiasticis compensatur. *Suar. lib.4. de Orat. cap.21. n.3. & 9. Garc. de Benef. p.3. cap.1. n.* 30. *& alij* contra *Sot. de Justit. lib.*10. *q.* 5. *art.*3. *Les. & alios.* Secus esset, si nullos fructus haberet beneficium, nam tunc non esset beneficium: quod si beneficium sit tam tenue, ut tertiam partem medietatis sustentationis alicujus Clerici non adæquet, satis probabile est, beneficiatum non teneri ad recitandum, ut ex *Suar. Dian. & alijs* afferunt *Busemb. & Lacr. lib. 4. ex n.* 1186. Qui ex dispensatione non residet, ideoque fructus non percipit, probabilitèr non tenetur ad horas: quia hæc obligatio est propter sustentationem. Si quis plura beneficia habeat, unica recitatione quotidie satisfacit: quia licet ex pluribus titulis teneatur, ad unum tantum officium tenetur ex mente, & praxi Ecclesiæ, ac proindè omittens culpabilitèr officium, unicum committit peccatum. Et quidem beneficiatus per se, non per alium debet recitare, ut clarè constat *ex propositione* 21. *inter damnatas à N. S. P. Alexandro VII.*

396 Nomine beneficij in præsenti non venit coadjutoria, etiam cum futura successione, & aliqua portione fructuum assignata. Nam coadjutor non beneficium, sed jus ad beneficium habet. *Suar. de Orat. lib.4. cap.*22. *Garc. & alij*, nec venit capellania simplex, seu non collativa, quam Laicam dicimus, cum non sit Episcopi authoritate erecta. *Lacr. lib.4. n.*1197. *Suar. Garc. & alij.* Nec venit commenda tantum temporalis: secus perpetua, & Ecclesiastica: nec vicaria temporalis, secus perpetua. *C. 27. de Rescript.* Nec veniunt præstimonia, quæ non habent annexum obsequium spirituale, nec in titulum conceduntur, secus alia. Nec venit pensio Laicalis, quæ v. g. tribuitur æditu, janitori, vel cantori. Si vero sit Ecclesiastica, quæ in eam obtinente requirat primam tonsuram, obligat ad officium B. Virginis ex Const. S. Pij V. si aliundè pensionarius non recitet Divinum Officium. Beneficiatus ergo qui recitare omittit, justo impedimento cessante, præter peccatum grave, quod committit, fructus tenetur restituere, ut constat ex Conc. Lateran. sub Leone X. & Const. S. Pij V. & si uno die totum officium omittat, tenetur restituere omnes fructus illi diei respondentes: si tantum Matutinum omittat, mediam partem fructuum unius diei restituet. Idem est, si reliquas horas omittat: si vero unam ex illis omittat, sextam partem restituet: talisque restitutio facienda est fabricæ, vel pauperibus. Si vero ex oblivione, vel justo impedimento, vel bona fide, vel invencibili ignorantia, aut aliter absque culpa omittat, non tenetur restituere: quia ubi non est culpa, non debetur pœna: circa quod *Alex. VII.* has propositiones damnavit. 20. *Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis eo, quod sit pœna.* 33. *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficij fecerit.* Etiam dato, quod legens horas sine intentione interna gravitèr peccet, non tamen tenetur restituere, ut probabilitèr tenent. *Sot. Lacr. lib.4. n.*1213. *& alij.* Cæteri Clerici beneficio carentes, & Religiosi graviter peccant recitationem omittendo, sed nihil restituere debent, quia nihil percipiunt. A recitatione tamen horarum excusant. 1. Pontificis dispensatio, etiam sine justa causa facta, quia est Lex Pontificia, in qua Pontifex libere dispensat. *C.4. de Conc. Præbend. Suar. lib. 4. de Orat. cap. 28. ex n.*38. Episcopus autem propriè non dispensat: cum Lex Superioris ab inferiori nequeat tolli: in dubio tamen Episcopus Legem Ecclesiæ interpretatur. Idem di-

cen-

cendum est de Vicario Episcopi. Prælatum Supremum alicujus Ordinis posse cum suis Religiosis dispensare tenent. *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 37. n. 51. Bonac. & alij*; quod negant *Suar. lib. 4. de Orat. cap. 28. n. fin. & alij*. Generalis nostræ Societatis, & alij, quibus ipse committit, possunt commutare obligationem infirmorum in aliud opus pium, seu orationem leviorem. *Lacr. lib. 4. n. 1233.* 2. excusat oblivio, & incogitantia naturalis. 3. infirmitas gravis, seu talis, quæ non permittat horas legi sine notabili valetudinis incommodò, vel magno dolore, vel molestia: v. g. dolor capitis, vel oculorum. *Suar. de Orat. lib. 4. cap. 28. & alij.* 4. cæcitas. Nisi aliquam horam memoriter Clericus sciat: nam eam recitare tenetur; *arg. prop. 54. ab Innoc. XI. damnatæ.* secus est, si tantum aliquos psalmos sciat. 5. Carentia inculpabilis Breviarij, vel etiamsi culpabilis fuit, jam de ea culpa Clericus pœnituit. 6. Necessaria, & repentina occupatio suscepta ex officio, vel charitate: v. g. si tumultus subito exortus sedandus sit. Studium autem secundum se non excusat, etiamsi hic, & nunc sit necessarium, nec compossibile cum horis, ut constat ex prop. 21. damnata *ab Alex. VII.* quæ talis est. *Habens Capellaniam Collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.* Concionatores, vel confessarij aliquando ex benigna Ecclesiæ interpretatione Ecclesiæ possunt excusari. Si vero prævideant, se toto die esse confessionibus occupandos, recitationem anticipare tenentur. Etiam metus gravis proditionis inter Hæreticos, aliaque justa impedimenta à recitandis horis excusant. De quibus latè DD. præcipuè. *Suar. de Orat. lib. 4. cap. 28.*

397 Hic demum varia S. Congregationis Rituum Decreta ad varias nostri juris materias pertinentia, præsertim adhunc titulum addere libuit prout à Lacroix, Gavanto, & alijs afferuntur, & ut hic habeantur conjuncta.

Decreta S. Congregationis Rituum.

1. Consecrator Ecclesiæ potest in actu consecrationis statuere aliam diem pro anniversario ejusdem consecrationis. 19. Februarij 1585. ante institutam Congregationem Sacrorum Rituum.
2. Dedicationis festum extra actum consecrationis non potest amplius mutari ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica. 16. Octob. 1604.
3. Si Ecclesiæ dedicatio occurrat in festo Nativitatis B. V. Mariæ fiat de ea. Missæ duæ cantentur, & Infraoctavam fiat de digniori. 16. Octob. 1604.
4. Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis celebranda quidem est in Diœcesi sub Ritu duplici primæ clasis, sed fine Octava. 2. Maji 1619.
5. Regulares tenentur quidem celebrare festum de Dedicatione Ecclesiæ Cathedralis, sed sub Ritu duplici secundæ clasis sine Octava. 8. Aprilis 1662.
6. Regulares tenentur celebrare sub Ritu duplici primæ clasis cum Octava festum de Dedicatione, & de Titulari Ecclesiæ illius Conventus, in quo morantur. 3. Junij 1681.
7. Eucharistia in festo Corporis Christi non est deferenda per vias Hebræorum. 22. Febr. 1693.
8. In festo SS. Corporis Christi non sunt canendæ cantiones vulgari Sermone. 21. Martij 1609.
9. In festo Corporis Christi non est deferenda in Processione Eucharistia Sacerdotum humeris, sed celebrantis manibus. 2. Junij 1618.
10. In festo Corporis Christi deferatur Eucharistia à celebrante, & in Vesperis diei Octavæ, si fiat processio deferatur ab eo, qui cantavit Vesperas, modo saltem sit Canonicus in Collegiatis. 12. Junij 1627.
11. Si Episcopus in festo Corporis Christi non deferat Eucharistiam, Canonici tamen induant Sacras Vestes. 17. Martij 1628.
12. Ne fiat concio coram SS. Sacramento in altari exposito, capite tecto. 16. Febr. 1630.
13. Non convenit, quod prima Dignitas celebret Missam ante processionem SS. Sacramenti: & deinde altera Dignitas minor gestet illud in processione. 31. Jun. 1632.
14. Si festum SS. Corporis Christi inciderit in Vigiliam S. Joannis Baptistæ, jejunium celebretur in feria quarta proximè præcedenti: de Vigilia vero nihil eo anno fiat. 24. Sept. 1638.
15. Infraoctavam SS. Corporis Christi non est agendum de Officijs translatis Ritu duplici primæ clasis non decoratis: ideoque si festum S. Antonij Patavini, quod apud Franciscanos celebratur sub Ri-

Ritu duplici secundæ classis inciderit in prædictum festum de SS. Corporis Christi, transferatur post Octavam. 12. Junii 1664.

16. Recitantes ex legitima concessione officium de SS. Corpore Christi in feria quinta per annum non impedita, illud recitare debent, ut præscribitur in die ejusdem solemnitatis. Missam vero celebrare de communi, seu votivam. 12. Julij 1664.

17. Ad. ℣. *Panem de Cœlo* non additur, *Alleluia*, nisi tempore Paschali, & Infraoctavam Corporis Christi. 20. Jan. 1705.

18. In officio de die Infraoctavam SS. Corporis Christi non legitur nona lectio de festo simplici. Quod si festum illud simplex occurrerit eo die, quo fit de festo duplici infra eandem Octavam; tunc non omittitur, sed legitur nona lectio de eodem simplici: dummodo festum illud non sit duplex primæ classis. 8. Junii 1669.

19. Infraoctavam SS. Corporis Christi non sunt dicendæ Missæ votivæ privatæ, aut *de Requiem*. 21. Junii 1670.

20. Occurrentibus eadem die duobus festis duplicibus Infraoctavam SS. Corporis Christi, non est de translato agendum die immediatè sequenti, non impedita, sed post Octavam, nisi fuerit ex solemnioribus primæ classis. 7. Decemb. 1680.

21. In processionibus, quæ fiunt cum SS. Sacramento, qui incedunt ante illud in occursu, & transitu à latere ejusdem debent facere genuflexionem, dummodo videant prædictum SS. Sacramentum. 1. Martij 1681.

22. In festo SS. Corporis Christi non est facienda processio cum Sacramento sine pluviali. 22. Jan. 1701.

23. In Tabernaculo ubi asservatur SS. Sacramentum, non sunt retinendæ reliquiæ, nec vasa sacrorum Oleorum, nec aliud. 22. Febr. 1593.

24. Tabernaculum SS. Sacramenti in Cathedralibus non debet esse in altari majori propter functiones Pontificales, quæ fiunt versis renibus ad altare. 28. Novemb. 1594.

25. Ante ostiolum Tabernaculi SS. Eucharistiæ, in quo depicta, vel insculpta est imago Salvatoris, non est retinendum vas florum, vel quid simile: sed collocandum inhumiliori, & decentiori loco. 22. Jan. 1701.

26. Reliquiæ, quibus in Altaris consecratione utitur Episcopus, debent esse Sanctorum ab Ecclesia approbatorum. 13. Sept. 1593.

27. Altare portatile tunc consecrationem amittit, quando frangitur, vel loco movetur repositorium Reliquiarum. 5. Mart. 1603.

28. Vicario Episcopi Missam cantanti solemnem, non ministrant Canonici, neque fit circulus ante ipsum. 8. Martij 1595.

29. Episcopo absente non potest Vicarius Missas celebrare Conventuales, nec Pontificales. 16. Maji 1600.

30. Absente Episcopo spectat etiam ad Vicarium Generalem edicere, & dirigere processiones cum consilio Capituli. 24. Aug. 1619.

31. Ad horas omnes, quæ recitantur in Choro ardeant in altari duæ saltem candelæ. 7. Aug. 1595.

32. Matutinum in Cathedrali recitandum est manè, non autem Vesperi pro die sequenti. 18. Oct. 1595.

33. Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione recitandum est manè die secunda Nov. non vero pridie Vesperi. 1. Sept. 1607.

34. Si consuetudo deferendi processionaliter SS. Sacramentum feria sexta Parasceves, in feretro nigris velleribus contecto, non potest absque graviori incommodo extirpari, est toleranda. 29. Mart. 1596.

35. Tolerari non debet, quod in locis publicis, & sordidis stent depictæ diversæ Cruces, ac Sanctorum Imagines in derisum Christianæ Religionis. 22. Maji 1596.

36. Non sunt consecranda ea altaria, sub quibus recondita sunt defunctorum cadavera. 8. Nov. 1599.

37. Si sub altari, vel sub ejus gradibus humata sint defunctorum cadavera, non est ibi celebranda Missa, donec alio transferantur. 10. Nov. 1599.

38. Corpora Sanctorum nondum Canonizatorum non possunt poni sub altari. 16. Oct. 1604.

39. Moniales completo officio, possunt recitare aliquem psalmum, orationem, vel Collectam: quia hoc non est officio addere. 12. Jan. 1600.

40. Moniales, quæ Breviario Romano uti consueverunt, non sunt compellendæ ad recipiendum Monasticum. 6. Maji 1622.

41. Moniales ipsæ tenentur legere, vel cantare cantu firmo officium, non vel

vero earum Cepellani. 11. Maji 1635.

42. Nomine processionum generalium comprehenduntur Rogationes. 12. Martij 1601.

43. Musica non decet in officio Quadragesimali, præsertim cum instrumentis: & si est occasio alicujus scandali. 27. Martij 1601.

44. Sacerdoti Missam novam celebranti licet oblationes accipere, modo non discedat ab altari. 1. Oct. 1611.

45. Dignitatibus hinc inde distributis in Choro incensentur eæ cum Canonicis ab una parte: deinde aliæ cum alijs Canonicis ab altera parte, non vero Dignitates omnes simul ante omnes Canonicos. 7. Dec. 1601.

46. Archidiaconus sustinens baculum Episcopi thurificandus est post Diaconos assistentes, ubi non adsit contraria consuetudo. 28. Aprilis 1607.

47. Assistens Presbyter debet Episcopum thurificare ad Sedem, quicumque ille sit, non verò Diaconus Evangelij. 19. Maji 1607.

48. Absente Episcopo thurificandus est celebrans triplici ductu. 30. Jan. 1616.

49. Finito Evangelio Missæ solemnis, cui assistit Episcopus cum cappa, thurificandus est celebrans, non vero Episcopus. 4. August. 1663.

50. Canonici in Dominicis singillatim aspergendi sunt aqua benedicta, non verò unico ictu in circulum. 20. Dec. 1601.

51. Non est impedienda devotio ad Imagines Sanctas. 17. April. 1602.

52. Canonici tenentur in choro psallere: aliàs non satisfaciunt obligationi suæ. 20. Apr. 1602.

53. Canonici debent cantare alta voce: sed non potest eos Episcopus cogere. 13. Nov. 1602.

54. Assistentia, quæ fit ad Missam, & Vesperas, fiat cum pluviali. 3. Aug. 1602.

55. Qui assistit in choro Missæ Conventuali non potest portare pileolum per totum Canonem: in alijs verò Divinis Officijs uti potest. 5. Nov. 1602.

56. Missa Conventualis canenda est quotidie in Collegiatis, quarum Cleras est numerosus, & reditus non tenues. 14. Jan. 1603.

57. Tenentur omninò Canonici ad cantandam Missam de die, ut lucrentur distributiones. 28. Jan. 1612.

58. Sub nomine festi novem lectionum venit etiam Dominica, ideoque non est feria prima. Et si in ea occurrerit festum duplex, in Cathedralibus, & Collegiatis canendæ non sunt duæ Missæ. 12. Martij. 1618.

59. Non potest omitti altera ex duabus Missis cantandis ob celebrationem Capituli Canonicorum. 16. Maji 1626.

60. Ob Missam votivam, seu pro defunctis non est omittenda Missa Conventualis: neque potest introduci consuetudo in contrarium ritum, salva semper Rubrica de votivis assignatis singulis diebus in fine Missalis. 16. Jan. 1627.

61. Potest Episcopus cogere Canonicos, ut à Capellanis in Quadragesima cantari faciant cum Diacono, & Subdiacono. 17. Jul. 1627.

62. Abrogatur omnis consuetudo non cantandi Missam de die ultra votivam, seu pro defunctis. 28. August. 1628.

63. Si infra hebdomadam passionis occurrerint dies Infraoctavam apud privilegiatos, tàm in Missa Conventuali de Feria, quàm in privatis de Octava, vel etiam de eadem Feria, omittenda est tertia Oratio *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*. 22. Nov. 1659.

64. Licet in illis Ecclesijs, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi Missam votivam de Beata Maria singulis diebus Sabbati, possit hic pius usus, seu Populorum devotio continuari, etiam in Sabbatis festo duplici impeditis, non est tamen omittenda Missa Conventualis. 2. Dec. 1684.

65. Sacerdos, qui celebrat Missam Conventualem, in qua chorus tenetur cantare symbolum, non potest illam prosequi eo tempore, quo à choro cantatur symbolum prædictum. 17. Dec. 1695.

66. Non est facienda altaris thurificatio in Missa Conventuali dierum solemnium, si absque cantu, & Ministris celebretur. 22. Jan. 1701.

67. Qui sunt de gremio alicujus Ecclesiæ debent recitare officium, quod in choro dicitur. Et licet extra Ecclesiam, vel Diœcesim morentur, decet eos recitare officium proprium Ecclesiæ ipsorum. 8. Sept. 1602.

68. Clerici, licet adscripti alicui Ecclesiæ, & ejusdem servitio, non tamen obligati choro, & quicumque alij Clerici Sæculares, Regularesve in Civitate, vel Diœcesi commorantes, non tenentur recitare officia propria Sanctorum illius Diœcesis, vel quæ de consuetudine in eadem Ecclesia recitantur in choro. 8. Sept. 1602.

69. Episcopus Regularis debet officium recitare juxta ritum suæ Diœcesis, non vero Regulæ. Et occurrente festo Regu-

gulæ in festo Diœcesis, hoc erit præferendum. 11. Jun. 1605.

70. Capellanus Episcopi, qui cum eo recitat officium, debet se illi conformare; 11. Jun. 1605.

71. Intra clausuram omninò prohiberi debet celebratio Missæ, etiam ad communicandas infirmas, non obstante antiquissima consuetudine. 1. Dec. 1602.

72. Abusus antiqui in processionibus tollendi sunt cum magna cautela, ne majora scandala sequantur. 11. Maji 1603.

73. Septimum candelabrum adhibeatur in Missis tantum Episcopi solemnibus, sed non defunctorum. 19. Maji 1607.

74. Anniversaria, & Missæ de Requiem, certo die dici debentes impedito transferri possunt in sequentem. 19. Maji 1614.

75. In festo duplici non sunt dicendæ Missæ votivæ privatæ, aut de Requiem. 5. Aug. 1662. quod intelligendum est etiam de festo duplici translato.

76. Non sunt transferendæ Missæ privatæ de Requiem, quæ ex benefactorum præscripto celebrandæ incidunt in festum duplex: sed dicendæ sunt de festo occurrente cum applicatione sacrificij, juxta mentem benefatorum. 5. Aug. 1662.

77. Anniversaria, & Missæ de Requiem, quæ ex dispositione Testatorum cum cantu sunt quotannis celebrandæ possunt cantari, etiamsi ipsorum obitus dies inciderit in festum duplex majus. 22. Nov. 1664.

78. Missæ de festo duplici celebratæ in altari animabus perpetuò privilegiato, & in quo proindè quotidiè etiam in duplicibus celebrandæ essent Missæ de Requiem ex obligatione, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis juxta formam privilegiorum. 22. Jan. 1667.

79. Sacerdotes, sive Capellani, sive non, qui recitant officium semiduplex, simplex, vel feriale, si celebrent in aliqua Ecclesia Regularium, in qua fit de festo duplici, non debent dicere Missam de Requiem. 9. Jun. 1668.

80. Decretum, de quo supra num. 78. extenditur etiam ad altaria non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus: ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiata: ac proindè Missæ de festo duplici, quæ sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragentur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis. 23. Sept. 1669.

81. Durante expositione SS. Sacramenti non potest regularitèr celebrari Missa de Requiem: neque cantari pro adimplenda mente Testatoris, sive Anniversario satisfaciendo, licet currat officium hujusmodi Missas admittens. 2. Dec. 1684.

82. Cum primum habita fuerit notitia de obitu alicujus personæ, cantari poterit Missa de Requiem, etiam in festo duplici, quod non sit de præcepto: nam in hoc casu prædicta Missa erit differenda. 4. Maji 1686.

83. Decreta superius posita num. 78. & 80. licet comprehendant tantum festa duplicia, intelligenda tamen sunt etiam de Dominicis, de diebus Infraoctavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi: & de omnibus alijs diebus, quibus juxta Rubricas non possunt celebrari Missæ Defunctorum. 2. Apr. 1688.

84. In Vigilia Epiphaniæ omninò prohibentur Missæ votivæ privatæ, & de Requiem. 27. April. 1697.

85. Cineres distribuendi in feria quarta post Dominicam Quinquagesimæ debent esse aridi, non vero in modum luti. 23. Maji 1603.

86. Si processio Litaniarum majorum terminetur ad Ecclesiam S. Marci, cantetur ibi Missa de S. Marco: non vero de Rogationibus. 23. Maji 1603.

87. Vesperæ defunctorum pro prima die mensis possunt dici post Vesperas Dominicæ, vel festi. 23. Maji 1603.

88. Assistentes Episcopo, licet minus digni, præferuntur omnibus alijs, & ante Dignitates thurificantur. 23. Maji 1603.

89. Non tenentur omnes Canonici associare Episcopum ab eo altari, in quo Missam planam celebravit, usque ad Sedem Episcopalem, si assistere voluerit Missæ Conventuali. 5. Jul. 1603.

90. Consuetudo, ut Dignitates, & Canonici mitram, gremiale, baculum, thuribulum, & similia ministrent Episcopo est servanda. 5. Jul. 1603.

91. Episcopus non debet in Ecclesia salutare Canonicos aperiendo caput, sed benedicendo manu. 10. Jan. 1604.

92. Dignitates, quæ habent præbendas cum onere cantandi Evangelium, seu Epistolam, non tenentur ministrare inferioribus. 10. Jan. 1604.

93. Si Episcopus interesse voluerit Horis Canonicis, statuere debet certam adventus sui horam, qua elapsa, poterit inchoari officium. 16. Jan. 1605.

94. Diaconus, & Subdiaconus accipiunt pacem ab Episcopo celebrante, statim post Diaconos assistentes. 15. Mart. 1608.

95. Duorum Canonicorum assistentia semper convenit Episcopo, sive celebret ipse, sive assistat Divinis. 10. Maj. 1608.

96. Dignitates tenentur associare Episcopum cum Canonicis ex debito, licet Cæremoniale Episcoporum nominet tantum Canonicos: ubi non adsit contraria consuetudo. 10. Jan. 1609.

97. Archidiaconus non potest assistere Episcopo in habitu Prælatitio non chorali, licet sit Protonotarius. 6. Mart. 1610.

98. Canonici parati assistentes Episcopo præcedunt Vicarium Generalem, & sunt ante ipsum thurificandi. 6. Mart. 1610.

99. Canonicus paratus debet habere locum etiam à Decano. 26. Jun. 1610.

100. Canonici Missam celebrantes coram Episcopo non debent sedere in sede cum postergali, sed in scamno oblongo tapete, vel panno cooperto in latere Epistolæ. 19. Maji 1614.

101. Archidiaconus, si est prima Dignitas, debet facere officium Presbyteri assistentis. Si est Sacerdos, & recusans, cogendus est pœnis, & censuris. 28. Maj. 1616.

102. Prima Dignitas debet assistere Episcopo celebranti, licet sit unica. 12. Decemb. 1620.

103. Soli Canonici debent facere consuetos circulos ante Episcopum, non autem Vicarius Generalis. 28. Sept. 1634.

104. Licet Episcopus non celebret, sed tantum assistat Missæ solemni, celebrans debet ad confessionem respondere Episcopo usque ad *Indulgentiam* inclusivè, non vero simul cum illo dicere *in nomine Patris*. 4. Aug. 1663.

105. Ubi adest inveterata consuetudo recitandi in choro Psalmos Pœnitentiales in ferijs quintis Quadragesimalibus post Completorium, & Psalmos Graduales in ferijs tertijs ejusdem temporis eodem loco retineri potest. 2. Aug. 1603.

106. Non est relinquendum officium debitum pro officio devotionis. 29. Nov. 1603.

107. In Ecclesia Collegiata exempta, præsente uno Canonico cum Episcopo, & Abbate Collegiatæ ejusdem cum suis Canonicis, prius incensetur Canonicus, deindè Abbas. 7. Februar. 1607.

108. In eodem Palatio non conceditur, nisi unum Oratorium privatum. 4. Maj. 1604.

109. Non potest Abbas extra suam Ecclesiam uti mitra, & baculo: neque ea ante se deferre. 17. Jul. 1604.

110. Abbati celebranti unica tantum mitra conceditur. 29. Jan. 1628.

111. Missa solemnis Abbatialis ter in anno ad summum est canenda: non tamen cum septem, sed cum sex candelabris, & cum abaco parvo. 29. Jan. 1628.

112. Baldachinum Abbatis sine auro sit, & ter in anno ad summum adhiberi potest. 29. Jan. 1628.

113. De licentia Ordinarij poterit Abbas uti mitra, & baculo extra proprias Ecclesias. 6. Dec. 1631.

124. Titulus antiquus Ecclesiæ mutari non potest à confraternitate. 26. Octob. 1604.

115. Missæ ad satisfaciendum eleemosynis alicui Ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per exteros, ubi commodè possunt satisfieri per Sacerdotes ejusdem Ecclesiæ. 28. Jan. 1606.

116. Non potest Episcopus extendere ad suam Diœcesim officium illud, quod fieri solet in Civitate. 16. Jan. 1607.

117. *Gloria in Excelsis* cum *Credo* omittitur in votivis pro re gravi, si violacea adhibeantur paramenta. 19. Maj. 1607.

118. Res gravis pro licita votivæ solemnis decantatione cum *Gloria*, & *Credo*, ea est, pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo; vel apud Regulares in eorum Comitijs Generalibus, seu Provincialibus, cum cantatur Missa pro re eorumdem judicio gravi. 19. Maj. 1607.

119. Canonici Ecclesiæ Collegiatæ non debent in processionibus incedere parati, sicut Canonici Cathedralis. 19. Maj. 1607.

120. Cereus Paschalis regulariter accendendus est ad Missas, & Vesperas solemnes in triduo Paschatis, in Sabbato in Albis, & in Dominicis usque ad Ascensionem: in alijs servanda est locorum consuetudo. 19. Maj. 1607.

121. Servanda est consuetudo, qua recitatur in choro Officium Parvum B. Virginis Mariæ in semiduplicibus, & Dominicis, non obstante Bulla S. Pij V. nam ibi dicitur: *sine præjudicio sanctæ consuetudinis*. 1. Sept. 1607.

122. Ad invitatorium, antiphonas, responsoria, & versiculos in Officio Parvo B. Mariæ Virg. non additur *alleluja* tempore Paschali. 18. Mart. 1626.

123. Etiam mutato proprio Breviario, & Romano acceptato, retinenda est ea consuetudo recitandi quotidiè Officium Parvum B. V. Mariæ. 2. Jan. 1627.

In

124. In Ecclesijs Titularibus B. Mariæ V. faciendi est in suffragijs Commemoratio de eadem B. Maria, non obstante quod in choro recitetur ejusdem Officium Parvum. 13. Jun. 1684.

125. Coadjutor Episcopi non sedet celebrans, nisi in faldistorio: neque habet Diaconos assistentes, neque Canonici parantur, neque ponitur septimum candelabrum. 1. Sept. 1607.

126. [illegible]dictus Episcopi coadjutor non [illegible] [illegible]ulo, nisi in ordinationibus.

[illegible] [illegible]piscopi celebrans præ- [illegible] Subdiaconum debet [illegible] Canonicum pro li- [illegible]

[illegible]atorij, cui conce- [illegible], non potest ta- [illegible] [illegible]li Domini, Epi- [illegible]atchatis, & prima [illegible]atione, Assumptio- [illegible], in festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, nec in solemnitate omnium Sanctorum. 17. Nov. 1607. quibus adde Sabbatum Sanctum.

129. Ecclesia Parochialis in Diœcesi venit sub nomine Matricis, ante quam idcirco, neque Regulares, neque Confratriæ possunt campanas pulsare in Sabbato Sancto. 9. Febr. 1608.

130. Etiamsi Collegiata habeat omnimodam præcedentiam supra Matricem, non tamen potest prius pulsare campanas in Sabbato Sancto. 23. Febr. 1619.

131. Simplex reconciliatio Ecclesiæ, seu Cœmeterij non consecrati, potest committi Presbytero in Dignitate constituto. 9. Febr. 1608. Imo simplici Sacerdoti juxta Rituale Romanum.

132. Prima Dignitas det candelam Episcopo in festo Purificationis B. V. M. & Episcopus det statim primæ Dignitati ante Vicarium Gen. 14. Jun. 1608.

133. Omnes de Clero, etiam Canonici, Eucharistiam sumant de manu celebrantis in feria quinta in Cœna Domini. 17. Sept. 1608.

134. Sacerdotes in diei Cœnæ Dominicæ Sanctissimum Christi Corpus sumpturi, possunt deferre stolam, vel ante pectus ad formam crucis, vel à collo pendentem. 30. Sept. 1679.

135. Occurrente festo S. Josephi in feria quinta in Cœna Domini, antiquus mos communis Cleri in Missa solemni ejusdem diei summa Religione hactenus retentus nullatenus omittatur ob aliquarum celebrationem Missarum. 13. Sept. 1692.

136. Si festum S. Josephi venerit in feria quinta in Cœna Domini, non solum servandum erit præceptum vacandi ab operibus servilibus, sed etiam præceptum audiendi Missam, ideoque per Ordinarios locorum accuratè providendum, ut eo die aliquæ Missæ privatæ ante celebrationem solitæ Missæ Conventualis non desint. 13. Sept. 1692. Idem dicendum, si festum Annuntiationis occurrerit in prædicta feria quinta.

137. In choro teneri non debent aliæ Imagines, quam Sanctorum. 7. Aug. 1609.

138. Neque Abbates, neque Regularium Superiores possunt benedicere paramenta Ecclesiarum non sibi subditarum. 24. August. 1609.

139. Neque simplices Sacerdotes, neque Protonotarij possunt benedicere proprias vestes. 17 Jul. 1627.

140. Commendatario, seu ejus Procuratori non defertur liber osculandus in Missa. 17. Sept. 1611.

141. Collegiata insignis ab ejus erectione præcedit alias Collegiatas antiquiores. 24. Mart. 1612.

142. Inferiores Episcopo non debent sumere de altari paramenta pro Missa. 7. Jul. 1612.

143. Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet non obstante Constitutione Synodali, dummodo habeat solitum Reliquiarum repositorium. 1. Nov. 1612.

144. Solus Episcopus potest habere fenestras in Ecclesia, per quas in eam prospectus haberi possit. 19. Jan. 1614.

145. Potest Episcopus prohibere, ne campanæ nondum benedictæ, pulsentur. 5. Jul. 1614.

146. Non debent Regulares in Canone nominare Superiores suos, ut Antistites. 12. Nov. 1615.

147. Regularium Superiores non veniunt sub nomine Ordinariorum, & consequentèr non possunt assignare aliquam ex Dominicis Nov. pro recitatione Officij de Patrocinio B. V. M. quod multis in locis permittitur celebrandum in aliquo die Dominico illius mensis à locorum Ordinarijs eligendo. 22. Jan. 1701.

148. Clavis Hostiæ repositæ in feria quinta Cœnæ Dominicæ non est danda laico, quamvis nobili. 30. Jan. 1616.

149. Canonicus hebdomadarius officium faciens debet habere locum super omnes Dignitates, & Canonicos. 17. Jun. 1616.

150. Prima Sedes in Choro conceditur heb-

hebdomadario parato tantum. 22. Aug. 1626.

151. Crux in processionibus deferenda est à Regularibus cum velo pendente, seu pallio. 14. Jan. 1617.

152. In personarum incensatione tota thurificatio facienda est cum unico thuribulo, si talis sit consuetudo. 21. Jul. 1618.

153. Collegiata simplex præcedit Parochiales, etiamsi antequam erigeretur, illis cederet. 23. Mart. 1619.

154. Canonici Ecclesiæ Cathedralis præcedunt Canonicos Collegiatæ. 10. Aug. 1619.

155. Prior Collegiatæ, si intersit in Cathedrali, thurificandus est duplici ductu, sicut Dignitates, & Canonici, licet non habeat præcedentiam super illos. 19. Aug. 1619.

156. Potest Episcopus cogere Canonicos ad discendum Cantum Gregorianum, etiam per subtractionem fructuum. 6. Maji 1620.

157. Regulares in celebratione Missæ possunt annuntiare dies festos, jejunia in suis Ecclesijs. 2. Julij 1602.

158. In Oratione *Acunctis* nomina Patronorum, S. Michaelis Archangeli, & S. Joannis Baptistæ præponenda sunt Apostolis. 22. Aug. 1620.

159. Si in communibus Sanctorum suffragijs facienda sit commemoratio de Cruce, tanquam de Titulo Ecclesiæ, sufficiet ea ordinaria, quæ habetur in Psalterio, quando scilicèt officium currat feriale. 30. Mart. 1621.

160. In feria sexta in Parasceve non est administranda Eucharistia, nisi infirmis. 19. Febr. 1622.

161. Celebrans in Parasceve mittat particulam in Calicem, neque se signet cum Calice. 28. Aug. 1627.

162. In Officio de festo Conceptionis B. Mariæ Virginis non aliud nomen adhibeatur, quam Conceptionis. 24. Maji 1622.

163. Rubricæ de *Ave Regina Cœlorum*, additum est ly *inclusivè*: ideoque in fine completorij diei secundæ Februarij omissa Antiphona finali: *Alma Redemptoris*, dicenda est: *Ave Regina Cœlorum*. 27. Jul. 1624.

164. Licet transferatur festum Purificationis B. Virginis Mariæ, attamen *Ave Regina Cœlorum*, dicenda est die secunda Februarij post completorium, etiam in Ecclesia propria. 11. Jan. 1681.

165. Regulares Ordinis Minimorum, dum nominant in orationibus, versiculis, cæterisque actibus inter Divina officia occurrentibus, S. Franciscum prædicti Ordinis fundatorem, non debent adjungere ly *de Paula*. 23. Dec. 1624. Unde apparet, quid in similibus sit faciendum.

166. Symbolum S. Athanasij, quod dicitur ad Primam, laudabilius in Choro recitatur stando. 23. Dec. 1624.

167. Imagines illorum, qui cum sanctitatis, seu martyrij famæ [illegible] ecesserunt, non sunt apponendæ in Oratorijs [illegible] Ecclesijs, tàm Sæcularibus, [illegible] bus, antequam decla[illegible] que ad eorum se[illegible] sunt lampades [illegible] sine licentia Sedis [illegible] 1625. [illegible]

168. Non ideò p[illegible] aliquo illis, qu[illegible] clesiæ consensu[illegible] temporis Cursu[illegible] rorumque Sancto[illegible] gissimi temporis [illegible], [illegible] tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij coluntur. 13. Mart. 1625.

169. Facultas concedendi usum pileoli in Missa spectat ad Papam. 14. Aprilis 1626.

170. Celebrans, qui distribuit Cineres, candelas, & ramos, detecto capite distribuat. 18. Julij 1626.

171. Absente Episcopo benedictiones candelarum Cinerum, palmarum, & fontis fiant ab eo, qui cantaturus est Missam. 12. Jun. 1627.

172. Ille idem, qui benedicit Cineres prima die Quadragesimæ, vel candelas in festo Purificationis, aut ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare Missam sequentem. 11. Aprilis 1640.

173. Candelæ, cineres, palmæ distribuuntur stando cum mitra in capite ab eo, qui privilegium habet eam gestandi. 18. Feb. 1650.

174. In Missa feriæ quartæ quatuor Temporum occurrentis in die Octava Nativitatis B. Virginis Mariæ dicenda est Præfatio communis, non verò de B. Maria. 12. Decemb. 1626.

175. Signum, quod fit cum patena à fronte ad pectus fit integrè cum signo Crucis. 13. Mart. 1627.

176. Ad Missam Vicarij Generalis non debent accendi quatuor candelæ, nec assistere duo Capellani. 7. Aug. 1627.

177. Infraoctavam Epiphaniæ, Paschatis, & Pentecostes, necnon in feria quarta

Ci-

Cinerum, in hebdomada majore, in Dominicis,& in Vigilijs Nativitatis Domini, & Pentecostes, non possunt dici votivæ Missæ privatæ; neque de Requiem. 28. Aug. 1627.

178. Si festa SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, ac Inventionis S. Crucis occurrerint Infraoctavam Ascensionis Præfatio in Missa erit de Apostolis, vel de Cruce; at *Communicantes* de Ascensione. 28. Aug. 1627. Idem dicendum de alijs festis, ac de Missis votivis propriam habentibus Præfationem, & infrà eandem Octavam celebrandis, sicut & hoc prorsus servandum Infraoctavam Epiphaniæ.

179. Oratio imperata à Superiore; veluti *Deus refugium* omittenda est in duplicibus primæ classis. 28. Aug. 1627. Romæ omittitur etiam in festis secundæ classis.

180. In fine Missæ ad quodcumque altare celebratæ fit reverentia Cruci infrà gradus, capite semper aperto. 28.Aug. 1627.

181. Vicarius, ut Vicarius non potest absente Episcopo Missas cantare solemnes: SS. Sacramentum, aut Sacras Reliquias paratus deferre, nec alijs se Immiscere functionibus Ecclesiasticis: sed tantum præesse, ut omnia suo ordine fiant. 19. Sept. 1627.

182. Si Litaniæ majores occurrerint in die Sancto Paschatis, transferantur in feriam tertiam sequentem. 25. Sept. 1627.

183. In Ecclesijs Regularium habentium claustra fiant processiones intra claustra tantum: si verò non habeant claustra fiant propè muros Ecclesiæ, sive exeundo ab una porta, & intrando per aliam Ecclesiæ portam, sive per eandem. 26. Feb. 1628.

184. Extra ambitum Ecclesiæ non licet Regularibus facere processiones, nisi de licentia, & consensu Parochi: salvis privilegijs, & consuetudinibus, si quæ sunt. 26. Febr. 1628.

185. Officium fit duplex minus de illo Sancto, cujus habetur Reliquia insignis, scilicèt, caput, brachium, crus, vel ea pars corporis, in qua passus est Martyr, dummodo sit integra, & non parva: & modo sit approbata, cujus ratione recitandum est symbolum in Missa. 8. April. 1628.

186. Festum, quod in aliqua Ecclesia celebratur ratione corporis, vel insignis Reliquiæ, non habet Octavam, nisi specialitèr concedatur à Sede Apostolica. 12. Aug. 1653.

187. Qui recitat officium de Santo, de quo habet insignem Reliquiam in propria Ecclesia, si celebret eo die in alia Ecclesia, debet omittere *Credo*. 2. *Dec.* 1684.

188. De Sancto, cujus habetur corpus, vel insignis Reliquia, non potest fieri officium, nisi constet de identitate, & nisi reperiatur in Martyrologio Romano. Reliquiæ verò à locorum Ordinarijs approbatæ, possunt exponi ad fidelium venerationem. 19. Oct. 1691.

189. Missæ de SS. Rosario, de Monte Carmelo, Ordinibus Prædicatorum, & Carmelitarum respectivè specialitèr concessæ; non sunt ab alijs celebrandæ sine speciali licentia. 8. April. 1628.

190. Missa de SS. Rosario potest quidem dici à Sæcularibus, sed ut in festo ad Nives, cum oratione propria, quæ apponi solet in calce Missalis. 29. Octob. 1678.

191. In illa Ecclesia, ubi inest Capella, vel Altare SS. Rosarij potest celebrari officium de eodem SS. Rosario sub ritu duplici majori in Dominica, quæ vel occurrit in Kalendis, vel prima post Kalendas Octobris. 23. Sept.1688.

192. Non possunt locorum Ordinarij tàm Sæculares, quam Regulares addere Kalendarijs, etiam proprijs sanctorum officia, nisi ea duntaxat, quæ Breviarij Romani Rubricis, vel Sacrorum Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur. 8. April. 1628.

193. Non est celebranda per totam Civitatem, vel Diœcesim Missa, nec recitandum officium de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel etiam Abbatialis, aut aliqua insignis Reliquia: sed tantum in propria Ecclesia, nisi habeatur specialis licentia. 8. April. 1628.

194. Officium defunctorum dici potest in Choro separatim ab officio diei in diebus exceptis à Breviario pro adimplenda Testatorum voluntate. 12. Junij 1628.

195. In Sacramentorum administratione ne adhibeant Canonici rochetum, & cappam, si ijs utuntur in Choro, sed cottam, & stolam. 12. Jun. 1628.

196. Canonici Regulares possunt in publicis processionibus uti rocheto, & superpelliceo. 28. Aug. 1628.

197. De titulis Altarium, nisi sint in Ka-

len-

lendario Romano, nullum recitetur officium. 28.Aug. 1628.

198. Annuli usus in Missa prohibetur Protonotarijs non participantibus, Doctoribus quibuscumque, & Canonicis Cathedralium. 20.Nov. 1628.

199. Possunt Canonici Missam celebrare cum annulo aureo, & de rigore utiı sed sine gemma, & sine aliqua effigie. 4. Aug. 1663.

200. Solemniter consuevisse fieri officium significat festum Populi, aut Cleri cum apparatu. 9. Decemb. 1628.

201. De Sancto canonizato non potest fieri officium extra propriam Ecclesiam sine novo Decreto. 9.Dec. 1628.

202. Officium cum Missa B. Rochi in ejus die festo conceditur tantum in Ecclesijs in ejusdem honorem Deo dicatis, nisi aliud permittatur. 26.Nov. 1629.

203. Non possunt eligi in Patronos, nisi illi solum, qui ab Ecclesia universali sub titulo Sanctorum coluntur, non autem beatificati duntaxat. 23.Mart.1630.

204. Electio de Patrono Civitatis fieri debet per secreta suffragia à Populo mediante Concilio generali solum: & accedere debet consensus Episcopi, & Cleri illius loci. 23.Mart. 1630.

205. Idem servandum in Patrono Regni, qui pariter eligendus erit per secreta suffragia à Populo singularum Civitatum Provinciæ. 23. Mart.1630.

206. Repræsentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & ulterius interveniat consensus Episcopi, & Cleri dictarum Civitatum. 22. Mart. 1630.

207. Causæ electionis novorum Patronorum deducendæ sunt in Sacra Congregatione, & ab eadem examinandæ: ac tandem causa cognita ab eadem Congregatione approbanda est, & confirmanda. 23. Mart. 1630.

208. Si in locis Diœcesis nullus reperiatur electus Patronus, tenetur Diœcesis non solum ad festum de Patrono Civitatis, sed etiam ad octavam. 28.Sept. 1658.

209. In Patronorum, sive Protectorum præcedentia servandus est ordo Hierarchiæ Ecclesiasticæ: & inter ordinem Hierarchicum anterioritas in electione. 13. Mart. 1690.

210. Non sunt inserendi in Litanijs alij Sancti, præter ibi descriptos: neque tempore pestis addendi sunt Titulares, & Civitatis Patroni sine speciali concessione. 23. Mart. 1631.

211. Qui præ timore, vel balbutie non pronuntiat Evangelium S. Joannis, quod legitur in fine Missæ, seu ejus loco aliud suo arbitratu recitat, suspendendus est à Missarum celebratione, quousque illud ritè pronuntiare assuescat. 5. Jul. 1631.

212. Pyxis, in qua asservata fuit Eucharistia non potest vendi, vel pignorari 27. Aug. 1632.

213. Canonici in processione intra Ecclesiam, incedant capite detecto: & extra eam cum birreto in capite. 30.Mart. 1633.

214. Ubi non est Aurora physicè pro licita Missarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politicè: quando scilicèt ibi terminari solet quies, & inchoari labor juxta probatam Regionum consuetudinem. 18.Sept. 1634.

215. In Kalendarijs locorum fiat nota, *ad libitum*, quando officia non sunt de præcepto. 6. Febr. 1638.

216. Festa ad libitum occurentia in diebus Dominicis, Octavis, & Natalitijs Sanctorum alicujus Diœcesis, vel Religionis sunt omittenda. 24. Jan. 1682.

217. Officia ad libitum occurrentia eo die, in quo alias aliquod festum translatum poni deberet, vel in quo agendum esset officium concessum semel in hebdomada, vel in mense, possunt celebrari, protracto ulterius ad aliam diem festo translato, vel omisso officio per hebdomadam, aut per mensem concesso. 24. Jan. 1682.

218. Si festum ad libitum non potuerit celebrari, & habuerit etiam ritum simplicem de præcepto, eo anno non omittatur, sed celebretur ritu simplici. 13. Jun. 1682.

219. In occursu non potest transferri officium proprium alicujus Diœcesis, vel Religionis, ut eo die agatur de festo ad libitum, ne omittatur. 2. Decemb. 1684.

220. Officia ad libitum occurrentia infra octavas non privilegiatas, etiam particularis alicujus Diœcesis, vel Religionis non sunt celebranda, sed omittenda. 19. Jan. 1693.

221. Non licet in media nocte Nativitatis Dominicæ celebrare successivè alias duas Missas, & in eis Sacram Communionem exhibere fidelibus illam deposcentibus, sed utrumque omnino prohibitum. 7. Dec. 1641.

222. Festum de Patrono principaliori loci est præceptivum cum obligatione audien-

dicendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus. 13. Sept. 1642.

223. Personæ tantum voventes tenentur servare festa veluti de præcepto, quæ inducta sunt ex voto. 8. April. 1643.

224. Regulares, qui sunt in possessione præcedentiæ præcedant in publicis functionibus: & ubi non constat ex possessione præcedant, hi, qui sunt antiquiores in loco controversiæ. 6. Oct. 1645.

225. Organum haberi debet etiam in Ecclesijs Collegiatis. 27. Jul. 1646.

226. Non sunt ex organo faciendæ conciones, maximè ubi habetur solitus pulpitus. 25. Octob. 1601.

227. Nemo potest excedere limites verbales indultorum Sedis Apostolicæ super Beatificationibus: præsertim in celebratione Missarum, & officij cum octavis sine expressa licentia prædictæ Sedis Apostolicæ. 5. Octob. 1652.

228. Beatorum nomina non apponantur in Kalendarijs, nisi illius tantum loci, earumque personarum, in quo, & à quibus cultus cum officio, & Missa celebratur. 27. Sept. 1659.

229. Non sunt invocandi Beati in publicis precibus præter indultas, & approbatas: nec eorum Reliquiæ in processionibus circumferendæ. 27. Sept. 1659.

230. Licet non sint celebrandi dies festi in Beatorum honorem, hoc tamen non extenditur ad festa devotionis. 27. April. 1660.

231. Indulta recitandi officium cum Octava, & celebrandi Missam de Beatis non sunt revocata per Decretum editum sub die 27. Sept. 1659. Decretum hoc est. 17. April. 1660.

232. In alijs Ecclesijs, in quibus officium, & Missa de Beatis recitari, & respectivè celebrari possunt, licet eorum Reliquias exponere, imagines, vel simulacra super Altari collocare, ac votivas tabellas ibidem appendere. 17. April. 1660.

233. Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegijs suæ Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de Beatis suæ Religionis recitare officium, & in proprijs Cathedralibus Missam celebrare, & altare prædictis Beatis erigere. 17. April. 1660.

234. In Missis de Beatis non est dicendum Symbolum, ubi scilicèt est permissa hujusmodi celebratio. 22. Jul. 1664. nisi adsit Reliquia.

235. Tàm Minores Conventuales, quàm Observantes Reformati S. Francisci possunt in proprijs suorum Ordinum Ecclesijs solemnizare festum S. Antonij Patavini ea ipsa die, in quam inciderit: dummodo Reformati à processionibus abstineant eodem loco. 20. Sept. 1659.

236. Nullo modo sunt permittendæ duæ processiones in eodem loco, eodem die, 9. Aprilis 1663.

237. Non licet in Ecclesijs, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebratio Missæ in feria quinta in Cœna Domini: nec ejusdem Augustissimi Sacramenti asservatio in Sepulchro. 24. Jun. 1659.

238. Manus Sacerdotis ad *hanc igitur oblationem*, debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextero super sinistrum in modum Crucis supra manus, non verò infra manus. 4. Aug. 1663.

239. Passio in hebdomada majori legenda in Missis privatis in cornu Evangelij, licet in Missa solemni legatur à celebrante in cornu Epistolæ. 4. Aug. 1663.

240. Non solum Cruces, & Imagines Salvatoris, sed etiam icones altarium, & omnes aliæ Imagines Sanctorum tegendæ sunt in primis Vesperis de Dominica Passionis. 4. Aug. 1663.

241. Hebdomarius in cantandis Horis Canonicis non debet uti stola. 4. Aug. 1663.

242. Cruces, quæ fiunt à Sacerdote super oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte Crucis. 4. Aug. 1663.

243. Pars inferior Hostiæ, non autem superior præcidenda est, quando dicitur: *Pax Domini sit semper vobiscum*. 4. Aug. 1663.

244. Sacrificia in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum possunt applicari ad libitum: scilicèt in genere pro omnibus, tum in specie pro aliquibus defunctis. 4. Aug. 1663.

245. Lectiones primi Nocturni in Officio de festo duplici majori, sumendæ sunt (nisi sint propriæ) ex ejus communi: non verò ex scriptura occurrente. 12. Jul. 1664. licet occurrat initium.

246. Dedicatio Apostolorum, & Salvatoris, extra urbem, non habet integras Vesperas, si die præcedenti, vel sequenti celebretur Officium duplex minus. 12. Jul. 1664. Idem dicendum de die Octava Dedicationis.

247. Dies Octava non privilegiata dimidiat Vesperas in occurrentia cum festo minori. 12. Jul. 1664.

248. Si transferatur festum S. Luciæ in feriam

riam secundam ratione Dominicæ privilegiatæ, Vesperæ erunt de die Octava Conceptionis cum Commemoratione S. Luciæ. 1. Mart. 1681.

249. Quæcumque dies Octava B. V. Mariæ debet habere integras utrasque Vesperas in concurrentia cum festo duplici minori. 11. Aug. 1691.

250. Primæ, & secundæ Vesperæ Angelorum Custodum dividendæ sunt à Capitulo, si concurrant cum festo duplici minori. 27. Septemb. 1698.

251. Non permittitur ad altare majus celebratio Missæ, dum dicuntur in Choro matutinum, & horæ. 15. Sept. 1664.

252. Ad Octavam benedictionem in festo Conversionis S. Pauli Ap. non dicitur: *Cujus Conversionem colimus*: sed *cujus festum*. 23. Febr. 1666. Patet hinc, quid sit faciendum in Officijs Translationis, Apparitionis, Ordinationis, vel Inventionis aut similium.

253. Ubi celebratur festum S. Raphaelis Archangeli, ad Octavam benedictionem dicatur: *cujus festum*: non verò, *quorum festum*. 13. Sept. 1692.

254. Si simul sint transferenda festa S. Marci Evangelistæ, & SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi prius reponatur festum S. Marci, deindè festum Apostolorum. 18. Sept. 1666.

255. Festum duplex occurrens ante Octavam non privilegiatam non est transferendum post Octavam: sed infra eandem celebrandum, prima die non impedita. 30. Sept. 1679.

256. Officium particulare alicujus Diœcesis, vel Religionis, quod occurrit die vigesimaquinta Februarij, est transferendum in anno Bissextili ad primam diem non impeditam: dummodo non sit duplex primæ classis. 7. Sept. 1680.

257. Officium semiduplex, quod occurrit in Dominica Infraoctavam non privilegiatam non est celebrandum in feria secunda sequenti, licet non impedita, si habeatur reponendum aliud festum altioris ritus. 1. Mart. 1681.

258. In repositione duorum, vel plurium festorum ritum habentium eundem, & die occurrentium diversa attendatur prioritas translationis, nisi attendenda sit major Dignitas. 13. Jun. 1682.

259. Si plura sint transferenda festa, quæ eadem die occurrunt, & quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus, vel Populi concursus: ex quo vocatur etiam major solemnitas, supposito tamen, quod sint ejusdem ritus. 20. Julij 1686.

260. Non est transferendum in diem immediatè sequentem festum illud, ante cujus translationem habentur reponenda alia Officia prius translata ejusdem ritus, non obstante Decreto edito sub die 30. Sept. 1679. quoad verò festum semiduplex in Dominica Infraoctavam occurrens, omninò servanda est Rubrica generalis Breviarij de Translatione festorum. n. 5. Decretum hoc est. 22. Dec. 1696.

261. Si occurrerint, vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus, quæ unica die occurrebant, quorum unum sit universale, & alterum particulare alicujus Diœcesis, vel Religionis, prius fiat de universali, deindè de particulari: nisi obstet ratio majoris dignitatis. 27. Sept. 1698.

262. Ad responsorium breve Completorij in Dominica Passionis, ne omittatur. *Gloria Patri*, si die sequenti fiat de festo semiduplici. 18. Sept. 1666.

263. Si festum duplex, de quo agunt Regulares (sub quo nomine etiam veniunt Moniales) habuerit Missam propriam omnibus, & solis Regularibus concessam, Sacerdotes Sæculares celebrantes in eadem Ecclesia Regularium, Missam quidem dicant de festo duplici, sed cum Missali Romano ex Decreto Sac. Rit. Congr. Nov. 1622. Decretum hoc. 9. Jun. 1668.

264. Si Moniales non habeant Missale à Romano diversum, Sacerdotes in earum Ecclesijs celebraturi, possunt dicere proprias Missas ipsis Monialibus concessas. 27. Aug. 1672.

265. Conceditur omnibus Monialibus Ordinis Cisterciensis, quæ utuntur Breviario Romano, ut adaptare possint juxta ritum prædicti Breviarij Romani plura officia una cum Missis proprijs anno proximè præterito sub die 9. Dec. toti Ordini Cisterciensi concessa, eaque sic accomodata faciant typis imprimi. Necnon secundum easdem festivitates valeant celebrari facere Missas per Capellanos earundem servitio addictos, cum Missali Romano, & juxta illius Rubricas. 23. Jun. 1703.

266. In Missis votivis privatis non est dicendus hymnus Angelicus, nisi fuerit Missa Angelorum, in qua quotidie est recitandus: vel Missa de B. Maria, in qua quolibet Sabbato dici debet. 14. Maji 1672.

Clau-

267. Clausula posita in Brevibus Indulgentiarum; scilicèt: *Volumus autem ut si aliàs Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint*: non comprehendit altaria privilegiata pro defunctis. 23. Jun. 1676.

268. Sub generali Indulgentiarum suspensione, quæ fit anno Jubilæi, non comprehenduntur altaria privilegiata, nec aliæ Indulgentiæ pro solis defunctis concessæ. 24. Jan. 1700.

269. In aspersione aquæ benedictæ, quæ diebus Dominicis fit à Sacerdote Alba, & Stola induto, vel etiam cum pluviali, immediatè celebraturo Missam Conventualem, Stola aptanda est ante pectus admodum Crucis, non verò pendens à collo ad utrumque latus. 30. Sept. 1679.

270. Missa assignata festivitati Conceptionis B. V. M. non est dicenda in Sabbatis, ut votiva. 30. Sept. 1679.

271. Si occurrat Officium novem lectionum de pluribus Virginibus simul, & Martyribus eodem die, quo cadit festum simplex ejusdem qualitatis, servanda est pro Commemoratione simplici Antiphona: *Istarum est enim*. 7. Dec. 1680.

272. Officia Sanctorum, quæ alicubi supersunt de mense Decembris, transferri possunt in annum sequentem. 7. Dec. 1680.

273. Officia concessa semel in hebdomada non sunt celebranda in Adventu, Quadragesima, Quatuor temporibus, nec in Vigiliis, nisi aliter in concessione exprimatur. 1. Mart. 1681.

274. Ubi festum S. Thomæ Episcopi, & Martyris celebratur sub ritu duplici, si occurrerit in eo Dominica, die sequenti fiat Officium de die Infraoctavam Nativitatis Domini. 1. Martij 1681.

275. Quotiescumque in Sabbato ante Dominicam privilegiatam Officium fuerit de septima die infra aliquam Octavam, Psalmi Vesperarum erunt de Psalterio, Capitulum de Dominica sequenti, cum sola Commemoratione de die Octava. 1. Mart. 1681.

276. In processionibus Candelarum, Palmarum, & similium, quæ fiunt intra Ecclesias sine Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem SS. Corporis Christi in Missa privata. Quod si pulsetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum utroque genu à transeuntibus ante altare, ubi Missa celebratur, & deposito SS. Sacramento progrediendum. Similitèr si aliqui transeant in elevatione Calicis. 1. Mart. 1681.

277. Qui habent privilegia celebrandi Octavas in Quadragesima, non ideò debent facere Commemorationem in feria quarta Cinerum. 24. Jan. 1682.

278. Si in Quadragesima Officium occurretis Infraoctavam debent prædicti privilegiati dicere Missam Conventualem de feria cum Commemoratione Octavæ; Missæ verò privatæ dici possunt de Octava cum Commemoratione feriæ, ut præscribit Rubrica Missalis. Tit. 3. de feria, & Vigilia n. 2. Decretum est. 24. Jan. 1682.

279. Regulares non tenentur recitare Officia de Patronis minus principalibus, nisi sint descripta in Kalendario Romano, vel in proprio dictorum Religiosorum. 24. Jan. 1682.

280. Regulares tenentur quidem celebrare sub ritu duplici primæ classis festum de Patrono principali loci, Regni, seu Provinciæ, Et de Titulari Ecclesiæ Cathedralis: sed ad eorum Octavas non tenentur. 20. Mart. 1683.

281. Si festum S. Confessoris transferatur in proximè sequentem diem, in Hymno, *Iste Confessor*, nulla fiat mutatio Versiculi: sed dicatur: *meruit beatas*, dummodò primæ Vesperæ non sint impeditæ. 13. Jan. 1683.

282. Translato festo S. Confessoris ultra sequentem diem, in Hymno *Iste Confessor* facienda est mutatio Versiculi, dicendo: *meruit supremos*. 14. Jun. 1692.

283. Officia affixa diebus Dominicis, ut de Patrocinio B. V. Mariæ, si sint impedita festo altioris ritus, vel dignitatis sunt omittenda. 20. Martij. 1683.

284. Officium Nominis B. V. Mariæ occurrens in festo Exaltationis Sanctæ Crucis, vel in alio altioris ritus, aut dignitatis, transferatur, non verò omittatur. 20. Jul. 1686. Si concedatur pro aliquo festo ritus duplex, sine expressione majoris, vel minoris, concessio intelligatur de duplici minori, etiamsi ad honorem Deiparæ facta fuerit. 20. Nov. 1683.

285. In festo Nominis B. V. M. non est facienda Commemoratio de ejusdem Nativitate. Et in secundis Vesperis de Nativitate cadentibus in Sabbato non est facienda Commemoratio de prædicto Nomine. 20. Sept. 1684.

286. Si Officium Nominis B. V. M. venerit in Octava Nativitatis ejusdem, Officium

cium erit de Nomine, omissa in utrisque Vesperis, & Laudibus Commemoratione de prædicto die octavo Nativitatis. 15. Sept. 1685.

287. Sola ratione SS. Sacramenti expositi non est dicendum Symbolum in Missis privatis. 2. Dec. 1684.

288. Potest fieri commemoratio de SS. Sacramento, si expositum sit, etiam in Missa de festo duplici, quod non sit primæ, vel secundæ classis. 2. Dec. 1684.

289. Qui celebrat Missam de B. Maria eo die, quo fit de aliquo festo semiduplici Infraoctavam, ejusdem B. Mariæ; debet dicere Missam de Octava: sed more votivo sine *Gloria*, & sine *Credo* nisi fuerit Sabbatum: quia tunc dicendum erit *Gloria* sine *Credo*. 2. Dec. 1684.

290. Qui in Sabbato recitat Officium de B. Maria, si celebret votivam de aliquo Sancto non debet dicere *Gloria*, neque Præfationem B. Mariæ. 2. Dec. 1684.

291. Non est omittenda una ex assignatis Orationibus in Missali, velut, *à cunctis*, ut ejusdem loco dicatur aliqua oratio imperata ab Episcopo, veluti, *Deus refugium*: neque ut recitetur penultimo loco oratio pro defunctis. 2. Dec. 1684.

292. Quando dicitur Oratio, *à cunctis*, vel *Ecclesiæ*, non est dicenda Oratio contra Paganos, vel alia hujusmodi: quia sufficientèr una continet quod & altera. 16. April. 1688.

293. Quando dicitur collecta, vel Missa contra Paganos, non potest mutari nomen Paganorum, dicendo, Turcarum, Hæreticorum, &c. 29. Jul. 1689.

294. Si in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum occurrerit Dominica, vel alicubi festum de præcepto diei Dominico æquale, Officium cum Missa defunctorum transferatur in sequentem diem, etiam festo duplici impeditam. 5. Oct. 1688.

295. In Sabbato Sancto omninò prohibentur Missæ privatæ, etiam post pulsationem campanarum in quacumque Ecclesia, aut Oratorio privato, non obstante contraria consuetudine. 11. Febr. & 11. Mart. 1690.

296. Si festum Annuntiationis B. Virginis Mariæ occurrerit in feria sexta in Parasceve, vel in Sabbato Sancto, transfertur ejus Officium una cum præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus ad feriam secundam post Dominicam in Albis: protracto ad aliam diem festo in eo occurrente: nisi fuerit duplex primæ classis. 11. Martij. 1690.

Notandum 1. quod si alicubi in prædicta feria secunda occurreret duplex primæ classis, ibidemque Annuntiatio celebraretur sub eodem ritu, adhuc duplex illud esset transferendum, & celebranda Annuntiatio. Notandum 2. quod licet Annuntiatio sit secundæ classis, si tamen haberetur reponendum Officium primæ classis, nihilominus in prædicto casu esset agendum de Annuntiatione. Notandum 3. quod protracta ulterius Annuntiatione ob festum altioris ritus in eo occurrens, non ideò protrahenda obligatio audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus.

297. Si simul transferenda sint festa S. Josephi, & Annuntiationis, prius reponatur Annuntiatio: deindè S. Joseph, non obstante Decreto edicto in contrarium sub die 12. Junij 1682. Decretum est. 14. Junij 1692.

298. Translato festo, in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur etiam indulgentia, nisi ex concessione speciali. 10. Jun. 1690.

299. Si primæ Vesperæ de S. Martina impeditæ fuerint festo duplici, vel Dominica, Hymnus proprius Vesperarum uniatur Hymno Matutini, & ex duobus fiat unus sub unica conclusione: *à nobis abigat*. 26. April. 1692.

300. Ubi die decimaoctava Decembris celebratur officium de Expectatione B. Virginis Mariæ, omittendæ sunt ad Laudès antiphonæ illæ, quæ occurrunt in illa feria in proprio de tempore. 12. Maji 1692.

301. Si prædictum festum Expectationis venerit in feria quarta quatuor Temporum, nec erit dicenda nona lectio in officio, nec legendum ejus Evangelium in fine Missæ; sed illud S. Joannis: ideóque de feria sola fiat Commemoratio in Officio, & in Missa. 12. Maji 1692.

302. A die decimaseptima Decembris inclusivè usque ad Vigiliam Nativitatis exclusivè, fieri potest quodcumque officium novem lectionum, sive occurrens, sive etiam translatum. 17. Maji 1692.

303. Si festum de septem doloribus B. V. Mariæ, quod multis in locis celebratur feria sexta post Dominicam Passionis, impediatur ab officio majoris ritus, vel dignitatis, transferatur in Sabbatum sequens non impeditum, & non ulterius. 26. Febr. 1693.

304. Si Vigilia S. Mathiæ occurrerit ultima die Bacchanalium, observetur eadem

dem

dem die jejunium, non vero anticipetur. 23. Jan. 1694.

305. Evangelium pro solemni Palmarum benedictione canendum est in cornu Epistolæ ab illo, qui celebrat, absque Diacono & Subdiacono, 27. April. 1697.

306. Ubi o... quadraginta horarum fuit ob tumultus bellicos intermissa, debet restitui. 15. April. 1603.

307. Festa duplicia, & semiduplicia translata præferenda sunt officio S. Benedicti semel in hebdomada concesso. 8. Febr. 1699.

308. Regulares obtenta à locorum Ordinarijs licentia ore tenus, vel in scriptis faciendi solemnes processiones extra limites Conventuum suæ Religionis cum Statua, aut Reliquia alicujus Sancti, possunt uti pluviali, licet ejus usus non fuerit expressus in licentia obtenta. 21. Mart. 1699.

309. Usus pluvialis in processionibus solemnibus non est testimonium, nec signum jurisdictionis in utente Sacerdote. 21. Mart. 1699.

310. In paramentis nigris non est administranda Eucharistia. 22. Jan. 1701.

311. Quando exponuntur Reliquiæ, ultra lampadem, debent continuò ardere in Altari duo lumina; alias non exponantur. 22. Jan. 1701.

312. Sacerdos in sacrificio Missæ congruentius utitur cingulo lineo, quam serico. 22. Jan. 1701.

313. In sacrificio Missæ non est adhibenda palla drappo serico à parte superiori cooperta. 22. Jan. 1701.

314. Temporis præscriptio ad recitandum in Choro Divinum Officium ab Ordinario cum duobus, vel tribus Deputatis à Capitulo diversimodè fieri debet, secundum diversa anni tempora: & adnotari in tabella apponenda in Sacristia. 7. Aug. 1595.

315. Ubi Canonici sunt pauci, Dignitates etiam accedere tenentur ad Legile, & cantare sicuti alij. 20. Aug. 1601.

316. Cum antiphonæ præintonantur, omnes ab utroque latere Chori, etiam Canonici surgere debent, juxta cæremoniale, non obstante consuetudine. 23. Mart. 1602.

317. Missa Conventualis in festis dicenda est tempore æstivo hora decimaquarta: tempore vero hyemali hora decimaseptima, in ferijs autem potest dici paulò citius: modo non valde diluculo. 27. Jul. 1602.

318. Qui destinatus fuerit ad regendum Chorum, non est dimovendus à Choro, ut assistat Episcopo. 6. Sept. 1603.

319. Accensis suo tempore candelis, non differatur officium, licet absit Hebdomadarius; sed jussu majoris suppleat alius. 18. April. 1617.

320. Ad majorem in Choro spectat intonare initium officij per *Pater noster*. Et idem, eo finito, dabit signum, ut incipiatur hora. 18. April. 1617.

321. Dictus major in Choro dicet: *Dies, & actus, &c. Noctem quietam, &c. Benedicat, & custodiat, &c.* ac etiam *Dominus det nobis suam pacem*: nisi alia sit consuetudo. 18. April. 1617.

322. Nemo exeat de Choro, etiam expleto officio, nisi dato à majore signo finis. 18. April. 1617.

323. In Ecclesia SS. Nazarij, & Celsi transfertur festum SS. Victoris, & Innocentij sub ritu semiduplici postOctavam de Communi plurimorum Martyrum cum Evangelio, ut in die, & oratione propria, in qua omittuntur Socij. 12. Febr. 1633.

324. Tolerandum, quod Canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in Sacristia. 13. Sept. 1641.

325. Magister cæremoniarum tenetur personaliter significare Episcopo, quando debeat ad Ecclesiam accedere pro functionibus Episcopalibus. 3. Oct. 1642.

326. Canonici Lateranenses extra Urbem existentes, licet possint, & valeant celebrare officia Sanctorum, quorum Reliquiæ in Basilica Lateranensi reperiuntur, non ideo in Missa dicere debent *Credo*. 2. Dec. 1684.

327. Licet Rituale dicat, quod post absolutionem, quæ fit super cadaver in die obitus, vel super tumulum in Anniversario, dicto V. *Requiescant in pace*, subjungi debet, animæ ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace: nihil tamen addendum super lecticam, seu Castrum doloris in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum. 2. Dec. 1684.

328. Officium semiduplex in Dominica infraoctavam occurrens tantum habet juris in feria secunda immediatè sequenti non impedita (juxta ea, quæ dixi supr. n. 260.) ut non cedat duplici primæ classis translato. 16. Sept. 1702.

329. Conceditur Missa nova ad postulandam gratiam bene moriendi, pendenda

in

in Missali post Missam *pro remissione peccatorum*. Et in Rubricis generalibus in Titulo de *Coloribus paramentorum*, sub colore violaceo. 20. Mart. 1706.

330. Festum Conceptionis B. V. M. immaculatæ ubique terrarum ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, sicut alia festa de præcepto, servetur, & celebretur, ab sub præcepto observationis festorum comprehendatur. 28. Jan. 1708.

331. Extenditur ad Ecclesiam universalem festum B. V. M. de Mercede celebrandum die vigesimaquarta Septembris, sub ritu duplici de præcepto. 18. Febr. 1696. At quia in Decreto non exprimitur sufficientèr ritus: ideò intelligendum est de duplici minori, ut patet ex superius dictis, n.284.

332. Benedictiones, & distributiones candelarum, cinerum, & palmarum non sunt de juribus merè Parochialibus. 10. Dec. 1703.

333. Non sunt de juribus merè Parochialibus functiones omnes hebdomadæ sanctæ. 10. Dec. 1703.

334. Celebratio Missæ solemnis feria quinta in Cœna Domini non est de dictis juribus Parochialibus, sed spectat ad Parochos. 10. Dec. 1703.

335. Non est de juribus merè Parochialibus prima pulsatio campanarum in Sabbato Sancto; sed spectat ad Ecclesiam digniorem, ad forman Constitutionis Leonis X. 10.Dec. 1703.

336. Expositio quadraginta horarum, & benedictio, quæ fit super Populo non est de juribus merè Parochialibus. 10. Dec. 1703.

337. Expositio, quæ fit cum Reliquijs, vel Sacris Imaginibus, & benedictio, quæ cum eis fit super Populo non est de juribus merè Parochialibus. Et quoad benedictiones cum Reliquijs, & Imaginibus serventur Decreta. 10. Dec.1703.

338. In oratorijs privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possunt Horæ Canonicæ cum cantu, vel sine, absque alia licentia Parochiali, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa. 10.Dec. 1703.

339. In dictis oratorijs privatis est licita celebratio Missæ privatæ, assentiente Ordinario loci, & contradicente Parocho. 10.Dec. 1703.

340. Capellani Confraternitatum possunt Populo denuntiare festivitates, & vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia Parochi. 10.Dec. 1703.

341. Intra ambitum Ecclesiarum Confraternitatum fieri possunt processiones juxta ... Confraternitatis institutum absque interventu, vel licentia Parochi. 10. Dec. 1703.

342. Eædem processiones fieri non possunt extra ambitum dictarum Ecclesiarum absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est, nisi adesset licentia Episcopi. 10. Dec.1703.

343. In dictis processionibus non possunt Capellani Confraternitatum deferre stolam extra propriam Ecclesiam. 10.Dec. 1703.

344. Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quæ non sunt Regularium, neque proprium Rectorem beneficiatum habeant, non est porrigendum aspersorium à Parrocho, in cujus territorio sunt sitæ dictæ Ecclesiæ. 10. Dec. 1703.

345. In dictis Ecclesijs Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus retineri non potest Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sine speciali indulto Sedis Apostolicæ. 10. Decemb. 1703.

346. Præsupposita facultate retinendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in eisdem Ecclesijs publicis Confraternitatum non potest per annum publice exponi sine licentia Ordinarij. 10. Dec. 1703.

347. Sacerdotes exteri confluentes ad Regularium Ecclesias, & celebrantes de Sanctis Ordinis servatis servandis possunt in Missis se uni formare cum Regularibus, quoad *Credo*, & quoad numerum orationum more duplicium. 11. Jun. 1701.

348. Diebus Dominicis, quibus tàm Regulares, quàm exteri celebrant de Dominica, possunt exteri uti coloribus paramentorum, quibus utuntur Regulares ratione alicujus Octavæ. Et Regulares celebrantes in alienis Ecclesijs possunt uti coloribus juxta Ritum earumdem. Et tàm exteri in Ecclesijs Regularium, quàm Regulares in alienis possunt apponere commemorationem Octavæ, ut supra occurrentis, servata Rubrica de duplici oratione habenda in Dominica Infraoctavam. 11. Junij 1701.

349. In Officio ad Hymnum *Iste Confessor* pro Sanctis Confessoribus, quoties eisdem fixa dies est assignata, quæ non est dies obitus, recitari non debet, ℣. *Meruit bea-*

beatas scandere sedes: licet re vera officium fiat die obitus. Et eadem regula servanda est in officijs de Confessoribus translatis, quamvis officium sit de die obitus. 11. Jun. 1701.

350. Cum multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesijs, vel Nationibus concessum sit à Sancta Sede Apostolica, ut semel, vel pluries in singulis hebdomadibus, vel mensibus celebrentur varia officia per annum, exempli gratia de Sanctissimo Sacramento, vel de Sanctis non impeditis aliquo festo duplici, vel semiduplici, hujusmodi indulta non habet locum in ferijs Adventus, Quadragesimæ, quatuor Temporum, Vigiliarum, sive cum jejunio, sive absque jejunio: nec in feria secunda Rogationum, nec in alia feria, in qua secundum Rubricas sit reponendum officium Dominicæ. 20. Mart. 1706.

351. Dies impediti festo duplici, vel semiduplici pro dictis, officijs recitandis, intelliguntur etiam dies, in quibus ponendum est officium de festo duplici, vel semiduplici translato: quemadmodum aliàs responsum fuit, quod scilicèt festum duplex, vel semiduplex etiam translatum, necnon dies Octavæ sit dies impeditus respectu talium officiorum. 29. Mart. 1706.

352. Regulares absque speciali privilegio; sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum non possunt addere nomen Sancti Fundatoris in Litanijs, & *Confiteor*. Neque recitare officia, & Missas concessas alijs Religionibus. 20. Martij 1706.

353. Gratia, quam Clemens Nonus die 20. Martij 1668. Et die 16. Februarij 1669. concessit Monialibus Conceptionis B. M. Virginis Immaculatæ in Campo Martio de Urbe, Ordinis Sancti Benedicti celebrandi singulis annis festum SS. Benedicti, & Scholasticæ cum Octava extenditur ad totam Congregationem Casinensem: nempè tam ad Monachos, quàm ad Moniales eidem Congregationi subjectas. Clemens Decimus. 17. Febr. 1672.

354. Monialibus Ordinis S. Benedicti subjectis Ordinatijs in statu Veneto conceditur, ut quolibet anno celebrare possint festum SS. Benedicti, & Scholasticæ cum Octava adinstàr concessionis (de qua supra n. 353.) aliàs factæ Congregationi Casinensi ejusdem Ordinis. Clemens X. 31. Dec. 1672.

355. Interdicitur omnibus, ac singulis facultas assignandi diem fixum Sanctis translatis sine speciali Decreto, ideoque oficia Sanctorum propria die celebrentur, & si sunt impedita transferantur juxta Rubricam de *Translatione festorum*, scilicèt prima die non impedita festo novem lectionum, aut die Dominica. 28. Nov. 1682.

356. Officium semel in hebdoma concessum, recitari potest die Sabbati, si tota hebdoma sit impedita: & in tali casu omittendum Officium Beatæ Mariæ in Sabbato 27. April. 1697.

357. Prima die mensis non impedita festo duplici, vel semiduplici, & in qua occurrit recitari Officium defunctorum, potest recitari supradictum officium semel in Hebdomada concessum transferendo, vel etiam aliquando omittendo defunctorum officium. 27. Apr. 1697.

358. Officium concessum pro aliqua feria cujuscumque hebdomadæ sub Ritu semiduplici ad libitum, non potest recitari Infraoctavarum. 30. Sept. 1679.

359. Proposito dubio: an in concursu S. Æmiliani Abbatis duplicis minoris cum festo Omnium Sanctorum Monachorum duplici secundæ classis, facienda sit in primis Vesperis ipsorum commemoratio prædicti S. Æmiliani juxta Rubricas generales Breviarij, an vero omittenda, tanquam unius ex ipsis Sanctis Monachis? Sacra Rituum Congregatio respondit, commemorationem S. Æmiliani non esse omittendam. 22. Maji 1700. Ex hac particulari responsione inferri potest ad generalem regulam, quod concurrente festo alicujus Sancti sub Ritu duplici secundæ classis celebrando cum festo Omnium Sanctorum Ritu duplici primæ classis decorato, in Vesperis de sequenti erit facienda commemoratio præcedentis: licet inter omnes Sanctos includatur etiam ille.

360. Si festum Sanctissimæ Annuntiationis inciderit in feriam quintam Majoris Hebdomadæ præceptum audiendi Missam, & abstinendi à servilibus non erit transferendum: sed omnino servandum in prædicta feria quinta: adeoque per Ordinarios locorum providendum, ut eo die pro Civitatum, & Pagorum qualitate, ac Christifidelium in ijs degentium numero, plures Missæ privatæ ante celebrationem Missæ Conventualis pro præcepti adimplemento celebrandæ non desint. 12. Sept. 1716. approbante Clemente XI. die 27. ejusdem mensis, & anni.

361. In

361. In prædicto casu Sanctissimæ Annuntiationis occurrentis in feria quinta in Cœna Domini antiquus mos Communionis Cleri in Missa solemni ejus diei, quo Ecclesia SS. Eucharistiæ Sacramenti institutionem,& memoriam recolit,summa Religione hactenus observatus nullo modo omittatur. 12. Sept. 1716.

362. In Missis votivis de Passione, vel de Cruce, quæ dicuntur infra hebdomadam Passionis non est omittendus Psalmus: *Judica me Deus*, neque *Gloria Patri*, ad Introitum, & Lavabo, licet hæc omnia omittantur in Missa de Tempore. 10. Febr. 1647.

363. Festum Translationis, Ordinationis, Apparitionis, vel Inventionis, quod alicubi celebratur ratione corporis,vel insignis Reliquiæ celebrandum est sub Ritu semiduplici, nisi sit festum unicum, vel principale, & supposita concessione si bis celebretur. 6. Dec. 1698.

364. Festum semiduplex occurrens in festo duplici Infraoctavam non privilegiatam, non est transferendum post illam, quando dies immediatè sequens alio festo duplici, vel semiduplici impedita non fuerit: sed faciendum tunc est officium die immediatè sequenti. 30. Sept. 1679.

365. Missæ S. Gregorij pro vivis, & defunctis, 15. Auxiliatorum, & de Patre Æterno, & aliæ varijs in locis impressæ sunt prohibitæ. 8. Apr. 1628.

366. Diaconus non debet dare pacem Laico,neque Domino loci. 5. Jul. 1614.

367. Non prohibentur 30. Missæ S. Gregorij pro Defunctis. 28. Oct. 1628.

368. Episcopi nequeunt delegare alijs benedictionem paramentorum, & earum rerum,in quibus unctio non adhibetur.

369. Congregatio concessit insignioribus Regularium Ecclesijs usum planetarum plicatarum: & declaravit, celebrantem, & Ministros sedere posse, dum cantantur Epistola, & Graduale.

370. In feria 5. & 6. majoris hebdomadæ non fit Processio Sacramenti extra Ecclesiam. 6. Aug. 1591.

371. In feria 6. Parasceves non potest fieri nocte Processio cum Sanctissima Eucharistia. 22. Maj 1596.

Hæc Decreta desumpta sunt ex Gavanto, Lacroix, & alijs: quorum diligentia omnibus satis est nota: sed non propterea omnino authentica sunt, quapropter sententiæ, quæ ipsis, vel in hoc, vel in alijs Libris opponantur, dum à gravibus Doctoribus defendantur, non illico rejiciendæ sunt. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 2057.*

TIT. XLII.

De Baptismo, & ejus effectu.

398 TRIPLEX communitèr distinguitur status naturæ. 1. est *puræ naturæ*, quæ, scilicèt, præcisè habeat perfectiones, & facultates sibi naturalitèr debitas, cum proportionato concursu Dei, absque ordinatione ad finem supernaturalem per dona supernaturalia, & absque naturæ corruptione per peccatum originale: & hic status possibilis communitèr asseritur. 2. est *naturæ integræ*, quæ, scilicèt, ultra perfectiones naturalitèr debitas haberet per dona sibi indebita perfectam subjectionem appetitus, & aliarum facultatum sensitivarum ad rectam rationem, & ipsius rationis ad Deum, ut finem ultimum cum exemptione à doloribus, alijsque corporis infirmitatibus; & quatenùs ordinatur ad finem supernaturalem, fuit status justitiæ originalis, in quo fuit Adam creatus. *D. Thom. 1. p. q. 95. art. 1. in corp. Sed quod fuerit conditus in gratia, videtur requirere ipsa rectitudo primi status, in qua Deus hominem fecit, secundum illud Eccles. 7. Deus fecit hominem rectum: erat enim rectitudo secundum hoc, quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, & animæ corpus: prima autem subjectio erat causa, & secundæ, & tertiæ. Et in art. 3. dicit, quod homo in statu innocentiæ æqualitèr habuit omnes virtutes.* Tertius est *status naturæ lapsæ*, in quo justitiam originalem, & integritatem, quam in primo parente acceperat, per ejus peccatum perdidit. Hanc statuum diversitatem non incongruè adumbrarunt Gentiles, qui mundi in ferrea ætate miseram conditionem sic suis coloribus depinxerunt. *Vivitur ex rapto non hospes ab hospite tutus, non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est, imminet exitio vir conjugis, illa mariti: lurida terribiles miscent aconita novercæ; filius ante diem patrios inquirit in annos, victa jacet pietas, & virgo cæde madentes ultima Cœlestum terras Astræa reliquit.* Peccatum ergo Adami ita in nos transfunditur per propagationem, ut omnes ejus posteri per illud in sua conceptione verè in se ipsis peccatores constituantur, Deo odibiles, & digni damnatione, juxta illud *Psal. 50. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et ad Rom. 5. Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors,*

mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo (scilicèt Adamo) *omnes homines peccaverunt. Trid. sess. 5. in Decreto de Pecc. orig.* Modum sic explicat *D. Thom. 1. 2. q. 71. art. 1. in corp. Dicendo, quod omnes homines, qui sunt unius communitatis reputantur quasi unum corpus, & tota communitas quasi unus homo: sicut etiam Porphyrius dicit, quod participatione speciei plures homines sunt unus homo, sic igitur multi homines ex Adam derivati sunt tanquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primo movet membrum: unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideretur manus secundum se, ut divisa à corpore, sed imputatur ei, in quantum est aliquid hominis, quod movetur à primo principio motivo hominis. Sic igitur ordinatio, quæ est in isto homine ex Adam genetato non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum. Unde peccatum, quod sic à primò parente in posteros derivatur, dicitur originale, sicut peccatum, quod ab anima derivatur ad membra corporis, dicitur actuale. Et sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquod ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum: ita peccatum originale non est peccatum hujus personæ, nisi in quantum hac persona recipit naturam à primò parente: unde & vocatur peccatum naturæ, secundum illud Ephes. 2. Eramus natura filij iræ. Et art. 4.* dicit, quod si aliquis ex humana carne formaretur miraculosè, quod non contraheret peccatum originale, quia non fuisset in Adam, secundum seminalem rationem, quod solum causat traductionem peccati originalis, juxta D. Augustinum. *Et art. 5.* ait: *Principium activum in generatione est à Patre, materiam autem Mater ministrat, unde peccatum originale non contrahitur à Matre, sed à Patre, & secundum hoc, si Adam non peccante, Eva peccasset, filij originale peccatum non contraherent. E converso autem esset, si Adam peccasset, & Eva non.* Hoc ergo peccatum originale per baptismum deletur. De quo, & ejus effectu in præsenti agendum est. Et ecce jam pervenimus ad *statum naturæ per Christum reparatæ* quoad infirmitatem culpæ, licet non quoad infirmitatem concupiscentiæ.

399 *Baptismus* ergo aliquando significat *tribulationem, vel afflictionem* magnam; sic Christus Dominus apud *Luc. 12. v. 5.* ait: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Et apud *Marc. 10. v. 38.* dixit Jacob. & Joan. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Sed in præsenti sumitur pro uno ex Sacramentis Ecclesiæ: dicitur *baptismus* a verbo Græco, quod significat *intingere, abluere, seu immergere, Hispanè: Mojar, ò labar, ò zampuzar. Gallice: Plonger. Vid. Nebriss. V. Baptisma: & Diction. Trev. V. Baptismè.* Baptismus est fundamentum omnium Sacramentorum, & janua vitæ spiritualis. *C. fin. de Presbyter. non baptizat.* & adeò necessarius ad gloriam consequendam, ut nisi quis natus, saltem per generationem, & animationem fœtus, quamvis mortuus per peccatum originale, non renascatur ex aqua, & Spiritu Sancto per baptismum, non potest introire in Regnum Dei. *Joan. 3. v. 5. C. 4. h. t. Trid. sess. 6. de Justific. cap. 4.* Baptismus est triplex. 1. *Sanguinis,* qui in martyrio consistit. 2. *Flaminis,* qui in voto baptismi in re suscipiendi stat. 3. *Fluminis, seu aquæ. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 11. L. 4. tit. 4. p. 1.* Et hic solum est Sacramentum, de quo agimus in præsenti, & successit in locum circumcisionis, quæ in Lege antiqua à Judæis servabatur, & de eo intelligitur, quod dicit *Apost. ad Ephes. 4. v. 5. Unus Dominus, una fides unum baptisma.* Nam alia duo baptismata includuntur in baptismo fluminis, seu aquæ; nam suam efficaciam habent ex passione Christi, & à Spiritu Sancto, & ideò per hoc non tollitur unitas baptismi. *D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 11. ad 1. Greg. Lop. in L. 4. tit. 4. p. 1. V. Tres. Baptismus* ergo à Catechismo Rom. *p. 2. cap. 2.* sic definitur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* facit *L. 2. tit. 4. p. 1.* Per particulam *regenerationis*, cui ad majorem explicationem potest addi *spiritualis*, distinguitur baptismus à Reliquis Sacramentis, saltem Legis veteris, quæ non justificabant animas. Per particulam *per aquam* exprimitur materia hujus Sacramenti, & distinguitur ab alijs, etiam novæ Legis, Sacramentis. Per particulam *in verbo vitæ* forma significatur, quæ est verbum spirituale vivificans: nam in baptismo duo semper, videlicèt *verbum*, & elementum, necessariò requiruntur. *C. 5. h. t.* Nec facit aqua, nisi Spiritus Sanctus descenderit, & aquam consecraverit. *C. 9. de Conf. D. 4. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 1. in corp.* ibi;

In Sacramento Baptismi est tria considerare: aliquid scilicet, quod est Sacramentum tantum: aliquid autem, quod est res, & Sacramentum: aliquid verò, quod est res tantum: Sacramentum est aliquid visibile exterius existens, quod scilicet, est signum interioris effectus. Hoc enim pertinet ad rationem Sacramenti. Exterius autem suppositum sensui est, & ipsa aqua, & ejus usus, qui est ablutio ::: Cum enim Sacramenta nova Legis sanctificationem, quamdam operentur, ibi perficitur Sacramentum, ubi perficitur sanctificatio: in aqua autem non perficitur sanctificatio, sed est ibi quaedam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluens in hominem, qui est verae sanctificationis subjectum, & ideò sanctum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquae ad hominem, quae est absolutio: & ideò Magister in 3. D. 4. Sent. dicit, quod baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma praescripta verborum. Res autem, & Sacramentum, est character baptismalis, qui est res significata per exteriorem ablutionem, & signum Sacramentale interioris sanctificationis, quae est res tantum hujus Sacramenti, scilicet, significata, & non significans.

400 Adulti rationis compotes salutem aeternam possunt consequi, vel in re suscipiendo baptismum aquae, vel baptismum sanguinis, seu martyrium: sicut suo sanguine fuerunt baptizati Sancti Innocentes, & alij. *L. 4. tit. 4. p. 1.* vel per baptismum flaminis, seu per votum baptismi, si non habeant copiam baptismi aquae: vel si credant bona fide, se esse baptizatos, cum verè non sint. *Trid. sess. 6. de Justif. cap. 4.* Possunt enim salutem consequi, actum contritionis eliciendo, in quo votum baptismi continetur. *C. 4. h. t. c. 2. de Presbyt. non baptiz. C. 34. de Consec. D. 4. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 11. in corp.* ibi: *Eadem ratione aliquis per virtutem Spiritus Sancti consequitur effectum baptismi, non solum sine baptismo aqua, sed etiam sine baptismo sanguinis, in quantum scilicet, alicujus cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum, & diligendum Deum, & poenitendum de peccatis: unde etiam dicitur baptismus poenitentiae.* Parvuli vero cum non sint capaces voti baptismi, non aliter quam per martyrium, ut Innocentes fuerunt baptizati, vel baptismum aquae in re susceptum, possunt salutem aeternam consequi. *C. 153. de Cons. D. 4. c. 3. h. t. Trid. sess. 4. Decr. de Peccat. origin. n. 4. Et sess. 7. de Baptism. Can. 5.* Quia non aliter peccatum originale deletur. *C. 37. de Consecr. D. 4.* Baptismus ergo flaminis est perfecta contritio, vel amor Dei super omnia: attritio tamen non sufficit, etiam cum expresso voto baptismi, quia non justificat sine Sacramento, vel Martyrio. *Latr. l. 6. p. 1. n. 244.*

401 *Martyrium* ex vi vocis significat *testimonium*, teste Nebrissensi, & *Martyres* idem sunt ac *testes*, & sic per excellentiam vocantur, qui mortem sunt passi in testimonium fidei Catholicae. Infantes suo modo cofitentur Christum, non loquendo, sed moriendo, ut de Sanctis Innocentibus canit Ecclesia. *Martyrium ergo est perpessio mortis, vel cruciatus lethalis pro Christi fide.* Tria ad Martyrium requiruntur. 1. vel mors ipsa, vel saltem cruciatus illativus mortis: nam licet S. Joannes Evangelista non fuisset verè mortuus, quando in oleum fervens fuit immissus, cum per miraculum illaesus evasisset, tamen verè Martyr fuit. 2. requiritur, quod mors, vel cruciatus, inferatur in odium fidei Christi, vel alicujus virtutis: nam si ob finem politicum inferatur, non erit Martyrium. 3. requiritur, quod perpessio mortis sit ob Christi fidem: nam *Martyrem facit, non poena, sed causa*, juxta SS. August. & Cyprian. Et intelligitur inferri mortem ob fidem Christi, si inferatur propter opus, vel defensionem alicujus virtutis christianae, sic S. Joannes Baptista fuit verè Martyr, licet non pro fide, sed pro adulterij reprehensione fuisset occisus. Similiter est Martyr Sacerdos, qui ideò occiditur, quia contra prohibitionem venit in regnum infidelium, vel Haereticorum. Qui in obsequio pestiferorum ex charitate moriuntur, etiamsi in rigore Martyres non essent, ut tenent plures; tamen saltem eis velut Martyres religiosa fides venerari consuevit, ut dicit Martyrol. 28. Februarij: quin & verè Martyres esse tenuerunt. 12. Academiae. 13. Cardinales. 12. Episcopi. 264. DD. & 153. Scriptores cum *Raynaud. tom. 18. de Martyr. per pestem, p. 3. & 4.* Bonus Latro dicitur latè Martyr *ab August. in C. 34. de Consecr. D. 4.* cum mors non fuerit illi illata ob fidem, aut virtutis exercitium. Martyrium in adultis habet vim omnem culpam, & poenam remittendi ex privilegio, & veluti ex opere operato, etiam actu charitatis secluso, ut tenent *Suar. Bellarm. Cajet. & alij* contra *Scot. Vazq. & alios.* mens *D. Thom.* est dubia: nam Christus apud *Matth. 10. v. 32.* ait: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in Coelis est. Et v. 39. Qui perdiderit*

animam suam propter me, inveniet eam. In adultis ad valorem Martyrij requiritur acceptatio mortis pro Christo, non tamen requiritur voluntas actualis, sufficit virtualis; debet tamen esse, honesta, non solum ex parte causæ, propter quam mors infertur, sed etiam ex parte motivi formalis, propter quod acceptatur. Martyr debet acceptare mortem, imitando Christum, qui instar agni coram tondente, se obmutuit; ideò Milites, qui se defendendo in favorem religionis occiduntur, nunquam, ut Martyres sunt ab Ecclesia habiti. In justo non requiritur alia dispositio per se loquendo, quam mortis acceptatio; in peccatore requiritur, etiam pœnitentia, seu supernaturalis dolor de peccatis, saltem virtualis. *Trid. sess.* 14. *cap.* 1. ac proindè, vel contritio, vel confessio debet adhiberi. *Vid. Platel. p.* 5. *ex n.* 149. *Lacr. lib.* 6. *p.* 1. *ex n.* 230.

402 Baptismus, ut cætera Sacramenta, à Christo Domino fuit institutus *Trid. sess.* 7. *de Sacram. in gener. Can.* 1. ante ipsius mortem: nam ante ejus passionem Apostoli baptizarunt. *Joan.* 3. *v.* 22. & non est credibile, baptismo Joannis baptizasse. Et ante passionem fuit ministratum discipulis Eucharistiæ Sacramentum, quod supponit baptismum, ut jannuam; nec est fundamentum, ut dicamus, Christum in hoc dispensasse. Fuit ergo institutus die, quo Christus in Jordane à Joanne baptizatus fuit. *SS. Aug. Amb. Hieron. Nazianz. & alij D. Thom. in* 3. *p. q.* 66. *art.* 2. *in corp.* contra *Scotum*, *& alios*, & expressè habetur in *L.* 2. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *E fuè establecido, quando N. S. Jesu Christo quiso ser-bautizado de San Juan Bautista en el Rio Jordàn.* Post Resurrectionem tamen fuit ejus forma solemnitèr publicata; *Matth. cap. fin. v.* 19. ibi: *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritu Sancti*: *L.* 3. *tit.* 4. *p.* 1. Et ejus necessitas indicta juxta *D. Thom. in* 3. *p. q.* 66. *art.* 2. *in corp.* ibi: *Sed necessitas utendi hoc Sacramento indicta fuit hominibus post Passionem, & Resurrectionem; tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia Sacramenta, quibus succedit baptismus, & alia Sacramenta nova Legis; tum etiam, quia per baptismum configuratur homo Passioni, & Resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, & incipit novam justitiæ viam, & ideò oportuit, Christum prius pati, & resurgere, quam hominibus in diceretur necessitas, se configurandi morti, & resurrectioni ejus.*

403 Materia remota baptismi, est omnis, & sola aqua elementaris, seu naturalis, apta ad abluendum, etsi admixtione sulphuris, salis, vel aliorum mineralium, accidentalitèr sit immutata *Trid. sess.* 7. *de Bapt. Can.* 2. *Joan.* 3. *C.* 5. *b. t. L.* 2. *tit.* 4. *p.* 1. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 66. *art.* 3. *in corp.* ibi: *Ex institutione Divina aqua est propria materia baptismi, & hoc convenientèr.* 1. *quidem, quantum ad ipsam rationem baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam, quod maximè congruit aqua. Unde & semina, ex quibus generantur omnia viventia, scilicèt plantæ, & animalia, humida sunt, & ad aquam pertinent, propter quod quidam Philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium.* 2. *Quantum ad effectus baptismi, quibus competunt aqua proprietates, quæ sua humiditate lavat. Ex quo conveniens est ad significandam, & causandam ablutionem peccatorum. Sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris, & ex hoc competit, ad mitigandam concupiscentiam fomitis. Sua diaphanitate est luminis susceptiva: unde competit baptisma, in quantum est fidei Sacramentum.* 3. *Quia convenit ad repræsentandum mysteria Christi quibus justificamur, ut enim dicit Chrys. Super illud Joan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c. Sicut in quodam sepulcbro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, & submersus deorsum, occultatur, & deindè novus rursus ascendit.* 4. *Quia ratione sua communitatis, & abundantia est conveniens materia necessitati hujus Sacramenti. Potest enim ubique de facili haberi.* Materia ergo apta est aqua fluminis, fontium, maris, pluviæ, vel ex rore, pruina, glacie, grandine, vel nive eliquata. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 66. *art.* 4. Materia dubia est jusculum, & lixivium, cerevisia, & attramentum, quando hæc omnia valdè tenuia sunt; ita ut rationem aquæ retinere videantur, aqua expressa per distillationem ex herbis, arboribus, vite, & ex sale resoluto. Saliva non est materia apta. *C.* 5. *b. t.* nec sudor, lacrymæ, lotium, lutum, brodium, vinum lymphatum, nix, grando, glacies non resolutæ, attramentum crassum: quia nec nomen, nec usum aquæ retinere videntur ex *D. Thom. in* 3 *p. q.* 66. *art.* 4. *Suar. & comm. DD. cum Lacr. lib.* 6. *p.* 1. *ex n.* 258.

404 Materia proxima est ablutio juxta illud *Apost. ad Ephes.* 5. *v.* 26. *mundans lavacro aquæ*; sive fiat per immersionem, vel infusionem, vel aspersionem, & quidem unicam, vel trinam juxta cujusque Ecclesiæ consuetudinem. *C.* 79. *c.* 82. *de Cons.*

Conf. D. 4. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 7. & 8. Talis ablutio debet esse contactus successivus cum illapsu aquæ procedens à baptizante, & receptus in baptizato, & debet immitti, si fieri potest, in caput baptizati, vel in alteram partem principalem: v.g. in scapulas, vel humeros; nec sufficit una, vel altera gutta. *L. 2. tit. 4. p. 1.* ibi: *E tan grande es la virtud de estas palabras, è del agua, que tañendo el cuerpo de fuera, lava el alma de dentro, è face señal en ella.* In casu tamen necessitatis in quacumque parte sensibili, etiam minima, & vel unius guttæ aspersione debet baptizari, qui in tali necessitate est constitutus; sed cessante periculo debet baptismus subconditione repeti. *C. 2. h. t.* ibi: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: si baptizatus es, non te baptizo: sed si non baptizatus es: Ego te baptizo.* Græci infantes totos tèr mergunt in aquam calidam, teste *Arcud. L. 1. cap. 7.* Infans cum nondum in lucem editus est, si aliqua ejus pars, v.g. pes, vel manus extra uterum exeat, potest in casu necessitatis baptizari; imò in utero existens, jam proximus partui, si non sit spes, ut in lucem edatur, potest aqua per fistulam, vel aliud instrumentum in uterum infusa baptizari. Sic contra *SS. Aug. Thom. Bonav. Anton. Ricard. & alios. Ex C. 115. de Consecr. D. 4. & Missal. Rom.* tenent *Victor Gabriel Laym. l. 5. tr. 3. c. 3. n. 2. Dian. Bonac. de Bapt. D. 2. q. 2. p. 3. n. 25. Pignat. tom. 1. consult. 153. n. 6. Gonz. in C. 3. h. t. n. 7. Lacr. l. 6. p. 1. ex n. 292.* Quod cum probabile sit, debet infanti hoc modo succurri, modo quo decentius possit. Si tamen in lucem posteà edatur debet repeti baptismus sub conditione. *C. 2. h. t.* & probari videtur ex *C. 137. de Consecr. D. 4.* ibi: *Quisquis ex concupiscentia carnis, & lege peccati, & mortis carnalitèr generatur, regenerari spiritualitèr opus habet, ut non solum ad Regnum Dei perducatur, verùm etiam à peccati damnatione liberetur.* Et cum fœtus, post animationem peccatum contraxerit originale, capax esse debet, ut illud deleatur per baptismum, si aqua possit ad illum pertingere: vel per martyrium si occidatur modium Religionis. Nec obstat. *Text. in C. 115. de Consecr. D. 4.* ibi: *Quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest*: quia hoc, vel intelligitur, quod non potest baptizari cum matre, id est, mediante carne matris: vel potius dicendum est, quod loquitur de fœtu informi, & imperfecto ante animationem, ut videtur ibidem constare: *Neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non præcessit.* Nota, quod non dixit *nativitas*, sed generatio. *Gonz. in C. 3. h. t. n. 7.* Illicitum quidem est, infantem projicere in flumen, vel puteum, ita ut aquis suffocetur, etiamsi ita projiciatur animo eum baptizandi, & etiamsi aliàs moriturus sit sine baptismo: nam hæc actio ex se potius, quam ad ablutionem, tendit ad occisionem infantis, quod semper illicitum est, nec sunt facienda mala, ut eveniant bona. Sic *Laym. Dicast. Lacr. l. 6. p. 1. n. 264.* Licitum tamen esse, si mors non multum acceleretur, tenent *Suar. Vazq. Castropal. & alij.* Imò etiam, si acceleratio futura esset magna juxta *Dianam p. 5. tit. 3. R. 8.* quia vita corporis debet cedere vitæ animæ. *C. 13. de Pœnit. & Remis.* Si tamen ita immergatur, valet baptismus, positis forma, & intentione. *Suar. in 3. p. D. 20. sect. 3. Valent. Gonz. in C. 1. h. t. n. 3. Lacr. l. 6. p. 1. n. 264.* contra *Sylv. Tolet. & alios.*

405 Formæ baptismi in Ecclesia Latina hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Matth. cap. fin. v. 19. C. 1. h. t. l. 3. tit. 4. p. 1.* Et ex consuetudine additur, *Amen.* Ecclesia Græca ante Schisma, approbante Latina, logitime hanc formam usurpavit. *Baptizatur, vel Baptizetur servus Christi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* In forma baptismi debet exprimi. 1. Persona baptizans, quæ satis significatur per verbum *baptizo*, etiam omisso pronomine *Ego*. 2. Persona baptizanda, quæ significatur per particulam *Te*, ut sic appareat distinctio inter baptizantem, & baptizatum: nemo enim se ipsum baptizare potest. *C. 4. h. t.* Quando persona baptizantis, aut baptizati nullo modo significatur, non valet baptismus. 3. Ipsa ablutio, quam ut materia proxima, debet forma baptismi determinari. 4. Unitas Divinæ naturæ expressa per *ly in nomine*; & Trinitas, quæ exprimitur, cùm dicitur: *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et quidem tres personas, necessario exprimendas esse, deducitur ex verbis Christi, apud *Matth. cap. fin. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. C. 48. Apost. C. 81. de Consecr. D. 4. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 5. in corp.* ibi: *Oportet, quod in forma baptismi exprimatur causa baptismi: est autem ejus duplex causa, una quidem principalis, à qua virtutem habet, quæ est Sancta Trinitas, alia autem instrumentalis, scilicet, Minister, qui tradit exterius Sacramentum, & ideò opor-*

oportet in forma baptismi de utraque fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur: Ego te baptizo, causa autem principalis, cum dicitur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Quando in Act. Apost. 2. v. 38. & alibi. Et C. 24. D. 4. dicitur, aliquos esse baptizatos in nomine Jesu Christi, non est credendum, fuisse omissas S. Trinitatis personas, sed nomen Christi additum esse loco filij, non omissis alijs personis: vel dicendum est, authoritate Christi, & sub forma ab ipso instituta esse baptizatos, & hoc tantum volunt. SS. Patres, & Pontif. Nicolaus in C. 24. de Consecr. D. 4. vel si aliud voluit dictus Nicolaus locutus fuit, ut Doctor privatus. Non valet baptismus sub his formis. Baptizo te in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quia multiplicatur natura seu Essentia Divina: vel baptizo te in Patre, & Filio, vel cum Patre, &c. vel per Patrem, vel in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto: quia vel significatur diversitas Essentiæ, aut certè non satis exprimitur unitas. Vel baptizo te in nomine Dei, vel SS. Trinitatis: vel in nomine Trium personarum: vel Patris, & Filij omisso Spiritu Sancto, quia non exprimuntur distinctè tres personæ. Dubius est baptismus sub his formis. Baptizo te in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati; vel in nomine Omnipotentis Sapientis, & Boni: quia non satis explicatur Trinitas vocibus, quibus a fidelibus debet, & potest apprehendi: Vel baptizo te in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus Sancti. Vel baptizo te in nomine Patris, baptizo te in nomine Filij, &c. quia non satis exprimitur unitas Essentiæ. Quidquid autem formam substantialiter immutat, annullat baptismum; secus si tantum accidentaliter. Hinc Alex. VIII. die 8. Decemb. 1690. damnavit hanc propositionem 27. Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris, &c. prætermissis illis, ego te baptizo. Si omittatur: Ego, & amen, valet baptismus. Similiter valet, quando baptizans dicit: abluo, vel mergo, vel pro te utitur communi nomine Græcorum, vel proprio: vel baptizo Petrum, vel dominationem vestram. Si quis hoc modo baptizet: In nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti, & Mariæ Virginis: solum invocando Mariam, ut coadjutricem gratiæ impetrandæ, non verò eo modo, quo invocatur Trinitas, valet baptismus, cum sit mutatio tantum accidentalis. Ad baptismi valorem sufficit; si ablutio, quæ est materia proxima, & forma moraliter conjungantur, id est, secundum humanum modum agendi, & loquendi, etiamsi physicè una alteri succedat. Suar. in 3. p. D. 2. sect. 2. Vazq. in 3. p. D. 148.

406 Præter materiam, & formam requiritur in Ministro ad baptismi valorem intentio, saltem virtualis baptizandi, seu faciendi Sacramentum, seu faciendi, quod facit Ecclesia: quia sensus verborum debet ab ipso determinari: aliàs non esset actio rationalis, & humana, ut constat ex Trid. sess. 6. de Sacramentis in genere. Can. 11. ibi: Si quis dixerit in Ministris dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit, & ideo Alex. VIII. hanc propositionem quæ est 28. damnavit: Valet baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit: non intendo, quod facit Ecclesia. Validè confert baptismum, etiam extra necessitatem, quicumque homo viator, vir, vel fœmina, Clericus, vel Laicus, vel Hæreticus, vel Judæus, vel quicumque alius, etiam non baptizatus. Trid. sess. 7. de Bapt. Can. 4. l. 5. tit. 4. p. 1. D. Thom. in 3. p. q. 67. art. 3. 4. & 5. Bellarm. lib. 1. de Bapt. cap. 7. Ubi refellit Calvinum asserentem, esse nullum baptismum à Ministro Ecclesiastico non collatum: nam ut dicitur in C. 48. de Consecr. D. 4. Cum tantum valet baptismus per hominem contemptibilem quantum per Apostolum datus, ita nec illius, sed Christi esse cognoscunt. Baptizans quidem debet personaliter distingui à baptizato, siquidem nullus potest se ipsum baptizare, quacumque necessitate, vel periculo instante, & ideò Innoc. III. in C. 4. h. t. declarat denuo esse baptizandum quemdam Judæum, qui in mortis articulo constitutus, cum inter Judæos tantum existeret, in aquam se ipsum immersit dicendo: Ego me baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. L. 3. tit. 4. p. 1. ubi exemplo Christi comprobat, nullum se ipsum posse baptizare. Minister ordinarius, quando nulla est necessitas, est Parochus, qui sit Sacerdos. Item Episcopus ejus superior, & quidem illius domicilij, ubi baptizandus degit, nisi aliud consuetudine sit introductum. Barbos. de Offic. Paroc. cap. 18. n. 7. vel alius Sacerdos de commissione Parochi, etiam sine aliqua necessitate: vel etiam Diaconus; sed non aliter, quam in defectum Præsbyterorum. L. 8. tit. 4. p. 1. D. Thom. in 3. p. q. 67. art. 1. ad 3. Ad baptismum unicus sufficit Minister; pos-

cium erit de Nomine, omissa in utrisque Vesperis, & Laudibus Commemoratione de prædicto die octavo Nativitatis. 15. Sept. 1685.

287. Sola ratione SS. Sacramenti expositi non est dicendum Symbolum in Missis privatis. 2. Dec. 1684.

288. Potest fieri commemoratio de SS. Sacramento, si expositum sit, etiam in Missa de festo duplici, quod non sit primæ, vel secundæ classis. 2. Dec. 1684.

289. Qui celebrat Missam de B. Maria eo die, quo fit de aliquo festo semiduplici infra octavam, ejusdem B. Mariæ; debet dicere Missam de Octava: sed more votivo sine *Gloria*, & sine *Credo* nisi fuerit Sabbatum: quia tunc dicendum erit *Gloria* sine *Credo*. 2. Dec. 1684.

290. Qui in Sabbato recitat Officium de B. Maria, si celebret votivam de aliquo Sancto non debet dicere *Gloria*, neque Præfationem B. Mariæ. 2. Dec. 1684.

291. Non est omittenda una ex assignatis Orationibus in Missali, velut, *à cunctis*, ut ejusdem loco dicatur aliqua oratio imperata ab Episcopo, veluti, *Deus refugium*: neque ut recitetur penultimo loco oratio pro defunctis. 2. Dec. 1684.

292. Quando dicitur Oratio, *à cunctis*, vel *Ecclesiæ*, non est dicenda Oratio contra Paganos, vel alia hujusmodi: quia sufficienter una continet quod & altera. 16. April. 1688.

293. Quando dicitur collecta, vel Missa contra Paganos, non potest mutari nomen Paganorum, dicendo, Turcarum, Hæreticorum, &c. 29. Jul. 1689.

294. Si in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum occurrerit Dominica, vel alicubi festum de præcepto diei Dominico æquale, Officium cum Missa defunctorum transferatur in sequentem diem, etiam festo duplici impeditam. 5. Oct. 1688.

295. In Sabbato Sancto omninò prohibentur Missæ privatæ, etiam post pulsationem campanarum in quacumque Ecclesia, aut Oratorio privato, non obstante contraria consuetudine. 11. Febr. & 11. Mart. 1690.

296. Si festum Annuntiationis B. Virginis Mariæ occurrerit in feria sexta in Parasceve, vel in Sabbato Sancto, transfertur ejus Officium una cum præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus ad feriam secundam post Dominicam in Albis: protracto ad aliam diem festo in eo occurrente: nisi fuerit duplex primæ classis. 11. Martij. 1690.

Notandum 1. quod si alicubi in prædicta feria secunda occurreret duplex primæ classis, ibidemque Annuntiatio celebraretur sub eodem ritu, adhuc duplex illud esset transferendum, & celebranda Annuntiatio. Notandum 2. quod licet Annuntiatio sit secundæ classis, si tamen haberetur reponendum Officium primæ classis, nihilominus in prædicto casu esset agendum de Annuntiatione. Notandum 3. quod protracta ulterius Annuntiatione ob festum altioris ritus in eo occurrens, non ideò protrahenda obligatio audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus.

297. Si simul transferenda sint festa S. Josephi, & Annuntiationis, prius reponatur Annuntiatio: deindè S. Joseph, non obstante Decreto edicto in contrarium sub die 12. Junij 1682. Decretum est. 14. Junij 1692.

298. Translato festo, in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur etiam indulgentia, nisi ex concessione speciali. 10. Jun. 1690.

299. Si primæ Vesperæ de S. Martina impeditæ fuerint festo duplici, vel Dominica, Hymnus proprius Vesperarum uniatur Hymno Matutini, & ex duobus fiat unus sub unica conclusione: *à nobis abigas*. 26. April. 1692.

300. Ubi die decimaoctava Decembris celebratur officium de Expectatione B. Virginis Mariæ, omittendæ sunt ad Laudes antiphonæ illæ, quæ occurrunt in illa feria in proprio de tempore. 12. Maji 1692.

301. Si prædictum festum Expectationis venerit in feria quarta quatuor Temporum, nec erit dicenda nona lectio in officio, nec legendum ejus Evangelium in fine Missæ; sed illud S. Joannis: ideòque de feria sola fiat Commemoratio in Officio, & in Missa. 12. Maji 1692.

302. A die decimaseptima Decembris inclusivè usque ad Vigiliam Nativitatis exclusivè, fieri potest quodcumque officium novem lectionum, sive occurrens, sive etiam translatum. 17. Maji 1692.

303. Si festum de septem doloribus B. V. Mariæ, quod multis in locis celebratur feria sexta post Dominicam Passionis, impediatur ab officio majoris ritus, vel dignitatis, transferatur in Sabbatum sequens non impeditum, & non ulterius. 26. Febr. 1693.

304. Si Vigilia S. Mathiæ occurrerit ultima die Bacchanalium, observetur eadem

dem die jejunium, non vero anticipetur. 23. Jan. 1694.

305. Evangelium pro solemni Palmarum benedictione canendum est in cornu Epistolæ ab illo, qui celebrat, absque Diacono & Subdiacono. 27. April. 1697.

306. Ubi oratio quadraginta horarum fuit ob tumultus bellicos intermissa, debet restitui. 15. April. 1603.

307. Festa duplicia, & semiduplicia translata præferenda sunt officio S. Benedicti semel in hebdomada concesso. 8. Febr. 1699.

308. Regulares obtenta à locorum Ordinarijs licentia ore tenus, vel in scriptis faciendi solemnes processiones extra limites Conventuum suæ Religionis cum Statua, aut Reliquia alicujus Sancti, possunt uti pluviali, licet ejus usus non fuerit expressus in licentia obtenta. 21. Matt. 1699.

309. Usus pluvialis in processionibus solemnibus non est testimonium, nec signum jurisdictionis in utente Sacerdote. 21. Matt. 1699.

310. In paramentis nigris non est administranda Eucharistia. 22. Jan. 1701.

311. Quando exponuntur Reliquiæ, ultra lampadem, debent continuò ardere in Altari duo lumina: aliàs non exponantur. 22. Jan. 1701.

312. Sacerdos in sacrificio Missæ congruentius utitur cingulo lineo, quam serico. 22. Jan. 1701.

313. In sacrificio Missæ non est adhibenda palla drappo serico à parte superiori cooperta. 22. Jan. 1701.

314. Temporis præscriptio ad recitandum in Choro Divinum Officium ab Ordinario cum duobus, vel tribus Deputatis à Capitulo diversimodè fieri debet, secundum diversa anni tempora: & adnotari in tabella apponenda in Sacristia. 7. Aug. 1595.

315. Ubi Canonici sunt pauci, Dignitates etiam accedere tenentur ad Legile, & cantare sicuti alij. 20. Aug. 1601.

316. Cum antiphonæ præintonantur, omnes ab utroque latere Chori, etiam Canonici surgere debent, juxta cæremoniale, non obstante consuetudine. 23. Matt. 1602.

317. Missa Conventualis in festis dicenda est tempore æstivo hora decimaquarta: tempore vero hyemali hora decimaseptima, in ferijs autem potest dici paulò citius: modo non valdè diluculo. 27. Jul. 1602.

318. Qui destinatus fuerit ad regendum Chorum, non est dimovendus à Choro, ut assistat Episcopo. 6. Sept. 1603.

319. Accensis suo tempore candelis, non differatur officium, licet absit Hebdomadarius: sed jussu majoris suppleat alius. 18. April. 1617.

320. Ad majorem in Choro spectat intonare initium officij per *Pater noster*. Et idem, eo finito, dabit signum, ut incipiatur hora. 18. April. 1617.

321. Dictus major in Choro dicet: *Dies, & actus, &c. Noctem quietam, &c. Benedicat, & custodiat, &c.* ac etiam *Dominus det nobis suam pacem*: nisi alia sit consuetudo. 18. April. 1617.

322. Nemo exeat de Choro, etiam expleto officio, nisi dato à majore signo finis. 18. April. 1617.

323. In Ecclesia SS. Nazarij, & Celsi transfertur festum SS. Victoris, & Innocentij sub ritu semiduplici post Octavam de Communi plurimorum Martyrum cum Evangelio, ut in die, & oratione propria, in qua omittuntur Socij. 12. Febr. 1633.

324. Tolerandum, quod Canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in Sacristia. 13. Sept. 1641.

325. Magister cæremoniarum tenetur personaliter significare Episcopo, quando debeat ad Ecclesiam accedere pro functionibus Episcopalibus. 3. Oct. 1642.

326. Canonici Lateranenses extra Urbem existentes, licet possint, & valeant celebrare officia Sanctorum, quorum Reliquiæ in Basilica Lateranensi reperiuntur, non ideo in Missa dicere debent *Credo*. 2. Dec. 1684.

327. Licet Rituale dicat, quod post absolutionem, quæ fit super cadaver in die obitus, vel super tumulum in Anniversario, dicto V. *Requiescant in pace*, subjungi debet, animæ ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace: nihil tamen addendum super lecticam, seu Castrum doloris in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum. 2. Dec. 1684.

328. Officium semiduplex in Dominica Infraoctavam occurrens tantum habet juris in feria secunda immediatè sequenti non impedita (juxta ea, quæ dixi supra n. 260.) ut non cedat duplici primæ classis translato. 16. Sept. 1702.

329. Conceditur Missa nova ad postulandam gratiam bene moriendi, petenda

in Missali post Missam *pro remissione peccatorum*. Et in Rubricis generalibus in Titulo de *Coloribus paramentorum*, sub colore violaceo. 20. Mart. 1706.

330. Festum Conceptionis B. V. M. immaculatæ ubique terrarum ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, sicut alia festa de præcepto, servetur, & celebretur, ab sub præcepto observationis festorum comprehendatur. 28. Jan. 1708.

331. Extenditur ad Ecclesiam universalem festum B. V. M. de Mercede celebrandum die vigesimaquarta Septembris, sub ritu duplici de præcepto. 18. Febr. 1696. At quia in Decreto non exprimitur sufficientèr ritus: ideò intelligendum est de duplici minori, ut patet ex superius dictis, n.284.

332. Benedictiones, & distributiones candelarum, cinerum, & palmarum non sunt de juribus merè Parochialibus. 10. Dec. 1703.

333. Non sunt de juribus merè Parochialibus functiones omnes hebmomadæ sanctæ. 10. Dec. 1703.

334. Celebratio Missæ solemnis feria quinta in Cœna Domini non est de dictis juribus Parochialibus, sed spectat ad Parochos. 10. Dec. 1703.

335. Non est de juribus merè Parochialibus prima pulsatio campanarum in Sabbato Sancto; sed spectat ad Ecclesiam digniorem, ad forman Constitutionis Leonis X. 10.Dec. 1703.

336. Expositio quadraginta horarum, & benedictio, quæ fit super Populo non est de juribus merè Parochialibus. 10. Dec.1703.

337. Expositio, quæ fit cum Reliquijs, vel Sacris Imaginibus, & benedictio, quæ cum eis fit super Populo non est de juribus merè Parochialibus. Et quoad benedictiones cum Reliquijs, & Imaginibus serventur Decreta. 10. Dec.1703.

338. In oratorijs privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possunt Horæ Canonicæ cum cantu, vel sine, absque alia licentia Parochiali, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa. 10.Dec. 1703.

339. In dictis oratorijs privatis est licita celebratio Missæ privatæ, assentiente Ordinario loci, & contradicente Parocho. 10.Dec. 1703.

340. Capellani Confraternitatum possunt Populo denuntiare festivitates, & vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia Parochi. 10.Dec. 1703.

341. Intra ambitum Ecclesiarum Confraternitatum fieri possunt processiones juxta cujusvis Confraternitatis institutum absque interventu, vel licentia Parochi. 10.Dec. 1703.

342. Eædem processiones fieri non possunt extra ambitum dictarum Ecclesiarum absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est, nisi adesset licentia Episcopi. 10. Dec.1703.

343. In dictis processionibus non possunt Capellani Confraternitatum deferre stolam extra propriam Ecclesiam. 10.Dec. 1703.

344. Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quæ non sunt Regularium, neque proprium Rectorem beneficiatum habeant, non est porrigendum aspersorium à Parrocho, in cujus territorio sunt sitæ dictæ Ecclesiæ. 10. Dec. 1703.

345. In dictis Ecclesijs Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus retineri non potest Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sine speciali indulto Sedis Apostolicæ. 10. Decemb. 1703.

346. Præsupposita facultate retinendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in eisdem Ecclesijs publicis Confraternitatum non potest per annum publicè exponi sine licentia Ordinarij. 10. Dec. 1703.

347. Sacerdotes exteri confluentes ad Regularium Ecclesias, & celebrantes de Sanctis Ordinis servatis servandis possunt in Missis se uni formare cum Regularibus, quoad *Credo*, & quoad numerum orationum more duplicium. 11. Jun. 1701.

348. Diebus Dominicis, quibus tàm Regulares, quàm exteri celebrant de Dominica, possunt exteri uti coloribus paramentorum, quibus utuntur Regulares ratione alicujus Octavæ. Et Regulares celebrantes in alienis Ecclesijs possunt uti coloribus juxta Ritum earumdem. Et tàm exteri in Ecclesijs Regularium, quàm Regulares in alienis possunt apponere commemorationem Octavæ, ut supra occurrentis, servata Rubrica de duplici oratione habenda in Dominica Infraoctavam. 11. Junij 1701.

349. In Officio ad Hymnum *Iste Confessor* pro Sanctis Confessoribus, quoties eisdem fixa dies est assignata, quæ non est dies obitus, recitari non debet., ℣. *Meruit bea-*

beatas scandere sedes: licet re vera officium fiat die obitus. Et eadem regula servanda est in officijs de Confessoribus translatis, quamvis officium sit de die obitus. 11. Jun. 1701.

350. Cum multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesijs, vel Nationibus concessum sit à Sancta Sede Apostolica, ut semel, vel pluries in singulis hebdomadibus, vel mensibus celebrentur varia officia per annum, exempli gratia de Sanctissimo Sacramento, vel de Sanctis non impeditis aliquo festo duplici, vel semiduplici, hujusmodi indulta non habet locum in ferijs Adventus, Quadragesimæ, quatuor Temporum, Vigiliarum, sive cum jejunio, sive absque jejunio: nec in feria secunda Rogationum, nec in alia feria, in qua secundum Rubricas sit reponendum officium Dominicæ. 20. Mart. 1706.

351. Dies impediti festo duplici, vel semiduplici pro dictis, officijs recitandis, intelliguntur etiam dies, in quibus ponendum est officium de festo duplici, vel semiduplici translato: quemadmodum aliàs responsum fuit, quod scilicet festum duplex, vel semiduplex etiam translatum, necnon dies Octavæ sit dies impeditus respectu talium officiorum. 29. Mart. 1706.

352. Regulares absque speciali privilegio; sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum non possunt addere nomen Sancti Fundatoris in Litanijs, & *Confiteor*. Neque recitare officia, & Missas concessas alijs Religionibus. 20. Martij 1706.

353. Gratia, quam Clemens Nonus die 20. Martij 1668. Et die 16. Februarij 1669. concessit Monialibus Conceptionis B. M. Virginis Immaculatæ in Campo Martio de Urbe, Ordinis Sancti Benedicti celebrandi singulis annis festum SS. Benedicti, & Scholasticæ cum Octava extenditur ad totam Congregationem Casinensem: nempè tam ad Monachos, quàm ad Moniales eidem Congregationi subjectas. Clemens Decimus. 17. Febr. 1672.

354. Monialibus Ordinis S. Benedicti subjectis Ordinarijs in statu Veneto conceditur, ut quolibet anno celebrare possint festum SS. Benedicti, & Scholasticæ cum Octava adinstar concessionis (de qua supra n. 353.) aliàs factæ Congregationi Casinensi ejusdem Ordinis. Clemens X. 31. Dec. 1672.

355. Interdicitur omnibus, ac singulis facultas assignandi diem fixum Sanctis translatis sine speciali Decreto, ideoque oficia Sanctorum propria die celebrentur, & si sunt impedita transferantur juxta Rubricam de *Translatione festorum*, scilicèt prima die non impedita festo novem lectionum, aut die Dominica. 28. Nov. 1682.

356. Officium semel in hebdoma concessum, recitari potest die Sabbati, si tota hebdoma sit impedita: & in tali casu omittendum Officium Beatæ Mariæ in Sabbato 27. April. 1697.

357. Prima die mensis non impedita festo duplici, vel semiduplici, & in qua occurrit recitati Officium defunctorum, potest recitari supradictum officium semel in Hebdomada concessum transferendo, vel etiam aliquando omittendo defunctorum officium. 27. Apr. 1697.

358. Officium concessum pro aliqua feria cujuscumque hebdomadæ sub Ritu semiduplici ad libitum, non potest recitari Infraoctavarum. 30. Sept. 1679.

359. Proposito dubio: an in concursu S. Æmiliani Abbatis duplicis minoris cum festo Omnium Sanctorum Monachorum duplici secundæ classis, facienda sit in primis Vesperis ipsorum commemoratio prædicti S. Æmiliani juxta Rubricas generales Breviarij, an vero omittenda, tanquam unius ex ipsis Sanctis Monachis? Sacra Rituum Congregatio respondit, commemorationem S. Æmiliani non esse omittendam. 22. Maji 1700. Ex hac particulari responsione inferri potest ad generalem regulam, quod concurrente festo alicujus Sancti sub Ritu duplici secundæ classis celebrando cum festo Omnium Sanctorum Ritu duplici primæ classis decorato, in Vesperis de sequenti erit facienda commemoratio præcedentis: licet inter omnes Sanctos includatur etiam ille.

360. Si festum Sanctissimæ Annuntiationis inciderit in feriam quintam Majoris Hebdomadæ præceptum audiendi Missam, & abstinendi à servilibus non erit transferendum: sed omninò servandum in prædicta feria quinta: adeoque per Ordinarios locorum providendum, ut eo die pro Civitatum, & Pagorum qualitate, ac Christifidelium in ijs degentium numero, plures Missæ privatæ ante celebrationem Missæ Conventualis pro præcepti adimplemento celebrandæ non desint. 12. Sept. 1716. approbante Clemente XI. die 27. ejusdem mensis, & anni.

361. In prædicto casu Sanctissimæ Annuntiationis occurrentis in feria quinta in Cœna Domini antiquus mos Communionis Cleri in Missa solemni ejus diei, quo Ecclesia SS. Eucharistiæ Sacramenti institutionem, & memoriam recolit, summa Religione hactenus observatus nullo modo omittatur. 12. Sept. 1716.

362. In Missis votivis de Passione, vel de Cruce, quæ dicuntur infra hebdomadam Passionis non est omittendus Psalmus: *Judica me Deus*, neque *Gloria Patri*, ad Introitum, & Lavabo, licet hæc omnia omittantur in Missa de Tempore. 10. Febr. 1647.

363. Festum Translationis, Ordinationis, Apparitionis, vel Inventionis, quod alicubi celebratur ratione corporis, vel insignis Reliquiæ celebrandum est sub Ritu semiduplici, nisi sit festum unicum, vel principale, & supposita concessione si bis celebretur. 6. Dec. 1698.

364. Festum semiduplex occurrens in festo duplici Infraoctavam non privilegiatam, non est transferendum post illam, quando dies immediatè sequens alio festo duplici, vel semiduplici impedita non fuerit: sed faciendum tunc est officium die immediatè sequenti. 30. Sept. 1679.

365. Missæ S. Gregorij pro vivis, & defunctis, 15. Auxiliatorum, & de Patre Æterno, & aliæ varijs in locis impressæ sunt prohibitæ. 8. Apr. 1628.

366. Diaconus non debet dare pacem Laico, neque Domino loci. 5. Jul. 1614.

367. Non prohibentur 30. Missæ S. Gregorij pro Defunctis. 28. Oct. 1628.

368. Episcopi nequeunt delegare alijs benedictionem paramentorum, & earum rerum, in quibus unctio non adhibetur.

369. Congregatio concessit insignioribus Regularium Ecclesijs usum planetarum plicatarum: & declaravit, celebrantem, & Ministros sedere posse, dum cantantur Epistola, & Graduale.

370. In feria 5. & 6. majoris hebdomadæ non fit Processio Sacramenti extra Ecclesiam. 6. Aug. 1591.

371. In feria 6. Parasceves non potest fieri nocte Processio cum Sanctissima Eucharistia. 22. Maj 1596.

Hæc Decreta desumpta sunt ex Gavanto, Lacroix, & alijs: quorum diligentia omnibus satis est nota: sed non propterea omninò authentica sunt, quapropter sententiæ, quæ ipsis, vel in hoc, vel in alijs Libris opponantur, dum à gravibus Doctoribus defendantur, non illico rejiciendæ sunt. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 2057.*

TIT. XLII.

De Baptismo, & ejus effectu.

398 TRIPLEX communitèr distinguitur status naturæ. 1. est *pura natura*, quæ, scilicèt, præcisè habeat perfectiones, & facultates sibi naturalitèr debitas, cum proportionato concursu Dei, absque ordinatione ad finem supernaturalem per dona supernaturalia, & absque naturæ corruptione per peccatum originale: & hic status possibilis communitèr asseritur. 2. est *natura integra*, quæ, scilicèt, ultra perfectiones naturalitèr debitas haberet per dona sibi indebita perfectam subjectionem apetitus, & aliarum facultatum sensitivarum ad rectam rationem, & ipsius rationis ad Deum, ut finem ultimum cum exemptione à doloribus, alijsque corporis infirmitatibus; & quatenùs ordinatur ad finem supernaturalem, fuit status justitiæ originalis, in quo fuit Adam creatus. *D. Thom. 1. p. q. 95. art. 1. in corp. Sed quod fuerit conditus in gratia, videtur requirere ipsa rectitudo primi status, in qua Deus hominem fecit, secundum illud Eccles. 7. Deus fecit hominem rectum: erat enim rectitudo secundum hoc, quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, & animæ corpus: prima autem subjectio erat causa, & secunda, & tertia. Et in art. 3. dicit, quod homo in statu innocentiæ æqualitèr habuit omnes virtutes.* Tertius est *status naturæ lapsæ*, in quo justitiam originalem, & integritatem, quam in primo parente acceperat, per ejus peccatum perdidit. Hanc statuum diversitatem non incongruè adumbrarunt Gentiles, qui mundi in ferrea ætate miseram conditionem sic suis coloribus depinxerunt. *Vivitur ex rapto non hospes ab hospite tutus, non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est, imminet exitio vir conjugis, illa mariti: lurida terribiles miscent aconita novercæ; filius ante diem patrios inquirit in annos, victa jacet pietas, & virgo cæde madentes ultima Cælestum terras Astræa reliquit.* Peccatum ergo Adami ita in nos transfunditur per propagationem, ut omnes ejus posteri per illud in sua conceptione verè in se ipsis peccatores constituantur, Deo odibiles, & digni damnatione, juxta illud *Psal. 50. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et ad Rom. 5. Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors,*

mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo (scilicèt Adamo) *omnes homines peccaverunt. Trid. sess. 5. in Decret. de Pecc. orig.* Modum sic explicat *D. Thom. 1. 2. q. 71. art. 1. in corp. Dicendo, quod omnes homines, qui sunt unius communitatis reputantur quasi unum corpus, & tota communitas quasi unus homo: sicut etiam Porphyrius dicit, quod participatione speciei plures homines sunt unus homo, sic igitur multi homines ex Adam derivati sunt tanquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primo movet membrum: unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideretur manus secundum se, ut divisa à corpore, sed imputatur ei, in quantum est aliquid hominis, quod movetur à primo principio motivo hominis. Sic igitur ordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generato non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum. Unde peccatum, quod sic à primò parente in posteros derivatur, dicitur originale, sicut peccatum, quod ab anima derivatur ad membra corporis, dicitur actuale. Et sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum: ita peccatum originale non est peccatum hujus personæ, nisi in quantum hæc persona recipit naturam à primò parente: unde & vocatur peccatum naturæ, secundum illud Ephes. 2. Eramus natura filij iræ. Et art. 4.* dicit, quod si aliquis ex humana carne formaretur miraculosè, quod non contraheret peccatum originale, quia non fuisset in Adam, secundum seminalem rationem, quod solum causat traductionem peccati originalis, juxta D. Augustinum. *Et art. 5.* ait: *Principium activum in generatione est à Patre, materiam autem Mater ministrat, unde peccatum originale non contrahitur à Matre, sed à Patre, & secundum hoc, si Adam non peccante, Eva peccasset, filij originale peccatum non contraherent. E converso autem esset, si Adam peccasset, & Eva non.* Hoc ergo peccatum originale per baptismum delctur. De quo, & ejus effectu in præsenti agendum est. Et ecce jam pervenimus ad *statum naturæ per Christum reparatæ* quoad infirmitatem culpæ, licet non quoad infirmitatem concupiscentiæ.

399 *Baptismus* ergo aliquando significat *tribulationem, vel afflictionem* magnam; sic Christus Dominus apud *Luc. 12. v. 5.* ait: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Et apud *Marc. 10. v. 38.* dixit Jacob. & Joan. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Sed in præsenti sumitur pro uno ex Sacramentis Ecclesiæ: dicitur *baptismus* à verbo Græco, quod significat *intingere, abluere, seu immergere, Hispanè: Mojar, ò labar, ò zampuzar. Gallice: Plonger. Vid. Nebris.* V. *Baptisma: & Diction. Trev.* V. *Baptismè.* Baptismus est fundamentum omnium Sacramentorum, & janua vitæ spiritualis. *C. fin. de Presbyter. non baptizat.* & adeò necessarius ad gloriam consequendam, ut nisi quis natus, saltem per generationem, & animationem fœtus, quamvis mortuus per peccatum originale, non renascatur ex aqua, & Spiritu Sancto per baptismum, non potest introire in Regnum Dei. *Joan. 3. v. 5. C. 4. h. t. Trid. sess. 6. de Justific. cap. 4.* Baptismus est triplex. 1. *Sanguinis*, qui in martyrio consistit. 2. *Flaminis*, qui in voto baptismi in re suscipiendi stat. 3. *Fluminis, seu aquæ. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 11. L. 4. tit. 4. p. 1.* Et hic solum est Sacramentum, de quo agimus in præsenti, & successit in locum circumcisionis, quæ in Lege antiqua à Judæis servabatur, & de eo intelligitur, quod dicit *Apost. ad Ephes. 4. v. 5. Unus Dominus, una fides unum baptisma.* Nam alia duo baptismata includuntur in baptismo fluminis, seu aquæ; nam suam efficaciam habent ex passione Christi, & à Spiritu Sancto, & ideò per hoc non tollitur unitas baptismi. *D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 11. ad 1. Greg. Lop. in L. 4. tit. 4. p. 1.* V. *Tres. Baptismus* ergo à Catechismo Rom. *p. 2. cap. 2.* sic definitur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* facit *L. 2. tit. 4. p. 1.* Per particulam *regenerationis*, cui ad majorem explicationem potest addi *spiritualis*, distinguitur baptismus à Reliquis Sacramentis, saltem Legis veteris, quæ non justificabant animas. Per particulam *per aquam* exprimitur materia hujus Sacramenti, & distinguitur ab alijs, etiam novæ Legis, Sacramentis. Per particulam *in verbo vitæ* forma significatur, quæ est verbum spirituale vivificans: nam in baptismo duo semper, videlicèt *verbum*, & elementum, necessariò requiruntur. *C. 5. h. t.* Nec salvat aqua, nisi Spiritus Sanctus descenderit, & aquam consecraverit. *C. 9. de Consf. D. 4. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 1. in corp.* ibi: *In*

In Sacramento Baptismi est tria considerare: aliquid scilicèt, quod est Sacramentum tantum: aliquid autem, quod est res, & Sacramentum: aliquid verò, quod est res tantum: Sacramentum est aliquid visibile exterius existens, quod scilicèt, est signum interioris effectus. Hoc enim pertinet ad rationem Sacramenti. Exterius autem suppositum sensui est, & ipsa aqua, & ejus usus, qui est ablutio ::: Cum enim Sacramenta nova Legis sanctificationem, quamdam operentur, ibi perficitur Sacramentum, ubi perficitur sanctificatio: in aqua autem non perficitur sanctificatio, sed est ibi quadam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluens in hominem, qui est vera sanctificationis subjectum; & ideo sanctum non perficitur in ipsa aqua; sed in applicatione aquæ ad hominem, qua est absolutio: & ideò Magister in 3. D. 4. Sent. dicit, quod baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma præscripta verborum. Res autem, & Sacramentum, est character baptismalis, qui est res significata per exteriorem ablutionem, & signum Sacramentale interioris sanctificationis, quæ est res tantum hujus Sacramenti, scilicet, significata, & non significans.

400 Adulti rationis compotes salutem æternam possunt consequi, vel in re suscipiendo baptismum aquæ, vel baptismum sanguinis, seu martyrium: sicut suo sanguine fuerunt baptizati Sancti Innocentes, & alij. *L. 4. tit. 4. p. 1.* vel per baptismum flaminis, seu per votum baptismi, si non habeant copiam baptismi aquæ: vel si credant bona fide, se esse baptizatos, cum verè non sint. *Trid. sess. 6. de Justif. cap. 4.* Possunt enim salutem consequi, actum contritionis eliciendo, in quo votum baptismi continetur. *C. 4. h. t. c. 2. de Presbyt. non baptiz. C. 34. de Consec. D. 4. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 11. in corp.* ibi: *Eadem ratione aliquis per virtutem Spiritus Sancti consequitur effectum baptismi, non solum sine baptismo aquæ, sed etiam sine baptismo sanguinis, in quantum, scilicet, alicujus cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum, & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis: unde etiam dicitur baptismus pœnitentiæ.* Parvuli vero cum non sint capaces voti baptismi, non aliter quam per martyrium, ut Innocentes fuerunt baptizati, vel baptismum aquæ in re susceptum, possunt salutem æternam consequi. *C. 153. de Cons. D. 4. c. 3. h. t. Trid. sess. 4. Decr. de Peccat. origin. n. 4. Et sess. 7. de Baptism. Can. 5.* Quia non aliter peccatum originale deletur. *C. 37. de Consecr. D. 4.* Baptismus ergo flaminis est perfecta contritio, vel amor Dei super omnia: attritio tamen non sufficit, etiam cum expresso voto baptismi, quia non justificat sine Sacramento, vel Martyrio. *Lacr. l. 6. p. 1. n. 244.*

401 *Martyrium* ex vi vocis significat *testimonium*, teste Nebrissensi, & *Martyres* idem sunt ac *testes*, & sic per excellentiam vocantur, qui mortem sunt passi in testimonium fidei Catholicæ. Infantes suo modo confitentur Christum, non loquendo, sed moriendo, ut de Sanctis Innocentibus canit Ecclesia. *Martyrium ergo est perpessio mortis, vel cruciatus lethalis pro Christi fide.* Tria ad Martyrium requiruntur. 1. vel mors ipsa, vel saltem cruciatus illativus mortis: nam licet S. Joannes Evangelista non fuisset verè mortuus, quando in oleum fervens fuit immissus, cum per miraculum illæsus evasisset, tamen verè Martyr fuit. 2. requiritur, quod mors, vel cruciatus, inferatur in odium fidei Christi, vel alicujus virtutis: nam si ob finem politicum inferatur, non erit Martyrium. 3. requiritur, quod perpessio mortis sit ob Christi fidem: nam *Martyrem facit, non pœna, sed causa*, juxta SS. August. & Cyprian. Et intelligitur inferri mortem ob fidem Christi, si inferatur propter opus, vel defensionem alicujus virtutis christianæ, sic S. Joannes Baptista fuit verè Martyr, licet non pro fide, sed pro adulterij reprehensione fuisset occisus. Similitèr est Martyr Sacerdos, qui ideò occiditur, quia contra prohibitionem venit in regnum infidelium, vel Hæreticorum. Qui in obsequio pestiferorum ex charitate moriuntur, etiamsi in rigore Martyres non essent, ut tenent plures; tamen saltem eis velut Martyres religiosa fides venerari consuevit, ut dicit Martyrol. 28. Februarij: quin & verè Martyres esse tenuerunt. 12. Academiæ. 13. Cardinales. 12. Episcopi. 264. DD. & 153. Scriptores cum *Raynaud. tom. 18. de Martyr. per pestem, p. 3. & 4.* Bonus Latro dicitur latè Martyr *ab August. in C. 34. de Consecr. D. 4.* cum mors non fuerit illi illata ob fidem, aut virtutis exercitium. Martyrium in adultis habet vim omnem culpam, & pœnam remittendi ex privilegio, & veluti ex opere operato, etiam actu charitatis secluso, ut tenent *Suar. Bellarm. Cajet. & alij* contra *Scot. Vazq. & alios.* mens *D. Thom.* est dubia: nam Christus apud *Matth. 10. v. 32.* ait: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est. Et v. 39. Qui perdiderit*

ani-

animam suam propter me, inveniet eam. In adultis ad valorem Martyrij requiritur acceptatio mortis pro Christo, non tamen requiritur voluntas actualis, sufficit virtualis; debet tamen esse, honesta, non solum ex parte causæ, propter quam mors infertur, sed etiam ex parte motivi formalis, propter quod acceptatur. Martyr debet acceptare mortem, imitando Christum, qui instar agni coram tondente, se obmutuit; ideò Milites, qui se defendendo in favorem religionis occiduntur, nunquam, ut Martyres sunt ab Ecclesia habiti. In justo non requiritur alia dispositio per se loquendo, quam mortis acceptatio; in peccatore requiritur, etiam pœnitentia, seu supernaturalis dolor de peccatis, saltem virtualis. *Trid. sess.* 14. *cap.* 1. ac proindè, vel contritio, vel confessio debet adhiberi. *Vid. Platel. p.* 5. *ex n.* 149. *Lacr. lib.* 6. *p.* 1. *ex n.* 230.

402 Baptismus, ut cætera Sacramenta, à Christo Domino fuit institutus *Trid. sess.* 7. *de Sacram. in gener. Can.* 1. ante ipsius mortem: nam ante ejus passionem Apostoli baptizarunt. *Joan.* 3. *v.* 22. & non est credibile, baptismo Joannis baptizasse. Et ante passionem fuit ministratum discipulis Eucharistiæ Sacramentum, quod supponit baptismum, ut januam; nec est fundamentum, ut dicamus, Christum in hoc dispensasse. Fuit ergo institutus die, quo Christus in Jordane à Joanne baptizatus fuit. *SS. Aug. Amb. Hieron. Nazianz. & alij D. Thom. in* 3. *p. q.* 66. *art.* 2. *in corp.* contra *Scotum, & alios*, & expressé habetur in *L.* 2. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *E fuè establecido, quando N. S. Jesu Christo quiso ser-bautizado de San Juan Bautista en el Rio Jordàn.* Post Resurrectionem tamen fuit ejus forma solemnitèr publicata. *Matth. cap. fin. v.* 19. ibi: *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritu Sancti*: *L.* 3. *tit.* 4. *p.* 1. Et ejus necessitas indicta juxta *D. Thom. in* 3. *p. q.* 66. *art.* 2. *in corp.* ibi: *Sed necessitas utendi hoc Sacramento indicta fuit hominibus post Passionem, & Resurrectionem; tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia Sacramenta, quibus succedit baptismus, & alia Sacramenta novæ Legis; tum etiam, quia per baptismum configuratur homo Passioni, & Resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, & incipit novam justitiæ vitam, & ideò oportuit, Christum prius pati, & resurgere, quam hominibus in diceretur necessitas, se configurandi morti, & resurrectioni ejus.*

403 Materia remota baptismi, est omnis, & sola aqua elementaris, seu naturalis, apta ad abluendum, etsi admixtione sulphuris, salis, vel aliorum mineralium, accidentalitèr sit immutata *Trid. sess.* 7. *de Bapt. Can.* 2. *Joan.* 3. *C.* 5. *h. t. L.* 2. *tit.* 4. *p.* 1. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 66. *art.* 3. *in corp.* ibi: *Ex institutione Divina aqua est propria materia baptismi, & hoc convenientèr.* 1. *quidem, quantum ad ipsam rationem baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam, quod maximè congruit aqua. Unde & semina, ex quibus generantur omnia viventia, scilicèt plantæ, & animalia, humida sunt, & ad aquam pertinent, propter quod quidam Philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium.* 2. *Quantum ad effectus baptismi, quibus competunt aquæ proprietates, quæ sua humiditate lavat. Ex quo conveniens est ad significandam, & causandam ablutionem peccatorum. Sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris, & ex hoc competit, ad mitigandam concupiscentiam fomitis. Sua diaphanitate est luminis susceptiva: unde competit baptismo, in quantum est fidei Sacramentum.* 3. *Quia convenit ad repræsentandum mysteria Christi quibus justificamur, ut enim dicit Chris. Super illud Joan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c. Sicut in quodam sepulchro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, & submersus deorsum, occultatur, & deindè novus rursus ascendit.* 4. *Quia ratione suæ communitatis, & abundantiæ est conveniens materia necessitati hujus Sacramenti. Potest enim ubique de facili haberi.* Materia ergo apta est aqua fluminis, fontium, maris, pluviæ, vel ex rore, pruina, glacie, grandine, vel nive eliquata. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 66. *art.* 4. Materia dubia est jusculum, & lixivium, cerevisia, & atramentum, quando hæc omnia valdè tenuia sunt; ita ut rationem aquæ retinere videantur, aqua expressa per distillationem ex herbis, arboribus, vite, & ex sale resoluto. Saliva non est materia apta. *C.* 5. *h. t.* nec sudor, lacrymæ, lotium, lutum, brodium, vinum lymphatum, nix, grando, glacies non resolutæ, atramentum crassum: quia nec nomen, nec usum aquæ retinere videntur ex *D. Thom. in* 3. *p. q.* 66. *art.* 4. *Suar. & comm. DD. cum Lacr. lib.* 6. *p.* 1. *ex n.* 258.

404 Materia proxima est ablutio juxta illud *Apost. ad Ephes.* 5. *v.* 26. *mundans lavacro aquæ*; sive fiat per immersionem, vel infusionem, vel aspersionem, & quidem unicam, vel trinam juxta cujusque Ecclesiæ consuetudinem. *C.* 79. *c.* 82. *de Cons.*

Conf. D. 4. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 66. *art.* 7. & 8. Talis ablutio debet esse contactus successivus cum illapsu aquæ procedens à baptizante, & receptus in baptizato, & debet immitti, si fieri potest, in caput baptizati, vel in alteram partem principalem: v.g. in scapulas, vel humeros; nec sufficit una, vel altera gutta. *L.* 2. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *E tan grande es la virtud de estas palabras, è del agua, que tañendo el cuerpo de fuera, lava el alma de dentro, è face señal en ella.* In casu tamen necessitatis in quacumque parte sensibili, etiam minima, & vel unius guttæ aspersione debet baptizari, qui in tali necessitate est constitutus; sed cessante periculo debet baptismus subconditione repeti. *C.* 2. *h. t.* ibi: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: si baptizatus es, non te baptizo: sed si non baptizatus es: Ego te baptizo.* Græci infantes totos tèr mergunt in aquam calidam, teste *Arcud. L.* 1. *cap.* 7. Infans cum nondum in lucem editus est, si aliqua ejus pars, v.g. pes, vel manus extra uterum exeat, potest in casu necessitatis baptizari; imo in utero existens, jam proximus partui, si non sit spes, ut in lucem edatur, potest aqua per fistulam, vel aliud instrumentum in uterum infusa baptizari. Sic contra *SS. Aug. Thom. Bonav. Anton. Ricard. & alios. Ex C.* 115. *de Consecr. D.*4. *& Missal. Rom.* tenent *Victor Gabriel Laym. l.* 5. *tr.* 3. *c.* 3. *n.* 2. *Dian. Bonac. de Bapt. D.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 25. *Pignat. tom.* 1. *consult.* 153. *n.* 6. *Gonz. in C.* 3. *h. t. n.* 7. *Lacr. l.* 6. *p.* 1. *ex n.* 292. Quod cum probabile sit, debet infanti hoc modo succurri, modo quo decentius possit. Si tamen in lucem postea edatur debet repeti baptismus sub conditione. *C.* 2. *h. t.* & probari videtur ex *C.* 137. *de Consecr. D.* 4. ibi: *Quisquis ex concupiscentia carnis, & lege peccati, & mortis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet, ut non solum ad Regnum Dei perducatur, verum etiam à peccati damnatione liberetur.* Et cum foetus post animationem peccatum contraxerit originale, capax esse debet, ut illud deleatur per baptismum, si aqua possit ad illum pertingere: vel per martyrium si occidatur in odium Religionis. Nec obstat. *Text. in C.* 115. *de Consecr. D.* 4. ibi: *Quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest:* quia hoc, vel intelligitur, quod non potest baptizari cum matre, id est, mediante carne matris: vel potius dicendum est, quod loquitur de foetu informi, & imperfecto ante animationem, ut videtur ibidem constare: *Neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non præcessit.* Nota, quod non dixit *nativitas*, sed generatio. *Gonz. in C.* 3. *h. t. n.* 7. Illicitum quidem est, infantem projicere in flumen, vel puteum, ita ut aquis suffocetur, etiamsi ita projiciatur animo eum baptizandi, & etiamsi aliàs moriturus sit sine baptismo: nam hæc actio ex se potius, quam ad ablutionem, tendit ad occisionem infantis, quod semper illicitum est, nec sunt facienda mala, ut eveniant bona. Sic *Laym. Dicast. Lacr. l.* 6. *p.* 1. *n.* 264. Licitum tamen esse, si mors non multum acceleretur, tenent *Suar. Vazq. Castropal. & alij.* Imò etiam, si acceleratio futura esset magna juxta *Dianam p.* 5. *tit.* 3. *R.* 8. quia vita corporis debet cedere vitæ animæ. *C.* 13. *de Pœnit. & Remiss.* Si tamen ita immergatur, valet baptismus, positis forma, & intentione. *Suar. in* 3. *p. D.* 20. *sect.* 3. *Valent. Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 3. *Lacr. l.* 6. *p.* 1. *n.* 264. contra *Sylv. Tolet. & alios.*

405 Formæ baptismi in Ecclesia Latina hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Matth. cap. fin. v.* 19. *C.* 1. *h. t. L.* 3. *tit.* 4. *p.* 1. Et ex consuetudine additur, *Amen.* Ecclesia Græca ante Schisma, approbante Latina, legitimè hanc formam usurpavit. *Baptizatur, vel Baptizetur servus Christi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* In forma baptismi debet exprimi. 1. Persona baptizans, quæ satis significatur per verbum *baptizo*, etiam omisso pronomine *Ego.* 2. Persona baptizanda, quæ significatur per particulam *Te*, ut sic appareat distinctio inter baptizantem, & baptizatum: nemo enim se ipsum baptizare potest. *C.* 4. *h. t.* Quando persona baptizantis, aut baptizati nullo modo significatur, non valet baptismus. 3. Ipsa ablutio, quæ ut materia proxima, debet forma baptismi determinari. 4. Unitas Divinæ naturæ expressa per *ly in nomine*; & Trinitas, quæ exprimitur, cum dicitur: *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et quidem tres personas, necessario exprimendas esse, deducitur ex verbis Christi, apud *Matth. cap. fin. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. C.* 48. *Apost. C.* 81. *de Consecr. D.* 4. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 66. *art.* 5. *in corp.* ibi: *Oportet, quod in forma baptismi exprimatur causa baptismi: est autem ejus duplex causa, una quidem principalis, à qua virtutem habet, quæ est Sancta Trinitas, alia autem instrumentalis, scilicet, Minister, qui tradit exterius Sacramentum, & ideò opor-*

oportet in forma baptismi de utraque fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur: Ego te baptizo, causa autem principalis, cum dicitur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Quando in Act. Apost. 2. v. 38. & alibi. Et C. 24. D. 4. dicitur, aliquos esse baptizatos in nomine Jesu Christi, non est credendum, fuisse omissas S. Trinitatis personas, sed nomen Christi additum esse loco filij, non omissis alijs personis: vel dicendum est, authoritate Christi, & sub forma ab ipso instituta esse baptizatos, & hoc tantum volunt. SS. Patres, & Pontif. Nicolaus in C. 24. de Consecr. D. 4. vel si aliud voluit dictus Nicolaus locutus fuit, ut Doctor privatus. Non valet baptismus sub his formis. Baptizo te in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quia multiplicatur natura seu Essentia Divina: vel baptizo te in Patre, & Filio, vel cum Patre, &c. vel per Patrem, vel in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto: quia vel significatur diversitas Essentiæ, aut certè non satis exprimitur unitas. Vel baptizo te in nomine Dei, vel SS. Trinitatis: vel in nomine Trium personarum: vel Patris, & Filij omisso Spiritu Sancto, quia non exprimuntur distinctè tres personæ. Dubius est baptismus sub his formis. Baptizo te in nomine Genitoris, Geniti, & spirati; vel in nomine Omnipotentis Sapientis, & Boni: quia non satis explicatur Trinitas vocibus, quibus a fidelibus debet, & potest apprehendi: Vel baptizo te in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus Sancti: Vel baptizo te in nomine Patris, baptizo te in nomine Filij, &c. quia non satis exprimitur unitas Essentiæ. Quidquid autem formam substantialiter immutat, annullat baptismum; secus si tantum accidentaliter. Hinc Alex. VIII. die 8. Decemb. 1690. damnavit hanc propositionem 27. Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris, &c. prætermissis illis, ego te baptizo. Si omittatur: Ego, & amen, valet baptismus. Similiter valet, quando baptizans dicit: abluo, vel mergo, vel pro te utitur communi nomine Græcorum, vel proprio: vel baptizo Petrum, vel dominationem vestram. Si quis hoc modo baptizet: In nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti, & Mariæ Virginis: solum invocando Mariam, ut coadjutricem gratiæ impertrandæ, non verò eo modo, quo invocatur Trinitas, valet baptismus, cum sit mutatio tantum accidentalis. Ad baptismi valorem sufficit, si ablutio, quæ est materia proxima, & forma moraliter conjungantur, id est, secundum humanum modum agendi, & loquendi, etiamsi physicè una alteri succedat. Suar. in 3. p. D. 2. sect. 2. Vazq. in 3. p. D. 148.

406 Præter materiam, & formam requiritur in Ministro ad baptismi valorem intentio, saltem virtualis baptizandi, seu faciendi Sacramentum, seu faciendi, quod facit Ecclesia: quia sensus verborum debet ab ipso determinari: aliàs non esset actio rationalis, & humana, ut constat ex Trid. sess. 6. de Sacramentis in genere. Can. 11. ibi: Si quis dixerit in Ministris dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit, & ideo Alex. VIII. hanc propositionem quæ est 28. damnavit: Valet baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit: non intendo, quod facit Ecclesia. Validè confert baptismum, etiam extra necessitatem, quicumque homo viator, vir, vel fœmina, Clericus, vel Laicus, vel Hæreticus, vel Judæus, vel quicumque alius, etiam non baptizatus. Trid. sess. 7. de Bapt. Can. 4. l. 5. tit. 4. p. 1. D. Thom. in 3. p. q. 67. art. 3. 4. & 5. Bellarm. lib. 1. de Bapt. cap. 7. Ubi refellit Calvinum asserentem, esse nullum baptismum à Ministro Ecclesiastico non collatum: nam ut dicitur in C. 48. de Consecr. D. 4. Cum tantum valet baptismus per hominem contemptibilem quantum per Apostolum datus, ita nec illius, sed Christi esse cognoscunt. Baptizans quidem debet personaliter distingui à baptizato, siquidem nullus potest se ipsum baptizare, quacumque necessitate, vel periculo instante, & ideò Innoc. III. in C. 4. h. t. declarat denuo esse baptizandum quemdam Judæum, qui in mortis articulo constitutus, cum inter Judæos tantum existeret, in aquam se ipsum immersit dicendo: Ego me baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. L. 3. tit. 4. p. 1. ubi exemplo Christi comprobat, nullum se ipsum posse baptizare. Minister ordinarius, quando nulla est necessitas, est Parochus, qui sit Sacerdos. Item Episcopus ejus superior, & quidem illius domicilij, ubi baptizandus degit, nisi aliud consuetudine sit introductum. Barbos. de Offic. Paroc. cap. 18. n. 7. vel alius Sacerdos de commissione Parochi, etiam sine aliqua necessitate: vel etiam Diaconus; sed non aliter, quam in defectum Præsbyterorum. L. 8. tit. 4. p. 1. D. Thom. in 3. p. q. 67. art. 1. ad 3. Ad baptismum unicus sufficit Minister; pos-

possunt tamen plures esse Ministri, si quilibet, ut ab alio independens, ponat materiam, & formam; secus tamen si unus materiam, alter ponat formam. Si aliquis adultus infidelis est baptizandus, si commodè fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si placuerit solemnius ab eo baptismus conferatur: alioquin Parochus domicilij, in quo degit infidelis, baptizat statuta cæremonia: quia jam ratione intentionis censetur esse de illius foro. *Ritual. Roman. Rubr. de Bapt.* §. 3. *S. Congr.* 21. *Febr.* 1688. Ubi non sunt Episcopi, possunt Missionarij, etiam extra necessitatem solemnitèr baptizare ex privilegio. In casu necessitatis quilibet potest alium baptizare, etiam Pater suum Filium, quin ex hoc aliquod impedimentum cum sua uxore contrahat. *L.* 8. *tit.* 4. *p.* 1.

407 Subjectum capax baptismi, est solus homo vivus ab Adamo descendens, & nondum baptizatus. Parvuli validè, & fructuosè baptizantur, contra Anabaptistas, & alios Hæreticos. *Trid. sess.* 7. *Can.* 12. *& seqq.* Sicut in Lege Moysis circumcidebantur, quia cum in ipsa conceptione, originale peccatum contrahant, etiam baptismi, per quem deletur, debent esse capaces, ne sit major vis culpæ, quam gratiæ, & sicut per Adam damnationem incurrerunt nascendo, ita per Christum salutem consequantur, renascendo. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 68. *art.* 9. Debentque parentes, & quidem sub gravi, non diutius differre baptismum filiorum, pro quo consuetudo, & Constitutiones Synodales cujusque Diœcesis sunt consulendæ: expedit enim, ut pueri baptizentur, ut à pueritia nutriti in vita Christiana firmius in ea perseverent; adultis validè confertur baptismus, si ipsum positivè velint, licitè, & cum fructu si ritè sint dispositi per fidem, spem, & propositum præcepta servandi, & si habeant peccata actualia insuper debent habere pœnitentiam, seu dolorem saltem attritionis supernaturalis juxta illud D. Petri: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Act. Apost.* 2. *v.* 38. *Trid. sess.* 6. *Can.* 3. Nec enim æquum erat, ut qui propria voluntate Deum offenderat, absque dolore, & retractatione peccatorum, recipiatur in ejus amicitiam. In adultis solum originale habentibus, solum requiritur fides, spes, & propositum servandi præcepta, nulla tamen pœnitentia requiritur, quia hæc solum respicit actualia, propria voluntate, commissa. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 68. *art.* 4. 6. *&* 7. Quod clarè constat ex *August. in cap.* 77. *de Consecrat. D.* 4. ibi: *Cum pro parvulis, alij respondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, qui ipsi respondere non possunt; at si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. L.* 6. *tit.* 4. *p.* 1. ubi dicitur, quod adulti debent credere, & respondere: secus parvuli: Nam hi in fide patrinorum salvantur: quippè fides unius, imo totius Ecclesiæ parvulo prodest per operationem Spiritus Sancti, quid unit Ecclesiam, & bona unius alteri communicat. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 68. *art.* 9. *ad* 2. *&* 3. Ut adultus validè baptizetur, requiritur, quod habeat intentionem, saltem habitualem, ac proindè non sufficit, quod careat contraria intentione. Probabile est sufficere intentionem habitualem implicitam contentam in contritione, vel attritione, qua quis generatim desiderat, sibi media ad salutem necessaria adhiberi. Et de adultis intelligitur, quod dicit Christus apud *Matth. c. fin. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Et *Marc. cap. fin. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Si quis absolutè nolens baptizetur, non valet baptismus: Si vero per metum quis baptizetur, cum tali casu non desit voluntas; nam voluntas coacta, voluntas est. *L.* 21. §. 5. *ff. Quod metus causa.* Valet baptismus. *C.* 3. *h. t.* Et sic baptizatus ad Legis observantiam est compellendus. *C.* 5. *D.* 45. ibi: *Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes; ut integra sit forma justitiæ: sicut enim homo proprij arbitrij voluntate serpenti obediens perijt, sic vocante se gratia Dei propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur, qui autem jam pridem ad Christianitatem coacti sunt venire, oportet, ut fidem, quam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur.* Sisebutus Rex Hispaniæ Judæos coegit, ut batizarentur, cujus zelus laudatur, non vero factum in *C.* 5. *D.* 45. *c.* 3. §. *fin. h. t.* Amens, qui nunquam usum rationis habuit, sicut infans in fide Ecclesiæ potest baptizari. *C.* 7. 26. *q.* 6. Si aliquando habuit usum rationis, & antequam in amentiam, furoremvè incidisset, petijt baptismum, cum in ea voluntate perseverare credatur, baptizari valet. *C.* 3. §. 3. *h. t.* Si renuit, vel non petijt, cum desit consensus actualis, saltem moralitèr perseverans, nequit baptizari. Si quis compos rationis voluit baptizari, sed postea impos nolit, vel actu contradicat, baptizatur validè. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 68. *art.* 12.

Filij

408 Filij infidelium, etiam invitis parentibus, baptizari valent, quando ipsi filij sunt mentis compotes, & petunt baptismum, quia quoad hoc sunt sui juris, sicut & ad matrimonium contrahendum; si sint infantes, semper validè baptizantur, quia non baptizantur in fide, vel voluntate parentis, sed tantum Ecclesiæ. *D. Thom. in 3. p. q. 68. art. 9.* Illicitè tamen, si uterque parens invitus sit, etiamsi parentes sint sub Principis Christiani potestate civili. Nam si filius ipsis parentibus relinquitur, perversionis periculo exponitur; si aufertur, privantur parentes jure suo contra naturalem justitiam. *D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 12. & in 3. p. q. 68. art. 10.* Possunt tamen licitè baptizari. 1. si vel mater consentiat, etiam patre invito, quia ob Religionis favorem ejus pia voluntas impiæ patris voluntati præfertur. 2. etiam utroque invito, si filij sint in periculo mortis, quia tunc charitatis præceptum instat, & læsio juris patriæ potestatis est levis. 3. si nulla spes sit ut à parentibus, quocumque modo abstracti, ipsis restituantur. 4. si parentes sint mancipia alicujus Christiani; nam Dominica potestas absorbet patriam potestatem. Latè *D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 12. & in 3. p. q. 68. art. 10. & alibi Suar. in 3. p. D. 25. sect. 3. Vazq. in 3. p. D. 155. Castropal. tr. 19. D. un. p. 6. Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 298.* Filij Hæreticorum, qui verè sunt baptizati, possunt, invitis parentibus, baptizari: quia cum Hæretici sint Ecclesiæ subditi, possunt ab Ecclesia compelli pueros ad baptismum Catholicum deferre, quod si recusent, justè eis abstrahuntur, & baptizantur. *Laym. lib. 5. tr. 2. cap. 6. n. 10. & 11. Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 297.*

409 Monstrum, de quo dubitatur, an homo, vel brutum sit, si partes principales, caput, videlicèt, & pectus non referant hominis formam, non debet baptizari, nisi aliqualiter dubitetur, & instet periculum mortis; nam tunc sub conditione sic baptizatur: *Si homo es, Ego te baptizo, &c.* Expedit tamen aliquantulùm expectare, donec certius cognoscatur, an sit homo, vel non. Monstrum ex homine masculo, & bruto fœmella, debet sub conditione baptizari, quia probabilitèr est homo: secus est, si procreatum sit ex bruto masculo, & muliere, quia certum videtur, quod non sit homo, cum omnes requirant ad hominis generationem semen viri. *Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 294.* Si monstrum certè sit homo, sed duo capita habeat, & constet, duos homines esse, quia v.g. uno capite dormiente, alterum vigilat, duo baptismi sint adhibendi. Si dubitetur, una pars absolutè, & altera sub conditione debet baptizari: *Si non est baptizatus. Laym. lib. 5. tr. 2. c. 6. n. 13. Gonz. in C. 3. h. t. §. 1. n. 12. & alij.* Baptismus extra necessitatem non in domibus privatis, sed in Ecclesijs Parochialibus, ubi sunt fontes baptismales, solemnitèr conferri debet. *Cl. un. h. t.* Debetque aqua consecrata adhiberi simul cum reliquis cæremonijs Ecclesiasticis: nec licitum est, aliquas adhibere, omissis alijs. Si antea in necessitate fuit collatus baptismus sine solemnitate, postea debent cæremoniæ in Ecclesia suppleri, saltem sub veniali. Si tamen collatus deprehendatur, fuisse invalidum, non est necesse, cæremonias repetere, nec repetuntur in Hæreticis conversis, ne plebs judicet, nos improbare eorum baptismum. Filij Regum, vel Principum domi suæ, possunt baptizari solemnitèr, cæremonijs Ecclesiæ adhibitis. *Clem. un. h. t.* Personæ valdè Illustres, ut Magnates Hispaniæ; & filij Catholicorum in Hæreticorum locis, possunt in domibus privatis solemnitèr baptizari, in quibus necessitas, periculum, & consuetudo debent attendi. *Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 333.* In baptismo infantibus imponuntur nomina Sanctorum: v. g. Mariæ, Petri, &c. Quod valde pium est, licet non sit præceptum. Non tamen expedit nomen Ethnicorum imponere, nec nomina antiqui Testamenti, quia aliqualem offensionem infert nomini Christiano: in aliquibus locis, ut inter Persas, & Armenos solum audimus nomina Abrahami, Davidis, Eliæ, &c.

410 Baptismus validè collatus tolit, non solum peccatum originale, sed omnia actualia mortalia, & venialia. *Ezech. 36. v. 25. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. C. 3. c. 133. c. 136. de Consecr. D. 4. c. 1. de Sum. Trin. Cl. un. eod. c. 3. h. t. L. 5. tit. 4. p. 1.* Et ex symbolo fidei constat: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Et simul cum culpa, totum aufert reatum pœnæ. *Ex Conc. Flor.* ubi de baptismo agens ait, baptizatis nullam pro peccatis præteritis injungendam esse satisfactionem, sed morientes antequam culpam committant, statim ad Cœlum ascensuros. *L. 5. tit. 4. p. 1. & ibid. Greg. Lop.* ideò Alex. VIII. hanc propositionem, quæ est 19. condemnavit: *Homo debet agere toto vitæ tempore pœnitentiam pro peccato originali*; non tamen remittuntur in baptismo pœnalitates hujus vitæ. *Trid. sess. 5. Decr.*

de

de Peccat. origin. n. 5. Semper baptismus gratiam producit, & quidem per se primam, cum sit Sacramentum regenerationis spiritualis: regeneramur autem spiritualitèr per primam gratiam. Quando vero baptizatus per actum contritionis, aut amoris Dei super omnia, justificatus est, tunc tantum producit secundam gratiam, seu augmentum gratiæ: sed hoc per accidens est. Etiam confert specialia auxilia ad ferendum suavitèr jugum Christi; tamen duplicitèr potest impediri baptismi effectus. 1. positivè per affectum ad peccatum. 2. negativè per defectum debitæ dispositionis supradictæ, sed hoc remoto obice, reviviscit baptismus validè collatus, gratiam sanctificantem, & virtutes infusas ei annexas confert, directèque remittit omnia mortalia præcedentia sui validam collationem, cum ad eorum remissionem ordinetur, sequentia vero tantum indirectè remittit, quatenùs priora remittit per gratiam æquè omnibus repugnantem, quæ non potest unum mortale delere sine alijs. C. 42. *de Consecr. D.* 4. *L.* 5. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *A tal como este, maguer sea baptizado, non se le perdonan los peccados por el baptismo, fueras ende, quando tuelle aquel engaño de su corazon. D. Thom. Suar. Lug. & alij*, contra *Gabr. Vazq. & alios apud Platel. p.* 5. *ex n.* 227. ubi plura notatu digna afferuntur. Sane, baptismus characterem imprimit indelebile animæ. C. 3. §. *fin. h. t.* sicut confirmatio, & ordo: ac proindè reiterari nequit. *Trid. sess.* 7. *de Sacram. in gen. Can.* 9. *L.* 3. *tit.* 4. *p.* 1. nisi in prima collatione aliquid essentiale defuisset, vel si dubitetur, an sit collatus: quando dubitatur, an ritè sit collatus: tunc debet repeti hoc modo: *Si baptizatus es, non te baptizo: Si non es baptizatus, Ego te baptizo*, &c. *C.* 2. *h. t. L.* 3. *tit.* 4. *p.* 1.

411 Baptizati ab Hæreticis, etiam Calvinistis, si aliundè non adsit probabile dubium invaliditatis baptismi, non sunt sub conditione baptizandi. C. 48. *de Consecr. D.* 4. & constat *ex Trid. sess.* 7. *de Baptism. Can.* 4. *Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum: anathema sit.* Filij parentum fidelium inter fideles educati, etiamsi non certò de ipsorum baptismo constet, præsumuntur baptizati, nec sunt rebaptizandi, nisi evidentissimis constet argumentis contrarium. *C.* 2. *c. fin. de Presb. non bapt.* Filij tamen infidelium, ubi infideles permittuntur, etiam inter fideles educati, non præsumuntur baptizati, nisi baptismus probetur *Dian. p.* 4. *tr.* 8. *res.* 113. *Canter. & alij.* Baptizatus ab obstetrice in necessitate, si non sit aliquod rationabile dubium de aliquo substantiali defectu: quod Parochus examinare curabit, non est rebaptizandus: in Ecclesia tamen supplentur baptismi solemnitates. *Catech. Rom. S. Pij V. de Bapt. p.* 2. *cap.* 2. *n.* 43. Obstetrices sub gravi teneri scire modum baptizandi, docent *D. Ant. Enriq. & alij*: probabilitèr etiam à peccato excusantur. Parochos etiam mortalitèr peccare, si obstetrices non examinent, an rectè sciant baptizare, tenet *Gobat apud Lacr. lib.* 6. *p.* 1. *n.* 270. Infantes expositi regularitèr sunt rebaptizandi sub conditione, etiamsi inveniantur cum sale apposito, vel cum scheda testante, baptizatum esse. *Lacr. lib.* 6. *p.* 1. *n.* 318.

412 Nunc aliquid de Patrinorum officio dicere oportet. Duplex est munus Patrini. 1. baptizatum in baptismo tenere, & ex eo levare. 2. puerum in fide instruere, & in via Domini dirigere; & ideò appellantur à SS. Patribus *Patrini*, C. 100. *de Consecr. D.* 4. *Susceptores.* C. 105. *de Consecr. D.* 4. *Compatres, fidejussores, sponsores; Fidei Doctores, & pædagogi spirituales. D. Thom. in* 3. *p. q.* 67. *art.* 7. *in corp.* ibi: *Spiritualis regeneratio, quæ fit per baptismum assimilatur, quodammodo generationi carnali: Unde dicitur* 1. *Petri* 2. *Sicut modo geniti infantes rationabiles, & sine dolo lac concupiscite. In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice, & pædagogo: unde & in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutritis, & pædagogi, informando, & instruendo eum, quasi novitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam christianam: & ideò requiritur, quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte, quasi in suam instructionem, & tutelam. Et hoc est, quod Dion. dicit. ult. cap. Ecclesf. Hierar. Divinis nostris Ducibus (id est, Apostolis) ad mentem venit, & visum est, suscipere infantes, secundum istum sanctum modum, quod naturales pueri parentes traderent puerum cuidam docto in Divinis pædagogo, & reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub Divino Patre, & salvationis sanctæ susceptore.* Et licet hæc obligatio gravis sit, ab ea excusantur patrini, si credant, puerum à suis parentibus, vel Magistris, ut communitèr inter Catholicos fit, instruendum esse diligentèr. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 67. *art.* 8. *in corp.* Potest esse patrinus, quicumque fidelis rationis compos, nullo facto discrimine sexus, vel ætatis, etiam puer

res-

respectu adulti, etiam fœmina respectu viri; decet tamen fœminam esse matrinam fœminæ, virum esse patrinum viri. *C.* 105. *de Consecr. D.* 4. *C.* 1. *h. t. in* 6. Et quidem potest quis non solum per se ipsum, sed per Procuratorem munus patrini exercere, sic testante communi praxi; tuncque contrahet cognationem ille, qui per Procuratorem levat, & tenet moraliter, licet non physicè, non vero ipse Procurator, qui non suo, sed nomine alieno est patrinus: nam qui facit per alium est perinde, ac si faciat per se ipsum. *C.* 72. *de Reg. jur. in* 6. Sicut potest quis per Procuratorem matrimonium contrahere. *C. fin. de Procurat. in* 6. *Bald. Alciat. Gaeta, Barb. de Offic. Episc. alleg.* 30. *n.* 50. *Ponce de Matr. l.* 7. *cap.* 39. *n.* 10. *Laym. & alij*, contra *Joan. And. Cov. Sanch. l.* 7. *D.* 59. *n.* 4. *&* 12. *Gonz. in C. fin. h. t. n.* 9. *in fin.* qui dicunt, à neutro cognationem contrahi. Si nomine communitatis assignetur Procurator, ut patrinus, nec communitas ipsa, quia est persona ficta, nec singuli de communitate, ne plures patrini dentur, nec ipse Procurator, quia nomine alieno est patrinus, contrahunt cognationem; quare tunc expedit, vel quod communitas non exerceat tale munus, vel aliquis designabitur, qui nomine proprio levet, licet jussu communitatis, & ille erit patrinus, & contrahet generationem. *Sanch. lib.* 7. *D.* 59. *n.* 7. Prohibentur esse patrini Hæretici, & Apostatæ, nisi in casu necessitatis. Ubi tamen, ut in Germania, Hæretici, & Catholici sunt permixti, potest Catholicus licitè esse patrinus in baptismo celebrando à Ministro Hæretico, dummodò ritè celebretur. *Laym. l.* 5. *tr.* 2. *cap.* 9. *n.* 6. Etiam prohibentur esse patrini excommunicati vitandi; *arg. C.* 16. *c.* 29. *de Sent. Excom.* Item pœnitentes publici, & moribus infames: nam isti potius in præcipitium, quam in viam salutis ducent baptizatum: parentes respectu suorum filiorum. *C.* 1. *c.* 2. 30. *q.* 1. Religiosi utriusque sexus. *C.* 103. *c.* 104. *de Consecr. D.* 4. Ne hoc prætextu nimis familiaris sæcularibus, præsertim fœminis, fiant; nec decet, quod comatres, habeant; quod si fiant patrini, verè patrini erunt, cum hoc factum non irritetur licet prohibeatur, ac proinde etiam cognationem spiritualem contrahent. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 6. Si vero Religiosus sit jam Episcopus bene poterit esse patrinus, cum in eo periculum nimiæ familiaritatis, & præsumptio incontinentiæ cesset. *Vid. D. Thom. in* 3. *p. q.* 67. *art.* 7. *&* 8. *l.* 6. *l.* 7. *tit.* 4. *p.* 1.

TIT. XLIII.

De Presbytero non baptizato.

413 Licet per flaminis baptismum fiat homo membrum Christi per conjunctionem internam, necessarius tamen est baptismus fluminis, quoad conjunctionem externam per hoc signum sensibile, ut ad cætera Sacramenta, & bona Ecclesiæ communia jus adquiratur, ita ut sit cæterorum Sacramentorum fundamentum, & prima janua ad Ecclesiam. *C. fin. h. t. c.* 2. *de Cognat. Spirit. in* 6. *L.* 10. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *Entrada es el baptismo para llegar los omes à recibir los otros Sacramentos: Cà todo ome, que los quisiere aver, primero debe tomar el baptismo, que es assi como cimiento sobre que todos los otros Sacramentos deben estar.* Hinc, qui baptismo non præcedente ordinatus est in Sacerdotem, etiam bona fide, ordo nullius valoris est, ac proinde baptizari debet prius, postea que ordinari, si vult. *C.* 1. *c. fin. h. t. L.* 10. *tit.* 4. *p.* 1. Si vero nolit, Laicus manebit, valideque matrimonium contrahet: illicitè tamen, cum votum simplex castitatis tacitè videatur emisisse; *arg. C.* 12. *de Convers. conjugator.* Actus illi, qui ex divina institutione pendent ab ordine, verè suscepto, ut consecratio, absolutio Sacramentalis, nulli, & irriti sunt. *Barbos. in C.* 2. *h. t. n.* 2. Quia hoc nequit Ecclesia supplere. *Trid. sess.* 21. *de Sacram. Euchar. cap.* 2. ibi: *Salva illorum substantia.* Alij vero actus, qui à Sacramento vere suscepto non dependent ex divina institutione: v. g. assistentia Parochi in matrimonio, baptismus, & alia hujusmodi, ob bonum commune, ipsa Ecclesia supplet defectum, & ob errorem communem valent; *arg. L.* 3. *ff. de Offic. Prætor. de quo latè Sanch. lib.* 3. *de Matr. D.* 22. Quamvis primæ tonsuræ, & ordinum susceptionem, saltem sub veniali debeat confirmatio præcedere. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 4. *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *num.* 2223. Ordinario tamen ejus, qui non est confirmatus valida est, nec aliquo jure irritatur.

TIT. XLIV.

De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

414 OLim ob Gentilium persecutiones, etiam homines privati in suis domibus Eucharistiam servabant, ut singulis diebus, prout tunc moris erat, possent communicare: imò ori, vel pectori defunctorum imposita cum ipsis consepeliebatur, ad fugandos Dæmones ab eorum sepulchris, sed posteà statutum est, ut solum in Ecclesia Eucharistia asservetur. *C. 1. h. t.* Et meritò: tùm ut posit petentibus præcipuè infirmis ministrari; tùm ut fideles semper Christum præsentem habeant, juxta illud *Christi D. Ego vobiscum sum omnibus Diebus, usque ad consummationem sæculi. Matth. c. fin. v. fin. Et in Trid. sess. 13. de Euch. c. 6.* anathematizatur, *qui dixerit non licere S. Eucharistiam in Sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorificè deferatur.* Qui non ex simplicitate, sed ex malitia, & malo fine retinet apud se Eucharistiam, cum hoc abusu male sentire de Sacramento censeatur, solet ab inquisitione puniri. Etiam Inquisitores procedunt contra sumentes in communione plures hostias, vel particulas. *Dian. in Sum.* V. *Inquisit. n.91.* Quod si aliquis uteretur in sortilegijs S. Eucharistiæ Sacramento, tradendus esset Curiæ Sæculari. *Dian. n.* 161. Eucharistia debet servari pro infirmis in Parochijs. *C.93. de Consecr. D. 2. l.60. tit. 4. p.1.* Et in Monasterijs, quæ respectu Regularium Parochiæ censentur. *Pellizar. Man. Reg. tr.3. cap.6. n. 1. & 2.* in Monasterijs Monialium debet servari, non intra Chorum, vel septa Monasterij, sed in Ecclesia publica. *Trid. sess.25. de Regul. cap.* 10. In Cathedralibus etiam debet servari, sed extra Altare majus in alia Capella decente, ut est declaratum *die.16. Maji* 1708. Non potest servari Eucharistia in conservatorijs mulierum in Grangijs, seu domibus ruralibus Regularium. *Hispanè: Granjas, ò Estancias.* In Collegiatis non Parochialibus, nec in alijs Ecclesijs, quæ non sunt Parochiæ non potest servari, nisi de Privilegio Apostolico: nec sufficit licentia Episcopi. *C. 23. §. Tanta, de Consecr. D. 2.* Eucharistia debet in Tabernaculo in medio Altaris collocato asservari, & quidem in Ciborio, seu pyxide benedicta, argentea, & inaurata super Altari Viatico seu Ara, vel saltem super corporali; & quidem eam sub clavi, & fideli custodia debet servare Parochus, Rector, vel Sacerdos, ad quem pertinet cura Ecclesiæ nunquam tamen Moniales, nec Laici, etiamsi Patroni sint. *Si vero is ad quem spectat custodia ea incautè reliquerit tribus mensibus ab officio suspendatur, & si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni. C. 1. h. t.* C. 10. *de Celeb. Missarum. L. 60. tit. 4. p. 1.* In feria 5. Cœnæ Domini ex generali Hispaniæ consuetudine Laici nobiliores solent servare clavem Sacrarij, quod non est improbatum. *Pignat. tom.6. cons.87. num. 9. & 10.* Debetque saltem singulis hebdomadis renovari Eucharistia, antequam species corrumpantur, etiam tempore interdicti potest Missa celebrari, ut fiat hæc renovatio (sed non pulsatis campanis) voce submissa, januis clausis, & interdictis exclusis. *C.57. de Sent. Excom.* Et etiam in Ecclesia specialitèr interdicta, vasa, vestimenta, & ornamenta sacra debent esse munda, & nitida; *arg. C.41. c.43. de Consecr. D. 1.* quia sordes, quæ in profanis non tolerantur, non debent in sacris tolerari. Nec in Ecclesijs debent reponi bona profana, nisi tempore belli, vel incendij, vel alia necessitate. *C. fin. h. t. L. 64. tit.4. p.1.* Ante Eucharistiæ Altare generali Ecclesiarum usu debet ardere die, nocteque lampas, ut olim ante Arcam Testamenti lucebat Candelabrum. *Exod.* 25. *v.37.* ut fideles moneantur ibi esse lucem mundi, & candorem lucis æternæ, & ad venerationem ejus excitentur. *C.* 10. *de Celebr. Missar. L. 61. tit. 4. p. 1.* ibi: *Por dàr à entender, que aquella Hostia que lleva, es lumbre verdadera, è durable.* Lampas debet conservari ex proventibus ad ipsas Ecclesias pertinentibus. *Trid. sess.21. de Ref. cap.7.* In his Indiarum Provincijs, quotquot lampades ante venerabile Sacramentum Eucharistiæ ardent, conservantur sumptibus nostrorum Catholicissimorum Regum: quod est suæ pietatis, & religionis monumentum perenne.

415 Eucharistia per modum viatici, à Parocho, vel ejus Vicario deferenda est ad infirmos, non ut eam adorent, si sumere non possunt, sed ut communicent: & quidem deferri debet habitu decenti, & superpelliceo inducto, in vase argenteo, cooperto serico, præcedente lumine, & tin-

tintinabulo sonante, & si fieri potest cum cantu, ut fiedeles genuaflectant, & Christum adorent. *C. 10. de Celebr. Missar. L. 61. l. 62. tit. 4. p. 1.* Et licet Sacra Congregatio apud *Vallens. h. t. n. 4.* respondisset, non esse deferendam per plateam ubi Judæi inhabitant, hoc noc habet locum in nostra Catholicissima Hispania, ubi nullus permittitur, qui non sit Catholicus: vel etiam si fortè Gentiles alicubi habitent, ut in hac Civitate finæ Gentiles degunt, debent si Eucharistiæ obviam occurrant, vel secedere, vel genuaflectere; alias puniuntur. *L. 63. tit. 4. p. 1. L. 2. tit. 1. lib. 1. R. C. & in l. 62.* jubet pijssimus Rex Alfonsus, quod omnis obvians Eucharistiæ genuaflectat, & eam comitetur, & in *L. 2. tit. 1. l. 1. R. C.* Jubet Rex Joannes 1. quod omnes, etiam Rex, & Princeps ad hoc teneantur, ibi: *Mandamos, que todos seamos tenudos de lo acompañar fasta la Iglesia donde salió, y fincar los hinojos para le hacer reverencia, y estàr assi hasta que sea passado, y que no nos podamos escusar por lodo, ni por polvo, ni por otra cosa alguna.* In his Indiarum partibus infirmi, quando commodè possunt in lecticis *Hispanè: Jamacas*, ad Ecclesiam deferuntur, ut ibi Eucharistiam, vel extremam unctionem suscipiant, quod ideo introductum est, quia alias difficilè posset eis viaticum deferri, ob nimiam distantiam, ob maris, fluminum, & itinerum difficultatem, laborem, & periculum: & quia hæc continua absentia alijs indigentibus præjudicium pareret: cum sanè bonum commune particulari præponderare debeat. Olim fideles solebant chrismate pro medela in suis infirmitatibus uti, vel potius abuti, cum, teste Cypriano, hæc unctio non medendis corporibus sit instituta, sed virtute divina potentius operetur. Ideò chrisma, & oleum infirmorum, quæ in præsenti rubrica latè appellantur Sacramenta, cum sint Sacramentalia, debent etiam sub fideli custodia, clavibus adhibitis, conservari, non quidem in Tabernaculo Eucharistiæ, sed in alio loco decenti in vase argenteo, vel stanneo, supposita inscriptione, vel aliquo signo denotante oleum, quando ibi asservatur, ne error, vel confusio in administratione contingat. *C. 1. h. t. L. 60. tit. 4. p. 1.*

TIT. XLV.

De Reliquijs, & veneratione Sanctorum.

416 Quilibet potest virum, qui fama sanctitatis decessit, cultu privato, ut sanctum venerari. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 43. n. 4.* Minimè vero cultu publico. *C. fin. h. t.* Ac proinde nequit eum vocare publicè sanctum, nec templa, vel altaria, in ejus honorem erigere, nec dies festos celebrare, nec ejus reliquias in Ecclesia publicè exponere venerationi, nec in Divino Officio, vel in Missa de eo facere commemorationem, nec in Litanijs invocare, nec ejus imaginem, præsertim cum radijs depictam, in Ecclesia, vel sacello ad venerationem proponere, nec in Martyrologio describere, nec ei tabellas miracula continentes appendere. *Barb. in C. fin. h. t. n. 5. Bellar. & alij.* Ut ergo talis cultus publicus liceat, est necesse, talem virum esse canonizatum, hoc est, in albo, seu numero sanctorum solemnitèr, ac publicè per Pontificem descriptum pro universali Ecclesia: seu beatificatum, hoc est, quod ejus cultus à Pontifice uni Regno, vel Religioni permittatur. Sanè, Pontifex nequit errare in Canonizatione Sanctorum, quia hæc est pars quædam materiæ moralis, & valdè necessaria, ut Ecclesia nullatenùs erret in cultu, & adoratione Religionis: alias contingere posset, ut coleret hominem damnatum, & ad illum preces funderet, quod etiam contra puritatem, & sanctitatem esset Ecclesiæ: ac proindè non licet fidelibus de gloria sancti canonizati dubitare. Sic *D. Thom. Cano, Bellarm. Suar. de Fide, D. 5. sect. 8. n. 8. & alij.*

417 *Ex Trid. sess. 25. in Decr. de Invocat. & venerat. Sanctor.* alijsque Textibus, & DD. constat, quod jam à primævis Ecclesiæ temporibus incœpit invocatio, cultus, & adoratio Angelorum, & Sanctorum, qui in Cœlo cum Christo regnant, quod pie, utilitèr, & sanctè usque ad nostra tempora conservatur, ipsosque sanctos tanquam intercessores, & advocatos assumimus ad impetranda beneficia à Deo per Filium ejus Jesu-Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, & Salvator est, ad ipsorumque orationes, opem, & auxilium confugimus in nos-

nostris necessitatibus, ut constat *ex Trid.* & alijs locis, & optimè explicat *Suar. lib. 1. de Orat. cap. 10.* Sic etiam apud Gentiles, hoc in umbra præcessit. *Dij Patrij indigetes, & Romule, Vestaque Mater, hunc saltem everso juvenem succurrere sæclone prohibete.* Cultus ergo in genere, quo aliquis colitur, potest quadrupliciter considerari. 1. est cultus, qui dicitur *Latria*, id est, *servitus*, & hic *solum*, & *soli Deo præstatur*, ob ejus increatam, & infinitam excellentiam. Christus etiam simili cultu adoratur. 2. *Hy perdulia*, quæ specialiter, & solum Deiparæ tribuitur. 3. *Dulia*, qua reliqui sancti coluntur ob excellentiam supernaturalem creatam. 4. Potest intelligi *cultus merè politicus* consistens in quadam exteriori reverentia, quo Principes, aliosque personas dignite, vel aliqua excellentia naturali fulgentes honoramus. Sic in *Genes.* 23. *v.* 7. *Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ, filios videlicet Heth. Et* 3. *Reg. cap.* 1. *v.* 16. *inclinavit se Bethsabee, & adoravit Regem.* Imagines etiam Sanctorum debent in Ecclesijs collocari, non tantum ad ornatum, sed etiam ad reverentiam, adorationem, & cultum, & ut Populus admoneatur beneficiorum, & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt, & pro eis Deo gratias agat, & mores, & vitam ad imitationem Sanctorum componat: non tamen sunt ornandæ, nec pingendæ imagines procaci venustate, imò ab Ecclesijs eliminandæ, ut omninò honestas servetur. Etiam sunt eliminandæ imagines ridiculæ, & deformes. Et sic intelligitur *Concilium Illiberit. Can.* 36. Quando Deus, vel Trinitas, vel Angeli pinguntur figura humana, non ideò credendum est, talem figuram habere: hoc enim tantum fit, ut aliquomodo nobis proponi valeant, nosque percipere possimus talia mysteria, vel excellentias, vel perfectiones, quibus gaudent. Hinc Alex. VIII. damnavit has propositiones 25. *Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.* 26. *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ vana est. Lacroix lib.* 3. *p.* 1. *ex n.* 15. Ubi varia Decreta affert circa cultum imaginum, & reliquiarum. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 43. Cum imaginibus cultum, & venerationem exhibemus, non est credendum, *quod insit aliqua in eis Divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam bonos, qui eis exibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt veneremur: id quod Conciliorum præsertim vero secunda Nicenæ Synodi Decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum. Trid. sess.* 25. *Decr. de Invoc. & vener. Sanctor.* De persecutoribus imaginum, qui Iconoclastæ, & Iconomachi dicebatur, latè agitur *in Supplem. Moreri.* Sic *D. Thom. Suar. & alij.*

418 Reliquias equidem Sanctorum esse adorandas, est definitum *in Trid. sess.* 25. *in Decreto de Invocat. venerat. & reliquijs Sanctor. & alijs Concilijs.* Et habetur in *L.* 65. *tit.* 4. *p.* 1. Sic Hemorroyssa Christi fimbriam tetigit summa cum reverentia, & fuit sanata. *Matth.* 9. *ex v.* 21. Sic fideles venerabundi tangunt sudaria Pauli, & curantur. *Actor.* 19. *v.* 12. Et sic tenuit ab initio, & tenet Ecclesia. Et meritò, siquidem corpora sanctorum fuerunt Templa Spiritus Sancti, organa sanctarum animarum, & instrumenta virtutum. Ac proindè debent coli eodem cultu, ac imagines sanctorum; ita ut earum adoratio terminetur ad utrumque simul: primario, & per se ad ipsos sanctos; secundario ad ipsas reliquias. Nomine reliquiarum intelliguntur corpora sanctorum, & quælibet ipsorum, aut ossium, vel carnium particulæ, ungues, dentes, capilli, pulveres, & cineres, in quos sunt conversa: vestes, panni, & alia, quæ ipsos tetigere, vel ad eos pertinent, non tamen adoramus vermes, in quos sunt corpora sanctorum conversa: quia tunc adoratio indecens est: nec in illis decenter apprehenditur Sanctus. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 43. *n.* 2. Ut reliquiæ cultu privato venerentur, sufficit conjectura prudens, qua tales credantur. *Suar. in* 3. *p. q.* 25. *art.* 6. *D.* 55. *Sanch. in Dec. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 13. Reliquias de novo inventas nemo publicè potest venerari, nisi prius authoritate R. Pontificis fuerint approbatæ. *C. fin. h. t.* Quando tamen constat certò, reliquias de novo inventas esse alicujus Sancti jam canonizati, sufficit authoritas Episcopi, eas recognoscentis, & approbantis juxta *Trid. sess.* 25. *in Decr. de Invocat. & reliquijs Sanctor.* Ad eas tamen approbandas debet consulere Theologos, & alios viros probos, & doctos, non tamen debet necessariò sequi illorum consilium; *arg. L.* 77. §. 24. *ff. de Leg.* 2. *& ibid. Gothofr.* Si dubium grave suboriatur; in Concilio Provinciali juxta majorem suffragiorum partem

tem decidetur. Reliquiæ semel approbatæ, si ad aliam Diœcesim transferantur, solum ab Episcopo examinatur, an sint ipsæ reliquiæ in testimonio contentæ: & sic concedit licentiam, ut publicè venerationi exponantur. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap.* 43. *n.* 18. & possunt absolutè, & sine conditione coli, etiamsi dicatur corpus alicujus Sancti esse in locis diversis: nam de diversis reliquijs ejusdem Sancti, vel de diversis Sanctis ejusdem nominis intelligendum est: nec in his rebus major certitudo requiritur. Et si fortè erretur, erit tantum materialis error, cum ratio formalis cultus sit sanctitas. Si dubium sit quænam ex varijs reliquijs veræ sint, vel falsæ, nullæ publicè adorantur, sed debent in loco decenti custodiri: nec quæ non sunt approbatæ possunt coli mixtæ cum approbatis, quia per talem mixtionem non fiunt alicujus Sancti. *Suar. in* 3. *p. D.* 55. *sect.* 2. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 43. *n.* 12. *&* 19. Non tamen est illicitum adorationi exponere Crucem varijs reliquijs non approbatis ornatam: quippè tunc, non reliquiæ, sed Crux adoranda proponitur: vel si quis eas adoret erit per accidens, & pertinebit ad cultum privatum, & sic habet usus, ut contra *Bonac.* tenet *Dian. in Sum.* V. *Reliquiæ*, & addit, quod Princeps in bello non potest reliquias capere, & distrahere, sanè licet irreverentiam irroget reliquijs, si quis eas habens fornicetur, non tamen ex hoc sacrilegium committit, nec si amasiæ det reliquiam ex benevolentia: sacrilegium tamen esset si in solutionem peccati daret: nam res sacra fieret turpis lucri pretium. *Potestas tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 6. circa recitationem de Reliquijs affert. *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *n.* 2055. sequentia Decr. S. Cong. Rituum 185. officium fit duplex minus de illo Sancto, cujus habetur reliquia insignis, scilicèt, caput, brachium, crus, vel ea pars corporis, in qua passus est Martyr, dummodò sit integra, & non parva, modo sit approbata, cujus ratione recitandum est symbolum in Missa 8. Aprilis 1628.—186. Festum quod in aliqua Ecclesia celebratur ratione corporis, vel insignis Reliquiæ, non habet Octavam, nisi specialitèr concedatur à Sede Apostolica 12. Aug. 1653. —187. Qui recitat officium de Sancto, de quo habet insignem Reliquiam in propria Ecclesia si celebret eo die in alia Ecclesia debet omittere: Credo. 2. Decemb. 1684. —188. De Sancto, cujus habetur corpus, vel insignis Reliquia, non potest fieri officium, nisi constet de identitate, & nisi reperiatur in Martyrologio Romano. Reliquiæ vero à locorum Ordinarijs approbatæ possunt exponi ad fidelium venerationem, 19. Octob. 1691. quod posteà n. 2074. refert ad litteram, & est à Pontifice approbatum, ac proindè ubique observandum. Et eod. *lib.* 6. *p.* 2. *n.* 379. ait: non dicuntur insignes Reliquiæ maxilla, auris, digitus, imo nec pes secundum aliquos. Non est obligatio legendi Missam, vel officium de Sancto, cujus habetur insignis Reliquia, cum non dicatur, *debere*, sed tantum *posse* legi: potest tamen celebrari Missa, & officium de insignibus Reliquijs, etiamsi sint ita mixtæ non approbatis ut discerni nequeant. *Bonat. Trull. apud Lacr. n.* 384.

419 Qui furatur reliquias, si non sunt in loco infidelium, committit sacrilegium; quia rem sacram furatur cum injuria Ecclesiæ, ubi sunt, sed quia ex imprudenti devotione, & sine malitiæ advertentia hoc solet fieri, excusatur regularitèr à peccato, qui hoc facit, ut ergo de una Ecclesia in aliam aliquæ transferantur reliquiæ, est necessaria, & sufficit Episcopi licentia, ut contra alios tenent. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 25. *Fagnan. in C. fin. h. t. n.* 15. *& alij.* Ex justa tamen causa, & cum consensu majoris partis Capituli. *C.* 37. *de Consecr. D.* 1. *arg. C. Placuit,* 51. 12. *q.* 2. Si reliquiæ sunt perpetuæ traditæ sepulturæ, nequeunt transferri sine Pontificis, vel Episcopi licentia. *C.* 37. *de Consec. D.* 1. Nisi aliqua necessitas: v.g. incendium immineat; nam tunc sufficit authoritas Præsidis Provinciæ. *L.* 1. *C. de Religios. & Sumpt.* Si vero nondum sint traditæ perpetuæ sepulturæ nullius authoritas est necessaria, ut in alium locum Religiosum transferantur. *L.* 10. *C. de Religios. & Sumpt. Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 43. *n.* 25. Reliquiæ Sanctorum dum Populo ostenduntur, non debent extrahi ex capsa, vel loculo, ubi includuntur, ne Populus ab adoratione retrahatur, videns ossa denudata carnibus, & pelle. Nec pro pretio sunt ostendendæ nisi detur tanquam eleemosyna, nec possunt pretio vendi, quia sunt rei spirituali, scilicèt animæ Sancti, annexæ. *C. fin. h. t. Barbos. & Gonz. ibid. L.* 65. *tit.* 4. *p.* 1. Ratione tamen argenti, vel auri, quibus ornantur, aliquid potest accipi: possunt tamen pretio, & pecunia tedimi reliquiæ, quæ ab infidelibus possidentur; *arg. C.* 28. *de Simon.* Sic fideles tunicam Christi D. inconsutilem pecunia ab infidelibus redemerunt. Non solum Clericis, sed etiam Laicis per-

mis-

missum est reliquias Sanctorum tangere, & secum ferre. Et Acolythis jam usu concessum est sacra reliquiarum vasa portare, dum hoc debita fiat reverentia. Agnos tamen cereos solum Subdiaconis tangere licet: quippè qui non solum sunt sacri, & benedicti, oratione Pontificia, sed insuper consecrantur oleo sacro, & chrismate, sicut, & Calices, usus tamen obtinuit, ut à Laicis imò, & à fœminis reverentèr tangantur. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 43. n. 27.* Materia, & Virtutes Agnorum his versibus explicantur. *Balsamus, & munda cera cum chrismatis unda. — Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum. — Fonte velut natum, per mystica sanctificatum. — Fulgura desursum depellit, & omne malignum — peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit — praegnans servatur simul, & partus liberatur. — Dona defert dignis, virtutem destruit ignis. — Portatus munde, de fluctibus eripit unda.* Circa Agnos *Greg. XIII. in Const. Omni.* sub excommunicatione ipsofacto incurrenda, non tamen reservata prohibet: *Ne quisquam Agnos Dei per Romanum Pontificem benedictos depingere, minio notare, vel aurum, aut colorem super inducere, neque depingi, aut miniari facere, nec illos venales proponere, seu tenere audeat.* Agnus Dei potius quam reliquia est sacra Dei imago, quia Christum Dominum mysticè repræsentat. Sanè hujusmodi Agnus nil aliud est, quam cera alba à Pontifice benedicta, & à figura agni, quæ super ea imprimitur, Agnus nuncupatur, & singulis septennijs prædicti Agni benedicuntur. Et licet simonia sit eos carius vendere, quia benedicti sunt, tamen possunt vendi secundum materiam suam, & habita ratione pretij pro deportatione Roma huc. Non licet Agni ceræ benedictæ liquefactæ aliam non benedictam affundere, si tamen fiat, & quantitas ceræ benedictæ sit major, utraque erit benedicta. *L. . lib. 6. p. 1. ex num. 222. Potestas, tom. 1. p. 2. cap. 6. Dian. & alij.*

420 Sanctorum beatificatio, & canonizatio privativè ad Pontificem spectat. *C. 1. h. t. ibid. Barbos. & Gonz. L. 65. tit. 4. p. 1.* ibi: *Santos canonizados, que quiere tanto decir, como otorgados por Santos, è esto non puede otro facer, sino la Santa Eglesia de Roma.* Quia est una ex majoribus Ecclesiæ causis, ac proindè Pontificis debet reservari judicio. *C. 3. de Baptism.* Minimè vero possunt Episcopi, nec pro suis Diœcesibus: nec Legati a latere, nec alij, etiam ex commissione Papæ canonizare, nec Concilium Generale sine Pontifice. *Barbos. in C. 1. h. t. n. 7. & 8. cum alijs.* Sed semper, etiam antiquitus, fuit necessaria authoritas Pontificis, saltem tacitè canonizantis eum, quem vox Populi Sanctum clamabat. Hinc *Alex. III. in C. 1. h. t.* reprehendit quosdam, qui diabolica fraude decepti, hominem quemdam in potatione, & ebrietate occisum, quasi Sanctum more infidelium, venerabantur; & addit, *cum etiamsi per eum miracula plurima fierent, non liceret vobis pro Sancto absque authoritate Romana Ecclesiæ, eum publicè venerari.* Beatificatio tamen in primis Ecclesiæ sæculis, ab Episcopis fiebat, sed posteà eam sibi Pontifex reservavit. *Gonz. in C. 1. h. t. n. 7. & 8.* Et quidem olim canonizatio consistebat in eo, quod nomen canonizandi in Sacris Diptycis, seu Canone, vel Catalogo Sanctorum poneretur, ejus corpus à primo sepulchro educebatur, & Ecclesiæ suo nomini dicabantur. Prima canonizatio facta à Pontifice solemnitèr fuit S. Ulderici Episcopi Augustæ facta à *Joan. XV. die 11. Jun. An.* 983. Etiam apud Gentiles Apotheosis fuit harum canonizationum umbra, siquidem erat consecratio, seu relatio alicujus in Deum. Et sic quidam Augustum alloquens, ait: *Tarda sit illa dies, & nostro serior ævo, qua caput Augustum, quem temperat orbe relicto: accedat cœlo, faveatque precantibus absens.* Ut enim aliquis sit Sanctus apud Deum sufficit sola vitæ sanctitas, juxta illud *Apoc. 2. v. 10. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. L. 66. tit. 4. p. 1. Santo, tanto quiere decir, como cosa firmada en bien, è esta afirmanza se entiende señaladamente por la fè que ovieren, è por las buenas obras que ficieren en ella, porque se allegaron à firme estado de gloria, que non se puede mudar.* Ut tamen solemnitèr in Ecclesia aliquis pro Sancto habeatur, ultra sanctitatem vitæ, miracula requiruntur, quatenus signa, & testimonium sunt sanctitatis; & quod Deus vult, illum ut Sanctum venerari. *C. 52. de Testib. L. 66. tit. 4. p. 1. E aun debe saber si fizo milagros en su vida, è desue su muerte.* Miracula enim sola, non sufficiunt; nam in miraculis præcipuè operatur fides, quæ absdubio stare sine charitate potest. *1. Cor. 13. v. 2.* ibi: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Cùm quandoque, etiam per malos, & peccatores miracula, saltem apparientia fiant, & prophetiæ dicantur. *C. 56. & 79. 1. q. 1. Matth. 7. v. 22.* Incorruptio, seu integritas corporis, potest naturalitèr contingere, ac proin-

proindè ut sanctitatis indicium præbeat, debet probari excellentia vitæ, & quod talis incorruptio non sit naturalis: v. g. si corpus sit molle, & flexibile, & incorruptum in partibus corruptioni obnoxioribus: idem dicendum est de suaveolentia, si percipiatur odor, quemcumque naturalem odorem excedens, & nulli similis, & sic de alijs.

421 Martyrum canonizatio nihil aliud est, quam martyrij declaratio: ad quod duo requiruntur. 1. Quod constet concludentèr, & plenè per duos testes, etiam infideles, quando alij non sunt, de martyrio materiali, hoc est, de ipsa passione, seu occisione. 2. Debet constare de martyrio formali: quod scilicet mortem passus sit fidelis, & sit in charitate, quatenùs sit saltem attritus; nec est necesse alias virtutes probare, cum majorem dilectionem, seu charitatem, quæ est virtutum perfectio, nemo habeat ex testimonio Christi Domini, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Joan.* 15. *v.* 13. Et præsertim requ[illegible] quod quis velit pati, pro fide, vel pio actu virtutis, in quo fides elucet. In infantibus defectum voluntatis supplet Ecclesia, ut in martyrio SS. Innocentium. In adultis requiritur voluntas spontanea recipiendi mortem pro Christo: ideò, qui nulla præcedente voluntate, amens, vel in somnis est occisus non potest martyr appellari. Ex parte Tyranni requiritur, quod mortem inferat, non ex fine politico, sed in odium fidei, vel virtutis supernaturalis. In declaratione Martyrum requiruntur etiam miracula, vel saltem aliqua prodigia, & signa, licet minora miraculis aliorum Sanctorum, ut declaratum fuit à *S. Congreg. Rit.* 13. *Sept.* 1642. *Pignat.* 14. *consf.* 73. *num.* 9. contra *Lezan. consf.* 16. *num.* 13. *& alios.*

422 Ad Beatificationem, & Canonizationem sic proceditur regularitèr, nisi aliud in casu particulari, Pontifex disponat. Aliquo enim decedente cum magna sanctitatis fama, processus fit tàm authoritate Ordinarij, quàm S. Congreg. super fama, virtutibus, & miraculis servi Dei: si sit martyr discutitur de martyrio, & ejus causa: si aliquid scripsit illud prius debet examinari diligentèr in S. Congreg. an aliquem errorem formalem habeat contra fidem, vel contra bonos mores, ut sic constet de integritate fidei. Similitèr constare debet de alijs virtutibus, tàm Theologicis, quàm Moralibus, quæ esse debent charitate formatæ, in gradu excellenti, & heroico, hoc est, quatenùs beatificandus non consensit deliberate alicui imperfectioni morali, quæ sit peccatum, etiam levissimum. Prætereà duo saltem miracula sunt probanda ad beatificationem, per duos saltem testes juratos, non singulares, neque de auditu alieno, sed de visu, vel auditu proprio deponentes: & debet plenissimè constare, miracula esse supra naturæ vires, saltem quoadmodum. *Miraculum* dicitur, quasi *admiratione plenum*, quod scilicèt, habet causam simplicitèr, & omnibus occultam: hæc autem est Deus. Verè illa, quæ à Deo fiunt præter causas nobis notas, miracula dicuntur. Ut aliquid credatur miraculum tria requiruntur, scilicèt, illud opus esse arduum, id est, supra virtutem totius naturæ creatæ agentis, quod sit præter ipsem naturæ, id est, quod non habeat ad illud naturalem ordinem, sed ordinem obedientialem, & quod sit insolitum, id est, præter modum ejus consuetum. Potest autem causa effectus alicujus apparentis alicui esse nota, quæ tamen alijs est incognita. Unde aliquid est mirum, uni, quod non est mirum alijs, sicut eclypsim solis miratur rusticus, non autem Astrologus. Triplex est gradus miraculorum. 1. Qui est *maximus*, quantum ad substantiam facti respicit; sicut quod duo corpora sint simul, vel quod Sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur. 2. est *medius*, quando scilicet, illud excedit facultatem naturæ, non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit, sicut resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & similia. Nam natura potest causare vitam; sed non in mortuo: & potest præstare visum, sed non cæco. 3. *Minimus* est, quando aliquid excedit facultatem naturæ, quantum ad ordinem, & modum faciendi: sicut cum aliquis subito per virtutem Divinam ex febre curatur, absque curatione, & consueto naturæ processu in talibus: & cum statim aër Divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis, Eliæ, & aliorum. *D. Thom. in* 1. *p. q.* 105. *art.* 7. *&* 8. Processus factus ab Episcopo manet sub diversis clavibus in Archivo Episcopali, & copia authentica, & sigillata remittitur ad Pontificem, & simul Principes litteras, beatificationem petentes, mittunt ad Pontificem, quibus præsentatis sequitur commissio super introductione causæ, quæ non est signanda nisi post decem annos à die præsentationis processus: qua commissione facta S. Con-

Congreg. Rituum aperit processum, citato Promotore fidei, coram Cardinale ponente, & in ejus absentia, coram Cardinali Præfecto: & coram Notario consignandorum à Secretario, & Notarius illum exhibet Protonotario deputato, per quem aperiuntur, & discutitur de validitare processus: qua comperta saltem quoad substantiam, clauditur processus, & obsignatur sigillo S. Congregationis, nec aperitur, nisi post lapsum 50. annorum ab obitu beatificandi: quibus elapsis discutitur, an constet de virtutibus Theologicis, & Moralibus in gradu heroico. Posteà discutitur de miraculis: quibus probatis Papa permittit illum, ut Beatum venerari, & ex ambone legitur Breve, imago ejus exponitur, & canitur hymnus: *Te Deum* cum Missa de eodem Beato. Crescente fama sanctitatis, & duobus saltem miraculis accedentibus, cum precibus Principum, & auditis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus mitratis, qui sunt Romæ, ipso die Canonizationis Pontifex in Ecclesia destinata orat aliquantulum, thronum ascendit acta Canonizandi recitat, & cantato hymno: *Veni Creator Spiritus*, Sanctum declarat, cantatur: *Te Deum*, Cardinalis Diaconus intonat versiculum: *Ora pro nobis Sancte N.* cui respondetur, *ut digni, &c.* & Pontifex adjungit orationem propriam, Diaconus dicit: *Confiteor*, & addit atque *B. N. & omnibus Sanctis.* Posteà Pontifex intonat *Tertiam*, quam Chorus decantat, & Papa celebrat Missam propriam Sancti, ad Offertorium Cardinalis Promotor, & Legati Principis, qui Canonizationem petijt, magnas oblationes præsentant. Finita Missa concedit Papa Indulgentiam plenariam, & præcedente Senatu Cardinalitio in Palatium defertur. Vid. *Gonz. in C. 1. h. t. Pignat. tom. 10. consult.* 196. *Diction. de Trev.* V. *Canoniz. & alij.*

TIT. XLVI.

De Observatione jejuniorum.

423 NON loquimur in præsenti de jejunio, seu abstinentia ab iniquitatibus, ut in *C. 25. de Consecr. D. 5. L. 4. tit. 23. p.* 1. Nec de jejunio naturali, quod ad Eucharistiæ sumptionem requiritur; sed de jejunio Ecclesiastico, quod sic potest definiri: *Est abstinentia à certo genere ciborum sub una refectione ad meridiem, vel prope sumenda,* *L. 4. tit. 23. p.* 1. ibi: *La tercera manera es comer una vegada en el dia, è non mas, è non comer carne, nin otras cosas, que nacen de ella, assi como huevos, leche, o queso è manteca.* Tria ergo ad jejunium requiruntur. 1. delectus ciborum. 2. unica refectio. 3. tempus refectionis. Abstinentia à carnibus est de essentia jejunij: quarum nomine veniunt animalia, quæ non sunt pisces, & multum nutriunt, in quo attendenda est communis hominum existimatio, & locorum consuetudo, quæ limacum, & testudinum esum, quamvis extra aquam vivant permittit: esum tamen fulicarum quæ extra aquam diù non vivunt prohibet. Ea tamen alimenta, quæ à carne originem trahunt, ut lac, butyrum, ova, & caseus prohibentur tantum in Quadragesima. *C. fin. D.* 4. non tamen extra eam, & quidem in Quadragesima eorum usus permittitur habentibus Bullam Cruciatæ, quinimò in Indijs ex generali consuetudine ob penuriam piscium, & olei; ova, butyrum, & cætera lacticinia in Quadragesima permit[illegible] etiam sine Bulla. *Alloz. Sum.* V. *Jejunium, sect.* 1. *n.* 11. Non tamen ex eo permittitur esus sanguinis, adipis, saginis, pinguedinis, vellardi, ut contra *Fagund. de 4. Eccl. precept. cap.* 2. *num.* 20. *Hostiens. Abbat. & Dian.* tenent *Laym. L. 4. tr. 8. cap. 1. n. 5. & alij.* Et praxis Indiarum, quæ ad hoc non extenditur. Et in concessionibus Cruciatæ, quibus permittitur uti ovis, & lacticinijs in diebus prohibitis, & tamen non utuntur sanguine. Dispensatio enim, ut odiosa strictè interpretatur. *C. 1. §. 1. de Filijs Presbyter. in 6.* & notat *Greg. Lop. in L. 4. tit. 23. p.* 1. Rationem prohibendi comestionem carnium assignat *D. Thom. 2. 2. q.* 147. *art. 8. in corp. Nam jejunium est ab Ecclesia institutum ad reprimendas concupiscentias carnis, quæ quidem sunt delectabilium, secundum tactum, quæ consistunt in cibis, & venereis. Et ideò illos cibos Ecclesia jejunantibus interdixit, qui & in comedendo maximè habent delectationem, & iterum maximè hominem ad venerea provocant. Hujusmodi autem sunt carnes animalium in terra quiescentium, & respirantium, & quæ ex eis procedunt, sunt lacticinia ex gressibilibus, & ova ex avibus: quia enim hujusmodi magis conformantur humano corpori plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum, & sic ex eorum comestione plus superfluit, ut vertatur in materiam seminis, cujus multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ. Et ideò ab his cibis præcipuè jejunantibus*

Eccle-

Ecclesia statuit esse abstinendum. Qui ali- qua causa potest carnes edere, non tene- tur jejunare, nam dum abstinentia à car- ne sit de jejunii essentia, cessante princi- pali cessat accessorium. C. 42. de Reg. jur. in 6. [illegible] *Azor.* I. [illegible] cap. 10. q. 3. *Filiuc.* [illegible] n. 4. *Tolet.* *Busemb.* & *alii* contra *Thom. Hurtad.* *Lacr.* lib. 3. p. 2. n. 1269. & *alios.* [illegible] cui permittitur secunda re- fectio: v. g. Ob infirmitatem permittitur esus carnis, cum major causa sit ad hoc, quam ad secundam refectionem necessa- ria: ac proindè jejunium censetur com- mutatum in abstinentiam à carne. Qui se- mel fregit jejunium secunda refectione, non peccat, saltem graviter, postea co- medendo, cum amplius non possit jeju- nium servare, de cujus essentia est nega- tio secundæ refectionis. *Dian. p.* 1. *tr.* 9. *ref.* 44. *Fagund. de Precept. Eccles. pr.* 4. *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 8. *Laym. Busemb.* & *alij* contra *alios*, qui dicunt, grave peccatum esse, non abstinere ab ulterioribus refec- tionibus. *Lacr. l.* 3. *p.* 2. *num.* 1265. Ubi alios refert, qui etiam à veniali hoc excu- sant. Si vero quis jejunium esu carnium fregit, toties peccat, quoties iterum co- medit carnes, quia præceptum, quoad hanc partem, est negativum prohibens pro toto die. *Lacr. lib.* 3. *p.* 2. *n.* 1264.

424 Præceptum unicæ refectionis à consuetudine generali, tempore Aposto- lorum stabilita, provenit. C. 11. *de Cons.* D. 3. C. 20. *de Consecr.* D. 5. ibi: *Sint tibi jejunia pura, & continua, id est, quotidiè esurire, & quotidiè prandere.* Ut sic caro dometur, & non destruatur sine aliqua refectione. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *Less. de Just. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 9. Et hoc mo- do sine destructione subjecti satis benè obtinentur fines, & effectus jejunij, prout eos ex *D. Aug.* affert *D. Thom.* 2. 2. *q.* 147. *art.* 1. *in corp.* ibi: *Jejunium purgat men- tem, sublevat sensum, carnem spiritui sub- jicit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit.* Et quidem fat est, quod comestio sit unica moraliter, licet physicè, ex ali- qua causa, vel negotio occurrente inter- rumpatur. *Less.* & *Just.* & *jur. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 11. Si quis finito prandio plicarit map- pulam cum proposito nihil amplius come- dendi, e[illegible] im si à mensa surrexisset, actis gratiis, potest intra quadrantem, aut intra quadrantem, & dimidium, mutata vo- luntate, iterum assidere, & comedere, quia moraliter censetur una comestio. *Filliuc. Tamb. Sanch. Cons. lib.* 5 *cap.* 1 *dub.* 24. & *alij apud Lacr. l.* 3. *p.* 2. *n.* 1281. Nec jejunio obest, si extra tempus refectionis manè, & vespe- re ad bibendum, ne potus noceat, vel cau- sa medicinæ, aliquid sacchari, vel panis in modica quantitate addatur. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *ad* 3. qui manè jenta- culum, non æquivalens collationi vesper- tinæ, sumpsit, nec prandium, nec vesper- tinam collationem tenetur relinquere. Si vero per inadvertentiam sumpsit jenta- culum sufficiens ad prandum, non potest prandere, & tantum poterit vespere col- lationem sumere, quia æquè nutritus est, ac si sciens fecerit. *Lacr. lib.* 3. *p.* 2. *n.* 128. quamvis *Fagund.* & *alij* dicant, adhuc prandere posse. Quoad parvitatem mate- riæ varij varie. Duas uncias cibi esse mate- riam parvam, quæ jejunium non frangit, dicit *Allox. in Sum.* V. *Jejunium, sect.* 4. *n.* 16. dummodo non sint carnes. Nam in his parvitas materiæ, est solum gustare, ut licet coquis, vel si adeò parvum suma- tur, ut non excedat octavam partem unciæ. Alij ad unciam extendunt. Alij adhuc la- tius sentiunt apud *Lacr. lib.* 3. *p.* 2. *n.* 13. 9. 4. & *seq.* Potus, propriè talis, non fran- git jejunium. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *ad* 2. ibi: *Duplex est jejunium, unum qui- dem naturæ, quod requiritur ad Eucharistiæ sumptionem, & hoc solvitur, per quemlibet potum, etiam aqua, post quem non licet Eu- charistiam sumere. Est autem aliud jejunium Ecclesiæ, quod dicitur jejunium jejunantis, & istud non solvitur nisi per ea, quæ Eccle- sia interdicere intendit instituendo jejunium, non autem intendit Ecclesia interdicere ab- stinentiam potus, qui magis sumitur ad alte- rationem corporis, & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquomodo nutriat: & ideò licet pluries je- junantibus bibere.* Olim fideles die jejunij præcipuè Quadragesimalis abstinebant vi- no, & in hebdomada sancta pane tantum, sale, oleribus, & aqua utebantur, ut ex SS. Patribus refert *Gonz. in C.* 1. *b. t. n.* 6. Potio, quam *Hispanè Chocolate* dicimus, non frangit jejunium, juxta *Thom. Hurt. Gonz. in C.* 1. *b. t. n.* 6. Idem dicendum est de *Faba Kaffe*, & herba *The*, de Lymo- nia, de Ethypocras, & de Tabaco, cum hæc omnia, non ad nutriendum, sed tan- tum ad reficiendos spiritus deserviant. *Lacr. lib.* 3. *p.* 2. *ex n.* 1291. ubi alios ci- tat.

425 Olim refectio extra Quadragesi- mam sumebatur hora nona, quæ respon- det nostræ tertiæ pomeridianæ, quia tunc fuit completa passio Christi, cui confor- mantur jejunantes. In Quadragesima verò ho-

hora Vespertina, sine in occasu Solis. *C.* 50. *de Consecr. D.* 1. ibi: *Nullatenus jejunare in Quadragesima credendi sunt, qui ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium.* Postea viribus decrescentibus, sub meridiem, vel paulo ante, scilicet, hora undecima, sumitur refectio, nomine cœnæ retento, ut apud Romanos, talis horæ refectio dicebatur. Et hinc in Quadragesima anticipantur Vespere, & ante meridiem dicuntur. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 147. *art.* 7. *Less. de Just. & jur. l.* 4. *cap.* 2. *n.* 12. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 8. Ex quacumque causa honesta, v. g. itineris faciendi potest, etiam notabiliter, anticipari cœna: si nulla causa detur, & notabilis sit anticipatio. V. g. duarum horarum, solum veniale committi, cum hæc circunstantia temporis sit accidentalis, tenent *Tolet. l.* 6. *cap.* 2. *n.* 9. *Less. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 13. *& alij.* Quibus favet *D. Thom.* 2. 2. *q.* 147. *art.* 7. contra *Navar. Covar. Sylv. Cajet. Azor, Fagund. & alios.* Consuetudo introduxit etiam *collatiunculam* nocturnam, ut sic facilius somnum conciliet, & potus ad sitim levandam, necessarius non noceret. Aliqui cum *Lezan. Regul. qq. t.* 3. V. *Jejunium*, tres tantum uncias permittunt. *Fagund. p.* 4. *l.* 1. *cap.* 4. *n.* 13. *&* 19. *Mend. dissert.* 8. *q.* 1. *n.* 1. *& alij ad* 8. uncias eam extendunt. *Regin. t.* 2. *l.* 14. *n.* 185. *Filiuc. t.* 2. *tr.* 26. *p.* 2. *c.* 3. *q.* 7. *n.* 33. assignant quartam, vel quintam partem comestionis ordinariæ. Sed melior regula est sequi consuetudinem, quæ apud homines timoratos viget. *Azor p.* 1. *l.* 7. *c.* 8. *q.* 8. *Less. Tolet. Bonac. & alij*, tàm quoad quantitatem, quàm quoad qualitatem ciborum, & regulariter solum permittuntur panis, herbæ, fructus arborum, & alia hujusmodi. Vid. *Tamb. de Præcept. Eccles. tr.* 4. *cap.* 6. *n.* 21. *Azor p.* 1. *l.* 7. *c.* 8. *q.* 8. *Fagund. l.* 1. *in* 4. *Eccles. præc. cap.* 4. *n.* 18. Non tamen potest fieri collatio cum piscibus, ostreis, conchilijs, & similibus, neque cum caseo, lacte, cremore amagdalino, vel triticeo. Si autem parum sumatur, excusabitur à peccato ob materię parvitatem. *Alioz.* V. *Jejunium, sect.* 4. *n.* 11. In Vigilia Nativitatis Domini ob diei lętitiam consuetudo majorem refectiunculam permittit, etiam quando Vigilia incidit in Sabbatum quatuor Temporum: hæc potest esse duplo major consueta, imò *Sanch.* dicit, ex fructibus, & conservis posse accipi ad satietatem. *Lacr. lib.* 3. *p.* 2. *n.* 1301. Ego tamen tantam latitudinem non admitterem cum valde contrarietur praxi timoratorum. Alij ad Vigiliam Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes hoc extendunt; sed in hoc est cujusque loci consuetudo attendenda. *Lacr. l.* 3. *p.* 2. *n.* 13[illegible].

1426 Omnibus ferijs sexti[illegible] totius anni debent fideles, etiam Indi sub gravi culpa à carne abstinere ob Domini passionis memoriam. *C.* 11. *de Consecr. D.* 3. *C. fin. h. t.* Et Sabbatis in honorem sepulturæ Christi, & B. Virginis. *C.* 31. *de Consecr. D.* 5. *L.* 6. *tit.* 23. *p.* 1. Si Nativitatis Domini festum in feriam 6. vel Sabbatum incidat, ob diei lætitiam, possunt fideles carnem edere, nisi quis ex voto, vel regulari observantia à carnibus, vel etiam ex devotione, voluerit abstinere. *C. fin. h. t.* Et quidem votum obligat, si ad hoc expressè se extendat voventis intentio: si dubium sit, an hunc diem, quis voto voluit comprehendere, vel non, cum votum debeat interpretari ab usu, & moribus Ecclesiæ, & quod speciale est, non censeatur in dubio in generali promissione inclusum. *C.* 81. *de Reg. jur. in* 6. Probabiliter non tenetur jejunare, sed potest carnem edere, juxta *Moln. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 277. *Azor, Gonz. in C. fin. h. t.* sed cum *textus in C. fin. h. t.* indistinctè loquatur de adstrictis voto, & materia sit dubia, & votum certum, dicendum est, quod si hunc diem non excepit vovens, tenetur jejunare. Sic *Sanch. in Decal. l.* 4. *cap.* 11. *n.* 61. *Suar. de Vot. l.* 4. *cap.* 20. *n.* 7. *Vazq. & alij.* In Hispania Sabbatum verè est dies medius inter diem Veneris, & Dominicam, siquidem ex generali consuetudine, nec piscibus, nec omnibus animalium partibus, sed tantum intestinis visceribus, pedibus, &c. solet vesci. Et aliquando hæc consuetudo servatur in Philippinis. Præterea Ecclesia præcipit, non solum à carne abstinere, ut in ferijs 6. & Sabbatis totius anni, sed etiam insuper præcipit jejunare, tempore Quadragesimali, quod jejunium ad exemplum Christi Domini, qui quadraginta diebus jejunavit in deserto, ab Apostolis est institutum. *C.* 16. *de Consf. D.* 5. *L.* 5. *tit.* 23. *p.* 1. Olim jejunium à prima Dominica Quadragesimæ incipiebat, & hodie Mediolanenses hoc servant permittente R. Pontifice. Sed ut Sacer numerus 40. dierum impleretur, in universali Ecclesia incipit iejunium à feria 4. Cinerum: nam dies Dominici à jejunio substrahuntur, sed quamvis in eis non jejunetur, à carne est [illegible]endum. *C.* 16. *de Consecr. D.* 5. ubi a[illegible]tur causa jejunandi in Quadragesima; quia illi dies decimæ sunt anni. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 14. *art.* 5. Deindè ferijs 4. & 6. & Sabbatis quatuor Temporum jejunare præcipit

Eccle-

Ecclesia. C. 1. D. 76. ibi: *Constituimus, ut quatuor Tempora anni ab omnibus communi jejunio observentur. Id est, in mense Martio hebdomada 1. in Junio secunda, in Septembri tertia, in Decembri quarta. L. 5. tit. 23. p. 1.* Quod fuit statutum, vel ad similitudinem Hebræorum. *C. 7. D. 76.* vel ut Deus majorem conferat gratiam Clericis, qui tunc ordinandi sunt. *Act. Apost. 13. v. 2. & 3. D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 5.* ibi: *Similiter etiam consuetudo Ecclesiastica habet, ut in singulis quartis anni Sacri Ordines conferantur, ad quorum susceptionem oportet, per jejunium præparari, & eos, qui ordinant, & illos, qui ordinandi sunt, & etiam totum Populum pro cujus utilitate ordinantur.* Vel etiam in his diebus jejunatur, ut Deo solvamus primicias dierum, quibus vivimus. *L. 2. tit. 19. p. 1.* Olim enim Christiani tàm Clerici, quàm Laici, in vespere festivitatis aliquorum Sanctorum, ad promerendam gratiam aliquibus pijs actionibus exercebantur: jejunabant enim, & in Ecclesijs, seu Cæmeterijs Martyrum continua in oratione pernoctabant, ut ex *D. Basil. in Psal.* 114. affert *Gonzal. in C. 1. b. t. n. 5.* Etiam Vigilijs aliquorum Sanctorum jejunandum est, ita tamen ut si aliqua ex his Vigilijs in diem Dominicam incidat, jejunium, & officium Vigiliæ anticipetur die Sabbati. *C. 1. b. t. l. 6. tit. 23. p. 1.* Etiam quando Vigilia S. Joannis Baptistæ in festum Corporis Christi incidit, anticipatur jejunium feria 4. ex Declar. *Urban. VIII. die 13. Octobris 1638.* Insuper omnium Apostolorum Vigiliæ sunt in observatione jejunij celebranda, præter Vigilias Apostolorum Philippi, & Jacobi, & B. Joannis Evangelistæ, quoniam illorum solemnitas intra solemnitatem Paschalem, istius autem intra Natalem Domini celebratur. *C. 2. b. t. l. 5. tit. 23. p. 1.* Vigiliæ Sancti Joannis Baptistæ, S. Laurentij, & Omnium Sanctorum, licet non sint à jure præceptæ, obligant ex consuetudine ad jejunium. In Vigilia Epiphaniæ non jejunatur, nec fit abstinentia à carnibus: & idem est in Vigilia Ascensionis in his Indiarum Regnis, quamvis alibi à carnibus abstineant. *Alloz. V. Jejunium, sect. 1. ex n. 7.* Olim in Adventu jejunabatur. *C. 2. b. t.* In quo, & in ferijs Rogationum debet locorum consuetudo attendi. *Greg. Lop. in l. 5. tit. 23. p. 1. V. Assi como.* Etiam olim jejunabatur feria 4. & 6. & Sabbato omnium hebdomadarum. *C. 13. c. 16. de Consf. D. 3. l. 6. tit. 23. p. 1. Et ibid. Gregor. Lop. V. Ayunar.* quod jam cessavit.

427 Tempore Paschali usque ad Vigiliam Pentecostes exclusivè non jejunatur. *C. 2. b. t.* Nec diebus Dominicis, quia celebratur memoria Resurrectionis Christi. Et quia pœnitentia, & mœror jejunij non benè cohæret cum tanta lætitia, non est publicè jejunandum. *C. 10. D. 76. c. 9. c. 14. c. 15. de Consecr. D. 3. l. 6. tit. 23. p. 1. Porque es dia, en que non deben los omes ayunar por honra de la Resurreccion de N. S. Jesu-Christo. Gonz. in C. 1. b. t. n. 10. Et C. 2. n. 2.* Imò olim nec privatim in Dominicis licebat jejunare, ne fideles idem sentire censerentur cum Paulianistis, & Montanistis ex superstitione, & cum Manichæis ex errore, & Eustochianis ex contemptu eo die, jejunantibus. *C. 7. c. fin. D. 30.* Hodie ex devotione privata hoc licet, cùm jam prohibitio Ecclesiæ, cessante scandalo, cessarit; *arg. C. fin. b. t. D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 5. Sanch. in Dec. lib. 2. cap. 37. n. 12. Gonz. in C. 1. b. t. n. 11.* Indi solum jejunare tenentur omnibus ferijs 6. Quadragesimæ, Sabbato Sancto, & Vigilia Nativitatis Christi: in reliquis diebus Quadragesimæ, Vigilijs, & ferijs Temporum non tenentur jejunare, sed tantum à carnibus abstinere ex *Concess. Paul. III.* in Sabbatis per annum carnem edere possunt. *Alloz. V. Indi sect. 1.* In Indijs, & præcipuè in his Insulis, facilius indulgendum est, & ex levioribus causis dispensandum cum non jejunantibus; tum ob alimentorum debilitatem; tum ob corporum languorem. Hoc Ecclesiasticum præceptum sub gravi obligat. *Can. 68. Apostolorum*, sed quidem tantum post annum 21. completum, usque ad 60. vel 70. *D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 2.* ibi: *Dicendum, quod in pueris maximè est evidens causa non jejunandi, tum propter debilitatem naturæ, ex qua provenit, quod indigent frequenti cibo, & non multo simul assumpto; tum etiam, quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti; & ideò, quamdiù sunt in statu augmenti, quod est, ut in pluribus, usque ad finem tertij septennij, non tenentur ad Ecclesiastica jejunia observanda, conveniens tamen est, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant, secundum modum suæ ætatis. Lacr. l. 3. p. 2. ex n. 1314.*

428 Jejunium igitur fuit in Ecclesia institutum, ut hac carnis castigatione satis fiat pro peccatis, & caro Spiritui subsit; & mens magis apta sit ad orandum: quod latius prosequitur *D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 1.* Ubi concludit, quod jejunium est actus

actus virtutis. Lege jejunij, vel abstinendi à carnibus, cum tantum Ecclesiastica sit, non comprehenduntur infideles, qui Ecclesiæ non sunt subjecti. *C. 8. de Divort.* Et licet minores 21. annis non teneantur jejunare, etsi robusti sint, tenentur tamen regularitèr, post septennium, a carnibus abstinere; licite tamen dantur carnes pueris, ante septennium, aut etiam post septennium, si careant usu rationis, uti haber communis cum Diana, Delbene, Tambur. & alijs, contra *aliquos*, idem de perpetuo amentibus docent *Sanch. Fagund. & Dian.* Siquidem pueri, & amentes non sunt capaces præcepti Ecclesiastici, cum nullam actionem humanam possint exercere. Ebrijs tamen, & amentibus in aliqua materia non debent dari carnes; quia Lege comprehenduntur, cum simplicitèr usum rationis habeant. *Lacr. lib. 3. p. 2. n.* 1267. Si pro Jubilæo consequendo indicatur jejunium, etiam minores 21. annis si Jubilæum lucrari volunt, jejunare debent, ponereque conditionem ad ipsum requisitam. Si aliquid in parva quantitate in die jejunij comedatur, non est peccatum mortale, nisi sæpius in eodem die parva quantitas sumatur, quia moralitèr conjunguntur, ac proindè erit peccatum mortale. Si vero in diversis diebus parva quantitas singulis sumatur, non frangitur jejunium, quia illæ quantitates non conjunguntur moralitèr.

429 A jejunio tamen excusat. 1. Pontificis dispensatio, etiam sine causa, saltem, quoad validitatem. Sic Indi solum jejunare tenentur omnibus ferijs 6. Quadragesimæ, Sabbato Sancto, & Vigilia Nativitatis Christi. Milites Nostri Regis in Exercitu possunt, etiam tempore Quadragesimæ carnes comedere ex privilegio Pontificio. Episcopus, Capitulum, Sedevacante, & ex commissione, utriusque Vicarius, & ipso longe distante, Parochus possunt dispensare, vel potius in dubio declarare; an aliquis à jejunio, & ab abstinentia à carne sit excusatus, vel Episcopo, & Parocho deficientibus vir doctus potest consuli. 2. Necessitas proveniens ex paupertate. *C. 2. h. t.* Quia v. g. non habeat quis cibum congruentem ad unam refectionem. *D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 4.* 3. Corporis infirmitas, seu debilitas. *C. 16. de Consecr. D. 5.* sic excusantur infirmi, debiles, convalescentes, pregnantes, lactantes, & qui Medici judicio indigent frequentiori cibo: siquidem tanquam Regula generalis tenendum est, quod nemo tenetur cum gravi damno jejunare, nec ullus tenetur opus, ad quod obligatur, omittere ob præceptum jejunij, nisi ista obligatio sit valdè levis, & rationabilitèr postponenda obligationi jejunij. Nec jejunare tenetur conjux, qui non potest conjugi debitum reddere, & alias esset in periculo incontinentiæ: si verò ipse tantum minus potens reddatur ad reddendum debitum; non tamen ideò tenetur omittere jejunium, quia habet jus ad opera spiritualia, tenetur tamen conjux jejunare, quamvis non sit futurus potens ad petendum debitum, quia non tenetur petere. *Tambur. Lacr. l. 3. p. 2. n.* 1338. Prægnantes tamen, & lactantes, licet à jejunio excusentur, prohibentur tamen vesci carnibus. 4. Labor corporalis, qui cum jejunio non facilè consistit. Sic excusantur fabri ferratij, lignatij, Agricultores figuli, argentarij, qui iter pedibus faciunt per magnam diei partem: non verò tonsores, pictores, sartores, pictores. De quibus latè *Lacr. l. 3. p. 2. ex n.* 1328. *& alij com.* Etiam possunt excusari saltem ab aliquibus jejunijs concionatores, si tèr, aut sæpius in hebdomada prædicent. Confessarij, qui tota die confessiones audiunt, Magistri, qui plures lectiones, & exercitationes habent: de quibus vid. *Lacr. l. 3. p. 2. ex n.* 1307. Non peccat Dominus servis imponens opus incompatibile cum jejunio. *Alloz. Sum. V. Jejun. sect. 4. n. 7.* In materia jejunij debent præ oculis haberi sequentes propositiones damnatæ *ab Alex. VII.* 23. *frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortalitèr, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.* 29. *In die jejunij, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* 30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporalitèr laborant, sunt excusati ab obligatione jejunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.* 31. *Excusantur absolutè à præcepto jejunij omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.* 32. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.*

***

TIT. XLVII.

De Purificatione post partum.

430 MUlier, quæ suscepto semine, masculum pariebat, septem à partu diebus; quæ vero fœminam quatuordecim, à viri consuetudine, & domesticorum erat separata. Et 33. diebus, si masculum, & 66. si fœminam pepererat, non poterat Templum ingredi. Septem, vel quatuordecim dies separationis, triginta, & tres, vel sexaginta, & sex, purificationis dicebantur. *Levit.* 12. Quibus expletis agnum anniculum, & pullum columbæ, sive turturem puerpera pro peccato, seu liberatione ab immunditia legali: Et infantem Deo offerebat, ipsumque redimebat. *Levit.* 12. Sanè hac Lege B. Virgo non tenebatur, sponte tamen se Legi subjecit ex devotione, & humilitate. Et licet hæc Lex in Veteri Testamento obligasset, hodie non obligat: quia Christi morte cessavit Lex Vetus. *C.* 3. *de Constitut.* Sed cum hæc Lex sit tantum Religiosa, & non typica, nec ejus observatio nostræ fidei obstet veritati, hodie possunt mulieres, ex devotione, quousque purificentur, ab ingressu Ecclesiæ abstinere. *C. un. h. t.* Mulierum purificatio pertinet ad Parochum privative, non ad Regulares, nisi ubi contraria consuetudo legitimè præscripta est: nam hæc benedictio cum Stola, superpelliceo, aqua benedicta, & candelæ oblatione fit: quæ sunt signa jurisdictionis, ac proindè intra suæ Parochiæ limites habet Parochus intentionem fundatam, sicut in cæteris oblationibus. Idem dicendum est de benedictione ovorum, multoque magis de domorum benedictionibus, cum extra Ecclesiam in Parochia fiant. *Nicol. Flosful.* V. *Parochus*, *n.* 17. *Pignat. t.* 5. *consult.* 76. *ex n.* 2.

TIT. XLVIII.

De Ecclesijs ædificandis, & reparandis.

431 QUamvis Deus, quia immensus est, ubique nostras preces exaudiat, ac proindè ubique possit orari, sicut Jonas in ventre Ceti, Daniel in lacu Leonum, tres pueri in fornace, Latro in Cruce, & alij alibi orarunt; non tamen ideò est improbandus usus Ecclesiarum, ut plures Hæretici faciunt: imò laudandus est tanquam maximè utilis, quia Deus ibi maxima cum veneratione colitur: nam ut habetur in *C.* 2. *de Consecr. D.* 1. *Tabernaculum Moysem Domino præcipiente fecisse, & Sacrasse cum Mensa, & Altari ejus, & arcis vasis, & utensibilibus ad Divinum cultum explendum, legimus.* Et in Lege Gratiæ *Apost.* 1. *ad Cor.* 11. Ecclesiarum reverentiam commendat. *Et D. Clem. Successor D. Petri.* Ecclesias construi jussit. *C.* 13. *de Consecr. D.* 1. Siquidem extra eas non licet Missas, & Divina celebrare. *C.* 1. *c.* 14. *c.* 15. *de Consecr. D.* 1. *Gonzal. in C.* 1. *de Consecr. Eccles. ex n.* 4. Ecclesiæ, si commodè possunt, debent ita fieri, ut altare ad Orientem, janua autem ad Occidentem collocetur, quia antiquus Christianorum usus erat ad Orientem orare; vel quia Christus facie obversa ad Occidentem fuit crucifixus; vel quia remigrare cupimus ad Paradisum in Oriente situm: vel quia hoc modo significamus, nos desiderare lucem cœlestem mentibus nostris infundi, sicut lux corporalis nostris oculis affulget. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 84. *art.* 3. Quoad figuram Ecclesiæ, debet attendi, quod sit in modum insulæ confecta, ita ut ab alijs domibus sit separata, & in ejus interiori constructione navem debet repræsentare in formam oblongam. Nam Ecclesia universalis allegoricè navis appellatur: quippè inter mundi procellas, quos suscipit, servat illæsos: & in ipsa ad portum gloriæ æternæ securi navigamus: quæ omnia ex Apostolica traditione jam olim observata probat *Gonz. in C.* 1. *de Consecr. Eccles.* Ecclesiarum figura regulariter repræsentat corpus hominis jacentis, contortis brachijs versus pectus, cujus caput est altaris maximi locus, in pedibus januæ sunt, & supra pectus tholus, seu testudo Templi. Hodie construuntur prout situs, & locorum constitutio permittit. Debent tamen ædificari in loco mundo, decenti, & honesto, non tamen in loco munito, nec proximo arcibus, ita ut ex Ecclesia possit Civitas ab hostibus oppugnari. *L.* 8. *tit.* 10. *p.* 1.

432 Ecclesia Cathedralis à nullo erigi potest, nisi à Romano Pontifice. *C.* 1. *Ne Sedevacant. & ibi. comm. DD. cum Solorz. Polit. Indian. lib.* 4. *cap.* 4. Oratoria privata, si ibi Divina non sunt celebranda, possunt à quocumque privato in domo propria, irrequisito Episcopo, construi.

C. 33. c. 35. *de Consecr. D.* 1. Secus si Divina sunt celebranda. *Trid. sess.* 22. *in Decr. de Observ. & evitand. in celebratione Missæ. L.* 4. *tit.* 10. *p.* 1. Nova Ecclesia nequit ædificari in loco non exempto à jurisdictione ordinarij (secus est in loco exempto) etiam ab eo, qui Exemptus est, (nisi ad hoc habeat privilegium speciale) sine consensu Episcopi, expresso, vel tacito, quatenùs sciens ædificari, non impedit, cum facile possit; imo sufficit, si accedat Episcopi consensus post ejus constructionem, & in dubio intervenisse præsumitur. C. 4. *de Privil. in* 6. *c.* 9. *de Consf. D.* 1. *L.* 1. *tit.* 10. *p.* 1. Episcopus, cujus licentia requiritur, intelligitur proprius loci ubi Ecclesia construitur. Quando Ecclesia de novo construenda est, Episcopus, vel per se, vel per alium, debet primarium ponere lapidem, & crucem figere, & supra illum lapidem debet fieri Altare majus, debetque atrium designare, in quo Ecclesia construenda est. *C.* 9. *de Consecr. D.* 1. *L.* 2. *tit.* 10. *p.* 1. In Indijs nulla Ecclesia, Monasterium, nec pius locus construi potest, quin Regis nostri, qui Patronus est omnium Ecclesiarum licentia præcedat. *L.* 2. *tit.* 6. *lib.* 1. *R. Ind.* Quod si fortè defacto fabricari cœpissent sine licentia, demoliri debent. *L.* 1. *t.* 3. *lib.* 1. *R. Ind. Solorz. Politic. lib.* 4. *cap.* 23. Si Ecclesia Parochialis, intra cujus fines altera est erigenda, est exempta, procedit Episcopus in licentia concedenda tanquam delegatus Papæ: ac proinde sine consensu, vel Consilio Capituli. *Trid. sess.* 21. *de Ref. cap.* 4. Si vero Episcopo est subjecta, requiret Episcopus consensum Capituli, cum species alienationis sit. *C.* 7. *de Donat.* Episcopus nequit licentiam negare ad construendam Ecclesiam, nisi ex justa causa: v. g. quia dotem congruam non habeat. *C.* 9. *de Consecr. D.* 1. Vel si luminibus vicinarum domorum officiat, aut accessus ad eas impediatur. Et Ecclesiæ potest fieri novi operis nuntiatio. *C.* 1. *c.* 2. *de Nov. oper.* Vel si alij Ecclesiæ præsertim Parochiali, inferatur præjudicium in emolumentis. *C.* 44. 16. *q.* 1. Nec sufficit, quod alterius minuatur concursus. Ut nova Ecclesia Parochialis construatur necessaria est justa causa, scilicet, magna difficultas Parochianorum Ecclesiam pro Sacramentis percipiendis adeundi, vel ob distantiam locorum, vel aliam incommoditatem. *Trid. sess.* 21 *de Ref. cap.* 4. tunc enim potest erigi, etiamsi Episcopus novam Ecclesiam non extruere jurasset; *arg. C. fin. h. t. L.* 9. *tit.* 10. *p.* 1. *Barb. & Gonz. in C. fin. h. t.* Si Populus est valdè numerosus, sufficiet Parochum, tot Sacerdotes coadjutores adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta administranda, & cultum Divinum celebrandum. *Trid. sess.* 21. *de Ref. cap.* 4. Debet item, ut nova construatur Parochia, esse competens Parochianorum numerus, & dos congrua. *C.* 9. *de Consecr. D.* 1. scilicèt, ad luminaria, Ministros, aliaque ad Sacrum Ministerium necessaria, quæ à fundatore, vel in ejus defectu ab Episcopo est assignanda, ex redditibus Ecclesiæ Matricis, si sufficientes habeat. *C.* 3. *h. t.* vel etiam Parochianorum contributione dos constituetur. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 13. Aliàs Episcopus contecrans, ex redditibus suæ mensæ, Ecclesiam dotare tenetur. *C.* 8. *de Consecr. Eccles. L.* 3. *tit.* 10. *p.* 1. Quod si nec Episcopus succurrere valeat, novus Rector suo artificio, & industria victum querere debet. *C.* 3. *D.* 91. Rector Parochiæ Matricis, intra cujus fines nova Parochia erigitur, necessario ad valorem novæ erectionis citandus est. *Gloss. in C.* 2. *D.* 99. *Garc. de Benef. p.* 12. *cap.* 3. *n.* 3. Et ipsi Ecclesiæ Matrici competens honor est servandus, aliqua jura ei reservando arbitrio Episcopi. *C.* 3. *h. t. Et ibid. Barb. & alij.* Insuper Patronus Ecclesiæ Matricis, saltem si nova Parochia, ex ejus redditibus est dotanda, citari debet: sed si novam erectionem justa causa suadeat, & requirat, etiam invitis Parocho, & Patrono erigenda est nova Parochia. *C.* 3. *h. t. Trid. sess.* 21. *de Ref. cap.* 4. Jus Patronatus novæ Ecclesiæ pertinebit ad illum, qui eam suis sumptibus construxit: quod si sumptibus Ecclesiæ Matricis constructa sit, Parochus Matricis erit Patronus, & ipse Sacerdotem in nova Ecclesia instituendum præsentabit. *C.* 3. *h. t.*

433 Ecclesia Cathedralis vetustate, vel alio casu ruinam minans, reparanda ab Episcopo est ex quarta suorum redditum. *C.* 27. 12. *q.* 2. Si hoc non sufficiat, Canonici ex redditibus præbendarum, vel distributionum quotidianarum, vel aliarum rerum Capituli contribuere tenentur. Quod si adhuc non sit sufficiens, Episcopus cum Capitulo potest decernere: quod Clericis inferiores ex superfluis contribuant: vel applicabit fructus beneficiorum vacantium. *L.* 11. *tit.* 10. *p.* 1. *Barbos. in C.* 1. *h. t. n. fin.* ubi plures citat. Ecclesia Parochialis reparari debet ex proventibus ad fabricam deputatis. *C.* 10. 10. *q.* 1. *C.* 1. *c.* 2. *c.* 3. 10. *q.* 3. Si hoc non sufficit, contribuent Parochus, & Beneficiati Ecclesiæ. *C.* 1. *c.* 4. *h. t. & ibid. Barbos. &*

Gonz.

Gonz. Trid. sess. 21. *de Ref. cap.* 7. Non tamen ex bonis Patrimonialibus, sed ex redditibus beneficiorum, pro ipsorum beneficiorum rata, relicta tamen congrua sustentatione Parocho, & Beneficiatis. *C.* 4. *h. t.* in horum defectum contribuent Patroni, si aliquid ex bonis Ecclesiæ percipiant: v.g. pensionem annuam, & non aliter. *Lamb. de Jure Patr. L.* 3. *q.* 7. *art.* 2. *n.* 5. & omnes alij, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesijs provenientes, percipiunt. *Trid. sess.* 21. *de Ref. cap.* 7. Decimatores, saltem Ecclesiastici, contribuent; secus Laici, nisi aliud habeat consuetudo, cum tales decimæ non censeantur bona Ecclesiastica, sed patrimonialia, etiamsi postea per venditionem: v.g. ad Ecclesiasticos redeant. In horum defectum contribuent Parochiani Laici, plebeji, & nobiles, qui à tali Ecclesia percipiunt Sacramenta. *Trid. cap.* 7. debentque juxta vires patrimonij concurrere, debita proportione servata; *arg. L.* 12. *C. de Oper. publ.* Si alicubi vigeat consuetudo, quod prius concurrant Parochiani, quam Clerici, hæc servabitur, & ad id Parochiani compellentur: *arg. C.* 41. *de Simon. Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 7.

434 Quod si nullo modo Ecclesia valeat reparari, destruetur, & ejus jura, beneficia, & dos ad Matricem, vel aliam viciniorem, Episcopi authoritate, transferentur. *Trid. cap.* 7. & in Ecclesia, ad quam fit translatio, altare est erigendum sub invocatione Ecclesiæ dirutæ. Locus, in quo fuit Ecclesia, profanus redditur, erigitur tamen crux insignum, quod Ecclesia ibi aliquando steterit. Ligna, & materialia hodie possunt, non solum in usum Ecclesiasticum, ut olim *C.* 38. *de Consf. D.* 1. *L.* 8. *tit.* 10. *p.* 1. sed etiam in usus profanos, non tamen sordidos, converti. *Trid. sess.* 21. *de Ref. cap.* 7. si ampliatio Ecclesiæ fiat utiliter, sed non necessario, minime tenentur ad illius sumptus concurrere, qui ad ejus reparationem tenentur; imo & ipsi hanc ampliationem poterunt impedire, *arg. L.* 8. *ff. de Servit. Urban.* Nam eis irrogatur præjudicium propter futuras expensas reparationis ampliatæ Ecclesiæ: quod si ampliatio sit necessaria ob Populi multitudinem, cum hæc sit nova constructio, facienda est sumptibus Episcopi, vel eorum, quibus Ecclesiæ constructis incumbit. *C. fin. h. t.* Reparatio verò Ecclesiæ jam ampliatæ pertinet ad ipsos, qui veterem Ecclesiam reparare tenebantur. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 6. contra *alios.* In Indijs omnes Ecclesiæ Cathedrales, & Parochiales erectæ fuerunt expensis Regijs, sed si aliquæ de novo construendæ sint in futurum, debent fieri, ut præscribitur in *L.* 2. *tit.* 2. *lib.* 1. *R. Ind.* ibi: *Es nuestra voluntad, y mandamos, que de aquí adelante, y quando à Nos pareciere necessario, que se fabriquen Iglesias para Cathedrales, se edifiquen en forma conveniente; y la costa, que se hiciere en la obra, y edificio, se reparta por tercias partes: la una contribuya nuestra Real Hacienda: la otra los Indios del Arzobispado, ò Obispado: y la otra los vecinos.* Quod latius explicatur in Legibus sequentibus. *Solorz. Politic. Ind. L.* 4. *cap.* 4. & 23.

TIT. XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, Cæmeterij, & rerum ad eas pertinentium.

435 Immunitas sic dicitur, quasi *sine munere, seu onere*; ac proinde est quasi vacatio, exemptio, seu libertas à muneribus, seu oneribus, alioqui communibus, teste Nebtissensi. Hinc immunitas Ecclesiastica, de qua in præsenti, potest sic definiri: *Est jus, quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ ab oneribus, vel etiam officijs sæcularibus liberæ, & exemptæ sunt. Covar. lib.* 2. *Var. cap.* 20. *Gonz. in C.* 1. *h. t. n.* 10. & *com. DD.* Immunitatem Ecclesiasticam Jure Divino introductam ex *C.* 4. *de Censib. in* 6. *ex Psal.* 81. *v.* 6. *Ego dixi: Dij estis. Matth.* 17. *v.* 25. *Ergo liberi sunt filij*: tenent *Barbos. L.* 1. *Jur. Eccles. cap* 39. §. 5. *n.* 5. *Fagnan. in C.* 4. *h. t. n.* 4. & *alij.* Jure Humano tantum esse inductam, asserunt alij, quia nullus textus est in Lege nova hanc exemptionem sufficienter probans. Sed tenendum, esse de Jure Divino, quoad originem. Et hoc, & non plus probant textus allegati. Esse tamen immediatè de Jure Humano, ex *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 20. ubi immunitas Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum, *Dei ordinatione, & Canonicis institutionibus* dicitur constituta. *L.* 50. *tit.* 6. *p.* 1. sic plures cum *Gonz. in C.* 4. *h. t. num.* 8. Triplex est immunitas, videlicet, *personalis, quæ personis: realis, quæ rebus: localis, quæ locis Ecclesiasticis competit.* Immunitas personalis consistit, non solum in privilegijs Canonis, & fori, & exemptione ab obligatione Legum civilium, de quibus alibi, sed in exemptione ab oneribus personalibus.

Cle-

436 Clerici ergo sunt immunes à tributis personalibus, ut sunt capitationes, quibus scilicet, aliquid imponitur singulis personis, etiam si nulla bona immobilia habeant. Et hæc exemptio constar *ex C. 1. b. t. in 6. L. 2. c. de Episcop. & Cleric. L. 51. tit. 6. p. 1.* ibi: *Deben ser franqueados todos los Clerigos de non pechar ninguna cosa por razon de sus personas.* Quia hoc tributum provenir titulo jurisdictionis, quam quidem in Clericum Princeps Sæcularis nequit exercere. Et quidem apud omnes Gentes fuerunt Sacerdotes in summa veneratione habiti, & à communibus oneribus immunes, ut de tempore Pharaonis, & Artaxersis constat, *Gen. 47. v. 22. Esdræ 1. cap. 7. v. 21. L. 50. tit. 6. p. 1.* ibi: *E pues los Gentiles los honraban tanto, mucho mas lo deben facer los Christianos, que han verdadera creencia.* Immunes item sunt à munetibus sordidis, ut arenæ fodiendæ, cloacæ mundandæ, &c. Nec ea acceptare debent cum dedecore status Clericalis; *arg. L. 12. C. de Excusat. muner. L. 51. tit. 6. p. 1.* Nec possunt compelli ad munera indifferentia ut tutela. *L. 52. C. de Excusat. muner.* Imò nec ad honorabilia, ut regere civitatem; possunt tamen hæc duo ultima sponte accipere. *L. 1. & seqq. C. de Excusat. muner.* Nec possunt compelli ab bellum ire personaliter. *C. 19. 23. q. 8.* Imò quia Clerici nequeunt in bello pugnare. *C. 9. §. fin. de Voto.* Nec muros custodire, nec Vigilias agere tenentur. *L. 51. tit. 6. p. 1.* Nisi grave periculum ab infidelibus, vel Hæreticis immineat, vel quando Laici non sufficiunt. *C. 2. b. t. L. 52. tit. 6. p. 1.* Nec tenentur hospitium militibus dare, etiam in suis domibus patrimonialibus. *L. 1. C. de Episc. & Cler. L. 51. tit. 6. p. 1.* Et quamvis Ecclesiæ semper sint ab onere hospitandi exemptæ, tamen domus Clericorum, saltem in nostra Hispania, non gaudent hac immunitate, quando Rex noster, vel ejus filij iter faciunt per aliquem locum. *L. 7. tit. 2. lib. 2. Ordin.* & notat *Greg. Lop. in L. 51. tit. 6. p. 1. V. Possar. Gonz. in C. 1. b. t. n. 11.*

437 Non solum Ecclesiæ Monasteria, vasa, ac vestes sacræ, & aliæ res hujusmodi sunt immunes à tributis, angarijs, vectigalibus, collectis, contributionibus, & alijs oneribus personalibus, & mixtis, scilicèt, quæ imponuntur personis subditis sine respectu ad bona, vel cum respectu ad bona, quæ posident. *C. 4. de Censib. in 6. c. 4. b. t. L. 2. l. 6. c. de Episc. & Cleric. l. 1. tit. 11. p. 1.* Sed etiam bona temporalia ad conservationem, & augmentum cultus Divini, altarium ornatum, Ministrorum substentationem destinata à tributis, & oneribus Sæcularibus sunt exempta. *C. 1. de Censib. c. 24. & 25. 23. q. 8.* Et quamvis talia bona, vel prædia essent subjecta tributis, si tamen ad Ecclesiam perveniant, non solum non possunt ipsis de novo tributa imponi. *C. 4. b. t.* Sed etiam ab antiquijs liberantur, cum ex eo, quod ad Ecclesiam transeant, à jurisdictione Laica eximantur. *C. 1. b. t. in 6. Suar. L. 4. de Immun. cap. 20. n. 19. Barb. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 39. §. 21. Aceved. in l. 11. tit. 3. lib. 1. R. C. num. 8. Gonz. in c. 4. b. t. n. 10. & alij.* & mirificè comprobatur ex *L. 14. tit. 14. lib. 6. R. C.* Si vero talia prædia ex vi dominij, vel pacti aliquo oneri reali invariabili, & in perpetuum essent gravata, etiamsi ad Ecclesiam perveniant, cum suo onere transeunt; *arg. C. 5. de Pignor.* Ne quis suo jure privetur. *C. 22. 23. q. 8. L. 11. tit. 3. lib. 1. R. C. & ibid. Aceved. ex n. 8. alios citans.* Bona Clericorum non solum Ecclesiastica, quæ ex titulo spirituali decimarum, vel beneficiorum ipsi habent, sed etiam bona ipsorum patrimonialia, exempta sunt à tributis, & alijs oneribus, quia ex jurisdictione civili à Principibus imponuntur. *C. 4. c. 7. b. t. c. 1. eod. in 6. c. 4. de Censib. in 6. Cl. un. b. t. Auth. Item nulla. C. de Episc. & Cler. L. 6. tit. 18. lib. 9. R. C. Suar. l. 4. de Immun. cap. 24. Less. de Just. & jur. l. 2. cap. 33. num. 18. Barbos. in C. 4. b. t. ex n. 3. & ibid. Gonz. n. 10. & alij.* Et sic declaratum *à S. Cong. 14. Nov. 1603.* testatur *Pignat. tom. 2. consl. 54. n. 55.* Clerici enim suis ministerijs Regi, & Regno in spiritualibus subveniunt, sicut vassalli Laici in temporalibus exactionibus: deindè soli Clerici ad subsidium charitativum Episcopo præstandum tenentur: hinc essent deterioris condirionis, quam Laici, si ad exactiones, tributa, vectigalia, vel alias contributiones tenerentur. Si seminanti spiritualia debent temporalia tanquam messis retribui, juxta *Apost. 1. Cor. 9. v. 11.* Non ne esset miserabilis conditio Clericorum, si postquam Reipublicæ suffragantur, in exercitio spiritualium ministeriorum, insuper tenerentur, etiam in temporalibus subvenire? Unusquisque secundum suum officium optimè ministrat, & ex omnibus harmonica consonantia Reipublicæ resultat. Quod pulchrè significat Alciatus. *Emblem. 41. Laerte genitum, genitum quoque Tydeos una, hac cera expressit Zenalis apta manus. Viribus*

bus hic præstat, hic pollet acumine mentis, nec tamen alterius non eget alter ope. Cum duo conjuncti veniunt, victoria certa est, solum mens hominem, dextravè destituit. Imo plus præstant Clerici, quàm Laici, sicut arguebat Ulysses Ajaci. *Tu tantum corpore prodes, Nos animo: quantoque ratem, qui temperat anteit remigis officium: Quanto est Dux milite major, tanto Ego te supero.* Nec Clerici possunt prohiberi minutim vendere panem, & vinum, nec ad solutionem vectigalium obligari, si hæc ex suis bonis patrimonialibus, vel beneficialibus colligant. *Cl. fin. de Censib.*

438 Si necessitas, cui succurrendum sit, totius Reipublicæ commodum (& non tantum singulorum Clericorum utilitatem respiciat) qualis esset reparatio viarum, pontium, vel murorum, non possunt Clerici subvenire, & contribuere, etiam ex patrimonialibus, sine consensu Pontificis: vel si hic nequeat adiri, est necessarius consensus Episcopi simul, & Cleri. *C. 4. & 7. h. t. Barb. in c. 7. h. t. n. 3. Suar. L. 4. de Immun. cap. 26. n. 15. Acev. in L. 11. tit. 3. lib. 1. R. C. n. 7. Gonz. in c. 4. h. t. n. 15. & declaratum testatur Pignat. t. 10 consult. 50. n. 3. & 6. cons. 101. n. 11.* Ut ergo contributio Clericorum sit licita requiritur, *ex C. 4. & 7. h. t.* Quod necessitas, vel utilitas sit Clericis, & Laicis communis, & quidem debet esse evidens, vel valdè gravis, & quod facultates Laicorum non sufficiant ad ei subveniendum: quod tunc accidit quando Laici, etiam particulares, non habent, unde subveniant, nisi necessarijs ad suum statum priventur. *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 33. n. 26. Gonz. in C. 4. h. t. n. 14. & alij*, & ita declaratum est à *Clem. VIII.* aliàs nullum esset privilegium Clericorum, si ad defectum bonorum Civitatis tenerentur: quamvis *Suar. de Immunit. lib. 4. cap. 6. & alij.* Credant solum requiri, quod facultates communes Civitatis non sufficiant, & habetur *in L. 11. tit. 3. lib. 1. R. C.* ibi: *A fallecimiento de Propios de Concejo, deben contribuir, y ayudar los dichos Clerigos. Vid. Gonz. in C. 4. h. t. n. 14.* Non est necessarius consensus totius Cleri, ut aliqui volunt; sed sufficit, quod Capitulum Cathedralis consentiat. *Suar. L. 4. de Immun. cap. 26.* Aliqua ex his conditionibus deficiente, non possunt Clerici licitè contribuere, nec huic privilegio renuntiare: *arg. C. 13. de Foro compet.* In casu tamen urgentis necessitatis, Pontifex, vel Episcopus consensum præstare tenentur; *arg. L. 11. §. 7. ff. de Leg. 3.* Et per Ecclesiasticos, non per Sæculares Judices sunt Clerici compellendi; *arg. C. 7. h. t. L. 54. tit. 6. p. 1. Acev. in L. 11. tit. 3. lib. 1. R. C. n. 5. Gonz. & alij.* Ac proindè tempore famis debent Judices Laici Episcopum adire, ut compellat Clericos frumentum, & victualia justo pretio vendere. *C. 4. c. 7. h. t. Bull. Cœn. cas. 18. L. 54. tit. 6. p. 1.* Nisi periculum esset in mora, vel Superior Ecclesiasticus requisitus sit negligens; nam tunc Judex Sæcularis, non vi jurisdictionis, sed potestate œconomica, & quasi titulo justæ defensionis posset ex horreis Clericorum frumentum extrahere, & justo pretio vendere, ne Respublica fame pereat. Et hoc modo Princeps Sæcularis tempore pestis solet Clericos obligare, ad observanda edicta, quæ pro tuenda salute promulgantur: & declaratum testatur *Delbene de Immunit. cap. 9. dub. 14. n. 7.* Quando vero contributio æquè primario, & principalitèr respicit commodum, tàm Clericorum, quàm Laicorum, æquè ab omnibus prorata fieri debet, sic tenentur contribuere in collectis, & contributionibus impositis pro conservatione vinearum, tritici, & fructuum communium. V. g. Si flumen vicinos agros Laicorum, & Clericorum inundet, & aliquid debeat contribui pro reparandis aggeribus. *L. 12. tit. 3. lib. 1. R. C.* Similitèr debent solvere collectam pro custodiendis gregibus, vel armentis, vel agris communibus impositam, vel etiam pro occidendis, vel colligendis locustis, vermibus, vel alijs animalibus vastantibus segetes: quod si animalia Clerici vastaverint aliena, vel communia pascua, pro damno dato tenentur. Et quidem Judex Sæcularis ad pecorum capturam procedere potest, si poena de plano sit exigenda sine strepitu, & figura Judicij: si tamen in judicio petenda sit, coram Judice Ecclesiastico peti debet. *L. 51. tit. 6. p. 1. Gonz. in C. 4. h. t. ex n. 13.* qui sic intelligit, *Legem 12. tit. 3. lib. 1. R. C.* & juxta distinctionem casuum antecedentium intelliguntur. *L. 5. l. 7. C. de Sacros. Eccles. l. 54. tit. 6. p. 1. Acev. in d. Leg.*

439 Hac immunitate reali gaudent. 1. Ecclesiæ, Monasteria, aliaque loca religiosa, & sacra. 2. Clerici, etiam in minoribus, etiamsi conditionibus *Trid. sess. 23. de Reform. cap. 6.* careant. *Molin. de Just. tr. 2. D. 671. n. 5. Barbos. L. 1. Jur. Eccles. cap. 39. §. 5. n. 15.* Nisi sint conjugati, etiam cum unica, & Virgine; nam hi in Ecclesia Latina, non gaudent immunitate, secus in Græca, *C. un. de Cleric.* con-

conjug. in 6. *Barb. L.1. Jur. Eccles. cap.39. §.5. n. 19.* 3. Regulares utriusque sexus, etiam Novitij, & oblati, qui habent obligationem in perpetuum alicui ordini serviendi, etsi non sint Religiosi: fratres, & sorores S.Francisci in communitate viventes, commendatarij, & equites Ordinum Militarium. *Rodrig.Regul. t.2. q.65.art.14.* 4. Coloni partiarij, qui agros Ecclesiarum pro aliqua fructuum parte colunt, saltem, quoad partem fructuum Ecclesiæ præstandam. *Menoch. de Arbitr. cas. 562. n. 21. & 33. Barbos. lib.1. Jur. Eccles. cap. 39. §. 5. n.30.* Imo, & quoad suam partem. *L. 2. §.1. C. de Episcop. & Cler.* Nam cum hoc onus sit mixtum, comprehendit, non solum personam coloni, sed & fundum Ecclesiæ, ac proinde illa his oneribus subjicerentur. Si aliquis Magistratus Sæcularis, etiam Princeps supremus, extra privilegium, vel casum sibi permissum imponit tributa, vel alias, collectas, & exactiones per se, vel per alios directè, vel indirectè Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis, vel eorum bonis, peccatum injustitiæ, & sacrilegij committit: constitutiones de hac re editæ sunt nullæ; & hoc faciens ipso jure incurrit excommunicationem: extra articulum mortis, Pontifici reservatam. Et etiam deposito officio excommunicati manent tales Magistratus, si non satisfaciant: à qua quidem excommunicatione nequeunt absolvi, nisi satisfactione præstita, vel ex bonis communitatis, vel si ex eis nequeant, ex proprijs, vel si hoc non possint, saltem cautionem de satisfaciendo præstabunt, etiam in articulo mortis. Quod si nec hoc possint, sufficiet firmum propositum satisfaciendi, & promissio standi mandatis Ecclesiæ. *C.4. & 7. h. t. C. 4. de Censib. in 6. Cl. un. h. t. Bull. Cœn. cas. 18.* ibi: *Quivè collectas, decimas, tallias, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, absque simili R. Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis, etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt: necnon, qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere non verentur, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate.* Nec possunt eludi tales constitutiones prætextu privilegij Apostolici, vel consuetudinis immemorialis, vel quod non sint promulgatæ, aut receptæ.

440 Præterea impedientes jurisdictionem Ecclesiasticam, & Judices Ecclesiasticos, quominus illa utantur, incurrunt ipsofacto excommunicationem. *C. 4. h. t. In Bull. Cœn. cas. 13. & 14.* reservatam Pontifici. Item qui faciunt, vel servant statuta contraria Ecclesiasticæ libertati: v.g. prohibendo, ne Prælatis Ecclesiasticis aliquid vendatur; hi enim excommunicationem ipsofacto incurrunt *in Bulla Cœnæ, cas.15.* reservatam. Qui nullo statuto facto impediunt, aliquod obsequium præstari Clericis excommunicantur, at vero sine reservatione. *C. fin. h. t. in 6.* In nostra Hispania nostri Reges, præter *Tertias*, de quibus in *Tit. de Decimis* locuti sumus, ex rebus Ecclesiasticis percipiunt quandam portionem, quam Hispanè dicimus *Subsidio, y Escusado*, cujus originem refert *Alfonsus Perez de Lara de Bul. Cruciat. p.2.* Pius quidem IV. die 5.Maj. 1601. primus concessit Regibus Hispaniæ subsidium ad quinquennium tantum, ut singulis prædicti quinquennij annis possent à statu Ecclesiastico exigere 420U argenteos, *Hispanè: Ducados*, pro sustinendis triremibus contra Turcas, aliosque fidei inimicos. Quæ summa solvenda est prorata ab omnibus Ecclesijs Sæcularibus, & Regularibus, Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus, & ex omnibus beneficijs Vicarijs, Præstimonijs, Prioratibus, & alijs Dignitatibus, etiam Regularium Mendicantium, & Ordinum Militarium D. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ. Ab hoc tamen onere eximuntur Ditiones spectantes ad Magistrum prædictorum Ordinum. *Hispanè: Maestrazgos.* Item eximuntur Ecclesiæ Indiarum, Milites Melitenses, Cardinales, & Hospitalia, quæ Hospitalitatem exercent. Deinde: *S. Pius V.* considerans magnos sumptus à nostris Regibus in favorem fidei factos in bello sustinendo contra Belgiæ Hæreticos ipsis concessit *die 21. Maji* 1571. ad quinquennium tantum, quod ex omnibus Parochijs Hispaniæ ille, qui pinguiores decimas haberet, Regi eas persolveret; & hic excusatus, & subsidium *Escusado Hispanè* dicitur. Debetque solvi ab Universitatibus, Collegijs, & alijs, etiam sæcularibus, qui decimas percipiunt. Ab hoc tamen onere eximuntur fructus pertinentes ad Cameram Apostolicam, quando sedes vacat, & Milites Melitenses: potestque applicari bello, quod fit contra Turcas, vel Mauros. Sed pro vitandis contentionibus, quæ in hujusmodi subsidiorum exactione exoriri poterant variæ conventiones factæ sunt cum Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, quas latè refert *Perez de Lara*, ubi supra. Et hinc Capitula

utrumque subsidium solvunt delegatis, vel subdelegatis Commissarij Generalis Cruciatæ. Et quidem ad ipsos, non solum exactio spectat, sed & cognitio omnium caussarum civilium, & criminalium ad prædicta subsidia pertinentium, etiam quando rei Laici sunt, quorum personas, & bona prædicti delegati apprehendere possunt, etiam non invocato brachio sæculari. Et appellatio solum, & præcisè conceditur ad Supremum Cruciatæ Senatum: nec admittitur recursus ad Cancellarias sub quocumque prætextu, etiam violentiæ. *L.8. tit.10.lib.1. R.C.* ibi: *Mandamos à Vos los dichos Presidente, y Oidores, que no vos entremetais à conocer, ni conocer, ni conozcais por via de fuerza, ni en otra manera alguna de causa, processo, ni diferencia alguna tocante à las dichas Cruzadas, Bulas, y quartas, y subsidios, y quentas de ello: ni admitais peticiones, ni apelaciones, que sobre ello ante Vos se dieren: ni mandeis traer los processos à las dichas nuestras Audiencias, ni deis sobre ello contra los dichos Comissarios, y Jueces Provisiones, ni Autos algunos; antes remitais las tales peticiones, apelaciones, y processos à los dichos Jueces, y Comissarios, para que hagan, y administren justicia en ellos, segun el tenor, y comission Apostolica à ellos concedida.* Idem in *L. 5. tit.20. lib.1. R. Ind.*

441 Immunitas localis Ecclesiæ violatur per aliquos actus peccaminosos, qui rationem sacrilegij induunt, non ex natura sua, sed ex Lege positiva, eos specialitèr prohibente, ut occidere, vulnerare, fornicari, &c. *Sanch. de Matrim. l.9. D.15. n.5. Gutier. & alij*, contra *Sylv. Medin. & alios.* In furto *sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro. C. 21. 17. q. 4.* Alij probabilitèr dicunt, solum committi sacrilegium, quando res non sacra, quasi sub jure Ecclesiæ est, quatenùs in custodiam, vel pignus tradita: secus si per accidens tantum sit in Ecclesia. *Fagund. l. 4. cap. 4. n. 9. cum alijs.* Sacrilegus fur, si sit effractor Ecclesiæ, incurrit ipso jure excommunicationem latæ sententiæ. *C.22. de Sentent. excomm.* secus si non sit effractor. *C. fin. de Furt. arg. C.16. de For. comp. Suar. de Censur. D.22. sect. 2. n. 6. & alij* contra *alios.* Et insuper alijs pœnis arbitratijs punitur pro qualitate furti, & personarum. *L. 4. §. 2. ff. ad Leg. Jul. pecul.* Deindè: aliqui actus, qui ex se liciti sunt, in Ecclesia fieri prohibentur. Sic cessare debent in Ecclesijs, earumque Cæmeterijs negotiationes, & præcipuè nundinarum, ac fori cujuscumque tumultus. *C. 2. h. t. in 6. L. 1. tit. 11. p. 1.* Contractus tamen in Ecclesia, etiam cum peccato; (quod non semper intervenit) celebrati sunt validi, nec ullo jure irritantur. Imò venditio candelarum, & rerum pietati fidelium deservientium, quæ in Cæmeterijs, vel Templis sine strepitu fit, consuetudine universali sic approbante, est licita. *Azor p.2. l.9. cap.9. q.5.*

442 In Ecclesia nequit sine sacrilegio fieri placitum. *C. 1. h. t.* seu quidquid ad strepitum judicialem pertinet, à Judicibus Laicis, nec arbitris juris, vel compromissarijs; *arg. L. 1. ff. de Recept. qui arbitr.* secus dicendum de arbitratoribus. Et totus processus judicialis, & ipsa sententia lata in Ecclesia est nulla: & præcipuè prohibetur agitari, & quidem sub anathemate, causa criminalis: absurdum enim, & crudele est, ibi judicium sanguinis exerceri, ubi est tutela refugij constituta. *C. 1. c. 5. h. t. C. 2. eod. in 6. L. 1. tit. 11. p. 1.* ibi: *Porque seria contra razon, è cruel cosa de juzgar los omes a muerte, ò alision en el logar, que es establecido para servir à Dios, è para facer obras de piedad, è misericordia.* Et hac ratione non licet Ecclesiam in munitionem assumere ad usus bellicos, nisi in casu necessitatis, & in bello defensivo cum licentia Episcopi. *Azor p. 2. l. 9. cap. 9. q. 6.* Licitè tamen possunt dari Tutores in Ecclesia, & alij actus extrajudiciales, vel tantum jurisdictionis voluntariæ exerceri: præcipuè, qui ad causam piam pertinere censetur. Et cum hæc Constitutio sit odiosa non est extendenda ad judicium Ecclesiasticum, quod nullibi invenitur prohibitum in Ecclesia fieri. *Azor p. 2. l. 9. cap. 9. q. 1.* Nam in *L. 1. tit. 11. p. 1.* expressè dicitur: *Nin deben en ella judgar los pleytos seglares*: decentiùs tamen extra eam fit. Item in Ecclesia prohibentur Universitatum, & Societatum Concilia, seu Parlamenta. *C. 2. h. t. in 6.* in quibus negotia profana tractantur: secus Congregationes, quæ ad religionem, & pietatem propagandam fiunt. Nec in Ecclesia licet (secus in Sacristia) custodire bona Clericorum, aut Laicorum extra casum necessitatis. *C. fin. de Custod. Euchar.* Etiam Ecclesiæ, & domus Clericorum debent esse immunes ab onere hospitandi. *C. 1. h. t.* nec possunt in Ecclesia fieri ludi Theatrales, vel spectacula, nisi pietatem concernant. *C. 1. D. 92. c. 12. de Vit. & honest.* Possunt tamen gradus Magisterij, vel Doctoratus conferri, & disputationes, & prælectiones publicæ haberi, cum tales actus ho-

honesti sint, & universali consuetudine admissi in Ecclesia. *Suar. de Relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. cap. 4. n. 15. Azor p. 2. l. 9. cap. 9. q. 4.*

443 Præcipuum denique privilegium, quo ratione immunitatis localis gaudet Ecclesia, est *jus Asyli*, quod scilicèt, quandam sæcuritatem præstat ad Ecclesiam confugientibus ab extractione, & violentia externa. Hoc jus apud omnes fere Gentes, & etiam Jure Divino antiquo, admissum fuit, ut valdè consentaneum rationi, & dignitati, & excellentiæ locorum sacrorum, ob quorum favorem, & reverentiam fuit introductum. *Num. 35. v. 13.* ibi: *De ipsis urbibus, quæ ad fugitivorum subsidia separantur, tres erunt trans Jordanem, & tres in terra Chanaan, tam filijs Israel, quàm advenis, atque peregrinis, ut confugiat ad eas qui nolens sanguinem fuderit. Ovid. 3. Fastor. Romulus in Saxo locum circumdedit alto. Quilibet huc, inquit, jam fuge, tutus eris. Virg. Æneid. lib. 8. Hinc lucum ingentem, quem Romulus Sacer Asylum retulit, & gelida monstrat subrupe Lupercal.* Et nunc Jure Canonico, & Civili de novo introductum, & corroboratum est. *C. 6. D. 87. c. 6. c. 8. c. 9. 17. q. 4. c. 6. & 9. h. t. L. 2. & per tot. C. de His qui ad Eccles. L. 2. tit. 11. p. 1.* ibi: *Franqueza hà la Iglesia, è su Cementerio: cà todo ome que fuyere à ella, por mal que oviesse fecho, ò por debda que debiesse, ò por otra cosa qualquier, debe ser amparado, è non lo deben ende sacar por fuerza. nin matarlo, è nin darle pena en el cuerpo ninguna, nin cercarlo al derredor de la Eglesia, nin del Cementerio, nin vedar que non le dèn à comer, nin à beber. E este amparamiento se entiende, que debe ser fecho en ella, è en sus portales, è en su Cementerio.* Et denique ex Constit. *Greg. XIV. Cum aliàs 9. Kal. Jun. 1591.* Cui in toto Orbe Christiano, & in utroque foro standum est. *Delb. de Immunit. cap. 16. dub. 4. n. 2. Cov. l. 2. Var. cap. 20. n. 2. Suar. t. 1. de Relig. tr. 2. l. 3. cap. 8. n. 9.* Quod si Jus Civile à Canonico discordet, ubique terrarum standum est Canonico, insuper habito civili, cum materia sit Ecclesiastica; *arg. C. 2. de Foro compet. in 6 c. 8. de Sent. excom. in 6.* Hinc quamvis *in L. fin. tit. 11. p. 1.* & in Jure Civili habeatur, quod non gaudent immunitate adulteri, raptores virginum, & obligati Principi ob exactiones tributorum, cum hæc dispositio non sit à Jure Canonico approbata: imò sit contra *Textum in C. 3. 36. q. 1.* vim non habet, ac proindè tales immunitate gaudere tenendum est. *Greg. Lop. in L. 2. tit. 11. p. 1. V. Por debda. Gonz. in C. 6. h. t. n. 9. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 12. n. 49. & alij.* Sed cum hoc jus asyli non Jure Naturali, vel Divino, sed tantum Positivo inductum sit, potest contraria consuetudine derogari. *C. fin. de Consuet. L. 33. ff. de Legib. Covarr. 2. Var. cap. 20. num. 4. Barb. lib. 2. Jur. Eccles. cap. 3. n. 82.* contra *Bonac. & alios.* Et defacto immunitas antiqua ad 30. vel 40. passus extensa. *C. 6. c. 35. 17. q. 4.* Jam consuetudine est ablata, ut ex silentio. *L. 2. tit. 11. p. 1. deducit. Greg. Lop. ibid. V. En sus portales.* Etiam per Constitutionem Gregorianam consuetudines antiquæ sublatæ sunt, non vero illæ, quæ post ipsam legitimè introducuntur.

444 Immunitate igitur gaudent omnes rei nulla habita ratione sexus, ætatis, vel conditionis, extra crimina excepta ex generalitate. *Textuum in C. 8. c. 10. c. 20. 17. q. 4. c. 6. h. t. Const. Greg. XIV.* Qui antiquos casus confirmavit, & alios addidit: gaudent ergo etiam banniti, vel condemnati, excommunicati, interdicti, rei criminis peculatus, sacrilegi, blasphemi, simoniaci, fures simplices, fabricatores falsæ monetæ. *Barbos. in C. 5. h. t. ex n. 3. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 12. num. 15.* Clericos, & Religiosos immunitate non gaudere respectu Judicis Ecclesiastici, tenent *Abb. in C. 6. h. t. n. 13. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 10. n. 5. Sanchez Cons. L. 6. cap. 1. dub. 8. n. 6. Laym. l. 4. tr. 9. c. 3. n. 11. Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 12. n. 17.* Eos gaudere spectato jure, asserunt *Bern. Diaz. Cov. 2. Var. cap. 20. n. 16. Barb. in c. 6. h. t. n. 16.* ubi latè de hoc agit, & plures pro utraque parte citat. Quod licet non habeat locum, quando Clericus causa disciplinæ est puniendus, & corrigendus à suo Superiori, ne delicta fere omnia manerent impunita, saltem immunitate gaudebunt, ne possint extrahi, ut brachio sæculari tradantur: alias Clerici deterioris conditionis essent, quam Laici; semper tamen consuetudo attendenda est. Et sic ad concordiam rediguntur utriusque sententiæ Authores. *Dian. in Sum. V. Immunit. num. 14.* ait: Quod Religiosus fugiens è carcere ad Monasterium, vel Ecclesiam alterius Religionis gaudet immunitate, nec potest illinc extrahi sine licentia Generalis illius Religionis; imò & gaudet, si effugiat in Ecclesiam proprij Monasterij; & idem dicit de Monialibus, & puellis educandis. Et *n. 16.* ait, quod Religiosus apostata gau-

gaudet immunitate in Eccleſia, & domo alterius Religionis ab ea, à qua apoſtatavit, & ita practicari refert, alios citans. Item immunitate gaudent ob Textuum generalitatem, contra *Petr. Gregor. Synt. l.* 33. *cap.* 22. *n.* 2. Rei, qui eſtracto carcere ad Eccleſiam confugiunt, vel qui à manibus Miniſtrorum ſe eripiunt; vel etiamſi ab eorum manibus non poſsint ſe eripere, eos ſecum protrahunt ad Eccleſiam. Et etiam qui ad eam à Judice inſecutus, prius, quam Judex pervenit. *Covar.* 2. *Var. cap.* 20. *n.* 13. *Suar. tom.* 1. *de Relig. l.* 3. *cap.* 11. *n.* 8. *&* 9. *Barboſ. l.* 2. *Jur. Eccleſ. cap.* 3. *n.* 46. Qui *a S. Congr.* eſſe declaratum, teſtatur *Gutier. l.* 3. *q.* 4. *n.*10. *Hev. in Cur. Philip. p.* 3. §. 12. *n.*13. Ille, cui fide, & juramento cuſtodi præſtitis de redeundo ad carcerem, licentia conceditur adeundi Eccleſiam ad Miſſam audiendam, etiamſi Eccleſia tanquam aſylo uti velit, ejus immunitate non gaudet, cum non ſit in ſua libertate. Sic *Acevedo, & alij cum Hev. in Cur. Philip. p.* 3. §. 12. *n.* 11. contra *Nav. Covar. & alios.* Poteſt ergo Judex Eccleſiaſticus eum Judici Sæculari reſtituere, ſi cautionem præſtet, de non puniendo illum pœna corporali. Qui in carcere Euchariſtiam accepturus ad eam confugit, non gaudet immunitate, cum non ſit in ſua libertate, nec ille, cui Monaſterium, vel Eccleſia, tanquam carcer deſtinatur ejus gaudet immunitate: nec itidem illi, qui arripiuntur, & ad Eccleſiam conducuntur, cum in illis non verificetur confugij ratio: nec illi, qui dum ad ſupplicium, vel ad carcerem ducuntur, per cæmeterium trahuntur. *Covar.* 2. *Var. cap.* 20. *n.* 5. *Bobad. Polit. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 61. *Gonz. in C.* 6. *h. t. n.* 3. *Hevia in Cur. Philip. p.* 3. §. 12. *ex n.* 9.

445 Debitor, qui in carcerem detrudendus eſt, gaudet immunitate, ſi ad Eccleſiam confugiat, ob generalitatem Textuum, & ex *L.* 1. *&* 6. *C. de His, qui ad Eccleſ. confug. junct. C.* 1. *de Nov. oper.* ut contra *Jaſon, & Cutel. de Immunit. L.* 1. *q.* 32. *à n.* 26. tenent *Covar. lib.* 2. *Var. cap.* 20. *n.* 14. *Suar. de Relig. tom.* 1. *L.* 3. *cap.* 11. *n.* 3. *Barb. in C.* 6. *h. t. n.* 39. *& alij.* Et quidquid ſit in alijs Regnis, pro noſtra Hiſpania expreſſé habetur *in L.* 2. *tit.* 11. *p.* 1. ibi: *Por mal, que oviesse fecho, ò por debda, que debieſſe, ò por otra coſa qualquier, deber ſer y amparado.* Etiam debitor tributorum, vel campſor, vel mercator, etiam obligatus ad ratiocinia ex aliqua adminiſtratione; etiam fraudulentus decoctor, ſeu fallitus, juxta *Navar. Farin. Dian. & alios*, immunitate gaudet: ſed in noſtra Hiſpania tenendum eſt, quod mercator fallitus, *Hiſpanè: Alzado*, qui ſcilicèt in fraudem creditorum, ſe, & ſua bona in Eccleſiam transfert, cum habeatur, tanquam publicus latro, non gaudet immunitate, ſed extrahendus eſt ab Eccleſia, præſtita tamen cautione à Judice Sæculari, de non infligenda pœna corporali. *L. fin. tit.* 2. *lib.* 1. *R. C.* Mercator verò, qui ob aliquod infortunium non habet, unde ſolvat, *Hiſpanè: Quebrado*, gaudet utique, ſicut cæteri ſimplices debitores, immunitate Eccleſiaſtica. *Aceved. in L. fin. tit.* 2. *lib.* 1. *R. C. ex n.* 6. *Hev. in Cur. Philip. p.* 3. §. 12. *n.* 42. Servus à Judice ad Eccleſiam fugiens, omninò gaudet immunitate: Si à Domino fugit, quia ab eo timet puniri; ſi ſolum delictum leve anteceſsit, reſtituendus eſt Domino, qui juramentum præſtabit de impunitate: quod ſi adhuc nolit ſervus redire ad Dominum, poteſt invitus compelli: quod ſi Clerici illum tradere recuſent, poteſt impunè ab ipſo Domino extrahi. *C.* 32. 17. *q.* 4. *c.* 6. *h. t. l.* 3. *tit.* 11. *p.* 1. Si grave delictum commiſit, vel timens nimiam Domini ſævitiam confugit ad Eccleſiam, non debet ipſi reſtitui ſervus, niſi majorem det ſecuritatem: ſed obligabitur ſervum vendere, cum Reipublicæ interſit, nequis ſua re male utatur. *Gonz. in C.* 6. *h. t. n.* 8. Idem de ſervis adſcriptijs, vel alijs famulis dicendum eſt. Similitèr de Militibus militiam deſerentibus: nam quodam modo ſervi ſunt, ac proindè ab Eccleſia extrahendi, nec ejus gaudent immunitate. *Gonz. in C.* 6. *h. t. n.* 8. *Hev. in Cur. Philip.* 3. *p.* §. 12. *n.* 46. *Bobad.* Idem eſt de damnatis ad triremes, ſi ex ipſis, vel ex carcere, dum ad eas tranſportantur confugiant. Et quamvis plures Doctores, præcipuè non Hiſpani, hoc negent, hoc ſaltem in noſtra Hiſpania tenendum eſt *ex L.* 9. *tit.* 24. *lib.* 8. *R. C.* ibi: *Pues ſiendo, como ſon, condenados à ſervicio perſonal de galeras, no deben, ni pueden gozar de la immunidad, y privilegios de la Igleſia, y que acogiendolos, y amparandolos, y no los queriendo entregar, las nueſtras Juſticias los ſaquen, como lo es, y debe ſer permitido por Juſticia, y Derecho.* Hoc tamen intelligitur, quando reus jam eſt damnatus ad triremes, ita ut ſententia tranſijſſet in rem judicatam, nec ab ea ſit appellatum. Si enim ſit appellatum à ſententia, appellatione pendente, gaudebit immunitate, ſi ad Eccleſiam confugiat. *Hev. in Cur. Phil.*

p. 3. §. 12. n. 46. In exilium damnatus, si illud frangat, & ad Ecclesiam confugiat, potest extrahi ab Ecclesia, & in exilium iterum reduci, cum immunitas solum liberet à pœna mortis, vel corporis afflictiva, ut ex *Nicolao Antonio*, *Baldo*, *Decian.* *& aliis* tenet *Gonz. in C. 6. h. t. n. 5.* Judæi, & Sarraceni, & alii Infideles etiam immunitate gaudent, ut contra *Covar. Gutier. Dian. Clar. & alios* tenent *Joan. Andr. Suar. tom. 1. de Relig. l. 3. cap. 10. ex n. 9. Barbos. in C. 6. h. t. n. 50.* Quod verum est, saltem, quando volunt converti, id est, quando ante patratum delictum signa conversionis dederunt. *L. 1. C. de His, qui ad Ecclesiam confug. junct. C. 1. de Novi oper. Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 12. n. 15.* Etiam gaudent Hæretici immunitate, nisi ob crimina excepta, ac proindè, licet non gaudeant, quando ob hæresim puniendi sunt, quia est crimen exceptum, in aliis delictis gaudent: quippè immunitas, non tàm favore reorum confugientium, quàm in reverentiam loci sacri, ad quem confugiunt, conceditur. Ita contra *Covar. & alios* tenent. *Suar. tom. 1. de Religion. lib. 3. cap. 10. n. 15. & alii.*

446 In summa: extra crimina excepta, quodcumque aliud delictum quis committat asylo, & immunitate gaudet. *C. 6. h. t. L. 2. tit. 11. p. 1. l. 3. tit. 2. lib. 1. R. C.* Ideò exprimi oportet, quænam delicta, & delinquentes à beneficio immunitatis excipiantur. *Acev. in l. 3. tit. 2. lib. 1. R. C. n. 18. Hevia in Curia Philip. p. 3. §. 12. n. 16. & alii.* Excipiuntur ergo. 1. Latrones publici. *C. 6. 17. q. 4. C. 6. h. t. Const. Greg. XIV. l. 4. tit. 11. p. 1.* Tales sunt, qui palam, & in viis publicis per insidias, vel in mari, ut Pyratæ, vel in domibus privatis homines spoliant, & resistentes occidunt. *L. 1. tit. 11. p. 1.* ibi: *Assi como Ladrones manifiestos, que tienen los caminos, è las carreras, matan los omes, è los roban*, *Hispanè* dicuntur: *Vandidos, y Vandoleros.* Immunitate tamen gaudet fur simplex, vel etiam qualificatus, non inferens violentiam: vel qui in via privata furatur, vel qui in via publica solum attentavit, etiam sæpiùs, vel qui tantum semel deprædatus est, etiam in via publica: Nam alias non verificantur in toto rigore verba Constitutionis. *Barb. L. 2. Jur. Eccl. cap. 3. ex n. 79. Gonz. in C. 6. h. t. n. 7. Delben. de Immun. cap. 16. dub. 13. Suar. tom. 1. de Relig. l. 3. cap. 11. & alii*, quamvis *Paz in Prax. p. 5. tom. 1. cap. 3. §. 3. n. 70. Hev. in Cur. Phil. p. 3. §. 12. n. 41.* dicant in *nostra Hispania*, consuetudine introductum esse, ut etiam simplices Latrones hac immunitate non gaudeant; de qua consuetudine in tanta generalitate aliqui dubitant. Standum tamen est cujusque Prætorii consuetudini. 2. Publici Grassatores viarum, *Hispanè: Salteadores de caminos*, qui obsident itinera frequentata, ac ex insidiis violentèr aggrediuntur, non quidem semel, sed aliqua frequentia, viatores. *L. 28. §. 10. ff. de Pœnis, Delben. de Immunit. cap. 16. dub. 13. n. 14.* Absque cæde tamen, & in hoc differunt à publicis Latronibus. 3. Depopulatores agrorum, qui scilicèt incendio apposito, vel alio modo segetes, fructus, vel arbores agrorum ex quocumque fine malo devastant. *C. 6. h. t. l. 4. tit. 11. p. 1.* ibi: *Otrosi los que andan de noche quemando, ò destruyendo de otra manera las Miesses, è las Viñas, è los Arboles, è los Campos.* Antiquitus solum depopulatores nocturni privabantur asylo; hodie tamen cum in constitutione *Gregor. XIV.* sit omissa illa vox: *nocturnus*, & generalitèr loquatur, generalitèr intelligenda est etiam de depopulatoribus diurnis, qui proindè non gaudent asylo. Ut contra *Delbene*, *& alios* tenent *Barb. in C. 6. h. t. n. 43. Farinac. & alii.*

447 4. Assasini. Hi olim erant homines certi Populi infidelis, hodie tamen eodem nomine intelliguntur quicumque fideles, vel infideles, qui pretio accepto, vel promisso, & quidem ante patratum scelus, conducti occidunt, vel mandant occidere hominem incautum, qui non potuit se præcavere, & quidem Christianum. *C. 1. de Homic. in 6.* Nec sufficit, ut Assasini dicantur si infidelem occidant, ut contra *Decian. Bonac. & alios*, *ex C. 1. de Homic. in 6.* deducitur. Et sic tenent *Covar. Gutier. & alii.* Tales enim Assasini, & eorum fautores asylo privantur. *Covar. lib. 2. Var. cap. 26. n. 10. Gutier. Paz, Barbos. in C. 6. h. t. n. 48. & alii.* Qui ad vulnerandum, vel ad mutilandum tantum, accipit pecuniam, non ad occidendum, non privatur asylo. *Gutier. Practic. qq. l. 3. q. 7. n. 59. Barbos. l. 2. Jur. Eccles. cap. 3. n. 97.* Volens tamen occidere, si mors non est secuta in effectu, non privatur asylo; secus verò mandans occidere: nam etsi mors non sequatur in effectu immunitate privatur. *C. 1. de Homic. in 6. Gom. 3. Var. cap. 3. n. 11. Laym. l. 4. tr. 9. cap. 3. n. 9. Pignat. tom. 9. cons. 43.* Testes, vel Judices, qui pretio conducti cooperantur ad mortem alicujus innocentis, tanquam Assasini asylo privantur, ut contra *Bonacin. D. 3. q. 7. p. 6. §. 3. n. 8.*

tenent *Curtel. l. 1. q. 19. n. 14. & alij.* 5. Rei criminis hæreſis, & Apoſtaſiæ à fide non gaudent propter hæc crimina immunitate: quod aliqui extendunt ad perſecutores imaginum, & ad ſuſpectos vehementèr de hæreſi; imò, & ad blaſphemos: quod verum eſt de blaſphemia hæreticali, non tamen de blaſphemia ſimplici. *Barboſ. in C. 6. h. t. n. 51. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 12. n. 27. Simanc. & alij.* 6. Rei criminis læſæ Majeſtatis in perſonam ipſius Principis, non recognoſcentis ſuperiorem, etiam immunitate privantur, ſi ipſum occidant, vulnerent, machinentur, mandent, vel conſilio promoveant, etiamſi mors, vel vulneratio non ſequantur. *Clar. §. læſæ Majeſtatis, n. 16. Delb. cap. 16. dub. 23. ſect. 1. n. 3. Hev. 3. p. §. 12. n. 28.* non tamen privatur immunitate, qui non erat ſubjectus ratione originis, vel domicilij Principi læſo. *Cl. 2. §. Denique, de Sent. & re judic.* Nec qui offendit Principis conjugem, filios, Miniſtros, Legatos, vel ſtatuam. Nec qui Principis recognoſcentis ſuperiorem perſonam offendit. *Barboſ. in C. 6. h. t. n. 10.* Qui ſciens conjurationem, eam non manifeſtat, gaudet aſylo, ut contra *Farinac. & alios* tenent *Delbene de Immunitate, cap. 16. Dub. 23. ſect. 5. n. 5. & alij.*

448 7. Homicida proditorius. *C. 1. de Homic.* ibi: *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Cujus textus diſpoſitio ad litteram in noſtra Hiſpania ſervatur teſte *Greg. Lop. in l. 4. tit. 11. p. 1. V. Defiende*, quamvis plures aliter illum intelligant. Homicida ergo proditorius cenſetur, qui alium, cum quo inimicitias non gerit: quin, & illum proſequitur amicitia, ſaltem ordinaria, & communi, qualis eſt Civis ad Civem, vel Chriſtiani ad Chriſtianum, & per inſidias, vel dolum, vel à tergo occidit ipſum. Hinc immunitate non gaudet, qui occidit parentes, conjugem, Dominum, commilitonem, ſocium Menſæ, vel itineris, vel alium proximum, etiam infidelem, vel hæreticum, ſi nulla inter eos rixa, vel inimicitia præceſsit, quæ cautum facere deberet occiſum. Vel qui proximum veneno occidit, ſi inimicitia non præceſsit, vel qui abortum fœtus animati procurat, vel qui etiam inimicum poſt reconciliationem ſpeciali ſigno amicitiæ roboratam, occidit. *Covar. Greg. Lop. Paz, Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 12. n. 30. Suar. de Religion. tom. 1. lib. 3. cap. 11. Barboſ. in C. 6. h. t. ex n. 45. & alij.* qui occidit inimicum à tergo, & per inſidias, non cenſetur homicida proditorius. Nam proditor in rigore ſignificat, qui unum in corde, aliud gerit in ore, ſicut Judas, qui oſculo pacis Chriſtum tradidit; ac proindè talis non privatur immunitate, ut declaratum fuit à *Clem. VIII.* Et tenent *Barboſ. in C. 6. h. t. n. 46. Farinac. Gutier. & alij*, contra *Covar. l. 2. Var. cap. 20. n. 7. Gom. 3. Var. cap. 3. ex n. 5. Suar. de Relig. tom. 1. l. 3. cap. 11. n. 12. Sanch. Conſ. l. 6. cap. 1. dub. 8. n. 26. & alios*, qui tenent, occidentem inimicum per inſidias immunitate carere. Non igitur ſunt rei homicidij proditorij occidentes inimicum, etiam per inſidias, vel à tergo, vel alio modo incautum, etiam dormientem. *Delbèn. de Immunit. cap. 16. dub. 20. ſect. 5.* ac conſequentèr immunitate debent gaudere, vel qui occidunt repente Corrivalem, vel æmulum caſu occurrentem, aut ex inſidijs occupatum, vel etiam provocatum ad duellum, ut contra *Barboſ. l. 2. Jur. Eccleſ. cap. 3. n. 101.* tenent *Farinac. in Amplm. cap. 7. n. 117. Delb. cap. 16. dub. 20. ſect. 6.* vel etiam amicum, commilitonem, conſanguineum in rixa repentè orta, vel ex iracundia occidunt. *Pignat. t. 2. conſ. 37. n. 17.* Vel qui etiam amicum per induſtriam, non tamen ex inſidijs occidit; nam utrumque requiritur in *C. 1. de Homic.* vel qui per induſtriam, & inſidias aliquem ad locum, in quo ejus mortem prævidet, deducit, ut contra aliquos tenet *Delben. dub. 20. ſect. 8. n. 1.* etiam qui alium proditoriè vulnerat, vel venenum propinat, ſi mors non ſequatur. Prædicti enim, non cenſentur homicidæ proditorij, ac proindè debent immunitate gaudere, quæ ſanè favore locorum ſacrorum debet extendi. *In noſtra Hiſpania* proditor dicitur, qui alium ſecurè occidit: ſecurè occidere dicitur, qui occidit extra duellum, rixam, vel bellum. *L. 10. tit. 26. lib. 8. R. C.* ibi: *Todo hombre, que ficiere muerte ſegura, cae en caſo de aleve; y toda muerte ſe dice ſegura, ſalvo aquella, que fuera fecha en pelea, ò en guerra, ò en riña.* Qui vero etiam à tergo, vel ex inſidijs inimicum occidit, non dicitur proditor, quia inimicus ſemper ab occiſore ſe cavere debebat. *Azev. in L. 2. tit. 23. lib. 8. R. C. n. 12.*

449 8. Occidens, vel mutilans injuſtè in Eccleſia, vel Cæmeterio ex præconcepta ſpe conſequendi immunitatem, immunitate privatur, ut ſatis clarè deducitur *ex C. fin. h. t.* & expreſſè habetur in *L. 4. tit. 11. p. 1.* ibi: *Los que matan, ò fieren en la Igleſia, ò en el Cementerio, enfiuciandoſe*

de

de ampararse en ella. Et ibid. Greg. Lop. Idem est, si in una Ecclesia occidat, & confugiat ad aliam, quia cum una sit in Orbe Christiano Ecclesia, unam offendens, offendit cæteras. *Barbos. l. 2. Jur. Eccles. cap. 3. n.* 110. & etiamsi extra Ecclesiam existat, & occidat sagitta, vel sclopo in ea existentem. *Covar. 2. Var. cap. 20. n. 15. Corol. 27. Suar. de Relig. tom. 1. l. 3. cap. 11. n. 7. & 8.* Hæc privatio asyli solum habet locum ob occisionem, vel mutilationem in Ecclesia factam, adeò ut sic occidens non debeat privari immunitate ob alia delicta ante, vel postea commissa. *Covar. 2. Var. cap. 20. n. 15. Gutier. pract. qq. l. 3. q. 1. n. 18. Delben. cap. 16. dub. 19. sect. 10. n. 1. & alij*, contra *Decian. Boer. & alios*, qui tantum vulnerat in Ecclesia, si non sequatur mors, vel sequatur tantum per accidens, v. g. ex negligentia, vel imperitia Chirurgi, gaudet immunitate: quia nec occidit, nec mutilat in Ecclesia. *Barb. l. 2. Jur. Eccl. cap. 3. & alij.* Imò etsi lætalitèr vulneret, si vulneratus moriatur extra Ecclesiam, maximè post notabile tempus, immunitate gaudet sic vulnerans, juxta *Pignat. t. 2. consult. 67. n. 2.* etiam occidens, vel mutilans in Ecclesia ob defensionem propriam, cum moderamine inculpatæ tutelæ immunitate gaudet. *Delben. de Immun. cap. 16. dub. 19. sect. 4. n. 2.* Occidens, vel mutilans in Ecclesia ex subita ira gaudet asylo, & declaratum testatur *Pignat. t. 2. consult. 38. n. 1.* & tenent *Azor, Gutier. & Azeved.* contra *Covar. Suar. Laym. & alios*: qui prope Ecclesiam occidit, cum non in Ecclesia occidat, immunitate gaudet. *Suar. de Relig. tom. 1. l. 3. cap. 11. n. 9. Navar. Man. cap. 25. n. 22. Delben. de Immunit. cap. 16. dub. 19. sect. 6. & alij*, contra *Covar. l. 2. Var. cap. 20. n. 15. Gutier. Pr. qq. l. 3. q. 1. n. 35. Barbos. l. 2. Jur. Eccles. cap. 3. n. 116.* Qui in Ecclesia existens occidit sagitta, sclopo, vel lapide existentem extra eam, non propriè in Ecclesia, sed ex Ecclesia occidere censetur, ac proidè immunitate gaudet, juxta *Delb. Bonac. & alios.* Sed contrarium decisum dicitur à *S. P. Innoc. XIII.* Et hoc tenendum est *Covar. Azor, Laym. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 2. cap. 3. n. 111.* Qui in Ecclesia occidere mandat, cum in Ecclesia non occidat propriè, gaudet immunitate. *Delben. de Immunit. cap. 16. dub. 19. sect. 8. Pignat. t. 9. consf. 22. n. 31.* contra *Barb. L. 2. Jur. Eccles. cap. 3. num. 116. Laym. Farin. & alios.* Ex eadem ratione, qui aliquem violentèr, vel dolo extractum ab Ecclesia occidit, immunitate gaudet. *Delb. de Immunit. cap. 16. dub. 19. sect. 9. n. 1. & alij* contra *Covar. Farin. Azor, & Barb. l. 2. Jur. Eccles. t. 3. n. 114. 9.* Effractor, vel violator Ecclesiæ, vel qui comburit Ecclesiam immunitate caret. *C. 10. c. 11. 17. q. 4. L. 11. p. 1.* ibi: *Los que la queman, ò la quebrantan.*

450 Nulla alia crimina, præter assignata, etsi graviora sint, censentur excepta, ut illa committens asylo privetur: ut colligitur *ex C. 6. h. t. Const. Greg. XIV. Gutierr. Pr. qq. L. 3. q. 1. n. 3. & q. 4. n. 12. Delben. de Immunit. cap. 16. dub. 24. Barbos. & Gonz. in l. 6. h. t.* contra *Curtel, Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 12. & alios.* Et ratio est: nam cum Lex privans immunitate Ecclesiastica, sit pœnalis, & odiosa non extenditur ultra casus expressos. Hinc gaudent immunitate falsæ monetæ fabricatores, fures, sacrilegi percussores Clericorum, vel Religiosorum, testes falsi, & perjuri, simoniaci, blasphemi in Deum, & Sanctos, adulteri, & raptores virginum, Sodomitæ, & alij hujusmodi. Nec immunitate privat aliud delictum in Ecclesia commissum, præter occisionem, & mutilationem, ac proindè committens furtum, adulterium, vel sodomiam in Ecclesia, non privatur immunitate; licet in aliquibus alij aliter sentiant. *Vid. Covarr. lib. 2. Var. c. 20. Suar. de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 11. Barbos. & Gonz. in c. 6. h. t. Hev. in Cur. Philip. part. 3. §. 12.*

451 Immunitate gaudent omnia loca, quæ Religiosa Jure Canonico censentur, etiamsi non sint sacra. *C. 4. de Relig. dom. L. 35. c. de Episc. & Cleric. Suar. de Relig. t. 1. tr. 2. l. 3. cap. 9. n. 9.* Jus ergo asyli competit 1. omnibus Ecclesijs, Episcopi authoritate erectis: ex quo primus lapis authoritate Episcopi positus est, altari, ac atrio designatis; & crux defixa est, ac proindè etiamsi Divina nondum ibi fiant celebrata, nec Eucharistia asservetur: immunitate talis locus gaudet, etiamsi nec dum erecta sit Ecclesia, nec consecrata, nec benedicta. *C. 9. h. t. arg. c. 3. 12. q. 2. c. 4. de Relig. domib. Barb. L. 2. Jur. Eccl. cap. 3. n. 62. Gonz. in c. 9. h. t. n. 2. Suar. & alij com.* Et etiamsi Ecclesia interdicta sit; nam ex eo non desinit esse locus Sacer, sicut Clericus, etiam interdictus, privilegio Canonis, & fori gaudet, similitèr, etiamsi polluta sit, & nec dum reconciliata; imo etiamsi destructa sit, etiam Episcopi authoritate, si sit spes reædificationis: secus est, si destructa sit Episcopi authoritate sine reædificationis spe: nam cum t. c fiat locus profanus immunitate

non

non gaudet. *Suar. t. 1. de Relig. l. 3. cap. 9. & Barb. in c. 9. h. t. & l. 2. Jur. Eccl. cap. 3. ex n. 60. Gonz. in c. 9. h. t. Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 12. n. 15.* 2. Cæmeterium, etiam ab Ecclesia separatum, hac immunitate gaudet. *C. fin. h. t. L. 2. tit. 11. p. 1. Barb. l. 2. Jur. Eccl. cap. 3. n. 63.* 3. Hospitale Episcopi authoritate erectum, & cum altari ad celebrandum, etiam immunitate gaudet; *arg. C. 4. de Relig. dom.* 4. Etiam hoc jus competit Monasterijs, & Conventibus Regularium; secus est de grangijs, vel domibus, quæ in rure sunt, ut contra *Rodrig. t. 2. qq. Reg. q. 75. art. 2.* tenent *Barb. l. 2. Jur. Eccl. cap. 3. n. 76.* 5. Capellis, quas *Hispanè* dicimus *Hermitas*, & Oratorijs Episcopi authoritate, etiam in domibus privatis, erectis jus asyli competit, secus oratorijs erectis privata authoritate, etiam in confraternitatibus, & etiamsi de licentia Episcopi Missa in altari portatili celebretur. *Suar. de Relig. tom. 1. l. 3. cap. 9. n. 10. Gonz. & alij.* In dubio præsumitur oratorium Episcopi authoritate erectum, si ibi Missa celebretur, & habeat cymbalum, quod publicè pulsetur. 6. Episcopi Palatio. *C. 36. 17. q. 4.* Etiamsi Episcopus absens, vel mortuus sit, imo & etiamsi ultra 40. passus distet à Cathedrali. *Suar. t. 1. de Relig. l. 3. cap. 9. n. 9.* contra alios, *& Covarr. l. 2. Var. c. 20. n. 5.* qui consuetudine, non esse admissam talem immunitatem testatur, ac proinde ea non gaudebit; ubi talis non vigeat consuetudo. *Hevia tamen, p. 3. Cur. Philip. §. 12. n. 3.* talem immunitatem concedit Palatio, dum sit intra 40. passus Ecclesiæ Matricis. Palatijs Cardinalium non competit de jure immunitas, nisi fortè privilegio, vel consuetudine, quæ ubique consulenda est. *Hevia in Curia Philip. p. 3. §. 12. n. 6. Paz in Prax. Bonacin. D. 3. q. 7. p. 4. n. 13. & alij.* Qui est damnatus ad mortem, si videt Regem, cum ducitur ad supplicium à pœna liberatur, idem est ac eo, qui ad personam, statuam, vel Palatium Regis confugit. *L. un. C. de His, qui ad statuas, & ibid. Gotbofr.* Etiam hæc immunitas competit Palatijs Legatorum, etiam Principum extraneorum, ut alios referens tenet *Hev. in Cur. Phil. p. 3. §. 12. n. 4. & 5.* Sed hæc immunitas non est Ecclesiastica, sed Politica. Deindè, & Palatio Inquisitorum, *Hispanè. La Casa de la Inquisicion*, immunitatem concedit *Potestas tom. 1. p. 2. ex n. 625.* ob similitudinem cum Palatio Episcopi: & hàc ratione Palatia Cardinalium gaudere immunitate extra Urbem non vero in Urbe asserit n. 614. quia Greg. XIII. & Sixtus V. hoc privilegium solum pro Urbe abstulerunt.

452 Quando de immunitate agitur, quia causa pia, & favorabilis est Ecclesiæ, lata interpretatio facienda est. *Barbos. l. 2. Jur. Eccles. cap. 3. num. 90. & alij* contra *Covarr. l. 2. Variar. cap. 20. num. 4. & alios.* Ac proindè securus est, qui non solum intrat corpus Ecclesiæ, sed etiam, qui supra tectum est, vel in Sacristia, porticu, vel atrio, vel in alio loco, & habitaculo, horto, area, domo familiarium, vel stabulis animalium, dum intra septa Monasterij prædicta continentur, vel in campanili, etiam ab Ecclesia sejuncto, vel in scalis Ecclesiæ; imò securus est, qui ad Ecclesiam clausam confugiens, vectem, vel ansam januæ manu apprehendit, etiamsi totum corpus extra locum sacrum sit, ut colligitur *ex C. 20. c. 36. 17. q. 4. L. 3. c. de His, qui ad Eccl. confug.* Nam quæ Religiosis adhærent Religiosa sunt. *L. 43. ff. de Rei vindication.* & accessorium sequitur naturam principalis. *C. 42. de Reg. jur. in 6. Suar. de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 9. Covarr. lib. 2. Var. cap. 20. Gonz. in c. 9. h. t. Dian. in Sum. V. Immunit. ex n. 1. & alij.* Reum confugientem ad Sacerdotem Eucharistiam portantem, seu populo illum comitanti, se immiscentem, immunitate, consuetudine sic approbante, gaudere tenent *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 9. num. ult. Barb. l. 2. Jur. Eccles. cap. 3. n. 69.* & declaratum *à S. Cong. Immunit. testatur. Pignat. t. 6. consf. 27. n. 15. Dian. in Sum. V. Immunit. n. 10. Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 12. n. 8.* Secus est, si ad Sacerdotem reliquias in processione, vel Sacrum Oleum ad infirmos portantem reus confugiat, quia nec jure, nec consuetudine talis immunitas probatur. *Dian. in Sum. V. Immunitas, n. 10.* Qui ad altare portatile in castris: v. g. positum confugit, vel aram portatilem tenet gaudent immunitate, si hoc consuetudo confirmet, & defacto accidisse in nostri Regis exercitu testatur *Quintanad. tr. 4. Singul. ult. n. 7.* Qui ad crucem in via positam, vel ad reliquias Sanctorum confugit, imò qui dum Corpus D. N. Jesu-Christi tanquam Viaticum recepturus ad illud confugit, non gaudet immunitate, ac proindè potest abstrahi. *Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 12. n. 9.* Scholasticos non esse ab Universitate extrahendos, nec Doctores à Cathedris, nec Advocatos à Regijs Prætorijs, nec Milites a Regio vexillo si ad ipsa prædicti confugiant, tenent *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 12. n. 7. & Bobadilla in Polit.* Capellæ, quæ sunt intra ambitum murorum Castellorum non gaudent immunitate. *C. 21. t. 17. q. 4.*

453 Reus ad Ecclesiam confugiens non potest repelli, imò si nec ipse, nec ejus consanguinei habent unde reus alatur ab Ecclesia est alendus. *L. 2. tit. 11. p. 1.* Potest tamen ab Ecclesia cogi ad laborandum si possit, & solitus sit; & cum excludens excommunicatio-

tionem reservatam incurrit; *arg. Extr.* 3. *de Poenit. & remis. intercom.* Nec invitus est extrahendus, nec ibi capi, seu vis aliqua inferri ei valet: nec ad mortem, vel aliam poenam corporalem gravem condemnari, ut ad triremes, vel exilium: potest tamen pena pecuniaria puniri, arg. à contrario text. in *C.* 6. *h. t.* & *ibid. Gonzal. num.* 5. imo alicubi consuetudine est receptum, quod Curia saecularis usque ad sententiam capitalem procedat: sed ejus executio ob immunitatem impeditur. Nec Judex saecularis potest impedire, quominus victus, vel alia necessaria reo deferantur, nec bona ipsius propria, quae secum in Ecclesiam detulit, ei possunt auferri: quae omnia constant *ex C.* 8. *c.* 9. *c.* 10. & *alijs.* 17. *q.* 4. *c.* 6. *h. t. L.* 3. *C. de H.s, qui ad Ecclesiam. L.* 2. *tit.* 11. *p.* 1. *Covar. lib.* 2. *Var. cap.* 20. *n.* 17. *Suar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 12. & *alij com.* Si vero vis, vel metus, vel dolus saltem ex parte Judicis intercessit, ut à loco sacro reus, extra casus exceptos, extrahatur, ante omnia, utpotè spoliatus, Ecclesiae est restituendus. *C.* 6. *c.* 8. 17. *q.* 4. *Hev. in Cur. Philip. p.* 3. §. 12. *n.* 55. Nec sufficit, quod Judex praestet juramentum, vel securitatem de non puniendo corporalitèr. Totusque processus post extractionem factus, est nullus, & damna post violentam extractionem secuta, tenetur Judex reo resarcire. Deindè immunitate gaudet, qui Judicis blanditijs allectus, promissa securitate, deseruit Ecclesiam. *Azev. in L.* 3. *tit.* 2. *lib.* 1. *R. C. Gonz. in C.* 6. *h. t. n.* 4. qui tantum blanditijs Judicis persuasus Ecclesiam deseruit, non gaudes immunitate: nam hoc debet suae facilitati tribuere, nec adeò credulus esse debuit, ut tenent *Delbene*, & *Cultel.* contra *Marinis*, & *Gonz. in C.* 6. *h. t. n.* 4. *Hev. in Cur. Philip. p.* 3. §. 12. *n.* 48. Si cadaver suspensi in patibulo sine Judicis licentia asportetur in Ecclesiam, & ibidem sepeliatur, debet exhumari, & supplicio restitui, donec habeatur Judicis licentia, ut à patibulo deponatur. *Gonz. in C.* 6. *h. t. n.* 3. etiam cadaver violentèr occisi debet exhumari, praecedente Episcopi licentia, ut à Chirurgis recognoscantur vulnera, an sint laethalia, vel levia tantum. Et quidem Judici volenti, reum extrahere ab Ecclesia, potest non solum reus, sed & Ecclesia resistere, cum utrique faciat injuriam; *arg. l.* 5. *C. de Jur. Fisc. Suar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 4. vim enim vi repellere licet. *L.* 3. *ff. de Just. & jur.* Ecclesia ergo resistet, censuras infligendo, claudendo januas, etiam Laicorum auxilium invocando, rarissimè tamen: nunquam verò possunt Clerici arma sumere. *Covar.* 2. *Var. cap.* 20. *n.* 18. siquidem Ecclesia Dei non est defendenda more castrorum. Reus tamen potest asylum deserere, si velit. *L.* 2. *tit.* 11. *p.* 1. ibi: *Non lo deben ende sacar por fuerza*, quia nemo invitus cogendus est favore uti. *C.* 36. 17. *q.* 4. *Gonz. in C.* 6. *h. t. n.* 3. Et tunc jam non gaudet immunitate: secus dicendum est, si ob terremotus, vel incendij metum, vel alia simili necessitate coactus, ut quaerat alimenta deserat Ecclesiam, quia tunc invitus eam deserit *Gonz. in C.* 6. *h. t. n.* 4. *Hev. in Cur. Philip. p.* 3. §. 12. *n.* 48. & 51. ac proinde ejus immunitate gaudet; non tamen gaudet, si translatus ad carcerem Episcopi, dum causa immunitatis deciditur, à carcere fugiat, & capiatur à Judice Laico. Reus immunitate gaudens non potest extrahi, etiamsi ipse juratus in extractionem consentiat; nam immunitas est favor publicus Ecclesiae, non solum in favorem rei, sed & Ecclesiae introductus: cui ipse nequit renunciare; *arg. C.* 12. *de For. compet. L.* 38. *ff. de Pact.* Judex quidem Ecclesiasticus potest concedere facultatem Judici Laico, ut reum invitum ab Ecclesia extrahat, accepto tamen prius juramento de impunitate, quoad vitam, membra, vel aliam poenam corporalem; *arg. C.* 9. *c.* 36. 17. *q.* 4. *c.* 6. *h. t. L.* 2. *tit.* 11. *p.* 1. *Suar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 13. *Laym. l.* 4. *tr.* 9. *cap.* 3. *n.* 13. Contrarium tenent *Delbene de Immunit. cap.* 16. *dub.* 26. *n.* 5. & *alij*, quando dubitatur, an reus immunitate gaudeat, custodiendus est in carcere Episcopi: nunquam tamen in carcere saeculari, etiamsi Judex Laicus cautionem praestet. *Delben. de Immunit. cap.* 16. *dub.* 27. Minimè verò est in Ecclesia custodiendus, vel ligandus à saeculari, quippe Ecclesia non est in carcerem convertenda. *C.* 35. 17. *q.* 4. potest tamen Laicus Judex custodiam non in Ecclesia, vel Caemeterio, sed in loco profano, ponere, ne reus fugiat. *Suar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 12. *ex n.* 2.

454 Rector Ecclesiae, ad quam reus confugit, nequit tradere, nec permittere extrahere ipsum in casu non excepto: quod si mors sequatur, incurreret irregularitatem, talem quando ipsum tradit. Et juxta *Bonacin.* etiam quando non resistit; (quod negant alij) quia illius morti cooperatur, etiam facta protestatione de impunitate, quoad vitam, & membra. *L.* 2. *tit.* 11. *p.* 1. ibi: *E aquel que estoviere encerrado, los Clerigos le deben dar a comer, è à beber, è à guardarlo quanto pudieren, que non resciba muerte, nin daño en el cuerpo.* In casibus exceptis debet delinquens ab Episcopo, vel ejus Vicario in carcere custodiri, donec cognoscatur, & ab ipso decidatur, an reus privandus sit, vel non, immunitate. Et quidem solum Episcopus, vel Capitulum, sedevacante, vel utriusque Vicarius

rius de hac causa cognoscit. *C. 11. c. 20. 17. q. 4. Const. Greg.* non alij inferiores Prælati Sæculares, vel Regulares. Et hinc, si delinquens extrahendus sit à loco exempto, vel nullius Diœcesis, ab Episcopo viciniori (quoad habitationem, non quoad Diœcesim) vel ejus Vicario est petenda licentia ad reum extrahendum. *Delben. de Immunitat. cap. 16. dub. 40. n. 6.* Postquam ergo constat, reum non gaudere immunitate debet Judici Laico tradi ab Episcopo, vel ejus Vicario, & aliqua persona Ecclesiastica ab Episcopo, vel ejus Vicario authoritatem habens debet intervenire: nec potest Laicus eum absque licentia Episcopi extrahere, cum hoc pro forma requiratur ex *Constitutione Gregor.* etiamsi casus sit notoriè exceptus, & etiam casu, quo Episcopus licentiam nequeat negare, ut contra *Covar. lib. 2. Var. cap. 20. n. 18. Cor. 34. Suar. t. 1. de Relig. lib. 3. c. 13. & alios*, tenent *Barbos. lib. 2. Jur. Eccles. cap. 3. n. 157. Delben. & alij.* Si Episcopus, vel Vicarius culpabilitèr eum tradere recusent, potest Laicus in casu certè excepto (secus in dubio) delinquentem invitum extrahere, minori, quo possit strepitu, & scandalo, & eum in carcere, non sæcularis Judicis, sed Episcopi custodire: apposita à Judice Sæculari, si opus sit, custodia, donec decidatur, quod non gaudet immunitate. Sed in nostra Hispania *in L. fin. tit. 2. lib. 1. R. C.* sic habetur: *E si el Juez Ecclesiastico, requerido con la dicha seguridad, no quisiere sacar el tal deudor, ò deudores, y entregarlo al Juez Seglar, que el mismo Juez Seglar, sin escandalo, y sin lesion de la persona del dicho deudor, lo pueda sacar de la Iglesia, y llevarlo à su carcel publica, y alli, sin le dar por ello pena alguna corporal, determine sobre la dicha deuda justicia. Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 12. n. 56.*

455 Quando dubitatur, an locus immunitatis privilegio gaudeat, vel an casus sit exceptus, vel an reus ad asylum confugiens, immunitate gaudeat; cum causa hæc Ecclesiastica sit, non potest ad Laicum pertinere. *C. 10. de Constitut.* sed ad Judicem Ecclesiasticum pertinet privativè ejus cognitio. *C. 11. c. 32. 17. q. 4. c. 12. de Sentent. excom. in 6. Const. Greg. Barbos. l. 2. Jur. Eccl. cap. 3. ex n. 154. Gutier. Pr. qq. l. 3. q. 1.* Ut reus ab Ecclesia extrahatur, & in carcere Episcopi custodiatur, donec probetur delictum, non est necessaria certitudo delicti, nec quod de eo judicialitèr constet: secus quando agitur de tradendo reo Curiæ sæculari, ut puniatur: tunc enim requiritur probatio concludens, nec sufficit, quæ per conjecturas fit, adeò ut in dubio Judex Ecclesiasticus pro reo, & immunitate Ecclesiæ, pro quibus præsumptio, & possessio stant, debeat judicare. *Barbos. lib. 2. Jur. Eccles. cap. 3. n. 168.* nec debet stare processui à Laico facto: potest tamen ei acquiescere, si formatus sit, antequam reus ad Ecclesiam confugisset. Debet ergo Judex ad talem causam decidendam Promotorem Fiscalem nomine Ecclesiæ, & reum citare, & testes examinare. Et à sententia Episcopi non datur appellatio, saltem quando contra reum in favorem Judicis Sæcularis est lata. *Ex Const. Greg. Barbos. lib. 2. Jur. Eccl. cap. 3. n. 169.*

456 Qui reum invitum, extra casus permissos, ab Ecclesia extrahunt, committunt grave peccatum sacrilegij, & injustitiæ, cum injuriam gravem loco sacro irrogent, & ejus jus violent. *C. 10. 17. q. 4. L. 4. tit. 11. p. 1.* & Jure Civili pœna capitali puniebantur. *L. 2. l. 6. C. de his, qui ad Eccles.* sed hæc non est usu recepta; sed ejus loco Jus Canonicum imponit pœnam pecuniariam, arbitrio Episcopi, quoad quantitatem, sed in Ecclesiæ commodum applicandam, & publicam pœnitentiam. *C. 20. 17. q. 4. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 20. Const. Greg. Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 12. n. 61. Gonz. in C. 6. h. t. n. 14.* & denique tàm Ministri, quàm etiam alij extrahentes non servata forma Constit. Gregor. & Judices mandantes (secus ratum habentes) incurrunt excommunicationem majorem, hodie latæ sententiæ, *ex Const. Greg. Barb. l. 2. Jur. Eccl. cap. 3. n. 166.* & licet non requiratur extractio, sed attentatio sufficiat, debet tamen in opus externum, extractioni proximum, prodire: & ab hac excommunicatione non possunt absolvi, nisi reum extractum Ecclesiæ restituant. *C. 6. c. 8. 17. q. 4. Constit. Greg.* hanc esse Pontifici reservatam, tenent *Barb. lib. 2. Jur. Eccles. cap. 3. n. 167. & alij.* non esse reservatam, sed posse à quolibet Confessario absolvi, tenent *Delben. de Immunit. cap. 16. dub. 38. sect. 1. n. 1. Gonz. in C. 6. h. t. n. 14.* Et quidem *Extrav. 3. de Pœnit. & remiss. inter com.* ponens inter casus Pontifici reservatos violationem libertatis Ecclesiasticæ, non intelligitur de hac violatione, quæ non comprehenditur nomine libertatis Ecclesiasticæ, quæ personas, non loca respicit. Et licet in Const. Greg. eadem pœna contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ, ac in Bulla Cœnæ, contra violatores libertatis Ecclesiasticæ sit posita, non tamen debet extendi ad qualitatem reservationis: utpotè quod Constitutio est odiosa.

457 Denique pro hujus materiæ pleniori explicatione, adjungam præcipuas clausulas *Constit. Greg. XIV. An. 1591.* quæ incipit, *cum alias. Hac itaque nostra perpetuo valitura Constitutione, omnia, & quæcumque* pri-

privilegia .. ad unam tantum formam reducimus, & moderamus, ut Laicis ad Ecclesias, locaque Sacra, & Religiosa confugientibus si fuerint publici Latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur, aut depopulatores agrorum; quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs, earumque Cœmeterijs committere non verentur: aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut Assasinij, vel hæresis, aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei; immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed Universis, & singulis Venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatis, tàm Sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis Regularibus, districtè præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut Laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca supradicta, Sacra, seu Religiosa respectivè confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquod judicio suo commisisse videbuntur, quando à Curia Sæculari fuerint requisiti; & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris, & Officialibus Curiæ Sæcularis absque irregularitatis nota, aut alicujus censuræ Ecclesiasticæ incursu tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat::: decernimus, & declaramus, delinquentem, in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo authoritatem habentis, ad quos solos, & non alios, Episcopis inferiores, etiamsi alij ordinarij sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores ab hac Sede specialitèr, vel generalitèr deputati prædictam licentiam dandi facultas pertineat... Capere, extrahere, aut incarcerare non posint, nisi eo casu, quo Episcopus, & dicta persona Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles, tradere, aut capturæ, aut incarcerationi intervenire, & assistere recusarent. Tuncque reverentiæ Ecclesiæ, & locis Sacris debitæ memores prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit scandalo, & tumultu extrahere curent, & in carcere Curiæ Ecclesiasticæ reponant, & opportuna Custodia, si opus fuerit per Curiam Sæcularem detineri debeant, donec cognoscatur ab Ecclesiastico, an ipsi verè crimina superius expressa commiserint, & tunc de mandato Episcopi per Judicem Ecclesiasticum Curiæ Sæculari quacumque appellatione sepositâ consignentur. Quod si aliquis quidquam præter; aut contra hujusmodi Constitutionis tenorem, attentare præsumpserit, declaramus, eum ipso facto censuras, & pœnas incurrere, quæ contra libertatis, juris, immunitatis Ecclesiasticæ violatores per Sacros Canones sunt promulgatæ::: Necnon irritum decernimus, & inane, si secus super his per quoscumque, quavis authoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Pro coronide addam novissimam Regiam ordinationem pro militiæ desertoribus expeditam à nostro Catholico Monarcha die 20. Aug. 1736. ibi: *Con motivo de la repetida desercion, que se experimenta en los Soldados refugiados a la Iglesia: hemos venido en declarar, que puedan ser sacados de ella por via economica, solo para el fin que buelvan à servir à sus Cuerpos, y Exercitos, haciendo caution juratoria los Ministros, ò Cabos, que los sacaren, de que no los castigaràn, nè haran vejacion alguna. Y si hecha esta caucion, no los quisieren entregar los Ecclesiasticos, podràn sacarlos, y restituirlos à los Cuerpos de donde huvieren desertado, previniendo, que no se les castigue por averlos sacado de la Iglesia, y ser esta nuestra Real Orden: y en el uno, y otro modo con que fueren sacados de la Iglesia, no embarazarà, para que sean castigados, si cometieren nuevos delitos, sin que puedan alegar la Iglesia fria: pues siendo el fundamento de esta la reintegracion del despojo, que ha padecido, y no gozando de immunidad el desertor, no queda fundamento para reintegracion: especialmente quando el sacarle no es para castigo, ni pena, pues no se debe entender serlo el que continue nuestro servicio de donde faltò.*

TIT. L.

Ne Clerici, vel Monachi Sæcularibus negotijs se immisceant.

458 NEgotium (sic dictum quasi *otij negatio*) quod in præsenti Monachis, & Clericis prohibetur, & Sæcularibus permittitur, est omnis occupatio, vel quidquid ad statum Sæcularem Reipublicæ, magis quam ad Ecclesiasticum spectat. Et *nemo militans Deo*, teste Apostolo, *2. ad Timot. 2. v. 4. Implicat se negotijs Sæcularibus. C. 2. D. 88. c. 1. h. t. L. 17. C. de Episc. & Cleric.* Sed præcipuè negotiario ipsis prohibetur: quia exposita est fraudibus, & perjurijs, & suspicionem avaritiæ generat, nimisque eos distrahit à communicatione cum Deo, & Divinis obeundis. *C. 2. D. 88. c. 1. h. t. l. 46. tit. 6. p. 1.* Et ideò dicitur in *C. 2. de Pœnit. D. 5.* quod *difficilè est inter ementis, vendentisque commercium non intervenire peccatum.* Et etiam habetur in *L. 46. tit. 6. p. 1.*

p. 1. Negotiatio ergo alia est *lucrativa*, quando scilicet, res aliqua emitur lucri faciendi causa, & carius venditur: vel ita venditur, ut nullo labore, arte, vel industria melior sit facta: & dicitur *mercatura*, v. g. si merces vinum, frumentum, & alia hujusmodi emantur, ut vendantur carius, quin in aliam redigantur formam. Et hæc est *stricta negotiatio*. Vel ita venditur, quod emptum est, ut arte industria, vel labore melioretur, & dicitur *artificium*, v. g. si lana emarur, ut pannus fiat, & posteà talis pannus vendatur. Ad hanc quidem negotiationem constituendam duo requiruntur. 1. quod res ematur, & vendatur mutata, vel immutata. 2. ut ematur intentione, & animo: & quidem in ipso tempore emptionis, eam carius vendendi, lucri, & quæstus causa. Alia dicitur negotiatio *Politica*, quando scilicet, quis ad Civitatis, Reipublicæ, vel Exercitus necessitates aliquid emit: quod quidem ut alienum à statu Ecclesiastico Clericis prohibitum est. C. 3. *D.* 88. *c.* 1. 21. *q.* 3. Alia est *œconomica*, quando scilicet, aliquis ad suæ domus sustentationem aliquid emit, & quod superfluit vendit pretio tunc quidem currente: vel quando venduntur res propriæ, v. g. fructus ex fundo, pecora, & alia hujusmodi. Et hæc quidem licita est: quippè quæ animum à Divinis non distrahit: & si non liceret Clericis, & Religiosis gravi damno res suas prodigere cogerentur. Ut tamen hæc negotiatio liceat, sufficit, quod tempore emptionis defuisset animus carius vendendi, licet posteà, data occasione, & aucto pretio, res, etsi tunc non sit superflua, carius vendatur. *D. Thomàs* 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *ad* 2. *Suarez de Censur. D.* 23. *sect.* 4. *n.* 21. *Gonzal. in C.* 6. *h. t. n.* 6. Sic fructus suos propria industria aliquo modo mutatos possunt Clerici, vel Religiosi vendere, v. g. possunt pinsere panes per famulos, vel servos: vel habere tabernam vinariam, etiam ad vendendum minutim, dummodo ipsi Clerici non sint tabernarij. *Cl.* 1. *de Vita, & honest. Cleric.* Salem ex proprijs Salinis conficere: cudere ferrum, vel aliud metallum in vena proprij fundi inventum: oleum, vel cervisiam, vel sericum ex proprijs fructibus facere: animalia, aliundè empta, saginare in suis fundis: participare de tritico, quod alij ad seminandum ministrarunt: prædia, & jumenta propria locare, aliaque hujusmodi facere valent. *Molina de Just. & jure tr.* 2. *D.* 342. *n.* 17. Similitèr Religiosi possunt vendere, ita praxi communi, & consensu Prælatorum, quin & R. Pontificum approbante, pharmaca ex aromatibus, herbis, vel speciebus emptis, & propria industria confecta. Nam cum illa materialiter emant, non præcisè ad lucrum faciendum, sed pro necessitate suorum fratrum ægrotantium: quod superest, profectò vendere valent, ad officinam novis medicamentis providendam: sicut possunt vendere, quod superfluit ex provisione ordinaria ad congruam sustentationem. Sic item possunt carius vendere quæ eorum industria meliorata sunt; non tamen præcisè ex fine quæstus, & lucri, sed ex alio fine honesto, v. g. otij fugiendi, vel victus parandi. Ita Monachi antiqui texebant retia, corbes, storeas, & similia, eaque vendebant. *C.* 3. *D.* 91. *l.* 46. *tit.* 6. *p.* 1. Et ipse Apostolus Paulus scenofactoriam exercebat. *Act.* 18. *v.* 3. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. De quibus latius *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 342. *Less. de Just. & jur. lib.* 2. *cap.* 20. *ex n.* 4. *Barb. in C.* 6. *h. t. Et ibid. Gonz. n.* 6. & 7. & *alij com.*

459 Negotiatio lucrativa Clericis, & Monachis prohibetur. *C.* 2. *t.* 9. *c.* 10. *D.* 88. *C. fin. de Vita, & honest. Cler. Trid. sess.* 22. *de Ref. cap.* 1. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *ad* 3. ibi: *Clerici non solum debent abstinere ab his, quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab his, quæ habent speciem mali: quod quidem in negotiatione contingit: tum propter hoc, quod est ordinata ad lucrum terrenum, cujus Clerici debent esse contemptores: tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia: quia difficulter exuitur negotiator à peccatis labiorum, ut dicitur Eccles.* 26. *est*, & *alia causa, quia negotiatio nimis implicat animum Sæcularibus Curis, & per consequens ab spiritualibus retrahit: unde, & Apost. dicit* 2. *ad Timot.* 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs Sæcularibus.* Et quidem prohibetur sub pœna excommunicationis. *C.* 6. *h. t.* Hinc eam exercentes peccatum grave committunt, nisi parvitas materiæ, vel necessitas excuset, ita ut aliundè non haberet, unde se aleret; *arg. C.* 3. *D.* 91. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 187. *art.* 3. *Molin. tr.* 2. *D.* 342. *n.* 2. *Castropal. tr.* 12. *D. un. p.* 9. *n.* 16. *Laym. l.* 3. *tr.* 9. *c.* 17. *n.* 39. & *alij com.* Hinc prohibetur lucri causa emere boves, & pabulum, ut eo saginati carius vendantur: vel ubas ad vinum conficiendum, & alia hujusmodi facere, quia licet hæc non sit propria negotiatio ad eam tamen accedit, ac proindè non decet Clericos, nec Religiosos. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 342. *n.* 6. & 7. *Barb. in C.* 1. *h. t. Gonz. in C.* 6. *h. t. n.* 7. & *alij*. Et sanè Clerici non solum in majoribus, sed, & in minoribus constituti, comprehenduntur hac prohibitione, saltem si beneficium Ecclesiasticum habeant: nam illo carentes non comprehendi tenent *Abb. in C.* 1. *h. t. n.* 12. *Less.*

de Just. & jur. l. 2. cap. 21. n. 4. contra *Fagnan. in C. 1. h. t. ex n.* 83. Religiosi omnes, etiam Episcopi, ejecti, fratres Laici, etiam Moniales (secus Novitij) hac prohibitione, ex ejus generalitate tenentur. *Rodrig. Regul. qq. tom. 1. tr. 6. cap. 10. n. 7. & alij.*

460 Clerici, qui non semel, sed frequentèr negotiantur, suspenduntur. *C. 2. D.* 88. *C. 4. h. t.* Imò, & ab Ordine, & gradu Clericali deponuntur. *C. 4. D. 91.* & excommunicantur. *C. 6. h. t.* Sed omnes hæ pœnæ, non latæ sed ferendæ sententiæ sunt. Item privantur immunitate à gabellis, & vectigalibus in rebus, in quibus negotiantur. *Cl. fin. de Censib.* Etiam ante omnem monitionem; imò, si tèr moniti ab Episcopo, competentibus intervallis, à negotiando non cessent, amittunt privilegium immunitatis, etiam quoad bona patrimonialia. *C. fin. de Vita, & honest. Cleric.* Bona per negotiationem injustam adquisita, suis Dominis sunt restituenda: at verò illicitè tantum adquisita post mortem Clericorum, tanquam spolia pertinent ad fiscum Ecclesiæ, seu Cameram Apostolicam, etiamsi facultate obtenta, de eis sint testati. *Pius IV. Const. Decens. Nonis Nov.* 1560. Ante sententiam tamen declaratoriam possunt à successore in foro conscientiæ retineri: nam hæc Lex pœnalis est; *arg. C. 19. de Hæretic. in 6.* Eisdem ferè pœnis puniuntur Religiosi, & aliquando gravius. *C. 4. c. 6. h. t. Suar. t. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. cap. 2. n.* 30. Clerici, & Religiosi negotiationem ipsis prohibitam possunt per alios exercere. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 342. n. 13. Less. de Just. lib. 2. cap. 21. n. 6. Medin. & alij*, quin incurrant culpam etiam venialem, si necessitas, vel consuetudo Regionis hoc permittat. *Less. de Just. lib. 2. cap. 21. n. 6. Medin. & alij.* Maximè si campsor, v. g. cum quo Clericus Societatem init, totam operam, Clericus tamen solam pecuniam ministret. Clericus namque hoc faciens non censetur negotiari, sicut viri nobiles hoc facientes non censentur negotiatores. *Gonz. in C. 6. h. t. n. 7. Theophil. Reynaud. & alij.* Sed hodie prohibitum est à *Clemen. IX.* Clericis, & Religiosis Indiarum, negotiationem, vel mercaturam exercere, neque per se, neque per alium. Et à nostris Regibus jussum fuit hujusmodi Breve publicari, & servari. *L. 33. tit. 14. l. 1. R. Indiar.* ibi: *Mandamos, que nuestros Virreyes, Presidentes, Governadores, y Corregidores, hagan publicar; y executar el Breve de N. Santo Padre Clemente Nono, dado à 17. de Junio de 1669. sobre que los Religiosos de todas las Religiones, y de la Compañia de Jesus, y Clerigos Seculares, no puedan por sì, ni por interpositas personas exercer tratos, ni mercancias en todos los territorios de las Indias, y Tierra-Firme del Mar Occeano, en que comprehende à los que passan al Japon.* Sed his non obstantibus adhuc *Fr. Joan. de Paz in suis Consult. clas. 1. consf. 62. parec. 73. f. 175.* ait: *Puede un Clerigo en Philipinas dàr à corresponder, no obstante la Bulla de Clem. IX. por averse interpuesto suplica de dicho Breve por el Cabildo, y Clerecia de Manila.*

461 Clerici, etiam in minoribus constituti, saltem si beneficium habeant, imo & sine ipso, si privilegio fori velint gaudere, cum Deo militent, nequeunt sæculo militare. *C. 19. 13. q. 8.* Nisi gravissima publica urgeat necessitas. *C. 2. de Immunit. L. 52. tit. 6. p. 1.* Possunt tamen esse Capellani exercitus ad spiritualia ministranda, & sic quotidiè videmus, nostros Sacerdotes in Capellanos eligi Triremium, quæ adversus Mauros expediuntur: & possunt ad pugnam justam incitare. *C. 9. & 10. 23. q. 8.* Si ad injustam pugnam, vel determinatè ad occisionem, vel mutilationem incitent deponendi sunt. *C. 5. de Pœnis, Suar. de Cens. D. 47. sect. 6. n. 10. Gonz. in c. fin. de Homic. n.* 4. Monachi, & Clerici, etiam in minoribus, nequeunt artem Medicam, vel Chirurgicam exercere. *C. 19. de Homid. arg. c. 1. h. t. c. 15. de Vit. & honest.* ubi generalitèr negotia sæcularia ipsis prohibentur, nisi in casu necessitatis, vel pietatis; & etiam tunc sine incisione, vel adustione. *C. 9. h. t. c. 7. de Ætat. & qualit. Suar. de Cens. D. 47. sect. 7. Sanch. in Decal. l. 6. cap. 14. ex n.* 13. Deindè Clerici, vel Monachi non possunt exercere Tabellionis officium. *C. 8. h. t. L. 10. tit. 3. l. 1. R. C.* ubi prohibetur, ne Clerici in Sacris, vel Religiosi sint Judices, Advocati, nec Tabelliones in causis temporalibus, vel Laicorum: possunt tamen, etiamsi Sacerdotes sint, & Religiosi illud exercere favore fidei in causa hæresis. *C. 11. §. 1. Hæret. in 6.* Imò Clerici, etiam in causis alijs Ecclesiasticis, consuetudine sic approbante, Notarij sunt, præcipuè in Hispania. *Barbos. in C. 8. h. t. n. 9. & ibid. Gonz.* Clerici in Sacris constituti, vel beneficium habentes, licet in Judicio Ecclesiastico, saltem in causis Ecclesiasticis, possint esse Procuratores Laicorum, nequeunt tamen in judicio Sæculari illorum Procuratores esse, nisi ex pietate, vel amicitia, ad unum; vel alterum negotium: secus ad omnia. *C. fin. D. 86.* nec extra judicium possunt esse Procuratores, vel Administratores Laicorum, nisi ex causa pietatis. *C. 2. c. 4. h. t.* nec iidem possunt esse Ministri, nec famuli domestici Laicorum. Clericus nequit esse Gubernator Politicus Pro-

Provinciæ, vel Civitatis. *L.* 48. *tit.* 6. *p.* 1. imò excommunicationem, probabilius ipso facto, incurrunt Sacerdotes. *C.* 5. *h. t.* quæ non extenditur ad alios Clericos, etiam in Sacris constitutos, cum censura ad Sacerdotes sit restricta in ipso Textu. Nec ea Episcopus comprehenditur, quia ejus expressam mentionem non facit. *C.* 4. *de Sent. excom. in* 6. *Suar. de Cens. D.* 23. *sect.* 3. *n.* 21. *Barbos. in c.* 5. *h. t. n.* 6. contra *Sylvestr. & alios*, qui dicunt, prædictam excommunicationem non incurri ipso facto. Prælatus, vel alius Clericus potest esse Consiliarius Principis Sæcularis, dummodo non det consilium, ut aliquis occidatur, vel mutiletur, nam ex eo irregularitatem incurret. *C.* 8. *D.* 50. In *Hispania* omnes Episcopi sunt Consiliarij Regijs sed gratia honoris tantum. Aliquando quidem in Prætides, tàm Cancellariarum, quàm Regij Supremi Consilij eliguntur.

462 Religiosis, & omnibus Presbyteris, Archidiaconis, Plebanis, Decanis, & alijs Clericis dignitatem, vel personatum obtinentibus prohibetur studium Physicæ, id est Medicinæ, & Juris Civilis. *C.* 3. *c. fin. h. t. L.* 28. *tit.* 7. *p.* 1. Ne actionibus sæcularibus involvantur harum scientiarum occasione: & ne cupiditate addiscendi has scientias adeo honorificas; & quæstuosas avertantur à studio Sacræ Theologiæ, & Juris Canonici, (quod nomine Theologiæ, ut pars ejus venit. *C.* 24. *de Accusat.*) quod quidem studium ipsis valdè necessarium, & utile est. *C. fin. h. t. ibid. Gonz. & Barb.* Quicumque, ergo Religiosus, propriè talis, nec enim Novitij includuntur, qui egrediatur è Monasterio, vel extra illud sit animo has scientias addicendi, & intra duos menses à tempore, quo adhunc effectum exijt, non revertatur ad Monasterium, ipso facto excommunicationem incurrit, & alias pœnas. *C.* 3. *c. fin. h. t.* quia tamen hæc constitutio, ut pœnalis, non debet extendi, sed restringi. *C.* 15. *de Reg. jur. in* 6. ea non comprehenduntur illi Religiosi, qui non exeunt, sed intra claustra audiunt Medicinam, vel Jus Civile, vel privato studio has facultates addiscunt; vel si publicam Academiam quotidie adeant, ita ut ad claustrum redeant; vel etiamsi aliquot diebus extra claustrum commorentur, ante lapsum tamen bimestris ad illud redeant. *Suar. de Cens. D.* 23. *sect.* 3. *Extr.* 6. *Barb. in C.* 3. *h. t. & alij apud ipsos ... in prædictis sententes.* Clerici, vel Religiosi, si specialibus Constitutionibus, vel Diœcesanis, vel Ordinis non prohibeantur, possunt Leges, & Medicinam docere, cum solum eas audire sit prohibitum. *C. fin. h. t. Suarez de Cens. D.* 23. *sect.* 3. *ex n.* 17. *Barb. & Gonz. in c.* 3. *h. t. n. fin. & alij* contra *D. Anton. Hostiens. Arch. & alios.* Et possunt gradum Doctoratus harum facultatum recipere, si ante ordines, vel professionem eas didicerunt. Et quidem Clerici non indigent Episcopi licentia, Regulares tamen indigent suorum Prælatorum licentia. *Barbosa in C. fin. h. t. num.* 4. *Mend. de Jur. Acad. lib.* 2. *q.* 3. *n.* 360. *Sanch. in Decal. lib.* 6. *cap.* 14. *ex n.* 44. Clerici Sæculares ubivis audiant, etiamsi in proprijs domibus audiant has facultates, post duos menses incurrunt excommunicationem, nisi tàm ipsi, quam Religiosi Juri Civili, ut maxime ad Jus Canonicum necessario incumbant: nam tunc privatim illi possunt studere, imo juxta *Hostiens. Abb. & Barbos. in C. fin. h. t. n. fin.* etiam publicè possunt Jus Civile audire. Sed jam ob hanc rationem plures Universitates, & omnium Princeps nostra Salmantina, ad hoc gaudent privilegio Apostolico. *Gonzal. in C.* 3. *h. t. num.* 4.

463 Doctores, & Magistri, qui Religiosos, habitu dimisso (secus eo retento) docent Leges, vel Medicinam, excommunicationem incurrunt, si doceant, vel in Scholis, vel extra eas, vel ipsos retineant. *C.* 2. *h. t. n.* 6. & quidem hæc scienter faciant, secus si ex ignorantia etiam crassa; dummodo non sit adeo affectata, ut posit temeritas dici. *Suar. de Cens. D.* 23. *sect.* 4. *n.* 39. *Sanch. in Decal. lib.* 6. *cap.* 8. *n.* 100. ut qui retinent Religiosos, sed non docent, incurrant excommunicationem, est necessarium, ut hujusmodi Religiosos retineant in Scholis. *Suar. de Cens. D.* 23. *sect.* 4. *n.* 41. & quidem debent positivè eos retinere: v. g. rogando, vel quasi cogendo: non tamen tenentur eos per vim expellere, nec officium docendi intermittere, sed possunt eos tolerare; nisi sit Rector Universitatis, cui incumbit expellere ex officio. *Suar. de Cens. D.* 23. *sect.* 4. *ex n.* 39. non incurrunt hanc excommunicationem docentes Leges, vel Medicinam, si retineant Clericos Sæculares; quia *C.* 2. *h. t. in* 6. tantum de Religiosis loquitur, & cum sit Constitutio pœnalis non est extendenda. *C.* 15. *de Reg. jur. in* 6. Religiosus, qui habitum proprium Ordinis totum, etiam sine animo apostatandi dimittit, vel occultat, ita ut exterius nihil appareat, si hoc faciat temere, & sine justa causa, incurrit excommunicationem, *C.* 2. *h. t. in* 6. quam vitat, qui ad breve tempus illum exuit, etiam ex causa turpi, v. g. ut furetur: vel ex ignorantia, etiam culpabili, dummodo non sit affectata, & temeraria. *Suar. de Cens. D.* 23. *sect.* 4. *ex n.* 28. *Sanch. in Decal. lib.* 6. *cap.* 8. *ex n.* 63.

Cle-

464 Clericis, etiam in minoribus constitutis, & Religiosis, maximè prohibetur: & quidem sub pœna excommunicationis, & loci, quod est sub privatione officij, & beneficij, judicare per se causas sanguinis. *C. 5. c. 9. h. t.* Nec possunt dictare, vel scribere sententiam ad mortem, vel mutilationem; nec dare consilium, vel auxilium, vel authoritativè talibus actibus interesse: hoc enim dedecet statum Clericorum, qui à Christo electi sunt in ministerium salutis. C. 29. 23. *q.* 8. & si mors, vel mutilatio sequatur, irregularitatem incurrunt. Clerici tamen possunt sine irregularitatis timore consilium dare, ut Lex imponens mortem condatur; nam tunc solum mediatè ad mortem concurrunt. *Barb. in C. 5. h. t. n.* 3. & causam criminalem, etiam per se tractare, quando nec mors, nec mutilatio sequitur. Si Episcopus, v.g. jurisdictionem temporalem habeat, eam potest Laico ad causas sanguinis delegare, & etiamsi mors sequatur, nullam Episcopus delegans incurret irregularitatem. *C. fin. h. t. in 6.* erit tamen consultius generaliter jurisdictionem committere, & non in casu particulari. Et à delegato appellatur ad delegantem, qui per alium novum delegatum in gradu appellationis cognoscet. *Gloss. in C. 5. h. t. V. Aut judicent.* Si tamen delegatio fieret determinate ad punitionem faciendam per mortem, vel mutilationem delegans fieret irregularis; nam tunc jam ipse censeretur sententiam sanguinis tulisse, & solum delegasse executionem. Latè *Suar. de Cens. D. 47. sect.* 1.

465 Denique, ut magis in specie sciamus negotia Clericis prohibita, audiamus capitalem decisionem *Text in C. 1. h. t.* ibi: *Multa sunt negotia secularia, de quibus pauca perstrinximus, ad quæ pertinet omnis carnalis concupiscentia, quidquid plus justo apetit homo, turpe lucrum est, munera injusta accipere, vel etiam dare pro aliquo seculari questu, pretio aliquem conducere, conventiones, vel lites, vel rixas amare. In plateis secularibus disputare, excepta defensione orphanorum, aut viduarum, conductores secularium rerum, aut procuratores esse, turpis verbi, vel facti esse joculatorem, vel jocum secularem diligere, aleas amare, ornamentum inconveniens proposito suo quærere, in delicijs vivere velle. Gulam, & ebrietatem sequi, pondera injusta, vel mensuras habere, negotium injustum exercere: canes, & aves sequi ad venandum, & omnibus, quibuslibet causis superfluis interesse. Ecce talia, & his similia Ministris Altaris Domini, necnon in Monachis omninò contradicimus, de quibus Apostolus ait: Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.*

FINIS TOMI PRIMI.